
CATENA
SEXAGINTA QVINQVE
GRÆCORVM PATRVM
IN
S. LVCAM,
Quæ quatuor simul EVANGELISTARVM
introducit explicationem;
LVCE ac LATINITATE donata, et ex alijs
PATRIBVS tam Græcis quàm Latinis suppleta
et ANNOTATIONIBVS illustrata,
à BALTHASARE CORDERIO Antuerp.
Doctore Theologo Soc. IESV.
Cornelius Galleus sculpsit
ANTVERPIÆ, EX OFFICINA PLANTINIANA, M. DC. XXVIII.

INVICTISSIMO
ET
AVGVSTISSIMO
CAESARI
FERDINANDO II.
ROMANORVM
IMPERATORI.

MVLTIS profectò nominibus, FERDINANDE CÆSAR, ſacra hæc Catena Sacræ Maieſtati Tuæ meritò debetur: cùm quia Sanctum IESV CHRISTI Euangelium complectitur, cuius à Deo Tibi patrocinium concreditum eſt: tum quòd è multis necdum ad hanc diem editis Græciæ Patribus eſt concinnata, qui ſe ab interitu per Te poſtulant vindica-

 ri.

ri. Patere igitur, CÆSAR AVGVSTISSIME, pro Tuâ in EVANGELIVM religione, atque in Sanctos Patres reuerentiâ & affectu, vt Catenam hanc, quam ipsi singulari studio & industriâ, pulcherrimis sanè gemmis spiritalibus distinctam, sancto LVCÆ appenderunt, sacro Tuo vertici adnectam.

Quòd si ei aduersus calumniatores patrocinio sit opus, vbi magis fidum firmúmve reperiat, quàm in Te, qui pro S. EVANGELII defensione, fortunarum, Regnorúmque amplissimorum, & ipsiusmet Tui augustissimi capitis periculum subire minimè dubitasti? Denique quis Græcorum Patrum plurimas etiamnum lucubrationes, Turcarum ac schismaticorum manibus ereptas, ab interitu vindicare possit; nisi quem Deus cælúmque ipsum Orbi vniuerso ab omnis

omnis hæreſeos & impietatis lue liberando deſtinauit?

Vnicum hoc, CÆSAR, meum bonorumque omnium commune votum eſt; vt ſicut iam per totum pænè Occidentem priſtino nitori Fidem ac Religionem diuinâ feliciter ope reſtituere conaris; ſic in Orientem quoque, Mahumetanâ impietate profligatâ, verum IESV CHRISTI EVANGELIVM propages, & ad Imperium vtrumque, Fidem vnà cum Sceptro extendas. Sic opto, ſic voueo

SACRÆ MAIESTATIS TVÆ

infimus ſeruus

Balthaſar Corderius.

BENEVOLO
LECTORI.

CATENAM *hanc iam pridem Græcè ſimul ac Latinè in lucem edere ſtatueram, ſed iniquitati temporum cedens, permiſi primùm Latinè tantùm præmitti, vt, ſi multi Græcum textum deſiderare intelligantur, alterâ editione Græco-Latinè prodeat. Extat autem primarium exemplar Catenæ huius Græcè in Bibliothecâ Illuſtriſſimi Cardinalis Beſſarionis, quam moriens Reip. Venetæ legauit, aſſeruaturq́; ad S. Marcum; vbi exemplar meum, vnde illam in Latinum ſermonem tranſtuli, transſcriptum fuit, & Coloniam Agrippinam miſſum ad Birckmannicos Typographos, qui Suffrido Petro Friſio vertendam reliquerant, ſed morte præuentus non attigit. Inde verò induſtriâ R.P. Andreæ Schotti, & Arnoldi Mylij operâ, ad me peruênit. Eiuſdem Catenæ perantiquum exemplar vidi in Cæſareâ Viennenſi & Auguſtanâ Bibliothecis, ſed vtrumque mutilum. Græcus autem titulus ſic habebat:* Εὐαγγέλιον κατὰ Λουκᾶν, ἑρμηνευόμενον ἐκ διαφόρων ἑρμηνευτῶν, τοῦ τετραευαγγέλου ἑρμηνείαν εἰσάγων ἔνδον. *id eſt,* Euangelium ſecundùm Lucam, interpretatum ex diuerſis Interpretibus, quadripartiti Euangelij pariter inducens explicationem.

Verùm cùm non ſatis, meo quidem iudicio, completè totius hiſtoriæ Euangelicæ, prout à quatuor Euangeliſtis tradita eſt, explanationem introduceret, ordine hiſtoriæ, per modum Concordiæ, ſuppleui ex aliis, quæ S. LVCAS *non attigerat; & vbi maiorem lucem aut vberiorem res explicationem requirere videbatur, ex aliis quoque tam Græcis quàm Latinis Patribus illam adieci, commodo Lectorum ſtudens, potiſſimùm eorum, quibus vel ad populum è cathedrâ, vel in ſcholis Sanctum Euangelium eſt explicandum. Hunc itaque laborem meum boni conſule, & vale.*

PRÆ-

PRÆFATIO
AD
EVANGELIVM
SANCTI LVCÆ.

SCRIPTVRARVM, communi Patrum consensu, pars nobilior Euangelia sunt: quòd in aliis, vt S. Basilius inquit, per Prophetas seruos, in Euangeliis autem ipse per se Dominus locutus est. *Basilius in 1. Ioan.* Quamobrem tametsi Scriptura omnis diuina est, præ veteri tamen Testamento, quod ferro plumboque comparatur, aurei argenteique diuini Spiritus canales censeri non immeritò Euangelia possunt. Horum autem Scriptores ab Ecclesiâ recepti sunt quatuor, Matthæus nempe, Marcus, Lucas, & Ioannes, quadriga Domini, & Cherubim, quod, vt S. Hieronymus ait, interpretatur Scientiæ multitudo. *Epist. ad Paulinũ.* Hi per totum corpus oculati sunt, scintillæ emicant, discurrunt fulgura, pedes habent rectos, & in sublime tendentes, terga pennata, & vbique volitantia: *Ezech. 1, 18.* tenent se mutuò, sibique perplexi sunt, & quasi rota in rotâ voluuntur, & pergunt quocumque eos flatus sancti Spiritus perduxerit. Ac Matthæus quidem in Iudæâ Hebræo sermone Euangelium edidit: Marcus interpres Petri, eiusque discipulus, Saluatorem quidem ipse non vidit, sed quæ ex Magistri ore perceperat, scripto tradidit, iuxta fidem magis (inquit Hieronymus) gestorum quàm ordinem: *Proœm. in Matth.* Lucas verò professione Medicus, natione Syrus Antiochensis, Pauli assecla, in Achaiâ Bœotiaque Euangelium composuit, quædam altiùs repetens, &, vt ipse in Proœmio confitetur, audita magis quàm visa describens: Ioannes denique, qui scriptorum sublimitate omnibus antecellit, ad ipsam, vt ita dicam, Dei Verbi penetrat Diuinitatem. Fuerunt & alij complures pseudeuangelistæ, qui sine spiritu & gratiâ Dei, vt testatur Lucas, conati sunt magis ordinare narrationem, quàm historiæ texere veritatem. *Luc. 1, 1.* Quibus iure potest illud Propheticum coaptari: *Væ qui prophetant de corde suo.* *Ezech. 13, 3.* *Qui ambulant post spiritum suum: qui dicunt: Dicit Dominus, & Dominus non misit eos.* De quibus quoque Saluator in Euangelio Ioan-

Ioan. 10,8 nis ſic loquitur: *Omnes qui ante me venerunt, fures & latrones fuerunt.*
Qui venerunt, inquit, non, qui miſſi ſunt. Ipſe enim ait: *Veniebant,*
& ego non mittebam eos. In venientibus ſiquidem præſumptio teme-
ritatis, in miſſis obſequium ſeruitutis eſt. Horum autem falſariorum
impoſtorumque qui Euangelium adulterarunt, principes ab Orige-
Origen. in Luc. 1. ne Hieronymoque ferè cenſentur Baſilides & Apelles, aliique qui
Hier. in Matth. 1. ſecundùm Bartholomæum, Thomam, & Matthiam Euangelium
commenti ſunt, vti & illud Nazaræorum, quod vocant, & ſecun-
dùm Ægyptios ac duodecim Apoſtolos. Verùm hæc omnia ad Ly-
dium veri Euangelij lapidem explorata, tamquam adulterina meri-
tò ab Eccleſiâ reprobata, & vt apocrypha reiecta ſunt; ſuſceptis nem-
pe veris ac genuinis quatuor ſupradictorum Euangeliſtarum volu-
Nyſſ. de minibus, quæ Sancta mater Eccleſia adoptauit pro ſuis. Hæc autem
Paſchate quatuor Euangelia à Nyſſeno, Tertulliano, Hieronymo, Auguſtino,
Orat. 2. *Tertull.* quatuor paradiſi fluminibus, quibus præfigurata fuerunt, comparan-
contra Marcion. tur; quòd nempe, vt illa ex eodem fonte, ſic hæc ex Chriſti Seruatoris
cap. 2. noſtri pectore promanarunt: & vt illa paradiſum, ſic hæc vniuerſam
Hieron. Proleg. Chriſti Eccleſiam lauacro regenerationis inundant. Quatuor autem
in Mattheum. Euangeliſtas, quatuor quæ Ezechieli apparuerunt animalium facies
Gen. 2,10 præfigurant. Ac prima quidem facies hominis, Matthæum ſignifi-
Ezechie-lis 1. cat, qui quaſi de homine exorſus, Chriſti genealogiam contexit.
Matt. 1. Secunda refert Marcum, qui inſtar leonis rugientis, vocem claman-
Marc. 1. tis in deſerto inducit. Tertia, id eſt vituli facies, ordientem à Zacha-
Luca 1. riæ ſacerdotio Lucam indicat. Quarta denique Ioannem aquilæ
Ioan. 1. ſubuectum pennis, altiora Diuinitatis myſteria rimantem denotat.
Cùm quidem hi diuinè omnes, tum certè præclariſſimè Pauli iudi-
cio ſcripſit Lucas, cuius ille præ reliquis in Euangelio laudem com-
mendat. Nec immeritò ſanè, quippe qui ceteris clariùs, diſtinctiùs
atque ornatiùs, cùm rerum geſtarum, tum temporum momentis or-
dineque ſeruatis, quibus Hiſtorici perfecti munus abſoluitur, Euan-
gelium ſcripſerit. Tanta enim Hiſtoriæ illius claritas, tam apta con-
Tertull. nexio, tanta ſermonis elegantia eſt, vt ſecundùm Tertullianum, nul-
de Hæreſ. la illi hæreſis tenebras, nulla confuſionem ætas, nulla denique barba-
ries obſcuritatem ſit allatura. Vitiauit ſiquidem & adulterauit Scri-
pturas Cerdon, ſed ſolum Lucæ Euangelium, propter eius euiden-
tiam, recipere coactus fuit. Cerdonem quoque Marcionemque
quotquot præceſſerunt hæretici, qui ſacra quidem volumina conta-
minare conati ſunt, à ſolo ferè Lucæ Euangelio, vt idem Tertullia-
nus teſtatur, ſacrilegas manus continuere, tantæ luci tenebras of-
fundi poſſe deſperantes. Magnum profectò veritatis teſtimonium
eſt, quod à iuratis Euangelij hoſtibus extorquetur. Quod autem ad
Hiſtoriæ eius excellentiam attinet, vel hoc vnum ipſam com-
mendat

mendat satis, quòd non à Christianis tantùm, qui singula eius verba pro oraculis habere debent, sed vel ab ipsis Ethnicis, quibus nulla Euangelij affulsit fides, ipsi Iosepho, Græcorum Historicorum Liuio, præferatur. Sed quid testor Ethnicos, cùm perditissimus ille Christianorum hostis Iulianus Apostata, Lucæ testimonium contra Iosephum citet? Quid de stylo dicam? tantam Hieronymus eius esse elegantiam scribit, vt sæcularem quamdam redolere eloquentiam videatur: quippe qui Philosophus Medicusque fuerit, & inter omnes Euangelistas Græci sermonis eruditissimus. Iam dictis maiori profectò digna laude reperies, si diligentiùs ipsam Lucæ Historiam fueris perscrutatus. Maxima enim fidei nostræ mysteria, quæ ab aliis Euangelistis prætermissa fuerant, ab illo accuratissimè, vti cetera, magno Ecclesiæ bono litteris consignata sunt. Solus enim, vti Christi Beatissimæque eius Matris effigies penicillo, sic & res eorum gestas breuissimè quidem, sed elegantissimè stylo depinxit. Solus inquam Euangelistarum, salutationem Angelicam, Virginisque cum Gabriele colloquium, visitationemque Elisabethæ descripsit, suauissimis Deiparæ Simeonisque canticis adiunctis. Christi deinde natiuitatem circumcisionemque, ac Virginis immaculatæ purificationem, & totam denique Christi infantiam pueritiamque complectens, optimo cùm rerum gestarum tum temporum ordine, non fideliter minùs quàm eleganter conscripsit, hisce de omnibus à Deiparâ Virgine, cui & à manu & à secretis erat, luculenter edoctus. Denique hoc quoque titulo in nos clementior est, quòd non oblitus se Medicum, omnia ad infirmarum curationem animarum confert, adeò vt, teste Hieronymo, eius verba animæ languentis sint medicina. Lenientibus enim ex arte medicamentis vtitur, dum Christi misericordiam pietatemque deprædicat, dum grauissimis obstrictos criminibus, dulcissimo consolatur eloquio, & peccatores de diuinâ desperare misericordiâ non sinit. Maxima enim diuinæ in homines clementiæ exempla commemorat, Magdalenæ inquam & Zachæi, quorum alteram Christus ex peccatrice sanctissimam, alterum verò ex publicanorum principe iustissimum reddidit. Solus hic publicanorum peccatorumque conuersiones, & prodigi cum patre in gratiam redeuntis parabolam, ac Christi in cruce pendentis ad Patrem pro carnificibus orationem, pietatis misericordiæque plenissimam, adeò graphicè artificioseque describit, vt hæc sola durissimis, imò lapideis in peccatis obduratorum animis, deliniendis emolliendisque sufficiant. His itaque præsentissimis contra omne morborum genus medicinis, peritissimus ille non animarum minùs quàm corporum Medicus iacentes erigit, languen-

Baron. in Appar.

Apud Cyrillum Alexād. lib. 6. contra Iul.

Epist ad Damasū.

Niceph. lib. 11. c. XLIV.

Epist. ad Paulam.

Luca 7. 48. & 19. 5.

Luca 15. 20.

Luca 21. 34.

languentes confirmat, ægrotos curat; & quod maximum eſt, per peccatum defunctos reſuſcitat. Quamobrem vt in tantorum partem beneficiorum veniam, pluresque tam ſalutaribus, quæ à ſpiritali Medico præſcripta ſunt, medicamentis frui ſecuriùs & maiori cum animæ ſuæ fructu poſſint, eadem à peritiſſimis ſpiritalis medicinæ profeſſoribus, Sanctis inquam Patribus, qui optimè eorum vſum cognouerant, recocta reconditaque propono. Et ne quidquam ad totius hiſtoriæ Euangelicæ explicationem deſiderari poſſet, ea quæ S.Lucas non attigerat, ex aliis Euangeliſtis ſuppleui, & in concordiæ morem, illuſtrioribus Patrum explicationibus illuſtraui; difficilioribus tam Euangelij quàm Patrum locis, peculiaribus Annotationibus elucidatis.

FACVL-

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS
PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ.

EGO *infraſcriptus Societatis* IESV *in Prouincia Flandro-Belgica Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ab Adm^dum R^do P. N. Mutio Vitelleſco ad hoc mihi facta concedo, vt* Catena ſexaginta quinque Patrum Græcorum in S. Lucam, à P. Balthaſare Corderio Societatis noſtræ Theologo luce ac Latinitate donata, & ex aliis Patribus ſuppleta & Annotationibus illuſtrata, *quæ à grauibus eiuſdem Societatis Theologis examinata fuit & probata, typis diuulgetur. In cuius rei teſtimonium has ſignaui, & ſigillo officij muniui. Bruxellæ, X. Martij*, M. DC. XXIV.

Florentius de Montmorency.

APPROBATIO.

HAEC *Catena ſententiarum Græcorum Patrum in S. Lucam, quæ quatuor ſimul Euangeliſtarum introducit explicationem, induſtriâ & labore Reuerendi Patris Balthaſaris Corderij, Societatis* IESV *Theologi, è Græco in Latinum verſa, & ex aliis Patribus ſuppleta, tam Theologis quàm Concionatoribus vtiliſſima erit, ac proinde prælo digniſsima. Quod cenſui* XIV. *Martij anno* M. DC. XXIV.

Egbertus Spitholdius S.T.L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. *Hiſpaniarum Regis Catholici & Potentiſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt, nequis* Catenam ſexaginta quinque Patrum Græcorum in S. Lucam, luce ac Latinitate donatam, & ex aliis Patribus, tam Græcis quàm Latinis, ſuppletam, & Annotationibus illuſtratam, à Balthaſare Corderio Soc. IESV Theologo, *præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra ſexennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſam in Germaniæ inferioris ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ*, XVI. *Martij* M. DC. XXIV.

Signat.

Steenhuyſe.

PATRES

PATRES

E QVIBVS

HÆC CATENA

CONCINNATA EST.

I. AMBROSIVS citatur *Cap. 1. nu. 27.* ex Theodoreto Tom.2. Dialogo 2. contra hæreses, qui inscribitur *Inconfusus.* Vbi hunc locum, à se aut alio quopiam ex Latino in Græcum translatum, adfert cum hac inscriptione: Τοῦ ἁγίου Ἀμβροσίου, Ἐπισκόπου Μεδιολάνου, ἐν Ἐκθέσει πίστεως. Id est: *S. Ambrosij, Episcopi Mediolanensis, in Expositione fidei.* Qui Tractatus extat Tomo quarto Operum S. Ambrosij: vbi quædam hisce similia, sed non omnino eadem leguntur. Vnde probabile est, Theodoretum, idem (vti Patribus, dum alios citant, familiare est) seruato sensu, verbis suis, Græcè compendiosiùs, quod Ambrosius in Operibus fusiùs tradit, expressisse.

II. AMPHILOCHIVS Iconij Episcopus, SS. Basilij, Gregorij Nazianzeni ac Nysseni æqualis, quibus eum quoque S. Hieronymus in Epistolâ ad Magnum comparat, nesciens quid in illis primùm admirari debeat, an eruditionem sæculi, an scientiam Scripturarum. Scripsit autem, eodem teste in Catalogo Scriptorum, librum de Spiritu sancto, & Homilias varias, quarum partes aliquæ citantur à Theodoreto in Dialogo contra hæreses. Verùm an adhuc extent, sciri negat Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis anno Domini 380. Illa certè quæ hîc adferuntur *Cap. 22. num. 63* nusquam reperi.

III. ANASTASIVS Patriarcha Antiochenus, qui & Sinaita dictus, vixit sub Iustiniano Imperatore, vt scribit Euagrius lib. 4. Hist. c. 39. Cuius etiam honorificam mentionem facit Synodus VI. Scripsit de Rectis dogmatibus libros quinq; de Incircumscriptâ Dei essentiâ, de Incarnatione, de Passione & impassibilitate Christi; quæ omnia Posseuinus in Apparatu suo scribit Græcè extare in Bibliothecâ Vaticanâ, & à Godefrido Titelmanno Latinè edita sunt Parisijs. Scripsit præterea Anagogicarum contemplationum in Hexaëmeron libros 11. de Sanctâ Communione pulcherrimam Orationem, vti & Ὁδηγὸν siue *viæ ducem*, quem Pater noster Gretzerus Latinè reddidit, & leguntur in fine Tomi prioris sæculi sexti, Magnæ Bibliothecæ Patrum, vltimæ editionis Coloniensis; vbi de eodem & scriptis eius plura præfatur idem Gretzerus. Illa autem loca quæ eiusdem nomine in hac Catenâ citantur hîc *Cap. 2. nu.* 43. 47. 65. *Cap. 5. nu.* 10. & *Cap. 19. nu.* 47. nusquam adhuc alibi reperi.

IV. ΑΝΕΠΙΓΡΑΦΟΣ seu *Anonymus*, cuius multa hîc adferuntur, quis fuerit, haud facilè quispiam diuinauerit, cùm verosimilius sit, loca ista nulli certo Auctori adscripta, non ex vno eodemque, sed ex diuersis desumpta esse. Quæ autem, aut eorum similia apud certos Auctores repererim, suis locis in Scholijs adnotaui. Anonymi autem sunt hæc: *Cap. 1. nu.* 33. 39. 43. *Cap. 2 nu.* 40. 80. 81. 82. 83. 85. *Cap. 6. nu.* 8. *Cap. 8. nu.* 6. 25. 33. *Cap. 9. nu.* 57. *Cap.* 10. *nu.* 36. *Cap.* 11. 50. *n. Cap. 12. nu.* 20. *Cap.* 13.

n. 11.

n.11.12.*Cap.14.n.*5.14.20.22.25. *Cap.15.n.*4.10.11.12.13.16.27.29.63.64. *Cap.16.n.*5. 9.27.38.54.58. 64.66. *Cap.17.n.*6.7.24.42. *Cap.* 18.*n.*75.78. *Cap.19.n.*6.8.13.27.44. *Cap.20.n.*10.23.24. *Cap.22. n.*3.20.45.65.69.70.71.72.73. *Cap.23.n.*2.3.7.21.22.23. *Cap.*24.n.4.5.6.7.18.vfque ad finem.

APOLLINARIVS Laodicenus Epifcopus tempote Conftantij Imperatoris floruit,fcripfit pænè innumerabilia,tefte Hieronymo in Catalogo Scriptorum, quorum etiam partem magnam recenfet Poffeuinus nofter in Appatatu, fed pleraque interciderunt, & ex ijs nunc folùm extat Metaphrafis in Pfalmos verfu heroico,quæ modò legitur in Magnâ Bibliothecâ Patrum,fæculo feu Tomo quarto.Quæ in Scripturam confcripfit quàm plurima, interciderunt, è quibus fragmenta quædam effe videntur,quæ in hac Catenâ citantur *Cap.*18. *nu.* 83. *Cap.*19.*n.*43.*Cap.*20.*n.*11.15.17. *Cap.*22.*n.*36.38. V.

ASTERIVS, non ille(vt benè in Bibliotheca Patrum notatur)Arrianæ fectæ Epifcopus, cuius meminit S. Hieronymus in Catalogo de Scriptoribus Ecclefiafticis,& Theodoretus in Philotheo cap. 2. fed alius quidam Amafæ vrbis Epifcopus, qui vnà cum Acacio legatione functus eft ad S.Iulianum, cognomento Saban, tefte Theodoreto loco citato,vixit temporibus Iuliani Apoftatæ & fucceſſorum eius. Extant huius Homiliæ de Diuite& Lazaro, de Oeconomo iniquitatis, Aduerfus auaritiam,in Feftum Kalendarum,de Repudio fiue causâ, primùm à Moretis Antuerpiæ Græco-Latinè excufæ, deinde Latinè tantùm Bibliothecæ Patrum Tom. 4. infertæ. Alia eiufdem fragmenta reperiuntur apud Photium in Bibliothecâ, numero 271. ex Sermonibus eiufdem de Pœnitentiâ, in Protomartyrem Stephanum,in illa verba Lucæ 10. *Homo quidam ab Ierufalem in Iericho;* de duobus qui afcenderunt in templum vt orarent, in Zacchæum, de Filio prodigo, de Centurionis feruo, de Ieiunio, de Cæco à natiuitate, in Iairum & mulierem fanguinis profluuio laborantem. Citatur autem in hac Catenâ *Cap.*8.*num.* 42.48.54. *Cap.* 10. *num.*53.54.55. *Cap.*15.*num.*20.31.47.49. 53. *Cap.*18.*num.*6.88.89. *Cap.*19.*num.*1.12. quorum pleraque nufquam alibi: quæ verò inter fupradicta apud Photium & quâ variatione legantur, in Scholijs fuis locis oftenditur. VI.

S. ATHANASIVS Epifcopus Alexandrinus,fub Conftantino floruit,fub Valente migrauit ad Dominum, tefte S. Hieronymo de Scriptoribus Ecclefiæ. Eius Opera extant pleraque quatuor Tomis comprehenfa,multa tamen hîc adferuntur fragmenta,quæ in Operibus excufis non potui reperire, quæ inde Lector intelliget, quòd locus vnde defumpta fint nòn indicetur,vti in alijs quæ reperi,feci.quæ fortè erunt ex libris eius quos Bellarminus in Catalogo,& Poffeuinus in Appatatu intercidiffe fcribunt. Citatur autem locis fubiunctis, videlicet *Cap.*1.*n.*11.31.*Cap.*2.*nu.*6.11.14.21.30.33.36.38.41.48.67.68.*Cap.*3.*nu.*34.49.*Cap.*4. *nu.*10.27.*Cap.*5.*nu.*9. *Cap.*9.*num.*21.64.*Cap.*10.*nu.*23.34.35.40.43.*Cap.*11.*num.*14. 15.22.58.*Cap.*12.*num.*12.*Cap.*13.*num.*3.6.*Cap.*17.*num.*28.29.*Cap.*18.*nu.*53.63.*Cap.*19. *num.*30.*Cap.*20.*num.*3. *Cap.*22.*num.*64.66.83. *Cap.*23.*num.*8.10.13.14. 15. 16. 17. VII.

S. BASILIVS Magnus, Archiepifcopus Cæfarienfis in Cappadociâ, fub Valente floruit, fub Gratiano obijt, S. Hieronymo tefte de Scriptoribus Ecclefiæ. Eius Opera fanè præclariffima typis Morelianis nuper Parifijs edita funt anno 1618.vbi, & apud Poffeuinum tanti viri elogia, fi lubet, vide. Citatur autem in hac Catenâ *Cap.*1.*num.*9.35. *Cap.*2.*num.*46.54.59.62. *Cap.*3.*num.*5.18.24. 28.30.51.*Cap.*4.*nu.*17.21.24. *Cap.* 5.*nu.*38.*Cap.*6. *nu.*17.32.36.39.40.43.44.45.49. 51.52.60.72.77.*Cap.*7 *nu.*11.30.*Cap.*8.*nu.*8.15.*Cap.*9.*nu.*10.13.16.37.*Cap.*10.*nu.*2.4. 24.27.31.37.46.47.48.50. *Cap.*11.*num.*23.25.53.65. *Cap.* 12.*num.*16.17.19.24.31.42. *Cap.*13.*num.*5.10.31.37.54. *Cap.*14.*num.*3.24.29.32.34.39.*Cap.*15.*num.*19.25.36.66. *Cap.*16.*nu.*7.28.37.40.43.44.52.*Cap.*17.*nu.*30. *Cap.*18.*num.*2.7.17.19.26.30.35.41. VIII.

 44.45.

44.45.55.57.68.71.76. *Cap*.19.*nu*.14.16.34.38. *Cap*.20.*nu*.5.6.7.9. *Cap*.21.*num*.13.21. 26. *Cap*.22.*num*.35.59.87.

IX. CLEMENS Athenis quidem natus, sed Alexandrinæ Ecclesiæ Presbyter, vir doctissimus, Pantæni discipulus, & Origenis magister, vixit sub Seuero Imperatore. Multa scripsit, quorum meminerunt Eusebius lib. 5. Hist. cap. 11. & S. Hieronymus de Scriptor Eccles. Extant autem eius Opera solummodò Pædagogi libri tres, Stromatum libri octo, & Oratio exhortatoria ad Gentes, anno 1616. demum Græco-Latinè excusa. Citatur autem hîc *Cap*.3.*n*.33. *Cap*.10. *n*.38. *Cap*.13.*nu*.14. *Cap*.15.*nu*.22. *Cap*.16.*nu*. 22. *Cap*.17.*nu*.16. *Cap*.21.*nu*.35.37.38.

X. COSMAS Ierosolymitanus, S. Ioannis Damasceni æqualis, vti Suidas testatur, vir ingeniosissimus, & omnino Musicam illam elegantem & eruditam spirans. Ioannis certè & Cosmæ Canones illi cantionum fuerunt hactenus supra omnem comparationem, neque quidquam illis comparari poterit, quoad nostrum æuum consummabitur. Hæc Suidas in Ioanne Damasceno. Eius autem Hymni Latinè extant in magnâ Bibliothecâ Patrum posterioris editionis Coloniensis sæculo 7. Citatur autem hîc *Cap*.2.*n*.16. *Cap*.3.*nu*.26.31.

XI. S. CYRILLVS ALEXANDRINVS Episcopus, vir sanctissimus ac doctissimus, vti Bellarminus in Catalogo suo refert, circa mysterium Incarnationis Dominicæ ab ipso Deo doctus, imperante Theodosio Iuniore præfuit Concilio Ephesino I. nomine S. Cælestini Papæ, Nestoriumque hæresiarcham primùm scriptis egregijs, deinde etiam auctoritate damnauit. Præter eius Opera in editione Parisiensi duobus Tomis comprehensa, editi sunt nuper Græco-Latinè à Patre nostro Pontano Ingolstadij impressi eius Commentarij in XII. Prophetas, & à P. Andreâ Schotto Antuerpiæ eiusdem Glaphyra in Pentateuchum, & ex interpretatione Salmatij triginta Sermones Paschales, excusi anno 1618. Plurima tamen verosimile est adhuc latere, aut etiam intercidisse, cùm à D. Thomâ, & in hac etiam Catenâ non pauca citentur, quæ in excusis eius Operibus non reperiuntur, vti facilè colliges ex marginalibus, vbi locus vnde desumptus sit, non indicatur. Adducitur autem *Cap*.1.*nu*.10.41. *Cap*.2.*num*.17.27.32.44. 52.76. *Cap*.3.*nu*.5.17.25.53.54.55.56.57.58.59.60.61.62.63.64. *Cap*.4.*num*.1.4.7.15. 16.20.30.34. *Cap*.5.*nu*.1.3.12.13.15.20.29.31.32.37.39. *Cap*.6.*num*.5.11.13.14.31.73. *Cap*.7.*nu*.2.6.13.23.26. *Cap*.8.*nu*.3.26.27.31.32.45.53. *Cap*.9.*num*.3.7.22.23.24.29. 33.36.42.46.49.50.52.55.60. *Cap*.10.*nu*.21.32.33.45.51. *Cap*.11.*nu*.16.27.31.36.40. 41.43.44.45.47.63.64.66. *Cap*.12.*n*.4.6.9.11.15.18. *Cap*.13.*nu*.8.23.47.48.50.51.57. *Cap*.14.*nu*.1.7.8.13.16.17.31.42. *Cap*.15.*nu*.5.9.28.33.56. *Cap*.16.*nu*.13.14.18.20.26. 29. *Cap*.17.*nu*. 1.3.4.5.20.21.25.31.33.35.36.42.45.47.49. *Cap*.18.*num*.1.3.4.16.42. 47.49.64. 73.81.82.86. *Cap*.19.*num*.3.18.22.36.37.49.52.55. *Cap*.20.*num*. 1.4.13.20. *Cap*.21.*num*.1.8.10.11.28. *Cap*.22.*num*.13.15.18.22.27.32.39.51.57.60.82.89. *Cap*.23. *num*.1.9.12.

XII. S. CYRILLVS IEROSOLYMITANVS Archiepiscopus, sub Constantio Imperatore floruit. Scripsit Catecheses, quæ in hac Catenâ citantur *Cap*.23.*nu*.25. *&* 30. & extant etiam in Bibliothecâ Patrum vltimæ editionis Tomo 4. vnà cum Epistolâ ad Constantium Imperatorem, & Oratione ipsius de Occursu Domini.

XIII. DIDYMVS ALEXANDRINVS, teste S. Hieronymo (cuius præceptor fuit) à natiuitate cæcus existens, dictauit Opera plurima & nobilissima, quæ omnia recensere, inquit Posseuinus, esset catalogum prolixum texere. Modò autem ipsius tantùm extant libri de Spiritu sancto inter Opera S. Hieronymi. Enarratio in Epistolas Canonicas, & liber contra Manichæos, qui libri habentur Tom. 4. Bibliothecæ Patrum. Locus autem ipsius qui hîc citatur *Cap*.8.*nu*.5. videtur esse ex Commentarijs ipsius in Prouerbia, quæ interciderunt.

S.DIO-

S. DIONYSIVS ALEXANDRINVS Episcopus, vti habet Bellarminus, æqualis fuit S. Cypriani, sed paulò prior in Episcopatu, & paulò posterior in morte, & scripsit libros & Epistolas multas, teste S. Hieronymo de Scriptoribus Eccles. Extat Epistola eius breuis inter Canones Ecclesiasticos Græcorum, cum Annotationibus Balsamonis. Extant etiam multa & magna fragmenta Operum eius apud Eusebium lib. 6. Hist. cap. 33. & seq. & lib. 7. *Cap.* 1. & seq. vsque ad 21. Extant denique alia fragmenta apud Athanasium, in libro de Sententiâ Dionysij Alexandrini, & in lib. de Sententiâ Nicænæ Synodi. Habentur etiam eiusdem Epistolæ aliquot Tomo 3. Bibliothecæ Patrum, videlicet, Contra Paulum Samosatenum, & ad Basilidem vnà cum Epistolâ Episcopotum Synodi Antiochenæ. Citatur autem hîc in Catenâ *Cap.* 22. *nu* 68. 69. 70. 71. 72. 73. quæ alibi non extant, nisi ex parte aliquâ, in Catenâ aureâ D. Thomæ in Lucam, vbi etiam aliquoties citatur. XIV.

S. DIONYSIVS AREOPAGITA, S. Pauli Apostoli discipulus, quantus vir fuerit, satis eius scripta declarant, quæ à P. Petro Lanssellio Societatis nostræ Græco Latinè accuratiùs edita sunt Parisijs anno 1615. qui & Apologeticam disputationem pro eodem conscripsit Operibus eius præfixam, vnà cum Elogijs eiusdem. Citatur autem in hac Catenâ *Cap.* 12. *num.* 34. 40. & *Cap.* 23. *num.* 27. XV.

DOROTHEVS Archimandrita, scripsit de vitâ rectè instituendâ doctrinas varias, quæ habentur Tomo 3. Bibliothecæ Patrum, & citatur hîc *Cap.* 6. *nu.* 19. & *Cap.* 18. *nu.* 5. 29. XVI.

S. EPHRAEM SYRVS, Diaconus Edessenus, obijt sub Valente Principe, scripsitque plurima Opera, quæ, teste S. Hieronymo in libro de Script. Ecclesiasticis, in Ecclesijs post lectionem Scripturarum publicè legi solebant. Sunt autem Opera eius quæ extant omnia, magno studio à Gerardo Vossio in tres Tomos digesta, & Coloniæ edita anno 1603. Citatur autem in hac Catenâ *Cap.* 11. *nu.* 8. *Cap.* 18. *nu.* 9. XVII.

S. EPIPHANIVS Salaminæ Cypri Episcopus, floruit sub Valente, Gratiano, & Theodosio Augustis. Scripsit plurima contra hæreticos, cuius Opera omnia P. noster Dionysius Petauius accuratè recensuit, Latinè de nouo vertit, & Animaduersionibus illustrauit, edita Parisijs anno 1622. apud quem eiusdem Elogia videre poteris. Adfertur autem *Cap.* 2. *nu.* 77. *Cap.* 3. *nu.* 43. 50. 52. *Cap.* 6. *nu.* 2. *Cap.* 7. *nu.* 18. 29. *Cap* 18. *nu.* 39. *Cap.* 22. *nu.* 19. XVIII.

EVAGRIVS Scholasticus, vt inquit Bellarminus, scripsit historiam Ecclesiasticam libris sex, ab eo tempore in quo desijt Sozomenus, vsque ad annum duodecimum Mauritij Imperatoris, id est, ad annum Domini 597. Posseuinus in Apparatu tradit eum prætereà Scripsisse Relationes, Epistolas, Decreta, Orationes, Disputationes, atque alia nonulla quæ interciderunt, vnde fortè erunt fragmenta eius quæ hîc leguntur *Cap.* 10. *nu.* 57. *Cap.* 19. *nu.* 26. XIX.

EVNOMIVS Cycizenus Episcopus, Aëtij discipulus, cuius sicut in blasphemâ doctrinâ, sic etiam in turpissimis moribus sectator fuit. De ipso & eius hæresi vide Baronium ad annum Christi 360. A Concilio Constantinopolitano cum suis damnatus fuit: cuius impijs scriptis ibidem anathema dictum est. Fortè hoc fragmentum quod *Cap.* 15. *nu.* 2. eius nomine citatur, sit Nysseni, qui plurimos contra ipsum libros scripsit, qui extant Tomo 11. vltimæ editionis Græco-Latinè Nysseni, & hoc loco errore scribe pro Τὸ κατὰ Εὐνομίου subaudito breuitatis gratiâ nomine Nysseni, vti & alijs locis hoc modo citatur scriptum simpliciter Εὐνομίου. Quidquid hac de re sit, fragmentum hoc nullâ hæreseos labe aspersum est, sed omnino salutarem doctrinam continet. XX.

EVSEBIVS Cæsariensis Episcopus, qui & Pamphili dictus est, quòd cum XXI.

eo familiariter vixerit ſub Conſtantino Magno & Conſtantio Imperatoribus. Is, Hieronymo teſte, in Scripturis diuinis ſtudioſiſſimus, & Bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo Martyre diligentiſſimus perueſtigator, edidit infinita volumina; de quibus hæc ſunt: Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως libri viginti, Εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς libri quindecim, Θεοφανείας libri quinque, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libri decem, Chronicorum Canonum omnimodam hiſtoriam, & eorum ἐπιτομήν, & de Euangeliorum diaphoniâ: in Iſaiam libri decem, & contra Porphyrium, qui eodem tempore ſcribebat in Siciliâ, vt quidam putant, libri triginta, de quibus ad me viginti tantùm peruenerunt: Τοπικῶν liber vnus, Ἀπολογίας pro Origene libros ſex, de Vitâ Pamphili libri tres, de Martyribus alia Opuſcula, & in centum quinquaginta Pſalmos eruditiſſimi Commentarij, & multa alia; quæ cùm interciderint, vti & ex recenſitis ab Hieronymo libris pars maxima, plurima quæ hîc citantur eius fragmenta, quæ in excuſis eius Operibus non extant, inde deſumpta eſſe non eſt dubium. Citatur autem *Cap.11. num.3.5.32. Cap.3. num.1.47. Cap.5. nu.6. Cap.6. nu.21. Cap.7. nu.25. Cap.8. nu.7.9.19.49. Cap.10. num.5.13. Cap.13. nu.17.24.26.28.44. Cap.14. nu.11.18.19.21.28.36. Cap.17. nu.32.41.44.46.52. Cap.18. nu.43. Cap.19. nu.15.17.20.23. Cap.20. num.2.12. Cap.21. nu.6.14.16.17.19.23.30.31. 32.34. Cap.22. nu.12.*

XXII. EVTYCHES Patriarcha, ſeu (vt Baronius anno Chriſti 448. ſcribit) Archimandrita Monachorum Conſtantinopoli. Huius nihil extat alibi, nec mentio vlla fit à Poſſeuino in Apparatu, nec à Bellarmino in Catalogo. Hic cùm ſummo odio in Neſtorij hæreſim ferretur, (cuius aduerſus eam labores in Epiſtolâ 6. S. Leonis Papæ ad ipſum ſcripta laudantur, nec non in Actione quarta Synodi Conſtantinopolitanæ ante Chalcedonenſem celebratæ) nimis ad alterum vergens extremum, aliam illi oppoſitam induxit, quâ duas in Chriſto naturas negauit. quæ hæreſis poſteà, vt videre eſt apud Baronium anno Chriſti 449. primùm in Synodo Conſtantinopolitanâ, ac deinde anno 451. in Oecumenicâ Chalcedonenſi damnata fuit. Citatur hîc *Cap.22. num.21.23.25.* quæ loca ſunt prorſus ſana.

XXIII. GREGORIVS, qui hîc nullo cognomine addito citatur *Cap.1. nu.32. & 36.* an fuerit Metropolita ille Corinthi Epiſcopus, cuius Tractatum in Ioannem Græcè in Vaticanâ extare tradit Poſſeuinus, an Diaconus ille Metochita (cuius ſcriptum de Proceſſione Spiritus ſancti ibidem extat) an verò Thaumaturgus, non ſatis liquet; nec diuinare poſſum, cùm priorum Opera non viderim, & in Thaumaturgi Operibus à Voſſio editis hæc non reperiantur, qui tamen de Annuntiatione & Incarnatione ſcribit quædam non planè abſimilia.

XXIV. S. GREGORIVS NAZIANZENVS Epiſcopus, cognomento *Theologus*, S. Baſilij æqualis, & ſtudiorum comes, floruit ſub Valente, & anno 11. Theodoſij obijt, teſte S. Hieronymo de Scriptoribus Eccleſ. Multa ſcripſit, in quibus ſapientiam cum eloquentiâ mirificè copulauit. Opera eius Billius eleganter vertit, & nuper Pariſijs Græco-Latinè Tomis duobus diſtincta prodierunt. Citatur autem hîc *Cap.1. nu.2.3.24.42. Cap.2. nu.7.23.24. Cap.3. num.11.16.45.46.48. Cap.4. nu.3.23.26. Cap.5. nu.2. Cap.6. nu.34.56.67. Cap.8. num.1. Cap.10. num.7.10.22. Cap.11. nu.61. Cap.12. nu.1. Cap.13. nu.46.49. Cap.17. nu.43. Cap.18. nu.31.54.65. Cap.23. nu.6.*

XXV. S. GREGORIVS NYSSENVS Epiſcopus, S. Baſilij Magni frater, viuebat adhuc & ſcribebat anno 14. Theodoſij, teſte S. Hieronymo de Script. Eccl. Interfuit Concilio I. Conſtantinopolitano, ſcripſitque fidei Symbolum in eâ Synodo editum, vt refert Nicephorus lib.12. Hiſt. cap. 13. Eius Opera nuper prodierunt auctiora Græco-Latinè vnà cum Scholijs P. noſtri Frontonis Ducæi, duobus Tomis impreſſa Pariſijs, anno 1617. Citatur in hac Catenâ *Cap.1. num.18.19. Cap.2. num.18.19.20.22.26.45.51.55.63.84.86. Cap.3. num.7.16.42.*

Cap.4.

Cap.4.nu.12. Cap.5.nu.34.41. Cap.6.nu.6.15.16.20.21.23.24.25.26.27.28.33.37.48. 59.61.Cap.7.nu.5.32.34.36. Cap.8.num.38.Cap.9.num.10.14.56.Cap.10.num.25.30. Cap.11.nu.54.55.56.70.72.Cap.13.nu.10. Cap.14.nu.30.Cap.15.nu.1.6.7.15.21.38.44. 50.54.55.57. Cap.16.nu.15.21.34.45.47.55.65.Cap.17.num.26.27. Cap.18.num.52.74. Cap.19.nu.29. Cap.21.nu.39.Cap.22.nu.4.5.62.Cap.23.nu.28.

* S. HIPPOLYTVS Martyr, primùm Metropolitanus Arabiæ, postea à Calixto Pontifice factus Portuensis Episcopus. Fuit Clementis Alexandrini discipulus, & sub Alexandro Seuero martyrium cõsummauit. Multa scripsit, quæ enumerantur ab Eusebio lib.6. Hist.cap.16. & à S.Hieronymo in lib. de Scriptoribus Ecclef. vti & à Photio ac Posseuino. Sed pleraque interierunt. Nunc in Bibliothecâ Patrum Tomo 3. extat eius Oratio de Antichristo & consummatione mundi, Homiliæ de Deo trino & vno, & de Incarnatione contra hæresim Noëti per Gerardum Vossium. Apud Posseuinum autem extat eiusdem Demonstratio contra Iudæos. Reperti etiam sunt, ait Sixtus Senensis, superioribus annis Basileæ Commentarij quidam in Apocalypsim, Hippolyto inscripti, de quibus ob eruditionis & styli inopiam ambigitur. Claruit autem anno Christi 220. Citatur in hac Catenâ *Cap.11.nu.15.* XXVI.

S. IGNATIVS Martyr, Episcopus Antiochenus, vt refert in Catalogo Bellarminus, post S.Petrum Apostolum, & S.Euodium, sedere cœpit anno Domini 71. & Sedit annis 40. Romæ passus est anno vndecimo Traiani, teste S.Hieronymo in lib. de Script. Ecclef. Scripsit Epistolas vtilissimas, vt testatur S.Polycarpus eius æqualis, qui in Epistolâ ad Philippenses dicit se collegisse Epistolas Ignatij quotquot inuenire potuit. Quænam Epistolæ eius adhuc extent, & quæ interciderint, vide apud Bellarminum & Posseuinum in nomine Ignatij. Citatur autem hîc *Cap.3. nu.35.* XXVII.

IOSEPHVS Iudæus, prænomine *Flauius*, vti Posseuinus refert, sectâ Pharisæus, officio Sacerdos, quique Mariamnæ Reginæ Herodis coniugi, atque iunioris Agrippæ proauiæ consanguineus fuit, ex filiâ Ionathæ Pontificis, fratris Iudæ Machabæi oriundus, à Vespasiano captus, cum Tito filio eius relictus est. Opera eius ante paucos annos Græco-Latinè prodierunt, quorum, si lubet, Censuram vide apud Posseuinum in nomine Iosephi, & apud Iacobum Salianum nostrum in Annalibus Veteris Testamenti, vbi eius errores passim carpit ac corrigit. Citatur hîc *Cap.3.nu.1.Cap.6.nu.7.* XXVIII.

IOANNES CASSIANVS, S. Chrysostomi Diaconus, posteà Massiliensis Presbyter, scripsit libros tres de Institutis Cœnobiorum, de Origine & remedio octo principalium vitiorum libros 12. de Incarnatione Christi contra Nestorium lib. 7. Collationum SS. Patrum lib. 24. quæ omnia extant Tomo 5. Bibliothecæ Patrum vltimæ editionis. Citatur autem in Catenâ, *Cap.18. num.14.* ex libro eius de Origine vitiorum. XXIX.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS magnus Ecclesiæ Doctor, qui sicut copiosissimè scripsit, ita hîc omnium frequentissimè citatur, vt in Catalogo refert Bellarminus. Primùm in foro versatus est magnâ cum laude, deinde Monasticam vitam exercuit, atque ab eremo ad clerum vocatus Presbyter Antiochenus ordinatus est anno 11. Valentiniani iunioris, & octauo Theodosij senioris: anno deinde quarto Arcadij & Honorij Episcopus Constantinopolitanus factus: tandem anno 13. eorumdem Imperatorum, & Episcopatus sui nono, obiit circa annum Domini 407. Opera eius quæ reperiri potuerunt omnia Nortoni in Angliâ Græcè octo Tomis edita sunt anno 1615. Tomi autem quàm plurimi à P.Frontone Ducæo Societatis nostræ Græco-Latinè, partim ex ipsius interpretatione, partim aliorum, ab ipso correcta & doctissimis Notis illustrata Parisiis prodierunt. Non dubium tamen adhuc aliqua latere: nam præter alia minora, XXX.

quæ passim Catenæ insparsa sunt, adferuntur *Cap.10.nu.2.* & 11. duo fragmenta satis notabilia, quæ adhuc in editis eius Operibus non reperi. Citatur autem vniuersim per totam Catenam *Cap.1.nu.*1.4.5.8.16.37. *Cap.2.nu.*13.28.29.34.35.49.53.56.70.71.73. *Cap.3.num.*3.6.10.12.13.14.20.21.22.23.36.38 39.40.44.65. *Cap.4.nu.*5.9.13.18.19.22.29.32.33. *Cap.5.nu.*7.24.25.26.28.30.33.36.40.42. *Cap.6.num.*1.3.9.12.18.35.43.46.63.69.74.75.76. *Cap.7.num.*3.4.7.12.15.17.19.21.27.31.33.35. *Cap.8.num.*10.13.14.16.17.24.28 29.34.36.37.40.41.43.46.47.50.51.52. *Cap.9.num.*2.4.5.6.8.11.20.27.31.34.40.41.45.47.53.54.61.65. *Cap.10.nu.*2.6.11.16.18.19.20.26.39.42.44. *Cap.11.nu.*4.17.19.21.28.34.39.42.48.49.51.52.67.68.69.71.74. *Cap.12.num.*2.3.5.8.13 25.26.28.32.36.38.43. *Cap.13.num.*2.4.7.9.18.32.33.34.35.36.38.39.40.41.53.56.59. *Cap.14.nu.*2.4.10.15.23.38.40.41. *Cap.15.n.*18.26.30.37.40.43.60.61.68. *Cap.16.n.*1.2.3.4.10.11.12.16.17.19.24.25.30.31.32.33.35.36.39.41.42.46.48.49.50.51.53.56.59.60.61.62.63. *Cap.17.num* 2 8.9.10.11.12.34.37.38.39.50. *Cap.18.nu.*8.10.11.13.18.20.21.22.23.24.25.27.28.34.36.37.40.46.48.66.69.72.77.79.80.84.87.90.91.92.93. *Cap.19.num.*4 5 9 10.11.19.21.24.25.31.33.39.42.50.54. *Cap.20.num.*8.14.26.27. *Cap.21.num* 4.9.12.15.18.20.22.24.25.27.29. *Cap.22.nu.*2.9.10.11.17.26.28.29.30.31.37.43.44.47.48 50.52.61.84.85.86. *Cap.23.n.*4.5.20. *Cap.24.n.*17.

XXXI. IOANNES CLIMACVS, Abbas in monte Sinâ, scripsit Sermones triginta, quibus tamquam gradibus ad Christianæ vitæ perfectionem ascenditur, quæ extant Tomo 6. Bibliothecæ Patrum, vti & libellus eiusdem de Officio Pastoris. Scripsit prætereà quædam alia necdum edita, ex quibus, teste Posseuino, extat in Bibliothecâ Viennensi manuscripta eiusdem expositio in sacram Scripturam, de Variis capitibus Religionis, de Virtutibus, de Vitiis, de Beatitudine, de Precibus, de Pigritiâ, de Falso. Adfertur hîc eius fragmentum *Cap.18.num.*70.

XXXII. IOANNES GEOMETRA. Hic nec Posseuino in Apparatu, nec Bellarmino in Catalogo, nec Sixto Senensi, nec Photio in Bibliothecâ, nec Suidæ cognitus est. Extant tamen nonnulli eius nomine Hymni carmine Elegiaco eleganter conscripti, vnà cum Homeri Centonibus Parisiis in 8. excusi. Eum tamen multa etiam solutâ oratione, non eleganter minùs quàm neruosè scripsisse, apparet ex fragmentis eius, non paucis, nec paruis, hac Catenâ citatis, in quibus & sublimem Theologum, Historicum eruditum, & interpretem ac Ecclesiasten eximium agit, vti patet ex *Cap.1.nu.*21.23.29.30. *Cap.2.num.*2.37.69.72.78.79. *Cap.3.nu.*2.4.8.11. *Cap.4.n.*6. *Cap.6.n.*66.70. *Cap.7.n.*39. *Cap.8.num.*4.53. *Cap.9.n.*26.32.38.39.44.58.62. *Cap.10.nu.*1.14.41.58.60. *Cap.11.n.*3.18.24.62.73. *Cap.12.nu.*7. *Cap.13.n.*20.21.25.27.29.42.44.45. *Cap.14.n.*6.12.58. *Cap.16.n.*8.23. *Cap.17.n.*18. *Cap.18.n.*61. *Cap.19.n.*45.48. *Cap.20.n.*18.

XXXIII. S. IRENAEVS Lugdunensis Episcopus & Martyr, teste Hieronymo epist.29. ad Theodotum, Papiæ S. Ioannis discipuli, & S. Polycarpi Martyris auditor fuit. Martyrio coronatus est anno 206. à Christo nato, vti habet Eusebius in Chronico, siue 205. sub Seuero Imperatore, vti habet Baronius. Scripsit multa, vti ex S. Hieronymo in Catalogo, tum ex Posseuino in Apparatu patet. Sed ad nos videntur tantùm peruenisse quinque eius libri Aduersus Valentinum, qui pleni sunt doctrinâ & pietate. Citatur autem hîc in Catenâ *Cap.13.n.*13.

XXXIV. ISAAC Archiepiscopus quis fuerit, apud nullum adhuc Auctorem reperi: sed in Concilio Ephesino mentio fit vnius Isaaci Tauæ, & alterius Eliarchiæ Episcopi, nullius tamen Archiepiscopi istius nominis. Meminit autem Posseuinus Isaaci cuiusdam Abbatis, qui scripserit de Statu animarum, & extet Græcè MS. in Bibliothecâ Imperatoris Viennæ in Austriâ, vti & alterius Isaaci Anachoretæ, qui scripsit de Viis appropinquandi Deo, & extet Græcè MS. in Bibliothecâ

bliothecâ Vaticanâ: cuius fortè erunt fragmenta quæ in hac Catenâ *Cap.5. num.27.* & *Cap.9. num 17. & 18.* citantur nomine Isaaci Archiepiscopi, cuius sint eiusdem argumenti cum illo Anachoretæ Tractatu de Viis appropinquandi Deo, scilicet per crucem, de quâ locis istis citatis tractat, & facilè fieri potuit vt scriba Archiepiscopum scripserit pro Anachoretâ, maximè si per abbreuiationem positum fuerit, vti erat in manuscripto meo exemplari.

ISAIAS Archiepiscopus, qui *Cap.14.n.25.* citatur, non satis etiam liquet quis fuerit. In Chalcedonensi Concilio recensetur Isaias quidam Hermopolensis Episcopus, sed an aliquid scripserit, nescitur. Extant tamen alterius cuiusdam Isaiæ Abbatis Homiliæ XXIX. ad Fratres, cum quibus viuebat, scriptas. quæ habentur Tomo XVII. Bibliothecæ Patrum. Ponit hunc Auctorem Bellarminus anno 640. sed addit incertum esse quo tempore vixerit. XXXV.

S. ISIDORVS PELVSIOTA, qui, vti Posseuinus in Apparatu tradit, in monte Pelusio Abbas insignis sanctitatis præfuit Monachis, S. Ioannis Chrysostomi discipulus, ab Vsuardo in Sanctorum album relatus fuit, cuius Festi ad diem 4. Februarij meminit, vir, vt habet Suidas, eloquentissimus, Philosophusque & Rhetor, vitam Angelicam (vt inquit Euagrius) in terris traducens, scripsit multa, nimirum ter mille Epistolas diuinam Scripturam interpretantes, vt Suidas testatur; quarum pars magna primùm Parisiis Græco-Latinè edita est à Iacobo Billio Prunæo libris 3. digesta, quibus quartum addidit Conradus Rittershusius: ac recèns P. Andreas Schottus Antuerpiæ sexcentas eiusdem Epistolas numquam antea excusas Græcè bono publico dedit. Alia adhuc multa scripsisse tradit Posseuinus & alij apud ipsum in Apparatu. Citatur autem in hac Catenâ *Cap.1.n.15.26. Cap.2.n.1.4.12.50. Cap.3. nu.2.37. Cap.4.nu.2.8. Cap.5. n.8.11.23.35. Cap.6. n.53.54.55.65.68. Cap.7.n.22.24. Cap.8.n.2.12.23. Cap.9.n.15,25. 48. Cap.10.n.52. Cap.11.n.20.57. Cap.12.n.13. Cap.13.num.15.16.19.55. Cap.14.n.33. Cap.16.num.48. Cap.17. num.48.51. Cap.18. num.32.33.85. Cap.19. num.28.32.56. Cap.20.n.19. Cap.22.n.7.13.55.56.58.81. Cap.23.n.11.* XXXVI.

S. IVSTINVS Philosophus & Martyr, quem tradit Bellarminus eum videri primum extitisse eorum, quorum post Apostolica tempora ad nos scripta peruenerunt. Floruit enim temporibus Antonini Pij, successorum eius Marci Aurelij & Lucij Veri; & in Apologiâ ad Imperatorem, & Senatum populumque Romanum scribit numerari eo tempore annos 50. à Christi natiuitate. Opera eius multa recensentur ab Eusebio lib.4. Hist. cap.17. & à S. Hieronymo de Scrip. Eccles. quorum Operum quæ extent quæ non, vide apud Bellarminum in Catalogo, & Posseuinum in Apparatu. Citatur autem hîc *Cap.5. num.5.* XXXVII.

MACARIVS Archiepiscopus Philadelphiensis, Chrysocephalus dictus, vti Posseuinus scribit in Apparatu, scripsit Homiliam in Exaltationem venerandæ ac viuificæ Crucis, quam in Latinam conuersam Iacobus Gretserus noster secundo suo Tomo de Cruce, Græco-Latinum inseruit. In quâ etiam obseruauit, pleraque de plagis Ægyptiis, quæ Macarius hîc disputat, descripta esse ex Commentariis Theodoreti in Exodum. Qui autem dicuntur Romæ extare in Bibliothecâ Card. Columnæ quatuordecim huius Macarij Sermones, dubitat prudenter, num hi omnes sint vna tantùm Homilia, quandoquidem hæc quoque, de quâ locuti sumus, in quatuordecim partes sit distributa. Hic Macarius citatur in Catenâ hac *Cap.5.n 4.* XXXVIII.

S. MACARIVS ÆGYPTIVS Abbas, discipulus S. Antonij Ægyptij, ac præceptor Euagrij, dictus Senior, vir sanctitate celebris, è nonaginta annis quibus vixit, sexaginta in eremo transegit. Scripsit 50. Homilias spirituali succo plenas, interprete Ioanne Pico Græco-Latinè Parisiis editas, quæ citantur *Cap.1.num.34. Cap.2.num.10. Cap.8.num.30.55. Cap.10.num.2.56. Cap.13.n.30.* XXXIX.

*Cap.*14.*num.*26.37.*Cap.*15. *num.*8.48 59. *Cap.*17.*num.*40. *Cap.*18.*num.*67. *Cap.*22. *num.*14.46.49.

XL. MARCVS Archiepiſcopus, an fortè Alexandriæ, cuius Nicephorus lib.2. cap.35.& lib.3.cap.25. meminit, an verò Conſtantinopolitanus, de quo ſcribit idem Nicephorus lib.8. cap.6.de quibus tamen, an aliquid & quid ſcripſerint, nihil tradit. Quis denique ſit hic Marcus Archiepiſcopus, non ſatis liquet, ex iis certè fragmentis quæ hîc citantur,doctum fuiſſe ſatis manifeſtum fit *Cap.*6. *n.*64.*Cap.*11.*n.*13.30.*Cap.*14.*n.*27. *Cap.*16.*n.*6. *Cap.*17.*n.*13.

XLI. MARCVS Eremita, qui *Cap.*9.*n.*63.citatur, vt habet Bibliotheca Patrum Tomo 4.ſub Theodoſio ſeniore eximiâ ſanctitate claruit,vt patet ex Palladio, qui eum iam centenarium inuiſit. Scripſit multa, ex quibus aliqua recenſet Nicephorus lib.14.Hiſt.cap.54. Probabilius quoque videtur,ſcripta illa,quæ Marci Eremitæ nomine circumferuntur, eſſe huius Marci potiùs quàm illius,quem ſub Leone IV.Imperatore vixiſſe ſcribit Zonaras in Vitâ Leonis, licet ei Bellarminus ſuprà dicta ſcripta attribuat, quia primum illum Marcum multa ſcripſiſſe Nicephorus ſuprà teſtatur. Vtrùm autem alter ille aliquid ſcripſerit, nihil certi habetur.

XLII. S. MAXIMVS Monachus Conſtantinopolitanus & Martyr clariſſimus, vixit temporibus Honorij Papæ I. & Heraclij Imperatoris: obiit autem ſub Vitaliano Pontifice, & Conſtante Imperatore anno Domini 660. Scripſit varia, quorum Catalogum texit Baronius anno Chriſti 657. nu.31. Sed ex iis aliqua non extant, quorum non pauca fragmenta infrà citatis capitibus huius Catenæ inſeruntur. Tomo autem 7.Bibliothecæ Patrum continentur ipſius Opera quæ Latinè extant,ſcilicet Sententiarum de Charitate Centuriæ quatuor, Capitulorum Theologicorum & Oeconomicorum de Virtute & vitio Centuriæ 5. de duabus in Chriſto naturis libellus,Dialogus de Incarnatione Verbi, de Eccleſiaſtica myſtagogiâ liber, & diſputatio cum Pyrrho. In hac autem Catenâ citatur *Cap.*1.*n.*12.17. *Cap.*11.*n.*57.58. *Cap.*3.*n.*9. *Cap.*4.*n.*11. *Cap.*5.*n.*17. *Cap.*6.*n.*10.41.42. 47.50.57.62.71. *Cap.*7.*n.*8. *Cap.*8.*n.*21.35. *Cap.*8.*n.*21.35. *Cap.*9.*n.*1. *Cap.*10.*n.*28. 29.49. *Cap.*11.*n.*12.26.29. *Cap.*13.*n.*43. *Cap.*14.*n.*9. *Cap.*15. *n.*35.65. *Cap.*21.*n.*2. *Cap.*22.*n.*42.67.

XLIII. METHODIVS Patriarcha Conſtantinopolitanus, vt Poſſeuinus ſcribit, ſcriptum quoddam reliquit de iis qui abnegarunt fidem,per diuerſos modos & ætates, item Canones Pœnitentiales qui habentur Tom. 9. Annalium Card. Baronij ſub annum 842. Verùm hoc fragmentum, quod citatur hîc *Cap.* 11. *num.*59.arguit ipſum adhuc alia ſcripſiſſe, cùm alterius ſit argumenti. Quid autem alter ille Methodius Tyri Epiſcopus ac Martyr conſcripſerit,vide apud Poſſeuinum in eius nomine.

XLIV. MICHAEL PSELLVS,qui Leonis cognomento Philoſophi fertur fuiſſe præceptor, ſcripſit quàm plurima, quæ Poſſeuinus recenſet in Apparatu, quæ partim interciderunt, partim latent adhuc in Bibliothecis, partim excuſa ſunt. In Bibliothecâ Patrum Tom.2. habetur Paraphraſis ipſius in Cantica, ex recognitione P.Andreæ Schotti, qui eamdem anteà Græco-Latinam ediderat Antuerpiæ;vbi etiam videre licet quædam de eodem Pſello prænotata.Habetur ibidem libellus Pſelli de Operationibus dæmonum ex editione Frederici Morelli & Franciſci Feuardentij, quem Poſſeuinus putat eſſe Michaëlis Epheſij. Citatur autem in hac Catenâ *Cap.*13. *num.*22. quod fragmentum non habetur in iis quæ ipſius extant.

XLV. NICETAS *David* cognomento, vixit iiſdem temporibus quibus Photius, & fideliter ſcripſit Vitam S.Ignatij, & ſimul etiam deſcripſit vitia Photij, qui S.Ignatium mirè vexauit. Citatur hîc *Cap.*6. *nu.*58. qui locus cùm non ſit

ex

ex dictâ Vitâ, conuincitur, ipsum etiam alia scripsisse, quæ ad nos non peruenerunt.

NICETAS, qui absolutè siue cognomine adiuncto citatur *Cap.8.num.11.* XLVI.
& 18. an sit Heracleæ Episcopus siue Metropolita qui scripsit varia, vti videre est ex Apparatu Posseuini; an verò Choniates, cuius Opera ibidem recensentur; non satis liquet, cùm in neutro suprà *Cap.8.n.11.&* 18. citata loca reperiantur.

S. NILVS, Monachus Constantinopolitanus & discipulus S. Ioannis XLVII.
Chrysostomi, vixit tempore Theodosij Iunioris. Multa scripsit, ex quibus nunc extant Latinè in Bibliothecâ Patrum Tomo 5. parte 2. pag. 947. vltimæ editionis, capita Parænetica ducenta viginti nouem: item de Oratione capita 148. liber Asceticus, Institutio ad Monachos, Aduersus octo primaria vitia Orationes octo, Breuis institutio ad Monachos iuniores, Epistolæ duæ breues, Tractatus de Octo vitiosis cogitationibus. Vide de hoc Nilo & eius scriptis Nicephorum lib.14. Hist. cap.14. Photium in Bibliothecâ, & Posseuinum in Apparatu. Citatur hîc *Cap.4.n.25. Cap.5.n.18. Cap.7.n.10. Cap.9.n.66. Cap.18.n.12. Cap.19. nu.46. Cap.20.n.21.*

OECVMENIVS, inquit Sixtus Senensis, Græcus Auctor valdè doctus, in XLVIII
explicandis sacris Scripturis breuis, apertus, & elegans, atque in Veterum Commentariis euoluendis assiduè versatus, collegit solerti curâ ex dictis præstantissimorum Græcæ Ecclesiæ Doctorum nobiles Annotationum Commentarios in Octoteuchum; quos ipse in Commẽtariis suis in Epistolam ad Hebræos cap.6. se scripsisse testatur. Collegit etiam persimili industriâ in totum nouum Testamentum Catenam explanationum, ex quibus extant Græcè aliqua eius Opera Veronæ anno 1532. excusa, videlicet in Acta Apostolorum lib.1. in Epistolas Pauli lib.14. in Epistolas Canonicas lib.7. in Apocalypsim lib.1. Quæ omnia à Ioanne Heutenio, Latinè versa, sed, vt notat Posseuinus, non satis feliciter. Post illum quæ in S. Paulum scripsit, vertit quidam Maximus Florentinus Monachus Cassinensis. Auctorem tamen horum Scholiorum cum P. Frontone Duçęo, putat Posseuinus non fuisse Oecumenium, tum quia Auctores Catenę, qualis ea est, non solent nisi rarissimè aliquid suum interserere, cùm tamen ibi frequentissimè citetur Oecumenius: tum etiam quia ibidem multa repetiuntur collecta à Nicetâ Heracliensi Archiepiscopo, cui etiam à plerisque tribuitur MSS. codicibus Catena in Iob, quę ab aliis Olympiodoro adscripta est. Citatur autem hic Oecumenius *Cap.3.nu.1.*

ORIGENES Adamantius, Clementis Alexandrini discipulus, vti Bellarmi- XLIX.
nus scribit in Catalogo, vixit vsque ad tempora Galli & Volusiani Impp. teste S. Hieronymo de Scriptoribus Eccles. Quamuis autem doctissimus fuerit, deceptus tamen ex Platonis Philosophiâ in multos errores incidit, & in V. Synodo Generali, collatione 8. Canone 11. dicitur illi anathema & scriptis eius. Opera autem Origenis ascendunt ad sena millia librorum, teste Epiphanio in Hæresi Origenis, quæ est ordine 64. sed plurima perierunt. Quæ supersunt, sunt in Tomos duos distributa. Extant præterea seorsim libri eius contra Celsum à Dauide Hœschelio Græco-Latinè editi Augustæ Vindelicorum in 4. Plurima autem hîc fragmenta citantur, quæ in Operibus antehac editis non habentur, vt patebit ex numeris infrà citatis, quando in margine loca, vnde desumpta sunt, non indicantur. Adducitur autem *Cap.1.nu.14. Cap.11. num.42. 61.64.75.76. Cap.3.n.15.19.32. Cap.4.n.31. Cap.5.nu.19.21.22. Cap.8.n.20. Cap.9. nu.12.19.28.43. Cap.11.nu.32.37.*

PHILO IVDAEVS, vti Bellarminus in Catalogo suo censet, vir omnium L.
consensu doctissimus, floruit sub Caio Imperatore, ad quem etiam legatione functus est pro gente suâ. Hic ponitur à S. Hieronymo inter Scriptores Ecclesiasticos

siasticos,quia scripsit in laudem Christianorum, qui sub S.Marco Euangelistâ in Ægypto religiosissimè viuebant. Et præterea iure numeratur inter Scriptores Ecclesiasticos veteris Testamenti, quoniam Scripturas diuinas Testamenti veteris primus exposuit. Scripsit plura,quorum Catalogum refert Eusebius lib.2. Histor.cap.17.sed non omnia extant. Eius Opera nuper Geneuæ Græco-Latinè edita sunt: sed desideratur in iis Tractatus ipsius de Septenario, seorsim à Dauide Hæschelio Græcè,& à Morelio Latinè editus, cuius infrà *Cap.22.num.*1. quasi per compendium adfertur. Citatur autem vniuersim *Cap.17.n.17. Cap.18. nu.56.58.62. Cap.19.n.7. Cap.22.n.1.*

LI. PHOTIVS Episcopus Constantinopolitanus, tempore Nicolai Pontificis & Michaelis Imperatoris, vixit anno Christi 858.teste Bellarmino in eius Nomine, fuit homo magnæ eruditionis, sed maioris nequitiæ. Scripsit Nomo-canonem qui extat cum interpretatione Balsamonis. Scripsit etiam ingentem Bibliothecam, quam de Græco in linguam Latinam conuertit P.Andreas Schottus,è nostrâ Societate,quæ primùm Augustæ Vindelicorum tomis duobus,vno Græco, & altero Latino seorsim; deinde Geneuæ vno Tomo Græco-Latinè simul columnatim edita fuit. Citatur autem *Cap.16.n.57. Cap.22.n.54.*

LII. PHOSTERIVS, qui in hac Catenâ citatur *Cap.23.nu.18.& 19.*quis fuerit, hactenus non reperi, cùm nec apud Posseuinum in Apparatu, nec apud Photium in Bibliothecâ,nec apud Sixtum Senensem,aut quempiam hactenus mihi visum,nomen eius extet.

LIII. PROCOPIVS GAZAEVS Sophista,quem Bellarminus in Catalogo ponit anno 560.quando vixerit,incertum est. Eius meminit Photius in suâ Bibliothecâ. Scripsit Commentarium & Octateuchum,vti & in Isaiam, quæ extant excusa Parisiis Græcè & Latinè. Scripsit etiam in libros Regum & Paralipomenon. Citatur hîc *Cap.11.n.39.*

LIV. SERVIVS,qui *Cap.7.nu.38.*citatur, quis fuerit, aut quid scripserit, nec apud Posseuinum,nec alibi legitur: & cùm apud alios ignoretur, saltem vel ex hoc fragmento cognoscitur. Nisi fortè quis velit esse Sergium, (errore scribæ β pro ν posita) cuius Photius meminit in Bibliothecâ, aut Sergium Episcopum Constantinopolitanum,cuius Epistola ad Honorium Papam de sectâ Monothelitarum extat in Act.12.sextæ Synodi. Sed hæc mera erit diuinatio, cùm ex argumento huius fragmenti illud colligi non possit.

LV. SEVERVS Antiochenus Episcopus quid scripserit, nec apud Posseuinum, nec apud alios inuenio. Nicephorus Historiæ lib.17. cap.2. tradit ipsum Chalcedonensem Synodum oppugnasse, & magni dissidij auctorem extitisse. Citatur autem in hac Catenâ *Cap.1.n.19.*

LVI. SEVERVS,qui nullo adiuncto cognomine citatur, fortè fuerit Alexandrinus ille Patriarcha, cuius libellus de Ritibus Baptismi habetur Tomo 7.Bibliothecæ Patrum. Verùm & alia scripsisse quæ interciderint,videtur satis probabile fieri ex iis quæ citantur in hac Catenâ *Cap.1.nu.22.24.38. Cap.3.nu.41. Cap.9. n.9. Cap.11.n.33.35. Cap.12.n.10. Cap.13.n.52.58.Cap.18.n.15. Cap.19.n.40.Cap.22. num.24.40.41.*

LVII. SIMEON, qui absolutè hoc nomine sine vllo addito cognomine citatur *Cap.1.n.7.45.& Cap.7.n.14.16.*quis fuerit, an Logotheta, cuius Gnomica manuscripta Græcè extare scribit Posseuinus; an verò sit Simeon Mesopotamiæ, cuius Sermo Græcus de eo Quòd semper in animo habere debeamus diem exitus vitæ, in MS.Bibliothecæ Imperatoris Viennæ in Austriâ extat, & nomine Stylitæ Senioris insertus est Bibliothecæ Patrum Tomo 5. an denique sit Thessalonicensis Archiepiscopus qui scripsit contra Hęreses,& extat in prædictâ Imperatoris Bibliothecâ MS.non satis liquet.Et cùm illorum Opera non viderim, an il-

an illorum & cuius ex illis ista fragmenta sint, scire non possum. Qui eorum Opera habet, hęc cum iis, si lubet, conferre poterit.

SIMEON METAPHRASTES Constantinopolitanus, cuius in Florentino Concilio facta est in Vitâ S. Dionysij Areopagitę honorifica mentio, Gręcè scripsit Sanctorum Vitas, quas habemus Latinitate donatas in Tomis Aloysij Lipomani, & ex parte apud Surium. Citatur autem hîc *Cap.1.n.13. Cap.2.nu.39. 60. 74. 79.* LVIII.

THEODORETVS Cyri Episcopus, ęqualis S. Cyrilli, & aliquando etiam aduersarius, vt ex Concilio Ephesino patet: vir planè doctissimus, plurima scripsit, quorum non pauca interciderunt, vt videre est apud Posseuinum in Apparatu, vbi fusiùs cùm de ipso tum de scriptis agit. Citatur hîc *Cap.1.n.6.25. Cap.5. n.14.16.21. Cap.6.n.4. Cap.8.n.39. Cap.18.n.51. Cap.20.nu.25. Cap.22.nu.6.8.88. Cap.24.n.8.9.10.11.12.13.14.15.16.* LIX.

THEODORVS Mopsuestenus Episcopus, Nestorij magister, cum quo etiam in V. Synodo damnatus est. Citatur hîc vnum eius fragmentum *Cap.11. nu.60.* quod an ipsius verè sit, cùm eius Opera non extent, & prohibita sint, testari non possumus: saltem nihil continet erroris, & fortè est alicuius Patris contra Theodorum scribentis. Quamquam non sit nouum, inter Patres citari aliquos hæreseos criminis damnatos: quia omnia quæ sunt ab hæreticis scripta, non sunt hæretica, licet sint suspecta, & cautè legenda. LX.

THEOPHANES an sit Cerameus Tauromeniæ in Siciliâ Episcopus, qui scripsit Annales à Diocletiani temporibus vsque ad Michaelem Imperatorem necdum editos, & Homilias in Dominicas, & aliquot Festa totius anni, quæ seruantur MS. Venetiis, teste Posseuino, cum aliis eius scriptis necdum editis, cuius Tom.9. Bibliothecę Patrum extat Oratio in Exaltationem S. Crucis, à P. Gretzero Latinitati donata; an verò sit Theophanes Episcopus Nicææ qui scripsit aduersus Iudæos, & quædam alia, vti videre est in Apparatu Posseuini, non satis liquet, cùm absolutè sine addito cognomine citentur nomine Theophanis *Cap.2. n.5. Cap.10.n.5. Cap.13.n.17.n.32. Cap.18.n.43. Cap.21.n.3.* quæ fragmenta alibi nusquam reperi. LXI.

THEOPHYLACTVS Bulgariæ Archiepiscopus, qui, vt in Posseuino est, circa annum octingentesimum & sexagesimum vixit, quæ Græcè scripsit, ea pleraque omnia è diuite D. Ioannis Chrysostomi venâ hausit, vt etiam ex aliis allegorias à S. Chrysostomo ferè omissas suppleuerit, in compendium quasi redigens, quæ fusiore eloquentiâ Pater ille pronuntiauerat. Opera eius satis nota sunt. Citantur autem *Cap.12.n.21.22.23.27.29.30.33.37.41.44. Cap.22.n.74.75. 76.77.78.79.80. Cap.23.n.24.26.29. Cap.24.n.1.2.3.* LXII.

TITVS Bostrorum Episcopus, qui, vt Posseuinus tradit, mandante Iuliano Apostatâ ex Cyzicenorum ciuitate eiectus fuit, & Synodo Antiochenæ iam tunc senex interfuit. Reliquit Commentarium in Lucam & Matthæum. Scripsit prætereà aduersus Manichæos & quędam alia, quæ vel interierunt, vel adhuc delitescunt. Hic, teste Posseuino in MS. Catenâ sexaginta Gręcorum Patrum (fortè eadem cum hac) apud Bauariæ Ducem extat Monachij, & ipse manuscriptus. Huius Commentarium in Lucam P. Theodorus Peltanus Societatis nostræ è Gręco in Latinum conuertit, vnà cum Victore Antiocheno in Marcum, & extant in Bibliothecâ Patrum Tomo 4. Citatur autem hîc partim ex Cõmentario eius in Lucam, passim ex aliis eius Operibus quę non extant, *Cap.1. n.45. Cap.2.n.66. Cap.3.n.29. Cap.4.n.14.28. Cap.6.n.30. Cap.7.n.1.9.20.28.37. Cap.8. n.22. Cap.9.n.35.51.59. Cap.10.n.8.9.12.15.17. Cap.11.n.1.5.9.10.38.46. Cap.15.n.14. 17.23.24.32.34.39.41.42.45.46.51.52.62.67. Cap.17.n.15.19.22.23. Cap.18.n.50.59. 60. Cap.19.n.2.35.41.51.53. Cap.20.n.16.21.28. Cap.21.n.5.7.33.36. Cap.22.n.16.34.53.* LXIII.

VICTOR

LXIV. VICTOR Antiochenus, quem ante Iuliani Apostatæ tempora vixisse putat Posseuinus, scripsit Commentarium in Marcum, quem P. Theodorus Peltanus de Græco Latinum fecit, & confusum interstinxit. Extat hic Tomo 4. Bibliothecæ Patrum. Citatur autem in hac Catenâ *Cap. 1. num. 20. Cap. 8. nu. 44. Cap. 10. nu. 59.*

LXV. VICTORIVS, qui citatur *Cap. 1. nu. 40.* quis sit, hactenus assequi non potui, cùm nec apud Posseuinum in Apparatu, nec apud Photium in Bibliothecâ, nec apud alios eius vlla sit mentio.

PATRES qui prætereà in SVPPLEMENTIS & ANNOTATIONIBVS citantur, cùm Græci, tum Latini.

Albertus Magnus.
Alcuinus.
S. Ambrosius.
Amphilochius.
Andreas Ierosolymitanus.
Anastasius Sinaita.
S. Ansbertus.
S. Anselmus.
Arnobius.
S. Athanasius.
Auctor Imperfecti in Matthæum.
S. Augustinus.
S. Basilius Magnus.
Basilius Seleuciensis.
Beda Venerabilis.
S. Bernardus.
Bernardinus Senensis.
S. Bonauentura.
S. Cyprianus.
S. Cyrillus Alexandrinus.
Elias Cretensis.
Epiphanius.
S. Ephræm.
Eucherius.
Eusebius Cæsariensis.
Eusebius Emissenus.
Eusebius Gallicanus.
Euthymius.
S. Fulgentius.
Galfridus.
Gaudentius.
Georgius Cedrenus.
S. Gregorius Magnus.
S. Gregorius Nazianzenus.
S. Gregorius Nyssenus.
Guarricus Abbas.
Haymo.
S. Hieronymus.
Hilarius Arelatensis.
S. Hilarius Pictauiensis.
Hildebertus Turonensis.
S. Hildephonsus.
Hugo de S. Victore.
Ioannes Cassianus.
S. Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Climacus.
S. Ioannes Damascenus.
S. Isidorus Hispalensis.
Isidorus Isolanus.
Isidorus Pelusiota.
S. Iustinus Martyr.
Lactantius Firmianus.
Laurentius Iustinianus.
S. Leo Papa.
S. Maximus.
Nicephorus.
Nicetas.
Nilus Abbas.
Origenes.
S. Paulinus Nolanus.
Petrus Alexandrinus.
Petrus Chrysologus.
Petrus Damiani.
Rabanus Maurus.
Remigius Antisiodorensis.
Rupertus Tuitiensis.
Saluianus.
Seuerus Sulpitius.
Sophronius.
Tertullianus.
S. Thomas Aquinas.

CATE-

CATENA
LXV. PATRVM GRAECORVM
IN
SANCTVM LVCAM
QVÆ
QVATVOR SIMVL EVANGELISTARVM INTRODVCIT EXPLICATIONEM.

Luce ac Latinitate donata, & ex alijs PATRIBVS tam GRAECIS quàm LATINIS ſuppleta, & Annotationibus illuſtrata, à BALTHASARE CORDERIO Soc. IESV Theologo.

PROOEMIVM.

CHRYSOSTOMVS in Geneſim. *Deus diuerſimodè hominibus loquitur.*

1. AB initio quidem Deus per ſeipſum hominibus loquebatur, ad illorum audiendi captum: at poſtquam in multam malitiam omne genus hominum degenerauit, nondum tamen fuit penitus auerſus: verùm etiam vbi eius familiaritate ſe prorſus indignos præſtiterunt, ſuam denuò cum illis amicitiam innouare volens, quaſi longè diſſitis, litteras miſit, vt conciliaret ſibi vniuerſam hominum naturam. Has autem litteras in veteri Teſtamento Moyſes & ipſius ſucceſſores, in nouo autem poſt Matthæum & Marcum diuiniloquus Lucas ad nos tranſtulit.

S. LVCÆ CAPVT I.

1. QVONIAM quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt, rerum:

2. ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis:

3. viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi ſcribere, optime Theophile,

4. vt cognoſcas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.

2. MATTHAEVS ſiquidem fidelibus Hebræis Chriſti miracula conſcripſit: Marcus autem ſecundùm ſpiritum magni Petri filius, ſeu diſcipulus, præceptoris breuiloquentiam imitatus, Italis Euangelium compoſuit; Lucas verò Græcis (Paulum æmulans ſuper flumina fluentem, cuius & diſcipulus & aſſecla dicebatur:) Ioannes autem, ſublimis ille Theologus, vniuerſis. Et iure quidem merito diuerſi diuerſas in gentes ac ciuitates diuiſi ſunt, vt Euangelium quaquauerſum curreret, ne quidquam triplicis iſtius luminis expers eſſet, aut veritatis luce fruſtraretur; verùm ijs etiam qui in tenebris ac vmbrâ mortis ſedebant, ignorantiæ nox adimeretur. Ad Gentes itaque Paulus proficiſcitur, Petrus autem ad Circumciſionem. Lucas in Achaiam, Andreas in Epirum, Ioannes Epheſum, Thomas in Indiam, Marcus in Italiam, reliqui verò (ne ſingulos recenſeam) ad quos ſunt miſſi.

NAZIANZENVS Orat. XXV. *Quinam Apoſtoli ad quos miſſi ſint.*

Iſa. 9. 2.

3. Hoc quidem nobis hac carne craſsâ circumcinctis eſt euidens, quòd quemadmodum

NAZIANZENVS Orat. XXXIV.

dum

Spiritalia non nisi per corporalia cognosci. dum fieri non potest, vt quis propriam vmbram præuertat, quantumuis gressum accelerct (quantum enim eam assequeris, tantumdem etiam illa semper anteuertit) aut vt oculus sine luce aut aëre intermedio, cadentibus sub aspectum rebus coniungatur, aut extra aquas natatilium indoles feratur: sic fieri pari ratione nequit, vt qui corporei sunt, sine corporearum & quæ sub sensum cadunt adminiculo rerum, rebus omnino intellectualibus coniungantur. Semper enim earum aliquid coincidit, se licet à sensibilibus quàm potest maximè mens ipsa abstrahat, atque in se ipsam collecta cum rebus cognatis atque aspectum fugientibus commercium habere conetur. Quod hac tibi *Dei nomina in Scripturis.* ratione perspicuum fiet. Nónne Spiritus, & Ignis, & Lux, & Mens, & Verbum, alijsque huiuscemodi nominibus princeps illa natura nuncupatur? Quid igitur? an Spiritum animo concipies qui * ignis ac diffusionis expers sit? vel Ignem, materiâ motuque sursum ferente, ac propria figura * fusioneque carentem? An Lucem nullo aëre permixtam, & quasi à progenitore suo atque illuminatore dimissam? Mentem autem quam tandem intelliges, nisi eam quæ in alio inest, cuiusque motiones, nostræ sint cogitationes, vel quiescentes, vel ipsas sese producentes? Quod item Verbum? an non illud quod vel in nobis quiescit, vel diffunditur? (vereor enim dicere dissolutum.) An non oportet nos ab his abstrahẽdo ipsum per se diuinum Numen quo ad fieri potest cognoscere, particularem quamdam eius speciem ex simulachris colligendo?

* motus

* coloreque

CHRYSOSTOMVS. Nullum nomen Dei naturam exprimit. 4. Sed danda venia imbecillitati. Alia enim nomina non habentes, vtimur ijs quæ habemus. Verbum vocatur, & sermonem superat. Supra lucem est, & Lux nominatur. Ignis dicitur, cùm non sit sensibilis, sed quia leuem atque improbã materiam expurgat.

ANNOTATIONES.

VERS. 1. QVONIAM QVIDEM MVLTI CONATI SVNT.] THEOPHYLACTVS *ad hunc locum*, Quinam, *inquit*, fuerunt multi isti qui conati sunt? *Respondetque:* Pseudoapostoli. Multi enim tunc conscripserunt Euangelia, quale est illud secundùm Ægyptios, & quod inscribitur Secundùm duodecim. Tales igitur conati sunt dumtaxat, non vtique perfecerunt. Quia enim absque diuinâ gratiâ cœperunt, proptereà neque absoluerunt. *Contra huiuscemodi igitur Pseudoapostolos & pseudoeuangelistas, suum S. Lucas composuit Euangelium, vti cum plerisque Patribus sentit Epiphanius Hæresi quinquagesimâ primâ; qui tamen quòd addit, ipsum scripsisse contra Cerinthum & Merinthum, Toleto parum probatur, cùm isti, vti & Basilides, Lucâ fuerint posteriores, vt colligitur ex Eusebio libro tertio Hist. cap. vigesimo secundo. Possis tamen intelligere S. Lucam dici scripsisse contra illos, id est, doctrinam tradidisse, quâ illorum hæreses posteà ortæ refutarentur. quod verissimum est, adeoque sic intelligendus Epiphanius.*

IBIDEM. *Græcè*, Περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. *quod vertit Interpres*, Quæ in nobis completæ sunt, rerum. *Pagninus & Brixianus*, Rerum quæ inter nos plenissimæ sunt fidei. *Euangelij Syriaci Interpres*, Actionum in quibus nos contenti acquieuimus. *Hentenius*, Rerũ quæ nobis certissimâ fide comprobatæ sunt. *Vnde* THEOPHYLACTVS, Res, *inquit*, multis argumentis comprobatas dixit. Res enim Christi non simpliciter & vndè traditæ sunt, sed verâ & solidâ fide, & multorum argumentorũ certitudine. S. AMBROSIVS πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν *explicat*, Quæ in nobis redundant. Quod enim, *inquit*, redundat, nulli deficit: & de completo nemo dubitat, cùm fidem effectus adstruat, exitus prodat.

Nota, verbum πληροφορέω *duplicem in Scripturâ sortiri significationem. Primam quidem pro* perficio, *seu* compleo, *vt secunda ad Timotheum quarto cap. versu 5.* Τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, Ministerium tuum imple, *id est, perfice, nihil videlicet quod officium exigit prætermittendo. Alteram verò, pro* certam fidem facio, *vt ibidem versu decimo septimo Apostolus accipit, cùm ait:* Ὁ δὲ Κύριός μοι παρέστη, καὶ ἐνεδυνάμωσέ με, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ. Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur. *id est, vt prædicatio mea plenam fidem reperiat apud auditores, ita vt etiam illam moribus expleant. Et in Epistolâ ad Rom. cap. quarto v. 21.* Καὶ πληροφορηθεὶς ὅτι ὃ ἐπήγγελται, δυνατός ἐστι ποιῆσαι. Plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere. *id est, certâ fide tenens, siue compertum habens, Deum posse exequi quod promisit. Ibidem cap. decimo quarto, versu quinto:* Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω. Vnusquisque in suo sensu abundet. *quod vertit Budæus*, Vnusquisque certus sit mentis suæ, vnusquisque compertum habeat quod mente concipit. *Pagninus reddit*, Vnusquisque propriæ menti satisfaciat. *Simpliciter*, Quisque suum sensum expleat, suumque iudicium sequatur (*agit enim ibi Apostolus de rebus indifferentibus, v. c. de cibis mundis & immundis, in quorum delectu iubet non nimis esse scrupulosos.*)

Ex dictis patet, hîc τὸ πεπληροφορημένων *duplicem sensum admittere. Quorum vnus sit, q. d.* Multi conati sunt contexere narrationem rerum quæ in nobis completæ sunt, *id est, de quarũ veritate fides perfecta firmaque nobis per Apostolos facta est. qui sensus placet Origeni Hom. primâ in Lucam, Athanasio in Ep. ad Ammum monachum, Euseb. libro tertio Hist. Eccles. cap. octauo. Alter verò magisque obuius ac simplicior sensus est, q. d.* Rerum quæ in nobis completæ sunt, *id est, à Christo peracta siue transacta: ita passim recentiores Interpretes. Qui sensus vterque bonus est. Prior tamen illius vocis acceptio pro certâ & firmâ fide, tam Patribus quàm profanis auctoribus Græcis magis vsitata est, vti docet Budæus in Commentario. Est autem* πληροφορία *Hesychio* ἡ βεβαιότης, *id est*, stabilitas, certitudo, firmitas. *Nonnulli sentiunt hanc vocem cum suis deriuatis per ω scribendã esse in antepenultimâ, videlicet* ἀπὸ τοῦ φωρᾶν, comperire, deprehendere, *vt sit* πληροφωρία, ἡ πλήρης φωρία, plena deprehensio, manifestum iudicium: ἔλεγχος καὶ πε-

φαρὶς

παρὰ τοῖς Iosepho. quod de plenissimo testimonio, & certâ probatione dicitur. Vnde cùm vbique per ο scribantur, placet magis cum Riberâ & Cornelio illud deriuare ἀπὸ τοῦ πλήρης καὶ φέρω, id est, plenum ferre, plenitudinem habere; *sicut καρποφορεῖν* fructum ferre, *sic πληροφορεῖν: quod verbum cùm actibus mentis attribuitur, plenam persuasionem significat. Hinc πληροφόρημα Vlpiano dicitur id quod certo certius est: talis est fides Christiana, vt quæ non in opinatione, sed in certâ & indubitatâ persuasione posita sit; & licet inuidenti, quamuis tamen scientificâ demonstratione, certiore principio nititur; testimonio scilicet diuino. Posterior hæc explicatio est & contextui conformior; & confirmatur ex Arabico, & vocis compositione.*

VERS. 5. Fuit in diebus Herodis, regis Iudææ, sacerdos quidam nomine
1. Par. 24. 10. Zacharias *de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabeth.

CHRYSOSTOMVS. *Zacharias & Elisabeth, quid.* 5. Ex eadem enim tribu ac familiâ, sed non ex aliâ fas erat vxorem ducere. Zacharias autem interpretatur memoria Dei, Elisabeth verò Dei quies.

THEOPHYLACTVS. 6. Nota autem quòd Naason, qui erat sextus à Iudâ, duxerit in vxorem filiam Aaron, quæ etiam Elisabeth vocabatur.

ANNOTATIONES.

VERS. 5. *Cur Herodis mentio fiat.* IN DIEBVS HERODIS.] *Cur Euangelista hoc loco Herodis mentionem fecerit, rationem perhibet* THEOPHYLACTVS *his verbis*: Meminit regni Herodis, cùm vt narrando Prophetarum formam seruet (illi enim sic incipiunt: In diebus Ioachaz & Ezechiæ,
Oseæ 1. & talis, facta sunt hæc, &c.) tum quia de Christo
Gen. 49. dicturus est, idcircò Herodis mentionem facit, vt ostendat, quòd sub Herode verè venerit Christus. Hic enim Herodes fuit, cùm defecissent apud Iudæos Principes, iuxta prophetiam Iacob. Vnde demonstratur Christus aduenisse. Quin etiam & illud commodè facit, quòd indicando tempus, verum ostendat Euangelium. Copiam enim quærendi, si qui volent, & discendi Euangelij veritatem, à tempore facit. Tempus autẽ (*inquit* CHRYSOLOGVS *Serm.* 89.) memorat Regis nefandi, qui sacrum sacerdotij violauit morem, confudit ordinem, statutum soluit, abstulit institutum. Et hoc accedit ad meritum Zachariæ, quòd cùm in omnes pænè Herodes ausus suæ temeritatis extenderit, ausus sit nihil in isto, virtutibus sit huius oppressus, vt sacerdotis immaculata successio, ad gloriam germinis seruaretur.

Cur parentes S. Ioãnis laudentur. IBIDEM. SACERDOS QVIDAM NOMINE ZACHARIAS.] *Cur huius meminerit, pandit* CHRYSOLOGVS *Serm.* 89. Oratores, *inquit*, magni & excellentes ingenio, quoties illustrium virorum parant narrare virtutes, auos atauosque commemorant, vt ad honorem præsentium, accedat dignitas antiquorum; & laus patrum, filiorum redundet ad gloriam. Maior est innata gloria, quàm quæsita; præcedit quod venit ab origine, quod sequitur ex labore; gloriam beatius est habere, quàm quærere: hinc est quòd Euangelista, vt extollat Ioannis gloriam, Zachariæ patris, Elisabeth matris genus dicit, auos memorat, scribit merita, loquitur titulos, gradus digerit, vitam pandit, dilatat insignia, prædicat sanctitatem. *Hæc Chrysologus: cui non inferiora in simili argumento* PAVLINVS *epist. decimâ ad Seuerum, de laudibus Melaniæ agens, ait*: Opinor autem & hoc ad cumulum diuinæ gratiæ pertinere, quòd sancti-
Hominum laudes à generis nobilitate ex Euangelicis exemplis vsurpantur. tatem laudandam de laudibus generis prædicare ordior. Sed hunc ordinem non à Rhetoricis institutis magis, quàm de Euangelicis exemplis vsurpari, doctissimus Lucas mihi testis est, qui Baptistæ beati meritum ab originis claritate detexuit. Et ne tantùm historiæ gratiâ eum commemorasse existimes nobilem Domini Præcursoris parentem, veneranda priscæ nobilitatis insignia, & suum cuique stemma connectit, dicens sacerdotem Zachariam, de vice Abia. Credo vt ex eo ipso dignitatem merito eius ostenderet, adijciens nomen ex infulis, quod proculdubio in Hebræis esset insigne, de cuius vice honoratum sortitus sacerdotium fungeretur.

IBIDEM. DE VICE ABIA.] *Mouet hic quæstionem* THEOPHYLACTVS, *quænam sit illa, dicens*: Quid autem est, Ex vice Abia? Nonnulli id sic intelligunt, quasi duo fuerint sacerdotes qui successiuè sacrificium peragerent, quorum alter Abia, alter Zacharias vocaretur: cumque iam Abia in sacrificij munere sacerdotis functus esset, post ipsius vicem sacrificarit Zacharias. Verùm non videtur id ita se habere. Nam Salomon cùm perfecisset templum, constituit & vices, hoc est hebdomadas; & in vnâ quidem hebdomadâ constituit filios Core, in aliâ Asaphat, in aliâ Abia, in aliâ alium. Igitur quòd dicit Zachariam fuisse ex vice Abia, sic intelligendum est, quòd fuerit de hebdomadâ Abia, non quòd post hebdomadam Abia functus sit sacrificandi munere; tunc enim dixisset, post hebdomadam Abia, nunc autem cùm dixit ex vice Abia, declarat quòd ex ordine & hebdomadâ Abiæ fuerit.

IBIDEM. ET VXOR ILLIVS DE FILIABVS AARON.] *Pergit* PAVLINVS *epist.* x *sup. citatâ, ad Seuerum dicens*: Vides Euangelium de commemoratione na-
Magnum est, sanctis parentibus ortum, aut sanctæ vxori iunctum esse. talium Sancti, dictionem fecisse meritorum; vt ijs quos erat de proprijs meritis prædicaturus, nomina auita præferret: *Et vxor*, inquit, *illi erat de filiabus Aaron.* Auxit meritum sacerdotis, commemoratâ nobilitate coniugij; & laudatiuus vitam, genus autẽ laudauit: vt venerabilior existeret, qui sanctis parentibus responderet sanctitate ingenitâ, quasi quadam iustitiæ hereditate; qui illud principale in sacerdotibus nomen Aaron, & honoris in munere, & generis in vxore, successor referret: atque illa quæ concors in itinere iugum veritatis cum marito trahebat, ad pariendum eligenda per Angelum, de
quo scriptum est, *Ecce mittam Angelum ante faciem* Mal. 3. 1.
tuam, dignior & viro sacerdote, & filio Propheta præferendo existeret, quam diuinis idoneam dotibus, non solùm vita iustitiæ, sed & familiæ prærogatiua fecisset.

NVM. 5. ELISABETH VERO DEI REQVIES.] *Eodem modo nomen hoc interpretatur* THEOPHYLACTVS *in hunc locum Lucæ 1. cap. Sanctus verò* HIERONYMVS *lib. de Nominibus Hebraicis vertit illud*, Dei iuramentum, Dei septenarium, Dei saturitatem.

VERS. 6. Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querelâ.

7. & non erat illis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

8. Factum est autem, cùm sacerdotio fungeretur in ordine vicis suæ ante Deum,

9. secundùm consuetudinem sacerdotij, sorte exijt vt incensum poneret, ingressus in templum Domini:

ⁿExod 30. 7. Leu. 16. 17. 10. & ⁿ omnis multitudo populi erat orans foris horâ incensi.

SIMEON. *Iustum oportet esse sine querelâ.* 7. QVA de causâ apponitur *sine querelâ?* quia potest quis in omnibus mandatis ambulare, & querelâ tamen non vacare. Nisi enim hoc ita se haberet, non fuisset dictum, Iustè quod iustū est persequeris, cùm (Deut. 16. 20.) bonum non sit bonum, si non fiat benè. Quando igitur mandata sic exequimur, vt nec inanis gloriæ, nec humanæ complacentiæ, aut alterius huiuscemodi maculæ, nobis conscij simus, tunc facimus mandata sine querela seu reprehensione.

CHRYSOSTOMVS in Psalmos graduum. *Templum Iudæorum mundi antitypū fuit.* 8. Accipiens Deus Iudæos rebus sensibilibus nimiùm inhærentes, ne ampliùs ad concupiscentiam rerum Ægypticarum declinarent, facit templum, ad imaginem vniuersi mūdi, sensibilis, & intelligibilis. Quòd autem templum hoc vniuersi mundi fuerit antitypum, affirmat Paulus. Quemadmodum enim est terra, & cælum, & medium septum huius, firmamentum; eodem modo etiam illud fieri iussit: longum quidem quadraginta cubitos, latum verò viginti. Huius longitudinis decem auferens cubitus, intus velo intercepit, atque id quod interceptum erat, vocauit Sancta sanctorum; quod (*Sancta sanctorum & Sācta quid.*) erat autem extra, Sancta tantum. Sic itaque templo in duas partes diuiso, & velo intermedio demisso, quod erat extra velum, permisit quidem esse omnibus peruium; quod verò intra illud erat, & inaccessum erat, & inaspectabile, præterquam summo sacerdoti soli. Ille enim solus semel in anno in Sancta (*Sancta solus Pōtifex ingrediebatur.*) sanctorum ingrediebatur. Exterius autem erant candelabrum, & mensa, & altare æneum, quod erat victimarum, in quo bis in die, præter alias victimas à populo adductas, Sacerdotes vnum matutinum, & alterum (*In exteriori templo quid esset & fieret.*) vespertinum agnū immolabant. Hoc enim fiebat Deo indicante, quod assiduò, tam inchoante quàm finiente die, coli debeat. Intus verò arca sita erat, & Cherubim. Illic etiam stabat altare aureum, in quo offerebatur incensum, ad nihil aliud paratum quàm (*Quando Pontifex Sancta ingrederetur.*) ad solum suffitum, quod etiam fiebat semel in anno. Tempore igitur Scenopegiæ, mense septimo quando solus summus Sacerdos in Sancta sanctorum ingrediebatur, nemini externis iuxta velum stare licebat. Tum itaque Zacharias incensum posuit, in ordine vicis suæ. Nam vniuersa populi multitudo erat foris orans. Fiebabatur autem festa (*Scenopegia quando celebrantur.*) Scenopegiæ, seu tabernaculorum, exeunte mense Gorpiæo, qui nobis September est. Hic autem mensis Hebræis septimus est à primo, vnde numerare menses hæc natio solet.

ANNOTATIONES.

ERANT AVTEM IVSTI AMBO ANTE DEVM.] VERS. 6. *Non apud homines duntaxat, vti benè obseruat Theophylactus in hunc locum, dicens:* Sæpenumerò quidam sunt iusti, sed non coram Deo, at tantùm in specie & coram hominibus. Illi verò coram Deo tales erant. *Hanc ob causam etiam probatur Noe: qui Geneseos 6. cap. vers. 8.* inuenit gratiam coram Domino Deo. *Ad quem locum pulchre Chrysostomus,* Inuenit, *inquit*, gratiam, sed coram Deo: non simpliciter inuenit gratiam, sed coram Domino Deo: vt nos doceat, quòd vnum ille habuerit scopum, vt (*Deo magis quam hominibus placendum.*) ab illo oculo laudaretur, qui dormitare sopirique nescit; nihilque curauerit humanam gloriam, vel ignominiam, vel irrisionem. Verisimile enim est, cùm præter morem omnium virtutem coleret, eum fuisse subsannatum & irrisum à malis omnibus, qui consueuerant arguere suam fugientes malitiam, & virtutem amplexantes: id quod & nunc sæpè fieri solet. Et videmus multos ignauos qui risum & subsannationem ferre nequeant, sed præferant humanam gloriam veræ & immortali, ab aliorum hominum stultitiâ abstracti & illecti. Animæ enim fortis atque constantis est posse obluctari his qui auellere moliuntur, & nihil facere vt hominibus placeat: sed oculum suum ad insopitum illum oculum intendere, ab eoque solùm gloriam expectare, & istorum gloriam despicere, & humanam laudem contumeliáve nihili pendere, sed vt vmbras ac somnia pertransire. *Rationem autem cur laudes & opprobria hominum non magni facienda sint, in eadem Homiliâ 23. in Gen. subiungit, dicens:* Quid enim, dic amabo, damni hinc existit viro quòd ab (*Ex hominū laude nihil commodi, ex vituperio nihil damni existere.*) hominibus subsannetur & irrideatur, cùm is qui finxit corda nostra, operaque cognouit, illum prædicet atque coronet? Quid verò prodest homini, si totius eum orbis admiratione ac laude prosequatur, ab vniuersorum autē conditore, & incorrupto iudice, in die illâ tremendâ sit condemnandus? Hæc igitur scientes dilecti, nullius pretij faciamus laudes hominum, neque ab illis celebrari quouis modo satagamus; sed propter illum solum, qui probat corda & renes, virtutis opera exerceamus, & iniquitatem fugiamus.

Nota autem, hic CORAM DEO, *Græcè* ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *significanter addi a D. Lucâ, ad exprimendā & reddendam quodammodo rationem tam eximiæ sanctitatis atq; iustitiæ Zachariæ atque Elizabethæ, vt quos exercitium præsentiæ Dei & cōtinuæ cum eod. in per orationem colocutionis ad tantam prouexerit perfectionem. impleuerunt enim præceptū Domini ad Abrahamum dicentis Gen. 17. vers. 1.* Εὐαρέστει ἐνώπιον ἐμοῦ, καὶ γίνου ἄμεμπτος, *id est,* Complace coram me, & esto irrepre-

prehensibilis. *secundùm Vulgatam:* Ambula coram me, & esto perfectus. *Chaldeus:* Serui1as coram me: *quomodo etiam in Cantico suo canit ipse Zacharias, infra v. 74. & 75.* Λατρεύειν αὐτῷ ἐν ὁσιότητι, καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν. *id est.* Seruire, *sine ut Vulgata legit,* Seruiamus illi, in sanctitate & iustitiâ coram ipso omnibus diebus nostris. *Sic etiam Gen. 5. v. 22.* Εὐηρέστησε Ἐνὼχ τῷ Θεῷ. Complacuit Enoch Deo. *secundùm Vulgatam:* Ambulauitque cum Deo. *Vnde patet, quantus existat ex exercitio præsentiæ Dei fructus.*

Fructus exercitij præsentiæ Dei.

Primus est, fuga peccati.

Primò enim fugat peccata. Hinc Tobias monet filium suum Tob. 4. v. 6. Omnibus diebus fili Domini Dei nostri recordare, & noli peccare. *Exploratum habens, Dei memoriam præsentissimum esse contra peccatum antidotum. Teste siquidem* HIERONYMO *in Ezechielem cap. 22.* Memoria Dei excludit omnia flagitia. *Cui adstipulatur* S. EPHRÆM *tom. 2. c. 10. dicens:* Continuâ Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt, instar maleficorum Prætore accedente, vnde & mundum Spiritus sancti habitaculum efficitur. *Vbi S. Ephræm ipsâ experientiâ edoctus loquitur: nam, teste Metaphraste in eius Vitâ, hoc antidoto Ephrem publicum quoddam scortum ex sordibus superioris vitæ ad virtutis studium reuocauit, cùm ab illâ ad impudicitiam prouocatus, simulauit se consensurum, modo in foro publico illud fieret: cui hoc ob humanum pudorem detrectanti, Dei cuncta etiam occultissima cernentis ac penetrantis memoriam atque timorem incutiendo, insignis conuersionis auctor extitit.*

Secundus, præsidium in tentatione.

Secundò, hominem contra pericula & tentationes munit, iuxta illud Psal. 22. v. 4. Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. *Quod magnam certè adfert securitatem, quoniam, iuxta Salomonem Prou. cap. 3. v. 6.* in omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos.

Tertius, obseruatio mandatorum.

Tertiò, ad obseruationem mandatorum excitat, & ad Dei amorem inflammat, vti docet D. BASILIVS *in Regulis fusiùs disputatis q. 5. monens,* vt ex continuâ purissimaque recordatione impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem, tamquam indelebile aliquod sigillum circumferamus. Hac enim ratione diuina nobis charitas ingeneratur, quę simul nos & ad executionem mandatorum Dei excitet, atque vicissim quoque ab ijsdem ipsa in vigore suo stabiliter conseruetur.

Quartus, spiritale gaudium.

Quartò denique, homini piè ac religiosè spiritale quoddã gaudium adfert, iuxta illud Psalmi 15. v. 8. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper. *& subdit:* propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea. *Hæc pro instituto nostro sufficiant: plura qui volet, videat de fructibus & praxi huius exercitij in libello sanè aureo Patris Ariæ, qui inscribitur De præsentiâ Dei.*

IBID. *ad versum 6.* INCEDENTES.] *Græcè* πορευόμενοι, *quasi* proficiscentes, *quod optimè explicat assiduũ eorum in virtute profectũ.* Proficere *enim, teste* S. BERNARDO *Serm. 2. in Vigiliâ Natiuit.* est quoddam proficisci. *Vnde de viris iustis Psalmista Psal. 83. v. 8.* Ibunt de virtute in virtutem. *vbi Græcè etiam est* πορεύσονται. *vti & in illo Prou. 4. v. 18.* Iustorum autẽ semita, quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectã diem. Sicut enim (*inquit* AVCTOR IMPERFECTI *in Matth. Hom. 18.*) qui peccat, dum peccat, magis ac magis tenebrescit mens eius, & à luce scientiæ recedit: sic & qui iustitiam operatur, magis ac magis clarescit mens eius, & ad notitiam sapientiæ maioris ascendit. *In hac autem continuâ in virtutibus progressione totam vitæ huius perfectionem consistere, censet Apostolus in Epist. ad Philip. 3. v. 13. scribens:* Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.

Perfectio vitæ huius in assiduo profectu consistit.

Omnia planè mandata implenda.

IBIDEM, *ad vers. 6.* IN OMNIBVS MANDATIS.] *Iuxta illud Ps. 118.* Ad omnia mãdata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui. Non enim, *inquit* S. HIERONYMVS *Epistolâ 1. ad Demetriadem,* quasi ad arbitrium nostrum, quædam ex mandatis Dei debemus eligere, sed generaliter vniuersa complere. *Nam, vt docet Ecclesiasticus cap. 9.* qui in vno peccauerit, multa bona perdet. *Et vt scribit in Epistolâ S. Iacobus, vers. 10.* Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omniũ reus. *Quare* non debemus (*inquit* HIERONYMVS *Ep. cit.*) aliqua præcepta eius, quasi vilia munuscula ac parua contemnere, sed imperantis in omnibus maiestatem aspicere. Nullum quippe mandatum Dei contemptibile nobis videri potest, si eius semper cogitemus auctorem. *Meritò igitur Psal. 126. dicitur:* Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis. *scilicet mandatis Dei. S. Hieron. vertit:* Qui impleuit pharetram suam ex ipsis, *scilicet, sagittis. Sagittæ enim sunt mandata Dei impleta, quia in ipsis vincimus inimicos. Vnde sequitur:* Non confundetur cùm loquetur inimicis suis in portâ, *id est, in morte; vbi omnes qui mandata Dei transgressi fuerunt, aut mediâ ex parte solummodò adimpleuerunt, summâ confusione afficiuntur, sicut secundò Reg. 10. v. 5. dicitur de illis quibus Hanon dimidiam partem barbæ abrasit:* Erant viri confusi turpiter valdè. *Tales vtique erunt in horâ mortis, qui vniuersa mandata non adimpleuerint.*

Bona ædificationis habenda ratio.

IBID. *ad vers. 3.* SINE QVERELA.] *Græcè* ἄμεμπτοι, *id est,* irreprehensibiles, *quod ad ædificationem proximi spectat, vt pulchrè* S. HIERONYMVS *in Epist. 14. quæ est ad Celantiam, de ratione piè viuendi.* Apostolici, *inquit,* & præcepti est & exempli, vt habeamus rationem non conscientiæ tantùm, sed etiam famæ. Non superfluum, & à fructu vacuum, gentium Magister hoc docet: vult enim etiam extraneos ad fidem homines per fidelium opera proficere, vt religionem ipsam, religionis disciplina commendet. Et ideò sicut luminaria in mundo, lucere nos iubet in medio nationis prauæ & peruersæ; vt incredulæ mentes errantium, ex nostrorum actuum lumine, ignorantiæ suæ tenebras deprehendant, vnde ipse ad Romanos cap. 12. ait: Philip. 2.
Prouidentes bona, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et alibi 1. Cor. 10. *Sine offensione estote Iudæis & gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis.* Beatus est qui tam sanctè tamque grauiter disposuit vitam suam, vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit; dum aduersus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo; nec fingere quisquam ausus est, quod à nullo putat esse credendum. Quòd si id assequi difficile atque nimis arduum est; saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahendi, ne ea nobis scintilla procedat, per quam aduersus nos sinistræ famæ flamma con-

fletur, alioquin frustrà irascimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsis obtrectandi materiam ministramus. Nos id agamus, vt malè de nobis nemo loqui absque mendacio possit.

NVM. 8. *Locus hic inscribitur Græcè, Χρυσοστόμου ἐκ τῶν ἀναβαθμῶν, id est,* Chrysostomi ea Homiliâ aliquâ in Graduales. *Sed inter illas nusquam reperitur: sed pars eius extat apud eumdẽ in Expositione Psalmi* 140. *Describitur autem hic templum Iudæorum cum tabernaculo, & ceteris quæ in eo erant. Quæ omnia eleganter viris iustis accommodat* ORIGENES *Homil. 9. in Exodum, dicens:* Potest vnusquisque in semetipso formã tabernaculi explere. Debet columnas sibi aptare, virtutum columnas argenteas, quas habet qui propter verbum Dei patitur & fert. Potest in se & atria distendere, cùm dilatauerit cor suum, secundùm vocem Apostoli dicentis 2. ad Cor. 6. *Dilatamini & vos.* Potest se & seris munire, cùm se vnanimitate dilectionis adstrinxerit. Decem verò atria potest in seipso distendere, cùm non in vno tantùm verbo legis, aut duobus aut tribus dilatatur, sed in toto Decalogo. Habeat in se defixum & altare, in quo orationum hostias, & misericordiæ victimas offerat Deo. Sciat sibi in sanctis etiam candelabrum luminis collocandum, vt sint ei lucernæ semper ardentes, & succincti lumbi, & ipse tamquam seruus expectans dominum, quando reuertatur à nuptiis. Sed istud candelabrum lucernarum in Austro collocet, vt ad Aquilonem respiciat. Accenso etenim lumine, id est vigilanti corde, respicere semper debet ad Aquilonem, & obseruare eum qui ab Aquilone est, sicut & Propheta videre se dicit succensam ollam, & faciem eius à facie Aquilonis. Ab Aquilone enim accenduntur mala vniuersæ terræ. Vigilans ergo, & sollicitus, & ardens intueatur semper astutias diaboli, & vnde sit ventura tentatio. Habeat in penetralibus pectoris sui etiam altare incensi, vt ipse dicat: *Quia Christi bonus odor sumus.* Habeat & arcam testamenti, in quâ tabulæ sint legis, vt in lege Dei meditetur die ac nocte. Quia & Propheta beatos dicit eos, qui memoriâ tenent mandata eius, vt faciant ea. Sit intra ipsum vrna mannæ reposita, intellectus verbi Dei dulcis. Sit & virga Aaron intra eum florida, seueritas disciplinæ. Sit indutus podère byssino. Indumenti hoc genus est, quod vsque ad pedes deducitur, totum contegens corpus; in quo designatur, vt primò omnium totus sit castitate vestitus. Accipiat postmodum & humerale gemmatum, in quo fulgor operum collocatur, *vt videntes homines opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum qui in cælis est.* Sed & aurea lamina in fronte resplendeat, vt nomen Dei semper habeatur in capite, & ad vnum Deum cuncta referantur. Habeat etiam in interioribus Pontifex operimenta sua, habeat pudenda contecta, vt corpore & spiritu sanctus sit, & cogitationibus & operibus purus sit. Habeat etiam per indumenti circuitum tintinnabula, vt ingrediens Sancta det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent, in extremo vestimenti sunt posita, vt de extremis temporibus numquam sileas, memor nouissimorum tuorum, & non peccabis. Ad hunc modum homo noster interior, Deo Pontifex, adornetur vt introire possit, nõ solùm in Sancta, sed & in Sancta sanctorum, vt possit adire propitiatorium, vbi sunt Cherubim, & inde appareat ei Deus. Sancta possunt esse ea, quæ in præsenti sæculo habere sancta conuersatio potest. Sancta verò sanctorum, ad cælum esse transitum, puta vbi est propitiatorium, & mundis corde apparere potesit Deus.

Templum, & quæ in eo, viris iustis appropriata moraliter.

Luc. 12.

Ierem. 1.

2. Cor. 2.

Matth. 5.

IBIDEM, *ad versum* 9. TVM ITAQVE ZACHARIAS INCENSVM POSVIT IN ORDINE VICIS SVÆ.] *Nota ex Paralipomenon lib. 1. cap. 24. & lib. 4. Regum cap. 11. Dauidem multitudinem sacerdotum distribuisse in viginti quatuor familias seu classes, ita vt ordinatè quælibet per hebdomadam deseruiret templo. Distribuit autem sorte: quâ factum est, vt classis Abia & posterorum eius, inter quos erat Zacharias, esset ordine octaua. Quoniam verò etiam in quaq; vice multi erant sacerdotes, etiam illi inter sese sortiebantur quid in templo quisque ageret. Alijs ergo sorte erat sacrificandum, alijs accendendæ lucernæ, alijs panes propositionis conficiendi ac proponendi: Zachariæ vero hic sorte obtigit adolere incensum. Pulchrè sanè* ORIGENES *Homiliâ 5. in Numeros diuersas has functiones explicat, diuersasque tabernaculi partes varijs iustorum gradibus accommodat.* Intelligamus, *inquit*, tabernaculum testimonij omnes sanctos, qui sub testamento Dei censentur, & in hoc tabernaculo esse quosdam celsiores meritis, & gratiâ superiores, & ea ijs aliquos quidem candelabrum dici; ipsos fortè Apostolos, qui illuminant accedentes ad Deum. Sed etsi qui alij sunt, qui in hoc tabernaculo Dei, omnibus ingredientibus scientiæ & doctrinæ lumen ostendunt, omnes illi candelabrum mysticum nominentur. Alij sunt mensa sacra, scilicet quicumque habent panes Dei, & reficiunt & pascunt animas esurientes iustitiam. Alij sunt altare incensi, quicumque orationibus ac ieiunijs die ac nocte vacant in templo Dei, orantes non solùm pro semetipsis, sed pro vniuerso populo. Ij vero, quibus arcana mysteria credidit Deus, & occultorum prouidentiæ suæ iudiciorum secreta commisit, arca testamenti Dei appellentur. Porrò qui cum omni fiduciâ per hostias precum, supplicationumque victimas, Deum hominibus repropitiant, & pro delictis populi interueniunt, propitiatorium nominentur. At qui meruerint multitudinem scientiæ, & abundantes diuitias in agnitione Dei, Cherubim intelligi possunt. Sed hos omnes qui per hæc singula quæ numerata sunt designantur, portari necesse est, & portari in humeris. Vnde fortassis (vt ego opinor) Angeli, qui ordinati sunt propter eos qui hereditatem capiunt salutis, ipsi sint, qui singulos eorum, quos suprà diximus, portant. Cùm enim solutum fuerit tabernaculum hoc, & cœperimus ingredi ad illa sancta, & pergere ad locum repromissionis, hi qui verè sancti sunt, & in Sanctis sanctorum habentur, Angelis sine dubio subuectantibus incedunt, & vsquequò requiescat tabernaculum Dei, portantur in humeris, & extolluntur in manibus, sicut scriptum est Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te.* Per ipsos Angelos sub eodem mysterio Paulus portandos esse quosdam confirmat *in nubibus obuiam Christo in aëra.* Portantur columnæ & cetera quæ à Scripturâ referuntur.

Varij iustorum gradus per supellectilem sanctuarij expressi.

VERS. 10. ET OMNIS MVLTITVDO ERAT ORANS FORIS HORA INCENSI.] *Docemur hic quantâ cum reuerentiâ ac deuotione in templo, & maximè sacrificio Missæ, adesse debeamus. Se enim sacerdote veteris Testamenti in templum ingresso, & thymiama adolente, populus omnis, tam nobiles quàm ignobiles, extra templum in atrijs tantâ cum deuotione orationi vacabant,*

Quantâ deuotione in templo & Sacro adesse oporteat.

atque

atque id iuxta templum in quo arca, id est umbra quædam augustissimæ Eucharistiæ, asseruabatur; quid nobis non dico in atrijs sed in ipsis templis agendum? quantâ cum attentione ac tremore sacrosancto Missæ sacrificio assistendum? Vbi, teste S. NILO *in Epist. ad Anastasium,* plurimi Angeli è cælo lapsi, splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso, circumstantes altare, magnâ reuerentiâ, quiete, ac silentio, vsque ad mysterij consummationem assistunt. *& subiungit:* Hæc scribo, vt intelligentes quanti tremoris sit diuina Missa, nec ipsi timorem Dei remissi negligatis; nec vllos alios loqui aut mussitare tempore oblationis, neque annuere audacter, aut à statu grauitatis dimoueri, neque huc atque illuc circumspicere, aut ignauè aut dispersè vagari permittatis.

VERS. II. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans à dextris altaris incensi.

12. Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum.

BASILIVS in Isaiæ cap. 1. *Thymiamatis compositio.*

9. THYMIAMATIS siue incensi dixit altare, quia & aliud erat oblationũ. Vocatur autem hoc thymiama compositionis, eò quòd diuersis suauitatibus constet. Sunt autem hæ suauitates, stacte, onyx, galbanum, & thus. Quatuor hæc, cum quatuor quibus corpora cõstant elementis, similitudinem habent. Stacte siquidem ad aquam, onyx autem propter siccitatem ad terram, galbanum verò ob calorem ad ignem, thus denique propter perspicuitatem ad aërem refertur. * Absurdum vtique sit existimare, Deum, vt olfactus delicias sectaretur, thymiamatis fieri iussisse compositionem; & non cogitare, thymiama Domino, corporis esse sanctimoniam, quæ in animâ perficitur per temperantiam, partibus animæ ritè temperatis, atque inter sese non reluctantibus. Sume, enim inquit, tibi suauitates. æquale æquali erit. hoc est, Impetus, ex intemperie ad absurdas concupiscentias tendentes, castigans, ad æqualitatem rediges. Et concides de illis minutim. id est, Dabis operam vt efficias spiritalem, exterminans ex animâ quod carnale est, crassum, & materiale. Et sic pones contra testimonia in * tabernaculo [testimonij] vnde innotescam tibi inde. Quando enim aliquis vnum quid factus perfectâ communicatione, & subtilissimus redditus, tũ dignus est in Sancta introduci, & viciniùs propinquare diuinæ cognitioni. Prohibetur autem hoc fieri in vsum proprium, hoc est, sibi ipsi adscribere rectè gesta; sed in Deum bonorum causam referre. Tale erat thymiama Paulus, dicens: Christi bonus odor sumus. Et iterùm: Gratia Deo qui nos semper triumphat, & odorem cognitionis suæ manifestat in nobis. Corporale autem hoc thymiama, & quòd meatus narium subit, & sensum concitat, meritò existimetur abominationi esse illis, qui incorporei sunt.

* Execrabile *Thymiama mysticè quid.*

Exod. 30. 34.

* tabernaculi vers.

2. Cor. 2. 14. Ibid. 15.

10. Intelligitur etiam in typum Christi aureum illud altare, quod positum erat è regione eius, qui supra Cherubim oracula promebat; loco significante, nostra in Christo, diuino quodammodò conspectui obuersari. Hominem enim propter transgressionem in auersione existentem, rursus velut in seipso, ac primo in Patris conspectu, Christus constituit. Præcursor namque pro nobis in cælum est ingressus, vt nunc appareat vultui Dei, pro nobis. Ipse enim est pax nostra, ipse thymiama per incarnationem compositum. Christus namque duabus constat naturis. Tenue verò, quia illam legalis cultus concretionem non habet. Tradidit enim semetipsum pro nobis in odorem suauitatis, summus sacerdos nominatus. Quòd autem illa quæ in veteri lege erant, in Christo abolita sint; patet ex eo, quòd prohibuerit holocausta libationesque in aureo altari offerri. Et non offeres (inquit) super illud incensum aliud. Vnus enim est magister & doctor Christus, eique soli adhæremus. Depropitiare autem super hoc altare iubet Aaronem semel in anno, sanguine purificationis peccatorum, cornuum summitates illiniendo, quoniam & Christus crucem suam, pro salute omnium, semel proprio sanguine aspersit. Hoc enim altaris cornua declarant, quia quadrangulum vndique prominet. In omni namque loco Christus cognoscitur, & quidem crucifixus. Hæc dicta sint de altari incensi, à cuius dextera stans Angelus apparuit Zachariæ.

CYRILLVS lib. 9. de Adoratione in spiritu & veritate. *Altare aureum figura Christi.*

Hebr. 9. Ephes. 2.

Eph. 5. 2.

Exo. 30. 9.

Matt. 23. 8.

Exod. 30. 10.

ANNOTATIONES.

VERS. II.

APPARVIT AVTEM ILLI ANGELVS DOMINI, STANS A DEXTRIS ALTARIS INCENSI.] Vtinam (*inquit* S. AMBROSIVS *in hunc locum*) nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat Angelus, immò præbeat se videndum! Non enim dubites assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Quis enim (*inquit* S. GREGORIVS *lib. 4. Dial. c. 58.*) fidelium habere dubium possit, in ipsâ immolationis horâ ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo IESV Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus atque inuisibilibus fieri? *Hisce similia habet* PETRVS DAMIANI *scribens ad Archiepiscopum Bisuntinum, exhortans illum vt tollat abusum sedendi, dum Missarum offeruntur terribilia Sacramenta.* Moysi, *inquit*, dicitur Exodi 3. Ne appropies huc; solue calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas terra sancta est. Vt quid enim antiquis Patribus diuinitus imperata per Sacras paginas legimus, nisi vt sanctis locis nos reuerentiam debere credamus? An minus sacer est locus, in quo per mysterium viuificæ passionis

Christi corpus offertur, quàm ille, vbi per suum Deus Angelum loquebatur? In Denteronomio cap. 5. quoque legitur, quia dixit Dominus Moysi: *Tu sta mecum, vt loquar tibi omnia mandata, & carimonias, atque iudicia.* Non ait, sede vel recumbe, sed *sta mecum*, vt scilicet stando discat, quod sedendo postmodum doceat.

In hac vita est tempus standi postea erit sedendi.

Nunc itaque dum in procinctu sumus, vult Deus nos sibi ministrantes assistere, vt cum eo postmodum mereamur in municipij tranquillitate sedere. Porrò autem, si cui tanta suppeteret munerum copia, vt donec officium superesset, præbere dona singulis non cessaret; is quoque gradum figeret, cuius articulos languor chiragricus innodaret. Corporis ergo morituri stans susciperet commodum, animæ verò perpetuò regnaturæ sedendo despicit ornamentum? Si Regi vel terreno cuilibet Optimati suæ ditionis officia reuerenter assistunt; cùm ante terribilem Maiestatis diuinæ conspectum laudum præconia iubilamus, quâ præsumptionis audaciâ sedere præsumimus? Dicit Daniel cap. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Ecce dum innumerabilium Angelorum, alij Deo ministrare, alij dicuntur assistere, nullus eorum hic reperitur in subsellio residere. Cui ergo virtutes Angelicæ trementes assistunt, terreni & corruptibiles homines adstare despiciunt?

Angeli contra homines indignantur, cùm irreuerenter in Ecclesiâ se gerunt.

Et cùm Ecclesiasticis illis officijs ritè credatur Angelicam semper adesse præsentiam, dicente Scripturâ Psal. 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi*: nostramque vigilantiam, siue desidiam non modò diligenter attendere, sed & superno Iudici cuncta per ordinem nuntiare; quanto putamus aduersus nos zelo mouentur, dum in conspectu illius nos irreuerenter sedere conspiciunt, cui scilicet ipsi trementes assistunt? Nam & Zacharias sacerdos cùm incensum poneret, non sedentem sed stantem iuxta altare Angelum vidit, &c.

VERS. 12. ET ZACHARIAS TVRBATVS EST.] *Pulchrè ad hoc* CHRYSOLOGVS *Sermone* 68. Nō mirum est, *inquit*, si turbatur sacerdos, si stupet doctor, si pauescit Antistes, si tacet minima, cùm videt maxima: si deserit verba, cùm signa conspicit. Et ne solus Zacharias timuisse videatur, audi alium Prophetam dicentem, Habacuc 3. *Domine audiui auditum tuum & timui, consideraui opera tua & expaui. Et Sermone* 88. Si de iudicis potestate sollicitus est, qui semper de apparitoris turbatur, & contremiscit aduentu, & mandati meritū, de personâ venientis æstimat & metitur: & quamuis benè conscius pauet, donec causas venientis agnoscat, & intelligat qualitatem: quid faciet? quo pauore trepidabit? cùm potestatem supernam senserit hominis imbecilla natura, cùm respexerit homo Angelum, & diuinæ sedis ministrum viderit?

Si præsentia apparitoris turbet, quid faciet Iudicis?

Caro numquam de suâ conscientiâ secura est: sicut Zacharias ipse, de quo loquimur nunc, comprobauit: qui in ipso tempore placationis offendit: qui dum credit, dubitat, dicente Angelo, Quia non credidisti verbis meis: dum postulata promeretur, incurrit, condemnatur, munera ipsa cùm suscipit: qui vocem, cùm vocem percipit, tunc amittit?

VERS. 13. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem:

14. & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.

ATHANASIVS in Vitâ S. Antonij.

11. HINC booorum Angelorum præsentiam malorumque facile est dignoseere.

Apparitio Angelorum vnde dignoscatur.

Sanctorum enim apparitio nihil habet perturbati: nam ita fit placide, ita leuiter, vt animis gaudium illicò, exultationem & confidentiam adferat. Quòd si nonnulli pro humaoâ conditione bonorum apparitione terreantur, hi vt apparent, metum illis statim dilectione eximunt, quemadmodum feeit modò Gabriel Zachariæ, isque Angelus qui in saero monumeoto mulieribus, quique pastoribus apparuit, dicens: Nolite timere.

Matt. 28. 5

Luc. 2. 10.

Metus enim illorum non ab animi pauore, sed ex eognitione præsentiæ præstantiorum existit. Talis itaque est Sanctorum apparitio. At malorum incursus & visio turbulenta est, ac perturbationis plena, cum strepitu, sonitu, & vocifeeatione, qualis dissolutorum hominum ae latronum motus solet existere, vnde statim oritur timiditas aoimi, perturbatio, confusio eogitationum, acedia, tristitia, & morum inconstantia.

Sanctorum apparitio placida est.

Quando itaque contingeet aliquos timere, si quidem extemplò metus abigatur, eius loco ioexplieabili gaudio subsequente, cum animi tranquillitate, fiduciâ, virium recreatione, meotisque compositione, fiducia hæc animique tranquillitas, præsentis spiritus sanctitatem declarat. Sic Abraham viso Domino gauisus est, & Ioannes factâ voce à Deiparâ Mariâ, exultauit in gaudio.

Ioan. 8. 56

Luc. 1. 41.

Dæmonum apparitio turbulenta.

Quòd si quibusdam apparentibus, existant turbæ, & strepitus externus, & phantasia muodana, ae minæ mortis, nouerís aceessum esse malorum. Non enim dæmooes metum illum adimunt, vti fecere quondā, magnus ille Archaogelus Gabriel, Mariæ ac Zachariæ, & Angelus qui mulieribus in monumento apparuit: sed potiùs cùm metuere vident, phaotasias augent, quò maiorem ipsis terrorem incutiant, & adorti posteà derideant, dicantque prostrati, Adorate nos. Hoc pacto gentes deceperunt. sic enim falsò ab ijs Dij æstimati sunt. Nos autem Dominus à diabolo seduci non permisit, quin tales sibi phantasias ingerenti, increpando respondit: Vade post me satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis.

Matt. 4. 10

Sed hæc quidem de modo, quo quis boni ac mali angeli apparitiooem queat dignoseere.

MAXIMVS Pontificem solum sancta ingredi quid significat.

12. Sublimiori verò sensu summas sacerdos semel dumtaxat in anno Sancta sanctorum velamentum ingredi iussus, docet, illum qui

qui attium ac Sancta pertransijt, atque intra Sancta sanctorum existit (hoc est omnium intellectu ac sensu cognitorum naturam transcendit, atque omnis propriæ ex generatione contractæ passionis purus est) nuda liberaque mente diuinis inhærere cogitationibus.

ANNOTATIONES.

Vers 13. *Deus iustos exaudit.*

Exavdita est deprecatio tva.] *Hic est fructus iustitiæ Zachariæ coram Domino. Nam vt Propheta Dauid Psal. 33. vers. 16. canit*, Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorũ. Vide (*inquit* Salvianvs *lib. 2. de Prouidentiâ*) quâ benignitate agere cum suis Deum Scriptura dicit. In hoc siquidem quòd ait, oculos Domini super iustos esse, affectus aspicientis ostenditur. In hoc autem quòd aures in precibus paratas, semper exaudientis largitas demonstratur: quamuis per id quod dicit, diuinas aures in precibus semper esse iustorum, non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designetur. Quomodo enim in precibus iustorum diuinæ aures sunt? quomodo? nisi vt semper audiant, nisi vt semper exaudiant, nisi vt promptè audita tribuant, nisi vt illicò exaudita concedant? Semper ergo ad audiendas Sanctorum preces paratæ Domini nostri aures, semper attentæ sunt. Quàm beati essemus omnes, si quam promptam erga nos Dei audientiam legimus, tam promptè ipsi Deum audire vellemus!

Beneficia Dei plena sunt.

Ibidem. Pariet tibi filivm.] Plena semper (*inquit* S. Ambrosivs *in hunc locum*) & redundantia sunt diuina beneficia, non exiguo constricta munere, sed verbi bonorum coaceruata congestu: vt hîc primùm precationis fructus promittitur, deinde sterilis partus vxoris, cuius nomen prænuntiat, subdens:

Quinque tantùm in Scripturâ ante natiuitatem à Deo nomen acceperunt.

Et vocabis nomen eivs Ioannem.) Singularis (*inquit* Beda *in hunc locum*) meriti indicium datur, quoties hominibus à Deo nomen imponitur. *Id verò (vt ex Abulensi notat Pererius in c. 16. Gen.) in quinque dumtaxat viris, tribus videlicet veteris ac duobus noui Testamenti, factum esse legimus; in quolibet autem eorum vel denuntiatione nominis, vel in ipsâ eorum conceptione, ac natiuitate, animaduertere licet miracula aliqua contigisse. Primus eorum fuit Ismahel, cuius conceptum semel mortuum, iterum fuisse viuificatum Hebræi opinantur. Quidquid hac de re sit; mira sanè de eius ingenio, moribus, & posteritate, per Angelum prænuntiata sunt, Gen. 16 quamquam de eius meritis ac sanctitate nihil ibi singulare, sed potiùs contrarium, insinuetur. Alter fuit Isaac, cuius nomen prænuntiatum est Gen. 17. & generatio ex sterilibus parentibus omnino admirabilis extitit. Tertius censetur Iosias, in cuius aliquot post sæcula nascituri prænuntiatione duplex contigit miraculum; nam & altare idolorum vltrò discissum est, diffusique cineres; & brachium regis Ieroboam arefactum, vt narratur libro 3. Reg. cap. 13. In nouo Testamento fuere duo, quibus priores illi nullo modo comparandi. Vnus fuit Ioannes Baptista, cuius generatio hic ab Angelo denuntiatur, tot miraculis quæ hic Euangelista recenset, concomitantibus. Alter fuit* Iesvs Christvs *Dominus noster, cuius annuntiatio, conceptio atque natiuitas, hoc etiam & sequenti capite narrantur, multis & maximis nobilitata miraculis.*

De natiuitate Ioãnis gaudent etiam pagani.

Vers. 14. Mvlti in nativitate eivs gavdebvnt.] S. Bernardvs *Sermone in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ*, Verum *inquit*, id quidem, multi in natiuitate eius gaudent: & pagani ipsis (vt audiuimus) lætae t & solemnis.

Cur reliquorum SS. obitus, Ioannis autem celebretur natiuitas.

Pulchre B. Petrvs Damiani *Serm. 1. in Natiuit. S. Ioannis:* Natiuitas, *inquit*, hominis illius in gaudio est, & in solemnitatem præclaram. Lætatur orbis, & quatuor mundi climata circumsonat gloriosæ festiuitatis instantia, ipsis etiam cælis celebris & famosa. Considerandum est quantâ dignitate præpolleat natiuitatis huius celebrãda deuotio, quantamque gratiam in oculis Ecclesiæ potuerit inuenire. Nullius hominis natiuitatem, præter solius Dei, eiusque Matris, in auctoritatis arcem recepit Ecclesia, huius illius exceptione seruatâ. Nouit enim, quia *melior est dies mortis die natiuitatis*, & quòd ortus hominum tristitia comitetur. Inde est quòd Martyrum mortes, non natiuitates solemnizat Ecclesia, mortem eorum natalitiorum nomine nominans, quibus factus est de morte natalis. Tunc enim inceperunt nasci ad vitam, cùm vitam deposuerunt pro vitâ. Huius verò natiuitatem sponsa Christi tantò securiùs beneuolentissimâ dignatione suscepit, quantò singulariùs eam veritatis Euangelicæ irrefragabilis commendat auctoritas. Eccle. 7.

Vers. 15. Erit enim magnus coram Domino: & vinum, & siceram non bibet, & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ:

16. & multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum:

17. & ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ: " vt conuertat " Mal. 4. 6.
corda patrum in filios, & incredulos ad Mat. 11, 14
prudentiam iustorum, parare Domino
plebem perfectam.

18. Et dixit Zacharias ad Angelum:
Vnde hoc sciam? ego enim sum senex,
& vxor mea processit in diebus suis.

19. Et respondens Angelus dixit ei:
Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum:
& missus sum loqui ad te, & hæc tibi
euangelizare.

15. De pueri recèns nati educatione disseritur; & ab ipso partu fascijsque ad sanctitatem puerum inducit. Sicera autem vocatur id omne quod inebriandi quidem vim obtinet, sed non est vinum de vite. Metaphrastes

ANNOTATIONES.

Vers. 15. Matth. 11. *Ioannes Dei iudicio omnibus maior.*

Erit magnvs coram Domino.] *Quippe quo ipsius Christi testimonio inter natos mulierum nullus surrexit maior.* Quantumcumque enim (*inquit* Damianvs *Serm 2. in Nat. S. Ioan.*) Apostolici senatus excellat auctoritas, quantumcumque vel Patriarcharum fides in diuinâ agnitione proficiat, vel Prophetarum oracula, & reseranda arcana mysteria conualescant, quantumlibet certè cumu-

cumuletur triumphantium gloria martyrũ, quantumuis efflorea vernans pudicitia, vel in verbis vitæ se exerceat lingua Doctorum, citra metam Ioannis omnia cohibentur, nihilque virtutis humanæ, nihil religionis, nihil perfectionis vlirà progreditur. Cuius incomparabilis vitæ seriem non Historiographus quispiá post eius obitum texuit, sed Archangelus ille præcipuus, antequam conceptus esset in vtero, sicut Domini, sic & huius opera miranda narrauit. Huius sanè præconium non affectione veridici cuiuslibet hominis, sed ex ore ipsius summæ didicimus Veritatis. Et ille est assertor & laudator Ioannis, qui à cunctis cælestibus ac terrenis laudatur & benedicitur creaturis. Ab illo denique Verbo, Ioannis sunt deprompta præconia, per quod fundata est arida, mouentur sidera, condita sunt elementa. Enimuerò, quantæ magnificentię est ab illo mereri gloriam laudis, apud quem summa felicitas est impetrare veniam pietatis? & ab illo præferri hominibus, à quo gloriosum est vtrumque probari?

Gratia Dei requirit nostram cooperationẽ. IBIDEM. VINVM ET SICERAM NON BIBET.] EVSEBIVS GALLICANVS *Serm. 2. de S. Ioanne Baptistâ*, Abstinentiæ, *inquit*, ac virtutum, & iter arduum militiæ spiritalis, humano generi insinuare curauit. Sciuit quòd non sufficeret eligentis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria. Sanctificatus est, & nondum tamen de solâ Dei electione securus, sed nihilominùs agonibus ieiuniorum, & laboribus abstinentiæ atque iustitiæ, diuina in se vota seruare contendit.

Differentia sanctificationis Ieremiæ & S. Ioannis. IBID. ET SPIRITV SANCTO REPLEBITVR ADHVC EX VTERO.] *Pulchre hic iterùm* DAMIANVS *Serm. 1. in Natiuit. S. Ioannis*, Quicumque, *inquit*, de massâ præuaricatrice mundum ingredimur, longam restem originalis peccati trahimus nobiscum. Solus ille qui peccatum non fecit, excipitur: quem virginalis thalamus, ignorante viro, terris effudit. Longè quippe aliter & dissimili modo conceptus est, Spiritu sancto totâ maiestate virginem inundante atque mundante, superans vsum carnis, naturæ ordinem, viri commixtionem. Sic quippe decebat, vt peccatum nesciret, qui peccata tollebat; vt similitudinem carnis peccati susciperet, non autem carnem peccati. Cùm igitur omnes in iniquitatibus *Psal. 50.* concepti sint, neminem vmquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, pręter Iere- *Ierem. 1.* miam & Ioannem Baptistam; (quamquam & de singulari Virgine nulla sit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere mundata sit, vtpote sacrarium illud, in quo Deus Dei Filius carnem fuerat suscepturus) sed longè minor Ieremiæ sanctificatio, quàm Ioannis. Ille quidem in matris vtero sanctificatus, hic Spiritu sancto repletus fuisse cognoscitur. Multò quippe excellẽtius est Spiritu sancto repleri, quá sanctificari: ibi enim sanctificatio emundationem, hic repletio inundationem significat, *&c. Vide si lubet hac fusius deductam ipso Damiano.*

Officium præcursoris quale. VERS. 17. ET IPSE PRÆCEDET ANTE ILLVM.] Præmissus est (*inquit* S. AVGVSTINVS *Serm. 2. in Natali S. Ioannis Baptistæ*) velut vox ante verbum, lucerna ante solem, præco ante iudicem, seruus ante dominum, amicus ante sponsum. Et quia vniuersum mundum peccatorum tenebræ, & nox infidelitatis oppresserant, & solem iustitiæ aspicere non valebant, B. Ioannes quasi lucerna præmittitur, vt cordis oculi, qui lippitudine iniquitatis oppressi fuerant, magnum & verum lumen videre non poterant, ad lumen lucernæ primùm quasi tenuem splendorem videre consuescerent, vt paulatim peccatorum nubilo remoto, & infidelitatis humore digesto, adueniente Christo, ab illo cælesti lumine lætificari possent, potiùs quàm retorqueri. Sicut enim lippientes oculos ad videndum prouocas, si exiguum splendorem lucernæ ostenderis; & ampliùs crucias, si lumen magnum ingesseris: ita Dominus & Saluator noster, qui est lumen verum, nisi priùs B. Ioannem velut lucernam præmitteret, claritatem eius totus mundus sustinere non posset.

IBID. IN SPIRITV ET VIRTVTE ELIÆ.] S. AMBROSIVS *ad hunc locum*, Numquam enim (*inquit*) sine virtute spiritus, vel sine spiritu virtus: & ideò in spiritu & virtute, quia S. Elias & virtutem habuit magnam & gratiá. Virtutem, vt ad fidem animos populorum à perfidiâ retorqueret; virtutem abstinentiæ atque patientiæ, & spiritum prophetandi. In deserto Elias, in deserto Ioãnes. Ille Achab Regis gratiam non quæsiuit, hic spreuit Herodis. Ille Iordanem diuisit, hic ad lauacrum salutare conuertit. Ille prioris, hic sequentis Dominici præcursor aduentus. *S. Ioannes habuit spiritum Eliæ.*

IBIDEM. VT CONVERTAT CORDA PATRVM IN FILIOS.] BEDA *in hunc locum*, Corda, *inquit*, patrum in filios conuertere, est spiritalem Sanctorum antiquorum scientiam populis prædicando infundere. Prudentia verò iustorum est, non de legis operibus iustitiam præsumere, sed ea fide salutem quærere: vt quamuis in lege positi, legis iussa perficiant, gratiâ se tamen Dei per Christum saluandos intelligant. *Iustus enim ex fide viuit. Ad Rom. 1.*

VERS. 20. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, quo hæc fiant, pro eo quòd non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo.

21. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur quòd tardaret ipse in templo.

22. Egressus autem non poterat loqui ad illos, & cognouerunt quòd visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permansit mutus.

23. Et factum est, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam.

14. SECVNDVM theoriam silentium Prophetarum in antiquâ lege est Dei. Non enim ampliùs Deus illis loquitur, sed Verbum quod erat in principio, ad nos descendit, & apud nos non silet, apud illos verò tacuit. Idcircò tacet Propheta Zacharias. Quòd autem annueret, manens mutus, significat, opera sine sermone nihil à nutibus differre. quæ verò opera cum sermone coniunguntur, non sunt nutus, nam à sermone exornantur. Cùm itaque videris Iudæorum institutionem sermone destitutam, sic vt ipsimet *ORIGEN. Hom. 5. in Lucam. Silentium Dei in lege. Zacharias mutus legis antiquæ typus.*

fimet nequeant eorum quæ agunt reddere rationem. Confidera typum illorum in Zachariâ: eijcientes enim à fese Verbum, nec valentes de aliquo Legalis aut Prophetici fermonis rationem reddere, muti, & fermone destituti manent.

*Isidorvs l.1.ep.131. Silentium Zacharia quid significauit. *significabatur.*

15. Per figuram filentij Zachariæ, legis filentium * adimpletum est. Quòd autem à filentio ac fterili fenectute vox procreata fit, per hoc existimo fignificari, quòd ex antiquatâ, ac fenefcente, & propter eorum qui eam acceperant contumaciam, iam-fterili effectâ Lege, vaticinia de Christo prodeant.

Ibid. epist. 157.

Luci exorienti crepufculum cedit: exurgente fole, aftrorum chori obfufcantur; cùm ferena dies illucefcit, auroræ vmbræ diffipantur. Cùm Euangelij fapientia effulfit, legis puerilis inftitutio ceffauit. Ita obmutefcit Zacharias nouæ ac mirabilis falutationis audiens Euangelia.

VERS. 24. Poft hos autem dies concepit Elifabeth vxor eius, & occultabat fe menfibus quinque, dicens:

25. Quia fic fecit mihi Dominus in diebus, quibus refpexit auferre opprobrium meum inter homines.

26. In menfe autem fexto, miffus eft Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth,

27. ad Virginem defponfatam viro, cui nomen erat Iofeph, de domo Dauid, & nomen virginis Maria.

Chrysost. in Gen. c.45. Sterilitas quid præfigurarit.

16. STERILIS enim eft figura partus virginalis. Vetulæ duo fiquidem impedimenta erant, intempeftiua ætas, & ineptitudo naturæ. In virgine verò vnicum erat obftaculum, quòd expers effet nuptiarum. Natiuitas autem ex virgine, figura fuit, Deum etiam folum potuiffe generare. Si enim Pater potior eft, & fine illo Christus hic nafcitur, multò magis ex potiori generatur.

Maximvs Christi incarnatio quomodo Angelos latuerit.

17. Sed hic nonnulli ambigunt, quomodo dicatur Chrifti incarnatio Virtutes cæleftes latuiffe, cùm reperiamus, prophetias quæ de Domino funt, per Angelos factas, & conceptionem Virginis à Gabriele annuntiatam effe, & ab Angelis facra paftoribus mysteria declarari. Quid eft igitur quod Angelos latuit? Non enim eft dubitandum, quin Angeli fciuerint Dominum pro falute hominum effe incarnandum: fed incomprehenfibilem Domini conceptionem, eiúfque modum ignorabant: quomodo totus in Patre, ac totus exiftens in omnibus, atque adimplens vniuerfa in virginis vtero exiftebat. Hoc itaque fic foluendum.

ANNOTATIONES.

Vers. 24 Bona nostra cur occultanda sint & scienda.

OCCVLTABAT SE MENSIBVS QVINQVE.] S. GREGORIVS *cap. 4. lib 4. in librum 1. Reg.* Ipfa, *inquit*, bona noftra & ignorare fapienter, & fcire aliquando vtiliter debemus. Ignoranda quidem funt, ne infirmis nobis elationem præbeant; fed à perfectioribus fcienda funt, vt per deuotionem crefcant. Vnde & benè in Euangelio de Elifabeth prægnante dicitur: *Et occultabat fe menfibus quinque.* Qui enim fpirituales ac fortes effe nequeunt, adhuc per quinarium numerum defignantur. Quæ autem nouiter concepit, quinque fe menfibus celat, quia per fenfus corporis bona agit: fed quia fpiritualis, ac fortis in hoc bono opere nondum eft, ea quæ agit, fapienter abfcondit.

Sterilitas quibus opprobrio sit.

VERS. 25. RESPEXIT AVFERRE OPPROBRIVM. &c.] Honor cõiugij (*inquit* CHRYSOLOGVS *Serm. 42.*) matrimonij dignitas, eft procreatio dulciũ liberorum: fatis enim graue eft, & fatis trifte, & virginitatis carere præmio, & filiorum folatia non habere; fuftinere onera matrimonij, & ad fructum matrimonij non venire. Hinc eft quòd gaudet à fe ablatũ fterilitatis *opprobrium inter homines*; quia hoc apud homines miferum computatur: apud Deum verò reatus nullus eft, vbi parentis culpa nulla eft, fed iudicium denegantis. Certè fi hoc affert aliqua corporis infirmitas, neceffitas in causâ eft, non voluntas.

Ad Virgine cur Angelus mittitur.

VERS. 26. MISSVS EST ANGELVS.] SOPHRONIVS *Serm. de Affumpt. B. Mariæ apud Hieronymum in Epift. ad Paulam & Euftochium*: Et benè, *inquit*, Angelus ad virginem Mariam mittitur: quia femper eft Angelis cognata virginitas. Profectò in carne præter carnem viuere, non terrena vita eft, fed cæleftis. Vnde in carne Angelicam vitam acquirere, maius eft meritũ, quàm habere. Effe enim Angelum, felicitatis eft; effe verò virginem, virtutis: dum hoc obtinere viribus virgo nititur cum gratiâ, quod habet Angelus ex naturâ. Vtrumque tamen, & effe virginem, & Angelum, diuini muneris eft officium, non humani.

Christus cur in Nazareth conceptus.

IBIDEM, *verf.* 26. CVI NOMEN NAZARETH.] *Quod interpretatur* Florida. *Vnde* S. BERNARDVS *fuper Miffus*, In Nazareth, *inquit*, annuntiatur Chriftus nafciturus, quia in flore fperatur fructus proceffurus. Nomen igitur ciuitatis, in quâ concipitur, exprimit ftatũ temporis, & finem operis, ad quem venit. Cùm enim Chriftus in Nazareth concipitur, iam hiems tranfiit, tempus innouationis aduenit, fructus appropinquauit; omnibus fe exhibuit, medicinam confecit, fenfum refecit, coronans peccatoribus veniã.

Christus flos campi.

ALBERTVS *verò* MAGNVS *aliud facramentum in flore latens aperuit, dicens fuper idem Euang. cap. 33.* Benè in Nazareth conceptus fuit, quia ficut flos de flore fine mixtione, de matre, faluo virginitatis decore, proceffit. *Nam vt pulchrè iterùm* S. BERNARDVS *Serm. 2. Aduentus*, Chriftus Dominus flos eft candidus & rubicundus, electus ex millibus: flos in quem profpicere defiderant Angeli, flos ad cuius odorem reuiuifcunt mortui. Et ficut ipfe teftatur, flos campi eft, & non horti: campus enim fine omni humano floret adminiculo, non feminatus ab aliquo, non defoffus farculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, fic Virginis aluus floruit, fic inuiolata, & integra, ac cafta Mariæ vifcera

vitrera florem protulerunt. O verè cælestit planta, pretiosior cunctis, sanctior vniuersis! O verè lignum vitæ quod solum fuit dignum portare fructum salutit! Virgo regia ipsa est via, per quam Saluator aduenit, procedens ex ipsius vtero, tamquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, studeamus ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit; per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filiũ, ô benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis, vt per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fecunditas gloriosa tua, fecunditatem tribuat meritorum.

D. Virgo cur desponsata.

VERS. 27. AD VIRGINEM DESPONSATAM.] S. AMBROSIVS *in hunc locũ*. Benè, *inquit*, vtrumque posuit Scriptura, vt & desponsata esset, & virgo. Virgo, vt expers virilis consortij videretur. Desponsata, ne temeratæ virginitatis aduteretur infamiâ, cui grauis aluus corruptelę videretur insigne præferre. Maluit autẽ Dominus aliquos de sui ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat enim teneram

Res delicata virginitas,

esse virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris; nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs astruendam. Seruatur itaque sanctæ Mariæ sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione virginitat. Oportet enim Sanctos & ab ijs testimonium habere qui foris sunt: nec decuit sinistrâ virginibus opinione viuentibus velamen excusationis relinqui, quòd infamata mater quoque Domini videretur.

Et infrà: Verè desponsata, sed virgo; quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata, sed nupta. Concepit nos virgo de spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideò fortasse sancta Maria alij nupta, ab alio replera, quia & singulæ Ecclesiæ Spiritu quidem replentur & gratiâ, iunguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis.

Quomodo autem virginitas cum vero matrimonio consistat, optime sic explicat HVGO VICTORINVS *Sermone de Desponsatione B. Mariæ.* De incorruptâ, *inquit*, virginitate Matris Domini hoc fides piè, & pietas fideliter confitetur, quòd eius perfectionem nullo modo imminuit cõiugalis consensus, quemadmodum castitatẽ illius non violauit conceptus, nec integritatem abstulit partus. Ipsa namque eadem virgo perpetua, & cùm desponsaretur viro, non tamen deseruit aut mutauit propositum continentiæ, & cùm fecundaretur, non à viro, concepit sine libidine; & cùm filium ederet, peperit sine dolore. *Ac seipsum explicans magis,* Discutiamus, *inquit*, vt postulas, quid sit coniugium, & ex eius definitione, proposita consideremus; si simul esse potuerunt in Virgine Matre & consensus coniugalis, & propositum virginitatis. Quid enim est coniugium, nisi legitima societas inter virum & feminã, in quâ videlicet societate, ex pari consensu vterque semetipsum dedit alteri? Spontaneus ergo consensus inter virum & feminam legitimè coniunctos, fuit, quo vterque alteri debitorem sui se spondet: iste est qui coniugium facit, & coniugium est ipsa societas tali consensu confœderata, quæ altero viuente alterum ab altero non dissoluit. Est adhuc alius consensus, sed carnalis commercij ab inuicem exigendi, atque reddendi, similem inter virum & mulierem pactionem constituens; comes, non effector coniugij, officium, & non vinculum, qui & ipse tamen cùm pari ab vtroque voto suscipitur, pari etiam necesse est debito teneatur. Porrò huius debiti necessitas illos coniugatos sibi ad inuicem non subiicit, in quibus dum coniugium contraheretur, vel sanciretur, huius operis consensus non præcessit; nec tamẽ hoc officio cessante, veritatem seu virtutem coniugij cessasse credendum est, imò potiùs tantò verius ac sanctius coniugium esse, quod in solo charitatis vinculo, & non in concupiscentiâ carnis, libidinis ardore fundatum est.

Coniugium cum virginitate qui consistat.

VERS. 28. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

29. Quæ cùm audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset illa salutatio.

30. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiã apud Deum:

31. [a] ecce concipies in vtero, & paries filium, & [b] vocabis nomen eius IESVM. *[a] Isa. 7, 14. [b] Inf. 2, 21.*

NYSSENVS Hom. 13. in Cantica. Salutatio B. Virginis qualis.

28. CONTRARIVS primæ ad mulierem voci, nunc ad virginem sermo profertur. Illa propter peccatum ad dolores partus condemnata est: ex hac verò gaudio dolor abigitus. In illa dolores partum præcesserunt; hic vero lætitia partui obstetricatur: & Angelus Virgini gaudium annuntiat, è diuerso, vt illi dolorem; quoniam sexus femineus in doloribus versabatur, & hanc primam acceperat execrationem. (In doloribus, enim inquit, paries filios.) Peregrina salutatio Virgini defertur quæ nullibi in Scripturâ reperitur, huic autem soli asseruatus: AVE GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM. *Gen. 3, 16.*

ANNOTATIONES.

VERS. 28 Plenitudo gratiæ Deiparæ virginis.

AVE GRATIA PLENA.] *Pulchrè* D. LAVRENTIVS IVSTINIANVS *Sermone de Annuntiatione.* Magna profectò fuit Mariæ gratia exuberans atque complera, quæ cælis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præstitit Angelis, sæculoque pacem refudit, fide docuit gentes, vitijsque finem imposuit; humanæ vitæ instituit ordinem, atque spiritualem edidit moribus disciplinam. *Simili sensu* S. BERNARDVS *super Missus:* De plenitudine, *inquit*, eius accipiunt vniuersi: captiuus redemptionem, cæcus illuminationem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, Filius Dei humanæ carnis substantiam, & tota Trinitas gloriam. *Hisce consonant illa* S. BONAVENTVRÆ *de Speculo B. Virg. c. 7. dicentis:* Ipsa quoq; non solùm in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur. Detinet nimirum virtutes, ne fugiant; detinet merita, ne pereant; detinet dæmones, ne noceant; detinet filium, ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit,

fuit, qui sic detinere Dominum auderet, testante Isaiâ c. 64. *Non est qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te.*

Dominus cum Maria.

IBID. DOMINVS TECVM.] ANDREAS IEROSOLYMITANVS *tractatu de Laudibus Mariæ*, Dominus, *inquit*, tecum: qui ante te, hodie vnà tecum est, & ex te paulò pòst nascetur. Nam sicut priùs Spiritus Beseleel impleuit, & ei Dominus adfuit cùm tabernaculi vasa fabricaret, ita priùs Dominus Mariam suam gratiâ impleuit, quàm ex eâ Filij sui corpus fabricaret. *Pulchrè hic iterùm* S. BERNARDVS *super* Missus *ait*: Pater tecum, qui Filium suum fecit tuum; Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum miro modo sibi fecit sacrarium, & tibi seruat genitale signaculum: Spiritus sanctus tecum, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat vterum. *& infra:* Cùm Dominus sit cum omnibus Sanctis, specialiter tamen est cum Mariâ; cum quâ vtique tanta ei consensio fuit, vt illius non solùm voluntatem, sed etiam sibi carnem coniungeret, & de suâ virginisq; substantiâ vnum Christum efficeret, vel potiùs vnus Christus fieret; qui etsi nec totus de Virgine, totus tamen Dei, & totus virginis esset, nec duo tamen filij, sed vnus vtriusque filius.

Deus speciali modo cum D. Virgine.

IBID. BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS.] Vtpote, (*vt pulchre pergit* BERNARDVS) quæ generalê mulierum euasisti maledictionem; vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parias. Concipies quippe sine maculâ; grauida eris, sed non grauata; paries; sed non cum tristitiâ: nesciens virum, gignes filium: illius eris mater, cuius Deus est pater. Sapientia paterni cordis erit fructus veteri virginalis, Deumque paries, & de cælo concipies.

Cur Benedicta D. Virgo.

VERS. 29. QVÆ CVM AVDISSET, TVRBATA EST.] *Græcus textus habet*, Ἡ δὲ ἰδοῦσα, *id est*, Quæ cùm vidisset. *quæ lectio magis fauet Patribus ijs, qui existimant hanc D. Virginis turbationem extitisse ex subitâ & inopinatâ apparitione Angeli in formâ viri. Ita* S. AMBROSIVS, *lib. 2. de Virg. ait:* Gabriel eam, vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria quasi viri specie mota trepidauit, quasi non incognitum audito nomine recognouit: ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo. *& in cap. 1. Lucæ*, Trepidare, *inquit*, virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes viri affatus vereri. Discant ergo mulieres propositum pudoris imitari.

Cur turbata sit Maria.

D. BERNARDVS *super* Missus *Serm. 3.* Solent, *inquit*, virgines semper esse pauidæ, & numquam securæ, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, & nimis arduum esse angelicè viuere inter homines, & in terris more cælestium conuersari: vnde omne nouum, suspectas reddit insidias. Quòd (*autem, inquit*) turbata est, verecundiæ fuit virginalis; quòd non perturbata, fortitudinis; quòd tacuit & cogitauit, prudentiæ.

Virgines pauent affectum viri.

VERS. 30. INVENISTI ENIM GRATIAM APVD DEVM.] ALBERTVS MAGNVS *Serm. 3. de Annuntiatione*, Inuenisti, *inquit*, gratiam, non creasti vt Deus, non rapuisti vt Angelus, non perdidisti vt Adam, non emisti vt Simon Magus, non abscondisti vt infidelis doctor, sed restituisti potiùs: gratiam dico increatam, & cum illâ omnem creatam spiritualem & corporalem. *Eleganter* S. BERNARDVS *Serm. in Natiuitatem* B. MARIÆ *nos docet, quomodo D. Virgo tantam gratiam inuenerit, & quomodo nos per illam eamdem reperire valeamus.* Prudens, *inquit*, virgo, non sapientiam sicut Salomon, non diuitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Sed quomodo putas? nisi vehementiâ desiderij, nisi feruore deuotionis, nisi puritate orationis; sicut scriptum est, *Oratio iusti penetrat cælos.* Et quis iustus, si non Maria iusta, de quâ Sol iustitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique & quod quærebat, inuenit, cui dictum est, *Inuenisti gratiam apud Deum.* Quid? Plena est gratiâ, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed quemadmodum scriptum est, *Qui bibet me, adhuc sitiet*, petit effluentiam ad salutem vniuersitatis. *Spiritus sanctus, ait, superueniet in te*, & pretiosum illud balsamum tantâ tibi copiâ tantaque plenitudine influet, vt copiosissimè effluat circumquaque. Ita est, iam sentimus, iam exhilarantur facies nostræ in oleo, iam clamamus, *Oleum effusum nomen tuum*, memoriale tuum in generatione & generationem. Verùm id quidem non in vanum: etsi oleum effunditur, sed non perit. *Propterea* siquidem & *adolescentulæ*, paruulæ scilicet animæ sponsum diligunt, idque non parùm; & vnguentum descendens de capite, non modò barba, sed & ipsa vestimenti ora suscepit. Intuere, ô homo, consilium Dei, consilium pietatis. Cælesti rore aream rigaturus, totum vellus priùs infudit. Redempturus humanum genus pretium vniuersum contulit in Mariam. Altiùs ergo intueamini, quanto deuotionis affectu eam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Mariâ, vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis ab eâ nouerimus redundare quæ ascendit delicijs affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens Auster ille diuinus, vt vndique fluant & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, vbi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens, & densissimæ tenebræ relinquuntur, & vmbra mortis? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. In omnibus siquidem & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus ad folia fugiebas, Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? exaudietur vtique pro reuerentiâ suâ; Pater enim diligit Filium. An verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus est, & caro tua, tentatus per omnia absque peccato, vt misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso maiestatem vereare diuinam, quòd licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Aduocatum habere vis & ad ipsum? ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Mariâ: non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, exaudietur & ipsa pro reuerentiâ suâ. Exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potèstne filius aut repellere, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri

D. Virgo vt quæsiuerit & inuenerit gratiâ.

Eccli. 24.

Cant. 1.

Ibid.

Omnis gratia nobis per Mariâ communicatur.

In Mariâ nobis data fiducia & certa salus.

Filius potest? Neutrum planè. *Inuenisti*, ait Angelus, *gratiam apud Deum*. Feliciter semper hæc inueniet gratiam, & sola est gratia quâ egemus.

VERS. 32. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius: & [a] regnabit in domo Iacob in æternum,

Dan. 7. 14, 27. Mich. 4, 7.

33. & regni eius non erit finis.

34. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?

SEVERVS ANTIOCHEN. *Domus Iacob gens Christiana.*

19. REGNVM nempe Dauid transferendo, seruisque suis, id est Ecclesiæ Catholicæ Præsidibus, summo Sacerdotio gratificando. Non igitur thronû sensibilem oportet intelligere; nec domû Iacob, genus Iudæorum, sed omnes illos, qui per vocationem Saluatoris nostri ex vniuersis gentibus in Sanctorum adoptionem sunt adsciti.

ANNOTATIONES.

VERS. 34 QVOMODO FIET ISTVD?] S. BONAVENTVRA *ad hunc locum*, Nec omnino, *inquit*, quærit modum sciendi, seu signum quod fidem faciat, vt Zacharias, sed quærit modum faciendi, vt consentiat, iuxta illud Prou. 4. Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos.

IBIDEM. QVONIAM VIRVM NON COGNOSCO?] NYSSENVS *in Natalem Domini*, Audi, *inquit*, pudicam Virginis vocem. Angelus partum nuntiat, at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonstrationi anteponendam iudicat; nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo. Interdixi, inquit, mihi consuetudine viri. Quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco? Hæc Mariæ vox declarat, ea quæ ex historiâ incerti auctoris commemoraui, non esse penitùs absurdá, (scilicet Mariam, vbi annos attigit pubertatis, à templi præfectis tamquam sacrum depositû commissam fuisse Iosepho vt fidissimo virginitatis eius tutelari.) Si enim liberorum causâ ducta fuisset à Iosepho, quomodo parituram Angelo prænuntianti, se rem nouam & alienam audire præ se tulisset, cùm ipsa quoque sese obstrinxisset naturæ lege, vt aliquando mater esset? Verùm, quia carnem Deo consecratam, tamquam sanctum aliquod oblatum manus oportebat intactam integramque præstare, idcircò, Licet, inquit, Angelus sis, licet è cælo venias, licet id quod ostenditur, naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater ero? Ioseph enim sponsum noui, sed virum non cognosco.

VERS. 35. Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

VICTOR. 20. ADVERTE autem, quomodo Angelus Virgini totam explicuerit Trinitatem, Spiritum sanctum dicens, & Virtutem, & Altissimum. Indiuidua enim Trinitas, & in Verbo quidem Spiritus, per Verbum autem & in Deo.

Explicatio Trinitatis in Angeli salutatione exprimitur.

GEOMETRA.

21. SPIRITVS itaque, inquit, SVPERVENIET, qui præpararet filio introitum, & præinhabitet, & præpurget ipsi thalamum, vel potiùs exornet, tametsi præpurum & præornatum. VIRTVS ALTISSIMI OBVMBRABIT. quasi adumbratis quibusdam à Spiritu figuris, per semetipsum colores ipsos iniiciens (paternas scilicet cognitiones:) vel etiam inuisibilem suam formam in te vmbraticè depinget; & ad nostrâ similitudinem in te formabitur: vel etiam ipsum Spiritus sigillum in te exprimetur, paternas omnes operationes seu vmbras, characteresque in seipso circumferens, & tuus & Dei Patris Filius & existens & appellatus.

SEVERVS. *Christus quo sensu sanctus sit.*

22. Obserua autem, Gabrielem vnum Emanuelem agnoscere, oriundum quidem secundùm carnem ex B. Virgine, sanctum verò appellatum, non quòd inhabitatorem Filium Dei habiturus, perque communicationem sanctificandus esset, sed quòd naturâ sanctus, idemque Dei Filius esset, & ex vtroque quid vnum, ex Diuinitate nempe atque humanitate: nec solùm propter vnionem hypostaticam, idem & Dei Filius & filius hominis & esset & diceretur, [sed etiam propter idiomatû communicationem] seu nominum inter se permutationem; cùm sæpè Deus, qui verè est homo, viceque versâ, homo, qui verè Deus est, appelletur, ob summam vnionem & circumincessionem.

ANNOTATIONES.

LOCVS *hic qui Seuero inscribitur, ferè ad verbum reperitur apud Eliam Cretensem ad Orationem quintam S. Gregorij Nazianzeni.* NVM. 22.

VERS. 36. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute suâ: & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis.

GEOMETRA. *Miracula legis antiqua.*

23. MVLTA quidem & magna legis antiquæ miracula. Mare diuisum, & rursus collectum: petra exundans aquarum riuis: flumina discissa atque cohibita: Sol retentus: nubes præcurrens: columna ignis progrediens: fons amarus melle fluens: virga sicca flores germinans: ardens rubus incombustus: irroratus fornax inextinctus: aqua aquis inflammata: tabulæ digito Dei conscriptæ: arena volucribus irrigata: manna delapsum: steriles parientes: vetulæ germinantes, præter rationem quidem, non tamen sine fructu. Sed quid hæc, ô Virgo, ad

hoc,

hoc, quòd leges in te soluantur rationis atque naturæ, sed non temporis ac mutilationis, concipiendo simul & pariendo, non florem tantū fructúmve, vt virga; nec fluxum quidpiam atque inanimarum, vt petra laticem; sed Deum simul & hominem: sic vt non solùm fueris incombusta, sed diuina insuper effecta, non in materiali, vt pueri, sed Dei flammâ; neque ad momentum, & exterius flammam detinens, vt rubus, sed interius, & quidem tanto tempore: neque tantùm dans transitum, vt Israëlitico quondam populo mare rubrum, sed & carnem ex te genito tribuens: nec simpliciter conscripta, quemadmodū tabulæ Dei digito, sed quòd ipsummet Verbum substantiam eamdem tecum acceperit, & assumptam sustinuerit; idque non tantum concipiendo virgo, & post conceptionem permanendo, verùm etiam in partu virginitatem conseruando? Quomodo non duplex nobis in te mysterij huius miraculum elucet? Verbum enim expers crassitiei, in virginale claustrum ineffabiliter ingredi, carnemque suscipere, mirandum quidem & incomprehensibile; non adeò tamen, quàm cum totâ crassitie atque augmento egressum, portam obseratam relinquere, ac si priùs illam non pertransisset. At quid ad me miraculi huius pelagus inuestigare? Tam enim ipsis etiam antiquis illud mirum videbatur, vt insuper & Prophetas percelleret, & symbolis quibusdam atque vmbris depingerent, si fortè veluti coloribus quibusdam obscurioribus, rei tantæ magnitudinem possent adumbrare. Illa namque omnia te præfigurarunt, atque omnes omnibus hisce nominibus te compellant. Mare diuulsum, atque iterùm confluens. Portam peruiam simul ac clausam. Fornacem irroratum simul & accensum. Rubum ardentem, sed non combustum. Nubem in die, simul & tecti itineris nuntiam. Columnam ignis, non diuinum tantùm, vti arbitror, ignem circumferentem, verùm etiam diuinum nouumque populum, contra spiritalem Pharaonem munientem. Petram melle, id est Verbo fluentem. Virgam flores, id est suauem odorem ac gloriam gentis proferentem. Terram semper sui similem, quæ & plena sit reperta diuinis alimentis, & manna panem incultum proferat, & arationis & sationis expers existat. Arcam numquam quiescentem. Hortum refugij, facem inextinctam. Templum inaccessum, montem insecabilem, densum virtutibus & vmbrosum. Tabulam à Deo conscriptam. Vrnam Deum continentem. Mensam in quâ est panis vitæ. Thalamum in quo potentissimus quieuit. Scalam per quam descendit quidem Deus, sed ascendit homo; quæ à terrâ quidem incipit, sed ad cælum pertingit. Tanta de te, ô Virgo, imò plura adhuc miracula, vel potius figuræ miraculorum.

Miraculum partus virginis.

Figura partus virginis.

24. Sed quæret hic nonnemo: quomodo ad Dauidem Christus referatur, qui erat ex tribu Iudâ; cùm Maria esset ex sanguine Aaron, & ex Leuiticâ tribu, quemadmodum testatur Angelus, qui matri Domini Præcursoris natiuitatem denuntians, ambotum matres ad Aaronem reduxit. Nam Elisabeth Deiparæ cognatam nominauit: tribus autem Regia & sacerdotalis sibi mutuò non commiscebantur. Si igitur Deipara ex tribu Leui, quomodo Christus ex Iudâ dicitur? Ad hoc dicemus, non esse verum, quòd tribus semper fuerint impermixtæ. Nam licet passim quidem erant impermixtæ, sæpenumerò tamen etiam miscebantur. Supernè autem illud dispensatum fuit, vt genus Regium tribus Iudæ, ac sacerdotalis Leui, coniungerentur, vt Christus Rex & Sacerdos summus, ex vtrisque secundùm carnem deduceretur. Scriptum siquidem in Exodo, priusquam ferretur lex quæ prohibet ex alienâ tribu accipere vxorem (singuli enim, inquit, in hereditate tribus patris sui coniungentur filij Israel) quòd Aaron, qui primus secundùm legem summo functus est sacerdotio, accepit ex tribu Iudâ Elisabeth filiam Aminadab, sororem Naasson (qui erat sextus à Iuda) sibi vxorem. Aduerte autem sapientissimam Spiritus dispensationem, qui sic disposuit, vt hæc Zachariæ vxor Elisabeth quoque vocaretur, reducens nos ad illam Elisabeth quam Aaron duxerat, per quam etiam duarum tribuum facta coniunctio, vel nomine ipso manifestè clamante, quòd ex illâ ipsi Elisabeth D. Virginis sit orta cognatio. Secundò autem dicendum, quòd Babylonica captiuitas confuderit gentem Iudæorum, legesque excusserit, sic vt nulla postmodum tribuum generúmve sit facta discretio. Et sic Dominus etiam per matrem ad Regium genus deducitur, ad tribum nempe Iuda, ex quâ Dauid.

NAZIANZENVS & SEVERVS.

De genealogiâ Christi ex Dauid.

De tribuū commixtione.

Exo. 6, 23.

ANNOTATIONES.

DISPVTATVR *quomodo Elisabeth D. Virginis cognata sit, quâ de re* S. AVGVSTINVS *Sermone* 25. *ad Fratres in Eremo*, Elisabeth, *inquit*, filia fuit S. Ismaræ, quæ quidem Ismara soror fuit carnalis S. Annæ matris Dominæ nostræ. *De tribuum autem permixtione, de quâ etiam hic differitur, vide eumdem S. Augustinum cap. 47. libri Quæstionum in libros Iudicum, & qu. 61. libri octoginta trium quæstionum, & Nicephorum lib. 2. Historiarum c. 3.* NVM. 24.

VERS. 37. Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

38. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Et discessit ab illâ Angelus.

THEODORETVS Dialogo 3. Contra hæreses. *Deus nihil vult quod fit impossibile.* 25. DOMINVS enim Deus nihil vult eorum quæ fieri nequeunt, potest autem quæcumque vult. Vult verò, quæ propriæ naturę sunt conuenientia atque decentia. Reuerà, inquit, & nos didicimus, omnia Deo esse possibilia. Indefinitè enuntians, ea quoque complectens sermone, quæ partis sunt diaboli. Qui enim absolutè dixit, Omnia, & quæ bona sunt, & quæ his contraria, simul dixit. Quid ergo generosus ille Iob? Iob 10. Non dixit absolutè, Scio quòd omnia potes, & nihil tibi euadit impossibile. Si autem legeris quæ à iusto anteà dicta sunt, horum quoque scopum ex illis inuenies. Memor esto (inquit) quòd lutum finxisti me, & in terram me iterùm conuertes. Nónne tamquam lac mulsisti me, & coagulasti me æquè ac caseum? Pelle autem & carne vestisti me, ossibusque & neruis conseruisti me: vitam autem & misericordiam posuisti apud me: & visitatio tua custodiuit spiritum meum. His subiungit: Hæc cùm habeas in teipso, scio quòd omnia potes, & nihil tibi euadit impossibile. Quæcumque igitur his conueniunt, & incorruptam decent naturâ, posse dicit vniuersorû Deum. Si autem existimaret, nihil non posse omnipotentem Deum, iuxta hanc definitionem dices eum etiam posse peccare. Sin verò neges, quâ ratione? omnino quia non vult, vel quòd peccatum à naturâ eius alienum est; & sic multa non potest, quæ sunt diuinæ naturæ contraria. Verbi gratia: lucem intelligentem ac veram Deum esse didicimus; non ergo dixerimus ipsum tenebras aut posse aut velle esse. Rursus, sacra Scriptura dicit, naturam eius esse inuisibilem: sed visibilem eam reddi posse numquam dixerimus; quin ne comprehensibilem, incomprehensibilis enim est. Ergo nec qui est, fieri potest vt non sit, sed nec vt Pater sit Filius, aut Filius Pater. *Impotentia impossibilium potentia summa signum est.* Multa verò & alia huiuscemodi, similiter sunt impossibilia. Non enim quod æternum est, subiacet tempori; neque quod est increatum, creatur; nec finitur, quod infinitum est: sic vt multa talia reperiantur impossibilia esse omnipotenti Deo. Verùm horum quidpiam non posse, infinitæ potentiæ signum est, non imbecillitatis indiciû; posse verò, vtique impotentię, non potentiæ. Quomodo hoc dico? quoniam vnumquodque eorum Dei firmitatē immutabilitatemque deprædicat. Bonum enim malum fieri non posse, supereminentiam denotat bonitatis; & iustum numquam posse fieri iniustum, nec veracem, mendacem, hoc in veritate atque iustitiâ stabilitatem soliditatemque demonstrat. Similiter lux vera non potest tenebrescere, nec is qui est, non esse: sufficiens enim habet esse, atque immutabilis existit lux. Sic & alia cuncta perlustrans, illud Non posse, comperies summam potentiam significare. Ita quoque in Deo talia non posse, diuinus Apostolus & intellexit, & posuit, nonnumquam quidem dicens, Impossibile est mentiri Deum; non infirmum illud impossibile, sed valdè potens ostendens. alibi verò scribens: Negare seipsum non potest. Heb. 6, 18. Rursus ergo, illud, Non potest, infinitæ est demonstratiuum potentiæ. Tametsi enim, inquit, omnes homines ipsum negarent, ipse Deus est, & à propriâ non excidit naturâ. 2. Tim. 2, 13. Nam incorruptibile habet esse, vti significat illud, Negare seipsum non potest. Redundantiam igitur indicat potentiæ, illa in deterius commutationis impotentia. Hoc modo multa Deo sunt impossibilia, & quidem tot tantaque, quanta sunt diuinę naturæ contraria. Illud ergo, Non est impossibile apud Deum omne verbum, intelligendum est de ijs quæ naturæ diuinæ congruunt; horum enim nihil impossibile est Deo.

ISIDORVS L. 1. ep. 141. *Quomodo Deus in Christi incarnatione partes viri suppleuerit.* 26. Si autem discrepet Iudæus de diuinâ incarnatione, dicatque, quòd impossibile sit naturæ humanæ, sine concubitu femineque parere; [nos] audiat. Nihil mirum est, ô Iudæe, si etiam hoc ignores cum omnibus legis mysterijs atque dogmatibus. Scriptum est enim, quòd immisit Deus ecstasim in Adam, & obdormiuit. Et accepit vnam costarum eius, & * repleuit carnem pro eâ. Et ædificauit Deus costam quam accepit de Adam, in mulierem, creato primùm Adamo ex puluere. Ecce igitur de terrâ vir, & ex viro femina, & vtrùque sine concubitu. Gen. 2, 24. * infarsit. Quoniam igitur mulier debebat debitum viro, ex ipsius latere sine semine subsistens, hoc persoluit mater Domini, eum absque semine exhibens incarnatum. Non est itaque naturæ impossibile; sed quod olim in primis parentibus contigerat, illud in Dominicâ quoque dispensatione perfectum est, tametsi alioquin admiranda huic partui debebantur.

AMBROS. *Christus diuinam formam sufstitiem assumpsit humanam.* 27. Post angelicam autem hanc salutationem, Verbum ex sanctâ Virgine incarnatum fuit, ac perfectum hominem ex animâ rationali corporeque suscepit, ac duarum perfectarum naturarum vnio ineffabiliter effecta est. Quamobrem vnum Christum vnumque Filium confitemur, scientes quòd coæternus existens Patri secundùm Diuinitatem (iuxta quam est etiam creator omnium) dignatus sit post sanctæ Virginis assensum

sensum, sibi ex eâ templum inenarrabili ratione ædificare, illudque sibi ab ipsâ conceptione vnire, non coæternum ex suâ substantiâ cælitus corpus afferens, sed id ex nostræ substantiæ massa, hoc est de Virgine sumēs, sibique vniens. Non Deus Verbum in carnem conuersum, nec phantasma apparens; sed inconuertibiliter immutabiliterque suam conseruans substantiam, assumptas naturæ nostræ primitias sibi vniuit. Nec Deus Verbum ex Virgine principium sumens, sed Patri suo coæternum existens, naturæ nostræ primitias per multam bonitatem sibi vnire dignatum est; non confusum, sed in vtrisque substantiis quid vnum atque idem apparens. Numquam post vnionem, quam sibi ex ipsâ conceptione coniungere dignatus est, vel à proprio templo recedens, vel propter ineffabilem benignitatem recedere valens. Eos autem qui dicunt Christum exilem hominem, vel patibilem Deum, Verbum vel in carnem conuersum, vel habuisse corpus consubstantiatum, vel illud è cælis detulisse, vel phantasma esse; vel qui dicunt mortalem Deum Verbum, aut opus habuisse vt à Patre suscitaretur, vel inanimatum corpus sumpsisse, aut sine mente hominem, vel duas Christi naturas, per commixtionem confusas, vnam naturam factas esse, & non confitentur duas esse naturas inconfusas, vnam autem personam, secundùm quam vnus Christus, vnus Filius, eos anathematizat Catholica Ecclesia.

CHRYSOSTOMVS in Ioan. Filius æqualis Patri.

28. Sed nonnulli argumentum ineffabilis benignitatis, in subsidium accipiunt impietatis, dicentes, idcircò incarnatum esse Filium, quòd deterioris esset cōditionis Patre. Ab his quæremus: Quid ergo dicitis de Spiritu? non enim assumpsit carnem, nec vtique proptereà dixeritis ipsum esse Filio maiorem, nec Filium eo minorem.

GEOMETRA. Cur Filius sit incarnatus, non autem Pater, aut Spiritus sanctus.

29. Nobis autem non est difficile, etiam huius caussam edicere. Nam nemo alius incarnatur ex Trinitate, quàm Filius, vt & rursus Filius maneat, non translatâ proprietate, vel etiam iterùm creator, quemadmodum creans primum, sic & innouans secundum; quin etiam vt filij simus, per naturâ Filium adoptione adsciti, & per heredem ad cohereditatem vocati. Omnis itaque ac perfecta Deitas vnitur carni substantialiter, solus autem Filius hypostaticè; cùm integrè sit in tribus Deitas: & sic integra quidem Diuina natura integram humanam naturam peruadens, Deum hominem perfecit. Non vtique sicut integræ naturæ naturam integram, sic & hypostases integras integris hypostasibus humanis vnitas dicere compellemur. Absit. Sed totam quidem toti humanitati quoad naturam attinet, solū autem Filium soli carni Filij quoad hypostases vnitum cōfitebimur. Neque verò rursus, sicut Filius solus hypostaticè, sic & effectiuè; sed beneplacito quidem Patris, cooperatione verò Spiritus assumptionem absoluit, sicque iterùm Trias vnita cognoscitur, atque vnus Deus, priusquam diuidatur, coniungitur. Sed & illud scitu necessariū est, quod huius dispensationis est quasi summa. Quoniam Dei Verbum quod primùm nec caro nec homo, posteà caro & homo: vt sic præexsistētes naturas, & vtrumque confitentes, ad duplicem descendamus substantiam, ex duplici ac propriâ præexistente vtriusque naturâ. Simul siquidem Verbo caro, & carni Verbum, quin etiam simul Deus homini (tametsi præextiterit vt Verbū & Deus) coëxsistunt, & id quod antè erat, ei quod iam est, nempe diuinitas humanitati. Circum enim illud quod est, existit quod factum est. Mouet enim Verbum naturam, sed mouet creatiuè, non autem seminaliter, vt quidam maiorum dixit. Coniungitur autem Verbo natura tota toti, sensibilis & rationalis, patibilis atque intelligibilis; & ita prodijt hypostasis; composita quidem, sed non duplex; & natura duplex quidem, at non composita. impermixta enim vtraque est. Etenim quid est Christus, si nec merè homo sit, nec merè Deus, sed quidpiam ex vtroque concretum, atque extra vtrumque. Quid autem omninò velit & operetur, non humanè, non diuinè, sed alio quopiam modo composito volens & operans? Verùm hæc fortassis alterius orationis sunt ac temporis.

De vnione hypostaticâ

ANNOTATIONES.

LOCVS *hic in antiquo meo codice MS. inscribitur* Ἀφερ. *Ioannes autem Liuinaus, non minùs sanè doctus quàm in scribendo accuratus atque elegans, in suo exemplari, quod manu suâ propriâ, vti solet, elegantissimè exarauit, transcripsit* Ἀμβροσίου: *cuius nomine etiam citatur à Theodoreto in Dialogo secundo contra hæreses, cum hac inscriptione.* Τοῦ ἁγίου Ἀμβροσίου Ἐπισκόπου Μεδιολάνου ἐν Ἐκθέσει πίστεως. *id est*, S. Ambrosij Episcopi Mediolanēsis in Expositione fidei. *Nota tamen, hæc longè fusiùs in Latino Ambrosio referri, vt videre est Tom. 4. Operum ipsius, in Expositione Symboli.* NVM. 17.

VERS. 38. ECCE ANCILLA DOMINI.] S. BERNARDVS *Serm 4. super Missus*: Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloriâ nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Non mediocris reuerâ humilitatis insigne, nec, oblatâ tantâ gloriâ, obliuisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.

Humilitas honorata, virtus rara.

IBID. FIAT MIHI SECVNDVM VERBVM TVVM.] *Hinc Patres passim docent, non ante, sed post hæc verba*

ba factam fuisse conceptionem Christi: vnde hactenus Angelus de eâ vt futurâ locutus est; & decebat illam fieri post consensum Virginis Matris, non antè. Hic enim B. Virgo facta est quasi coniux Dei, & caro nostra facta est quasi coniux Verbi Conceptionem autem statim post consensum virginis factam esse, patet ex eo quod Angelus statim habito consensu discessit quasi peractâ legatione, cuius potissima pars & finis erat incarnatio Verbi. Hoc enim opus erat Spiritus sancti maximum & perfectissimum. Vnde sequitur, non sensim, sed in instanti simul perfectum, organizatum, animatum, & à Verbo assumptum esse corpus Christi: quod patet ex eo, quòd paulò post Elisabeth vocat Mariam matrem Domini, id est Christi Dei.

NVM. 29. AD DVPLICEM DESCENDAMVS SVBSTANTIAM.] *Vbi nota, Græcè ὑπόστασιν non pro subsistentiâ seu personalitate, sed pro substantiâ siue naturâ sumi. Nam in Christo, vt docet Symbolum S. Athanasij, vnica tantum hypostasis siue personalitas reperitur, quâ vtraque subsistit natura: quæ licet virtualiter duplex dici possit, eò quòd præstet quod duæ diuersæ facerent; absolutè tamen simplex & est, & vocari debet, vti docent Theologi cum D. Thomâ in tertiâ Parte.*

IBID. EX DVPLICI AC PROPRIA PRÆEXISTENTE VTRIQVE NATVRA.] *Vbi nota Græcè προϋπαρχούσης siue praexistente, etiã impropriè sumi. Nam humana Christi natura ante vnionem cum Verbo propriè non extitit, sed vt summum prioritate naturæ, vt Theologi loquuntur, quæ non est verè prioritas existentiæ, siue præexistentia, sed tantùm prioritas dependentiæ, quatenus videlicet compositum præsupponit suas partes, à quibus in sui compositione ac productione dependet, licet simul tempore existant.*

VERS. 39. Exurgens autem Maria in diebus illis abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem Iuda:

40. Et intrauit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth.

41. Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius: & repleta est Spiritu sancto Elisabeth:

42. & exclamauit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

43. Et vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?

44. Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.

45. & beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.

GEOMETRA. *Mater Dei erat exemplar modestiæ.*

30. OPORTEBAT enim non Dominum solùm, sed & eius matrem modestiâ sua in omnibus præmia referre, atque hoc ipso primarium obtinere, quòd secundarium vbique quæreret, quin & omnibus, vti & ipse, exemplo esset modestiæ ac submissionis.

ANNOTATIONES.

EXVRGENS AVTEM MARIA ABIIT IN MONTANA, &c.] S. AMBROSIVS *in hunc locum, titulo De abitu Mariæ in montana, sic ait:* Angelus cùm abscondita nontiaret, vt fides astrueretur, exemplo feminæ sterilis, conceptum virginis nuntiauit. Vbi hoc audiuit Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina præ gaudio, in montana perrexit. Quò enim iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet? *Et infra ibidem:* Nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Discite virgines, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Discite vos sanctæ mulieres sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam autem, quæ antè sola in intimis penetralibus versabatur, non à publico virginitatis pudor, non à studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardauit. Discite etiam virgines humilitatem Mariæ: venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solùm venit, sed & prior salutauit. Decet enim, vt quantò castior virgo, tantò humilior sit, noueritque deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in quâ est professio castitatis. Est etiam causa pietatis, quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur; Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioannem. Iesus enim *(inquit Origenes in hunc locum)* qui in vtero illius erat, festinabat adhuc in ventre matris Ioannem positum sanctificare.

Vers. 39. S. Maria currit ad Elisabeth.

Spiritus sanctus promptos vult.

Officia mulierum & virginum.

BEDA *in hunc locum*, Typicum, *inquit*, exemplum Virgo tribuit, quòd omnis anima quæ verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris, &c. *Docet autem hîc exemplo suo D. Virgo cum festinatione virtutis iter peragere, & feruido celerique animo misericordiæ ac charitatis opera perficere. Nam vt ait S.* AMBROSIVS *in lib. de Abraham cap. 5.* Vberiores fructus habet celerata deuotio. *Quæso expende, quàm feruido animo Abrahamus hospites exceperit, Gen. 18. v. 2.* Apparuerunt ei tres viri, stantes propè eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorũ, &c. S. CHRYSOSTOMVS *ad illum locum*, Currit, *inquit*, & volat senex. Vidit enim prædam quam venabatur, & nullâ infirmitatis suæ ratione habitâ ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilque rusticitatis neque desidiæ præ se tulit, sed ipse cucurrit: quasi diceret, Magnus thesaurus est, magna negotiatio: per memetipsum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.

Virtutum montes conscendendi.

Bona opera celeriter peragenda.

Egregiè ORIGENES *Hom. 4. in Genesim:* Abraham *(inquit)* currit, vxor festinat, puer accelerat, nullus piger est in domo sapientis, &c.

IBIDEM *ad v. 39.* IN CIVITATEM IVDA.] *S. Ambrosius, Albertus Magnus, & S. Bonauentura accipiunt pro Ierusalem: sed tunc clariùs dixisset S. Lucas, In Ierusalem. Quare puto ciuitatem Iudæ sumendam esse pro vnâ ex ijs ciuitatibus, quæ assignatæ erant sacerdotibus ad habitandum in portione tribus Iuda, quarum prima erat Hebron in montanis Iuda. Non alia*

aliæ etiam eis assignatæ sunt in tribu Simeon & Beniamin, vti patet Iosue 31.

VERS. 41. EXVLTAVIT INFANS IN VTERO.] *Nota hic cum S. Ambrosio, ad vocem Mariæ, quam audiuit Elisabeth, Ioannem priùs exultasse, deinde exultasse Elisabeth. Imò ex illâ exultatione Ioannis Elisabeth agnouisse quòd B Virgo concepisset Christum, & Elisabeth exinde impletam fuisse Spiritu sancto, id est, magis fuisse sanctificatam quæ iam erat sancta, adeoque ex Spiritu sancto prophetasse. Ioannes enim nobilior erat matre, quia futurus erat Præcursor.*

Qualis fuerit exultatio S. Ioannis in vtero. *Quæritur autem hic, An hæc exultatio S. Ioannis fuerit naturalis, an animalis, an rationalis, siue, An Ioãnes exilierit cum sensu rationis, & propriè dictâ lætitiâ, an tantùm motu corporis, quomodo asina Balaam*
Num. 22. *locuta est, & in vtero Rebeccæ collidebantur Iacob & Esau, Gen. 25.*

Respondet Caluinus, tantùm naturalem esse motum: naturale enim esse, vt præ gaudio gestiente matre infans in vtero moueatur, & quasi exiliat. Sed hoc est contra ordinem S. Lucæ, qui dicit, infantem ante matrem exultasse.

Secundò est contra omnes Patres. Vnde S. Augustinus epistolâ 57. ad Dardanum, & Eucherius qu. 3. in Lucam, existimant quidem supernaturalem hunc motum fuisse, sed sine vsu rationis. Alij verò, vt S. Ambrosius, Theophylactus, Euthymius in hunc locum, S. Chrysostomus, S. Bernardus, & alij complures à Toleto citati, docent hunc saltum fuisse cum vsu rationis, & vero gaudio, quia S. Lucas v. 44. ait: Exultauit in gaudio, *id est, præ gaudio.*

Tertiò, quia S. Ioannes hoc suo gaudio repleuit & excitauit matrem ad consimilis vero gaudio gaudendum, eamdemque Spiritu prophetico afflauit.

Quartò, quia sic etiã exultauit Maria v. 47. ergo etiam Ioannes, qui primarius erat finis visitationis huius.

Quintò, quia hoc canit Ecclesia:

Hinc parens, nati meritis vterque
Abdita pandit.

Merita autem sunt actus rationis & libertatis. Imò S. Ambrosius & Theophylactus putant, Ioannem compellatum intellexisse illud patris, Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis. *Acceleratus est ergo Ioanni vsus rationis, vt Christũ agnosceret, diligeret, honoraret, & salutantem Virginem resalutaret. Tunc etiam accepit prophetiæ donum de Christo, cum eoque mentaliter est collocutus. Denique tunc accepit gratiam infusam cum ceteris virtutibus illam comitantibus, quâ sanctificatus fuit à peccato originali. Non tamen hinc necesse est dicere, Ioannem exinde perpetuò mansisse rationis compotẽ, & continuis meritis creuisse, quod D. Virgini concessum non ambigitur, quamquam id etiam doceat S. Ambrosius, & probabili ratione confirmet Toletus hic.*

S. BERNARDVS *in Natiuitate S. Ioannis*, S. Ioannẽ, *inquit*, non prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit Spiritus in vtero matris suæ. Verè ardẽs, & vehementer accensus, quẽ sic præoccupauit flamma cælestis, vt Christi sentiret aduentum, qui necdum sentire poterat vel seipsum. Fuit ergo iam
S. Ioannes Lucerna ardens & lucens. tunc ardens lucerna, sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus qui erant in domo Domini. Illo enim in tempore solùm adhuc potuit illuminare modium suum, soli interim lucere matri magnum ei pietatis sacramentum reuelans motu nouæ exultationis. *Vnde hoc mihi*, inquit, *vt veniat Mater Domini mei ad me?* Quis enim tibi indicauit matrem Domini, mulier sancta? vnde me nosti? *Vt facta est*, inquit, *vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Illuminauit ergo iam tunc modium suum sub quo latebat, paulò pòst mundum nouis illustratura fulgoribus. *Ille erat*, inquit Ioan. 5. *lucerna ardens & lucens.* Non ait *lucens & ardens*, quia Ioanni ex feruore splendor, non feruor prodijt ex splendore. Sunt enim qui non lucent quia feruent, sed magis feruent vt luceant: qui non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Ardens erat Ioannes in seipso, vehementi austeritate conuersationis: erga Christum, intimo quodam & pleno feruore deuotionis: erga peccantes proximos, constantiâ liberæ increpationis. Luxit, seipsum ostendens ad imitationem; & luminare maius quod latebat ad peccatorum remissionem; & ipsas quoque tenebras nostras illuminans corrigendo. Est igitur tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parum; ardere & lucere, perfectum.

VERS. 46. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum:

47. & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.

48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

49. Quia fecit mihi magna qui potens est: & sanctum nomen eius.

50. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

31. O DIGNISSIMVM admiratione partum. Non enim conclusum erat Dei Verbum in corpore: sed & in ipso existens, ipsumque viuificans, etiam in omnibus existebat, & extra vniuersa erat. Vnde neque virgine pariente quidquam passum ipsum, nec in corpore existens coinquinabatur. Non enim quòd in omnibus existat, de cunctis participat; sed vniuersa potiùs ab eo viuificantur ac nutriuntur. Si enim is qui ab ipso factus est, & à nobis conspicitur, sol circumiens in cælo, non sordescat terrenorum corporum attactu, nec à tenebris obscuretur: potiori vtique ratione sanctissimum Dei Verbum, quod solis & creator & Dominus est, in corpore cognitum, non est coinquinatum, quin potiùs, cùm esset incorruptibile, corpus etiam, quod mortale fortitum est, viuificauit atque mundauit. *ATHANASIVS. Virgineus partus immaculatus.*

ANNOTATIONES.

MAGNIFICAT ANIMA MEA DOMINVM.] ORIGENES *Hom. 8. in Lucam*, Cùm grandem, *inquit*, fecero imaginem, id est, animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone; tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, in animâ nostrâ magnificatur: & quomodo crescit Dominus in nostrâ imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur ac decrescit. Tunc *VERS 46. Iusti quomodo magnificent Deum: impij, verò paruum faciant.*

anima nostra (*ait S.* BONAVENTVRA *ad hunc locum*) verè Deum magnificat, quando sub ipso seipsam captiuat, & humiliat, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Quoniam magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur.*

IBID. ET EXVLTAVIT SPIRITVS MEVS IN DEO SALVTARI MEO.] S. AVGVSTINVS *in Psal.* 94 *ait:* Exultatio mala est, exultare sæculo; exultatio bona est, exultare Deo. Piè debes Domino exultare, si vis securus mundo insultare. *Et Serm.* 2. *de Assumpt.* B. MARIÆ: Vnde in sancto Cantico cùm diceret Virgo gloriosa, *Et exultauit spiritus meus*, signanter addidit, *in Deo salutari meo*. ac si diceret: Anima mea, quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio, sed in illo tantùm exultat, quem amando significat. Nouerat enim esse aliam vituperabilem exultationem, quâ mundus gaudere dicitur, tendens ad luctum, & de quibus Salomon ait Prou. 2 *Lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Hinc & Apostolus ad Philipp. 4. non quodlibet gaudium in Sanctorum cordibus esse describit, sed in *Spiritu sancto*. Hinc Dauid cùm Psal. 32. & 70. diceret, *Gaudete iusti*, subiunxit, *in Domino*. Hac enim exultatione nullus eorum gaudet, quisquis de præsentibus tantùm exultat, æternisque bonis interesse non concupiscit, cùm exilium patria esse creditur, & mors vita æstimatur, cui Deus venter est, *&c. & infrà*: Ingemisce ergo ô sancta anima, quæcumque in Domino exultas, & quoties te ab hac exultatione abstractum videris esse, dicito: *Ne proiicias me à facie tuâ, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Et hic attentiùs intuere, quam exultationem petierit. Quod enim Hebraicè Iesus, hoc Latinè salutaris dicitur. Quæ enim hæc lætitia est Iesu? contemplatio eius, qualis venturus est in gloriâ suâ. Christus enim Iesus fleuit, sed numquam eum risisse memoratur. Hinc planè, hinc in spe gaudent omnes electi, cùm cœperint aduersitatibus mundi fatigari, & nullis eius prosperitatibus fallaciter decipi.

Exultatio qua mala, qua bona.

Psal. 50.

VERS. 48. QVIA RESPEXIT HVMILITATEM ANCILLÆ SVÆ.] *Pulchrè in hac verba* S. AVGVSTINVS *Serm.* 2. *de Assumptione B. Mariæ sic exclamat*: O verè beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. Facta est Mariæ humilitas, scala cælestis, per quam descendit Deus ad terras, *&c.* Quid enim est dicere Respexit, nisi Approbauit? Multi enim videntur in conspectu hominum humiles esse, sed eorum humilitas à Domino non respicitur. Si enim veraciter humiles essent, Deum ab hominibus, non se laudari vellent; non in hoc mundo, sed in Deo spiritus illorum exultaret.

Vis humilitatis, & quæ vera.

VERS. 50. TIMENTIBVS EVM.] *Auctor anonymus Græcus in Catenâ D. Thomæ ad hunc locum, sic ait*: Miseretur autem non qualitercumque, sed his quos timor eius compescenit in qualibet natione: qui scilicet pœnitentiâ ducti, & ad fidem & pœnitentiam conuertuntur. Nam qui obstinati sunt incredulitatis vitio, clauserunt sibi ianuam pietatis.

S. BERNARDVS *Serm.* 54. *in Cant.* In veritate, *inquit*, didici nihil æquè efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm si omni tempore coram Deo inueniaris non altum sapere, sed timere. *Beatus homo qui semper est pauidus.* Time ergo cùm arriserit gratia, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur; & hoc est semper pauidum esse. Succedant vicissim sibi in animo isti tres timores, secundùm quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere, seu iterùm placata redire senietur. Cùm adest, time ne non dignè opereris ex eâ. Nam hoc monet Apostolus, cùm ait, 2. ad Cor. 6 *Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Sic ergo timendum manente gratiâ. Quid si recesserit? Multò magis tunc timendum; quia vbi deficit gratia, deficis & tu. Time, quia reliquit te Deus, sine quo nihil potes facere. Iam si gratia repropitiata redierit, multò ampliùs tunc timendum, ne fortè contingat recidiuû pati, iuxta illud Ioan. 5. *Iam sanus factus es, noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Proinde, quia recidere deterius est quàm cadere in ualescente periculo, inualescat & metus. Beatus es, si sic cor tuum triplici isto timore repleueris, vt timeas quidem pro acceptâ gratiâ, ampliùs pro amissâ, longè plus pro recuperata: quia timor Domini fons vitæ, à quâ superbia & omnia vitia excluduntur, quando timor plenus fuerit.

Timor Dei semper necessarius.

Prou. 28.

VERS 51. Fecit potentiam in [a] brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

[a] Isa. 51, 9. Psal. 32, 10.

32. DISPERSIT, inquit, non Ægyptios aut Assyrios, vel hunc vel illum hostem, sed omnem cogitationem superbam (hoc est, non submittentem se, nec obedientem) præsentiâ suâ dissipauit, & infirmas arguit superbas mentes cordium ipsorum, quas ostenderunt in non credendo, & ipsum non timendo. Contriuit superbas non credentium mentes, ne vmbrâ illis relinquens excusationis. A proprio enim corde, (cùm tot tantaque haberent quæ ipsos confunderent) inflati sunt, & noxium animabus suis fructum protulerunt, infidelitatem.

GREGOR. *Deus dispersit superbos.*

33. Magis autem propriè de exitialibus dæmonibus hæc intelligantur. Hos enim sæuientes in terrâ, dissipauit adueniens Dominus, & ab eis captos, obedientiæ suæ restituit. Et simpliciter dicendo, Dispersit prauos & impuros dæmones, vnà cum illorû principe, qui ob superbiam suam cecidit: Gentilium sapientes apparentem prædicationis stultitiam non suscipientes, populumque Iudaicum credere nolentem. Hæc enim omnia consecuta sunt prophetiam.

Deus dispersit dæmones.

VERS. 52. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

53. [b] Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.

[b] Psal. 33, 11. [illegible] 1. Reg 2, 5.

34. MENS nostra thronus est Deitatis; sed iniquæ virtutes post transgressionem in corde Adami tamquam in proprio solio in posterum consederunt. Idcircò venit Dominus, & ex Virgine corpus assumpsit.

S. MACARIVS. *Mens humana thronus diuinitatis.*

ſumpſit. Si enim in nudâ Dei formâ ad nos deſcendere voluiſſet, quis vtique ſuſtinuiſſet? ſed per corporea organa hominibus locutos eſt. Ceterùm prauos ſpiritus, qui in corpore noſtro ſedem fixerant, eiecit è ſedibus mentium atque cogitationum quas dirigebant, & mundauit conſcientiam Dominus, & ſibi ſedem fecit mentem, cogitationeſque ac corpus, & à dæmonibus humiliatos exaltauit.

VERS. 54. Suſcepit Iſraël puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ.

55. Sicut locutus eſt ad patres no-
Iſa. 41, 8. Pſal. 131, 11. Gen. 17, 9. & 22, 16. ſtros, Abraham, & ſemini eius in ſæcula.

56. Manſit autem Maria cum illâ quaſi menſibus tribus: & reuerſa eſt in domum ſuam.

57. Eliſabeth autem impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium.

58. Et audierunt vicini, & cognati eius, quia magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illâ, & congratulabantur ei.

59. Et factum eſt in die octauo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariã.

60. Et reſpondens mater eius, dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes.

61. Et dixerunt ad illam: Quia nemo eſt in cognatione tuâ, qui vocetur hoc nomine.

62. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum.

BASTLIVS. Deus ſuſcepit credẽtes in Chriſtum. 55. Hoc eſt, in ipſum intuentes atque credentes, ac per ipſum Filium adoptatos, iuxta Prophetarum antiquorum Patriarcharumque ſermonem ac promiſſionem. Poſſet hoc etiam ſecundùm carnem Iſraëli congruere. Multa enim ex ipſis millia crediderunt. RECORDATVS eſt autem MISERICORDIÆ SVÆ, quemadmodum addixerat Abrahamo, & adimpleuit quod ipſi promiſerat, Quoniam benedicentur in
Gen. 22, 18. ſemine tuò omnes gentes terræ. Completa eſt autem hæc promiſſio, quòd ex ipſâ naſciturus erat communis Saluator Chriſtus, qui eſt ſemen Abraham, in quo omnes gentes benedicuntur.

ANNOTATIONES.

Vers. 56 MANSIT AVTEM MARIA CVM ILLA QVASI MENSIBVS TRIBVS.] *Quaeri poſſet, An B. Virgo interfuerit partui Eliſabeth ac natiuitati S. Ioannis. Veriorem hic exiſtimo Theophylacti & Euthymij ſententiam, dicentium, D. Virginem iſti partui non interfuiſſe.*

Primò, quia venit menſe ſexto, & manſit ὡσεὶ, id eſt, quaſi *menſibus tribus (quâ particulâ S. Lucas vti ſolet pro* ferè, *ad indicandum videlicet, tempus illud, cui iſtam particulam præponit, non omnino fuiſſe completum.) Ergo diſceſſit ante nonum menſem expletum, ac proinde ante partum Eliſabeth.*

Secundò, quia poſt diſceſſum Virginis S. Lucas narrat partum Eliſabeth, nec in partu illo vllam Virginis mentionem facit, ſed aliarum vicinarum.

Tertiò & maximè, quia caſtiſſimam Virginem partûm videre non decebat.

Quartò, quia Virgo amans ſecreti, turbam in partu affluxuram fugiebat.

Contraria tamen ſententia, quæ eſt Origenis, S. Ambroſij, ven. Bedæ, Toleti ac Maldonati hic, non eſt improbabilis. Primò, quia inciuile videtur immediatè antè partum diſcedere.

Secundò, quia ad hoc videtur manſiſſe tribus menſibus B. Virgo, vt Ioannem orbis miraculum, & Chriſti Præcurſorem cerneret & amplecteretur.

Tertiò, vt Ioannes matrem Domini, & in eâ Chriſtum cerneret & ſalutaret.

Quid his tribus menſibus B. Virgo egerit, & Ioanni præſtiterit, pulchrè deſcribit ORIGENES *in hunc locum, Homilia 9. in Lucam.* Si, *inquit,* eò quòd tan- Quantum S. Ioannes profecerit ex præſentiâ Chriſti & Deiparæ.
tùm venit Maria ad Eliſabeth, & ſalutauit eam, exultauit infans in gaudio, & Spiritu ſancto plena Eliſabeth prophetauit, & in vnâ horâ tantos profectus habuit; noſtræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus menſibus Ioannes profecerit, aſſiſtente Mariâ Eliſabeth. Valdè quippe indignum eſt, in puncto horæ atque momento exultare infantem, per tres verò menſes Ioannem ex viciniâ matris Domini, & ipſius Saluatoris præſentiâ, nihil profeciſſe. Exercebatur ergo, & quodammodò in athletico ſanctâ matre, per tres menſes vrgebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus, mirabiliùs nutriretur.

VERS. 63. Et poſtulans pugillarem
ſcripſit, dicens: Ioannes eſt nomen Sup. v. 14
eius. Et mirati ſunt vniuerſi.

64. Apertum eſt autem illicò os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.

65. Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorũ: & ſuper omnia montana Iudææ diuulgabãtur omnia verba hæc:

66. & poſuerunt omnes, qui audierant, in corde ſuo, dicentes: Quis, putas, puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.

67. Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto: & prophetauit, dicens:

68. Benedictus Dominus Deus Iſ- Pſal. 73. 11. & 131, 17.
raël, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ.

36. CVM

GREGOR. *Zacharias & Ioannes quid significent.*

36. CVM enim Zacharias quidem Memoria Dei, Ioannes verò Ostendens interpretetur: (meminit autem quis absentis, ostendit verò præsentem;) idcircò pueri huius progenitores non permiserunt ipsum vocari Zachariam, sed potiùs Ioannem nominari voluerunt, quòd non solùm Dei, vt absentis, esset memoriam habiturus, sed ipsum digito præsentem demonstraturus, ac dicturus: ECCE AGNVS DEI.

CHRYSOSTOMVS. *Ioannes Dei gratia nominatus.*

37. Præterea Ioannes Dei gratia interpretatur. Quandoquidem ergo Elisabeth ex diuinâ gratiâ, non à naturâ puerum acceperit, id quod natum est, non naturæ, sed Deo attribuitur; ac memoria beneficij, tamquam in æreâ columnâ, pueri denominatione in posterum stabilitur.

SEVERVS. *Zacharias, Ioannis nomen pronuntiare non potuit.*

38. Quemadmodum quidem Zacharias pater erat Ioannis, vocis clamantis in deserto, & ipsum vocare Ioannem linguâ non poterat, accepto verò pugillari, appellationem conscripsit: similiter & lex, radix quædam erat atque principium Euangelicæ vocis, quæ orbem vniuersum iam desertum existentem, diuinâ cognitione repleuit, quam non poterat lex tamquam linguâ palam promulgare, quasi in pugillari per figuras descripsit.

ANNOTATIONES.

VERS. 63. *Quanta virtus nominis Ioannis.*

IOANNES EST NOMEN EIVS.] *Non dicit erit, sed* est. *quasi dicat, Non ei nomen imponimus, quod iam habet a Deo impositum. Vbi obserua, priscis in Scripturâ nomina ab euentu imponi solita. Sic Isaac dictus est à risu matris, Iacob à supplantatione, & Esau, quia rufus, vt ostendo Cap. 3. in Annotationib. Sic & Ioannes hic à misericordiâ & gratiâ etiã Ostendens, vt dictum suprà versu 13. Nota, hinc etiam colligi, Iudæos non semper in Synagogâ circumcisos. Nam Ioannem domi esse circumcisum, colligitur ex versu 60. vbi significatur mater interfuisse, quæ quia puerpera erat, domo egredi non poterat, iuxta legem Leuitici 12.*

VERS 64. APERTVM EST AVTEM ILLICO OS EIVS.] S. AMBROSIVS *Serm. de Natiuitate S. Ioannis,* Si pater, *inquit,* Zacharias, cùm eum nominauit, vocem recepit, quantò magis nos, cùm laudemus illum, eloquium promeremur. Cùm enim Zacharias pater eius, propter incredulitatem natiuitatis illius, ab Angelo Gabriele silentij esset taciturnitate mulctatus, subitò nato Ioanne filio, linguam resoluit. Videte igitur S. Baptistæ meritum: vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit. Os quod Angelus alligauerat, Ioannes absoluit; quod Gabriel obstruxerat, paruulus reserauit. quamquam & ipse sit Angelus, sicut scriptum est de eo, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam.* Respicite Ioannem & videte, quanta sit vis eius vocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem, quo nascente fit repentè Propheta, &c.

Os bonorum aperit Deus.

IBID. ET LOQVEBATVR BENEDICENS DEVM.] *Sanctorum os Dominus aperit, & implet illud eloquio suo, vti pulchre docet* ORIGENES *Hom. 3. in cap. tertium Exodi, explicans verba quæ dixit Dominus Moysi:* Ego aperiam os tuum, & instruam te quæ oporteat te loqui. Beati, *inquit,* sunt, quorum Deus os aperit, vt loquantur. Prophetis Deus aperit os, & replet illud eloquio suo, sicut in præsenti dicit, *Aperiam os tuum,* &c. Sed & per Dauid dicit Deus: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Similiter & Paulus dicit: *Vt detur mihi sermo in adapertionem oris mei.* Eorum ergo qui verba Dei loquuntur, os Deus aperit. Vereor tamen ne sint aliqui, quorum è contrario os diabolus aperiat. Nam qui loquitur mendacium, certum est quia diabolus aperiat os eius, vt mendacium loqueretur. Qui falsum testimonium dicit, qui scurrilitates ac turpitudines, ac cetera huiusmodi de ore suo proferunt, diabolus aperuit os eorum. Vereor ne & susurronum & detractorum os diabolus aperiat, sed & eorum qui otiosa verba proferunt. Sed sicut Deus aperit os Sanctorum, ita puto, quòd & aures Sanctorum Deus aperiat ad audienda verba diuina. Sic enim dicit Isaias Propheta cap. 50. *Deus aperuit mihi aurem, vt sciam quando oporteat dici verbum.* Sic & oculos aperit Dominus, Gen. 21. sicut aperit oculos Agar, & vidit puteum aquæ viuæ. Aperit ergo (vt diximus) Deus & os, & aures, & oculos, vt vel loquamur, vel cernamus, vel audiamus quæ Dei sunt.

Psal. 80. Ephes. 6.

Os malorum aperit diabolus.

VERS. 66. ETENIM MANVS DOMINI ERAT CVM ILLO. *Scilicet per singularem fauorem, auxilium, & gratiam, iuxta illud Psal.* 138. Posuisti super me manum tuam. *Et iterum ibidem:* Manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. *Et Isaias cap. 49.* Sub vmbrâ manus suæ protexit me. *Huc referri possunt illa antitypi Ioannis, Ieremiæ primo capite:* Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia tecum ego sum, ait Dominus, vt liberem te. *Ad quem locum eleganter* S. HIERONYMVS *ait:* Posui te, vt ciuitatẽ de quâ dictum est Psal. 83. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei.* Et in columnam ferream, vt sis columna & firmamentum veritatis; & in murum æneum, qui nullâ violatur rubigine, nec cæsus imbribus decidit, sed vetustate fit fortior. Eris autem talis contra Reges & Principes, & populum, non cuiuslibet loci, sed terræ, qui terrena sapiunt, & cælestia non nouerunt. Hi *bellabunt aduersum te, & non præualebunt.* Cur quæso? quæ est tantę fortitudinis caussa, vt nec Reges, nec Principes, nec sacerdotes aduersus vnum præualeant? sequitur: *Quia tecum ego sum, ait Dominus, vt liberem te, & Domino auxiliante iustus cuncta superabit. Nos ergo cùm infantes simus atque imbecilles, virium nostrarum debilitatem agnoscentes, precemur Deum cum Prophetâ Iobo capite 14. dicente:* Operi manuum tuarum porriges dexteram. *cumque in multis ac magnis periculis versemur, clamemus ad Dominum liberatorem ac præseruatorem illud Psal. 143.* Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis. *Nam si manus tantùm Domini nobiscum fuerit, hostibus nostris insultare audebimus, dicentes:* Si consistant aduersum nos castra, non timebit cor nostrum: quoniam tu nobiscum es.

Deus singulari auxilio adest electis suis.

Auxilium Dei nos reddit inexpugnabiles.

Nobis illud assiduè implorandum.

Psal. 26. & 116.

VERS. 67. REPLETVS EST SPIRITV SANCTO, ET PROPHETAVIT, DICENS: BENEDICTVS, &c.] *Expleuit hic Zacharias illud Apostoli ad Ephesios 5. vers. 20.* Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis

in

[*Pro beneficijs omnimodis laudandus Deus sacrificium laudis.* Psal. 49,23.] in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus. *Hoc enim est sacrificium quod à nobis Deus exigit per Psalmistam, dicens:* Immola Deo sacrificium laudis. *Vbi pulchrè* S. AVGVSTINVS, Ad me, *inquit*, redeam, in me inueniam laudis immolationem. Ara tua, conscientia tua. Securi sumus; non imus in Arabiam thus quærere, non sarcinas auari negotiatoris excutimus; sacrificium laudis quærit à nobis Deus. [Luc. 19. Marc. 12. Matth. 10.] Habebat hoc sacrificium laudis Zachæus in patrimonio suo, habebat in sacello suo: habebat nescio quis pauper hospes in dolio suo. Alius nec in patrimonio, nec in sacello, nec in dolio aliquid habebat: totum habebat in animo suo. Salus domui Zachæi. Et plus misit hæc vidua quàm diuites illi. Iste calicem aquæ frigidæ porrigens, non perdet [Lucæ 2.] mercedem suam. Sed & *pax in terrâ hominibus bonæ voluntatis.* Immola Deo sacrificiũ laudis. O sacrificium gratuitum gratiâ datum! Non quidem hoc emi quod offerrem, sed tu donasti: nam nec hoc haberem. Immola Deo sacrificium laudis. Et hæc immolatio, hoc sacrificium laudis est, gratias agere illi, à quo habes: & cuius misericordiâ tibi dimittitur, quidquid tuum mali habes. LACTANTIVS *lib. 6. Diuinarum institutionum cap. vlt.* Summus, *inquit*, colendi Dei ritus est, ex ore iusti hominis ad Deum directa laudatio: quæ tamen ipsa vt Deo sit accepta, humilitate, & timore, & deuotione maximâ opus est.

VERS. 69. Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui.

[Ier. 23,6. & 30,10.] 70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarũ eius:

71. Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos:

72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris: & memorati testamenti sui sancti.

[*Cornu in Scriptura quid.*] 39. ET quid hoc cornu? frequens enim huius vocabuli in Scripturâ vsus, vt cùm dicit: Exaltatum est cornu eius. &, Exaltatum est cornu Christi sui. Cornu itaque dicit potentiam, gloriam, perspicuitatem, sumptâ metaphorâ ab animantibus ratione carentibus. Ipsis enim hastarum armorumque loco cornua Deus addidit; quibus excussis, maximum suum robur perdiderunt: & quemadmodum inermis miles, sic & taurus sine cornibus captu facilis est.

[VICTORINVS.] 40. Accipitur autem cornu non tantùm pro potentiâ, sed etiam pro regno. Vtrumque autem Christo competit, qui ex patriâ & familiâ Dauid exortus est nobis Saluator. Ipse enim est Rex regum, & inuicta Dei Patris potentia.

ANNOTATIONES.

NVM. 39 LOCVS *hic nullius certi Auctoris nomine citatur, verum arbitror esse Chrysostomi, cum omnino similis, eius nomine adscribatur à D. Thomâ in Catenâ, videturque desumptus ex Hom. 10. in Psalm., ad illum locum capitis 5. In cornu filio olei.*

NVM. 40. *Quod hic Victorio tribuitur, ad verbum fere etiam habet Titus Bostrensis in Luca cap. 1. vti & Theophylactus.*

VERS. 73. Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: [Gen. 22,16. Ier. 11,5. Heb. 6,13. 17.]

74. Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorũ liberati, seruiamus illi;

75. In sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

[CYRILLVS. *Ira & iuramentum quid in Deo significent.*] 41. NEMO autem quòd Deum Abrahamo iurasse audiat, iurare assuescat. Quemadmodum enim ira de Deo dicta non est ira, nec passionem significat, sed punitiuam vim aut quem similem motum; sic nec iuramentum, iuramentum. Non enim iurat Deus, sed certitudinem indicat, omnino futurum quod dicit. Iuramentum enim Dei est verbum ipsius, implens audientes, & fidem cuique faciens, id quod promisit & dicit omnino futurum.

[NAZIANZENVS Iamb. 10. *Quomodo Deus iurare dicatur.*] 42. Si quidem aliquid sit melius Deo, iuret per illud Deus: sin nihil sit melius, non iuret vnquam. Quomodo ergo dicit Scriptura quòd iuret, cùm ait: Hoc iuramentum est Dei? Quomodo autem per semetipsum iurare dicitur? Non vtique esset omnino si mentiretur. Ait enim, Non potest mentiri Deus. Quamobrem autem lex antiqua non prohibet iuramentum, sed quærit veritatem: quoniam tunc etiam occidere licebat, nunc autem nec cædere. Cuius gratiâ, & ob quid? quia tunc actio & finis malorum iudicabatur, nunc etiam primus motus. At Paulus etiam iurans inquit, Testis mihi Deus; &, Deus nouit. Sed hæc non erant iuramentum, sed firma dictis asserta fides. Et hoc tibi non concessero, ni euadas in omnibus, si fieri possit, Paulus.

ANNOTATIONES.

NON iuret vnquam.] *Nota, hæc intelligenda esse eo sensu quo Matthæi 5. vers. 34 præcipitur* non iurare omninò, *scilicet temerè, aut sine iustâ causâ, vt passim Patres & interpretes ibidem explicant. Non autem eo sensu quo Pelagiani, VValdenses, VViclef & Anabaptistæ docent, nullum omnino iuramentum Christianis esse licitum. Nam hic est error in fide, quem damnat perpetuus Ecclesiæ vsus. Siquidem iuramentum iustum ac debito modo factum cedit in honorem Dei, vt primæ veritatis; ac consequenter est actus religionis & latriæ, si videlicet, vt inquit Ieremias cap. 4. vers. 2. fiat* in veritate, & in iudicio, & in iustitiâ. *Vnde hic & Matthæi 5. tantùm reprehenditur error Pharisæorum, & eorum qui putant Exodi 20. vers. 7. tantùm prohiberi periurium non autem iuramentum leue ac vanum. Secundo, eorum qui, vt Matthæi 23. vers. 17. indicatur, existimant licitum* NVM. 42.

esse

esse per creaturas temerè iurare, & peierare: cui errori vtrique Christus Matthei 5. opponit vetem omnino, quasi dicat, Ego autem dico non tantum falsum, sed nec verum, siue per Deum, siue per templum, siue aliâ formulâ per creaturas alias licere iurare, intelligendo ad mentem Pharisaeorum, leuiter scilicet ac temere, sicut fit in communi hominum sermone.

VERS. 76. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis: praeibis enim ante faciem Domini parare vias eius:

Mal. 4, 5. Suprà 17. 77. Ad dandã scientiam salutis plebi eius: in remissionẽ peccatorum eorũ:

78. Per viscera misericordiae Dei

Zach. 6, 12. Mal. 4, 2. nostri: in quibus visitauit nos, oriens ex alto.

Ioannes amicus sponsi. 43. QVEMADMODVM enim qui Regibus maximè familiares sunt, propè currum Regium progrediuntur: sic & amicus Domini, (vel vt ipse vocat, sponsi) aduentum eius proximè praecessit. Hoc enim significat illud, ANTE FACIEM. Quoniam alij Prophetae eminus Christi mysterium praedixerunt; hic verò electus in praecursorem Domini, cominus praedicauit, ita vt & videret eum quem praedicabat, & alijs ipsum ostenderet.

ANNOTATIONES.

NVM. 43 *HIc locus videtur Chrysostomi, pro cuius adscribitur in Catenâ D. Thomae ad cap. 1. Lucae.*

VERS. 79. Illuminare his, qui in tenebris, & vmbrâ mortis sedent: ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

MACARIVS Homil. 28. *Tenebrae Aegypti.* 44. ET sicut in Aegypto, triduanis tenebris factis, atque omnia abscondentibus, non videbat filius patrem, nec frater fratrem, nec amicus sincerum amicum: sic & Adam ex quo mandatum transgressus erat, atque priori gloriâ exciderat, mundi huius spiritui subditus, densissimisque in animâ illius tenebris obortis, ad postremi vsque Adami seu Domini nostri tempora verum Patrem suum caelestem non videbat, nec benignam suam matrem, Spiritus gratiam, nec dulcem fratrem Dominum, nec sinceros amicos, Angelos. Quin & etiamnum illi, quibus nondum exoritur Sol iustitiae, in ijsdem tenebris versantur, eumdem voluptatum effectum habentes.

VERS. 80. Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu: & erat in desertis vsque in diem ostensionis suae ad Israël.

TITVS & SIMEON. *Ioannes cur in eremo versatur.* 45. CVR autem à multitudine se segregat, ac peregrinatur, atque eremo delectatur? ne populi erga eum reuerentia euanesceret, consuetudine conuersationis obfuscata: quin &, vt arguens acceptus sit, & testificans fide dignus, cùm Iudaicam improbitatem increpando, tum etiam Christo testimonium exhibendo.

ANNOTATIONES.

ILLVMINARE HIS, QVI IN TENEBRIS, ET VMBRA MORTIS SEDENT.] *Primò significatur hic, ante Christi aduentum fuisse tristissimam rerum faciem. Nihil enim tristius vmbrosis defunctorum sepulchris, vt vmbra mortis tristitiae & miseriarum, sicut econtrà lux felicitatis & laetitiae symbolum sit.* VERS. 79

Vmbra mortis quid mysticè & moraliter. *Secundò, Propriè* vmbra mortis *sunt tenebrae & horror mortis & inferni; illum enim comitantur quasi vmbra, & in hac vmbrâ Patriarchae mortui sedebant, & omnibus hominibus ibi sedes parata erat, nisi Christus nos exemisset.*

Tertiò, Vmbra mortis *sunt pericula proxima mortis, sicut vmbra est proxima corpori suo. sic capitur Psal. 22. vers. 4.*

Quartò, Vmbra mortis *est longa obliuio. vnde D. Greg. lib. 4. Moralium c. 30.* Vmbra mortis est à diuini amoris notitiâ in obliuione latescere. Deus cùm lux sit & vita, longissimè abest ab vmbrâ mortis.

Quintò, Vmbra mortis *est Dei & salutis suae ignorantia, maximè idololatria.*

Sextò; Omnibus hisce modis vmbra *est peccatum mortale. Primò enim est omnis miseriae fons. Secundò, quia peccatum in vmbrâ mortis, id est in tenebris mortis, & inferno, quasi in domo suâ regiâ principatum tenet. Tertiò, vt vmbra corpori, ita peccatum morti, id est damnationi aeternae, est proximum. Quartò, quia peccatum à Deo traditur obliuioni. Quintò, quia peccatum est Dei & salutis suae ignorantia practica. Ita S. Hieron. in cap. 9. Isaiae. Ab omni hac mortis vmbrâ liberauit nos Christus, Dominus lucis & vitae.*

NVM. 45. *Quaeritur hic, quamobrem Ioannes in eremum discesserit. Petrus Alexandrinus in Regulis Ecclesiasticis cap. 3. & Baronius in Apparatu, aiunt fugam hanc Ioannis contigisse tempore & occasione infanticidij Herodis: quod ipsum etiam Geometra tradit bis in Catenâ cap. 11. n. 73. Licet enim Ioannes finibus Bethlehem non contineretur, tamen ad illum, ob famam eius natiuitatis, metum & iram suam extendit Herodes. Itaque bimulum unum à matre abductum in desertum, ibique in speluncâ delituisse. Addit Cedrenus, post quadraginta dies matrem in eadẽ speluncâ obiisse, & Angelum curam pueri Ioannis suscepisse. Imo Petrus Alexandrinus docet, Zachariam, quod Ioannem neci subduxisset, iussum ab Herode occidi inter templum & altare. Causa autem huius secessus fuit, vt Ioannes angelicè viueret, itaque posteà Christi testis esset omni exceptione maior. Hinc etiam passim Patres docent, Ioannem fuisse principem vitae monasticae. Vide Canisium de S. Ioanne.*

Hic placuit Supplementi loco subiungere, id quod S. Matthaeus capite primo scribit de Iosepho occultum diuortium meditante, sed ab Angelo deinde diuinae incarnationis mysterium edocto, & ab istâ cogitatione deducto. Haec autem num ante vel post Virginis ab Elisabetha reditum contigerint, non satis liquet. Et quamuis certum sit contigisse ante Ioannis in eremum discessum, tamen, quia tantùm obiter & paucis mentio fit discessus istius S. Ioannis idque planè in fine capitis, hic inopportunè inserui quod de S. Iosepho diuortium cogitante describit S. Matthaeus.

SVP-

SVPPLEMENTVM EX S. MATTHÆI CAP. I.

Luc. 1, 27 18. CVM esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.

19. Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.

Fuit conueniens, vt partus Virginis celaretur per desponsationem.

SANCTVS BERNARDVS *Homil. 2. super* Missus, *pulchram reddit rationem desponsationis Mariæ cum Iosepho, dicens:* Oportebat autem à Principe mundi aliquamdiu celari diuini consilij sacramentum: non quòd Deus, si palàm opus suum facere vellet, impediri posse ab vllo metueret; sed quia ipse, qui non solùm potenter, sed etiam sapienter quæcumque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias, propter ordinis pulchritudinem, seruare consueuit; ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantùm potentiã suam, sed & prudentiam ostendere voluit. Et quamquam illud aliter, quomodo vellet, perficere potuisset, placuit ei tamen eo potiùs & modo & ordine hominem sibi reconciliare, quo nouerat cecidisse: vt sicut diabolus priùs seduxit feminam, & postmodum virum per feminam vicit; ita priùs à feminâ virgine seduceretur, & pòst à viro Christo apertè debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus & prudentior appareret & fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam, spiritalem vincere malitiam.

Quo ordine diabolus vicit hominem per mulierem, eodē victus est à Christo per Virginem.

Et paulo inferiùs ita concludit: Necessariò igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur, & virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur. Quid sapientius? quid dignius diuinâ prouidentiâ? Vno tali consilio secretis cælestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama Virginis matris.

S. HIERONYMVS *super cap. 11. Isaiæ in illa verba,* Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, *postquam de Beatissimâ Virgine locum illum explicuerat, dicens:* Maria virga est, flos Christus; at numquam flos ascendit de virgâ folijs nudâ; priùs virga folijs adumbratur, & honestatur, quàm flos ascendat; priùs ergo Maria viro erat honestanda, quàm Christus nasceretur: *ad nostram doctrinam sic intulit:* Ex quo colligere licebit, quantâ obseruatione mulieres curare debent, vt honorem ac bonam famam conseruent, nec aliquid occasionis dent vt de eis verbum dicatur malum. Inter ea de quibus Iudith cap. 8. commendatur, illud præcipuum est, *Nec erat qui de illâ verbum loqueretur malum.* Et de Ruth cap. 3. ait Booz: *Scit omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis.* Mulier quæ famam suam parùm curat, exemplum aliud quærat quo se tueatur, Maria illi exemplum non est, quæ vt famæ consulat, nubit. Ne ergo dixeris, Malum non committo, Adultera non sum. Non id satis tibi esse debet, sed ab omni specie mali abstinendum, vt nullus de te verbum malum dicere possit, iuxta illud Eccles. 41. vers. 15. *Curam habe de bono nomine.*

Maria desponsata propter famæ integritatem.

Bonum nomen omnes curare debent, maximè mulieres.

IDEM *in illud,* ANTEQVAM CONVENIRENT, Non sequitur, *inquit*, vt posteà conuenerint, sed Scriptura quod factum non sit ostendit. *Erant enim ambo pariter, Maria & Ioseph, duo lilia purissima, duo lilia immaculata, miri odoris virginalis fragrantiam emittentia, inter quæ virginitatis auctor Christus Dominus pascebatur, vti pulchrè S. BERNARDVS in illud Cant. 2. vers. 16.* Dilectus meus pascitur inter lilia, *dicens:* Quænam sunt lilia, nisi amicus dilecti Ioseph, & ego dilecta, cui dicit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Verè ambo lilia pro virginalibus nuptijs, & cohabitatione castissimâ. Inter huiusmodi lilia pascitur dilectus. Lilia inter quæ pascitur sponsus, sunt virgines, quæ dum castitatis candorem retinēt, per bonæ famæ opinionem, proximis quibusque suauiter olent. *Est siquidem lilium typus puritatis, ac symbolum virginitatis. Illud pulchrè describit S. Isidorus lib. 17. Etymolog. cap. 9. dicens:* Est enim lilium herba viridis in radice, candida more lactis in flore, & suauiter efficaciter odorifera, intus tamen auri specie fulget; sex habet folia candida medicinalia, intus autem habet semen aureum, quod continet septem grana. *Quæ omnia Virgini Deiparæ apprimè conueniunt.* Quæ (*vti ait* BERCHORIVS *in Reductorio lib. 12. c. 86.*) semen aureum, id est Dei Filium in se continuit, & portauit: quæ septem granis, id est septem donis Spiritus sancti est dotata, candida etiam per virginalem castitatem. *Dignum autem consideratione, quod lilium sicut eminus in certâ distantiâ ac debitâ proportione positum, gratissimum odorem exhalat, ita si manibus contrectetur, easdem fœtore inficit, vti ex Dioscoride obseruat S. Isidorus suprà citatus, dicens:* Lilium cùm carpitur, manus inficit, tingens humectatione manus. *Vnde scitè S. BERNARDVS Sermone de Natiuitate Mariæ, obseruat Canticorum secundo dici:* Dilectus pascitur inter lilia. Non vescitur illis, sed pascitur inter lilia, quia odore potiùs quàm sapore lilia placet. Liliũ enim (*inquit* BERCHORIVS *in verbo* Lilium) quamdiu fuerit integrum, castitatem, continentiam; & puritatem significat, tam propter candorem, quàm propter odorem: si verò fractum fuerit, odorem perdit, & candorem dimittit. Sic verè castitas, dum est integra, habet puritatis candorem, & famositatis odorem; si verò fracta fuerit per luxuriam, tunc & puritatem & famam perdit, fœtoremque & malam opinionem incutit.

Maria & Ioseph duo lilia puritatis.

Lilium typus virginitatis.

Lilium tactum decorē perdit; ita & castitas.

INVENTA EST IN VTERO HABENS DE SPIRITV SANCTO.] ORIGENES *Tom. 3 Homiliâ 39. de Diuersis, illud sic interpretatur:* Primò inuenta est ab Angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conseruantibus eam vel eius beatissimam animam, ad honorem illius qui ab ipsâ generandus erat. Dehinc inuenta non incongruè putatur ab ipso B. Ioseph sancto & iusto, qui pænè licentiâ maritali, licet eam non contingeret, futuræ tamen, vt putabatur, vxoris omnia nouerat.

Quomodo Maria inuenta est habere de Spiritu sancto.

AVCTOR IMPERFECTI *in Matthæi cap. 1. docens quâ ratione Ioseph, videns Mariam grauidam, nihil mali de illâ cogitauerit, ait:* O inæstimabilis laus Mariæ! magis credebat castitati eius, quàm vtero eius; & plus gratiæ, quàm naturæ. Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius credebat mulierem sine viro posse

Bona opinio Iosephi de B. Virginis integritate.

concipere, quàm Mariam posse peccare. Hîc maritalem zelum, & vteri clamantis accusationem, sola præteritæ conuersationis documenta vincebant.

Hanc Iosephi de B. Virginis integritate opinionem confirmat ipsius Deipara ad S. Brigittam reuelatio, quæ legitur lib. 7. Reuelationum cap. 25. in hæc verba: Sed postquam consensi nuntio Dei, Ioseph videns vterum meum virtute Spiritus sancti intumescere, expauit vehementer, non suspicans contra me aliquid sinistrum, sed recordatus dicta Prophetarum prænuntiantium, Filium Dei nasciturum de virgine, reputabat se indignum tali seruire matri, donec Angelus in somnis præcepit sibi non timere, sed cum charitate mihi ministrare.

VOLVIT OCCVLTE DIMITTERE EAM.] CHRYSOLOGVS *Serm. 2. de Christi generatione, hic pulchrè Iosephi coniunctam cum pietate iustitiam commendat, his verbis:* Hoc pio magis videtur conuenire quàm iusto, sed humano iudicio, non diuino. Penes Deum neque pietas sine iustitiâ est, neque sine pietate iustitia: cælesti sensu sine bonitate æquitas, sine æquitate bonitas non habetur. Virtutes, si separatæ fuerint, dilabuntur: æquitas sine bonitate, sæuitia est; & iustitia sine pietate, crudelitas. Ioseph ergo meritò iustus, quia pius; & pius, quia iustus. Denique dum pietatem cogitat, crudelitate caruit; dum causam temperat, iudicium custodiuit; dum vindictam differt, crimen euasit; dum refugit accusatorem, fugit sententiam. Æstuabat animus sanctus, negotij nouitate perculsus. Stabat spôsa prægnans, sed virgo; stabat plena pignore, sed non vacua pudore; stabat de conceptu sollicita, sed de integritate secura; stabat vestita materno munere, sed non honore virginitatis exclusa. Sponsus quid faceret ad ista? Accusaret de crimine? sed erat ipse innocentiæ testis. Culpam diceret? sed erat ipse custos pudoris. Vrgeret adulterium? sed erat ipse virginitatis assertor. Quid faceret ad ista? Cogitat dimittere, quia non poterat vel foris prodere, vel intus quod euenerat, continere. Cogitat dimittere, & dicit Deo totum, quia quod homini diceret non habebat; & nos, fratres, quoties res turbat, fallit species, facit color negotij interna nescire, declinemus iudiciũ, subtrahamus vindictam, sententiam fugiamus: dicamus Deo totum, ne, dum facilè innocentum fortè gestimus in pœnam, ipsi nobis noxiam sententiam proferamus, dicente Domino Matth. 7. *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* Certè si nos tacuerimus, clamabit Deus, respondebit Angelus, qui Ioseph, ne innocentiam desereret, sic præuenit.

In rebus obscuris suspendendum iudicium.

VERS. 20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere MARIAM coniugem tuam. quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est.

21. pariet autem filium: " & vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suũ à peccatis eorum. " Luc. 1, 31 Act. 4, 12.

22. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem:

23. " Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel: quod est interpretatum Nobiscum Deus. " Isa. 7, 14.

24. Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accepit coniugem suam.

25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocauit nomen eius IESVM.

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *Hom. 8. in Matth. vt Deus lætis tristia temperet, eleganter describit in hunc modum:* Enimuerò misericors Deus mœstis rebus quædam etiam iucunda permiscuit. Quod certè in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationem neque iucunditates sinit habere continuas: sed tum de aduersis, tum ex prosperis iustorum vitam quasi admirabili varietate contexuit; quod hîc quoque eum fecisse considera. Videndũ quippe S. Ioseph grauidam sponsam, in conturbationem incidit maximam, atque in extremum cogitationis tumultum. De Virgine enim ipsum adulterij suspiciõ mordebat: sed adfuit repentè Angelus suspicionem soluens, & timorem hunc prorsus extinguens. Deinde videns puerum natum, maximâ exultatione repletus est: sed rursus huic etiam gaudio periculum grande successit, cùm tota ciuitas turbaretur, ipse Rex fureret, & ad necem puerum quæreret: sed & hunc tumultum alia rursus lætitia subsecuta est, apparitio videlicet stellæ, & adoratio Magorum. Post hanc quoque iucunditatem iterùm periculum, iterumque formido. Quærit, inquit, Herodes animam pueri, &c.

Deus prosperis aduersa permiscet.

S. GREGORIVS *lib. 16. Moralium cap. 27.* Secretò, *inquit*, Dei consilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorũ vita turbetur. Via quippe, est vita præsens, quâ ad patriam tendimus, & idcircò hîc occulto iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patriâ diligamus.

Vtilitas tribulationum huius vitæ.

Docemur autem hic exemplo Deiparæ ac Iosephi, omnem sollicitudinem, curam, atque fiduciam in Domino collocare, iuxta illud 1. Petri 5. Omnem sollicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. *Et illud Psal. 54.* Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet: & non dabit in æternum fluctuationem iusto. *Ad quem locum* THEODORETVS *ait:* Gubernatorem habeas Deum, & aurigam, & res tuæ ab illâ prouidentiâ pendeant: nam hoc modo inconcussus manebis & immutabilis. *Quod aptâ similitudine* D. CHRYSOSTOMVS *Hom. 69. super cap. 21. Matthæi in hæc verba confirmat:* Etenim si eos qui sua despiciunt, & nostræ curæ se committunt, omni curâ liberamus; quantò magis Deus, qui etiam cùm nos illi non commendamus, nostri tamen curam gerit, nobisque prouidet? Noli ergo sollicitus esse de rebus tuis, sed illa Deo committe. Si enim tu illa curaueris, humano modo curabis: sin verò illis Deus prospexerit, diuinam vtique eorum prouidentiam habebit. Noli tu, maioribus prætermissis, de illis curare, ne Deus minùs de illis prouideat. Vt igitur magnâ curâ res tuas complectatur, ipsi soli vniuersa committe: nam si tu, spiritualibus omissis, ea tractabis, minorem Deus de ipsis curam habebit. Vt ergo

Omnis sollicitudo in Deo ponenda.

ergo & res tuæ feliciter gubernentur, & tu sollicitudinis expers sis, sequare spiritualia, contemne hæc sæcularia: sic enim & terram, & cælum, & futuram beatitudinem obtinebis.

Totus se committendus Deo.

D. AVGVSTINVS *lib. 1 Soliloquiorum sic hortatur*: Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes: noli esse velle quasi proprius, & in tua potestate, sed eius clementissimi & vtilissimi Domini te seruum esse profitere. Ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.

NOLI TIMERE ACCIPERE MARIAM CONIVGEM, &c.] *De hoc agens* D. AVGVSTINVS *Serm. 14. Natiuitatis, introducit Angelum ita loquentem cum Iosepho*: Habe ergo Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua, virginitate seruata: sis autem & tu pater Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis. *&c. paulò inferius*: Gaude Ioseph virginitate Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.

Eximia castitas B. Iosephi.

D. BERNARDINVS SENENSIS *to. 3. Serm. de S. Iosepho, de illius virginitate consortio B. Virginis auctâ sic loquitur*: Prima gratia Iosepho diuinitus data est conuersationis virginalis: porrò per respectum ad sanctã Virginem, necesse est hunc virum fuisse admirandæ gratiæ, & virtutis. Vnde credo Iosephum fuisse mundissimum in virginitate, ad similitudinem Virginis sponsæ suæ, quæ eum sincerissimè diligebat. Præterea, cùm B. Virgo tot & tanta impetret peccatoribus, quanta putas impetrauerit charismata huic tam amoroso & sollicitissimo sponso sui pudoris, atque castissimi amatoris?

Ex consortio B. Virginis aucta.

Castissimum hoc Iosephi cum B. Virgine coniugium, non admiratores tantum, sed & imitatores suos habuit, inter quos non postremus S. Elzearius Comes, qui (teste Surio, tom. 5. die 27. Sept.) decimo ætatis anno cum Dalphinâ virgine purissimâ, duodecim etiam duntaxat annos natâ, matrimonium contraxit: ambo nobiles, ambo formâ liberali. Hi primum absque vllâ voti obligatione tam perfectè communi consensu virginitatem seruauerunt, vt Christus ipse tantâ illorum puritate recreatus, ad lecti caput, in medio eorum, illos placidissimo vultu intueri atque arridere sit visus. Quodque magis mirandũ est, quanto sibi mutuò essent propinquiores, tanto erant ab omni carnali commercio remotiores, & de virginitate suâ securiores. Hoc illis se mutuò ad virginitatem illibatam seruandam exhortantibus tam feliciter accidit, non sine singulari B. Virginis protectione, cuius Assumptionis festo die tam rarum sanctimoniæ propositum conceperunt. Si ergo hæc B. Virgo in famulis suis, quid operata censenda est in Iosepho sponso suo, quem super omnes post Christum diligebat, cui thesaurum cordis sui aperiebat ac confidenter communicabat?

Exemplum virginitatis coniugalis.

QVOD ENIM IN EA NATVM EST, DE SPIRITV SANCTO EST.] *Clarè hoc explicat* HAYMON, *ad hunc locum dicens*: Non concepit extrinsecus quod in vtero habet, sed intrinsecus, virtute Spiritus sancti, concepit Filium Dei. Deus Pater misit Verbum suum in vterum virginis, ipse Filius assumpsit carnem & animam in vnitate personæ, Spiritus sanctus formauit illud corpus in vtero virginali ex semine virginis, sine semine viri; & tamen credendum est, quia tota Trinitas operata est illud corpus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Quia quorum inseparabilis est substantia Diuinitatis, eorum est inseparabilis operatio.

Quomodo Virgo conceperit, & incarnatio sit opus SS. Trinitatis.

Quomodo autem spiritaliter de Spiritu sancto Christiani concipiant, & fructum salutis pariant, eleganter ORIGENES *Hom. 10. in Exodum his verbis describit*: Mulier prægnans, dicitur anima quæ nuper Dei concepit Verbum. De tali autem conceptione legimus alibi: A timore tuo Domine in vtero concepimus & peperimus. Qui ergo concipiunt, & statim pariunt, isti nec mulieres existimandi sunt, sed viri & perfecti viri. Denique audiet Prophetam dicentem: Si pepererit terra in vnâ die, & nata est gens de semel. Ista est generatio perfectorum, quæ statim sub die, vt concepta fuerit, nascitur. Verùm, ne tibi nouum videatur, quòd viros parere diximus, audi Apostolum dicentem ad Gal. 4. Filioli mei quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis. Perfecti ergo sunt & viri fortes, qui statim vt concipiunt, pariunt, id est, qui conceptum fidei verbũ in opere producunt. Anima autem quæ concepit, & in ventre retinet, & non parit, ista mulier appellatur. sicut & Propheta dicit: Dolores partus aduenerunt ei, & virtus non erat pariendi.

Conceptus ac partus spiritualis. — *Isa. 26, 17.* — *Isa. 66, 8.* — *Isa. 37, 3.*

IDEM *Hom. 12. in Leuiticum sic ait*: Ex semine Verbi Dei quod seminatur, Christus nascitur in corde auditorum. Hoc enim & Apostolus dicit ad Gal. 4. Donec formetur Christus in vobis. Cõcipit ergo anima ex hoc Verbi semine, & conceptum format in Verbum, donec pariat spiritũ timoris Dei. Sic enim per Prophetã dicunt animæ Sanctorum: A timore tuo Domine concepimus in vtero, & parturiuimus, & peperimus Spiritum salutis tuæ, quem fecisti super terram. Iste est sanctarum animarum partus, iste conceptus, ista sunt sancta coniugia, quæ conueniunt magno Pontifici Christo.

Isa. 26, 17.

ISIDORVS ISOLANVS *lib. de S. Ioseph cap. 11* Nomen, *inquit* Iesu imposuerunt Deus, Angelus, Maria, & Ioseph, Deus quidem rem nominis præstando, Angelus prædicendo, Maria imponendo; & Iosepho exequendo. *Vnde colligit Iosephi dignitatem, dicens*: Non parum attulit dignitatis Ioseph legatio Angelica, quæ ei demandauit, dicens, Vocabis nomen eius Iesum. Impositione enim ac sanctissimi nominis huius publicatione, cæleste secretũ mundo aperuit Ioseph, Patris cælestis vices gessit, Spiritus sancti arcana, quæ in Canticis & Prophetis mysterio abscondita erant, patefecit, beatissimæque mundi Reginæ coniugis suæ collega fuit, atque Angelicæ maiestatis sublimitatem attigit.

Dignitas Ioseph in impositione nominis Iesu.

Quod appositissimo hoc & quotidiano exemplo statim confirmat: Est namque mos apud homines, vt patres nomina imponendi filijs auctoritatem habeant: Iesus autem erat Filius Dei Patris; sanctus igitur Ioseph, Patris cælestis vices hac in dignitate gessit. Cùm filij Regum baptizantur, vbi Christiani nomina filijs imponere consueuerunt, quis quæso vice Regum patrum nomen filij baptizandi denuntiat? Nonne Rex alius, aut nuntius Regis, vel magnus quispiam vir? Illâ igitur tempestate S. Iosepho apud Patrem cœlestem nemo grandior, nemo gratior, nemo præclarior. Hic est Enos noui Testamenti, qui cœpit inuocare nomen Domini, ceu Gen. 7. de veteri scribitur.

S. LVCÆ CAPVT II.

1. FACTVM est autem in diebus illis, exijt edictum à Cæsare Augusto, vt desctiberetut vniuersus orbis.

2. Hæc descriptio prima, facta est à præside Syriæ Cyrino:

3. & ibant omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem.

4. Ascendit autem & Ioseph à Galilæâ de ciuitate Nazareth, in Iudæam in ciúitatem Dauid, quę vocatur *Bethlehem: eò quòd esset de domo & familiâ Dauid,

*Mich. 5, 2. Matth. 2, 6.

5. vt profiteretur cum Mariâ desponsatâ sibi vxore prægnante.

ISIDORVS l. 1. ep. 48.

1. DESCRIPTVS autem Dominus, cùm in vrero materno gestaretur, censumq́ue persoluit Cæsari; poteoti præcipiens subijci, quando non nocet religioni.

GEOMETRA. *Descriptio orbis quid figuraret.*

2. Ceterùm, si oporteat hinc aliquid per considerationem elicere, Imperium quidem Imperij, descriptio verò descriptioois figura erat. Illud siquidem vnius omnium Dei ac Regis monarchiam significauit; hæc verò voluntariam obedientiam, ant etiam omnium eorum, qui volunt, in cælis descriptionem; & sicut edictum, sic & prædicationem totum orbem percurrere, quin & omnes ad propriam patriam accurrere, atque ad antiquam ac primam nostram patriam institutumq́ue reuerti, vnde alios aliò cùm vitæ instituto tum affectionibos discesserat. Quòd autem omnes Cæsari censum ferant, significat, omnes pro virili Deo fructus adferre debere, non corporales tantùm per beneficia ac sacrificia, sed & spiritales per cootemplationes atque operationes.

EVSEBIVS. *Vaticinia Danielis quid indicarent.*

3. Vaticinia verò Danielis, quibus destruenda quidem vniuersa hominũ regna, sed solum illud Christi præualiturum denuntiat, hoc habebaot argumentũ. Quemadmodum quoodam Ægyptiorum Regi in somnis visorum interpres constitutus erat Ioseph, similiter Daniel Chaldæorum Regi Nabuchodonosori visionem explicat. Vt nempe imago quæ per somnum ipsi apparebat, cuius caput aureum, pectus argenteum, venter æreus, pedesq́oe ferrei, quatuor regna significet. Ipse quidem est aureum illud [capot] ob immensas diuitias deliciasq́ue illorum qui Assyrijs imperarant. Magnum quoque erat Assyriorum regoum: complectebatur enim Ægyptũ & Libyam, Asiamq́ue totam; extendebat verò se vsq́oe ad Indorum orbem. Longissimo quoque tempore floruit: à Nemrod eoim inchoans, ad Nabuchodonosorem vsq́oe perdurauit; nec priùs deletum est, quàm Ierosolymis Dei templum violasset. hoc enim facto, Medi statim Assyriorum regnom dissoluerunt, qoorum primus, Cyrus ad Persas imperium transtulit. Secundi itaque post Assyrios Persæ orbem rexerunt, splendido atque illustri modo, quemadmodum significabat secunda pars imaginis ex argenro facta. Tertium verò iouasit Alexander ille Macedo, qui congressus cum Dario, captoq́ue, ad Macedonas transtulit principatum, qui tertio loco post primos gentibus vniuersis imperarunt. Denotauit autem & hos tertia illa imaginis pars ærea: sonora enim illa materia est, & longum clangorem edens. tale autem erat imperium Macedonum, vtpote Gręcorum, & linguâ garrulorum. Post hæc innuitur ferreum illud regnum, præpotens atque omnia præcedentia robore excedens; cùm ferro à naturâ vis insita sit, reliquas omnes extenuandi domandiq; materias. Quod autem hoc? Romanorum est imperium, quod Macedonico successit. Sub hoc regno ferreo Christus nascitur, qui abscissus est lapis de monte, non ferro, sed sine manibus. Nullis enim viri manibus virgo subfuit, sed mirabili prorsus ratione peperit. Regi itaque per modum imaginis somniom apparebat, Prophetæ verò belluarum sub formis, brutorum, atque ferarum ostendebatur.

Dan. 2, 34.

ISIDORVS l. 1. ep. 218. *Visio Danielis monarchias mundi denotans.*

4. Diuini enim Danielis celebris illa visio, Assyriorum, Medorum, Macedonumq́ue regnum, vt vniusmodi, atque ex voâ quodque oatione conflatum, vni ac singulari belluæ assimilauit: aliud quidem vrsæ, aliud autem leænæ, aliud verò pardo: sed quartam visionem horrendæ belluæ, ac plurimum terroris habenti, dentibus ferreis vtenti, atque vnguibus æreis armatæ, ac comedenti, comminuentiq́ue ac conculcanti, oce vllius animantis similitudinem referenti; quæ Romanum imperium perspicuè designabat, ex omnibus tribubus ac nationibus constitutum, atque omne robur ac gloriam in se continens: non enim vno nomioe exprimendum vidit principatum, in omnes potentiæ suæ iugum extendentem, & in infinitum quoddam regnum Dominicæ incarnaoonis tempore excrescentem.

EVSEBIVS & THEOPHANES. *Translatio imperiorum facta, & à Daniele præsignificata.*

5. Quemadmodum quidem per aurum profundæ diuitiæ Assyriorum, sic per leænam effeminatus illorum animus, mollitiesq́ue notabatur: tarditas verò immobilitasq́ue Persarum per vrsam. Pardo verò alato Ale-

Alexander assimilabatur propter naturæ sagacitatem atque agilitatem. Non integris enim adhuc annis tredecim potitus imperio, orbem peragrauit vniuersum, omni volucri celeriùs peruolás Europam simul & Asiam, sic vt ad Oceanum vsque pertingeret. Romani autem à Macedonibus ceperunt imperium, vltimo eorum Rege Perseâ sublato. Syrios verò subegerunt ducibus Pompeio atque Gabinio, quorum etiam auspicijs totam pœnè Asiam superarunt. Postremam denique Augustus captiuam duxit Cleopatram, subactis Ægypto & Alexandriâ. Exinde quartum hoc imperium subigere cœpit vniuersa quod imaginis quidem visio ferreum nominauit, quippe cuncta domans atque comminuens. Prophetæ verò visio belluam terribilem, & formidandam ac fortem valdè, sermone ipso testante finem prædictionis. Solum itaque Romanum imperium omnes simul Respublicas, prouincias, polyarchias, & gentium principatus sustulit, eorum inquam omnium, qui ab omni æuo pro cuiusque more proprijs Principibus subfuerant, & ex cunctis vnicam monarchiam imperiumque constituit, sub quo & Christus nascitur, qui lapis erat, propter corpus terrenum, excitus sine manibus per natiuitatem ex virgine. Non enim opus habebat humano semine, diuinâ virtute illâ quæ ad ipsum spectabant dispensante.

ATHANASIVS Orat. de incarnatione.

6. Dei Verbũ naturæ nostræ imbecillitatem cernens, vt ex se ipsâ minime sufficiens sit cognoscere creatorem, quomodo nimirum ipsemet increatus, nos ex nihilo crearit, & corporeos finxerit; & omnino multa sint ex parte creaturarum, quæ auctoris earum comprehensionem cognitionemque impediant, meritò cùm Patris imago esset, mortale corpus assumpsit, vt & mors in ipso extingueretur, homines que rursus ad imaginem renouarentur. Quemadmodum enim depictæ in ligno figuræ, sordibus extrinsecùs obfuscatæ, rursus adesse debet illud cuius est figura, vt renouari imago possit; propterea quoque imago Patris accessit ad nostra hæc loca, vt hominem, ad similitudinem sui factum, renouaret; hominibusque prodesse volens, vt homo venit. Cùm enim semel ad sensitiua sese mens hominum depressisset, Verbum in corpore dignatum est comparere, vt hominem ad se reduceret, homines que ac sensus eorum ad se ipse inclinarét, & tamquam hominem ipsum intuentes, ex operibus quæ patrabat, ipsum non hominem solùm, sed Deum quoque esse crederent.

Christus incarnatus vt nos reformaret

ANNOTATIONES.

VERS. 1. *Christus nascitur tempore pacis.*

VT DESCRIBERETVR VNIVERSVS ORBIS.] BEDA *in hunc locũ*, Nasciturus, *inquit*, in carne Dei Filius, sicut de virgine natus, virginitatis sibi decus ostendit esse gratissimum; ita pacatissimo tempore sęculi procreatus, quia pacem quærere docuit, & pacis sectatores inuisere dignatur. Nullum autem potuit magis esse pacis indicium, quàm vnâ totum orbem descriptione concludi, cuius moderator Augustus iantâ duodecim annos circa tempus Dominicæ Natiuitatis pace regnauit, vt bellis toto orbe sopitis, Prophetæ præsagium ad litteram videatur impleſſe, *iuxta illud Psal. 71.* Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Hoc (*inquit* S. HIERONYMVS *ad istum locum*) impletum est tempore Augusti Cæsaris, cùm Dominus de thalamo virginali processit. Nam ita his diebus omnia bella quieuerunt, vt etiam illud impleretur, quod alius Propheta cecinit, dicens: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Isa. 2, 4. *Id est, Omne bellandi studium vertetur ad pacem, & pro discordiâ, erit in toto orbe concordia. Gladij mutabuntur in vomeres, & lancea in falces; vt cessso furore bellandi, agriculturæ seruiant, & vberrimas falcibus messes secent. Quod quidem spiritualiter intelligi potest, quando omnis duritia cordis nostri, Christi vomere frangitur, & eradicantur spinæ vitiorum, vt semen sermonis Dei crescat in fruges, vt posteà labores manuum nostrarum manducemus. Tunc iuxta Isaiam cap. 32.* erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium & securitas vsque in sempiternum. *Sicut enim Christus Dominus est Rex pacificus, ita & regnum eius est regnum pacis ac securitatis. Quocirca voluit quoque nasci tempore pacis, vt significaret etiam spiritualiter se non nisi in pacifico corde nasci ac commorari, iuxta illud Psal. 75. vers. 3.* Factus est in pace locus eius. *Ad quem locum* S. HIERONYMVS *ait:* Non est vmbraculũ Domini, nisi vbi pax est. Vbi zelus atque discordia, ibi non est protector Deus. Locus Dei non est, nisi in animâ quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei. *Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, ait Apostolus 1. ad Cor. 14. Pacem autem hanc pulchrè definit* S. AVGVSTINVS *lib. de Verbis Domini in hac verba:* Pax est serenitas mentis, tranquillitas animæ, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. *Et de hac pace ait Isaias, quod* erit opus, *id est effectus*, iustitiæ: *quia solùm iusti, qui legem Dei custodiunt, fruuntur hac pace, iuxta Psal. 118.* Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum. *Nam de impijs scriptum est Isaiæ 59.* Non est pax impijs, dicit Dominus.

VERS. 4. QVÆ VOCATVR BETHLEHEM.] *Hæc est tanti Regis patria felicissima, ad quam* S. BERNARDI *præclara illa exstat Apostrophe Serm. 2. in Vigiliâ Natiuitatis.* O Bethlehem, *inquit*, parua, sed iam magnificata à Domino! Magnificauit te, qui factus est in te paruus ex magno. Quæ tibi ciuitas, si audiat, non inuideat pretiosissimum illud stabulum, & illius præsepij gloriam? In vniuersâ siquidem terrâ iam celebre est nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Vbique *gloriosa* dicuntur *de te ciuitas Dei*, vbique psallitur, *quia homo natus*

Dignitas vrbis Bethlehem.

est in eâ, & ipse fundauit eam Altissimus, &c.

Bethlehem domus panis.

S. HIERONYMVS *in Michæa cap. 5.* Domus panis (*inquit*) dicitur Bethlehem, propter panem viuum qui de cælo descendit.

Et S GREGORIVS *Hom. 8. in Euangelia*, Bethlehem quippe Domus panis interpretatur. Ipse namque est qui ait: *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis anteà vocabatur; quia futurum erat, vt ibi ille per naturam carnis appareret, qui electorum mentes internâ satietate reficeret.

Bethlehem terra fertilis.

Michæa quinto capite Bethlehem Ephrata *nominatur, quã ibidem S. Hieronymus καρποφόρον siue frugiferam ac* fertilem *interpretatur. Quod optimè illi conuenit, vt quæ non frumenti solum, vini, atque olei ferax sit, sed panem viuum de cælo nobis præstitit, & vinum germinans virgines, oleumque lætitiæ atque exultationis, quibus nutriuntur, recreantur fouenturque omnes animæ sanctæ in vitam æternam: in cuius rei præsagium in Bethlehem sub Christi Natiuitatem (vt scribit Barronius in Apparatu) fons olei miraculosus scaturiuit. De quo sic pulchre* DAMIANVS *Serm. de Natiu.* Pax inaudita à sæculo regnat; vniuersus orbis ad censum describitur, riuus olei de terrâ persudat, & in diuitem venam liquor sanctificatus ebullit. Quid est hoc? nisi quia vera pax in terris apparuit, nisi quia ad supernum regnum ciues adscribuntur, nisi quia fons misericordiæ de virgine emanat? *Oleum effusum nomen tuum.*

NVM. 3. *Describit hic Eusebius, simul ac pandit significationem statuæ ex auro, argento, ære ferroque conflatæ, quam Danielis 2. capite vidit olim in quiete Nabuchodonosor Rex à lapide sine manibus à monte abscisso percussi atque euerti. Cuius mysticam interpretationem optimè reddit Barradius Tom. 1. l. 8. cap. 17. in hæc verba:* En tibi absque manibus, id est hominum operâ, celsissimo ex monte, videlicet Virgine Deiparâ, abscissum lapidem angularem Christũ, *qui*, vt Paulus ait, *fecit vtraque vnum.* Vbi primùm è monte abscissus est, vbi primùm è varijs constantem metallis, id est, in superbum mundum, statuæ similem è varijs compositum vitijs, impetum fecit, exemplíque viribus, aurum, argentum, opes, potentiam, honores, gloriam, voluptatemque æquauit solo.

Christus natus statuam vitiorum euertit.

VERS. 6. Factum est autem, cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret.

NAZIANZENVS In Senario de Incarnatione.

7. CVM enim non sit factus homo Deus,
Deus fit homo, ad honorem meum;
Vt ijs quæ assumpsit, illa quæ dedit renouás,
Soluat damnationem vniuersi peccati,
Occidatque occisorem, per eum qui occisus est.
Cùm autem commisceri nequeat carni Deus,
Anima & mens sunt quasi quid medium inter vtrumque:
Illa quidem vt carnis contubernalis, hæc verò vt imago Dei.
Cui vt cognatæ coniuncta est Dei natura,
Vnde habuit etiam passionis communicationem.

EPHRAIM

8. Sereno quidem mense Martio, conceptio sereni fructus, & diuinæ lucis; (tunc vtrique fugientes celeriter tenebræ illustrem illam conceptionem obscurare non valebant) Decembri verò eiusdem lucis nostras tenebras dissipantis natiuitas contigit; eodemque quo tenebræ deficiunt mense, victoriosum nobis lumen affulsit. Ac mensis quidem conceptionis illius eam, quã Moyses nobis per litteras innouit, figuram interpretatus est, mensísque natiuitatis eius similiter idem nobis mysterium declarauit.

Christus quando conceptus & natus.

NYSSENVS de Natiuitate.

9. In hoc figitur tabernaculum ei qui propter nos hominem induit; & diruta à morte tabernacula nostra, rursum compinguntur ab eo, qui à principio hocce nostrum domicilium ædificarat, & modò per incorruptam virginitatem in vitam humanam traiecit. In hoc tenebræ incipiunt minui; & crescente splendore, noctis termini contrahuntur. Non casu aliquo aut sponte facta est huiuscemodi dispensatio, vt nunc humanæ vitæ diuina vita appareret; sed mysterium aliquod per ea quæ cernuntur perspicacioribus explicat creatura, ac tantùm non vocem emittens, docet eos qui audire possunt, quid sibi velit quòd in aduentu Domini dies producatur, & nox contrahatur. Mihi enim videor creaturam sic loquentem exaudire: Considera, ô homo qui hæc cernis, per ea quæ videntur, occulti aliquid tibi declarari. Vides noctem ad summã longitudinem peruenisse, & cùm progredi vlteriùs nequeat, consistere, ac regredi. Cogita exitiosam peccati noctem, quæ malis omnibus artibus aucta, ad summum malitiæ pertigerat, hodie recisam esse, ne longiùs serperet; atque illuc deinceps redigi, vt planè deficiat ac deleatur. Vides vberiores lucis radios, & solem solito sublimiorem? Cogita veræ lucis præsentiam, Euangelij radijs totum orbem illustrare. Quòd autem humanæ vitæ non ab initio, sed sub extrema tempora Dominus apparuerit, hanc meritò fortasse causam quispiam existimabit, quòd qui malitiam vt tolleret, humanam vitam erat ingressurus, exspectarit necessariò, vt omnis malitia inimici radicata germinaret, atque ita demum, vt Scriptura ait, securim ad radicem poneret. Etenim præstantissimi medici, febri adhuc intrinsecus corpus depascente, & ex causis morbificis paulatim accensâ, obsecundant morbo quoad passio eius ad summum peruenerit, nullum cibi subsidium ægrotanti præbentes: at vbi malum constiterit, patefacto iam toto morbo, tunc artem adhibent: sic & animorum ægrotantium medicus exspectauit, dum malitiæ morbus, quo natura hominum victa laborabat, se totum aperiret, ne latens aliquid incuratum rema-

Cur Christus media hieme natus sit.

Cur Christus non in mũdi principio sit natus.

Matth. 3.

Simile à medico desumptum.

remaneret. Cùm itaque omnis malitiæ vis ex malâ radice ostensa fuit, & crasso modo propagata, in animis eorum qui singulis sæculis nequitiâ celebres extiterunt luxurians; quando conclusa erant omnia sub peccato, cùm abundabat iniquitas, quando caligo vitiorum ad summum vsque terminum excreuerat, tunc apparuit gratia, tunc veræ lucis radius emicuit, tunc illuxit Sol iustitiæ ijs qui in tenebris & vmbrâ mortis sedebát.

MACARIVS. *Christus incarnatus vt nos Deo coniungeret.*

10. Infinitus ille atque inaccessus Deus, immensâ atque incomprehensibili bonitate suâ corpus sibi fabricauit, & vt sic dicam, seipsum inaccessâ suâ gloriâ exuit ac spoliauit, vt creaturæ suæ coniungi posset. Hodie humanitati reconciliata Diuinitas, & hominibus ad Deum, Deoque ad animam via patefacta est. Hactenus enim Propheta dicebat: Viæ Sion lugent, eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem, animæ solitudinem atque abolitionem innuens. Nullus enim Deo ad animam mentemque hominis accessus erat, neque anima ad Deum ambulabat. Tempus condemnationis hominis complebatur. Inimicus Adamo subacto, ipsius corpore armorum loco vtens, per illud omnes homines expugnabat ac superabat. Non absimili nunc modo Dominus, armaturæ loco hominem indutus, peruersi illius Spiritus muros deiecit, iuxta quod dictum est: Sicut tenebræ eius, sic & lumen eius. Quemadmodum enim in Adamo omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. Idem in supernis est, & idem in inferni; idem viuens, & idem moriens: agnus, sacrificium, vitulus, hostia, sacerdos sacrificans, patiens, impatibilis, sponsus, sponsalis thalamus, paradisus, lignum vitæ, vitis vera, vinum lætificans, margarita, thesaurus, sagena, bellator, armatura, victor, circumcisio, sabbatum, caput Ecclesiæ, granum sinapis, vinea, aratrum, gratia, fides, nuptiæ, vestis, via, ostium, Sol iustitiæ, lux animarum, vita, regnum, principium, finis, super omnia, & omnia factus in omnibus.

(Thren. 1, 4 — Psal. 138, 12. — 1. Cor. 15, 22. — *Nomina & figura Christi.*)

ATHANASIVS de Incarnatione. *Christus quomodo conclusus esset virginis vtero.*

11. Non vtique Verbum conclusum erat in corpore, sed quòd maximè mirandum, non continebatur quidem ab aliquo, sed potiùs ipsum cuncta continebat, sic vt & in corpore existeret, & omnibus præsens esset, & extra vniuersa versaretur, atque in Patre solo quiesceret. Atque hoc admiratione dignum erat, quòd hominum more viueret, & vt Verbum Patris omnia viuificaret, & vt Filius Patri adesset: vnde pariente virgine, partus ipse nullas affectiones sentiebat; neque dum in corpore versabatur, vllas sordes contrahebat, quin potiùs ipsum corpus sanctificabat. Non enim quia præsens est omnibus, etiam participat de ijs, sicut nec ipse sol. Cùm itaque sol ex terrenorum corporum attactu nullis sordibus inquinetur, nec à tenebris quidquam patiatur obscuritatis, sed ipsas potiùs illuminet ac purget: potiori vtique ratione sanctissimum Dei Verbum, quod solis & creator & Dominus est, in corpore cognitum, minimè est coinquinatum, quin potiùs incorruptibile existēs, cùm corpus corruptibile sortiretur, illud ipsum viuificauit atque illustrauit. Propterea ad nos descensurum ex Virgine sibi corpus fabricat, vt non exiguum omnibus diuinitatis suæ præberet argumentum, ex quo facile esset colligere, eum qui sibi corpus hoc formasset, ceterorum quoque esse conditorem. Quis enim sine viro ex solâ virgine progigni corpus videns, non secum ipse cogiter, eum, qui in tali corpore compareret, ceterorum quoque corporum esse creatorem ac Dominum? Non vtique secundum communem naturæ cursum hic homo natus est, cum natura numquam virginem sine viro parientem viderit; sed existens verus Deus, factus est homo corporeus, vt retinens id quod pro nobis attulit, nos omnes saluaret. Non enim merus aliquis homo seipsum pro nobis tradidit, cùm omnis homo sit morti obnoxius, iuxta illud, Terra es, & in terram reuerteris; neque vlla alia creatura. Omnis enim creatura mutationi subiecta est, sed Verbum proprium pro nobis corpus posuit, quod ex virgine assumpsit.

(*Christus non inquinatus est à carne.* — Gen. 3, 19.)

ISIDORVS l. 1. ep. 141. *Deipara Virgo solutum debitum Euæ.*

12. Cùm deberet femina debitum viro, ex eius latere sine femine existens, hoc soluit mater Domini, sine semine ipsum incarnatum pariens. Error autem eorum, qui propter vnionem cum naturâ increatâ, carnem quoque Christi increatam fuisse asserunt, hinc commonstrabitur. Nam vnio carnis ad Verbi diuinitatem, ex vtero facta est. Exinde enim illam composuit Verbum è cælo descendens, cùm ante aduentum Verbi aut Deiparam Mariam non existeret. Si itaque caro in ipsâ vnione facta sit increata, cur non per se perfecta apparuit? sed volente Verbo, etiam corpus incrementum sumpsit? Impium autem est, rei increatæ accretionem affingere: quod autem increato communicat, proprium dicitur increari, non quidem ipsum increatum, ne lateat vnionis beneficium. Si enim increatum esset corpus Domini, nos verò creati, nullam haberemus cum Christo communicationem.

ANNOTATIONES.

IMPLETI SVNT DIES VT PARERET.] Postquam enim (*inquit* S. BERNARDVS *Serm. 1. in Epiphaniam*) venit plenitudo temporis, venit & plenitudo Diui- VERS. 6.

Diuinitatis, venit in carne, vt & sic carnalibus exhiberetur, vt apparente humanitate benignitas agnosceretur. Vbi enim Dei innotescit humanitas, iam benigoitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quàm suscipiendo carnem meam? Quid tantopere declararet eius misericordiam, quàm quòd ipsam suscepit miseriam? Quid tam pietate plenum, quàm quòd Verbum Dei propter nos sit fœnum? Quantò minorem se fecit in humanitate, tantò maiorem exhibuit in bonitate; & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est.

Nvm. 8. Sereno quidē mense Martio.] *In Græco est* ξανθικῷ, *& pro Decembri* ἀπελλαίῳ, *&c. Vbi nota, nomina hac mensiū* Xanthici *scilicet &* Apellæi, *Macedonica esse, vt ex Epistolis Philippi ad Demosthenem apparet, quibus inde ab Alexandri temporibus vsus est Oriens. Cùm autem menses illi Lunares sint, hinc fit vt ob intercalatum tertio quoque anno mensem, qui tunc tredecim menses numerabat*, Xanthicus *aliquando quidem* Martio, *nonnumquam verò* Aprili *nostro respondeat:* Apellæus *verò interdum* Nouembri, *quandoque etiam* Decembri, *pro quo & hic ponitur.*

Christus durissima quaque in vitâ & natiuitate delegit, vt idem nobis persuaderet.

Nvm. 9. *Nyssenus hic docet cur solstitio hiemali Christus sit natus: verùm aliam magis moralem rationem, cur molestissimo hiemis tempore Christus nasci voluerit, nobis pandit* S. Bernardvs *Serm. 3. Natiuitatis.* Hieme natus est, nocte natus est Christus. Numquid credimus casu factum, vt in tantâ aëris inclementiâ, & in tenebris nasceretur, cuius est hiems & æstas, dies & nox? Non eligunt paruuli ceteri, quando nascuntur; quippe quibus adhuc vix incipientibus viuere, nullus subest rationis vsus. Christus Deus erat: nascitur ergo Dei Filius, & eligit quod molestius est tempus; præsertim paruulo & pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad inuoluendum, præsepe ad reclinandum: & cùm esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Prior Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obuoluitur. Non est tale iudicium mundi; aut iste fallitur, aut mundus errat: sed diuinam falli impossibile est sapientiam; meritò proinde & carnis prudentia, mors: siquidem ipsa inimica est Deo, & sæculi quoque prudentia, stultitia nominatur. Quid enim? Christus vtique qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. id ergo melius, id vtilius, id potiùs eligendū; & quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tamquam à seductore cauendum. Iam verò etiam nocte voluit nasci. Adhuc autem & in stabulo nascitur Christus, & in præsepio reclinatur, qui dicit, *Meus est orbis terræ, & plenitudo eius.* Quid ergo stabulnm elegit? Planè vt reprobet gloriam mundi, damnet sæculi vanitatem. Ipsa infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subuertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus, & ætatem intelligibilem, quàm infantilem? O sapientia, quæ de occultis traheris! ô verè incarnata & velata sapientia! Et tamen, fratres, ipse est promissus olim per Isaiam cap. 7. *Paruulus sciens reprobare malum, & eligere bonum.* Malum ergo voluptas corporis, bonum verò afflictio est: siquidem hanc eligit, & illam reprobat puer sapiens, Verbum infans. *Carnalis homo non capit ea quæ sunt spiritus Dei:* sed iam capiat & carnalis, quia Verbum factum est caro. Fuge voluptatem, quia posita est mors secus introitum delectationis. Age pœnitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei. Hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra infantilia manifestè loquuntur, hoc lacrymæ & vagitus euangelizant, &c.

Modus natiuitatis Christi condemnat iudicia mundi.

Psal. 49.

Christus exemplo suo docuit nos terrena despicere.

Quomodo Christus difficillima quaque & humillima, quæ homines maximè solent auersari, sibi in omnibus semper delegerit, pulchrè similiter ostendit sanctus Avgvstinvs *in lib. de Catechizandis rudibus, in hæc verba:* Omnia ergo bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, vt contemnenda monstraret: & omnia terrena mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat; vt neque in illis quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur. Natus enim de matre, quæ quamuis à viro intacta conceperit, semperque intacta permanserit, virgo concipiens, virgo pariens, virgo moriens, tamen fabro desponsata erat, omnem typhum carnalis nobilitatis extinxit. Natus etiam in ciuitate Bethlehem, quæ inter omnes Iudææ ciuitates ita erat exigua, vt hodieque villa appelletur, noluit quempiam de cuiuspiam terrenæ ciuitatis sublimitate gloriari. Pauper etiam factus est, cuius sunt omnia, & per quem creata sunt omnia: ne quisquam cùm in eum crederet, de terrenis diuitijs auderet extolli, &c.

Duplex enim *(inquit idem S.* Avgvstinvs *Serm. 4. Natiu.)* principaliter causa est, ob quam Dei Filius factus est filius hominis. Vna est, vt secundùm hominem omnia patiendo pro nobis, à peccatorum nos vinculis liberaret. sic enim Isaias cap. 53. prædixerat: *Hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolet.* & rursus: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra.* Altera verò causa est, vt nos non solùm doctrinæ auxilio & gratiæ, sed & exemplo suo ad virtutis fastigia prouocantem, maiore alacritate sequeremur; & iustissimum Dominum, ac pium Patrem, secundùm sententiam B. Petri, filij imitatione coleremus: sic enim ait: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* 1. Pet. 2.

Christi imitatio nobis ad salutem necessaria est.

Et lib. de Salutaribus documentis: Si in [Christo] esse volumus, sicut sanctus Apostolus Ioannes dicit, quomodo ille ambulauit, ita nos spiritualiter ambulemus. Quid est ambulare sicut Christus ambulauit? nisi contemnere vanitatem & felicitatem huius sæculi, & non timere aduersa pro nomine ipsius pati? Speremus quæ promisit, & sequamur quò ipse præcessit. Non nos vllo modo ab amore Christi separet huius sæculi miserabilis dulcedo. 1. Ioan. 2, 6

Nvm. 11. Non vtique Verbū conclusum erat in corpore.] *Græcè,* Οὐ μὴν περικεκλεισμένος ἦν ὁ Λόγος ἐν τῷ σώματι. *Commelinianus impressus Codex Athanasij legit,* οὐ γὰρ συνδέδετο τῷ σώματι, *hoc est,* non enim colligatum erat corpori. *Sed prior illa lectio quam noster hic codex habet, sine dubio melior. Nam Verbum per vnionem hypostaticam, quam Patres passim vinculum appellant inter humanitatem ac Verbum, corpori, & quidem indissolubili modo erat colligatum. Non tamen propriè conclusum in corpore dici potest, iuxta sensum hic à S. Athanasio expressum. Locus autem hic ex parte etiam superiori Capite num. 31. adfertur. Vti & locus hic numero 12. citatus, qui Capite etiam primo num. 26. ex parte legitur.*

Vers.

VERS. 7. Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio: quia non erat eis locus in diuersorio.

CHRYSOSTOMVS. Christus quomodo primogenitus, & vnigenitus. 13. CETERVM τὸ Primogenitum de dispensatione dictum puta: secundùm Deitatem enim vnigenitus appellatur.

14. Ad aliud hoc vtique atque aliud refertur, vt vnigenitus quidem intelligatur per generationem ex Patre, primogenitus verò per suam ad creaturam condescensionem. ATHANASIVS orat. [contra] Arianos

HIPPOLYTVS. 15. Quòd si velis; Verbum Dei primogenitum à cælo in B. Mariam descendens, etiam homo primogenitus in vtero formatum est; vt primogenitum Verbum Dei homini coaptatum primogenitum ostendatur.

COSMAS. 16 Primogenitus ex Patre ante sæcula, primogenitus infans ex virgine incorruptâ, Adamo manum porrigens, apparuit.

CYRILLVS 17. Rursus vnigenitus quidem est, quatenus est Verbum ex Patre, fratres secundùm naturam non habens, nec alteri cuiquam coniunctus, cùm sit vnus ac solus Filius Dei: primogenitus verò per suam ad creaturos condescensionem. Quando itaque vnigenitus nominatur, hoc dicitur nullâ causâ assignatâ secundùm quam sit vnigenitus, sed absolutè vnigenitus Deus existens in sinu Patris. Cum verò sacræ Scripturæ ipsum vocant primogenitum, statim subiungunt & quorum sit primogenitus, & causam propter quam hanc habeat denominationem. Aiunt enim, quòd sit primogenitus in multis fratribus, & primogenitus ex mortuis. Illud quidem in quantum natus est, similis nobis in omnibus absque peccato; hoc verò, in quantum primus ipse ad incorruptionem carnem suam resuscitauit. Et est vnigenitus quidem secundùm naturam, quippe solus existens ex Patre, Deus ex Deo, lumen ex lumine resplendens: primogenitus verò propter nos; vt cùm rerum conditarum primogenitus appelletur, per ipsum saluentur quæ ipsi coniuncta sunt. Cum enim oporteat omnino ipsum esse primogenitum, maneant etiam necesse est illi quorum est primogenitus. Si autem, secundùm Eunomium, primogenitus ex Deo dicitur, & reliquorum primus genitus; sit verò etiam ex Virgine primogenitus, erit vtique etiam ex ipsâ tamquam primus aliorum. Sin verò qui solus, & non ante alios ex Maria genitus est, eius primogenitus appelletur, ergo etiam primogenitus ex Deo, non tamquam multorum primus, sed vt solus genitus. Adhæc, si quæ prima sunt, secundorum causæ censeantur; primum autem erat Deus, & Dei Filius; dictorum ergo causa quoque est Filius, quippe ex ipso existentium. Qui igitur causa est secundorum filiorum, dicetur primogenitus, non tamquam primus sit illorum, sed quòd primus in causâ sit, cur filij appellatio illis accommodetur. Et sicut Pater cùm dicit, Ego primus, & ego post hæc; non necessariò creaturis suis congenitus esse intelligitur; sic nec Filius tametsi primus dicatur creaturæ, aut primogenitus omnis creaturæ, non idcircò erit vnus earum. Sed quemadmodum Pater principium se esse omnium ostendens, dixit: Ego sum primus; sic Filius primus creaturæ dicitur. Per ipsum enim omnia facta sunt, atque ipse est omnium creaturarum principium, quatenus creator & conditor est. Isa. 44. 1. Cor. 15. Ioan. 1.

NYSSENVS Hom. 13. in Cant. cant. Cant. 5. 18. De hoc etiam sponsa Ecclesia in Canticis dicit: Cognatus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Eum qui particeps factus est carnis ac sanguinis, candidum quidem ac rubicundum confessa, non tamen consimili eum ac cõmuni cum ceteris partu editum ait, sed inter omnes hominum, ex quo illi nati sunt, myriades, solus hic nouâ quadam partus specie in hanc vitam venit; cui ad nascendum natura non coöperata est, sed seruijt: cuius quidem in vtero conceptio naturæ impossibilis, impolluta verò ac doloris expers partitudo; & sine coniugio quidem conceptio, sine partitudine verò generatio. Non enim propriè de illâ incorruptâ & coniugij experte, partitudinis vocabulum vsurpari potest, quia virginitas & partitudo, nomina sunt quæ eidem nequeunt conuenire. Sed quemadmodum filius datus est nobis sine patre, sic & puer sine partitudine natus est. Vt enim ipsa Virgo non cognouit quo pacto in corpore ipsius diuinum Numen corpus coagmentauerit, sic neque patrem sensit. Antequam enim veniret labor parturiginum, effugit, & peperit masculum. Idcircò electus fuit, & vtraque parte naturæ ordinem innouauit: neque incipiens ex voluptate, neque procedens per dolores. Atque hoc fit ratione quadam consentaneâ, minimeque immeritò. Cùm enim illa quæ mortem in naturam per peccatum introduxit, condemnata sit vt in doloribus laboribusque pariat, decebat omnino matrem vitæ tam conceptionem à lætitiâ inchoare, quàm partum in lætitiam perficere. Aue, enim inquit ad illam Angelus, gratiâ plena; expellens hac voce tristitiam, quæ ab initio propter peccatum partui erat imposita. Electus igitur ex millibus, propter partum corruptionis ac passionis expertem, hac

Christi noua nascendi ratio. *Isa. 66.* *Partus mulierum in dolore, Virginis verò in lætitiâ est.*

hac proprietate à ceteris differentem. Vel fortè etiam propter ceteras generationis eius species, partitudinis & ipsas expertes, *Col. 1, 16.* hanc ei vocem sponsa accommodauit. Non ignoras autem omnino quoties genitus sit, qui vniuersæ nouæ creaturæ primogenitus est, qui primogenitus in multis fratribus, *Rom. 8, 29.* primogenitus ex mortuis: qui primus mortis parturigines dissoluit, ac per resurrectio- *Col. 1, 18.* nem suam vniuersis quasi viam ad partum aperuit: in his omnibus siquidem genitus est, non tamen per parturiginem editus. Parturiginis dolores vtique non admisit eius ex mortuis regeneratio, nec diuini illius opificij primogenitura; sed in his omnibus, partus expers doloris fuit. quâ de caussâ dicit: Electus ex millibus.

Nyssenus de Virginitate. Incorrupta Deiparæ virginitas.

19. Incorrupta vtique est Virgo illa, sancta, & labe carens, propter virginitatem deificantem, quæ modo quodá purissimorum eius mysteriorum consortes gloriæ, soli purissimoque Deo verè propriè consortes facit, per puritatem incorruptionemque illi coniunctor. Nam virginitas simul cum incorrupto Patre mente comprehenditur. Res profectò admiranda est, in patre virginitatem reperiri, qui & filium habeat, & sine affectione genuerit. Cum vnigenito autem Deo, incorruptionis auctore, simul cognoscitur, cùm in eius pudicá passionisque experte generatione pariter eluxerit. Rursus æquè mirum, quòd Filius per virginitatem sit cognitus; spectatur autem similiter in Spiritus puritate atque incorruptione. Qui enim purum illum nominat atque incorruptum, alio nomine virginitatem significauit. Cum omni autem supermundiali naturâ conuersatur, ob carentiam affectionum sublimibus illis potestatibus adsistens. Hoc itaque tantum bonum incorporeæ naturæ proprium, etiam Dei benignitate adest ijs qui per carnem & sanguiné vitam sortiuntur, cum quibus diuina gratia, ad virtutis huius desiderium, benigne cooperatur. Hanc ob causam existimo etiam fontem ipsum incorruptionis, Dominum nostrum Iesum Christum, nullà nuptiarum quæsità viâ, in hunc mundum ingressum, vt ex modo incarnationis, magnum hoc mysterium patefieret; quoniam Dei præsentiam ingressumque sola puritas excipere sufficiens est, quam aliter omnino perfectè præstare nemo potest, nisi qui ab omnibus se carnis affectionibus alienet. Quod enim in inuiolatâ Mariâ cõtigit, corporaliter plenitudine Diuinitatis in Christo per virginem elucente, hoc ipsum etiam in omni animâ secundùm sermonem virginitatem seruante contingit, Domino non ampliùs corporalem suam præsentiam exhibente. Non enim, inquit, cognoscimus ampliùs secundùm carnem Christum, sed spiritualiter inhabitantem; & Patrem secum ducentem, quemadmodum ait Euangelium. *Ioan. 4.*

Nyssenus de Natiuitate. Rubus figura virginei partus.

20. Hoc mihi magnus ille Moyses, per eam lucem in quâ illi Deus apparuit, videtur cognouisse, qui cum rubus arderet, nec tamen consumeretur, Accedens, inquit, videbo visionem hanc magnam. Non loci motum, vt arbitror, per accessum declarans, sed temporis transitum. Quod enim tunc per flammam ac rubum præfigurabatur, præterlabente tempore intermedio, in mysterio Virginis perspicuè fuit reuelatum. Quemadmodum enim illic est rubus, & tangit ignem, & non comburitur: ita & hic est Virgo, quæ lucem parit, & non corrumpitur. Quòd autem per rubum Deiparæ corpus Virginis præfiguretur, ne te pudeat obscuræ similitudinis. Nam omnis caro propter peccati susceptionem, vel eo ipso solo quòd caro est, peccatum est: peccatum autem in Scripturâ vocatur spina. Rubus itaque Deipara est, Diuinitatis quidem igne illuminata, sed minimè combusta.

Athanasius ad Epictetum contra hæreses. Christum non aliunde carnem adsciuisse, sed tantum ex Maria virgine assumpsisse.

21. Etenim quis infernus eructauit, quòd dicatur ex Mariâ acceptum corpus, eiusdem esse substãtiæ cum Verbi Diuinitate? aut ipsummet Verbum in carnem immutatum esse, & à propriâ degenerasse naturâ? Quis autem audiuit, quòd Dominus tantùm apparenter & non reipsà corpus gestauerit? vel quòd non ex Mariâ, sed ex sua substantiâ sibi corpus patibile Verbũ transformarit? vel quòd is qui dicit Domini corpus esse ex Mariâ, non vtique Trinitatem sed quaternionem in Diuinitate sentiat? Quasi verò, qui ita affecti sunt, dicant propterea substantiæ Trinitatis esse carnem, quam Saluator ex Mariâ induit? Vndénam autem nonnulli eructarunt, corpus non esse recentius Verbi Diuinitate, sed illi perpetuò coæternum extitisse, quandoquidem ex Sapientiæ substantiâ compositum sit? Quomodo autem etiam ausi sunt ambigere, sitne Dominus ex Mariâ editus, substantiâ quidem ac naturâ Filius Dei; corpore autem ex semine Dauidis, & ex carne B. Mariæ? Quomodo autem Christiani sint, qui dicunt Verbum ita in sanctum hominem, vt in aliquem ex Prophetis, descendisse, & non ipsum hominem factum esse, desumpto ex Mariâ corpore, sed alium esse Christum, & aliud Dei Verbum, quod ante Mariam & ante sæcula extiterit Filius Patris?

Nyssenus cont. Apollinarem. Christus assumpsit omnes partes hominis.

22. Quis autem Christianorum dicit permixtum Deo hominem dimidium esse, at non integrum diuinæ potentiæ adiunctum,

ctum, quibuscumque quis voluerit nominibus partes hominis appellare, siue mentem, siue spiritum, siue cor. (dicuntur enim tria hæc de parte eius principe à Scripturâ) vt illud: Cor crea in me Deus. &, Intelligens gubernacula possidebit. &, Nemo nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus qui est in eo. Non igitur Dominicus hic homo, aut spiritus, aut mentis, aut cordis expers; sed nec è cælo descendit hic homo. Nam in terrâ Maria, in terrâ spelunca, terrenum præsepe est. Quomodo ergo Apollinarius nobis de cælo hominem in terram traducit?

Psal. 50. Prou. 1.

Nazianzenus ad Nectariũ. Caro Christi non è cælo delata. Ioan. 3, 13.

23. Atque Euangelicum quoddam dictum perperàm acceptum ad huiusmodi absurditatis testimonium prætendit, dicens: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit è cælo, filius hominis. quasi verò ante descensum ipse filius hominis esset, ac descenderit propriam adducens carnem illam, quam in cælis habuerat ante-sæcularem quamdam & coëssentialem. Profert enim rursus Apostolicum quoddam dictum à toto contextus corpore auulsum, quòd secundus homo de cælo. Deinde, hominem illum qui supernè venit, mentis expertem fuisse astruit, verùm Vnigeniti Deitatem, mentis naturam supplentem, tertiam humanæ coagmentationis & coniunctionis partem extitisse, animâ nempe ac corpore, secundùm humanitatem in ipso existentibus, mente autem minimè, eius videlicet locum Dei Verbo supplente. Et quod omnium est grauissimum, ipsum Dei Vnigenitum, vitæ largitorem, mortisque euersorem, mortalem esse astruit, ac in propriâ naturâ passum, & in corporeâ illa morte triduanâ vnà cum corpore obijsse Deitatem, & sic à Patre rursus post mortem suscitatum.

1. Cor. 15.

Nazianzenus ad Cledoniũ. Fides Christiana de Incarnatione.

24. Non autem decipiaris vt imprudens ac mente captus, hominem Dominicum (vt ipse loquitur) vel potiùs Dominum nostrum ac Deum, mentis expertem esse existimans. Non enim hominem à Diuinitate separamus, sed vnum & eiusdem profitemur, priùs quidem non hominem, sed Deum [ac Filium vnigenitum] æternum, à corpore rebusque corporeis segregatum. In fine quoque hominem assumptum pro salute nostrâ, carne passibilem, Diuinitate impassibilem; corpore circumscriptum, spiritu incircumscriptum; terrenum eumdem ac cælestem, visibilem & intelligibilem, comprehensibilem atque incomprehensibilem; vt per totum hominem eumdem ac Deum, totus homo in peccatum lapsus refingatur.

1. Si quis Mariam Deiparam non suscipit, extra Diuinitatem erit.

2. Si quis [Christum] per Virginem tamquam per canalem fluxisse, non autem diuinitus simul ac humanitus formatum dixerit, diuino quidem modo, quia sine viro; humano verò, quia iuxta pariendi consuetudinem; æquè atheus est.

3. Si quis formatum hominem fuisse, Deumque posteà subijsse dicat, damnationi obnoxius est. Hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga.

4. Si quis induxerit duos Filios, alterum quidem ex Deo & Patre, alterum verò ex matre, sed non vnum & eumdem, is à salute atque ab eâ quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. Naturæ siquidem duæ sunt, Deus & homo, quemadmodum & anima & corpus, non tamen duo Filij aut Dij. Vti nec hic quidem duo sunt homines, tametsi Paulus ad hunc modum internam & externam partem hominis appellauerit. Atque vt præcisè loquar, Aliud quidem atque aliud sunt ea ex quibus Saluator (cùm id quod inuisibile est, non sit idem cum eo quod videri potest; nec quod temporis expers est, cum eo quod subest tempori) non alius tamen atque alius; absit. Vtraque enim per incarnati Dei atque hominis deificati coniunctionem vnum fiunt, adeò quocumque tandem nomine quis vti malit. Dico autẽ & Aliud, contrà quàm in Trinitate res habet. Illic enim alius atque alius, ne personas confundamus; non autem aliud atque aliud, quoniam tria quoad Diuinitatem vnum & idem sunt.

1. Cor. 15. 2. Cor. 4. Ephes. 3.

Τὸ Alius in Trinitate locum habet, non aliud in Christo contrà.

5. Si quis in illo Diuinitatem, secundùm gratiam tamquam in Prophetâ operatam fuisse dixerit, non verò secundùm essentiam copulatam esse aut coaptatam, à præstantiori afflatu vacuus sit, imò contrario impleatur. Si quis in hominem mentis expertem sperarit, næ ille amens est, & indignus qui totus saluetur. Quod enim assumptum non est, neque curatum est. Sed sufficiebat, inquiunt, Diuinitas pro mente. Hoc autẽ quid ad me? Sola enim cum carne Diuinitas non est homo, nec cum animâ solâ, quin nec cum vtraque simul, dum mens absit, quæ magis homo est. Serua itaque totum hominem, & adiunge Diuinitatem, vt me perfectò beneficio afficias. Sed mens, inquit, nostra condemnata est. Quid autem caro? an hæc indemnis? Quare aut hanc quoque propter peccatum abijce, aut illam propter salutem adiunge. Si id quod vilius est, vt per incarnationem sanctificaretur assumptum sit, id quod longè præstantius est, non assumetur, vt per incarnationem sanctum efficiatur? Si argilla fermentata sit ac nouum facta fermentum, imago ipsa non fermentabitur, & per Diuinitatem deificata, Deo non coniungetur?

Christus mentem assumpsit humanam.

1. Cor. 5.

getur? si mens derelicta, ignoscendum ijs qui circa mentem delinquunt. Tu itaque tamquam sarcolatra (siquidem ego anthropolatra sum) mentem meam contemnis, vt carni Deum alliges, quasi adstringi aliâ ratione nequeat; ac propterea intermedium parietem tollis. Mea autem ratio (indocti quippe atque illitterati) quænam est? Mens menti, vt propinquiori & similiori, coniungitur, ac per eam carni, interueniente Diuinitate atque crassitie. Quemadmodum igitut carne propter carnem damnatá opus habuit, atque animâ propter animam; sic non & mente propter mentem, quæ in Adamo solùm peccauerat, verùm etiam, vt in morbis Medici loquuntur, primùm affecta erat.

Apollinarista sarcolatra.

DAMASCENVS l. 3. de Fide cap. 3. *Vnio hypostatica qualis.*

25. Quamobrem duabus è naturis completis, diuinâ scilicet & humanâ, vnionem extitisse dicimus; non per conspersionem commixtionémve aut attemperationem, iuxta Seuerum & Dioscorú atque Eutychem; nec personalem aut habitualem, vel secundùm dignitatem, voluntarísve conspirationem, aut nominis honorísque æqualitatem, aut beneplacentiam, vt inuisus ille Deo Nestorius, Diodorus, & Theodorus Mopsuestiæ asseuerant: sed per compositionem, vel potiùs hypostasim. Nam substantialem hanc vnionem dicimus, hoc est veram, & non imaginariam. Non autem ita substantialem, quasi ex duabus perfectis naturis vna quædam sit natura cõposita; sed quòd inter sese verè vnitæ sint in vnâ Filij Dei [quasi] compositâ hypostasi siue supposito: atque ita substantialem earum differentiam saluari definimus. Mens autem Diuinitatis ipsi personaliter vnitæ sedes existit, quemadmodum videlicet & caro: non contubernalis, vt execranda hæreticorum errat opinio. Non enim, inquiunt, vas vnius modij duo modia capiet; corporaliter ea quæ materiæ expertia sunt iudicantes.

NYSSENVS de Natiuitate. *Christus in speluncâ natus, & quibus circumstãtiis.*

26. Sed ad Bethleem reuerti nos suadet oratio, & quæ in speluncâ peragantur mysteria, contemplari. Quid sibi vult puer fasciis inuolutus, & in præsepio quiescẽs? quid post partum Virgo, & mater incorrupta, quæ natum complectitur? An fortè hæc fortuito quodam facta sunt casu, & de Christo, quasi nulla historiæ ratio subsit, referuntur? Quid hoc sibi vult, quòd ad speluncam Dominus diuertatur, quòd in præsepio reclinetur, quòd tempore descriptionis, quo tributa pendebantur, in lucem prodeat? Hinc vtique manifestum est, quòd quemadmodum legalem sustulit execrationem, factus pro nobis execratio, nostraque in se recepit

Isa. 53. vulnera, vt nostris ipse vulneribus suo vulnere mederetur; sic tributo subijcitur, vt nos tributo solueret, quod genus humanum pendebat à morte censitum. Per speluncam autem in quâ Dominus nascitur, obscuram terrenamque hominum vitam intellige, in quâ is nascitur, qui in tenebris & vmbrâ mortis sedentibus apparet. Pannis constringitur, qui peccatorum nostrorum in se vincula suscepit. Præsepe verò bestiarum, est domus in qua Verbum nascitur, vt cognoscat

bos possessorem, & asinus præsepe Domini Isa. 1.
sui. Bus autem, est Iudæus legi subiugatus. *Quid bos, asinus, fœnum, designent.* Asinus verò animal oneribus ferendis aptum, gentilis est sub grauissimo idololatriæ iugo gemens. Ordinarius autem brutorum

animalium cibus est fœnum. Producens, Psal. 103.
enim inquit Propheta, fœnum iumentis. Animal verò rationale pane vescitur: idcir-
cò igitur in præsepi, vbi brutorum pabulum Ioan. 6.
poni solet, panis vitæ qui de cælo descendit, proponitur, vt animalia quoque rationis expertia, rationalem cibum participarent. In præsepi igitur, bouem inter & asinum, medius est vtriusque Dominus, vt intermedium parietem maceriæ soluens, in semet-
ipso [coniungat] vtrumque atque in nouum Ephes. 2.
hominem reformet, durum ab illis iugum legis auferendo, & hos idololatriæ oneribus eximendu.

CYRILLVS *Christus cur in præsepio positus.*

27. Reperit hominem factum bestialem, idcircò in præsepio tamquam loco pabuli ponitur, vt vitam brutalem mutantes, ad conuenientem homini perducamur scientiam, & bestiali anima ad propriam mensam præsepiumque accedentes, reperiamus non amplius fœnum, sed panem cælestem, vitæ corpus.

CHRYSOSTOMVS. *Quomodo ad Christũ accedendum sit.*

28. Quòd in præsepio videntes atque tugurio Magi, cum multâ veneratione ac timore accesserunt & adorarunt; tu id ipsum non in præsepio, sed in altari cernens, maiorem istis barbaris exhibe pietatem. Neque verò simplici accedas modo, ne capiti ipse tuo ignem congeras. Hoc autem non eò dico, vt non accedamus, sed vt non modo vulgari. Quemadmodum enim sic accedentibus periculum, ita Cœnæ quoque mysticæ non communicantibus, fames, morsque ipsa proposita est. Hæc animæ nostræ mensa est, hęc robur ac neruus mentis, confidentiæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita. Cum hac discedentes inde à sacrificio cum fiduciâ multâ, vestibula sacra conscendemus, tamquam quibusdam armis aureis vndique circumcincti.

CHRYSOSTOMVS Hom. 7. in Matth.

29. Erubescat Marcion, Deum in carne adoratum videns. Suffundatur Paulus Samosatenus, cernens non vt hominem adoratum. Quod enim in carne sit, fascij ac

præsepe

præsepe declarant: quòd autem non vt exilem illum ac vilem hominem Magi adorarint, ostendunt, cùm illi adhuc infantulo tenello talia dona obtulerunt, quæ Deo offerre fas erat.

ANNOTATIONES.

VERS. 7. *Deus factus homo, vt homo fieret Deus.*

ET PEPERIT FILIVM SVVM.] *Eleganter & acutè* S. AVGVSTINVS *Sermone 9. Natiuitatis ait:* Dominus noster Iesus Christus, qui in æternum est cunctorum creator, hodie de matre nascendo factus est nobis Saluator. Factus est Deus homo, vt homo fieret Deus: vt panem Angelorum manducaret homo, Dominus Angelorum factus est hodie homo. Hodie impleta est prophetia illa, quæ

Isa.45,8. dicit, Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.

Psal.118,67 Factus est qui fecerat, vt inueniretur qui perierat. Sic enim in Psalmis homo cõfitetur: Priusquã humiliarer ego peccaui. Peccauit homo, & factus est reus, natus est homo Deus, vt liberaretur reus: qui datus est primò sine matre in cælis, hodie natus est sine patre in terris. O miracula! ô prodigia! ô mysteria! Fratres, naturæ iura mutantur in homine: Deus nascitur, virgo sine viro grauidatur, viri nesciam sermo Dei maritat. Simul facta est mater & virgo, mater facta, sed incorrupta. O mira & inexquisita compago! ô noua & inaudita commixtio! Deus qui erat, qui est, fit, creator creatura; qui immensus est capitur, diuites constituens pauper efficitur, incorporeus carne vestitur, videtur inuisibilis, palpatur impalpabilis, comprehenditur incomprehensibilis; quem cælum & terra benedicit, in præsepio angusto collocatur, &c.

IBIDEM. ET PANNIS EVM INVOLVIT.] *Pulchrè hic iterùm* S. AVGVSTINVS *Serm. 3. Natiu. ait:* Occultata in membris infantis, potentia maiestatis. Deus pendet ad vbera genitricis, pannorũ vilium squalore contegitur, durissimi sufficit præsepis angustias, & totum misericors humiliter patitur, dummodò mundus, qui perierat, liberaretur. O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata! ô gratissimi delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium æternosque ploratus euasimus! ô felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! ô præsepè splendidum, in quo non solùm iacuit fœnum animalium, sed cibus inuentus est Angelorum.

Hæc etiam loco accommodari possunt, quæ Serm. 28. in Cantica eleganter S. BERNARDVS *scribit, ad hæc verba*, sicut pelles Salomonis. Agnosco pellem Salomonis, imò ipsum in pelle foris nigrâ Salomonem amplector. Habet & Salomon nigredinem, sed in pelle foris & in cute niger, non intus, alioquin omnis gloria eius filia regis ab intus. Intus Diuinitatis candor, decor virtutum, splendor gloriæ, innocentiæ puritas; sed tegit hæc despicabilior infirmitatis color, & quasi absconditus vultus eius & despectus, dum tentatur per omnia pro similitudine absque peccato. Agnosco denigratæ formam

Christus velut alter Iacob vestibus priorib. induitur, vt nos benedictionem assequamur.

naturæ, agnosco tunicas illas pelliceas, protoplastorum peccantium habitum. Denique semetipsum denigrauit, formam serui accipiens in similitudinẽ hominum factus. Agnosco sub pelle hædi (qui peccatum significat) & manum quæ peccatum non fecit, & collum per quod mali cogitatio non transiuit; ideoque non est inuentus dolus in ore eius. Noui quòd sis læuis naturâ, mitis & hu-

Heb.1,9. milis corde, blandus aspectu, suauis spiritu, & quidem vnctus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Vnde ergo nunc instar Esau pilosus & hispidus? vnde ij pili? Mei sunt. Nam pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris. Meos agnosco hos pilos, & in pelle meâ videbo Deum Saluatorem meum. Non tamen Rebecca sic illum induit, Iob 19,26.

sed Maria, tantò digniorem qui benedictionem acciperet, quantò sanctior quæ peperit. Et benè in meo habitu, quia mihi benedictio vendicatur, mihi postulatur hereditas. Siquidem audierat, Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam. Psal.2,8.

Quomodo dabis ei, si sua est? & quomodo suam moneas vt postulet? Mihi proinde postulat, qui meam ad hoc induit formam, vt suscipiat causam, quoniam disciplina pacis nostræ super eum, & in eo posuit Dominus iniquitates omnium nostrûm, vnde debuit fratribus per omnia Isa.53,5.

assimilari, vt ait Apostolus ad Heb. 2. vt misericors fieret; propterea vox quidem, vox Iacob, manus autem, manus sunt Esau. Suum est quod auditur ex eo, quod in eo videtur, nostrum. Quod loquitur, spiritus & vita est; quod apparet, mortale & Gen.27,22.

mors: aliud cernitur, & aliud creditur: nigrum sensus renuntiat, fides formosum probat; niger est, sed oculis insipientium, nam fidelium mentibus formosus valdè.

Vnio hypostatica est personalis.

NVM. 25. *Locus hic Damasceni prudenter intelligendus. Nam vbi vnionem hypostaticam videtur negare personalem, intelligendum iuxta sensum Nestorij, quem hic impugnat, ita vt τὸ ἰδὲ προσωπικὴν referendum sit ad id quod sequitur, videlicet ὡς ὁ θεοστυγὴς ἔφη Νεστόριος*, vt inuisus ille Deo Nestorius ait: *qui ponebat in Christo vnionem personalem, quæ humanam dumtaxat naturam afficeret, ita vt Christum verè Deum negaret. Alioquin in communi sensu Catholicorum propriè loquendo personalis hæc vnio fuit, nempe ad personam diuinam, quæ vtramque naturam Christi immediatè terminat. Cùm autem paulò post dicit, εἰς μίαν ὑπόστασιν σύνθετον*, in vnâ hypostasi

Hypostasis Christi est simplex.

compositâ, *sano quoque modo illud intelligendum est, videlicet de impropriè dictâ compositione; quocirca subintelligendum* quasi. *Simplicissima enim per se est hypostasis Christi, vtpote diuina; virtualiter tamen & impropriè composita, vel potiùs componens dici posset, quatenus constituit Christum ex duabus naturis integris compositum. Illud autem nomen proprium quod immediatè sequitur, videlicet Μοψουεστίας Θεόδωρος, Iacobus Faber Stapulensis ridiculè sanè pro eo vertit*, igne dignus Theodorus, *quo licet ille Theodorus, vt hæreticus, dignissimus sit, τὸ Μοψουεστίας tamen ibi nomen esse loci, cuius ille Theodorus Episcopus fuit, nimis clarum est quàm vt ignorari possit.*

Christus in speluncâ natus.

NVM. 26. Quæ in speluncâ sunt mysteria.] *Fauet huic & auctoritatem addit sententia, quæ docet, locum Natiuitatis Christi, non stabulum fuisse alicuius rusticæ domus, vti plurimi cum S. Cypriano putant, sed speluncam aliquam in rupe in extremâ & Orientali parte vrbis Bethlehem, vti tradit S. Hieronymus testis oculatus, in epist. 28. ad Marcellam, & cum eo S. Augustinus in Dialogo contra Tryphonem, Epiphanius Hæresi 20. & Eusebius lib. 7. Demonstrationis Euangelicæ cap. 5. qui omnes locum Natiuitatis Christi, speluncam vocant in rupe excauatam, iuxta promurale ciuitatis, ad tegendos pauperes, & ab hiemis & imbrium iniurijs tuendos. Hunc loco optimè ac-*

 com-

commodari potest illud Cant. 2. vers. 14. Surge amica mea, speciosa mea, & veni; columba mea in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ. *q.d. Surge dilecta a Nazareth, & veni, vt maneas in Bethlehem, in cauernâ maceriæ mihi ad nascendum præparatâ. Cui maximè quadrat Septuaginta versio, quæ ait:* ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας ἐχόμενα τοῦ προτειχίσματος. *id est,* in tegmento petræ iuxta promurale. *Magis enim habebat rationem tegmenti quàm domus multis cubiculis fabricata.* O felix cauerna, ô beata spelunca, quæ cælorũ capit Dominum, & ad se trahit vniuersum mundum! Quo sermone (*inquit* D. HIERONYMVS *suprà citatus*) quâ voce speluncam Saluatoris exponam; & illud præsepe in quo infantulus vagijt, silentio magis quàm infimo sermone venerandum est. Ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus est, hîc inuolutus pannis, hîc visus à pastoribus, hîc demonstratus à stellâ, hîc adoratus à Magis. Et tu ergo surge, & veni ad hanc cauernam, in hac speluncâ Regem tuum adora, & tantæ humilitatis exempla contemplare, &c.

Beda de Locis sanctis cap. 8. docet, è petrâ huius speluncæ perennem, per miraculum, ob Christum natum, fontem emanare; idque ad sua vsque tempora: & eotam speluncam à Christianis ornatam marmore, & factam ibidem insignem Ecclesiam in honorem B. Mariæ. In hac autem speluncâ, vti hoc loco etiam Nyssenus cum alijs tradit, erat præsepe ligneum commune omnibus istius regionis pastoribus, quod etiamnum Romæ videri dicitur, in quo Christus inter bouem & asinum medius fuit collocatus, vti prædixerat Habacuc cap. 3. v. 2. ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ. In medio duorum animalium cognoscêris. *Cui etiam appropriatur illud Isa. 1. vers. 3.* ἔγνω βοῦς τὸν κτησάμενον. *quod hoc loco etiam Nyssenus cum S. Hieronymo, Nazianzeno, Paulino, Cyrillo, alijsque apud Baronium anno Christi primo, accommodant ipsi Christo inter bouem & asinum in præsepi reclinato. vbi videbis hæc fusiùs pertractata.*

Nota autem hîc, vt Nyssenus insinuat, & infrà num. 37. tradit Geometra, Christum statim vt natus est, ab Angelis in brachia amantissimæ matris depositum, quæ deinde statim eum fascijs inuoluit, atque in præsepio reclinauit. In honorem autem harum fasciarum nobilis erecta est basilica, & anniuersaria festa dies indicta, vt patet ex Germano & Euthymio in Oratione De fascijs Domini, apud Lipomanum tomo 6. Augusti 31.

VERS. 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.

9. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

10. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

11. quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid.

30. DOMINVS & Christus non sunt nomina substantiæ, sed dignitatis: illud quidẽ à potestate, hoc verò ab vnctione. Neque Christus est diuersus à Verbo, sed vtrumque simul, Deus & homo. Verbum enim est vnguentum; quod autem ab eo vnctum est, est homo. Non sine hoc igitur solùm Christus vocabitur, sed in hoc nomine, quod vnicum est, vtriusque, humanitatis scilicet ac Diuinitatis significatio declaratur. Ideoque homo Christus dicitur & Deus, cùm vnus sit Christus. — ATHANASIVS Orat. 5. contr. Arianos. *Christus quid significet.*

31. Non autem, vt quidam mentiuntur, ante incarnationem ex Virgine mens est vnita Verbo, & ex tunc vocatus Christus. Hoc enim commentum absurdum, inter deliramenta recensetur Origenis, docentis animas præextitisse corporibus. Nos autem Christum natum & appellatum dicimus Filium ac Verbum Dei, ex quo in vtero B. Virginis commoratum & incommutabiliter caro factum est, caroque eius inuncta Diuinitate (vnguentum enim hæc est humanitatis. vti etiam sanctus scribit Cyrillus. Ego enim, inquit, neque Verbum Dei sine humanitate, neque templum ex muliere natum & Verbo non vnitum Christum Iesum nominandum dixero. Verbum enim Dei, quatenus per dispensatiuã quamdam vnionem, humanitati modo inexplicabili vnitum est, vocatur Christus. Postquam enim vnctus fuit oleo lætitiæ, hoc est Spiritu sancto, à Deo & Patre, exinde Christus appellatur. — DAMASCENVS l. 4. Fidei cap. 6. *Quando Christus vocatus sit.* — Epist. ad Theodosium.

32. Nam nomen Christus apud Hebræos sacerdotium simul & regnum significat. — EVSEBIVS.

ANNOTATIONES.

VIGILANTES.] *Græcè,* ἀγραυλοῦντες, *id est,* in agro stabulãtes, *vel* sub dio pernoctantes. *Hinc Iosephus Scaliger, in Emẽdatione temporũ, certo se monstrare ait, Christum in Septembri natum esse, eò quod tunc adhuc in agris pascantur & sub dio pernoctent oues, non autem in Decembri, cùm media est hiems. Sed hoc nouum portentum, vti & illud alterum ipsius, scilicet Ecclesiam errare in duobus annis Christi, nempe hunc annum non esse 1628. sed 1630. repugnat Ecclesiæ, & communi sæculorum omnium traditioni, quæ Christi natiuitatem celebrat & semper celebrauit 25. Decembris, cui velle oblatrare, vt inquit D. Augustinus, stolidissima dementia est. Respondeo ergo, coniecturam hanc leuiculam esse. Nam Græcum* ἀγραυλοῦντες *deduci potest ab* ἀγρὸς & αὐλή, *hoc est* caula *vel* stabulum *rusticanum, siue sit sub dio, siue tecto copertum. In regionibus autem calidis & temperatis, vti est Palæstina, vbi loca sunt compascua, greges pascuntur in agris toto anno, & pernoctant etiam hieme subinde sub dio, si mitior sit aura, subinde in ouilibus & mapalibus ad hoc comparatis, qualia hic iuxta turrim Ader, vbi pascua erant optima. Ibi ergo, non in vrbe, sed in agris erant ouilia, in quibus nutriebantur oues, vt tempore congruo ad pascua in agros vicinos* — VERS. 8.

edu-

educerentur. Imò etiam hic & in Scotiâ, alijsque frigidis regionibus oues totâ hieme, nisi altior sit nix, pabulatum ad agros egredi videmus.

Cur Angeli primò pastoribus apparuerint.

Rationes autem cur Angelus primùm pastoribus apparuerit, reddit Euthymius. Prima, quia Christus voluit nos in omnibus docere paupertatem & humilitatem: pastores autem simplices ac humiles magis placebant Deo quàm increduli Pharisæi.

Secunda, quia pastores veterum pastorum Deo dilectorum vitam sectabantur.

Tertia, quia Christus erat futurus pastor populi.

Quarta, vt significaret pastoribus omnium rationalium primum diuina mysteria reuelari, qui deinde suas oues, id est plebem, doceant.

Quinta, vt addit Auctor de Mirabilibus Scripturæ sacræ apud D. Augustinum libro 3. capite 2. quia Christus vt agnus venerat pro mundi salute immolandus, congrue ergo pastoribus apparet.

Sexta, Tropologicè Christus ijs apparet, qui suis actionibus & cogitationibus quasi pastores inuigilant.

Eleganter sanè S. BERNARDVS *Sententiâ* 12. Pastorum est, *inquit*, vigilare super gregem propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propriâ molestiâ deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplinâ rigor iustitiæ, in custodiâ spiritus consilij, in prece affectus compassionis.

Sanctus Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ ad Eustochium, putat hanc apparitionem contigisse iuxta turrim Ader, quæ erat iuxta Bethlehem, vbi olim Iacob pauerat greges suos, Geneseos 35. & dicta est Ader, id est gregis, eo quòd illic ob agros pascuos gregum erat copia. Vbi postea ædificata est Ecclesia trium pastorum (tot enim fuisse pastores, quot Magos, docet S. Bernardus Sermone 6. de Natiuitate) Christi natiuitatis consciorum monumenta continens, vti testatur Beda de Locis sanctis, cap. 8.

Angeli visitant vigilantes & laborantes, non desides.

VERS. 9. ANGELVS DOMINI STETIT IVXTA ILLOS.] *Pulchrè* S. BERNARDVS *Serm. 3. Natiuit.* Accedit, *inquit*, ad consolationem ipsa, quæ pastoribus vigilantibus exhibita est visitatio & allocutio Angelorum. Væ vobis diuites, qui habetis consolationem vestram, vt iam non mereamini habere cælestem. Quàm multi enim nobiles secundùm carnem, quàm multi potentes & sapientes huius sæculi, horâ illâ in stratis mollibus quiescebant, & nemo eorum dignus habitus est nouam videre lucem, scire magnum illud gaudium, angelos audire cantantes, Gloria in excelsis Deo. Agnoscant homines: quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant quàm placeat supernis ciuibus labor. Putatis, fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum quod nunc loquor ad vos, vacuum & sine aliquâ vtilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego? aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse dolebit homo pusillus, imò & nihili; quàm iustè indignabitur Dominus maiestatis, si tantam eius operam nostrâ aut duritiâ aut negligentiâ contingat euacuari.

Christi Natiuitas solatio est miseris & pauperibus, non lascivientibus & diuitibus.

* *Et Serm. 5. indicans quibus Christi Natiuitas solatio sit, ad illa verba*, Consolamini, consolamini popule meus, *ait*: Vtique populum humilem, quem saluum faciet. Nam oculos superborum humiliabit. Vis nosse populum eius? Tibi derelictus est pauper, ait homo secundùm cor Dei. Sed & ipse in Euangelio: Væ vobis, diuites, qui hîc habetis consolationem vestram. Vtinam nos, fratres, in eo populo inueniri nos semper optemus, non cui dicit væ; sed quem consolatur Dominus Deus suus: quid enim consoletur eos, qui suam habent consolationem? Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolantur Christi lacrymæ cachinnantes, non consolantur panni eius ambulantes in stolis, non consolantur stabulum, præsepe & fœnum amantes primas cathedras in synagogis; sed æquanimiter vniuersam hanc consolationem exspectantibus, in silentio Dominum lugentibus, pannosis pauperibus cedere videbuntur. Angeli quoque non alios consolantur: vigilantibus enim pastoribus euangelizatur gaudium nouæ lucis, & eis natus dicitur esse Saluator, pauperibus atque laborantibus, non vobis diuitibus qui hîc habetis consolationem vestram, & væ diuinum, &c.

Psal. 17, 28
Psal. 10. sec. Hebr. vers. 14.
Lucæ 6, 24.

Soli pœnitentes ac iusti timere non debent.

VERS. 10. NOLITE TIMERE.] S. BERNARDVS *Serm. 4. Natiuitatis solis illud iustis ac pœnitentibus dictum cupit, dicens:* Nolite timere, ô Iuda & Ierusalem, nolite timere veri confessores: qui non solùm ore, sed toti pariter & omni parte Domino confitemini, induti confessionem sicut vestimentum: imò quorum omnia interiora Domino confitentur, & omnia ossa dicunt, Domine quis similis tibi? Non sicut ij qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Vera confessio est, si omnia opera nostra, fratres, opera eius sint, & confiteantur ei; confiteantur autem ei confessione peccatorum, & confessione laudis diuinæ. Tunc enim verè Iudæi eritis, si omnis vita vestra confiteatur vos peccatores, & dignos multò maioribus pœnis. Deum verò summè bonum, qui pro his leuibus & transitorijs pœnis æterna condonat supplicia, quæ meruistis. Estote etiam Ierusalem vera, vt nihil iam timeatis. Est enim Ierusalem visio pacis, cuius fines Dominus posuit pacem; vt omnia quæ facitis, huius pacis, quæ exuperat omnem sensum, desiderio faciatis; in omnibus hoc intendatis, vt reconciliati pacem habeatis ad Deum. His dicimus, Nolite timere, hos consolamur ortu Christi, non eos qui viam pacis non cognouerunt. Nam si illis dicitur, Cras egrediemini, comminatio non consolatio erit ista; soli enim dissoluti desiderant, & egredi concupiscunt, qui pacem vident, &c.

Christus nobis natus, non sibi aut Angelis.

VERS. 11. NATVS EST VOBIS HODIE SALVATOR.] *Iterùm eleganter* S. BERNARDVS, *qui vt vbique suauis, in mysterio tamen Incarnationis vel maximè mellifluus, Serm. 3. super* Missus *ait*: Magnificetur à nobis paruulus, magnus Dominus, qui vt faceret magnos, factus est paruulus. Paruulus, ait, datus est nobis, & filius natus est nobis. Nobis inquam, non sibi, qui vtique ante temporalia multò nobiliùs natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non Angelis quoque, qui cùm magnum haberent, paruulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis est datus, quia nobis necessarius. Iam de nobis nato & dato faciamus, ad quod natus est & datus. Vtamur nostro in nostram vtilitatem, de Saluatore salutem operemur. Ecce paruulus in medio statuitur. O paruulus desiderantis! ô verè paruulus! Sed malitiâ, non sapientiâ, studeamus effici sicut paruulus iste, discamus ab ipso quia mitis est, & humilis corde, ne magnus

Isa. 9, 6.

Deus sine causâ factus sit homo paruus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus communicemus passionibus, & ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris, quoniam ad hoc ipse natus est.

Nominis Christi origo & significatio

NVM. 30. Nomen Christus apud Hebræos sacerdotium simul & regnum significat.] *Vti etiam docet* LACTANTIVS *lib. 4. de Verâ sapientiâ cap. 7. sic scribens :* Christus non proprium nomen est, sed nuncupatio potestatis, & regni. Sic enim Iudæi Reges suos appellabant. Sed exponenda huius nominis ratio est propter ignorantium errorem, qui eum immutatâ litterâ Chrestum solent dicere. Erat Iudæis antè præceptum, vt sacrum conficerent vnguentum, quo perungi possent ij qui vocabantur ad sacerdotium, vel ad regnum. Et sicut nunc Romanis indumentum purpuræ insigne est regiæ dignitatis assumptæ; sic illis vnctio sacri vnguenti, nomen ac potestatem regiam conferebat. Verùm quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant vngi, quod nunc ἀλείφεσθαι, sicut indicat Homericus versus ille,

Αὐτὰς δ' δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ·

ob hanc rationem nos eum Christum nuncupamus, id est, vnctum, qui Hebraicè Messias dicitur. Vnde in quibusdam Græcis scripturis, quæ malè de Hebraicis interpretatæ sunt, ἠλειμμένος, id est vnguendo curatus, scriptum inuenitur ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Sed tamen vtrolibet nomine Rex significatur: non quòd ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cuius capiendi nondum tempus aduenit; sed quòd cæleste ac sempiternum.

Christi nomen vnguentum effusum.

Moraliter hunc Christi nomini accommodari possunt, quæ ORIGENES *scribit Hom. 1. in Cantica, explicans illud,* Vnguentum effusum, *vel* exinanitum, *vt ipse legit*, nomen tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis, *sic ait :* Hæc verba in personâ sponsi de Christo Domino intelliguntur, quod in aduentu eius impletum est, vt nomen eius ita per orbem terræ & per vniuersum mundû diffunderetur, vt fieret odor suauitatis in omni loco, sicut &

2. Cor. 2.

Apostolus dixit: Quia Christi bonus odor sumus in omni loco. Alijs quidẽ odor ex morte in mortem, alijs autem odor de vitâ in vitam. Si enim omnibus fuisset odor vitæ in vitam, dixisset vtique

In peccato veterascentibus odor mortis.

& hîc, Omnes dilexerunt te, & traxerunt te; sed nunc ait, Vbi nomen tuum est factum exinanitum, dilexerunt te. Non illæ vetulæ, ac veterem hominem indutæ animæ, neque rugas habentes, neque

Nouum hominem inuenientibus odor vitæ.

maculas, sed adolescentulæ, in augmento scilicet ætatis & pulchritudinis positæ animæ, quæ semper innouantur, & de die in diem renouantur, nouum se hominem induentes, qui secundùm Deum creatus est. Propter istas ergo adolescentulas, & in augmentis vitæ & profectibus positas, exinaniuit se ille qui erat in formâ Dei, vt fieret in vnguentum exinanitum nomen eius: vt non iam inaccessam lucem tantummodò habitaret, & in formâ Dei permaneret, sed Verbum caro fieret, quò possent istæ adolescentulæ, & in augmentis profectuum positæ animæ, non solùm diligere, sed & trahere eum ad se. Trahit enim vnaquæque anima & assumit ad se verbum Dei pro capacitatis suæ mensurâ. Cùm autem traxerint ad se animæ verbum Dei, & sensibus suis atque intellectibus inseruerint, & dulcedinis eius & odoris senserint suauitatem, vbi vnguentorum eius fragrantiam cœperint inuenire dumtaxat aduentus eius, & redemptionis ac passionis causas charitatemque agnouerint, quâ pro salute omnium vsque ad mortem crucis immortalis accessit, & in his omnibus velut diuini cuiusdam & ineffabilis vnguenti odoribus inuitatæ adolescentulæ, id est, animæ plenæ vigoris atque alacritatis, effectæ, currunt post ipsum, atque ad odorem suauitatis eius non lento gradu, nec tardis passibus, sed rapido cursu, & totâ properatione festinant: sicut & ille qui dicebat: Sic curro vt comprehendam.

VERS. 12. Et hoc vobis signum: Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.

13. Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium:

14. Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.

15. Et factum est, vt discesserunt ab eis Angeli in cælum: pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

16. Et venerunt festinantes: & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio.

17. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: & de his, quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

32. CONFIRMABIT hoc iterùm Propheta Isaias, dicens: Ecce Virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emmanuel: butyrum & mel comedet: priusquam sciat præeligere mala, eliget bonum. Quoniam antequam cognoscat puer bonum vel malum, reprobat malum, eligendo bonum. Enimuerò quomodo non omnibus manifestum sit, recens genitum infantem, qui nec per tempus nec per ætatem quidquã potest intelligere, insufficientem esse ad malum ad bonum discernendum? nihil enim omnino cognoscit. Verùm in omnium Saluatore Christo magnum erat eximiumque miraculum. Nam cùm adhuc infans esset, comedit butyrum & mel. Butyrum autem lac virginis vocat Propheta, quod non ex muliebri mollitie, voluptateque ac dissolutione natum sit, sed leue esset ac firmum, nullam peccati amaritiem admixtam habens, sed mellis dulcedinem. Siquidem omnia quæ ex Deo sunt, dul-

CYRILLVS. Isa. 7, 15.

Christum butyrum & mel comedisse quid significet.

dulciora sunt super mel & fauum.

ATHANASIVS. *Pastores quos figurent.*

33. Angeli lætantut, pastores luce perstringuntur, angelicum exercitum videntes, & canentes hymnos audientes, & Bethlehem, quæ Domus panis interpretatur, feruenter custodiunt; præfigurantes Ecclesiæ pastores ac sacerdotes, quorum munus est, cælestem panem quærere, Agnum, inquam, Dei, qui quotidie mysticè immolatur.

CHRYSOSTOMVS Hom. 7. in Matth. *A mundo ad Bethlehem fugiendū est.*

34. Desere igitur, & tu perturbatam illam ciuitatem, temporalem cogitationem, & homicidam eum tyrannū mammonam. In Bethlehem, hoc est Ecclesiā festinus accurre, vbi domus est panis spiritalis. Si quidem pastor fueris, eoque adueneris, puerum in tugurio videbis. Sed ne Herodi similis sis, caue. Illi enim assimilantur, qui indignè mysterijs hisce communicant, & Filium Dei conculcant, habentes in semetipsis mammonam. Hic enim affectat imperium, suosque familiares mittit, qui orantis quidem præ se ferunt speciem, sed inter orandum iugulum petunt.

CHRYSOSTOMVS de B. Philogonio. *Quomodo accedendum ad Eucharistiam.*

35. Hæc mensa præsepis vicem explet: & quemadmodum fontes aquæ exundant copiam, ita hæc arcanam quamdam continet flammam. Ne itaque stipulam, aut ligna fœnúmve adferens ad hanc accesseris, ne incendium augeas; sed pretiosos lapides, aurum argentumque ferens, quò massam illorum reddas puriorem. Accede dona adferens, non qualia Magi, sed multò religiosiora. Attulerunt illi aurum, tu temperantiam ac virtutem. Illi rhus, tu putas preces, quæ sunt incensa spiritalia. Illi myrrham, tu modestiam, corque submissum cum eleëmosyna offer. Quòd si huc cum hisce muneribus accesseris, multâ cum fiduciâ sacræ huius mensæ particeps efficieris.

ATHANASIVS. *Relabi periculosum est.*

36. Decet autem eos qui semel à gentilitatis errore resilierunt, agnoscuntque solum vnumque verè omnium Deum, numquam amplius accedere ad creaturas, contra creatorem. Pari quoque ratione, qui à Iudaicâ incredulitate recedunt, eorumque vecordiam atque ingratitudinem detestantes, in Iesum Christum Dominum nostrum credunt, eumque omnium testimonijs habitum esse Deum sciunt, & pro tali cognitum fuisse, cùm ex sua potestate, tum etiam ex signis diuinisque operibus; eos, inquam, non decet ampliùs impingere, vt in communem ac vilem hominem, propter id quod exteriùs apparet; aut secundum formam eius visibilem, naturam eius inuisibilem definire; nec ob corpus affectionésve corporeas, merum eum esse hominem existimare; aut vt vnum ex nobis, capacem esse passionis. Hi enim erant errores Iudæorum, quos etiamnum affectant, qui gentili Iudaicoque morbo laborant, & qui nullâ ratione admittunt aut credunt, Deum corpus induisse: sed humanis rationibus & Ethnicâ Philosophiâ, magna atque incomprehensibilia volentes comprehendere, quomodo quod incorporeum est gignatur; sed & quomodo prodeat, & vbi sit qui vbique est, & omnia continet, atque omnia implet: & ex isto Quomodo & Quâ ratione, ad infidelitatem perducti sunt: ac pro generatione facturam confinxerunt, & pro processione, creationem ac transitum induxerunt. Eodem rursus modo de incarnatione quærunt, Quomodo incarnatur Deus? quomodo incorporatur? quomodo qui contineri nequit, cum paruo corpusculo componitur? qua verò ratione vnitur quod increatum est, rei creatæ; & quod incircumscriptum est, rei circumscriptæ? Quomodo & in parte est magnus ille, atque indiuisibilis, & immensus? Vel enim quod magnum est, in paruum contractum est locum, vel quod erat magnum, factum est paruum, aut partem Diuinitatis, & non totam suscepit, quod prorsus impium est. Atque ita etiam isti ex Quomodo, & Quâ ratione, & Quâ cōsequentiâ, ad infidelitatem delapsi sunt, atque inhabitationem pro incarnatione astruxerunt; & pro vnitione ac compositione, humanam efficientiam; & pro vnicâ Domini nostri Iesu Christi subsistentiâ, duas hypostases ac personas; & pro Trinitate quaternitatem, ineptè simul atque impie comminiscentes. Ineptè quidem, quia Deo coæquant hominem, ac seruum connumerant Domino, & creatam personam cum increatis personis coniungunt. Impiè verò, quia vnicam hypostasim in duas diuidunt, superinducentes SS. Trinitati quartam hypostasim peregrinam omnino & extraneam, atque omnium creaturarum rationalium vltimá, infimamque ac minimam. Quòd si denuò hæc accuratiùs consideraueris, deprehendes, illos ex ipsâ Trinitate Christum eijcere tamquam seruum, vt hominem inadorabilem eum qui adorare debet, & qui ipse adoret potius ac colat, ac cum ceteris omnibus sanctissimæ sit Trinitati subiectus, vti Marcellus ac Samosatenus Paulus diuinum illud atque Apostolicum scriptum interpretantur, ad suam pertrahentes sententiam: Tunc & Filius subijcietur Patri.

Vnde gentilismus & hæreses orta sunt

ANNOTATIONES.

VERS. 12

ET HOC VOBIS SIGNVM, &c.] Quantum ad literam (*inquit* EVCHERIVS *ad hunc locum*) ea causa esse videtur, vt priùs pastoribus hæc verba Angelus nuntiaret, ne quasi incauti stabulum intrarent,

Pastores, stabulum, præsepe quid mysticè significent.

trarent, & in præsepe adire tentarent, in quo puer positus erat. Spiritualiter autem stabulum, Ecclesia; pastores verò, Episcopi & Doctores intelliguntur. Stabulum enim vocatur Ecclesia, ad quam Dei animalia vndique fluunt, ibique stant, & morantur in eâ. Hæc autem animalia quasi in præsepio in diuinâ Scripturâ cibis spiritualibus nutriuntur. Ibi positum inueniunt Christum, ibique comedunt panem viuum. Beati qui huius præsepis cibis aluntur, & de delicijs ibi positis reficiuntur. Vos autem Ecclesiæ Pastores, vos Episcopi & Sacerdotes, audite & intelligite: vobis Angelus loquitur, vobis hoc gaudium magnum euangelizat: quia vobis datum est nosse mysterium regni Dei: vobis datum est nosse & intelligere secreta cæli. Nuntiate ergo quod audistis, prædicate quod vidistis, nolite celare quod cognouistis. Toties enim Christus in stabulo oritur, toties vt paruulus in præsepio ponitur, quoties Virginis partum & Christi natiuitatem alijs nuntiatis. Inde enim hodierna festiuitas, Natiuitas Domini vocatur, non quòd hodie Dominus nascatur, non quòd Dominus iterùm de Virgine oriatur, sed quòd eius natiuitatis memoria hodie innouatur, & in illius commemoratione celebratur & prædicatur.

Signum reuelatur paruulis, nō alta sapientibus.

S. BERNARDVS *Serm. 2. in Cantica*, Felices, *inquit*, illi in suâ pernoctatione pastores, qui signi huius visione digni habiti sunt. Iam tunc se abscondebat à sapientibus & prudentibus, & reuelabat paruulis. Et Herodes videre voluit: sed quia non bonâ voluntate, non meruit. Pacis siquidè signum erat, datum tantùm hominibus bonæ voluntatis. Herodi verò & similibus eius, non dabitur nisi signum Ionæ Prophetæ. Porrò ad pastores, *Et hoc*, ait Angelus, *vobis signum*. Vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta sapientibus, vobis vigilantibus, & in lege Dei meditantibus die ac nocte. *Hoc*, inquit, *vobis signum*. Quod? quod Angeli promittebant, quod populi requirebant, quod Prophetæ prædixerant, hoc fecit Dominus nunc, & ostendit vobis: in quo recipiant increduli fidem, pusillanimes spem, perfecti securitatem. *Hoc* ergo *vobis signum*. Cuius rei signum? indulgentiæ, gratiæ, pacis, & pacis cuius non erit finis, *&c.*

Christus in præsepio verè Verbum abbreuiatum est.

IBID. INVENIETIS INFANTEM PANNIS INVOLVTVM.] *Mira profectò res est, quòd Angelus Dei nuntius, pro signo det pastoribus illos inuenturos infantem pannis inuolutum, & in præsepio collocatum? Quis mortalium de Deo id intelligere aut credere potuisset? Verè nunc Dei Patris Verbum, quod virtute suâ cælum terramque continet, abbreuiatum dici potest, vti pulchre* S. BERNARDVS *Serm. 1. Natiu. ait*: Verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram. Vultis nosse quàm longum, quàm breue fecit? Cælum,

Ier. 23, 24. inquit (hoc Verbū) ego impleo. Nunc caro factum,

Psal. 92, 2. in angusto locatum præsepio est. *A sæculo*, ait Propheta, & in sæculū *tu es* Deus, & ecce factus est infans diei vnius. Ad quid hoc, fratres, aut quæ necessitas fuit, vt sic exinaniret se, sic abbreuiaret se Dominus maiestatis, nisi vt vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo, quod postmodū prędicaturus est verbo: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Obsecro proinde, fratres, non patiamini sine causâ tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Quid enim magis indignum, quid detestandum ampliùs, quid grauiùs puniendum, quàm vt videns Deum cæli paruulum factum, vl-

trà apponat homo magnificare se super terram?

Phil. 2, 7. Intolerabilis impudentiæ est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, vermiculus infletur & intumescat, *&c.*

Angeli concurrunt in Bethlehem, ad adorandum suum Regem.

VERS. 13. ET SVBITO FACTA EST CVM ANGELO MVLTITVDO MILITIÆ CÆLESTIS.] *Hos Angelos sic alloquitur & inuitat* S. BERNARDVS *Serm. 2. de Epiphaniâ, ad salutandum in carne Regem suum.* Egredimini, *inquit*, virtutes Angelicæ, incolæ ciuitatis supernæ. Ecce Rex vester, sed in coronâ nostrâ, in diademate quo coronauit eum mater sua. Sed his delicijs vsque modò caruistis, hanc hactenus dulcedinem non gustastis. Habetis sublimitatem eius: sed humilitatem eius non vidistis. Egredimini igitur, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Veruntamen non est opus illis nostrâ exhortatione: quoniam ipsi sunt qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quantò sublimitas notior, tantò humilitas pretiosior & amabilior est. Ipsi nos præuenerunt, ipsi nos exhortantur. Probat hoc Angelus qui gaudium magnum euangelizat pastoribus, & quæ cum eo facta est multitudo militiæ cælestis exercitus. Vobis ergo dicimus filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ, non filij, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi: Egredimini filiæ Sion: egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis: de seruitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatē spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terrâ vestrâ, & de cognatione vestrâ, & de domo patris vestri, & videte Regem Salomonem. Egredimini igitur, & videte Regem Salomonem: nam vbique Rex est. Licet enim regnum eius non sit de hoc mundo, tamen Rex est etiam in hoc mundo. Egredimini proinde filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Coronat eum Pater coronâ gloriæ, sicut Psalmus ait: *Gloriâ & honore coronasti eum.* Videte eum filiæ Sion in diademate, quo coronauit eum mater sua. Suscipite coronam paruuli, propter vos Regis vestri. Agamus gratias redemptori & mediatori nostro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. Psal. 8, 6.

VERS. 14. GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONÆ VOLVNTATIS.] *Græcè,* Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, *vti vulgò iam legit Græca editio, vnà cum SS. Basilio, Athanasio, Nysseno, Eusebio, Theophylacto & Syro. quasi hic Hymnus sit trimembris. q. d.* Gloria sit in altissimis Deo. *secundo*, & in terrâ pax. *tertiò*, in hominibus sit bona voluntas. *Verùm hic magis placet Latina lectio, quam etiam è Græcis sequuntur Origenes, Chrysostomus, Cyrillus, legentes* εὐδοκίας, *id est*, bonæ voluntatis, *vt sit bimembris. Sicut enim gloria datur Deo quasi personæ quæ glorificatur, sic & pax hominibus bonæ voluntatis, quasi personis quibus pax Christi competit, & sic melior est nexus sententiæ. Illud autem* bonæ voluntatis, *S. Ambrosius cum quibusdam alijs, referunt ad* hominibus, *hoc sensu: Pax sit hominibus, non omnibus, sed ijs qui sunt bonæ voluntatis. Sanctus verò* LEO *Sermone de Natiuitate Domini,* Pax, *ait*, sit hominibus, quæ scilicet eos faciat esse bonæ voluntatis. *Verùm quia* εὐδοκία *in Scripturis ferè non hominibus, sed Deo tribuitur, & significat Dei gratiam, beneplacitum, & beneuolentiam in homines, meliùs Theophylactus, Euthymius, Nyssenus hunc dant sensum:* Pax sit hominibus, *ijs inquam hominibus quos Deus hac gratiâ, & bonâ voluntate ac beneuolentiâ sine illorum merito prosequitur, vt det eis salnatorem*

natorem & reconciliatorem talem, qui pacem inter homines, Deum, & Angelos, inter cœlum & terram componat. Sic homines bonæ voluntatis alibi vocantur, filij dilectionis, filij volitt, dilecti à Deo.

Pulchrè hic S. AMBROSIVS *Serm.* 13. *ait*: Digna planè & iusta sententia, quæ in Natiuitate Christi, & Deo honorem repræsentat in cælis, & hominibus pacem præsentat in terris. Ante Saluatoris enim ortum nec cælestia reuerentiam deferebant, nec terrena requiem possidebant. Sed videte quid dicat ipsa sententia, *Pax in hominibus bonæ voluntatis.* Non in quibuscunque hominibus, sed bonæ voluntatis hominibus: vt intelligas, pacem Christi non debiti esse, sed meriti.

Per ortum Christi, Angeli [illegible] facti sunt amici.

Et S. GREGORIVS *Hom. 8. in Euang.* Priùs quippe quàm Redemptor noster nasceretur per carnem, discordiam cum Angelis habuimus, à quorum claritate atque mundinâ per primæ culpæ meritum, per quotidiana delicta longè distabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo consortio deputabant Angeli, ciues Dei. Sed quia nos cognouimus Regem nostrum, recognouerunt nos Angeli ciues suos. Quia enim cæli Rex terram nostræ carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa iam Angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram Angeli redeunt, intentionem prioris discordiæ postponunt, & quos priùs infirmos abiectosque despexerant, iam socios venerantur.

Pax est in eo quod caro per subiecta spiritui.

S. CHRYSOSTOMVS *super illud Psalmi* 71. Et abundantia pacis donec auferatur luna. Quantam enim abundantiam pacis nunc videmus, vt caro quæ concupiscit aduersus spiritum subiugetur, & subiugati sint affectus carnales spiritui. Sit abundantia pacis, donec tollatur luna. Habemus aliam pacem abundantem in nobis, charitatem, quam hereditariam donauit nobis, dicens Matth. 20. *Pacem meam do vobis.* Hæc est abundantia pacis. Sed quamdiu? donec tollatur luna, id est, finiatur omnis prædicatio Ecclesiæ. Ecclesia enim luna dicitur, quæ crescit in Sanctis, decrescit in peccatoribus.

Ecclesia luna crescens in Sanctis, decrescens in peccatoribus.

VERS. 15. TRANSEAMVS VSQVE BETHLEHEM, ET VIDEAMVS HOC VERBVM QVOD FACTVM EST.] *Ad hæc verba* S. BERNARDVS *Serm.* 6. *in Vigilia Natiuitatis*, Bonum est (*inquit*) nos illic esse. Vbi enim fuerit Verbum Domini, non deest vtique panis qui confirmet cor, dicente Prophetâ: *Confirma me in verbis tuis.* Viuit in Christo, viuit in eo Christus: ibi oritur, ibi apparet: nec omnino amat cor titubans aut vacillans, sed stabile & confirmatum. Si quis murmurat, hæsitat, si quis cogitat reuolui in lutum, redire ad vomitum, mutare propositum suum, non est Bethlehem, iste non est domus panis. Sola enim fames, & fames valida in Ægyptum eum descendere, porcos pascere, siliquas esurire compellit, vtpote procul agentem à domo patris. Non ergo in huiusmodi corde nascitur Christus, cui deest fidei fortitudo, vtique panis vitæ, Scripturâ teste, quoniam iustus ex fide viuit. Spiritus Christi non requiescit nisi super humilem & mansuetum & trementem sermones suos. Si qua autem anima eò vsque profecerit, vt sit fecunda virgo, sit stella maris, sit plena gratiâ, & superuenientem habens in se Spiritum sanctum, puto quod non modò in eâ, sed ex eâ quoque non dedignabitur nasci. Huic dicit Dominus: *Ecce mater mea & fratres mei.*

In quo [illegible] quâ anima [illegible] spiritualiter nascatur

Matth. 25

VERS. 16. ET INVENERVNT MARIAM, ET IOSEPH ET INFANTEM.] *Eleganter hic iterum* S. BERNARDVS *Serm.* 4. *in Natali Domini*, Quid est, *inquit*, quòd sola ab Angelo commendari videtur humilitas, nec tamen sola à pastoribus inuenitur? Fortè specialiùs commẽdat Angelus humilitatem, quia ruentibus ceteris per superbiam, ipse in humilitate stetisset. Aut propterea certè cælitus annuntiatur humilitas, quòd hæc quasi propria virtus, diuinæ exhibenda sit maiestati? Sola tamen non potuit inueniri: quia semper gratia datur humilibus. Inuenerunt ergo Mariam, & Ioseph & infantem positum in præsepio. Sicut enim Saluatoris infantia manifestam prætendit humilitatem, sic per Virginem continentia, iustitia per Ioseph virum iustum, cuius laus est in Euangelio, non incongruè designatur. Sanè continentiam deberi carni, quis nesciat? Iustitia verò virtus est, quod suum est cuique tribuens. Est hæc erga proximos necessaria. Porrò humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subiectos, Deo placet in nobis, sicut ait Virgo beata: *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ.* Vt ergo inueniatur in nobis semper Maria, & Ioseph, & infans positus in præsepio, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo. Propter hoc enim *apparuit gratia Dei erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & iustè & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei.*

Qui inueniunt infantem Iesum, inueniunt & Mariam, & Iosephum.

Qui inueniunt humilitatem, reperiunt & alias virtutes.

Luc. 1.

Tit. 2.

VERS. 19. Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

20. Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum est ad illos.

37. QVID autem est *conferens*? Fortè quidem congerens, & custodiens in corde. Fortè verò etiam vnum cum alio conferens atque componens, non dicta tantùm, sed & visa, tam in templo quàm extra templum, cùm ab Angelo, tum à pastoribus: ipsum denique partum ac partitudines, vt non modò illas ignorarit, & mater existens, & virginitatem custodiens, quin & filium ipsa non senserit. O diuinorum operum dispensationes, ac naturarũ innouationes! Nullum processus sensum præbuit, & ex vtero statim erat in sinu eius, vt quemadmodum sine semine atque incognitâ ratione conceptus fuerat, sic etiam non sine corruptione dumtaxat, verùm etiam insensibiliter nasceretur. Atque id amplius habuit figura roris ac velleris. Nam ros quidem sponte ac sine strepitu in vellus [descendit] non sponte tamen nec sine manu ex vellere [collectus fuit.] Hic verò præter cetera, ipsum etiam rationale vellus in conceptione latens; quin & totam suam crassitudinem terminumque ex ipso suscipiens, pari facilitate processit, vt non solùm alios, sed & pro-

GEOMETRA.

D. Virgo omnia mysteria Natiuitatis conferebat in corde suo.

priam latuerit genitricem, quasi non sibi tantùm obstetricatus fuisset, sed & semetipsum peperisset.

ANASTASIVS. *Quomodo quis Christũ pariat.* 38. Qui non solùm mente diuinum Verbum continet, sed & in opus perducit, & quasi per virtutes incorporat, & per rectam animat cognitionem, quod per fidelem ac sinceram auditionem conceperat, diuinum illud & illustre reddens per virtutum exercitationes; impleuit illud dictum Prophetæ,

Isa.26,18. Parturiuimus, & peperimus spiritum salutis, Et conuenienter simul ac verè Verbi Dei secundum carnem ex sanctâ Deiparâ geniti natiuitatem celebrat. Pastores autem qui rationali Christi gregi præfecti sunt, si super dictum gregem, in vitæ huius nocte, rectè, prudenter, ac vigilanter custodiuerint custodias suas, hi non ab hominibus, sed à Virtutibus cælestibus nati mysterium docebuntur; ita vt & ipsi in posterum inspectores fiant atque ipsum annuntient.

Gen.17,12. Leu.12,3. Sup.1,31 Mat.1,21. VERS. 21. "Et postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius "Iesus, quod vocatum est ab Angelo priùs quàm in vtero conciperetur.

METAPHRASTES *Christus circumcisus.* 39. CIRCVMCISIONEM Dominus suscipit, confirmans suam cum Iudæis cognationem, ne prætextum negationis illis præbeat. Circumciditur autem octauo die, siue Dominico in quo resurrectio, in quo & Iesus nominatur. Salutem autem hoc significat populi, & ante conceptionem Angelus id Virgini prædicit.

Iesus nominatus. 40. Nam nomen Iesus adueniens Angelus è cælo detulit, quod erat dispensationis ac carnis acceptæ, vti & Christus. Postquam enim carnem assumpserat, Iesus appellatus est quatenus homo.

ATHANASIVS de Sabbatis. *Circumcisio quid denotaret.* 41. Octauo autem die circumcidi lex iubebat, eratque præceptum hoc inuiolabile, significans omnium post diem septimum regenerationem. Nam circumcisio nil nisi natiuitatis exuuias denotabat; eamque ob causam circumcisionem esse datam arbitror. Ex quo enim audiuit Adam, Terra es,

Gen.3,19. & in terram ibis; mori eius ac corrumpi corpus cœpit. Exinde corporis quamdam partem, & quidem eius procreatricem mulctare iussi sunt; prædocti totum esse exuendum, vt tamquam quod damnatum erat tradentes, saluari possent. Et quemadmodum sacrificia futurorum erant vmbræ, sic & partis circumcisio, totius erat adumbratio. Illud autem in Iesu Naui clarè Scriptura demõstrat. Nam Iesu Naui populum ex edicto Dei in

Iosue 5,9. Galgalis circumcidenti dixit Dominus: In hodiernâ die abstuli opprobrium Ægypti. Si igitur circumcisio Ægyptiacæ fit ablatio generationis, vtique præputium Ægyptiaci est character habitus, & signum illius generationis. Hoc abstulit Deus, vt non ampliùs tamquam in Ægypto nati, sed Terræ promissionis (in quam illos Dominus induxit) filij haberentur. Hinc itaque fit clarum, idcircò datam esse circumcisionem, vt ab Abrahamitis terrenæ generationis opprobrium auferretur, neque ampliùs obnoxij essemus isti maledicto, Terra es, & in terram ibis. Ablatum enim est opprobrium delicti. Hoc autem tunc factum est in figuram futuri per Christũ baptismatis. Tunc enim tamquam in vmbrâ fiebat ex parte: nunc autem, vt ait Apostolus, totam terrenam exuimus generationem per lauacrum regenerari; ne ampliùs pro prioris conditione generationis moriamur, sed per eam quâ corpus exuitur, circumcisionem (quę baptismatis lauacro conficitur) viuamus. Quemadmodum autem Dominus dixit Iosue: In hodiernâ die abs- Iosue 5,9.
tuli opprobrium Ægypti à vobis; potiori vtique ratione vnicuique baptizatorũ dici poterit, In hac die abstuli à te terrenæ generationis conuitium, ac mortalis opprobrium corruptionis. Nihil enim circumcisio denotar, præter generationis depositionem. Nam eum, qui die sextâ mortuus est, exuimus, & in Dominicâ renouamur, quando antiquus ille exutus, regeneratus est per resurrectionem. Hoc enim Paulus ait in illâ ad Colossenses: In quo & circumcisi estis circumci- Coloss.2.
sione non manu factâ in exspoliatione corporis peccatorum carnis, in circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis. Nam circumcisio, earum quæ per Baptismum deponuntur exuuiarum figura erat, atque ea fieri iussa in membris ijs quibus corpus generatur, vt circumcisi animaduerterent, eam vetustatis exuendæ signum esse. Abraham enim postquam crediderat, recepit circumcisionem, in signum eius quæ per Baptismum conficitur regenerationis. Idcircò aduenіente signato cessauit signum. Vetere enim toto homine exuto per Baptismum, superuacanea erat illa quæ per partem fiebat nota: & sicut Dominica est initialis creaturæ, & cessare facit sabbatum, sic eadem homine regenerato aboleuit circumcisionem. Vtrumque enim octauo perfectum est die, tam creaturæ inchoatio, quam hominis regeneratio. Idcircò octaua dies soluit sabbatum, sed non sabbatum octauam diem. In sabbato siquidem homo circumcisus est, sed non in sabbato operabatur circumcisio. Octaua enim dies cùm regenerationis daret initium, finem cir-

circumcisioni ac cessationem intulit.

ORIGENES. *Effectus circumcisionis*

42. Tria enim mihi efficere videtur circumcisio. Primum quidem, quòd quasi signo quodam atque sigillo, eos qui ex Abrahami genere sunt, à ceteris distinguat nationibus. Secundum verò, quòd diuini Baptismatis gratiam virtutemque præfiguret. Quemadmodum enim olim per circumcisionis characterem Dei populo quis adscribebatur; sic qui Christum in se exprimens, sigillo eius consignatus est, inter Dei filios adoptatur. Tertium denique, quòd credentium quoddam constituta sit symbolum, in gratiâ Dei existentium, qui carnalium voluptatum atque insurgentes passionum motus, fidei verbo bicipiti ac laboribus asceticis exscindunt atque mortificant, non corpus sed cor ipsum circumcidentes, & spiritu non litterâ circumcisi. Quorum etiam laudem non humano iudicio indigere, sed superno suffragio comprobari, diuinus ille Paulus testatur. (2. Cor. 3.)

ANASTASIVS. *Circumcisio spiritalis.*

43. Sublimiori verò sensu qui efficaci ac quouis ancipiti gladio acutiore Dei verbo omnem spurcitiem carnisque concupiscentiam ex semetipsis exscindunt, & quod ex generatione contractum est velum impietatis ex intellectu rationeque deijciunt, hi rectè octauam diem circumcisionis Domini transfigunt. Nos enim sumus in illo circumcisi spiritaliter circumcisione non manufactâ.

CYRILLVS lib. 2. Glaphyrorum in Exod.

44. Quam ænigmaticè Iesus Naue per figuram significauit, lapideis cultris Israelitas circumcidens. Sed & Sephora, id est Ecclesia quæ ex gentibus est, in primogenito ac nouo populo, habitante quidem in terris, descripto verò rursus in supernis seu cælis, circumcisionem quæ in Christo est per Spiritum innuit, calculo puerum circumcidens. Sed & hæc fuerit figura spiritus, vtpote fortis & infracta, & quia ex petrâ. Christi enim est spiritus, petra autem Christus. (1. Cor 10, 4)

NYSSENVS

45. Octaua autem dies significat diem resurrectionis; Purificatio vero, purum hominis ex naturâ suâ polluti reditum. Circumcisio denique demortuorum pellium abiectionem, quæ pòst in obedientiam vitæ nostræ adhæserant.

ANNOTATIONES.

VERS. 21. *Christus suscepit carnis eius remedium verecundiâ non subterfugit: peccatores contrà, remedium, non ipsum peccatum fugiunt.*

VT CIRCVMCIDERETVR PVER.] S. BERNARDVS *Serm. 1. Circumcisionis, sic ait:* Christus etsi non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec vestigium quidem vllum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impij, non sic: non sic agit peruersitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium, & verecundum pariter & austerum, sine vllâ necessitate suscepit. Nos è contra inuerecundi, ad obscœnitatem culpæ erubescimus agere pœnitentiam, quod extremæ dementiæ est, malè proni in vulnera, priùs in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est se peccatorem reputari: nos & esse volumus, & nolumus æstimari. Itane sano opus est medicinâ, & non potiùs malè habentibus?

Octo de causis conueniens fuit Christum circumcidi.

Causas autem circumcisionis Christi D. THOMAS *assignat octo in 3. Parte quæst. 37. art. 1. in hæc verba:* Pluribus de causis Christus debuit circumcidi. Primò quidem, vt ostendat veritatem carnis humanæ, contra Manichæum, qui dixit eum habuisse corpus phantasticum; & contra Apollinarium, qui dixit corpus Christi esse Diuinitati cõsubstantiale; & contra Valentinum, qui dixit Christum de cælo corpus attulisse. Secundò, vt approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. Tertiò, vt comprobaret se esse de genere Abrahæ, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quartò, vt Iudæis excusationem tolleret ne eum reciperent, si esset incircumcisus. Quintò, vt obediendi virtutem nobis suo commendaret exemplo. vnde & octauâ die circumcisus est, sicut in lege erat præceptũ. Sextò, vt quia in similitudinem carnis peccati aduenerat, remedium, quo caro peccati consueuerat mundari, non respueret. Septimò, vt legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret. Secundũ illud ad Galatas 4. Misit Deus Filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. *Et in responsione ad tertium:* Octauam addit, vt scilicet in nobis spiritualem circumcisionem efficeret, vt suscipiendo figuram, impleret veritatem. *De hac dicitur ad Rom. 2. vers. 29.* Circumcisio cordis in spiritu, non litterâ. *Et ad Colossenses 2. vers. 11.* In quo & circumcisi estis circumcisione non manufactâ in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: consepulti ei in Baptismo.

Christum ablata circumcisione corporali docuit spiritalem.

Et S. BERNARDVS *Serm. de Circũcisione sic ait:* Nos circumcidi necesse est, non litterâ, sed spiritu; circũcidi non in vno membro, sed toto corpore simul.

S. AMBROSIVS *Epist. 72.* Signum igitur circumcisio corporalis, veritas autem circumcisio spiritualis est: illa membrum amputat, ista peccatũ, vt aduerterent qui partem sui corporis amputabant, multò magis amputanda peccata. Si dextera manus tua scandalizet te, abscide eam, & proijce abs te. Quid enim tam superfluum, quàm auaritiæ vitia libidinisque peccata? castimonia teneatur, frugalitas diligatur.

Spiritalis circumcisio cordis à Christo instituta.

Item LACTANTIVS *lib. 4. de Verâ sapientiâ cap. 17.* De circumcisione, *inquit,* soluendâ Esaias ita prophetauit: Hæc dicit Dominus viris Iuda qui habitant Ierusalem: Renouate inter vos nouitatem, & ne seminaueritis in spinis. Circumcidite vos Domino Deo vestro, & circumcidite præputium cordis vestri; ne exeat ira mea quasi ignis, & exurat, & non sit qui extinguat. Item Moyses ipse: In nouissimis diebus circumcidet Dominus cor tuum ad Dominum Deum tuum amandum. Item Iesus Naue successor eius: Et dixit Dominus ad Iesum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & sede, & circumcide secundò filios Israël. Secundam circumcisionem futuram esse dixit, non carnis sicut fuit prima, quâ etiam nunc Iudæi vtuntur; sed cordis ac spiritus, quam tradidit Christus, qui verus Iesus fuit. Non enim Propheta sic ait: Et dixit Iesus

ſus ad me, ſed ad Ieſum, vt oſtenderet quòd non de ſe loqueretur, ſed de Chriſto, ad quem tunc Deus loquebatur. Chriſti enim figuram gerebat ille Ieſus: qui cùm primùm Auſes vocaretur, Moyſes futura præſentiens, iuſſit eum Ieſum vocari; vt quoniam Dux militiæ delectus eſſet aduerſus Amalech qui oppugnabat filios Iſraël, & aduerſarium debellaret per nominis figuram, & populum in Terram promiſſionis induceret. Et idcircò etiam Moyſi ſucceſſit; vt oſtenderet, nouam legem per Chriſtum Ieſum datam, veteri legi ſucceſſuram, quæ data per Moyſem fuit. Nam illa carnis circumciſio caret vtique ratione; quia ſi Deus id vellet, ſic à principio formaſſet hominem vt præputium non haberet. ſed huius ſecundæ circumciſionis figura erat, ſignificans nudandum eſſe pectus, id eſt, aperto & ſimplici corde oportere nos viuere: quoniam pars illa corporis quæ circumciditur, habet quamdam ſimilitudinem cordis, & eſt pudenda. Ob hanc cauſam Deus nudari eam iuſſit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, id eſt, ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velemus. Hæc eſt cordis circumciſio de quâ Prophetæ loquuntur, quam Deus à carne mortali ad animam tranſtulit, quæ ſola manſura eſt. Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ pro æternâ ſuâ pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illâ circumciſione propoſuit, vt ſi cor nudauerimus, id eſt, ſi peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur; quæ contumacibus & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur. *Hac pulchrè diſerteque Lactantius.*

Circumciſio fuit typus confeſſionis.

Cui conformis TERTVLLIANVS *libro aduerſus Iudæos in probatione Natiuitatis Chriſti, dicens*: Introductio in vitæ æternæ poſſeſſionem, quâ nihil dulcius, non per Moyſem, id eſt non per legis diſciplinam, ſed per Ieſum, id eſt per nouæ legis gratiam prouenire habebat circumciſis nobis petrinâ acie, id eſt Chriſti præceptis. Petra enim Chriſtus multis modis & figuris prædicatus eſt.

Spiritalis circumciſio inducit ad vitam æternam.

VERS. 21. VOCATVM EST NOMEN EIVS IESVS.] Vocatum planè (*inquit* S. BERNARDVS *Serm.* 2. *de Circumciſione*) non impoſitum: nempe hoc ei nomen eſt ab æterno, à naturâ propriâ habet vt ſit Saluator: innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humanâ vel Angelicâ creaturâ. *Et Serm.* 15. *in Cantica*: Nihil ita ſicut hoc nomen Ieſu: quia nomen Ieſu lucet prædicatum, paſcit recogitatum, lenit & vngit inuocatum. *Et Serm.* 1. *in Vigiliâ Natiuitatis*: Venit Ieſus cum ſalute, venit cum vnguentis, venit cum gloriâ. Neque enim ſine ſalute Ieſus, nec ſine vnctione Chriſtus, nec ſine gloriâ Dei Filius; ſiquidem ipſe ſalus, ipſe vnctio, ipſe gloria.

Nomen Ieſu naturâ Saluatori competit.

Quærit ORIGENES *Præfatione in Ioannem, cur cùm dicat Iſaias cap.* 52. Quàm pulchri ſunt pedes annuntiantis bonum (*D. Paulus referens idem ad Rom.* 10. *v.* 15. *ait*, euangelizantium bona;) Quia, *inquit*, non ſolùm vnum bonum Ieſus, ſed omnia bona. Vita bonum eſt, Ieſus eſt vita: reſurrectio bonum eſt, Ieſus eſt reſurrectio: lux mundi bonum eſt, Ieſus eſt lux mundi. *Et ita proſequitur dicens, quod Ieſus eſt veritas, via, oſtium, ſapientia, potentia, theſaurus denique omnium bonorum. Vnde euangelizare Ieſum, eſt euangelizare omnia bona, quia multitudo bonorum eſt Ieſus, eo quòd in ipſo complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter habitare. Origeni conſonat* D. AMBROSIVS *lib.* 3. *de Virg. dicens*: Omnia habemus in Chriſto, & omnia nobis Chriſtus eſt: ſi vulnus curare deſideras, medicus eſt: ſi febribus æſtuas, fons eſt: ſi grauatis iniquitate, iuſtitia eſt: ſi auxilio indiges, virtus eſt: ſi mortem times, vita eſt: ſi cælum deſideras, via eſt: ſi tenebras fugis, lux eſt: ſi cibum quæris, alimentum eſt. Guſtate igitur & videte quoniam ſuauis eſt Dominus Ieſus: beatus vir qui ſperat in eo. *Vnde tandem in ſolo nomine Ieſu conſunguntur omnia bona, quæ ad ſalutem noſtram tam animæ quàm corporis vllâ ratione conferre poſſunt.*

Omne bonum continet.

Primò, Quoad animam. Quia ſicut ſcriptum eſt Act. 4. *verſ.* 12. non eſt in aliquo alio ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, *vti Angelus huius ſanctiſſimi nominis etymologiam proprietatemque Ioſepho explicans dixit Matth.* 1. *v.* 21. Vocabis nomen eius Ieſum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *ita vt ſicuti ſignificatio, ſic & nominis huius ratio ſoli Chriſto propria ſit, & nulli alteri communicari poſſit. Reliqui enim qui Ieſus vocati ſunt, neminem prorſus à peccatis ſaluare potuerunt, ſed ſolum ab aliquâ ſeruitute tyrannicâ vel temporali miſeriâ populum liberare; ideoque ſaluatio eorum erat imperfecta, quia miſeriæ radicem, quæ eſt peccatum, auferre non poterant, quod ſolus fecit Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui idcircò excellentiùs auguſtiſſimum hoc nomen Ieſu præ reliquis hereditauit.*

Ieſus ſalus animæ eſt.

Secundò, Ad corporis ægritudines curandas etiam valet plurimum, vti patet ex illo Actorum 3. *v.* 6. *vbi S. Petrus claudum à natiuitate in hoc nomine in pedes erigit, greſſumque rectum reſtituit, dicens*: In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. *Vnde rectè S. Bernardinus Senenſis tom.* 4. *Serm.* 41. *comparat hoc benedictum nomen Ieſu vni electuario ordinato contra omnem infirmitatem.*

Nomẽ Ieſu corporis curat infirmitates.

Tertiò, Ad pellendos è corporibus dæmones, ſecundùm illud Marci vltimo v. 17. In nomine meo dæmonia eiicient. *Et exempla ſunt Actorum* 16. *v.* 18. *Dicit enim S. Paulus ſpiritui*, Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab eâ. *Hinc* ORIGENES *lib.* 1. *Contra Celſum*, Non, *inquit*, incantationibus pollere videntur (vt aiebat Celſus) Chriſtiani, ſed nomine Ieſu cum commemoratione eius factorum. Nam his verbis ſæpè profligati ſunt dæmones ex his hominibus: præcipuè quoties qui ea enuntiant, ſano affectu & integrâ fide proferunt. Tanta certè vis nomini Ieſu ineſt contra dæmones, vt nonnumquam etiam à malis nominatum, ſit efficax. quod docens Ieſus dicebat: Multi dicent mihi in die illâ, In nomine tuo dæmonia eiecimus. Nomen igitur Ieſu lymphatos ſanat, dæmones exigit, morbiſque præſentaneum adfert auxilium. *Plura ſimilia adfert idem Origenes Contra Celſum lib.* 4. 5. 6. *&* 7.

Nomẽ Ieſu pellit dæmones.

ARNOBIVS *etiam lib.* 1. *Contra Gentes ait*: Ieſu nomen auditum fugat noxios ſpiritus, imponit ſilentium vatibus, haruſpices inconſultos reddit, arrogantium magorum fruſtrari efficit actiones.

Huius egregij ſanè Doctoris egregius diſcipulus LACTANTIVS *lib.* 4. *cap.* 27. Sicut Chriſtus cùm inter homines ageret, & vniuerſos dæmones verbo fugabat, hominum mentes emotas, & malis incurſibus furiatas, in ſenſus priſtinos reponebat; ita nunc ſectatores eius eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine Magiſtri ſui & ſigno paſſionis excludunt.

Quartò,

In nomine Iesu fiunt miracula.

Quartò, Ad omnis generis miracula patranda vim obtinet, vti Dominus ipse Marci vltimo prædixit. In nomine meo serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. ORIGENES *l. 3. contra Celsum*, Possumus, *inquit*, ostendere inenarrabilem numerum tam Græcorum quàm Barbarorum Iesu nostro credentium. In his quidam, in signum acceptæ per fidem virtutis, mirificè sanant ægrotos, inuocato tantùm super eos vniuersorum Deo & Iesu nomine, recitatáque de rebus eius quapiam historiâ. Videmus enim ipsi multos sic liberatos à grauibus malis, alienatione mentis, insaniâ, alijsque innumeris, quibus numquam vel homines vel dæmones opem attulerunt.

Nomē Iesu præsidium in tentationibus.

Quintò, Sacrosanctum Iesu nomen, firmissimum est contra omnes diaboli tentationes insidiasque præsidium, iuxta Prou. 18. vers. 10. Turris fortissima nomen Domini *Hoc, vt est apud Ephræm To. 3. S. Abrahamus, cùm à satanâ in lucis Angelū transformato fortissimâ periculosissimaq; tentatione grauiter oppugnaretur, eidem generosè opposuit dicens:* Tenebræ tuæ tecum sint in perditionem, ô plene dolo atque falaciâ. Homo enim peccator sum ego: quia tamen charitatem Dei mei habeo, & spem in ipsum atque auxilium, in nullo ego te tuasque insidias pertimesco, neque tua plurima phantasmata ac spectra terrorem mihi incutiunt. Pro muro siquidem munitissimo atque tutissimo est mihi nomen Domini mei & Saluatoris Iesu Christi, quem dilexi ac diligo, in quo te nomine increpo, immundissime canis ac miserabilissime.

S. GREG. NAZIANZENVS *Epist. ad Nemesium:* Ipse qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronuntiaui, cùm statim dæmon non sine stridore longissimè se proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans.

S. ANTONIVS *in quadā cum dæmone pugnâ, vt apud S. Athanasium dicebat:* Verè Iesus tandem tuas funditus subruit vires: & honore nudatus Angelico volutaris in sordibus. *subdit verò ipse Sanctus:* Vixdum verba compleueram, & ille sublimis nomine Saluatoris deiectus est.

S. CHRYSOSTOMVS *Homiliâ de Laude Dei ait:* Hoc Iesu nomen tum inferis, tum morbis & vitijs terrori est. *Et Hom 8. in cap. 4. ad Romanos:* Si & in diabolum incantationes canere noueris, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis, sunt, inquam, nobis incantationes spirituales, ipsum nomen Domini nostri Iesu Christi, tum ipsius crucis potentia. Huiusmodi incantatio non solùm draconem à speluncis abigit, atque ita in ignem conijcit, sed & vulneribus quoque medetur. Hoc nomen & dæmonibus terribile est, & perturbationibus & ægritudinibus salutare. Hoc igitur ornemur ipsi, hoc tamquam muro nos muniamus. *Mirabile est quod narrat Cæsarius lib. 12. cap. 38. dicens, eum qui in horribilem illam specum, quæ S. Patricij purgatorium dicta est, descendebat, ab Antistite loci moneri solitum his, ferè verbis:* Videbis hac nocte insultus dæmonum, & pœnas horribiles, sed non poterunt te lædere, si nomen Iesu semper habueris in ore. Quòd si dæmonibus blandientibus siue terrentibus consenseris, & Iesum inuocare neglexeris, peribis.

Nomē Iesu virtutes atque animi puritatem cōfert.

Sextò denique, Ad omnem animi puritatem, ac spiritalem consolationem consequendam plurimum huius sanctissimi suauissimique nominis inuocatio conducit, vti iterùm ORIGENES *lib. 2. contra Celsum citato docet.* Nomen Iesu inserit miram quamdam mansuetudinem, morumque honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem, omnibus qui non propter vitæ curas, humanásve alias necessitates, fucatè, sed ex animo amplectuntur prædicationem Dei Christique atque futuri iudicij.

Nomen Iesu lux est.

Concludam eum loco sanè pulcherrimo S. BERNARDI *Serm. 15. in Cantica.* Vnde, *inquit*, putas in toto orbe tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Iesu? Nónne in nominis huius luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in isto lumine videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hoc denique nomen coram Regibus & gentibus & filijs Israel portare iussus est idem Apostolus: & portabat nomen tamquam lumen; & illuminabat patriā, & clamabat vbique: Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarū, & induamus arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. & monstrabat omnibus lucernam super candelabrū, annuntians omni loco Iesum, & hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit & perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tamquam fulgur egrediens, claudi vnius corporales plantas solidauit & bases, multosque spiritaliter cæcos illuminauit. Numquid non ignem sparsit, cùm ait Act. 3. In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula?

Nomen Iesu cibus sine quo nihil sapit.

Nec tantùm lux est nomen Iesu, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus? virtutes roborát, vegetat bonos mores atque honestos, castas fouet affectiones? Aridus est omnino animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum: si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis nostrûm; veniat in cor Iesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando; nónne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis, duritia (vt assolet) cordis, ignauiæ torpor, rancor animi, languor acediæ? Cui fons fortè siccatus lachrymarum, inuocato Iesu, non continuò erupit vberior, fluxit suauior? Cui in periculis palpitanti & trepidanti inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, in dubijs æstuanti & fluctuanti non subitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, iam iamque deficienti, si nomen adiutoris sonuit, defuit fortitudo? Nimirū morbi & languores animi isti sunt, illud medicina. Denique & probare licet. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm nomino Iesum; hominem mihi propono mitem & humilē corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eumdemque ipsum Deum omnipotentē, qui suomet & exem-

Est & medicina corporis & animæ.

plo

plo sanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonat cùm insonuerit Iesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, & auxilium de potente; illa tamquam pigmentarias species, hoc tamquam vnde acuam eas; & facio confectionem, cui similem Medicorum nemo facere possit. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius, quod est Iesus, salutiferum certè, quodque nulli vmquam pesti tuæ inueniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu, quò tui omnes in Iesum & sensus dirigantur & Cant. 8, 6. actus. Denique & inuitaris; Pone me, inquit, signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo. Sed hoc aliàs; nunc verò habes, vnde & brachio medearis, & cordi. Habes, inquam, in nomine Iesu, vnde actus tuos vel prauos corrigas, vel minùs perfectos adimpleas; itemque vnde tuos sensus aut serues ne corrumpantur, aut si corrumpantur, sanes. *Hæc magnus ille Iesu amator & cultor.*

Nomen Iesu super omne nomen venerandum. *Merito igitur huic sanctissimo nomini Iesu debetur & præstatur ab omnibus Christi fidelibus peculiaris cum humilitate reuerentia, quippe quod inter cetera, quibus Deus incarnatus appellatur, nomina, principatum tenet, & ab Ecclesiâ maiori veneratione colitur quàm ipsum nomen Dei, vti pulchre docet* P. SALMERON *Tom. 3. Tractatu 37. dicens:* Tale enim nomen Iesu siue voce prolatum, vel auditum, siue vbicumque scriptum aut pictum, sculptumque, dignum est latriâ. Non ob ipsam vocem nudam, scripturam, vel picturam, verùm propter eius significatum; sicut crux, atque imago Christi propter typum, mysteriumque in eâ repræsentatum latriâ *Indulgentia concessa illud venerantibus.* meritò adorantur. Ioannes verò XXII. ducentos dies veræ indulgentiæ omnibus qui ad nomen Iesu genua flecterent, vel caput inclinarent, vel tunderent pectus, largitus est. Patere ergo pro hoc *Act. 5.* nomine vt Apostoli, qui ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomi- *Scribendum in corde.* ne Iesu contumeliam pati. Scribe hoc sanctum nomen in tabulis cordis tui, vt de S. Ignatio Martyre constat, in cuius corde, & in qualibet eius parte, cùm à leonibus esset semideuoratus, compertû fuit hoc sanctissimum nomen Iesu aureis litteris scriptum & insculptum. Neque enim aliud nomen est sub cælo in quo oporteat nos saluos fieri, vt modò diximus. Quemadmodum enim in prœlio qui excubias agunt nocturno tempore, vt se inuicem agnoscant, salutis causâ nomen dant quasi tesseram; sic nos cùm in continuo conflictu tenebrisque versemur, Iesu nomen demus, vt ab imminenti periculo liberemur, & salute æternâ perfruamur.

NVM. 41. *sub finem*, Ἐν δὲ τῷ σαββάτῳ οὐκ ἠργεῖ ἡ περιτομή. *Hoc vertit interpres Athanasij in editione Commelinianâ fol. 763.* Et in Sabbato non habebat circumcisio vllas ferias. *deducens τὸ ἠργεῖ ab ἀργέω, id est* vaco, otiosus sum. *Verùm placet magis illud deduci ab ἐργέω, id est* operor, *& vertendum consequenter,* In Sabbato autem non operabatur circumcisio, *& hic sensus est perfectior. Nam vult dicere, quod in Sabbato, siue lege, circumcisio non tam operabatur gratiam, quàm tamdem tantùm adumbrabat, scilicet per Baptismum, cuius figura erat, in lege nouâ siue die octauâ ac Dominicâ conferendam.*

Circumcisio non operabatur gratiam, sed significabat eamdem.

Ordine Historiæ Euangelicæ post circumcisionem Domini, sequitur Magorum adoratio, quam vt exactè à S. Matthæo traditam S. Lucas præterit: de quo ita S. AMBROSIVS *lib. 2. in Lucam, ait:* Docuit nos S. Matthæus non mediocre mysteriû, quod S. Lucas, quia plenè iam erat expositum, silendum putauit; satis se diuitem fore credens, si præsepe sibi Domini ex omnibus vindicasset. *Ne itaque tanti nos mysterij exortes simus, placet illud ex S. Matthæo hic suo loco inserere.*

SVPPLEMENTVM EX S. MATTHÆI CAP. II.

Magorum aduentus, adoratio, oblatio, & recessus.

1. CVM ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam,

2. dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

SANCTVS CYPRIANVS *Sermone de Magis*, Nato, *inquit*, in Bethlehem Saluatore audita est in Ephratâ eius in terris præsentia, & vsque ad siluas camposque gentium nouæ huius natiuitatis est fama porrecta. In Iudæâ à pastoribus & Angelis primò sunt hæc gaudia celebrata, nec multò pòst Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari stella luminis cæleste Numê nouis splendoribus indicauit. Erant in illis regionibus viri si- *Magi qui & vnde.* derum inspectionibus assueti, qui arte Mathematicâ vim discursumque nouerant planetarum; qui ex elementorum naturâ rationem temporum metientes, astrorum ministeria certis experimentis proprijs didicerant effectibus assignata. Hi ex vaticinijs Balaam (*Num. 23. & 24.*) olim audierant stellam oriri in Iacob, & hominem in Israël, cuius fortitudo quasi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italiâ venirent qui superarent Assyrios, & vastarent Hebræos; quo tempore nec in Iacob idolû, nec in Israel simulacrum esset. Diu homines illi huius prophetiæ prouentum exspectauerant, & vbi venit plenitudo temporis, orto repentè nouo sidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio muniti quàm signo, dromadis inuecti in Iudæam stellâ duce peruenerunt.

AVCTOR IMPERFECTI *in Matthæû ad hunc locum ait:* O beati Magi, qui ex omnibus gentibus pri- *Magi primitiæ fidelium.* mitiæ fidelium fieri meruerunt! illi enim Magi futuræ Ecclesiæ formam præbebant. Sicut enim illi Reges, quem non viderant, credentes quærebant, & confitebantur; sic & nos qui sumus ex Gentibus, Dominum, quem numquam vidimus, credentes quotidie quærimus, & confitemur potestatê ipsius. Quàm benè prophetauit de istis Isaias c. 8. dicens: Priusquâ cognoscat puer patrem & matrem, & accipiet virtutem Damasci, in conspectu Regis Assyriorum. Qui sunt Magi? viri Orientales, qui ve- *Magi hi non malefici, sed sapientes.* nerunt à Perside. Magi enim apud illos, non malefici, sed sapientes intelliguntur. Ideò autem dicti sunt virtus Damasci, quia virtus vniuscuiusque prouinciæ, sunt sapientes ipsius. Rex autem Assyriorum

riorum, est diabolus, princeps dæmonum. Ergo Christus priusquam secundùm corpus inciperet cognoscere patrem aut matrem, virtutem diaboli subiugauit. Qualis futurus erat in posterum, cùm ad perfectũ venisset, demonstrabat in puero. Qui adhuc in incunabulo constitutus, diabolum expoliauit à suis, scilicet ab istis Magis, quomodo cùm venisset ad bellum, euacuaturus fuerat omnem potestatem ipsius, considera. Quoniam ab Oriente venerunt. Vndè dies nascitur, inde initium fidei processit, quia fides lumen est animarum. Quando enim ab Occidente nascitur aliquid contra Orientem, damnatio mali ostenditur contra bonos: quando ab Oriente nascitur aliquid contra Occidentem, damnatio boni ostenditur contra malos. Quoniam ergo in temporibus Christi iustitia subiugatura fuerat iniustitiam, & fides infidelitatem, ideò ab Oriente venerunt primitiæ fidei.

Ab Oriente vnde dies, inde fides.

S. MAXIMVS *Hom. 3. Epiphaniæ*, Venit, *inquit*, fratres, ab Oriẽte illuminata gentilitas. Iudęa verò durissimi cordis, sui infidelitate cęcata remanet in Occasu, & in tenebris tabescit omnis contumacia Iudæorum, qui in defectu Solis præsentiam respuentes, diem perpetuum perdiderunt.

Sed cur IN DIEBVS HERODIS, *&c.*] CHRYSOLOGVS *Serm. 1. de Epiphaniâ*, Quid est, *inquit*, quòd tempore Regis nefandi Deus descendit ad terras, miscetur Diuinitas carni, fit terreno corpori cælesti commercium? Quid est, quòd quando non verus Rex expulsurus tyrannum, vindicaturus patriam, instauraturus orbem, libertatem redditurus adueniat? Herodes refuga gentis Iudaicæ inuasit regnum, libertatem sustulit, profanauit sancta, confudit ordinem: quidquid disciplinæ, quidquid cultus est, aboleuit: meritò ergo genti sanctæ, quia humana desunt, diuina succurrunt, & adest Deus ipse, cui homo non erat qui adesset. Sic iterùm Christus veniet, vt Antichristum subtrahat, liberetur orbis, paradisi patria reddatur, mundi perpetuetur libertas, sæculi seruitus tota tollatur.

Christus natus tempore Herodis tyranni vt restitueret libertatem

S. LEO *Serm. 1 in Epiphaniâ:* Tribus igitur Magis in regione Orientis stella nouæ claritatis apparuit, quæ illustrior ceteris pulchriorque sideribus, facilè in se intuentium oculos animosque conuerteret: vt confestim aduerteretur non esse otiosum, quod tam insolitum videbatur. Dedit ergo aspicientibus intellectũ, qui præstitit signum: & quod fecit intelligi, fecit inquiri; & se inueniendum obtulit requisitus. Sequuntur tres viri superni luminis ductum, & præuij fulgoris indicium intentâ contemplatione comitantes, ad agnitionem veritatis, gratiæ splendore ducuntur: qui humano sensu significatum sibi Regis ortum æstimauerunt in ciuitate regiâ esse quærendũ. Sed qui serui susceperat formam, & non iudicare venerat, sed iudicari, Bethlehem prælegit natiuitati, Ierosolymam passioni. *Et Serm. 3.* Ingrediuntur itaque Iudaici regni præcipuam ciuitatem, & in vrbe regiâ ostendi sibi postulant puerum, quem ad regnandum sibi didicerant procreatum.

Stella est Dei vocatio nõ obscura.

Requirebant autem, *inquit* S. AVGVSTINVS *Hom. 11. Epiphaniæ*, non aliquem virilis ætatis siue grandæuum humanis oculis in excelsâ sede conspicuum, exercitibus potentem, armis terrentem, purpurâ nitentem, diademate refulgentem, vel de cruce sibi exultantem, in quâ vniuersos Martyres redimeret confitentes, vel ab inferis resurgentem, aut in cælos ascendentem: sed recens natum, in cunis iacentem, vberibus inhiantem, nullo ornatu corporis, nullis membrorum viribus, nullis parentum opibus, non suâ ætate, non suorum potestate præstantem. Et quærunt Regem Iudæorum à Rege Iudæorum. Ab Herode homine, Christum Deum & hominem: à terreno Rege homine, Regem cælorum qui condiderat hominem; à grandi paruulum, à lato latentem, ab excelso humilem, à loquente infantem, ab opulento inopem, *&c.*

Magi quærunt infantem.

Numquid nesciebant (*inquit* AVCTOR IMPERFECTI), quia in Ierusalem regnabat Herodes? numquid non intelligebant iustitiam legis, quia quicumque Rege viuente alterum Regem pronuntiat & adorat, quasi minister tyranni punitur in sanguine? Sed dum considerabant Regem futurum, non timebant Regem præsentem. Numquid non habebant præ oculis suis periculum mortis, qui talem rem illicitam vsurpabant? Sed non curabant de morte. Si autem curassent de morte, numquam ad hoc ausi fuissent. Adhuc non viderant Christum, & iam parati erant mori pro eo. O beati Magi, qui ante conspectum crudelissimi Regis antequam Christum cognoscerent, Christi facti sunt Confessores.

Magi cum capitis sui periculo Christum quærunt.

S. FVLGENTIVS *Episc. Ruspensis Serm. in Epiphaniâ ait:* Quid est, dulcissimi fratres vt isti Magi Regem Iudæorum adorandum quærerent, cùm ipsi Iudæi non essent? Et quem Regem? vtique non Herodem, sed Christum. Volunt adorare Regem nupernatum, nec adorant Regem ante annos aliquot ordinatum. Adorare cupiunt infantem lactentem, nec adorant Regem populis imperantem. Nam & de Herode Rege Iudæorum filij iam fuerant nati, qui erant patre mortuo regnaturi. Mortuo enim isto Herode, Archelaus in Iudæâ regnauit, & Galilææ principatum iunior Herodes obtinuit. Archelaus natus est in palatio, Christus in diuersorio. Archelaus natus, est in lecto argenteo positus: Christus autem natus in præsepio est breuissimo collocatus. Ille forsitan pretiosis est inuolutus sericis; iste vilissimis inuolutus est pannis: & tamen ille natus in palatio contemnitur, iste natus in diuersorio quæritur. Ille à Magis nullatenus nominatur, iste inuentus suppliciter adoratur. Omnino spernitur primogenitus Regis, & muneribus honoratur primogenitus paupereulæ mulieris. Quis est iste Rex Iudæorum? Pauper & diues, humilis & sublimis. Quis est iste Rex Iudæorum, qui portatur vt paruulus, adoratur vt Deus? paruulus in præsepio, immēsus in cęlo; vilis in pannis, pretiosus in stellis; cuius natiuitate compertâ, Herodes turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo: *vt sequitur.*

Magi veniunt non Regem potentem sed Christum infantem inopem cum muneribus adoraturi.

VERS. 3. Audiens autem Herodes
Rex, turbatus est, & omnis Ierosoly-
ma cum illo.
4. Et congregans omnes Principes
Sacerdotum, & Scribas populi, sciscita-
batur ab eis vbi Christus nasceretur.
5. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Mich 5.
Iudæ: Sic enim scriptum est per Pro-
pheram:
6. [u]Et tu Bethlehem terra Iuda, ne- [u]Mich. 5. 2. Ioan. 7, 42.

 qua-

quaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.

Potentes facilè turbantur.

AVCTOR IMPERFECTI *ad hunc locum*, Herodes, *inquit*, æstimans illum Regem fore terrenum, quasi de successore regni turbatus est. semper enim grandis potestas maiori timori subiecta est. Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiamsi lenis aura flauerit, mouetur: sic & sublimes homines in culmine dignitatum existentes, etiam leuis nuntij fama conturbat. Humiles autem sicut in conualle plerumque in tranquillitate constant. Aut ideò turbabatur audiens Regem natum Iudæis ex genere Iudæorum, cùm esset ipse genere Idumæus: ne regno reuoluto iterùm ad Iudæos, & ipse à Iudæis expelleretur, & semen eius post ipsum præcideretur à regno. Puto quòd non tantum Herodes à semetipso turbabatur, quantum diabolus in Herode: Herodes enim timebat quod suspicabatur, diabolus autem timebat quod verè sciebat: Herodes hominem æstimabat, diabolus Deum cognoscebat. audierat enim iam Angelos in aëre clamantes, *Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* ideò quantò magis testes addebantur pro Christo, tantò magis destructionem potestatis suæ diabolus timebat. Vnusquisque ergo eorum zelo proprio turbabatur, & secundùm suam naturam, sui regni successorem timebat: Herodes terrenum, diabolus autem cælestem. Nam nec Herodes terreretur, si cælestem Regem nasci suspicatus fuisset; nec diabolus, si terrenum. Vis scire quia non tantum ipsi turbabantur, quantum diabolus in eis? Ecce & Iudaicus populus turbabatur, qui magis de audito isto gaudere debuerat: quia Rex Iudæus surgere dicebatur, designatus à Deo. Sed turbabantur, quia de aduentu iusti non poterant iniqui gaudere. Aut certè turbabantur timentes, ne fortè iratus Herodes Iudaico Regi, genus eius vexaret. Nam quemadmodum certantibus ventis mare concutitur, sic Regibus aduersãtibus sibi, populus regni vexatur.

Herodes turbatus & diabolus in eo.

Luc. 2.

Iniqui turbantur de aduentu iusti.

Christus non venit timendus, sed quærendus & amandus.

S. FVLGENTIVS *in eodem Festo Serm. 5.* Quid est quòd sic turbaris, Herodes? Quoniam natum Regem Iudæorum audisti, turbaris, suspicionibus agitaris, inuidiæ stimulis inflammaris, & ob hoc occidere conaris? Inanis est ista turbatio tua, & vana prorsus cogitatio tua. Rex iste qui natus est, non venit Reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subiugare. Nec ideò natus est vt tibi succedat, sed vt in eum mundus fideliter credat. Venit ergo non vt pugnet viuus, sed vt triumphet occisus; nec vt sibi de alijs gentibus auro exercitum quærat, sed vt pro saluandis gentibus pretiosum sanguinem fundat. Inaniter inuidendo timuisti successorem, quem credendo debuisti quærere saluatorem; quia si in eum crederes, cum eo regnares: & sicut ab illo accepisti temporale regnum, acciperes etiam sempiternum. Huius enim pueri regnum non est de hoc mundo, sed per ipsum regnatur in mundo. Ipse enim est Sapientia Dei
Prou. 8, 15 quæ dicit in Prouerbijs: Per me reges regnãt. Puer iste Verbum Dei est. Si potes contra Dei Sapientiam, cogita: in tuam perniciem versaris, & nescis. Tu enim regnum nullatenus habuisses, nisi ab isto puero, qui nunc natus est, accepisses. Puer, qui nunc à Magis dicitur Rex Iudæorum, idem creator est & Dominus Angelorum. Quapropter cuius times infantiam nascentis, magis timere debes omnipotentiam iudicantis. Noli ergo eum timere regni tui successorem: sed time infidelitatis tuæ iustissimum damnatorem. Vtinam cum Magis adorantibus, etiam tu pariter adorares, & non Magos ad eum fraudulentâ calliditate mandares, *&c.*

S. THOMAS *in hunc locum ad illud,* Et congregans omnes Principes Sacerdotum; *Herodes, inquit, sollicitus erat inquirere veritatem. Sed ad sciendam certitudinem de aliquo, tria requiruntur ab inquirentibus: creditur enim multitudini, auctoritati, & litteratis. Vnde congregauit multos, & auctoritatem habentes, & sapientes. Et quantum ad primum, hoc est quod dicit:* Congregans omnes. *& Sapientiæ* 6. Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum. *Quantum ad secundum ait,* Principes Sacerdotum. *Malach.* 2. Et labia Sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius. *Quantum ad tertium, inquit,* Et scribas. *Non ad scribendum tantùm dicitur; sed ad interpretandum Legis scripturam. Per istos quidem volebat inuestigare veritatem. Ecclesiastici* 32. In medio magnatorum loqui non præsumas, & vbi sunt senes, non multum loquaris.

Ad inquirendam veritatem tria requirũtur.

Non insipienter itaque, licet malignè, Herodes Sacerdotes & Scribas consuluit, vt quorum erat officiũ Dei legem ac Prophetas intelligere atque explicare, vti pulchrè D. Hieronymus docet in caput 2. Malachiæ, dicens: Idcircò in Sacerdotis pectore Rationale est, & in Rationali (*Vrim & Thumim,*) Veritas & Doctrina ponitur, vt discamus, Sacerdotem doctum esse debere, & præconem diuinæ veritatis. *Quocircà etiam Leuitici 21. præcipitur vt Sacerdos sit non cæcus, nec claudus, nec gibbus, nec lippus, nec magno aut torto naso deformis, aut albuginem habens in oculo. sed immaculatus, & sine vitio. Quæ moraliter ita explicat D. Hieronymus Malachiæ cap. 2. citatus:* Sacerdos non debet esse cæcus, id est ignarus; non claudus, id est pedem in diuersa ponens, vnum in diuinis & alterum in carnalibus; non gibbus, id est ad terrena inclinatus; non lippus, id est fœtidus, carnalis; nõ torto naso, id est malitiosus; non albuginem habens in oculo, id est non passionibus obscuratus. *Et concludit eodem loco, dicens:* Considera Sacerdotum esse officium, de lege interrogatos respondere. Si Sacerdos esciciat legem Domini: si ignorat legem Domini, ipse se arguit non esse Sacerdotem Domini: nam frustrà iactat dignitatem, cuius opera non exhibet. & hoc est, quod Apostolus ad discipulum suum Titum scripsit: Vt potens sit exhortari in doctrinâ sanâ, & eos qui contradicunt arguere. Et Princeps Apostolorum in primâ suâ Epistolâ c. 3. Sacerdotes monet his verbis: Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de eâ quæ in vobis est spe & fide. Quapropter Deus fideles suos, vt de lege ritè doceantur, ad Sacerdotes remittit Aggæi 2. Hæc dicit Dominus exercituũ, Interroga Sacerdotes legem. *Et tandem ait D. Hieronymus super cap. 20. Exodi:* Tanta debet esse scientia & eruditio Sacerdotis, vt gressus eius, & motus, & vniuersa, vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet & ornatu: vt quidquid agit, quidquid loquitur, sit doctrina populorum. *Quorum omnium rationem sufficientem imò & concludentem, Deus per Malachiam cap. 2. assignauit dicens:* Quia Angelus Domini exercituum est. *Vbi D. Hieronymus:* Angelus

Sacerdos quibus vitijs carere, & quas virtutes habere debeat.

Tit. 1, 9.

Sacerdos debet in omnibus esse exemplar virtutum.

gelus autem, id est nuntius, Sacerdos Dei verissimè dicitur: quia Dei & hominum sequester est, cuiusque ad populum nuntiat voluntatem.

Sacerdotes & Scribæ Magos illuminant, & semetipsos excæcant.

AT ILLI DIXERVNT EI: IN BETHLEHEM IVDÆ, &c.] S.LEO *Serm. 1. in hac solemnitate*, Quantã, *inquit*, gratiarum actionẽ debeamus Domino pro illuminatione gentiũ, probat excæcatio Iudæorum. Quid enim tam cæcum, quid tam lucis alienum, quàm illi Sacerdotes & Scribæ Israëlitarum fuerunt? qui percuntantibus Magis, & Herode quærente vbi Christus secundùm Scripturarum testimonium nasceretur, hoc responderunt de Prophetico eloquio, quod indicabat stella de cælo: quæ vtique poterat Magos, Ierosolymis prætermissis, vsque ad cunabula pueri, sicut postmodum fecit, suâ significatione perducere; nisi ad confutandam Iudæorum duritiam pertimuisset, vt non solùm ductu sideris, sed etiam professione innotesceret natiuitas Saluatoris. Iam ergo ad eruditionem Gentium Propheticus sermo transibat, & prænuntiatum oracula antiquis Christum alienigenarum corda discebant, cùm Iudæorum infidelitas veritatem ore proferret, & mendacium corde retineret. Noluerunt enim agnoscere oculis, quem de sacris iudicabant libris; vt quem non adorabant in infantiæ infirmitate humilẽ, posteà crucifigerent in virtutum sublimitate fulgẽtem. Quæ ista, Iudæi, tam imperita in vobis scientia est, tam indocta doctrina? Interrogati vbi Christus nasceretur, veraciter & memoriter dicitis quod legistis, In Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, non es minima in principibus Iuda, ex te enim exiet Princeps qui regat populum meum Israël. Hunc Principem natum longinquæ Orientalium gentium nationes in insolito noui sideris splendore didicerunt: & ne de loco editi Regis ambigerent, vestra eruditio prodidit quod stella non docuit. Cur vobis viam, quam alijs aperitis, obstruitis? cur in vestrâ infidelitate residet dubiũ, quod ex vestrâ sit responsione manifestum? Locum natiuitatis de Scripturarum testimonio demonstratis, præsentiam temporis de cæli & terræ attestatione cognoscitis; & tamẽ vbi ad persequendum animus Herodis exarsit, ibi ad non credendum vester sensus obduruit. Felicior ergo ignorantia infantium quos persecutor occidit, quàm vestra scientia, quos in suâ perturbatione consuluit. Vos noluistis regnum eius recipere, cuius oppidum potuistis ostendere: illi potuerunt pro eo mori, quem nondum poterant confiteri.

Scientia, noxia scienti & non facienti.

Mich. 5, 2.

Hisce similia habet S. AVGVSTINVS 2. 3. & 5. *Homilia in hac solemnitate.* Magi, *inquit*, quærendo ciuitatem in quâ natus erat, quem videre & adorare cupiebant, necesse habuerunt percontari Principes Iudæorum, vt illi de sanctâ Scripturâ, quam in ore non in corde gestabant, infideles fidelibus de gratiâ Dei responderent, mendaces à se, veraces contra se. Quantum enim erat, vt illis quærentibus Christum, comites fierent, cùm ab eis audissent, quòd visâ stellâ eius venerint eum adorare cupientes, ipsi eos ad Bethlehem Iudæ, quam de libris diuinis indicauerat, ducerent, pariter viderent, pariter adorarent? Nunc verò alijs demonstrato vitæ fonte, ipsi sunt mortui siccitate; factique sunt eis tamquam lapides à milliario; qui viatoribus ambulantibus aliquid ostenderunt, sed ipsi solidi & immobiles remanserunt. Magi quærebant vt inuenirent, Herodes quærebat vt perderet. Iudæi ciuitatem nascentis legebant, tempus venientis non intelligebant. Inter Magorum pium amorem, & Herodis crudelem timorem, illi euanuerunt Bethlehem demonstrantes; Christum autem qui ibi natus est, non nunc quæsitum, sed visum posteà negaturi. *Idem* S. AVGVSTINVS *Serm. 34. de Tempore*: Similes effecti fabris arcæ Noë, qui alijs vbi euaderent præstiterunt, & ipsi diluuio perierunt. Audierunt & abierunt inquisitores, dixerunt & remanserunt Doctores. Diuino etiam nutu factum est, vt aspectu stellæ subtracto Magi humano sensu in Ierusalem irent, quærentes in ciuitate regiâ Regem natum: vt in Ierusalem primò Christi natiuitas publicè annuntiaretur, secundùm illud Isaiæ 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem; & vt etiam studio Magorum de longè venientium, damnarent Iudæorum pigritia propè existentium.

Scribæ fuere Magis vt lapides viam commonstrãtes ipsi immoti.

Docentes & non facientes similes sunt fabricatoribus arcæ Noë.

VERS. 7. Tunc Herodes clàm vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis:

8. & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.

PETRVS CHRYSOLOGVS *Serm 3. in Epiphaniâ ad hunc locum, sic ait*: Occultè vocat Magos, quia palàm nil audet simulata mens, conscientia dolosa. Occultè vocat Magos, quia fur amat noctem, latro in occulto tendit insidias. Diligenter inquirit tempus stellæ; sed cùm timet regno, signum cæli non timet, temporis non pertimescit auctorem. Quid turbaris Herodes? quid es tantum de successore sollicitus? Cui sidera militant, terreno imperio non tenetur.

Qui malè agit odit lucem.

S.CHRYSOSTOMVS *in hunc locum idem prosequitur.* Nam & illa quæ facta sunt, & ista quæ dicta, satis idonea erant quæ ab omni illum possent deterrere conatu. Non enim ex hominibus erant illa quæ natum esse Regem docebant. Siquidem & quòd stella Magos ab Oriente vocauit, & quòd homines barbari longinquæ subierunt peregrinationis laborem, modo vt adorarent in pannis, atque in præsepio collocatum: quòd olim Propheta omnia ista prædixit, aliaque eiusmodi, longè maiora erant, quàm vt secundùm hominum potestatem fieri crederentur. Sed illum tamẽ nihil horum omnino compescuit. Tale quippe est initium malignitatis, vt à nullo impulsa, plerumque sese ipsa præcipitet; & quàm sæpè, absque effectu operis, ærumnosa & impossibilia gestit efficere. Considera ergo vecordiam singularem. Si enim prophetiæ ipsi crediderat, eamque inuictam putabat, clarum erat, illum aduersus impossibilia conari. Si verò minimè credebat prouentura esse quæ tantò antè prædicta sunt, nec sibi timere debuit, nec puero insidiari. Ex vtroque igitur frustrà susceptus dolus iste conuincitur.

Malignitas sese ipsam præcipitat.

Pergit idem CHRYSOSTOMVS *ad illud quod sequitur*, Ite, & interrogate, &c. Nempe considerastis stultitiæ mixtum dolum tyranni. Si enim hæc verè dicis, quâ tandem ratione ductus latenter interrogas? Sin autẽ & fraudem specie consilij tegas, hoc ipso non caues, quòd clàm de puero interrogas,

dolum tuum à Magis sanctis deprehendi. Verùm, vt paulò antè præmisimus, anima semel malignitate capta, stultior cunctis efficitur.

Evsebivs Gallicanvs *Hom. 1. in hoc Festo*: Simulabat, *inquit*, adorare se velle, quem conabatur occidere: sed non timet veritas falsitatis insidias. Quàm cæca feritas sedebat quòd comprehendere Deum fraudibus posset. Ecce cuius terra & cælum ostendebat aduentum, qui pastorum non latebat simplicitatem, quem Magi de extremâ venientes Æthiopiæ parte cognoscunt: solus ad illum non potest Rex sacrilegus peruenire. Fallitur ergo stulti furor tyranni: Christum non potest inuenire perfidia. Deus non crudelitate, sed credulitate quærendus est: muneribus promerendus est, orationibus inquirendus.

Fraus propriis technis peris.

O Herodes, *inquit* Chrysologvs *suprà citatus*, Magus adorare iussus est, non deferre; testari venit ille, non prodere; videte illi datum est, tibi non datum est inuenire. Interrogate, inquit; quasi Magos semel interrogare non sufficit. Interrogantibus non piè, datum est sine pietate responsum: salutis nuntius malè audientibus conuersus est in ruinam. Contumax seruus audit natū Dominum, sed Domino nascenti parat laqueos, non honorem; mortem præparat, vt careat seruitute. Sed quia nec finiri Deus, nec perire salus, nec vita poterat interire, permanet in honore Dominus, seruus remansit in crimine: & ad pœnam trahitur, qui ad obsequium venire contempsit: capitur ad sententiam, qui ad gratiam noluit peruenire. Conuenienter autem dixit, Renuntiate mihi: quia semper diabolo renuntiat, qui peruenire festinat ad Christum. Christianus futurus à Sacerdote cùm audit, Renūtias diabolo? respondet, Renuntio. Propriè ergo Herodes à Magis sibi renontiare debere dicit, qui se diaboli sciebat tenere locum, satanæ nouerat implere personam. Vt & ego veniens adorem eum. Vult mentiri, sed non potest. Veniet vt ad tormenta curuetur, ad supplicia iaciatur, sternatur ad pœnam, qui adorare finxerat vt sæuiret.

Renuntiandum diabolo.

S. Chrysostomvs *sic moraliter ad hunc locum*, Caue, *inquit*, ne Herodi efficiaris similis, & dicas, Vt & ego veniens adorem eum; cumque veneris, interimere coneris. Huius similes sunt, qui indignè abutuntur Cōmunione mysterij; reus est enim iste Corporis & Sanguinis Domini. Qui enim eiusmodi sunt, habent in se tyrannum, & regno Christi iugiter inuidentem. Is suos cultores simulat, & mittit ad Christum, vt specie quidem adorare videantur, quantum verò in ipsis est, interimunt eum quem adorare se simulant.

Indignè communicantes specie adorationis quasi Christum necant.

Vers. 9. Qui cùm audissent Regem, abierunt. & ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer.

Stellâ opus erat non solùm ad iter inueniendum, sed ipsum etiã Christum videndum.

Sanctvs Chrysostomvs *Hom. 7. in Matth. ait*: Quid opus erat hoc sidere, cùm iam vicus ille fuisset repertus? absque dubio vt videretur & puer: nec enim erat prætereà quidquam quod illum posset ostendere, cùm nec esset ipsa domus conspicua, nec mater quasi clara quædam celebraretur ac nobilis. Opus igitur fuit stellâ, quæ super ipsum tugurij culmen insisteret, propter quod & ab Ierosolymis proficiscentibus rursus apparuit, nec priùs à cursu suo destitit, quàm ad ipsum præsepium peruenirent: duoque simul mirabilia iunguntur; fuit enim vtrumque mirandum, vt & Magi adorarent puerum, & eos ad adorandum stella perduceret, quæ certè talia sunt, vt etiam lapideas mentes ad lumen Dei omnino attrahere queant. Deinde postquam supra pueri caput institit, iterùm se sidus abscondit, quod ipsum maius erat, quàm vt à stellâ fieri crederetur, nunc videlicet apparere, nunc occuli, seque rursus ostendi. Hinc procul dubio Magi quoque incrementa fidei susceperunt, proptereà etiam gratulati sunt, quoniam quæsitum desideratumque repererant, quoniã effecti fuerant nuntij veritatis, & quia non frustrà tam longæ viæ spatia confecerant: tam ardenti quippe erga Christum cupiditate flagrabant. Imitemur igitur nos deuotionem Magorum, verò que amore virtutum barbaram consuetudinem subiugemus, longo itinere curramus, vt Christum videre mereamur, nam & illi nisi procul regionem propriam reliquissent, nequaquam vtique videre Christum potuissent. Recedamus igitur à terrenis negotijs atque curis: etenim Magi illi, cùm adhuc morarentur in Perside, stellam vidêre tantummodò; quia verò à Perside recesserunt, Solem ipsum inspexere iustitiæ. Surgamus ergo & nos: & licet omnes resistant, nos tamen alacres & prompti ad pueri accurramus domum, & quicumque nos voluerit impedire, nequaquam tamen accensi desiderij extinguamus ardorem. sic enim omnia aduersa calcabimus. Quoniam & illi nisi vidissent puerum, nec periculū, quod intentabatur à Rege, vitassent. Priùs enim quàm puerum cernerent, vndique illis opponebantur timores, conturbationes atque discrimina: postquam verò adorarunt, securitas & tranquillitas subsecuta est.

Vt Christũ videamus, affectus prauos relinquere ac subiugare debemus.

Remigivs *ad hunc locum mysticè ait*: Stella significat gratiam Dei, Herodes diabolū. Qui autem per peccatum se diabolo subdit, mox gratiam perdit: quòd si per pœnitentiam recesserit, mox gratiam inuenit, quæ non dimittit donec perducat ad domum pueri, id est Ecclesiam.

Mysticè stella est gratia Dei, Herodes diabolus.

Glossa *verò*, Vel stella, *inquit*, est illuminatio fidei quæ ad Christum ducit: quam dum diuertunt ad Iudæos, Magi amittunt; quia dum à malis consilium quærunt, veram illuminationem perdunt.

Etiã stella est illuminatio fidei.

Petrvs Damiani *in Serm. de Epiphaniâ, ait*: Erat stella in aëre, stella in terrâ, Sol in præsepio. Stella in aëre, corpus illud lucidum; stella in terrâ, Virgo Maria; Sol in præsepio, Christus noster. Stella in aëre, de quâ Balaam prædixit in prophetiâ suâ, Num. 24. Orietur stella ex Iacob, & confringet omnes alienigenas. Sol in præsepio, de quo reprobi, secundùm quod in libro Sapientiæ legitur, dicturi sunt in futuro, Sap. 5. Errauimus à viâ veritatis, & Sol iustitiæ non illuxit nobis. In stellâ, fratres, quatuor principaliter attēduntur. Stella enim igneæ naturæ est, stella in se lucida est & clara, stella ex se radium emittit, stella in nocte lucet. Hæc eadem in stellâ nostrâ, id est in Virgine Mariâ possumus inuenire. Stella enim, vt diximus, igneæ naturæ est, & ipsa Virgo Maria igneæ naturæ fuit: ipsa enim est rubus ille igneus, in quo (Exo. 3.) apparuit Dominus Moysi, qui videbatur quippe ardere, sed non comburebatur: quia grauida quidem apparuit Virgo, sed igne libidinis non est consumpta.

Quatuor proprietates stellæ B. Mariæ attributæ.

sumpta. Ipsa in se splendida est & clara, adeò vt de eâ scriptum sit in Canticis canticorum c. 6. Quæ est ista quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol? Ipsa ex se radium illum emisit, qui penetrat vsque ad cordis secreta. Scrutatur enim corda & renes, eò quòd viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus; vnde meritò congruit ei nominis interpretatio. Maria namque, stella maris interpretatur. Mare hic mundus est, sicut scriptum est Psalmo 103. Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus. Meritò ergo stella maris dicitur, quia ipsa tamquam sidus singulare refulsit in mundo, & cuius splendor illuminat mundum; & ex se radium illum emisit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et sicut radius processit à stellâ, stellâ integrâ permanente; sic filius ex Virgine, virginitate inuiolabili perdurante: secundùm quod & Propheta Ezechiel cap. 44. inquit: Porta quam vides, semper erit clausa, & nullus transibit per eam, sed Dominus solus introibit per eam. Stella lucet in nocte, & ipsa Virgo in nocte huius sæculi singulariter fulsit, secundùm quod de eâ scriptum est: Quæ cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Talis est stella nostra, fratres, talis est Virgo Maria, talis est stella maris: & quia reliquit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius, talis etiam debet esse anima nostra. Simus ergo, fratres, igneæ naturæ, vt sit in nobis ille ignis quem Lucæ 12. venit Dominus mittere in terram: & ignis ille qui erat flammigerans in ossibus Ieremiæ, accendatur in conflatorio cordis nostri, iuxta quem Malachiæ 3. sedet Dominus purgans & mundans filios Leui. Simus etiam & nos clari & fulgidi, vt adspiret nobis dies, & inclinentur vmbræ. Et deponentes veterem hominem cum actibus suis, induamur nouum, qui secundùm Deum creatus est; vt si fuimus aliquando tenebræ, nunc simus lux in Domino. Et induti armis lucis ambulemus honestè, sicut decet ambulare in die. Emittamus etiam ex nobis, fratres, radium bonæ operationis, quia scriptum est Lucæ 12. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Lucernas quippe ardentes in manibus portamus, cùm proximis nostris per exempla bonæ operationis lucemus, vt cortina cortinam trahat; & qui audit, dicat, Veni. Et sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videntes opera nostra bona, glorificent Patrem qui in cælis est; & currant multi in odorem vnguentorum nostrorum. Stella lucet etiam in nocte, & nos, fratres, in nocte huius sæculi luceamus, secundùm quod scriptum est, Philip. 2. Inter quos lucetis quasi luminaria fixa in firmamento. Contra hæreticorum tenebras sapientiæ lumine splendeamus, quia scriptum est Cant. 2. Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini. Propter quod Dominus inquit Matth. 10. Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Sic ergo, fratres, ad verum Solem poterimus peruenire, si Virginis & stellæ nostræ vestigia fuerimus imitati.

Ier. 11, 17. Heb. 4, 12.

S. Maria stella maris dicitur.

Ioan. 1, 9

Quomodo nos stellæ proprietates habere possimus ac debeamus.

Cant. 2, 17. Coloss. 3, 9. Ephes. 5, 8. Rom. 13, 13.

EVSEBIVS, *siue* EMISSENVS *siue* GALLICANVS *sit, ad hunc locũ, modo dictis conformiter ait:* Recedunt Magi ab Herode, & vident stellam, quia & illi, qui à diabolo separantur, vident iustitiæ lumen. Sed quare eos antecedit stella, nisi vt viam eis ostendat, & ad puerũ ducat? Sequuntur igitur eam: veniunt in Bethlehem, stat supra domum illam in quâ erat Virgo Maria. Stat stella supra stellam. Maria enim stella maris interpretatur. Stella itaque filius, stella & mater. Stella oritur de stellâ, sed maior quæ oritur quàm illa de quâ oritur. Vnde & meritò suprà stare videtur. Non dixit, supra puerum. sed quid dixit? Suprà vbi erat puer. Vbi enim erat puer, nisi in sinu matris? Stabat igitur stella & clamabat. Habet enim linguam suam. Ne enim longè petamus exempla, sic illa stella loquebatur Magis, sicut istæ litteræ loquuntur nobis. Significando igitur loquebatur. Sed quid significabat, quid dicebat? Vis audire quid? Hîc est puer, hîc est mater pueri, hîc eum quærite, hîc eum inuenietis, hîc in paruo corpusculo latet qui vbique est, & omnia replet.

Stella Iesus, stella Maria.

VERS. 10. Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno valdè.

11. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius, & procidentes adorauerunt eum: [a] & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

[a] Ps. 71, 10

PETRVS DAMIANI *loco suprà citato sic pergit hæc explicare:* Magi ergo illuminati à sole veniunt ad Solem, qui illustrati per stellã quæ lumen suum habet à sole, venerunt ad adorandum Solem; quorum gesta diligenter singula attendamus. Venerunt ergo ab Oriente Ierosolymam, & cùm inuenissent inquisiuerunt: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Cùm peruenissent ad locum, procidenrunt; cùm procidissent, adorauerunt; cùm adorassent, munera obtulerunt. Venerunt ergo infatigabili labore, inquisiuerunt prouidâ sollicitudine, prociderunt debitâ humiliatione, adorauerunt mentis deuotione, munera obtulerunt integrâ fidei religione. Et obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham. Ecce primitiæ Gentium, primò puram & integram fidem offerunt. Obtulerunt enim thus Deo, myrrham mortali, aurum Regi. Thus per fidem diuinitatis, myrrham per fidem humanitatis siue mortalitatis, aurum per fidem regiæ dignitatis.

Magi quomodo se gesserint venientes ad Dominũ adorãdum.

Quæ munera magi obtulerint Christo, & quibus sacramentis.

S. LEO *Serm. 1. Epiphaniæ:* Consummant ergo Magi desiderium suum, & ad puerum Dominum Iesum Christum eadem stellâ præeunte perueniunt. Adorant in carne Verbum, in infantiâ sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis: vtque sacramentum fidei suæ intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi, scienter diuinam humanamque naturam in vnitate venerantes: quia quod erat in substantijs proprium, non erat in personâ diuersum. *Et Serm. 6.* Aurum de thesauro animi sui promit, qui Christum Regem vniuersitatis agnoscit: myrrham offert, qui Vnigenitum Dei credit veram sibi hominis vnijsse naturam: & quodam eum thure veneratur, qui in nullo ipsum paternæ maiestati imparem confitetur.

Obseruat autem Glossa cum D. Thomâ in hunc locum, quod Magi thesauros suos in viâ non aperuerunt, sed postquam ad terminum Christo Domino iam inuento peruenerunt. Eius verba sunt hæc: Mysticè & moraliter considerandum est, quòd isti non in viâ,

Diuina dona qualiter occultanda & aperienda.

tum primò aperuerunt thesaurũ quando venerunt ad Christum vnde Matthæi 13. dicitur: Simile est regnum cælorũ thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit. Magnum religionis sacramentum hîc aperitur, vt fide præuiâ thesauros nostros in viâ non pandamus, donec præteritis hostibus, soli Deo ex occultis cordium offeramus.

Ad hoc Magorum exemplo nos etiam hortatur S. HIERONYMVS (*vel, vt alij volunt*, MAXIMVS TAVRINENSIS) *de Verâ circumcisione, tomo 9 scribens:* Magi adorato Domino thesauris, id est secretis mentium, patefactis, animorum motus mactauêre pro munere, eosque morbos, per quos aliquid aut cupimus, aut metuimus, aut dolemus,

Exemplo Magorum thesauri malarum passionum exuendi ad pedes Christi.

velut ante pietatis aram & misericordiæ altare foderunt, vt vel in auro auaritia, vel in thure idololatria, vel in myrrhâ fieret Domino subiecta mortalitas, à quo eius vtique erat captiua ducenda captiuitas. Sub his ergo Magorum & nominibus & oblationibus omnimodè ille diuinorum operum interpellator exuitur, quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Quis enim iam aurum audeat possidere, si Domini est? aut idolis thura concremare, si Domini sit? aut mortuum, nisi mortuus sepelire, si myrrha iam viui est? Magi egressi veteris vitæ reliquêre vestigia, nouum iter ingressi vacui sarcinis, non vacui benedictione
Psal. 114, 7 cantauerunt: Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

Quomodo nos Magos in adoratione & oblatione imitari debeamus.

Pulchre hic iterum PETRVS DAMIANVS, Venerunt Magi, *inquit*, veniamus & nos; quia scriptum est Matth. 11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. & alibi, Ecclesiastici 24. Venite ad me qui concupiscitis me. Inquisierunt Magi, inquiramus & nos; quia scriptum est, Isaiæ 55. Quærite Dominum dum inueniri potest. Prociderunt Magi, procidamus & nos; quia scriptum est Psalm. 94. Venite adoremus, & procidamus ante Deum. Adorauerunt Magi, adoremus & nos; quia scriptum est Psalm. 28. Adorate Dominum in aulâ sanctâ eius. Obtulerunt Magi, offeramus & nos; quia scriptum est ad Rom. 12. Obsecro vos, fratres, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. Offeramus & nos illa tria quæ obtulerunt Magi, aliter tamen quàm illi.

Offerendo myrrham mortificationis.

Coloss. 3, 5 Offeramus myrrham mortificationis, vt mortificantes corpora nostra quæ sunt super terram,
Rom. 13, 14. carnis curam non faciamus in desiderijs, crucifigen-
Gal. 5, 24. tes corpora nostra cum vitijs & concupiscentijs:
Rom. 12, 1 & in his tamen omnibus, rationabile sit, vt dictum est, obsequium nostrum.

Thus deuotæ orationis.

Offeramus thus deuotæ orationis, secundùm quod Apostolus ait 1. Cor. 14. Orabo spiritu, orabo & mente; psallam spiritu, psallam & mente, Vt (sicut est Psalm. 140.) dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu Domini.

Aurum sapientia.

Offeramus & aurum, & splendorem sapientiæ: aurum namque sapientiam designat, iuxta illud Prou. 21. Thesaurus desiderabilis requiescit
1. Pet. 3, 15 in ore sapientis; vt simus parati omni poscenti de eâ, quæ in nobis est fide & spe, reddere rationem, & splendore sapientiæ fulgeamus, & contra hæreticorum tenebras intrepidi dimicemus, atque dicere possimus (illud Psalm. 118.) Bonum mihi lex oris tui, super millia auri & argenti, &c.

Religiosi offerunt per tria vota aurũ paupertatis, thus obedientia, myrrham castitatis.

Et quamuis hæc tria munera modo explicata fideles omnes offerre teneantur; Religiosi insuper (*ait* P. SALMERON *Tract.* 40.) qui peculiari quadam ratione diuino se famulatui mancipaturot ac consecrarunt, offerunt aurum, per votum paupertatis, omnibus fortunæ bonis renuntiantes; thus, per votum obedientiæ, seipsos in perpetuum vitæ offerentes holocaustum Deo; myrrham verò, per votum castitatis, carnis motus coërcentes, atque ab omni petulantiâ incontinentiaque seruantes. *Vt sic iam nihil mediet inter verum Religiosum & Deum, vt optime aduertit* ALBERTVS MAGNVS *in aureo libello de Adhærendo Deo, dicens:* Nihil erit medium inter te & Deum; quod sic patet: Quia

Per dicta vota fit, vt nihil remaneat medium inter Deum & Religiosum.

nec res aliqua ab extra, cùm per votum voluntariæ paupertatis ablata sit omnis rei possessio vsque ad vltimum; per castitatis votum, corpus; & per obedientiam, voluntas & ipsa anima; & sic quodammodò nihil relinquitur quod mediet inter te & Deum. Quòd autem Religiosus sis, probat professio ipsa, status tuus, & nunc habitus tuus, & tonsura, & similia huiusmodi: sed an fictus an verus Religiosus sis, tu videris. Animaduerte ergo quàm grauiter degeneres & pecces in Dominum Deum tuum, & in omnem suam iustitiam, &c.

Sæcularis qualiter possit religiosam vitã imitari.

Fidelis vero quilibet Christianus imitari poterit hæc Religiosorum munera, offerendo aurum eleemosynæ, thus precationis, & myrrham ieiunij. Nam, vt docet D. Thomas in Additionibus ad 3. Partẽ quæst. 15. art. 3. ex bonis fortunæ subtrahimus nobis aliquid per eleëmosynam, ex bonis corporis per ieiunium, ex bonis autem animæ per hoc quòd ea submittimus Deo totaliter, & hoc fit per orationem. *Intendens igitur super egenum & pauperum per eleemosynæ largitionem, offeret Christo aurum, & imitabitur Religiosorum paupertatem; ieiunans per ciborum abstinentiam & vitiorum mortificationem, offeret myrrham, & imitabitur eorum castitatem; orans Deum, ei & eius voluntati & legi parendo, ac se submittendo, offeret thus, & obedientiam imitabitur.*

VERS. 12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

Pœnitentes quomodo per aliam viam reuerti debeant.

SANCTVS GREGORIVS *ad hunc locum Hom. 10. in Matth. ait:* Magnum verò nobis aliquid Magi innuunt, quòd in regionem suam per aliam viam reuertuntur. In eo namque quod admoniti faciunt, nobis profectò insinuant quid faciamus. Regio quippe nostra paradisus est, ad quam Iesu cognito, redire per viam quâ venimus prohibemur. A regione etenim nostrâ superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando, discessimus; sed ad eam necesse est vt flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrænando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur; quoniam qui à paradisi gaudijs per delectamenta recessimus, ad hæc per lamenta reuocamur.

Viæ immutatio est vitæ emendatio.

HILARIVS ARELATENSIS *Serm. in hoc Festo ait:* Illud quoque, Per aliam viam regressi sunt, intelligamus vtilitati ac saluti nostræ peculiariùs conuenire. Viæ enim immutatio, vitæ intelligitur emendatio. Nos quoque per alias incedimus vias, quando veterem abnegamus hominem; quando superbiam susceptâ humilitate deponimus; quando ad patientiam ab iracundiâ mentem deflectimus; quando veteres voluptates, & consuetudines pristinas,

ſtinas, ac deſideria antiqua damnamus. Ad viam vtique aliam de errore tranſimus, quando vniuerſas concupiſcentias honeſtatis ac paupertatis amore calcamus; quando caſtitate luxuriam ſubiugamus, ſiniſtras ſemitas relinquentes, dextro tramite iter ſpiritale conficimus.

FVLGENTIVS *Serm.* 5. Ad regionem Sanctorum totâ cordis deuotione tendamus. Nec teneamus viam veteris vitæ, ſed diuinis mandatis humiliter obſequentes, viam mutemus, & in quâ præcipit Dominus, ambulemus, vt ad patriam peruenire valeamus, vbi ſine fine cum ipſo Domino gaudeamus. Via enim hominis, eſt vita eius. Qui malè viuit, viam tenet erroris: qui benè viuit, per viam graditur veritatis. Quapropter qui ambulabat viam fornicationis, viam teneat caſtitatis: qui viam tenebat auaritiæ, teneat viam miſericordiæ: qui ambulabat per viam fictionis, viam teneat nunc puritatis. Ambulemus benè per fidem, vt perueniamus ad ſpeciem, vbi plenum erit gaudium noſtrum, quia implebitur in nobis deſiderium noſtrum

Via hominis, vita eius.

S. LVCÆ CAPVT II.

DE PVRIFICATIONE.

22. ET poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius "ſecundùm legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino,

"Leu. 12, 6

23. ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: "Quia omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur.

"Exo. 13, 2 Num. 8, 16

24. & vt darent hoſtiam ſecundùm quod dictum eſt in "lege Domini, par turturũ, aut duos pullos columbarum.

"Leu. 12, 8.

BASILIVS in Iſa. c. 7. Lex purificationis.

46 SED nec Virgo ſubdita erat purificationis legi. Scriptum enim in Deuteronomio: Mulier quæcumque conceperit ſemen, & pepererit maſculum, immunda erit * quadraginta dies. Hæc verò cùm nullo ſemine ſuſcepto mater facta ſit Emmanuelis, pura omnino, ſanctaque ac immaculata eſt, & poſt partum quoque virgo permanens. Cùm enim primus Adam non ex viri feminæque congreſſu ſit ortus, ſed ex terrâ fictus; poſtremus etiam Adam prioris corruptionem inſtaurans, in matre Virgine corpus fabricatum aſſumpſit, vt per carnem in ſimilitudine naſceretur peccati. Ne autem admiranda hæc natiuitas non omnino incredibilis videretur ijs qui perperàm affecti difficulter approbant quæ diuinam concernunt diſpenſationem, rerum Opifex animalia quædam creauit, quæ poſſent per ſolam femellam ſine maſculi complexu parere. Hæc enim de vulturibus tradunt, qui de animalibus conſcribunt hiſtorias.

** ſeptem*

Quædam animalia ſine coitu parere

ANASTASIVS. Quid purificatis offerendum.

47. Sed quærendum primùm quidem, de quo ſit ſcriptũ illud de purificatione illorum; ſecundùm verò, de eius coram Domino præſentatione; ac tertiùm, quid ſignificet illud par turturum, vel duo pulli columbarum. Si enim quod de purificatione illorum [ſcriptum eſt] id de ſanctâ Deiparâ, vel de B. Ioſepho, vel de ipſo Domino quis dictum exiſtimauerit, impiè omnino ſenſerit. Neque enim Ioſeph B. Virginem cognouit, neque ipſa in peccatis concepit vti ceteræ mulieres, vnde purificari debuerit, ſed & ſine ſemine concepit, & abſque corruptione peperit. vbi autem nullus viri feminæve complexus, non ſomnus, non voluptas intercedit aut copula, quis vſus purificationis? Sed nec de Domino illud dictum eſt, incorrupto, ac ſuper omnem puritatem puro.

ATHANASIVS. Quid præſentatio Chriſti ſignificet.

48. Qui non pro ceterorum conditione hominum, vt exiſteret & ſubſiſteret, carnem induit; ſed vt carnem ſanctificaret, homo factus eſt. Si quis autem hanc coram Domino præſentationem de ipſomet Domino factam accipiat, ſic etiam à veriſimili aberrat. Quando enim abſconditus fuit Dominus ab oculis Patris, vt ab ipſo non poſſet conſpici? vel quis ſit extra eius ditionem locus, in quo exiſtens, Patri non ſit præſens? Nónne Ieroſolymam aſcendit, & in templum ingreſſus eſt? Cur autem, cùm ipſe veritatis eſſet ſacrificium, figurata pro eo ſacrificia obtulerunt? Non igitur propter ipſum, ſed propter nos hæc ſcripta ſunt. Quemadmodum enim cùm eſſet naturâ Deus, non propter ſemetipſum ſit immutabiliter homo, & carne circumciditur, ac baptizatur, & cetera; ſed propter nos: vt nos cùm homines ſimus, per adoptionis gratiam fiamus Dij; & ſpiritaliter circumcidamur, at non legaliter; & per Baptiſma ſordes peccatorum abluamus, ac mundo crucifixi, Deo reſurgamus. Similiter & hîc, quod de ipſius purificatione, ac coram Domino præſentatione, & figuratis ſacrificiis ſcriptum eſt, id non propter ipſum, ſed propter nos & geſtum eſt & ſcriptum: quò diſcamus noſmetipſos purificare ac præſentare Deo, myſticè ſpiritaliterque offerentes illi par turturum, aut duos pullos columbarum. Ac turtur quidem temperantiæ ac quietis ſymbolum eſt: animal enim eſt ſolitudinis amans, ac valdè temperans, ita vt ſiue mas ſiue femella moriatur, neuter eorum alteri coniungatur. Columbarum verò pulli, innocentiæ manſuetudiniſque figuræ ſunt. Qui itaque per temperantiam ſeſe à voluptatibus ac deſiderijs carnalibus purgant, & per innocentiam manſuetudinemque abſtinent ab irâ & perturbatione, grata omnino ſacrificia offerentes

Chriſtus non propter ſe ſed noſtri cauſâ oblatus eſt:

Columbæ oblatæ quid figurarint.

 ferentes

ferentes apparebunt coram Deo, & in cælesti illâ Ierosolymâ præsentabuntur. Nihil enim æquè Deo gratum vt innocentia & temperantia. Certè tam nos esse temperantes cupit, vt ne ad vsque concupiscentiam quidem mulierem intueamur. De innocentiâ autem dicit: Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli; non corporalem ætatem, sed animi innocentiam per paruulos significans. In mansuetudinis verò humilitatísque exemplar semetipsum proposuit, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Si quis autem petat, cur binos & binos prædictos offerri volucres iusserit, & illos quidem perfectos, hos verò recèns natos; Respondeo, quòd cùm homo duplex sit, hoc est ex animâ & corpore, duplicem quoque Deus à nobis temperantiam mansuetudinemque requirat. Si enim solùm secundùm corpus abstineam à carnalibus voluptatibus, secundùm animam verò ad concupiscentiam earum mouear, non sum temperans, sed mœchus. Qui enim viderit, inquit, ad concupiscendum, iam mœchatus est in corde. Et iterùm: Qui secundùm id quod apparet videtur mitis, secundùm animam verò mouetur ad iram; non est innocens, sed hypocrita, sed iracundus, habens occultæ malitiæ velamentum, apparentem ac simulatam innocentiam. quos Propheta innuens dicit: Ore suo benedicebant, sed corde suo maledicebant. Et iterùm: Qui loquuntur pacem cum proximis suis: mala autem in cordibus eorum. Quòd autem ex illis quidem perfectos, ex his verò pullos recèns natos offerri iusserit; significat nos esse oportere prudentiâ temperantiâque perfectos, sed infantes malitiâ, sicut ait Apostolus. Sed videamus de quibusnam, & vbi, ac quando dicatur, quòd omne masculum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, quidque legis ænigma innuat.

Mat.16,3. Mat.11,9 Mat.5,28. Psal.61,5. Psal.27,3. 1.Cor.14,20.

CHRYSOSTOMVS in Hexaëmeron. 49. Quando Dominus vniuersorum volebat genus Israëliticum ex Ægypto liberare, & ex tyrannide Pharaonis vindicare, propter Patriarchæ factam promissionem; Ægyptijs reluctantibus, eósque detinere volentibus, post diuersas plagas mortem subintulit primogenitorum: hancque plagam subinferens vltimam, tantùm non coëgit Ægyptios proprijs genus Israëliticum manibus expellere. Confertim enim omnium Ægyptiorum primogenita tolli iubebat, erátque videre per singulas familias lamenta ac lacrymas. Neque hîc comminationem sisti existimabant, sed ex hoc expectabant vt omnes etiam per viam incedentes mors inuaderet. Postquam itaque cuncta Ægyptiorum primogenita frequens mors abstulisset, soli Israëlitæ supernum nacti fauorem illæsi permanserunt. Ac suam per hoc Deus erga illos beneuolentiam ostendens, pro occisis Ægyptiorum primogenitis Iudæorum sibi primogenita offerri in posterum præcepit. Hinc Leui tribus, ad sacrificandum segregata est. Nec ex eâ hominum tantùm, sed expertium quoque rationis animalium primogenita offerebantur: mandatoque cautum erat, vt rationalia & impura pretio redimerent. Sic autem scriptum est in Exodo: Et erit cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Chananæorum, quemadmodum iurauit Patribus tuis. Et separabis omne adaperiens vuluam, masculina Domino. Primogenita filiorum tuorũ dabis mihi, sic facies vitulo tuo, & oui tuæ, & bobus tuis: septem dies erunt sub matre, die autem octauo offeres mihi illud.

Origo purificationis & causa oblationis. Exo.13,11 Leu.22,7.

ISIDORVS l.1.ep.23. 50. Quod autem dictum in diuinâ Scripturâ, quòd omne primogenitum aperiens vuluam, sit sanctum Domino; non de omni dictum primogenito (ne sic imperiti existiment) sed de vno illo ac solo, qui cùm pareretur vuluam aperuit. Omnem enim vuluam commixtio congressúsque aperit. Illam verò quæ Dominum nostrum Iesum Christum enixa est, ille ipse qui conceptus erat sine semine procedens aperuit, & rursus obsignatam reliquit. Verè quidem factus homo; verè autem Deus existens, adorandus est vnus in ambabus naturis.

Omne primogenitum sanctum Domino. Exo.13,12

ANNOTATIONES.

NVM.46. *NOTA, locum istum Scripturæ, Γυνὴ ἥτις ἐὰν σπερματισθῇ, &c. qui à D. Basilio hic tamquam Deuteronomij citatur, desumptum esse ex Leuitici cap. 12. vers. 2. Ista tamen differentia, quòd loco eius quod hic τεσσαράκοντα, ibi ἑπτὰ legitur. Istos autem septem dies, in istum locum P. Cornelius dicit vocari dies separationis, ita vt per illos septem dies nemini, ne marito quidem, cum eâ versari liceret: reliqui verò triginta tres dies vsque ad quadragesimum erant dies purgationis, quibus arcebatur quidem à sanctuario, ita tamen vt cum eâ loqui, vesci, ac versari (citra copulam tamen) liceret. Innuuntur autem hoc loco tria. Primò, mulier si peperisset masculum, iudicatur immunda per quadraginta dies, idque propter partus immunditiam cùm naturalem, tum moralem; & quadragesimo die iubetur legaliter purificari. Secundò, præcipitur offerre pro purificatione suâ agnum & pullum turturis aut columbæ, pro peccato, si diues erat; sin pauper, par turturum, aut duos pullos columbarum. Tertiò, vt si proles esset mascula & primogenita, sisteretur Domino, sic tamen vt redimere eam possent quinque siclis. Sanctus itaque Basilius D. Virginem ab hac purificationis lege exemptam esse ostendit: Primò, ipsis verbis legis, ἥτις ἐὰν σπερματισθῇ, &c. quia ipsa non ex semine, sed de Spiritu sancto conceperat. Secundò etiam ex mente ac ratione legis, quæ erat purgare partus immunditiam, quæ hic nulla fuit, quippe quæ sanctissimè ac purissimè peperit Sanctum sanctorum. Primum illud etiam pulchrè probat*

Deipara à lege Purificationis per ipsammet legem libera erat.

S. BER-

S. BERNARDVS *ex dicto Leuitici loco Serm. 3. de Purificatione*, Sed quis non animaduertat, *inquit*, in ipso sententiæ huius initio, liberam matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicturus Moyses, mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcircò præmiserit, Suscepto semine? Alioquin nisi parituram præuidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quòd lex ista matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filiū peperit, sicut prædictum erat per Ieremiam cap. 31. quia nouum faceret Dominus super terram. Quæris quod nouum? Mulier, inquit, circumdabit virum. Non ab altero viro virum suscipiet, non humanâ lege concipiet hominem, sed intra viscera intacta & integra virum claudet; ita sanè, vt intrante & exeunte Domino, iuxta alium Prophetam (Ezech. 44.) porta Orientalis clausa iugiter perseueret.

Virgo etiam ratione legis non tenebatur.

Alterum, quòd nempe etiam secundùm mentem legis excepta sit, ostendit S. AMBROSIVS *quodam Sermone de Purificatione, his verbis*: Cunctis fidelibus liquet, nequaquam Redemptoris matrem ex eius natiuitate maculam contraxisse, quæ illorum dierum spatio, à sacris ædibus abstinens, purgaretur, quæ sine humanâ concupiscentiâ, sine humano concubitu virgo concepit, sine aliquâ corporis corruptione virgo peperit, & sine fine virgo permāsit; ac per hoc nec masculus ex eâ natus vuluam eius aperuit: sed hoc iuxta legis narrationem Euangelista contexens, claudit impijs sacramentum diuinæ Incarnationis, matremque legem obseruantem introducit. Nec mirum, si mater obseruat legem, quam eius filius non venerat soluere, sed adimplere. Sciebat quo ordine conceperat, quis esset quem genuerat, sed legem communem obseruans celauit filij maiestatem.

Cur à Deiparâ & filio lex purificationis & præsentationis sit impleta.

Congruentiam autem propter quam Dei matrem, etiamsi non teneretur, conueniebat hanc legem implere, tradit D. THOMAS *tertiâ Parte, quæst. 37. art. 3. & 4. dicens*: Sicut plenitudo gratiæ à Christo deriuatur in matrem, ita decuit vt mater humilitati filij conformaretur. Humilibus enim Deus dat gratiam, vt dicitur Iacobi 4. Et ideò licet Christus non esset legi obnoxius, voluit tamen circumcisionem & alia legis onera subire, ad demonstrandum humilitatis & obedientiæ exemplum, & vt approbaret legem, & vt calumniæ occasionem Iudæis tolleret, propter eamdem rationem voluit & matrem implere legis obseruantias, quibus tamen non erat obnoxia. Sicut enim Filius Dei non propter seipsum factus est homo, & circumcisus in carne, sed vt nos per gratiam faceret deos, & vt spiritaliter circumcidamur; sic propter nos sistitur Domino, vt discamus Deo præsentare nosmetipsos: & hoc post circumcisionem factum est, vt ostendat, neminem nisi circumcisum vitijs dignum esse diuinis conspectibus. Eodem etiam modo, licet B. Virgo nullam haberet immunditiam, voluit tamen purgationis obseruantias implere; non propter indigentiam, sed propter legis præceptum: & ideò signanter Euangelista dicit, quòd completi sunt dies purgationis eius secundùm legem: ipsa enim secundùm se purgatione non indigebat, nec obligabatur ad impletionem illius præcepti, sed voluntariè purgationis obseruantiam adimpleuit.

Putas ergo, *ait* S. BERNARDVS *Serm. 3. de Purificatione*, non poterat moueri animus Virginis, & dicere, Quid mihi opus purificatione? cur abstineam ab ingressu templi; cuius vterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum; nimirum cùm proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obseruatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? *Cui respondet encomiasticè idem* BERNARDVS: Verè, ô B. Virgo, verè non habes causam, nec tibi opus est purificatione, sed numquid filio tuo opus erat circumcisione? Esto inter mulieres tamquam vna earum, nam & filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, & non multò magis velit offerri? Offer filium tuum Virgo sacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta. Offer ad nostram omnium reconciliationē hostiam sanctam, Deo placentem; omnino acceptabit Deus Pater oblationem nouam, & pretiosissimam hostiam; de quâ ipse ait Matth. 3. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. *Et paulò pòst ita pergit*: Oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, vbi tātùm sistitur Domino, redimitur auibus, & illicò reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, neque inter brachia Simeonis, sed extra ciuitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur ab alieno, sed alios redimet Sanguine proprio: quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum: istud quidem iucundius, sed illud plenius; istud enim tempore natiuitatis, illud iam in plenitudine ætatis. De vtroque tamen potes accipere quod Propheta prędixit Isaias cap. 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Nam & modò oblatus est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia voluit: & in cruce nihilominùs oblatus est, non quia meruit, non quia Iudæis prævaluit, sed quia ipse voluit. Voluntariè sacrificabo tibi Domine, quia voluntariè oblatus es pro meâ salute, non pro tuâ necessitate. Quis mihi tribuat, vt oblationem meam dignetur maiestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico; & hæc tibi perfectè possum in sacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longéque gloriosius atque vtilius est, vt tibi magis offerat, quàm deserat mihi ipsi: nam ad meipsum anima mea conturbatur.

Humilitas Christi & Deipara in purificatione & præsentatione.

In templo voluit Christus offerri in cruce posteà offerendus.

Melius est nobis si Deo offeramur, quàm si nobis ipsi relinquamur.

Modum autem quo nosmetipsos purgare ac purificare debeamus, pulchrè nobis tradit P. SALMERON *Tract. 41. argumentum firmans à minori ad maius hoc modo*: Si, *inquit*, tantum operæ studijque ponimus in purgandis sordibus domus, vestiumque maculis; quantò magis laborandum est in interiori homine sanctificando permundandoque? Appropinquate, ait S. Iacobus Apostolus cap. 4. Deo, & appropinquabit vobis: emundate manus peccatores, & purificate corda duplices animo. Nam vt aër vento, domus scopis, igne metalla, ferrum limâ, tunicæ aquâ, triticum ventilabro, detersione speculum purgari ac permundari solent; sic animus noster purificari potest ac sanctificari ab omni criminis labe & sorde, per ventum Spiritus sancti ab austro flantis, per scopas humilitatis, per ignem charitatis, per limam correptionis verbi Dei, per aquam tribulationis, per ventilabrum sanctæ medita-

Qua ratione animam nostram purificare debeamus.

diationis, abigentis muscas tentationum & scrupulorum, per detersionem contritionis, per quam anima nostra vti speculum perfectè Deum repræsentat, ad eiusque renouatur imaginem & similitudinem.

NVM. 50 *ad illud versus 23* ADAPERIENS VVLVAM, *nota, S. Isidorum hic cum Origene, Ambrosio, & Euthymio ad eumdem locū sentire, legem hanc Leuitici 12. soli Christo conuenire, quippe qui illorum sensu solus propriè matris vuluam aperuerit: non ita tamen quasi postea virgo non manserit (vti Caluinus sacrilegè interpretatur) sed quòd solus vterum spiritualiter, etiam in conceptione clausum nascendo aperuerit, id est, ex eo egressus sit perinde ac si eam aperuisset. Est enim μεταληπτικῶς ab alijs matribus quæ in conceptione ac partu vterum aperiunt. Atque hac ratione dicti Patres explicandi sunt: quia Catholica omnium sententia est, Christum clauso vtero & conceptum & natum esse. Sensus ergo istius loci Leuitici 12.* Omne adaperiens vuluam, *id est, quidquid primò reserando vuluam naturali modo egreditur, principiumque est maternæ generationis,* Deo sanctificabitur. *Vnde iuxta superiùs dicta ob rationes ibidem allatas contra S. Isidorum & Origenem dicendum est, Christū omnino ab hac lege excipi, nec vllo modo eadem obligari. Voluit tamen ob dictas supra causas eam adimplere, hoc vel maximè nos incitans ad opera supererogationis libenter facienda.*

Christus vuluā non aperuit.

Donec enim, *inquit* ORIGENES *in cap. 3. Epistolæ ad Rom.* quis hoc facit tantùm quod debet, id est ea quæ præcepta sunt, inutilis seruus est: si autem addas aliquid præceptis, tunc iam non inutilis seruus eris, sed dicetur ad te: Euge serue bone & fidelis. Quid autem est quod addatur præceptis, & supra debitum fiat? Paulus Apostolus dicit 1. Cor. 7. De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tamquam misericordiam consecutus à Deo. Hoc opus super præceptum est. Qui ergo completis præceptis, addiderit etiam hoc vt virginitatem custodiat, iam non inutilis seruus, sed seruus bonus & fidelis vocabitur. Et iterùm præceptum est, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant; Paulus tamen 1. Cor. 9. dicit: Quia nullo horum vsus sum. & ideò non inutilis erat seruus, sed fidelis & prudens.

Qui tātùm facit præcepta, seruus inutilis est, qui addit consilia, bonus & fidelis.
Mat. 25, 21

Quæ autem oblatio Deo grata sit, docet EVSEBIVS EMISSENVS *Hom. in Purificatione ad illud*, Par turturum, *&c.* Turtur, *inquit*, castissimum animal est: columba verò felle & amaritudine caret. Qui igitur corporis & animæ castitatem & innocentiam custodiunt, illi equidem par turturum aut duos pullos columbarum Domino offerunt. Et talis quidem hostia Domino placet, in quâ nos ipsos ei offerimus, & corpus & animam, innocenter casteque viuentes, ei dedicamus. Talem igitur hostiam matrem Domini offerre decebat, cuius tota vita castitas & innocentia fuit. Quia igitur dictum est, quid ista significent; dicendum etiam, qualiter offerri debeant. Iubetur enim sacerdos, qui ea offert, turturis & columbæ caput & collum retorquere. Debet autem vesiculam gutturis & plumam ad Orientalem plagam proijcere. Debet præterea earum ascellas confringere, & non penitùs secare, nec ferro eas diuidere debet. Tunc enim sacerdos turturis & columbæ caput & collum retorquet, quando illum qui per has aues significatur, docet & admonet, vt iam non erectâ ceruice, sed humiliato capite incedere discat. Sicut enim in erectâ ceruice superbia, ita & in capite inclinato humilitas manifestatur. Sed quid per vesiculam gutturis, vbi aues reponunt vnde viuunt, nisi ventris ingluuies designatur? Quid verò per plumas, nisi morum leuitas & mentis elatio significatur? Hæc autem homini proijcere & à se repellere bonum est. Sed vbi proijcere, nisi ad Orientalem plagam? Semper enim ab Ortu ad Occasum tendimus; semper Orientem fugimus, & ad Occasum propinquamus: est enim Occasus finis vitæ. Quæcumque igitur ad occasum nobiscum non ducimus, ea iam à nobis proijciētes, post dorsum relinquimus. Quibus denique ieiunium & abstinentiam indicimus, eis proculdubio gutturis vesiculam tollimus. Quibus verò omnem vagandi licentiam interdicimus, eis vtrque ascellas frangimus, vt & nobiscum maneant, & ad inutilia volare desistant.

Turtur symbolum est castitatis, columba simplicitatis & innocentiæ.

Quomodo illa mysticè offerenda & sacrificanda.

Idem pulchrè similiter S. GREGORIVS *super c. 1. Ezechielis Hom. 7. sic explicat:* Nos enim ipsi in omnipotentis Dei sacrificio turtur esse debemus, ita vt caput nostrum retorqueatur ad pennulas, id est, animus ad virtutes. Non enim immeritò per caput, mentem intelligimus: quia sicut caput corpus, ita mens actiones regit. Sed caput ad pennulas retorqueri præcipitur, vt ea quæ dicis facias, & os ad opera coniungas. Nec ita caput abscindendum est, vt à corpore diuidatur, sed ex parte decisum corpori suo iubetur inhærere; quia videlicet mens nostra à carnali delectatione incidenda est, sed à carnis curâ necessariâ incidenda non est. Huic enim scriptum est Rom. 13. Carnis curam ne feceritis in desiderijs. Quæ ergo in desiderijs fieri prohibetur, proculdubio in necessitate conceditur. Caput ergo turturis ex parte abscissum est, & ex parte inhæret, vt sicut dictum est, & à voluptate carnis mens nostra incisa, & tamen à necessitate non sit abscissa.

Nos ipsos loco turturis Deo sacrificare debemus.

Delectatio carnis incidenda, eius autem cura necessaria habenda est.

Quomodo autem columbæ conditiones exprimere debeamus, sic docet S. BERNARDVS *libro de Modo benè viuendi, dicens:* Columba sæpè super riuos aquarum sedet, vt viso accipitre veniente se in vndas immergat, & euadat. In tritico meliora grana eligit, sæpè alienos pullos nutrit, rostro non percutit, non habet fel, nidum facit in fenestris murorum, gemitum habet pro cantu. Deprecare ergo Deum, honesta virgo, cum summo studio, vt det tibi has virtutes columbæ; scilicet, vt super riuulos sanctarum Scripturarum sedeas, & admonitione earum incursum diaboli euadas. In sacrâ Scripturâ meliores elige sententias, ex quibus te reficias. Nutri alienos pullos, id est, homines priùs à Deo alienos, tuis verbis atque exemplis ad Deum conuerte. Rostro non percutias, id est, proximo tuo malum non facias, nec malum dicas. Non habeas fel, id est, non habeas in te iracundiam. In fenestris petrarum fac nidum tuum, id est, spem tuam. Gemitum habe pro cantu, videlicet vt sicut homines sæculares gaudent cantilenis sæculi, ita tu gaudeas in gemitu & tristitiâ spirituali. Igitur, soror venerabilis, sicut superiùs dixi tibi, oportet te pariter intelligere & cauere insidias inimici cum omni sollicitudine: sic te oportet per innocentiam vitæ esse simplicem, vt tamen cum simplicitate vitæ oporteat esse prudentem. Ille qui non miscet prudentiam simplicitati, secundùm quod ait Propheta, columba est seducta, non habens cor. Sed ideò est columba, quia est simplex; ideò autem non habet cor, quia non habet prudentiam.

Columbæ proprietates, & quomodo eas exprimere debeamus.

Simplicitati columbinæ iungenda prudentia est.

VERS.

VERS. 25. Et ecce homo erat in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus, & timoratus, expectans conſolationem Iſraël, & Spiritus ſanctus erat in eo.

26. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Christum Domini.

27. Et venit in ſpiritu in templum. Et cum inducerent puerum Ieſum parentes eius, vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo:

28. & ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit.

NYSSENVS in Orat. in Occurſum Domini.

51. Hoc de Simeone dictum, quòd erat exſpectans conſolationem Iſraël, hoc eſt, præſtolans manifeſtationem veritatis, ac populi Iſraëlitici ad eamdem à legis vmbrâ tranſitum: vt demiſſo eo qui ſub elementis mundi huius verſabatur, elementa veritatis perciperet, per quæ ad ipſam informaretur perfectionem. Cùm enim oraculo accepiſſet, ſe ante vitæ immutationem viſurum Christum Domini; expectabat vt ſimul populi quoque conſolatio ſpiritaliter exiſteret ac manifeſtaretur.

ANNOTATIONES.

VERS. 25 Laus & virtus Simeonis.

ET ECCE HOMO ERAT IN IERVSALEM, CVI NOMEN SIMEON, &c.] S. ANSBERTVS *Homiliâ de Purificatione*, Nihil minùs, *inquit*, de ſanctitate iſti ſpecialiter homini adſcribitur; qui & in Ieruſalem, id eſt in viſione pacis commoratur, & fidei operatione iuſtus, & reuerentiâ timoratus, & Iſraëlis conſolatione attonitus, & Spiritu ſancto repletus, euſque reſponſione de incarnati Verbi viſione roboratus fuiſſe perhibetur. O quàm ardenti deſiderio homo iſte expectabat, ſecundùm Spiritus ſancti promiſſionem, videre in carne Redemptorem! Quæ putamus fuerit inſtantia orationis eius, quâ diuino reſponſo meruit firmari de ijs quę petebat? Quæ erant eius gemituum continuata verba in ſanctâ deprecatione? Non enim in petendo ceſſauit, vſquequò reſponſum acciperet ſuper ijs quæ poſcebat, &c.

Simeon non virtute minus quam annis ſenex.

GVARRICVS *autem Abbas, diſcipulus S. Bernardi, ita de eodem Simeone ſcribit:* Senex puerum portabat, ſenex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleuerat Deus ſenem iuſtum, vt oſtenderet ei ſalutare ſuum in vultu ſuo. Plenus ergo dierum temporalium, portabat antiquum dierum antiquorum, atque ſpei æternæ pignus fideliſſimum tenebat in ſinu repoſitum, quòd videlicet dies ſuos ſuper dies ſenis adijceret puer ille, iuuentutemque eius renouaret vt aquilæ. Quamquam ſenem quoque iuſtum, ſicut Abraham, cùm dicitur plenus dierum, libentiùs accipiam plenum virtutum quàm temporum; cùm tempora ſtatum nullum habeant, ſuoque acceſſu decedentia, hominem potiùs exhauriant quàm adimpleant. Sed neque magnum eſt, imò magis malum, multis vixiſſe diebus, ſi non ſeneris virtutibus, cùm puer centum annorum moriturus ſit, & peccator centum annorum maledicendus. Ideò ſi annis multis vixerit homo, vt ait Salomon Eccleſ. 11. & in omnibus lætus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præteritæ. Ceterùm è contrario ſenectus venerabilis eſt; non diuturna, neque numero annorum computata: cani ſunt enim ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Si hac vtraque ſenectute Simeon non conſenuiſſet, numquam coronam ſenum, ſapientiam Dei Chriſtum, portare meruiſſet. Sic namque ſcriptum eſt Prou. 16. Corona dignitatis ſenectus, quæ in vijs iuſtitiæ reperitur. Et quæ eſt illa ſenectus quæ in vijs iuſtitiæ reperitur, quæ reperienti in coronam aptatur, niſi ſapientia Dei Chriſtus? Ipſe namque merito iuſtorum operum tribuit canos ſenſus ſapientiæ, quam poſtmodum formabit iuſtis in coronam gloriæ. Sanctus itaque Simeon, vt ſanctiùs ſeneſceret, adhuc ſenectutem ſapientium, ſiue ſapientiam ſenum factam puerum, in vijs iuſtitiæ, cùm ſcilicet in ſpiritu venit in templum, reperit, & comperit in veritate, quia ſenectus erat in lactente, ſapientia in infante, virtus in infirmitate, Verbum in carne. O infantia! ô ſenectus! quàm benè vobis pariter conuenit in huius pueri ſenſibus & moribus, quo vtique nihil innocentius, ſed nihil ſapientius; nihil iucundius, ſed nihil maturius, ſed nihil iuſtius.

Peccator etiam centum annorum puer moritur.

Senectus virtutum laudabilis.

B. ILDEPHONSVS *Archiepiſcopus Toletanus*, Myſticè, *inquit*, ſanctus iſte ſenex mundum deſignat, quaſi longo ſenio & graui iam ætate decliuem. Accepit ergo puerum ſenex Chriſtum in vlnas, quia mundus in vltimâ ſuâ ætate, Dei Filium incarnatum accepit, & ab eo vetuſtate peccatorum exutus, in nouam Chriſtianæ religionis infantiam eſt regeneratus.

Simeon ſenex huius mundi typus.

GVARRICVS *in laudibus huius iuſti Simeonis copioſus, & ipſe laude dignus, ita pergit hunc locum explicare.* Homo, *inquit*, in Ieruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & timoratus. In pace erat domus Simeonis qui habitat in Ieruſalem, id eſt in viſione & amore pacis, de quâ ſcilicet Ieruſalem audierat Dauid Pſal. 124. promittentem, Non commouebitur in æternum, qui habitat Ieruſalem. Et vt noueris quia pacis habitator & amator erat, pacemque imperturbabilem illius ſtabilis & æternæ Ieruſalem præ omnibus requirebat, cùm pacem Dei & hominum Ieſum, qui pacem ſuper pacem dare veniebat, ſinu recepit: hæc prima vox de pectore ſenis iam dudum pacem meditantis erupit: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. Poſtquam viderunt oculi mei ſalutare tuum, qui eſt pax noſtra, faciens vtraque vnum, non ſolùm Iudęum & Gentilem, ſed etiam Deum & hominem, & in homine ſpiritum & carnem. Iam hoc ſolùm ſupereſt deſiderijs ſerui tui, vt in pace in idipſum dormiam & requieſcam, & pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, me totum in illius ſummæ & ſimplicis vnitatis abſorbeat conſenſum. Venit pax quam ſuſtinui: requieſcat in pace qui pacem quæſiuit, & quæ pacis ſunt, ſectari ſemper ſtuduit. Sic quippe Iſaias ait cap. 57. verſ. 2. Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſuâ. In pace vtique Simeon ſtrauerat cubile ſuum, qui omnibus alijs

In pace domus Simeonis.

Chriſtus pax noſtra.

alijs curis eiectis, solùm in corde meditabatur Iesum, vbi & reclinauit susceptum. In directione quoque suâ ambulauerat, qui erat (vti sequitur) iustus & timoratus, expectans consolationem Israeli aduentanti quotidie desiderijs occurrebat. In eo igitur quòd iustus dicitur & timoratus, iustitiam & iudicium intellige, quo sedes Dei præparatur.

Psal. 88, 15.

Et iustitia quidem suo nomine demonstratur; iudicium verò timoris nomine, vel timor nomine iudicij, ideò rectè accipi posse putatur: quia scilicet timor non solùm nascitur de futuri consideratione iudicij, sed etiam operatur nunc in nobis quamdam illius formam & executionem iudicij. Qui enim prohibemur iudicare ante tempus de proximis, iubemur de nobis; vt dum nosmetipsos iudicamus, à Domino non iudicemur. Porrò timor iste sanctior est cùm iustitiam sequitur, quàm cùm præcedit: quia qui præcedens ad iustitiam initiat, sequens eamdem consummat & conseruat: dum scilicet de iustitiâ præsumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, vt post iudicium sui adhuc de subtiliori iudicio suspectus sit, dicatque sibi illud Ecclesiastici 2. Qui iudicat me Dominus est, qui cùm acceperit tempus, etiam iustitias iudicabit. Qui sine timore est, non poterit iustificari, vt Scriptura testatur: quia quantumcumque se iustis exercuerit operibus, alieni comedunt robur eius, dum suam volens iustitiam constituere, iustitiæ Dei non est subiectus.

Timor vti inchoat ita consummat iustitiam.

Vigilanter itaque Euangelium perfectam commendans Simeonis iustitiam, non ait, Timoratus & iustus; ne timorem, qui est initium iustitiæ, intelligeremus; sed ait, iustus & timoratus, vt timorem, qui iustitiæ per omnes gradus comes indiuiduus, ipsam promouet & tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putauerim otiosum, quòd non timentem dixit, sed timoratum: non nouum, non horarium aut perfunctorium volens intelligi timorem illum, sed qui vtique versus esset in habitum, qui altiùs hominis imbibisset affectum possideret sensum, modestiâ & grauitate sermonem ornaret & vultum, circumspectione moderaretur actum, totum denique interioris & exterioris hominis componeret statum. Neque enim vanis animum consolationibus resoluebat, qui consolationem Israel expectabat. Quod & ipsius ad suæ cumulum adiecerat iustitiæ, vt sollicitus esset, non pro suâ tantùm, sed etiam pro populi consolatione.

Effectus timoris Dei iam radicati.

Denique vt manifestiùs audias, quàm pretioso ac vero nitore virtutum, non fuco colorum, adornauerat thalamum suum illa Sion, id est Simeon; Spiritus sanctus, inquit, erat in eo. Quid huic ornatui Sion illa terrena comparare poterat, in omni illâ multifariâ thalami, id est templi sui, ambitione & gloriâ? Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum, etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloriâ suâ ornatus est sicut Simeon: cùm ille sapientiam, quâ florebat, in senectute perdiderit, iste susceperit, &c.

VERS. 28. ET ACCEPIT EVM IN VLNAS SVAS.] *Idem* GVARRICVS *ita nos exemplo Simeonis ad Christum deuotè suscipiendum his verbis instigat:* Si quis se imperfectum sensibus, aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, & puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus, id est verbum Dei, quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus: ipsum vtique repositum in sinu sensus ædificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis, & ordinem vitæ gratâ & salubri suauitate temperabit.

Quomodo Christum suscipere debeamus.

Non solùm autem mater Ecclesia in audiendo, sed multò magis Mater gratiæ in orando, puerū tibi dabit amplectendum, si modò frequens & deuotus orator venias in templum, vt dicas quotidie Deo, Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. *Psal. 5, 8.*

Quem enim Ecclesia prædicans offert auribus, gratia illuminans insert cordibus; eò vtique præsentiorem & suauiorem, quò nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe, quæ est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradidit amplectendam Spiritus infusione. Quamquam hoc ipsum diuerso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animæ, siue pro arbitratu dispensantis misericordiæ. Licet enim ipsam summæ veritatis faciem non facilè videamus, magnusque habeatur, cui vel per speculum & in ænigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsius, cùm Spiritus nobis illabitur, velut nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius velut ad nudum confricatur. Tunc prorsus ex sententiâ dicere possumus, & cantare lætabūdi: Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. *Psal. 47, 10.*

Beatus, qui vt dignus & crebriùs eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, cùm digno ac placido Christum Regem honore suscipiat. O sancta Sion, anima speculans æterna, considera quæ sit illa maiestas suscipienda, cogita quâ curâ ac diligentiâ te illi præparare locum oporteat. Si quis dixerit, Et ad hæc quis idoneus? quia esse potest magnificentiæ & gloriæ tanti Regis congruus ornatus? frustrà paupertatem quispiam causetur. Nam, vt ait Dauid Psal. 75, 3. in pace factus est locus eius, & iustitia & iudicium præparatio sedis eius. Simeon vtique, quia huiusmodi pallijs thalamum adornauit, ideò Christum cum multâ suscipere gratiâ dignus fuit.

Quomodo in nobis Christo locum præparare oporteat.

VERS. 29. Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace.

30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum,

31. Quod parasti ante faciem omnium populorum;

32. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

33. Et erat pater eius & mater mirantes super his, quę dicebantur de illo.

52. INTRODVCTVS quidem in templum Christus, cùm esset infans, adhuc rudis, ac lactens. Sed beatus Simeon Prophetiæ gratiâ ornatus, suscipit quidem illum in vlnas, at supernâ plenus delectatione benedicit Deum, dicens: Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia vidi salutare tuū, quod parasti ante faciem omnium populorum. Christi enim mysterium ante ipsius mundi constitutionem præparatum, in extremis

CYRILLVS Christus à Simeone in vlnas suscipitur.

sæculi

sæculi temporibus apparuit. Facta autem lux ijs qui in tenebris erant atque errabant, & in diaboli manus inciderant. Vocari namque sunt à Deo ac Patre ad cognitionem Filij, qui est lux vera, quin & in gloriam Israel. Tametsi enim nonnulli ex ijs facti sint contumeliosi atque infideles, ac mentem inscitiâ plenam habentes, attamen saluæ factæ sunt reliquiæ eorum, ac per Christum honoratæ. Primitiæ autem omnium fuere diuini Discipuli, quorum inclytus splendor totum orbem perstringit. Aliter verò etiam Christus gloria est Israel, quòd nimirum ex ipsis processerit secundũ carnem, etsi Deus esset super omnia, & benedictus in sæcula. Amen.

ANNOTATIONES.

VERS. 29 NVNC DIMITTIS SERVVM TVVM DOMINE.] S. AMBROSIVS *libro de Bono mortis cap. 2. disputans an mors bona dicenda sit an mala, sic ait:* Mortis tria sunt genera. Vna mors peccati est, de quâ scriptum est Ezechielis 17. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Alia mors mystica, quando quis peccato moritur, & Deo viuit; de quâ ait Apostolus ad Rom. 6. Consepulti sumus cum illo per Baptisma in mortem. Tertia mors, quâ cursum vitæ huius & munus implemus, id est animæ corporisque secessio. Aduertimus igitur, quòd vna mors sit mala, si propter peccatum moriamur; alia bona, quâ is qui fuerit mortuus, iustificatus est à peccato. Tertia mors media sit: nam & bona iustis videtur, & plerisque metuenda; quæ cùm absoluat omnes, paucos delectat. Sed hoc non mortis est vitium, sed nostræ infirmitatis, qui voluptate corporis & delectatione vitæ istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis quàm voluptatis est. An non sancti ac sapientes viri, qui longæuitatem peregrinationis huius ingemiscebant, dissolui, & cum Christo esse pulchrius æstimantes, denique generationes suas execrabantur, sicut ille ait, Iob 3. Pereat dies in quâ natus sum. Quid enim est quo hæc vita delectatur, plena ærumnarum & sollicitudinum, in quâ innumeræ calumniæ, & multæ molestiæ, & multæ lachrymæ eorum qui affliguntur molestijs, & non est, inquit, qui eos consoletur? Et ideò laudat Ecclesiastes cap. 4. defunctos magis quàm viuentes. Itaque si plena oneris vita, vtique finis eius alleuamentum est. Alleuamentum autem bonum, mors; mors autem finis. Mors igitur bonum est. Neque enim aliter gauisus est & Simeon qui responsum acceperat, non visurum se mortem, priusquam videret Christum Domini. Cumque eum manibus susciperet, dixit: Nunc dimittis seruum tuum in pace, quasi necessitate quadam teneretur in hac vitâ, non voluntate. Ita dimitti petit, quasi à vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quædam corporis huius, & quod grauius est, vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adstringunt quadam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus, quemadmodum anima decedentis paulatim soluat se vinculis carnis, & ore emissa euolet, tamquam carcereo corporis huius exuta gurgustio, &c.

Mortis tria genera.

Mors naturalis non est mala, sed à malo potiùs liberat.

Simeon & [illegible] illam optauit.

Huius S. Simeonis figura quadam fuisse videtur Iacob magnus ille Patriarcha, qui cum Angelo luctabatur Geneseos 32. v. 26. eidemque dicenti, Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei in eodem loco. Vocauitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse vero claudicabat pede. *Iacob totâ nocte cum Angelo, Simeon in veteri lege, quæ tota nox fuit, cum Christo suspirijs & orationibus, vt eius faciem videret, luctabatur. Durauit hæc lucta donec appropinquauit aurora, id est Maria, quæ erat* aurora consurgens, *deferens iustitiæ Solem Christum. Tunc autem Simeon* vidit Deum facie ad faciem, *cùm dixit:* Viderunt oculi mei salutare tuum. *Et quemadmodum Angelus benedixit Iacobo in eodem loco, ita & hic Simeon à Christo benedictionem, quam eidem rependeret, accepit. Denique sicut Iacob acceptâ benedictione claudicabat pede, ita Simeon terreni amoris pede magis cœpit claudicare; & cupiens à mortalitatis huius vinculis expediri, dixit:* Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.

Iacob cum Angelo pugnans erat typus Simeonis.

VERS. 34. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius. "Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & in signum, cui contradicetur.

"Isa. 8, 14 Rom 9, 32 1. Pet. 2, 2.

63. QVEMADMODVM enim lux infirmorum, quamuis aciem obtundat, lux tamen est, etiam cùm obtenebrat; & vt mel, ægrotis licet amarum videatur, naturâ suâ dulce est: sic & Saluator in ruinam & resurrectionem multorum est. Attamen simul manet saluator, tametsi milleni ruant. Non enim illius opus est perditio, sed eorum improbitatis. Adeoque non in saluatione proborum tantùm, sed etiam in improborum perditione eius virtus ostenditur: cùm & sol, quia multum radiat, idcircò infirmorum oculos maximè hebetat.

CHRYSOSTOMVS. *Christus saluator est etiam pereuntiũ.*

54. Aliter autem mihi perdifficile videtur, quomodo idem in ruinam positus sit & resurrectionem multorum. Existimo itaque, in ruinam ac resurrectioné esse Dominum, non cadentium quidem aliorum, & aliorum resurgentium; sed cadentis in nobis malitiæ, ac virtutis suscitatæ. Christi enim apparitio vim habet tollendi affectiones corporeas, atque animæ proprietates suscitandi. Quemadmodum cùm Paulus ait, Cùm infirmor, tunc potens sum, idem infirmatur, & potens est; sed infirmatur quidem carne, at potens est spiritu: sic & Dominus non alijs quidem cadendi suppeditat occasiones, alijs autem resurgendi. Qui enim cadunt, ab eo statu in quo aliquando erant excidunt: manifestum est autem, quòd nullibi consistat infidelis, semper humi repens cum serpente quem sequitur; non habet itaque vnde cadat, quia

BASILIVS ad Opt. *Christus quomodo in ruinam positus.*

2. Cor. 12, 10.

anteà per infidelitatem reptabat. Primum igitur beneficium est, stantem peccato cadere ac mori: deinde, viuere iustitiæ ac suscitari, vtrumque nobis Christi * cognitione conferente. Cadant deteriora, vt meliora tempus resurgendi nanciscantur. Nisi enim ceciderit fornicatio, continentia non resurget: nisi id quod irrationale est conteratur, haudquaquam in nobis florebit ratio.

** fide*

Nyssenus de Opificio hominis. Lignum vitæ.

55. Idcircò etiam duo illa ligna, vitæ illud, & quod admixtâ habebat vim contrariam, in medio paradisi fuisse philosophatum est: sic vt illud quidē natura fuerit, hoc verò alteri adnatum sit per priuationem. Ex eodem enim, in eodem, per participationem ac priuationem, contrà mutatio fit vitæ ac mortis. Quandoquidem probitati mortuus viuat malitiæ, & defunctus in prauitate, ad virtutem reuiuiscat.

Chrysostomus. Resurrectio spiritualis quænam.

56. Resurrectio est noua vitæ institutio, quæ in præsenti vitâ ex morum mutatione existit. Quando enim improbus fit castus, auarus misericors, iracundus mansuetus, tunc existit resurrectio, peccato quidem demortuo, iustitiâ verò resurgente; & antiquâ quidem vitâ abolitâ, nouâ verò institutâ.

Maximus. Christus in ruinam positus, quid mysticè.

57. Positus vtique Dominus in ruinam carnis ac passionum, atque peccati ac dæmonum; resurrectionem verò mentis siue spiritualis considerationis, ac naturalium virium atque virtutum, & cogitationum cognitione præstantium.

Idem.

58. Vel forsitan in ruinam quidem positus Dominus eorum qui secundùm sensum solùm creaturam visibilem speculantur, & qui verbo solo sacram Scripturam indagant; ita vt ob suam inscitiam ad nouum spiritum gratiæ, non valeant penetrare. Resurrectionem verò illorum qui spiritaliter creaturas ac verba Dei contemplantur ac audiunt, & conuenientibus modis, solius secundùm animam diuinæ imaginis curam gerunt. Laudabiliter autem solùm intelligendum illud, positum esse Dominum in ruinam multorum ac resurrectionem. In ruinam quidem, intelligitur passionum cuique insitarum, ac prauarum cogitationum; resurrectionem verò, virtutum, ac omnis Deo gratæ considerationis.

Basilius ad Optimum. Christus in signum contradictionis. Num.21,9

59. Quomodo autem & in signum contradictionis est? Crux propriè signum vocatur à Scripturâ. Statuit enim, inquit, Moyses serpentem super signum, hoc est super crucem. Vel signum est admirabilis cuiusdam & obscuræ rei commonstratiuum, oculis quidem à simplicioribus vsurpatum, sed intellectu à perspicacioribus apprehensum. Cùm itaque non desinant de Domini incarnatione contendere, hi quidem assumpsisse corpus, illi verò incorporeum eius aduentum extitisse definientes: ac hi quidem, corpus habuisse patibile; illi verò, phantasiâ quadam per corpus dispensationem compleuisse: alij terrenum, alij verò cæleste corpus; ac hi quidem ante sæcularem existentiam, illi verò ex Mariâ principium habuisse: idcircò in signum contradictionis est.

ANNOTATIONES.

POSITVS IN RVINAM ET IN RESVRRECTIONEM.] *Alludit hic ad illud Isaiæ 8. vers. 13.* Dominum exercituum ipsum sanctificate; ipse pauor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterētur, & irretientur, & capientur. *Septuaginta Interpretes pro* Erit vobis in sanctificationem, *transferunt*, Κἂν ἐπ' αὐτῷ πεποιθὼς ἦς, ἔσται σοι εἰς ἁγίασμα. *id est*, Si in ipsum credideris, erit tibi in sanctificationem, *&c. iuxta explicationem S. Petri in Epistolâ suâ primâ cap. 2. v. 7.* Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, *&c.* VERS. 34

Christus credentibus salus, incredulis lapis scandali.

NVM. 59 Quomodo autem & in signum contradictionis.] *S. Basilius hic cū Theophylacto & Bedâ accipiunt signum Crucis, Maldonatus scopum, Toletus vexillum. Alij existimant alludi ad illud Isaiæ 8.* Ecce ego & pueri quos dedit mihi Deus, & erunt signa & portenta in domo Israël. *ita vt signum siue portentum hic vocetur, mira ac noua Christi generatio, & vita, mors, resurrectio, miracula; quibus significabat, redemptionem ac salutem à Prophetis promissam, iam esse mundo exhibitam. Huic signo Iudæi non tantùm ore & mente, sed etiam praui Christiani vitâ ipsâ contradicunt.*

VERS. 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Metaphrastes. Quis gladius pertransierit animam B. Virginis.

60. QVOMODO tibi studioso auditori ista sunt accipienda? Quis verò tandem gladius ille existimandus est? an ambiguitas, tentatio, periculum, quæ in tempore crucis B. Virginis animam pertransiuerunt? Et tuam igitur ipsius. Numquid tempore passionis detinuit illam ignorantem, quomodo ipsam mortem esset deuicturus? nam & hoc declarare valebat illud, Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. quoniam videlicet post ista scandala, quæ cor discipulorum ac Mariæ concusserant, tempestiua mox à Deo ac præsens quædam medicina affulsit, animas illorum quiete replens, ac resurrectionis ipsius magnitudine illos in fide stabiliens.

Origenes.

61. Beatissimæ ac semper virginis Mariæ animam gladius pertransiuit sub ipsam salutarem Christi passionem; illâ nusquam diffidentibus cogitationibus concussâ, non infi-

infidelitatis iaculis vulneratâ, nec pro ijs quibus gauisa fuerat in dolorem mutatâ, sed permittente viscera materna crucifixo filio agere quæ propria sunt insitæ compassioni. Quid enim mater non passa sit, videns suum filium, eumque maximè qui humanâ erat naturâ sublimior, maleficorum supplicia sustinentem? Hæc vtique passio Verbi, immaculatissimæ matri quouis gladio acutior acerbiorque accidit. Tametsi enim multa habuerit argumenta vt sciret filium suum esse Deum incarnatum; attamen non in omnibus soluit naturæ leges, sed intra honestatis limites naturæ quæ illi propria sunt indulsit. Quocircà passionem horribilem cernens, maternis oculis propositam spectaculo, quasi plagâ gladij eius anima concidebatur atque diuidebatur.

BASILIVS ad Opt. *B. Virgo an fuerit scandalizata.* Heb.4,12 62. Vel gladium Simeon vocat sermonem tentatiuum, discretorem cogitationum, pertingentem vsque ad diuisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum. Cùm itaque omnis anima tempore passionis quasi iudicio cuidam subijceretur, iuxta vocem Domini dicentis, Mat.14,27 Quoniam omnes scandalizabimini in me, prophetat Simeon de ipsâ etiam Mariâ, quòd adstans cruci, ac quæ aguntur cernens, ac voces audiens, post Gabrielis testimonium, post ineffabilem cognitionem diuinæ conceptionis, post illustrem miraculorum exhibitionem, Et tu, inquit, diuidêris, & existet etiam quædam in animâ tuâ commotio. Oportebat enim Dominum pro omnibus gustare mortem, & propitiationem mundi factum omnes iustificare in suo sanguine. Et te igitur ipsam quæ supernè de Domino edocta fuisti, attinget quædam dubitatio seu diuisio, quæ est gladius, vt reuelêtur ex multis cordibus cogitationes. Quoniam post scandalum quod discipulis atque ipsi Mariæ ad omnem Christi factum est, velox quædam curatio subsequetur à Domino, stabiliens illis cor ad fidem in ipsum. Sic enim vidimus & Petrum, postquam scandalizatus fuerat, firmiorem in fide in Christum perstitisse. Humana itaque infirmitas fuit reprehensa, vt fortitudo Domini demonstraretur.

ANNOTATIONES.

NVM.60. *Quis gladius animã B. Mariæ pertransierit.* QVIQVE tandem gladius, &c.] *Nota, Metaphrastem hic cum adhuc alijs quibusdam Patribus nimis crude locorum hunc S. Lucæ explicare de gladio dubitationis, infidelitatis, & similium affectionum, beatissimæ Virgini non satis conuenientium. Quare ex communi Theologorum sententiâ, & omnium Catholicorum sensu, omnino accipiendum & intelligendum est de gladio doloris & passionis, qui non tantùm animam corpusque filij confixit, sed & pijssimæ filijque sui amantissimæ Matris viscera animamque intimo compassionis sensu penitus transfixit ac pertransijt, non secùs ac si quis vnico ictu gladij duos sibi vicinos confodiat, ita vt primum occidat, & alterum vulneret atque configat: eo enim modo Iudæorum gladius Christum quidem occidit, beatissimam verò Virginem acerbissimè vulnerauit.*

NVM 61. *Nota, locum hunc Origenis omnino contrarium esse Homiliæ 17. in Lucam, quæ extat in Operibus excusis. Nam ibi expressè dicit, B. Virginem passionis tempore cum cæteris Apostolis scandalum passam esse, & contrarijs dubitationum motibus fuisse exagitatam; cui omnino contrarium (& quidem meritò) hic asseritur.*

D. AMBROSIVS ANSBERTVS *Serm. in Purificatione, ista verba,* Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, *sic explicat:* Ac si diceretur, Maternis visceribus tribulationis gladio transuerberaberis: videbis in cruce pendentem, quem Angelo nuntiante concepisti virgo, manente virginitate filium edidisti; quatenus per hoc factum & Iudæorum insultantium iniquitas, & discipulorum fugientium infirmitas denudetur. Denique illo in cruce pendente, Iudæi præsentes insultabant, vt descenderet, Apostoli fugientes de cruce, illam descendere posse non credebant: quæ vt fierent, necesse fuit materna piaque viscera ex eiusdem Redemptoris passione gladio tribulationis transfigi. *Tempore passionis animam virginis pertrãsiuit gladius.*

D. BERNARDVS SENENSIS *Tom. 1. Serm. 61. art. 3. cap 2.* Tantus, *inquit*, fuit dolor Virginis, quòd si in omnes creaturas diuideretur, omnes subitò interirent. *Vnde meritò B. Virgo martyr & plus quàm martyr fuisse dicitur, vt docet* D. HIERONYMVS *Serm de Assumptione, his verbis:* B. Virgo, quia mente passa est, plus quàm martyr fuit. At quomodo plus quàm martyr esse potuit sine morte? Quia eius dilectio fortior fuit quàm mors; quia ipsam Christi mortem suam esse fecit. Dolor enim interior maior est exteriori; quia obiectum eius, est omne malum appetitui repugnans: quod magis aduersatur appetitui, quàm malum corporis ipsi corpori repugnet. Vnde martyres vt internum conscientiæ dolorem refugerent, libenter subibant externa corporis tormenta. nam vt dicitur Ecclesiastici 25. omnis plaga, tristitia cordis est. *D. Virgo plus quàm martyr.*

Quamuis autem cum D. Thomâ 2. 2. quæst. 124. art. 4. fatendum sit, ad martyrij rationem requiri vt mors re ipsâ intercedat, omnino tamen dicendum est, quòd cùm B. Virgo à nullo illustrium Sanctorum superetur priuilegijs gratiæ, vt docuit S. Damascenus lib. 4. cap. 15. hæc martyrij gratia non est ei deneganda, sed quod eminentiori modo in eâ fuerit, vt S. ILDEPHONSVS *Serm. 2. de Assumpt. pulcherrimè dixit his verbis:* Candidior inter Martyres: quia etsi illi martyrio coronati dealbarunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni, nihilominùs hæc beata & venerabilis Virgo candidior dignè prædicatur, eò quòd si corpora Martyrum pro Domino supplicia pertulerunt, nihilominùs hæc admirabilis Virgo in animâ passa, teste Domino, comprobatur. Ait enim Simeon vel Dominus ad eam: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quòd si gladius vsque ad animam peruenit, quando ad crucem stetit fugientibus Apostolis, cùm videret Dominum pendentem, etiam plus quàm martyr fuit, quia in animo nõ minus amoris quàm mœroris est, intus gladio vulnerata: parata enim stetit, si non deesset manus percussoris. Hac etiam

de causâ S. Ioannes Euangelista ab Ecclesiâ vt martyr colitur, quia licet mors secuta non sit, tamen ea sustinuit quæ nata erant mortem inferre. Rectè igitur, *concludit* S. HIERONYMVS (*vel vt vult Maximus*, VICTORINVS SOPHRONIVS *supra citatus*) B. Dei Genitrix & martyr & virgo fuit, quamuis in pace vitam finierit. Hinc quoque quòd verè passa sit, testatur Simeon Propheta loquens ad eam: Et tuam, inquit, ipsius animam pertransibit gladius, ex quo constat, quòd supra martyrem fuerit. Alij namque Sancti etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in animâ (quia immortalis est) pati non potuerunt. B. verò Dei Genitrix, quæ in eâ parte passa est quæ impassibilis habetur, ideò (ita fatear) quia spiritualiter, & caro eius passa est gladio passionis Christi, plus quàm martyr fuit. Vnde constat, quòd plus omnibus dilexerit, propterea & plus doluit, in tantum vt animam eius totam pertransiret & possideret vis doloris, ad testimonium summæ dilectionis; quæ quia mente passa est, plus quàm martyr fuit; nimirum quòd eius dilectio amplius fortis quàm mors fuit, quia mortem Christi suam fecit.

D. Virgo plus passa martyribus, quia in animâ.

Tuam ergo, *inquit* D. BERNARDVS *in Serm. Purificationis*, pertransibit animam vis doloris, vt plus quàm martyrem meritò prædicemus, in quâ nimirum corporeæ passionis sensum excesserit compassionis affectus.

VERS. 36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ.

37. Et hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor: quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.

38. Et hæc, ipsâ horâ superueniens, confitebatur Domino: & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.

39. Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatẽ suam Nazareth.

NYSSENVS de Occursu Domini. 63. SED quæ est ratio, cur tam exactam de hac Prophetissâ Euangelista instituat narrationem, vt & eius patris ac tribus mentionem faciat, quod de nullo ferè alio memoriæ proditum reperitur? Huius quidem accurationis rationem solus vtique nouerit ipse Sanctorum Deus, & qui eiusdem instinctu Spiritus, secundùm Apostolum, sunt edocti mysteria eloqui. Quantum autem assequi possumus, etiam alias isto tempore huic sanctæ cognominas extitisse dicimus, ijsdemque cum hac sacris studijs deditas, ieiunijs ac orationibus insistentes. Vt igitur eius persona facilè discerni posset, patris illius meminit, ac tribus proprietatem adscripsit. Magnis autem eam encomijs exornauit, & omnino apud auditores fidem astruit ijs quæ de Domino disseruit. Sed quoniam, vt dictum est, sermonis vocisque claritudo præ senectute deficiunt; propius ipsius quasi ori mentis aures admouentes, per instituam præsenti argumento scrutationem, videamus quidnam hæc etiam dixerit ijs qui redemptionem exspectabant Ierosolymis. Nam, vt consentaneum est cogitare, ex Propheticis sermonibus de Domino verba faciebat; quoniam & hi ad quos hæc illam loqui Euangelium dixerat, omnino ex diuinis quæ in Prophetis extant oraculis expectare redemptionem didicerant. Continuò illi ad manum erat, describendo mysterio, magni

1. Cor. 14. 2.

Anna Prophetissa.

illius Isaiæ sermo: Paruulus natus est nobis, Isa. 9, 6.
& filius datus est nobis, cuius principatus factus est super humerum eius. hoc est, regnum ac potentia in cruce. In cruce enim eleuatus, omnia traxit ad seipsum. Et vocatur nomen eius magni consilij Angelus. Hic magnum consilium à sæculis absconditum, alijs generationibus manifestatum annuntiat, & reuelans inuestigabiles eius diuitias in gentibus, esse gentes coheredes atque
consortes. Et alibi: Illuminare, illuminare Isa. 60, 1.
Ierusalem: venit enim lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Etiam Dauid Psal. 84, 11
magnus proferebatur, canens: Misericordia Psal. 97, 3.
& veritas occurrerunt: iustitia & pax osculatæ sunt. Et viderunt omnes * gentes terræ * fines
salutare Dei nostri. Ante solem permanet Psal. 71, 17
nomen eius, & benedicentur in ipso omnes tribus terræ. Omnes gentes beatificabunt eum, & adorabunt eum omnes Reges terræ. Et quòd notum fecit Dominus salutare suum. Deinde autem magnifica illa sapientis Malachiæ vox: Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem tuam, & subitò veniet ad templum suum Dominus, & Angelus testamenti quem vos vultis. Et alijs aliunde petitis Propheticorum sermonum floribus Theologicam plexit corollam. Simul etsi subobscure anus ea atque Prophetissa de Domino verba fecerit, tamquam legis personam sustinens, quæ antiquata iam atque senescens, & pænè abolita, nouæ legi concessit: non tamen inutilis intelligentibus auditoribus eius sermocinatio fuit, quemadmodum nec ea quæ in lege per vmbras quasdam & ænigmata fiebat magni mysterij præsignificatio.

64. Considera quoque eam quæ similis erat Simeoni virtutibus, quomodo etiam prophetias similes edat. Simul siquidem in templo aderant, ac simul etiam prophetiæ gratiâ donabantur. Sed Simeon quidem eam prior accipiebat vaticinans; hæc verò secun-

ORIGENES.

Simeon & Anna simul prophetant.

secundum nacta ordinem, illi haud secunda in vaticinijs fuit. Forsitan idcircò Simeonem illam priùs accepisse quis dixerit, quòd nempe figuram referret legis, (nam & nomen hoc obedientem significat) Anna vero gratiam, vti & nominis declarat interpretatio. Inter vtrumque horum Christus consistebat medius. Quare illum quidem dimisit cum lege monentem; hanc verò huc vsque complectitur per gratiam viuentem.

Simeon & Anna quid significent

ANASTASIVS.

65. Consideremus autem, quidnam faciendo occursus Domini festum quis dignè celebret. Is vtique qui membra quæ sunt super terram mortificat, & mortificationem Christi in corpore circumfert, & canâ sapientiâ atque scientiâ ornatus est, & diuinis obedit præceptis, ac spiritalem Ierusalem inhabitat; qui, inquam, perturbationis expers est, ac pacem cum quiete possidet, ac diuinum sermonem non contemptim respuit, sed mysticè per operationem in vlnas excipit (manus enim atque vlnæ symbolum sunt operationis) & tantis rectè factis præparat seipsum ad occurrendum venturo in hunc mundum tamquam in templum proprium, iudicare viuos & mortuos; hic iuxta diuinum propositum occursum Domini celebrat, factus spiritualis Simeon, hoc est obediens diuinis mandatis, atque omnia peragens iustè ac piè, semper & in die exitus sui dicet, Nunc dimittis seruum tuum. Qui verò in perturbationibus ac tentationibus sæcularibus conuersatus est, & numquam diuinis verbis obediens extitit, quomodo dicet illud, Viderunt oculi mei salutare tuum? semper oculis ipsius sensibilibus atque intellectualibus in phantasijs mundanis ac concupiscentijs impudicis occupatis. Non sic, inquam, non sic celebrandum festum Domino, nec cum talibus operibus audendum aut sperandum ipsi occurrere, iuxta illud: Rapiemur in nubibus obuiàm Christo in aëra.

Col. 3, 5. 1. Cor 4, 10.

Mysticè quis celebret occursum Domini.

1. Thess. 4, 16.

ANNOTATIONES.

VERS. 36 ERAT ANNA PROPHETISSA, &c.] *Pulchrè de hac* AMPHILOCHIVS *Sermone de Occursu Domini sic scribit:* Vidisti quibus rebus & qualis vidua Anna in diuinis Euangelijs exornatur. Anna reuerà Anna, id est gratia. Spectatis moribus nomen impositum conueniebat. Audiant mulieres, & claram illam Annam æmulentur, & parem cursum conficiant, vt pares quoque coronas consequantur. Nulla se solam esse, ac patrono atque curatore se carere censetur, ne vnici matrimonij castitatem & sanctimoniam excutiat. Corona viduarum mulierum Anna est. Anna conditione & sexu mulier, ordine Prophetissa, in viduitate degens, in regno versans: corpore soluto, animo confirmato, facie rugis contractâ, prudentiâ intenta, senectute incurua, scientiâ electa, multitudine annorum inueterata, vigens Dei cognitione: ieiunans, & cibo se non expiens: deprecabunda mente, non vagabunda; in templo assidua, non per alienas domos oberrans: psallens, non nugans: prophetans, non fabulans: diuina meditans, profana & vilia non curans, &c.

Anna speculum viduarum atque mulierum, etc. & virtutis.

Commendatur autem hæc Anna ab Euangelistâ primùm à virginitate, quam ante matrimonium seruauit illibatam; deinde à castitate coniugali; tertio & maximè à viduali, quod nempe vidua facta sit adhuc iuuencula, scilicet anno circiter vigesimo, indeque insigni continentiâ in flore ætatis permanserit ad annos 84. siue viduitatis siue potiùs vitæ suæ, vti clarè habent Græca, ὡς ἐτῶν ὀγδοήκοντα τεσσάρων, id est, quasi annorum octoginta quatuor. *Non minimam autem laudem esse castitatis vidualis, pulchrè docet* S. AMBROSIVS *lib. de Viduis in hæc verba:* Neque enim inhonoras eas debuimus præterire & à virginum præconio separare, quas Apostolica sententia cum virginibus copulauit, iuxta quod scriptum est: Et mulier innupta, & virgo, cogitat quæ sunt Domini: vt sit sancta corpore & Spiritu. Quodammodò enim magisterium virginitatis, viduarum valescit exemplis, quæ cum viro castum cubile custodiunt, documento virginibus sunt, integritatem Deo esse seruandam. Et propemodum non inferioris virtutis est, ab eo abstinere coniugio, quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectamenta nescire.

Laus vidualis castimoniæ.

Viduas autem sic informat FVLGENTIVS *in ep. 2. ad Gallam:* Si sanctæ mulieres, etiam coniugatæ, non sunt monilibus comandæ, sed moribus, & eò magis humilitate debent ornari, quàm veste, qualis debet esse viduæ habitus & incessus, quæ necessitate corporalis absoluta connubij, spiritualia tantùm debet ornamenta sectari? Habitus ergo talis sit, qui non ad lasciuiam excitet, sed ad continentiam prouocet; qui non alliciat ad libidinem, sed comprimat ad timorem; qui non accendat carnis concupiscentiam, sed extinguat.

Viduæ non debent corporalem sed spiritalem ornatũ sectari.

ORIGENES *Hom. 7. in Lucam de hac Annâ sic loquitur, mulieres omnes ad eius imitationem instigans:* Et iustè sancta mulier spiritũ prophetandi meruit accipere, quia longâ castitate longisque ieiunijs ad hoc culmen ascenderat. Videte mulieres testimonium Annæ, & imitamini illud, si quando vobis euenerit vt perdatis viros. Considerate quid de eâ scriptum sit: *Septem annis vixit, &c* neque enim vtilibet & fortuitò Spiritus sanctus habitauit in eâ. Bonum est & primum, si qua potest virginitatis gratiam possidere. Si autem hoc non potuerit, sed euenerit ei vt perdat virũ, vidua perseueret. Quod quidem non solùm post mortem viri, sed etiam dum viuit ille, debet habere in animo, vt etiam si non euenerit, voluntas ipsius & propositum à Deo coronetur; & dicat: Hoc voueo atque promitto, si mihi humanum aliquid (quod non opto) contigerit, nihil aliud faciam, quàm vt incontaminata & vidua perseuerem.

Ieiunio & castitate prophetiæ donũ Anna impetrauit.

Viduæ castitatem promittere, laudabile.

FVLGENTIVS *epist. 2. cap. 15. Annam hanc Iudithæ comparat his verbis:* Istæ duæ viduæ Iudith & Anna, licet tempore fuerint diuerso, vnius tamen fidei seruierunt ambæ mysterio: quia Christum, quem Anna cognouit in carne natum, ipsum Iudith nouerat nasciturum. Quàm verò multùm Deus in vtraque viduâ continentiam sib. placitam demonstrauit! Nam Iudith spiritalibus armis accincta, caput lasciui prædonis abscidit: Anna verò ipsum caput Ecclesiæ Spiritu sancto repleta cogno-

Iudith & Anna comparatæ.

nit. Datus est Iudith Holofernis ioteritus, Annæ reuelatus est Saluatoris aduentus. Illi Deus dedit à populo repellere pestilentiam, huic tribuit humani generis agnoscere medicinam. Et quia sanctimoniam virginalem vidualis contioentia gradu inferiore subsequitur; idcircò postqoam de virgine natus est Filius Dei, vidualis linguæ dignatus est officio prædicari. Nec tameo de illâ locuta est vidoa delicijs dedita (quæ viuens mortua est) sed quæ non decedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die.

Viduæ sunt virginibus inferiores.

Confessio quæ peccatorum sit, & quæ laudis.

VERS. 38. CONFITEBATVR DOMINO.] S. AVGVSTINVS *in Psal. 29. Enarratione 2. sic ait:* Confessio gemina est, aot peccati, aut laudis. Quando nobis malè est, in tribulatiooibus confiteamur peccata nostra; quando nobis benè est, in exultatione iustitiæ confiteamur laudem Deo. Sine confessione non simus.

VERS. 39. Et vt perfecerunt omnia secundùm legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suã Nazareth.

40. Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientiâ: & gratia Dei erat in illo.

TITVS. *Christus vt creuerit.*

66. PROFICIT autem ætate quidem corpus, sapientiâ verò anima. Diuinitas enim nullum incrementum suscipit. Perfectum namque Dei Verbum. Verosimiliter autem coniunxit ætatis incremeoto, sapientiæ augmentum: nam ad mensuram ætatis corporis, natura diuina sapientiam suam manifestauit.

ATHANASIVS. *Scientia Christi.*

67. Ne itaque in similibus erremus, sciendum quòd quæ de Diuinitate Christi atque humanitate dicuntur, propriam ac relatiuam habeant ad singula eorum quæ dicta sunt interpretationem: & qui de humanitate Verbi scripsit, Diuinitatis quoque eius cognitionem habuit: & qui Diuinitatem explicuit, eius quoque in carne præsentiæ proprietates non ignorauit; sed singula tamquam prudens trapezita discernens, ad rectam pietatis viam inducit.

IDEM de Incarnatione. *Christi incrementa.*

68. Iuxta quam & nascitur in Bethlehem, & Iosephum patrem vocat, & in pannis reclinatur, & in templum iuxta legem adductus à Simeone gestatur, & ætatis facit incrementum. Si autem secundùm aliquos caro eius per vnionem ad rem increatam, increata facta sit, quomodo non per se perfectus apparuit, sed volente Verbo, corporis incrementum extitit? Rei autem iocreatæ incrementum affingere, impium est. Quod enim est increatum, naturâ suâ increatum censetur, neque iocrementum decrementúmve suscipiens. Quod autem rei increatæ communicat aut vnitum est, proprium quidem rei increatæ dicitur, non tamen ipsum increatum, ne in obliuionem veniat beneficium vnionis, aut in vanum abeat beneficij vtilitas, & in desperationem adducatur in infirmitate adhuc existens humanitas, (iuxta illos edocta nullam habere cum Deo familiaritatem) & gratia obsuscetur. Quis enim Domini corpus increatum audiens, se verò conditum ac creatum sciens, non falsas esse Scripturas existimet, seque nihil cum Christo habere commune, si ipsemet increatus increatum corpus assumpserit? Prima itaque otiosa plasmatio: perijt archetypus Adam, cuius nos in hodiernum vsque diem posteri sumus secundùm carnis successionem. Quomodo ergo Christus nos sui participes fecerit? Quomodo verò quoque dicit Apostolus, Qui sanctificat, & qui Heb. 2, 11.
sanctificantur, ex vno omnes? Quid autem è feminâ Deum nasci npus erat? quid inerememento ætatis, annotum numero, conditori sæculorum, aut alijs quibus nos obnoxij eramus? nisi nos quæreret per formam nostram, & viuificans nos, & ad imitationem prouocans. Quomodo autem mortuus est, si qui increatus erat, increatâ ratione in terrâ conuersatus sit? aut quomodo visibilis & palpabilis factus est? Sed nos, inquiunt, creata non adoramus. O stulti! dixero ad eos; cur non consideratis quòd creatum corpus Christi inereatam referat adorationem? Nam increati factum est corpus. Cuius autem corpus factum est, eidem exhibere & adorationem. Quando igitur adoratur, debitâ atque diuinâ adoratione adoratur. Deus enim Verbum est, cuius propriũ est corpus.

GEOMETRA. *Diuinitas Christi incrementi expers.*

69. Et quando audis creuisse puerum, & corroboratum ac profecisse ætate & gratiâ, sapientiaque repletum, ne tamquam Dei hæc existima; (quid enim eo qui ab initio fuit perfectus, & fortis ac plenus omnibus bonis, perfectius, aut fortius, aut plenius sit?) sed tamquam hominis quidem incrementum ac profectum. Quoad cetera verò, definieoda est illa fortitudo, alter ille gratiæ profectus, illa sapientiæ plenitudo. Non enim vt Dei ista, sed nec vt hominis sunt, magis ab inhabitante Spiritu corroborati, aut proficientis, aut repleti quàm à principio, in quo ab ipsamet vnione omnis plenitudo inhabitauerit Diuinitatis: sed tãquam diuinâ gratiâ atque virtute paulatim ab ipso demonstratâ, aut etiam corpori quasi instrumento ad operandum sensim capacioti reddito, coaptaretur cùm ficta ars tum scientia.

ANNOTATIONES.

ET VT PERFECERVNT OMNIA, &c.] EVTHYMIVS *ad hunc locum sic ait:* Completis qoadraginta diebus purificationis, sicut dixit Lucas, adduxerunt Iesum Ierosolymam, vt sisterent illum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Et vt per-

perfecerunt omnia quæ secundùm legem Domini erant, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth: & exinde Angelus apparet Ioseph in somnis, iubens eos in Ægyptum fugere. Quæ ergo Matthæus breuitatis amator prætermisit, hæc Lucas tamquam diligens conscripsit.

Ordine igitur Historiæ Euangelicæ in Vitâ Christi sequitur eius fuga cum Virgine matre & Iosepho in Ægyptum; quam, vt satis accuratè à S. Matthæo pertractatam, omittit S. Lucas: nos ad totius Historiæ plenitudinem eam hic suo loco inseremus.

SVPPLEMENTVM EX S. MATTHÆI CAP. II.

De fugâ Christi in Aegyptũ, eiusque reditu.

13. QVI cùm recessissent, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi vsque dum dicam tibi. Futurum est enim vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum.

14. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum:

15. & erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem:
*Oseæ 11, 1. " Ex Aegypto vocaui filium meum.

CHRYSOLOGVS *Serm. 2. de Fugâ Christi, sic eam admirando & exagitando interrogat:* Vbi est illud, Domine refugium factus es nobis? & Deus noster refugium & virtus? Si refugium fugit, si timet virtus, si
[illegible] 89, 1. [illegible] 45, 2.
præsidium migrat; quæ vita, quæ spes, quæ securitas, quod munimen? Eliæ contra insidias liberi Regis vidua vna sufficit; Christo contra Herodis captiui minas Iudæa tota non sufficit. Elias missos ad se cælesti igne consumit, Christus solâ fugâ fit saluus. Huc vsque fugæ Christi querimonias exagitasse sufficiat. *Et statim ipse respondet, & huius fugæ causas reddit, dicens:* Fratres, quòd fugit Christus, fuit mysterij, non timoris; fuit liberatio, non periculum creatoris; diuinæ virtutis fuit, non fragilitatis humanæ: non fugit propter mortis timorem, sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi. Christus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis; & ipse faceret quæ facienda mandauerat, & vsu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu. Venerat vt mundo notitiam suæ Deitatis infunderet, & humani generis ignorantiam auferret. Venerat vt pigra mortalium corda ad fidem virtutibus excitaret. Venerat diabolum publico superare conflictu, vt ab omnibus & diuino vinceretur iussu, & humano prosterneretur exemplo. Venerat præscientiæ suæ promissa persoluere: vt quibus scire se dederat,

[illegible] Reg. 17, 10.

Rationes [illegible] commemorat [illegible] [illegible].

concederet se videre. Venerat vt veniret Iudæus de contemptu legis. Venerat introducere ad fidem Gentes. Venerat eligere Apostolos Doctores orbis, eosque cælestibus implere doctrinis, munire virtutibus, armare signis; vt signis edomarent feros, sanarent virtutibus infirmos, doctrinis dociles edocerent: & ad summum, venerat mortem perdere moriendo, penetrando inferna disiloloere, resurgendo sepulchra reserare, ascendendo ad cælos cælestibus donare terrenos. Omnia hæc vtique periissent nobis, si Christus, cùm esset in cunabulis, non fugisset.

Consonant hisce compendiosa verba D. FVLGENTII *Serm. de Epiphaniâ, cùm ait:* Dignatus est in Aegyptum fugere, vt posteà crucem dignaretur ascendere. Faciet enim eum mori benignitas propria, non malignitas aliena: fugit non formidine humanâ, sed dispensatione diuinâ; non necessitate, sed potestate.

Fugit Christus non necessitate, sed dispensatione.

PETRVS CHRYSOLOGVS *istam rationem sic confirmat exemplo:* Bellicosus quòd in bello fugit, artis est, non timoris. Deus quando fugit hominem, sacramenti est, non pauoris. Potens quando se subducit infirmo, insequentem non pauet, sed foris producit. Vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriã. Hinc est quòd Christus fugit, vt cedat tempori, non Herodi.

Sermone autem 2. in Festo Innocentium moralem caussam pulchram reddit; dicens: Hinc est quòd Christus fugit, vt nostras fugas in persecutionibus temperaret. Martyr comprehensus debet tenere constantiam; non comprehensus debet fugere persequentem: vt & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi, dicente Domino: Si vos persecuti fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. Persecutorem qui prouocat, facit; corrigit, qui declinat. Fugere debemus ergo, prouocare non debemus, si saluari persecutores nostros volumus: pro quibus præceptum est nos orare. Orate (inquit Dominus) pro persequentibus vos. Orandum est, fugiendum est: vt & ille qui per ignorantiam furit, sanetur; & ille qui patitur, de patientiâ palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen. Fratres; si Paulum Martyres non fugissent, Paulum non fecissent. Hoc faciendum docuit Christus, hoc nobis reliquit exẽplum, vt fugiente Domino, fugere indignum non putet seruus. *Vnde* D. AVGVSTINVS *libro de Doctrinâ Christianâ hoc salubre documentum nobis tradidit:* Si quis seruus Dei vetatur ne captus tormenta sustinere non possit, & timeat quòd in fide deficiet, benè sibi consulit fugiendo.

Christus fugiendo aduersarios docuit nos fugere inimicos in eorum vtilitatem.

Matth. 10, 23.

Mat. 5, 44.

Antiquissimus ORIGANES *aliam huius fugæ moralem perpendit causam.* Vt *videlicet* ij qui nomine Christi persecutionem patiuntur, qui tribulationes tolerant, qui iniurias perferunt, fortiter stent, viriliter prælientur, Ecclesiam non deserant; sed semper meminerint, quia & Dominus à peccatoribus persecutionem perpessus est, quoniam ab iniustis contumelijs affectus est, & ab ipsis de loco in locum fugit.

Christus fugit vt mereretur nobis virtutem standi in tentationibus.

AVCTOR IMPERFECTI *in hunc locũ sic rogat:* Sed quare in Ægyptum? Recordatus est enim Dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super Ægyptum; ideò mittit Filium suum in eam, & dat illi magnæ reconciliationis signum, vt decem plagas Ægypti vnâ medicinâ sanaret, vt populus qui antè fuerat persecutor populi primogeniti,

Christus fugit in Aegyptum, vt illam sanaret.

geniti, custos fieret Filij vnigeniti; vt quâ illi violenter dominati sunt, isti cum deuotione seruirent, vt iam non irent ad mare Rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquas Baptismatis viuificandi.

Vt ex Aegypto daemones & vitia pelleret.

ORIGENES *similem reddit rationem Hom. 3. in Diuersis:* Fuge in Ægyptum, inquit Angelus, vt fugiant de Ægypto qui ibi sunt dæmones, vt habitent ibi Angeli sancti, qui Deum consequantur, qui sanctis iungantur: vt pro multitudine templorum atque abominationum, multitudo exuberet ecclesiarum; pro vitijs & erroribus multis, multa castitas, sanctitas, & virginitas superabundet.

Aegyptus Christi benedictione sanctis viris floruit.

Hoc autem reipsâ posteà contigisse testantur Historia Sanctorum, & Vitæ Patrum antiquorum qui in Ægypto posteà magno numero maximâ sanctitate floruerunt, ita vt nullo modo dubitandum sit, quin Christi aduentu ac benedictione hoc Ægyptus consecuta sit, vt quò magis olim Hebræos persecuta fuerat, eò tandem magis posteà complexa fuerit Christianos. Quis enim, si Thebaidem & vniuersam Ægyptum, qualis florente Christianâ religione constitit, expendat, non in illâ Eremitarum & pœnitentium multitudinem ac pietatem admiretur? Quid? quod tot insignes viros protulit, SS. Paulum Eremitam, Antoniũ Magnum, Macarium celebrem, ceterosque quorum acta ex Theodoreto, Theophilo, & Palladio in Historiâ Lausiacâ & Vitis Patrum petere licet. Meritò igitur NAZIANZENVS *Orat. in Natiuitatem Christi nos admonet vt ipsum etiam in Aegyptum fugientem sequamur, dicens:* Si in Ægyptum profugiat, alacri animo te ipsi fugæ comitem adiunge. Præclarum est cum Christo persecutionem patiente fugere. Si diuturniorem in Aegypto moram faciat, ex Aegypto eum voca. Quod quidem fiet, si eum pulchrè atque honorificè illic adoraueris.

Quomodo mysticè Christi fugam in Aegyptum imitari debeamus.

Locum hunc NICETAS *sublimiori sensu à nobis vult intelligi.* Herodes, *enim inquit*, si interpretari velis, idem sonat quod crassa & passibilis ac velut pellea natura. Ægyptus autem, nunc præsentem hunc mundum designat, nunc carnem, nunc peccatum, nunc ignorantiam, nunc ærumnam & afflictionem: quâ potissimùm significatione hoc loco Domini fugam in Ægyptum accipere conuenit. Si igitur, *inquit*, Christus in nobis conditus, id est virtus tenerâ ætate sit, atque affectus carnalis & terrenus Herodis cuiusdam instar viuat, & principatum teneat; ad afflictionem in actione sitam, velut in Ægyptum fugiendum est. Quòd si carnalis affectus, qui diuinam doctrinam nobis insitam interficere molitur, extinctus & enectus fuerit, tum verò ab Ægypto Ierosolymam migrandum est, hoc est ab eâ afflictione, quæ in agendo suscipitur, ad contemplationem pergendum. Actio enim, contemplationis basis & fundamentum est. Emortuis enim affectibus, superuacaneum posteà fuerit in actione longiorem moram trahere, ac non ad contemplationem subuehi, ad quam actio ipsa spectat.

VERS. 16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.

17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem:

18. " Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. "Ier. 31, 15

AVCTOR IMPERFECTI *nobis graphicè hunc Herodis furorem appositâ comparatione describit, dicens:* Sicut fera bestia habens naturalem asperitatem, si ab aliquo fuerit vulnerata, naturalem crudelitatem eius duplicat ira doloris, & quasi cæca furore, iam non aspicit vulnerantem; sed quicumque ante oculos eius occurrerit, siue homo, siue alterum animal, quasi auctorem vulneris sui dilaniat: sic & ille delusus à magis, iram suam super paruulos infundebat. Dicebat enim cogitans in furore: Certè Magi inuenerunt puerum illum quem regnaturum dicebant, & aut aurum acceperunt à parentibus eius, aut largis promissionibus sunt placati, ideò ad me reuersi non sunt. Nam Rex quidquid aduersus regnum suum putauerit, totum verum æstimat. Animus eius semper suspectus est, regni zelo repletus. Dum omnia timet, omnia suspicatur: facilè credit, quidquid fuerit suspicatus. Sicut vir si zelet vxorem, aut vxor virum, omnem auditionem turpem credit de illo, etsi non sit auditio ipsa digna & idonea vt credatur, tamen fidem auditionis zelus commendat.

Zelantes in omnem suspicionem procliues.

Cædes Innocentium fuit prognostica reliquorum martyrum.

BEDA *Hom. de SS. Innocentibus, illam Innocentum cædem ait fuisse prognosticam persecutionis tyrannorum in fideles futuræ, his verbis:* Quòd in Bethlehem & in omnibus finibus eius occisi sunt Innocentes, ostendit non solùm in Iudæâ, vnde Ecclesiæ cœpit origo, sed & in omnibus eiusdem Ecclesiæ finibus, quocumque per orbem diffusa est, persecutionem sæuituram perfidorum, & piorum patientiam esse coronandam. Qui à bimatu occisi sunt, doctrinâ & operatione perfectos indicant: qui verò infra, simplices vel idiotas, fidei tamen non fictæ cõstantiâ, fortes æquè denuntiant. Quòd illi quidem occisi sunt, sed Christus, qui quærebatur, viuens euasit; insinuat, corpora quidem ab impijs posse perimi, sed Christum, pro quo persecutio tota sæuit, nullatenus eis vel viuentibus vel occisis posse auferri, sed eos veraciter contestari, quia siue viuimus, Domino viuimus; siue morimur, Domino morimur. Siue enim viuimus siue morimur, Domini sumus. Rom. 14, 8

VERS. 19. Defuncto autem Herode, ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto,

20. dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.

21. Qui consurgens, accepit puerum, & matrem eius, & venit in terrã Israel.

22. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæâ pro Herode patre suo,

suo, timuit illò ire : & admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ.

23. Et veniens habitauit in ciuitate, quæ vocatur Nazareth : vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazaræus vocabitur.

De morbo & obitu Herodis vide Catenam cap. sequenti, num. 1. vbi hæc accuratè describuntur.

In hac autem Iosephi cum Christo & Mariâ in Ægyptum profectione, ibidemque commoratione ac reditu, elucet cùm singularis Dei prouidentia, tum promptissima Iosephi ad omnem Dei Angelique monitoris nutum obedientia. Vt enim Exodi 13. Israëlis quondam populus de Pharaonis tyrannide profugiens, ad nutum nubis & igneæ columnæ castra mouebat, figebatque tentoria; & sicut Gen. 6. & 7. iustissimus ille Noë neque arcam extædificauit nisi oraculi iussu, neque posteà in eam ingressus est, nisi præcipiente Deo; neque eandem ausus est illam egredi, nisi euocante se Numine: ita prorsus Iosephus exactissimè tam in itu quàm remansione ac reditu ex Aegypto, omnia ex Dei præcepto atque Angeli ductu perfecit.

Omnia peragenda sunt ductu obedientiæ.

Moraliter. Hoc reditu Christi ex Aegypto docentur illi, quibus inter sæculares viuendum est, quid facere debeant ne à vitæ excidant rectitudine. Primùm enim atque ante omnia ipsis diligenter cauendum est, ne in mundanis rebus quiescant, ne earum fæcibus inquinentur. sed eas detestantes surgant, vtentes hoc mundo tanquam non vtantur. Id verò facient, si Christum per pias affectiones, & sanctas operationes, & maximè per pœnitentiam & confessionem, ac dignam Eucharistiæ participationem in se natum, adhuc puerum, illiusque matrem mentem scilicet suam, accipiant, id est, à rebus mundanis ac sensibilibus abstrahant, & vlteriùs progrediantur in terram Israel, id est, ad Dei contemplationem assurgant, ad patriam cælestem cogitatione reuertentes. Quòd autem timuerit Ioseph audiens Archelaum pro patre Herode regnare in Iudæâ, non pusillanimitatis fuit, sed prudentiæ. Prudẽter enim, *inquit* P. SALMERON *Tom 2. tract. 30.* Ioseph fugit Herodem & Archelaum, qui necem Iesu Christi meditabantur, prudentior etiam multò fuit, quàm Ioseph Princeps Aegypti, qui frumentum pro futuræ sterilitatis annis prouidè conseruauit: hîc autem verum granum frumenti, quo iusti omnes & beati satiantur, seruauit ac custodiuit, *vt pulchrè descripsit* S. BERNARDVS *Hom. 2. super* Missus *his verbis* : Conijce ex proprio vocabulo (quod augmentum non dubites interpretari) quis & qualis homo fuerit iste homo Ioseph : simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Aegypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Siquidem ille Ioseph fraternâ ex inuidiâ venditus, & ductus in Aegyptum, Christi venditionem præfigurauit; iste Ioseph Herodianam inuidiã fugiens, Christum in Aegyptum portauit. Ille Domino suo fidem seruans, Dominæ noluit commisceri : iste Dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: isti datum est conscium fieri cælestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit non sibi, sed omni populo; iste panem viuum è cælo seruandum accepit tam sibi, quàm toti mundo. Non est dubium quin bonus & fidelis homo fuerit ille Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris. Fidelis, inquam, seruus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum.

Quomodo in rebus mundanis ad spiritualia exercitia reuertendum.

Timor Iosephi erat prudentia.

Comparatio Iosephi cum Patriarchâ cognomine.

Ex hoc autem prudenti Iosephi timore prudenter etiam discimus timendum maximè & fugiendum viro iusto, quidquid pristini periculi speciem adfert. Sic vtique fecit Dauid 2. Reg. 11. cum concupitam Bethlehemiticæ cisternæ aquam sibi à militibus allatam statim à se proyciens & effundens libauit eam Domino. Ad quod EVCHERIVS *sic ait :* In sacrificio quippe Domini aqua effusa conuersa est; qui culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquam timuit, posteà etiam, quia aquam concupisset, expauit.

Ab omni specie mali abstinendũ.

Ita Sancti ex pristinis periculis fiunt cauti, vt quidquid illius speciem referre, continuo fugiant & expauescant.

Prudenter igitur timuit Ioseph vti Angelus confirmauit. Nam admonitus in somnis secessit in partes Galilææ, & veniens habitauit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur. *Nam Dei consilium est, in his, vbi non præcepit contraria, vt nos prudenter periculis occurramus, & cùm oportet, timeamus etiam. Semper enim nobis aliquid relinquitur, quo Deo operari possimus, & vtamur rationis munere, ne data videantur frustrà.*

Continuat hic iterum Historiam Euangelicam; & quod S. Matthæus omisit, supplet S. Lucas v. 40. dicẽs: PVER AVTEM CRESCEBAT, *&c. Vbi ad num. 69. nota ex communi Scholasticorum sententiâ, in animâ Christi triplicem fuisse scientiam, beatam scilicet, infusam, & experimentalem seu acquisitam : ac priores quidem duas ab instanti conceptionis illi fuisse inditas ita perfectè, vt eas augere non posset. Quod idem dicendum de gratiâ habituali, quam habuit quasi naturaliter tunc ex vi vnionis hypostaticæ, tum etiam ex vi conceptionis de Spiritu sancto. Docet itaque hic Geometra Primò, Christum non potuisse crescere, nec in scientiâ nec habituali gratiâ, quæ per opera quæ exercebat intendi & augeri non poterat, vti fit in Sanctis; quia illa procedebat in Christo ex vnione Verbi, quæ ab initio perfecta fuit secundum omnem plenitudinem. sed dici ab Euangelistâ, Christum profecisse in opinione hominum, & ostensione externâ: loquitur enim Scriptura subinde secundùm id quod exterius cernitur, & secundùm quod iudicant homines. Secundò, quia Christus creuit propriè scientiâ experimentali, iuxta Apostolum ad Heb. 5. v. 8.* Didicit ex ijs quæ passus est, obedientiam, & consummatus, factus, *&c. Tertiò, Quia licet scientiâ & gratiâ habituali non creuerit, creuit tamen actuali. Nam robur spiritus & sapientiam cælestem in dies magis ac magis exercebat, etiam puer, vultu, incessu, sermone, & factis, ita vt in hisce magis spiraret modestiam, castitatem, suauitatem, pietatem, prudentiam, illa faciens magis elucescere, ita vt maiora virtutis ac sapientiæ opera in dies ederet. Quæ est Geometræ hic, & videtur optima expositio: nam sic propriè tam creuit gratiâ quàm ætate.*

Quomodo Christus creuerit sapientiâ & gratiâ.

S. BERNARDVS *Hom. 2 super* Missus *pulcherrimè hæc, vt assolet, descripsit his verbis :* Vir erat Iesus necdum etiam natus, sed sapientiâ, non ætate; animi

mi

mi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potiùs non minùs fuit sapientiâ Iesus conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus interrogans Doctores in templo, siue iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto: nec fuit hora in quacumque ætate suâ, quâ de plenitudine illâ, quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur; sed à principio perfectus: à principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectus, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini. Nec te moueat quod de illo legis in alio loco, Iesus autẽ proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines. Nam quod de sapientiâ & gratiâ hîc dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei nouum accideret, quod antè non haberet, sed quòd accidere videretur, quando volebat ipse vt videretur. Tu homo cùm proficis, non quando, nec quantum vis proficis, sed te nesciẽte tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At verò puer Iesus, qui disponit tuam, ipse disponebat & suam: & quando volebat, & quibus volebat, sapiens apparebat: quando & quibus volebat, sapientior; quando & quibus volebat, sapientissimus: quamquam in se numquam esset nisi sapientissimus. Similiter & cùm semper omni gratiâ plenus fuisset, siue quam apud Deum, siue quam apud homines habere deberet; pro suo tamen arbitrio eam nunc plus nunc minus ostentabat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo, quia semper Iesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit.

Iesus semper gratiâ & sapiẽtiâ perfectissimus, licet crescere videretur.

Isa. 11, 2.

Quod igitur Christus sensim, pro ætatis incremento, maiora etiam signa sapientiæ virtutisque ediderit, per dispensationem fecit, vt qui nobis per omnia similis factus est, excepto peccato, suo nos exemplo informaret, quibus ad veram sapientiam virtutemque passibus contendere debeamus, quotidie sicut ætate sic & sanctitate crescendo. Nam iuxta prouerbium, in viâ virtutis non proficere, deficere est. *Ita loquitur inprimis* D. Leo *Serm. 8. de Passione:* Quantumlibet quisque iustificatus sit, habet tamen dum in hac vitâ est quo probatior esse possit & melior: qui autem non proficit, deficit; & qui nihil acquirit, nonnihil perdit.

Iesus crescendo docuit nos quomodo in ipso crescere debeamus.

In viâ virtutis non proficere, deficere est.

Conspirat in eamdem sententiam D. Avgvstinvs *Serm. 15. de Verbis Apostoli circa finem sic scribens:* Semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti: si autem dixeris, Sufficit, perijsti. Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in viâ remanere, noli retrò redire, noli deuiare. Remanet, qui non proficit; retrocedit, qui ad ea reuoluitur vnde iam abscesserat; deuiat, qui apostatat. Meliùs it claudus in viâ, quã cursor præter viam. *Rursus in Psal. 69. idem S. Doctor sic ait:* Quantumcumque hîc vixerimus, quantumcumque profecerimus, nemo dicat, Sufficit mihi, iustus sum. Qui dixerit, remansit in viâ, non nouit peruenire. Vbi dixerit Sufficit, ibi hæsit.

Similia docent passim Patres, & Ascetici omnes, & nemo non aliquando experitur.

Vers. 41. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem, [a] in die solemni Paschæ.

[a] Exod. 13, 15, 34, 17. Deut. 16, 1.

70. In festis Iudaicis non tempus solùm, sed & locum obseruari lex ipsa iussit. De Paschate enim ad illos verba faciens in modum hunc loquitur: Non potestis facere Pascha in vllà ciuitatum earum quam Dominus Deus vester dat vobis. Sed quemadmodum die quarto decimo primi mensis, sic etiam Ierosolymis peragi illud iubet. Rursus autem, loci obseruatio, temporis obseruatione magis necessaria erat. Si enim quis, inquit, in peregrinatione versetur, & mense primo extra ciuitatem sit, faciat Pascha in mense secundo, & prætereat tempus, ne ciuitate excidat. Idcircò nec Christi parentes extra Ierosolymam Pascha facere sustinuerunt, eò quòd lex iuberet & loco & tempore definito Pascha fieri, Ierosolymis scilicet, & mense primo. Non solùm autem Pascha, sed & Pentecosten similiter loci ac temporis obseruatione conclusit, post septem hebdomadas illam celebrari iubens. & addens iterùm: In loco quem elegerit Dominus Deus tuus. Sic & scenopegias. Quid ergo Iudæi quod dicant habeant, qui extra ciuitatem Ierosolymæ nunc Pascha faciunt, cùm constet Prophetas numquam sacrificasse, nec canticum cecinisse in terrâ alienâ, nec ieiunium istiusmodi ieiunasse? Etenim quòd nihil simile fecerint ipsi, audi quid interrogantibus responderint. Cùm enim Barbari eos vrgerent atque compellerent vt organis suis vterentur; illi probe intelligentes illud per legem extra ciuitatem fieri non licere, dixerunt: Quomodo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ? Et rursus tres illi pueri qui in Babylone commorantes dicebant: Non est in tempore hoc Princeps, & Propheta, & dux, neque locus offerendi primitias coram te, & inueniendi misericordiam. Etenim multus ibi erat locus, verùm quia templum non aderat, à sacrificijs abstinebant. Ad alios verò iterùm per Zachariam Deus dicit: Non ieiunium ieiunastis mihi per annos septuaginta, captiuitatis scilicet. Quomodo ergo, o Iudæe, tu nunc ieiunas, maioribus tuis nec ieiunantibus, nec sacrificantibus, nec festa celebrantibus? Hoc enim vel ex eo fit manifestum, quòd ne Pascha quidem fecerint. Vbi enim sacrificium aberat, ibi nec Festum erat, cùm omne Festum peragi sacrificio oporteret. Vt autem ab ipsâ re demonstrationem præbeamus, audi quid dicat Daniel: In diebus illis ego Daniel eram lugens, non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, & vnguento non sum

Chrysostomvs aduersus Iudæos.

Lex de Paschate Ierosolymis celebrando.

Exod. 12.

Psal. 136, 4.

Dan. 3, 38.

Zach. 7, 5.

Dan. 10, 2.

sum vnctus in hebdomadibus istis. Et factum est in die vigesimâ quartâ mensis primi, vidi visionem. Ex quibus fit perspicuum, quòd Pascha non celebrarit. Quî sic? edisseram. Per dies azymorum Iudæis ieiunare nefas erat. Hic verò per vnum & viginti dies nihil omnino gustauit. Sed vnde liquet, inquiunt, quòd vnus & viginti hi dies, in dies azymorum inciderint? Ex eo vtique, quòd quartum & vigesimum primi mensis nominet, Pascha autem vigesimo primo terminatur. Incipientes enim à quartodecimo primi mensis, continuatâ deinde septem diebus celebritate, ad diem vigesimum primum perueniebant. Attamen licet Pascha transierat, in ieiunio perseuerabat. Inchoâs enim à tertiâ die mensis primi, deinde dies viginti & vnum complens, quartumdecimum vtique præterijt, & post illum adhuc tres dies. Quomodo igitur non impij sint Iudæi, qui illis, nihil eorum quæ lex præscribebat in terra alienâ seruantibus, per contentionem tamen ac petuicaciam diuersa factitant? Etenim si quidam socordes fuissent & irreligiosi qui ista dixerunt & fecerunt, negligentiæ fortè aliquis id illorum tribueret, quò minùs illud obseruarent: verùm cùm fuerint amici Dei, ac viri religiosi, qui animas etiam suas pro his quæ placent Deo traderent, facilè patet quòd non ex negligentiâ legalia quædam non seruarint, sed ab ipsâ potiùs lege persuasos fuisse, nihil harum cærimoniarum extra Ierosolymam obseruari oportere.

Idem. Christus instar Medici Iudæis quasi febricitantibus quædam indulsit sacrificia.

71. Quemadmodum Medicus febricitantem vidês hominem morosum aliquem atque intolerabilem, appetere potum frigidum, & minitari, ni accipiat, se laqueum paraturum, ac semetipsum præcipitaturum; maius malum volens impedire, permittit quod minus est. Similiter etiam fecit Deus: cùm vidit illos insanire, strangulari, sacrificia concupiscere, paratos, ni obtineant, ad idola deflectere, non potiùs iam prolapsos, sacrificia illis indulsit. Hanc autem esse causam, vel ab ipso tempore, quod dico, perspicuum fit. Postquam enim impijs ipsi dæmonibus Festum celebrassent, tum demum illis sacrificia permisit; tantùm non dicens, Insanitis, & vultis immolare victimas, quin igitur mihi potius immolatis? Quamquam autem id tum concesserit, non tamen vsque in finem permisit, sed sapientissimâ ratione illud iterùm reuocauit. Et quemadmodum si Medicus ille (nihil enim vetat eodem exemplo vti) postquam appetitui laborantis indulsit, phialâ è suis ædibus allatâ, præcipiat ex illâ solâ frigidâ bibere; & ægroto persuaso, clàm ministrantibus iubeat confringere phialam istam, vt occultè eum ac sine vllâ suspicione ab inordinatâ illâ cupiditate auocet, haud secùs & Deus fecit, cùm illis sacrificia permisit, in nullo id orbis loco præterquam Ierosolymis fieri concedens. Mox verò vbi exiguo tempore sacrificassent, ciuitatem euertit, vt quemadmodum Medicus per confractionem vasculi, sic & Deus per euersionem ciuitatis, vel inuitos à sacrificando auocaret. Si enim clarè disertèque dixisset, Abstitite, non facilè vtique abstinuissent. Clanculum itaque per necessitatem loci illos ab hac insaniâ abduxit. Sit igitur Medicus quidem Deus, phiala verò ciuitas; æger autem morosus, ille Iudæorum populus; frigida verò, sacrificiorum procuratio ac potestas. Sicut ergo Medicus sistit importunam illam ægroti postulationem, vas confringendo; ita & Deus illos abduxit à sacrificijs, ciuitatem ipsam omnibus inaccessam faciendo. Hoc enim si non egerit, cur qui vbique præsens est, ac implet vniuersa, vno loco istam religionem conclusit? cur latriæ cultum ad sacrificia redegit, sacrificia autem ad certum modum, modum ad tempus, tempus denique ad vnicam ciuitatem contraxit, ac rursus hanc ipsam ciuitatem euertit? Ad hæc autem, quod maximè dignum admiratione, totus terrarum orbis, vbi sacrificare nefas erat, Iudæis panditur: sola autem Ierosolyma vbi tantum licitum erat sacrificare, ipsis facta est inaccessa. An non igitur vel simplicioribus etiam perspicuum fit hanc solam esse causam eius subuersionis? Quemadmodum qui ædificat ponit fundamentum, erigit muros, tecto cingit, circulum illum in vno connectit lapide, quem si tollat, totam ædificij compagem soluit. Sic & Deus, ciuitatem hanc instar vinculi cuiusdam totius religionis constituens, postquam illam euertit, reliquam etiam totius politiæ rationem dissoluit vniuersam.

ANNOTATIONES.

IBANT IN IERVSALEM IN DIE SOLEMNI PASCHÆ, &c.] ORIGENES *Hom. 23. super Numeros, in sensu mystico modum præbet, quo festos dies celebrare debeamus.* O mira, *inquit*, festiuitas! dies festus vocatur, afflictio animæ. Vide ergo, si vis diem festum agere, si vis vt lætetur Deus super te, affige animam tuam, & humilia illam: non ei permittas explere desideria sua, ne concedas ei lasciuijs euagari; sed in quantum fieri potest, affige & humilia eam. *Et ibidem verba hæc notanda subiungit:* Paschæ festiuitas, & azymorum panem afflictionis habere dicitur, nec potest quis agere diem festum, nisi afflictionis panem mãducauerit, & Pascha eum amaritudine. Audis ergo quid essent festiuitates Dei: non recipiunt dulcedinem corporalem, nihil remissum, nihil voluptuosum, aut luxuriosum volunt, sed afflictionem animæ, & amaritudinem, humilitatemque deposcunt. VERS. 41

Festa quomodo celebranda spiritaliter.

Festi dies non in voluptate, sed carnis afflictione transigẽdi.

VERS.

VERS. 42. Et cùm factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundùm consuetudinem diei festi,

43. consummatísque diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, & non cognouerunt parentes eius.

44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos.

45. Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.

46. Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem eos.

47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentiâ & responsis eius.

48. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.

GEOMETRA.

72. ENIMVERO non illi demonstratio sapientiæ supra ætatem, sed eo tempore quo etiam in nobis solet ratio per iudicium compleri, nempe duodecimo ætatis anno.

CHRYSOSTOMVS in Matthæû.

73. Nullum autem patrauit miraculum cùm puer esset Dominus: sed hoc vnum Lucas testatur, quòd duodennis existens consederit audiens Magistros, & in quæstione faciendâ illis fuerit admirationi.

METAPHRASTES

74. Quam autem ob causam, non primâ aut secundâ, sed tertiâ die quæsitus à parentibus inuenitur? Vt sepulturam hinc fortassis suam, ac triduanam significet resurrectionem. Tunc enim videbatur absconsus, in sepulchro latens, & multùm desideratus, ac post triduum resuscitatus.

ORIGENES.

75. Sciebat quidem sanctissima Virgo, suum filium non esse filium Iosephi: sed in patrem eius suum sponsum eligebat, propter suspicionem Iudæorum, putantium illum ex adulterio esse natum. Simpliciùs ergo dicatur, quòd Spiritus sanctus eum patris nomine decorarit, quia puerum Iesum educauerat. Profundiùs verò, cùm genealogia Iosephi ex Dauide processisset, ne videretur superuacaneum illam ad eum qui Saluatorem non genuerat deduci, sed conuenientem suppetere rationem, idcircò pater Domini appellatus est. At cur illum quoque quæsiuerunt? An quia perditus erat puer, aut quia aberrauerat? Absit. Non enim hoc cadebat in sapientissimam Mariam, quæ millenas de ipso reuelationes diuinas acceperat; nec etiam in Iosephum. Verùm ipsum quæsiuerunt, ne ab ijs abesset, néve illos desereret. Dominus verò omittens humanam dare responsionem, diuinam reddit, subindicans quòd Deus esset incarnatus.

ANNOTATIONES.

ET CVM FACTVS ESSET ANNORVM DVODECIM.] *Ioseph & Maria puerum Iesum duodennem secum ad templum deducentes, reliquis parentibus exemplo suo sanctam puerorum educationem commendant, vt à quâ plerumque tota eorum vita ratio salusque dependent. Cùm enim, vt Geneseos 8. legimus,* sensus & cogitatio humani cordis in malum prona *sint* ab adolescentiâ suâ, *magnâ sine dubio opus est industriâ, & parentum quibus Deus id negotij commisit, adiungilet assidua diligentia, vt istam ad malum proclinitatem compescant, & vnà cum lacte nutricis liberis suis instillent semina pietatis, & ante omnia timorem Dei, qui initium est sapientiæ, & in quo corrigit adolescentior viam suam, & mandata Dei custodit. Huius bonæ institutionis liberorum præclara nobis cùm documenta tum exempla sancti Patres tradiderunt, quorum hoc nomine etiam singularis laus est in Scripturis. Ac inprimis Magnus ille & communis omnium fidelium pater Abraham, cuius semen benedixit Dominus, in hac liberorũ suorum bonâ educatione excelluit. Immo idcircò tantã à Deo benedictionẽ impetrauit, quia sciebat Dominus, quàm diligentem bonæ educationis filiorum suorum curam erat habiturus. Sic enim ait Gen. 18, 17.* Num celare potero Abrahã quæ gesturus sum: cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? *Et quasi causam subiungit cur tantã illi impertiuerit benedictionem, dicens.* Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudiciũ & iustitiam, vt adducat Domini propter Abrahã omnia quæ locutus est ad eum. *Tantum autem valuit eius bona institutio in filio suo Isaac, vt patre illum Dei iussu in sacrificium offerre destinante, ipse occisionem non renueret. Sic & Anna 1. Reg. 1. filium suum ablactatum sacerdoti Heli, vt Deo dedicatum, tradidit educandum, sub cuius disciplinâ tantũ profecit, vt 1. Reg. 2. de eo idem quod hic de Christo Domino dictum fuerit:* Puer autem Samuel proficiebat atq; crescebat, & placebat tam Domino quã hominibus. *Plura passim in Scripturâ Veteri, sanctorum huiuscemodi exempla occurrunt, vti & eorum qui id officium neglexerunt supplicia. Quantò enim Deo gratia existit diligens parentum cura in filijs benè informandis, tantò eorum in bonâ filiorum institutione oscitantia detestabilior est, ob magnum quod illis infert nocumentum. Nam quemadmodum cùm committitur error in principio viæ, quò magis viator progreditur, eò magis à destinato loco se elongat; & error qui paruus videbatur in principio, maximus fit in fine: ita constat experientiâ, pueros malè institutos, posteà ad maiorem ætatem prouectos, prauos mores non deponere, sed in eis inueterascere, iuxta illud Prou. 22.* Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab eâ. *Hinc* ORIGENES *lib. 1. in Iob ad cap. 1. audet dicere:* Omnia quæ deliquerint filij, de parentibus requirentur, qui non erudierint, neque corripuerint filios suos. *Cuius inclusum se Heli exem-*

VERS. 42. Magnum momentum est in bonâ educatione puerorum.

Psal. 118, 9

Benedictio parentum filios suos probè instituentium.

Quantum malum sit negligentia in educandis & corrigendis liberis.

exemplum præbuit, à Deo in hac vitâ grauiter, & vt multi verentur, etiam fortè in aliâ punitus, eò quòd segniter filios suos corripuerit, vt habetur 1. Reg 4. Ad quod alludens D. CHRYSOSTOMVS *Hom. 59 in Genesim, sic ait:* Ideò oro vt præbeamus manum filijs nostris, vt ne etiam pro his quæ illi peccarunt, pœnas sustineamus. An nesciris quid seni Heli acciderit, cùm non debitè emendaret filiorum delicta? Quemadmodum enim Medicus si morbum sectione indigentem vnctione aut emplastro curare voluerit, citò morbum incurabilem efficiet, cùm congruam non adhibeat medicinam: ita & senex ille cùm deberet filios suos pro peccatorum qualitate emendare, nimiâ vsus lenitate illos arguit. Proinde oro, exemplo hoc timeamus, & habentes filios prouideamus eis de honestâ educatione, & in summâ vnusquisque curam eorum agat, qui apud se habitant: & lucrum maximum ducat vtilitatem proximi, vt vnusquisque discens ea quæ ad virtutem pertinent, & peccati periculum effugere, & virtutem amplexatus superuum auxilium sibi conciliare valeat.

Christus cur inscijs parentibus in templo remanserit.

VERS. 43. REMANSIT PVER IESVS IN IERVSALEM.] *Græcus Auctor anonymus in Catenâ rationem, cur Christus latenter in templo remanserit, satis probabilem tradit, dicens:* Ideò autem latenter remanet, ne parentes impedimento essent disputationi peragendæ cum legisperitis. Vel forsitan hoc euitans, ne videatur parentes contemnere, si mandantibus non pareret. Latenter ergo remanet, ne aut retrahatur, aut sit inobediens.

BEDA *in hunc locum*, Sed quæret, *inquit*, aliquis, quomodo Dei Filius tantâ parentum curâ nutritus potuerit obliuiscendo relinqui. Cui respondendum, Quia filijs Israel moris fuit, vt temporibus festis vel Ierosolymam confluentes, vel ad propria redeuntes, seorsùm viri, seorsùm feminæ incederent, infantesque vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerint: ideoque Mariam vel Ioseph vicissim putasse, puerum Iesum, quem secum non cernebant, cum altero parente reuersum. *Causa autem remansionis erat, vt radium aliquem suæ Diuinitatis emitteret. Iam enim gestiebat officiũ, ad quod a Patre missus fuerat, inchoare, idque anno duodecimo, quando nimirum pueritia finitur, & incipit iudicium rationis esse perfectum. Idque primò, vt excitaret Doctores ad cogitandum & inquirendum de Christi aduentu De hoc enim Christum inter eos egisse verosimile est. Secundò, ne inopinata esset eius manifestatio, & vt ex hisce quasi prælusijs, posteà vir factus, ab eis faciliùs agnosceretur & reciperetur. Ita Euthymius in hunc locum.*

Peccator Deum perdens malũ suum nescit.

IBIDEM. VERS. 43. ET NON COGNOVERVNT PARENTES EIVS.] S. GREGORIVS *explicans illa verba Iob cap* 10. Reuersusque mirabiliter me crucias, *moraliter nobis pulchrè ostendit, quomodo a Deo per peccatum recedentes non magnopere id sentiamus, sed ipsum denuo quærentes demum cruciemur, dicens:* Cùm ab Auctore relinquimur, nec ipsa vllatenus destitutionis nostræ damna sentimus. Quò enim longè nos conditor deserit, eò mens nostra insensibiliùs obdurescit, nulla quæ Dei sunt diligit, nequaquam superna concupiscit: & quia amoris interni calorem non habet, frigida deorsum iacet, ac miserando modo fit quotidie tantò securior, quantò peior: cumque vnde sit lapsa non meminit, & supplicia secutura non metuit, quantum lugenda sit nescit. At si afflatu sancti Spiritus tangitur, ad considerationem protinus suæ perditionis euigilat, in cælestium inquisitione se excutit, amoris sui interni æstibus inardescit, quæ se circumprimunt damna considerat, & plorat proficiens, quæ priùs læta torpebat. Benè ergo conditori dicitur, Reuersusque mirabiliter me crucias; quia omnipotens Deus vnde mentem nostram visitans ad amorem suum erigit, inde hanc per lacrymas grauiter affligit. Ac si apertè dicat, Relinquendo me nequaquam afficis, quia insensibilem reddis, sed cùm reuerteris crucias, quia dum te insinuas mihi, me quàm sim lugendus demonstras. Vnde nequaquam se pœnaliter, sed mirabiliter asserit cruciari: quia dum per fletum mens ad summa rapitur, compunctionis suæ pœnam gaudens miratur; & libet affici, quia afflictione suâ se conspicit ad alta subleuari.

Peccator resipiscens damnum suum demum sentit

Quantum bonum sit quærere Deum.

VERS. 44. REQVIREBANT EVM.] S. BERNARDVS *Serm. 4. in Cantica*, Bonum, *inquit*, quærere Deum. Ego hoc nullis in bonis animæ secundum existimo. Primum in donis, vltimum in profectibus est virtutum: nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quem nulla præcedat, quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit non quærenti Deum? quisve terminus quærenti Deum? Quærite, inquit, faciem eius semper: existimo, quia nec si inuentus fuerit, cessabitur à quærendo.

Certa quidem erat D. Virgo, puerum Iesum non perijsse, aut ab itinere instar aliorum puerorum ignoranter aberrasse, cognoscens ipsum esse Deum qui errare non possit: ingenti tamen dolore perculsa anxiè eum quærebat, vt notat ORIGENES *in cap. 2. Lucæ his verbis:* Quomodo si quando Scripturas legis, quæris in eis sensum cum dolore quodam, non quòd Scripturas errasse, aut perperàm quid habere arbitreris, sed quòd illæ intrinsecus habeant veritatis sermonem & rationem, & tu nequeas inuenire, quod verum est: ita & illa quærebat.

Christus non inuenitur ab ijs qui carnaliter quærunt ipsum.

IBIDEM. INTER COGNATOS ET NOTOS.] Vsque hodie, *inquit* EMYSSENVS *in hunc locum*, Iudæi inter cognatos & notos, id est in lege & Prophetis, quærunt Iesum: sed quia carnaliter quærunt, eum inuenire non possunt. Si igitur eum inuenire desiderant, redeant in Ierusalem, veniant ad templum & ad Ecclesiam: ibi enim est, & ibi eum inuenient.

Quodnam iter trium dierum eundum sit vt Christum reperiamus.

VERS. 46. ET FACTVM EST POST TRIDVVM, &c.] ORIGENES *in cap. 3. Exodi*, Viam, *inquit*, trium dierum ibimus in eremum. Quæ est via trium dierum quæ nobis incedenda est, vt exeuntes de Aegypto, peruenire possimus ad locum in quo immolare debemus? Ego viam illum intelligo, qui dixit: Ego sum via, veritas, & vita. Hæc via tribus diebus nobis incedenda est: qui enim confessus fuerit in ore suo Dominum Iesum Christum, & crediderit in corde suo quòd Deus illum suscitauit à mortuis die tertiâ, saluus erit. Hæc ergo est tridui via per quam peruenitur ad locum, in quo Domino immoletur, & reddatur sacrificium laudis. Hoc quantum ad mysticum intellectum. Si verò moralem, qui etiam nobis vtilis est, requiramus: iter tridui de Aegypto proficiscimur, si ita nos ab omni inquinamento corporis, animæ & spiritus conseruemus, quemadmodum dixit Apostolus: Integer spiritus, & anima, & corpus nostrum seruetur in diem Domini nostri Iesu Christi. Tridui iter proficiscimur de Aegypto, si rationalem & moralem sapientiam à rebus mundanis auferentes, ad statuta diuina cõuertimus. Tridui iter proficiscimur de Aegypto,

si purificantes in nobis dicta, facta & cogitata, spiritalia opera in nobis compleamus. Tria enim sunt hæc, per quæ homines peccare possunt. Efficiamur mundi corde, vt possimus Deum videre.

IBIDEM. INVENERVNT ILLVM IN TEMPLO.] Sed vbi, *inquit* EVSEBIVS EMYSSENVS, inuenitur? In templo, in Ecclesiâ, in conuentu fidelium, in medio Doctorum, & in cœtu Episcoporum. Qui igitur quæris Iesum, veni ad templum, veni ad Ecclesiam, veni ad Episcopos & Sacerdotes, audi quid ipsi dicunt: ibi enim videbis Iesum, ibi sedet in medio Doctorum, id est in cordibus eorum. Ibi enim audiens docet, & interrogans instruit: ibi omnes actus nostri & cogitationes respondent. Nihil ei absconditur: omnia videt, & cuncta ei loquuntur.

Christus inuenitur inter Doctores in templo.

S. AVGVSTINVS *lib. 10. Confess. cap. 24. ait Deum in memoriâ reperiri, his verbis:* Ecce quantum spatiatus sum in memoriâ meâ quærens te Domine, & non te inueni extra eam. Neque enim aliquid de te inueni, quod non meminissem ex quo didici te. Nam ex quo didici te, non sum oblitus tui. Vbi enim inueni veritatem, ibi inueni Deum meum, ipsam veritatem, quam, ex quo didici, non sum oblitus. Itaque ex quo didici te, manes in memoriâ meâ, & illic te inuenio, cùm reminiscor tui, & delector in te. Hæ sunt sanctæ deliciæ meæ quas donasti mihi misericordiâ tuâ, respiciens paupertatem meam. Sed vbi manes in memoriâ meâ tu Domine? vbi illic manes? Quale cubile fabricasti illic tibi? Quale sanctuarium ædificasti tibi? Tu dedisti hanc dignationem memoriæ meæ, vt maneas in eâ; sed in quâ eius parte maneas hoc considero. Transcendi enim partes eius quas habent & bestiæ, cùm te recordarer, quia non ibi te inueniebam inter imagines rerum corporalium, & veni ad partes eius, vbi commendaui affectiones animi mei, nec illic inueni te: & intraui ad ipsius animi mei sedem, quæ illi est in memoriâ meâ, quoniam sui quoque meminit animus, nec ibi tu eras; quia sicut non es imago corporalis nec affectio viuentis, qualis cùm lætamur, contristamur, cupimus, metuimus, meminimus, obliuiscimur, & quidquid huiusmodi est; ita nec ipse animus es, quia Domine Deus animi tu es. Et commutantur hæc omnia, tu autem incommutabilis manes super omnia, & dignatus es habitare in memoriâ meâ ex quo te didici. Et quid quæro quo loco eius habites? quasi verò loca ibi sint? habitas certè in eâ, quoniam tui memini ex quo te didici, & in eâ te inuenio cùm recordor te.

Deus in memoriâ nostrâ inueniendus ac retinendus.

In quo memoria gradu reperiatur Deus.

Vbi ergo te inueni, vt discerem te? Neque enim iam eras in memoriâ meâ, priùs quàm te discerem. Vbi ergo inueni te vt discerem te, nisi in te supra me? Et nusquam locus, & recedimus & accedimus, & nusquam locus. Vbique veritas præsides omnibus consulentibus te, simulque respondes omnibus etiam diuersa consulentibus. Liquidè tu respondes, sed non liquidè omnes audiunt. Omnes vnde volunt consulunt, sed non semper quod volunt audiunt. Optimus minister tuus est, qui non magis intuetur hoc à te audire quod ipse voluerit, sed potiùs hoc velle quod à te audierit.

Vbi inueniatur Deus.

Serò te amaui pulchritudo tam antiqua, & tam noua, serò te amaui. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosâ quæ fecisti, deformis irruebam. Mecum eras, & tecum non eram. Ea me tenebant longè à te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti & clamasti, & rupisti surditatem meam. Coruscasti, splenduisti, & fugasti cæcitatem meam. Fragrasti, & duxi spiritum, & anhelo tibi. Gustaui, & esurio, & sitio. Tetigisti me, & exarsi in pacem tuam.

Quomodo rapiat hominē Deus.

VERS. 49. Et ait ad illos: Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.

76. HINC Valentini asseclæ audientes quòd sit templum Dei, & in proprijs Christus existat, qui & iterum per legem descriptus, ac quasi in vmbris quibusdam & figuris delineatus est, confundantur dicentes quòd nec creator, nec Deus ipsius legis ac templi, sit Pater Christi. CYRILLVS & GEOMETRA.

77. Audiat & Ebion, quòd ab anno duodecimo, non tantùm post trigesimum, Christus reperiatur mirabilis in sermonibus gratiæ, adeò vt nefas sit dicere, quòd ex quo superuenit in eum Spiritus, factus sit Christus. Etenim cùm ab infantiâ suâ & templum & Patrem cognouerit, non vtique merus homo fuit, nec post delapsam in ipsum columbam Christus appellatus est. EPIPHANIVS l. 2. Cont. hær. t. 1. c. 51.

78. Hæc est prima demonstratio sapientiæ ac virtutis pueri Iesu. quæ namque puerilia eius nominant, non puerilis solùm, sed etiam diabolicæ putamus esse considerationis atque sententiæ, non tantùm tamquam nostris Euangelicisque oraculis aduersantia, sed permaligni cuiusdam contra veritatem commenta, ex istis fabulis criminari conantis, & alia nostris contraria. Sed consona Propheticis dictis, quòd specie corporis sit speciosus formâ præ filijs hominum, & matri obediens, & moribus facetus, formâ verò ætati proportionatus, ac visu quidem gratiosissimus simul & maximè venerandus; in conuersatione verò suauissimus iuxtà ac facundissimus: sui autem ipsius curam & considerationem multam præ se ferens, vt qui repletus erat prudentiâ. Et vt paucis dicam, vti in reliquis omnibus, sic & in humanâ conuersatione atque consessu erat supra hominem eius ratio ac sermo. Mansuetudo autem eius erat insigne: quoniam numquam neque nouacula ascenderat caput illius, neque verò manus hominis nisi matris eius. Ac ita quidem tum & patrem putatitium & matrem, & concilium, atque omnes præsentes increpauit simul & instruxit. GEOMETRA. *Gratiositas Christi pueri.* Psal. 44. 3.

ANNOTATIONES.

QVÆ namque puerilia eius nominā, non puerilis, &c.] *Agit hic Geometra contra illa quæ de pueri Christi scholâ, miraculis & gestis narrat* NVM. 78

Liber

Liber de Infantiâ Saluatoris, & Valentiniani fingunt apud Irenæum lib. 1. cap. 17. & alij quæ omnino ridicula sunt & apocrypha, atque hæreticorum figmenta, quæ vides ibidem Irenæus, & Chrysostomus Homiliâ 20. in Ioannem, & reprobat Ecclesia. Vnde patet, Christum occultam & priuatam egisse vitam, donec primum miraculum fecit in Canâ Galilææ.

IBIDEM *planè in fine videtur Christus agere personam arguentis atque increpantis. Propriè tamen, matrem præsertim, in quâ nulla culpa erat, non tam arguit (quod Caluinus, vt Deiparam calumniaretur, prætendit) quàm docet, & ad discendum acriùs incitat, quippe quæ, vti sequenti numero 79. idem Geometra docet,* [illegible], *ibi discipula fit nati discitque ius maternum cedere debere auctoritati diuinæ. quasi dicat: Hoc meritò vobis in mentem venire debuisset, me in Patris rebus occupatum esse, licet sciam, tenerum in me affectum hanc cogitationem diuertisse.*

Vbi nota, Christum duplices habuisse actiones, aliquas nempe communes omnibus hominibus, v. g. comedere, laborare, fabricare, & similes; alias vero sibi proprias in quantum Redemptor erat & [illegible], *cuius* [illegible] *vocat Dionysius lib. 2. de Diuinis nominibus, vt sunt, miracula facere, docere, discipulos conscribere, & similia. In prioribus D. Virgini & Iosepho tamquam subditus parebat, in secundis soli Deo Patri, quia altioris erant ordinis. Vnde hic versu 49. vti & Ioannis 2. vers. 4. & Matth. 18. v. 48. respondet illa non ad parentium, scilicet carnalium, sed ad Dei nutum pertinere. cui & illa tribuit tamquam mandanti, quia propter hæc à Patre missus erat in mundum. Tum etiam quia à Patre habebat Diuinitatem, cuius ista opera præcipuè erant. Denique, quia in hisce nemini se subiecit nisi soli Patri, vt doceret matris amori, etiam tenerrimo, præponendum esse diuinum amorem ac præceptum.*

VERS. 50. ET IPSI NON INTELLEXERVNT VERBVM, QVOD LOCVTVS EST AD EOS.] *Licet enim Ioseph & Maria scirent ipsum esse Christum Dei Filium, & Saluatorem mundi, tamen ignorabant quomodo munus illud esset obiturus, seu quæ essent illa negotia Patris, & quâ ratione illa geri deberent; puta, an, quando, quomodo docturus, victurus, moriturus; hæc enim progressu temporis didicerunt experientiâ.*

VERS. 51. Et descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.

METAPHRASTES & GEOMETRA.
D. Virgo discipula Filij sui.

79. CONSIDERA hîc iterùm prudentissimam mulierem Mariam, veræ sapientiæ atque ineffabilis scientiæ matrem, qualiter scholaris sit pueri. Non enim ei vt puero, aut potiùs vt viro perfecto; quinimò vt Deo ipsi deinceps vacabat, eiusque opera ac voces pro diuinis vocibus & operibus habebat. Vnde nihil illi dictorum eius aut actionũ excidebat: sed sicut ipsum Verbum priùs in visceribus, ita nunc eiusdem sermones ac mores omnesque institutiones concipiebat, & in corde suo quodammodò fouebat. Partim quidem secum contemplabatur eius faciem, ac formam, atque virtutes; partim verò tempus expectabat, quo clariùs hæc omnia reuelarentur.

ANNOTATIONES.

ET ERAT SVBDITVS ILLIS] *Vbi nota, humanitatem Christi licet in se naturaliter esset subdita matri, tamen quia eleuata erat ad hypostasim Dei, vnumque cum Verbo, hinc exempta fuit legibus, tum alijs, tum de obediendo parentibus. Erat enim tam matre dignior, melior, sapiẽtior; imò Deus & Dominus matris: sicut monachus factus Põtifex eximitur ab obedientiâ sui Ordinis, imò totius Ordinis fit Superior.* VERS. 51.

Christus nihilominùs voluit se parentibus subijcere, Primò, ad stabiliendum quartum præceptum Decalogi. Secundò, ad summæ humilitatis & obedientiæ exemplum. Vnde pulchrè S. BERNARDVS *Serm. 1. super* Missus est; Vtrimque, *inquit*, stupor, vtrimque miraculum, & quòd feminæ Deus obtemperat; humilitas absque exemplo; & quòd femina principatur Deo, sublimitas sine socio. Erubesce ergo ciuis: Deus se humiliat, & tu te exaltas, *&c. Tertiò, vt Christus primâ & continuâ suâ vitâ doceret, perfectionem vitæ & virtutis non tam in austeritate quàm in obedientiâ esse sitam. Nam, vt inquit* Ioannes XXII. *Extrau. Quorumdam, De verborum significatione,* paupertas magnum bonum est, maius integritas, sed maximum obedientia: *quia prima rebus, secunda carni, tertia menti dominatur & animæ, eamque facit holocaustum Deo.*

Nota autem, ex communi sententiâ Christum Iosepho subditum fuisse in arte fabrili, vnde Matthæi 13. vers. 55. filius fabri, *& Marci 6. vers. 3.* faber *dictus fuit. Ex quo colligitur, Christum fabrilem exercuisse, & eâ maximè post mortem Iosephi, pauperi matri sibique victum comparasse. S. Hilarius & Ambrosius putant ipsum ferrariam exercuisse. Sed D. Thomas, S. Chrysostomus in Matthæi cap. 13. & S. Iustinus Dialogo contra Tryphonem, & passim alij, putant fuisse lignariam; fuitque hæc sententia veterum Christianorum. Vnde Christianus ille à Gentili interrogatus quid faceret Fabri filius; respondit, Feretrum Iuliano fabricat. Ita Sozomenus lib. 6. cap. 2.*

VERS. 52. Et Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate, & gratiâ apud Deum & homines.

80. SALVATOR pro nobis nostram formam indutus, proficiebat sicut ætate, sic & sapientiâ ac gratiâ, non quòd hæc incrementum caperent (quid enim perfectius eo quod ab initio perfectum fuit?) sed sensim illa detegeret ac manifestaret. *Incrementa sapientiæ Christi qualia.*

81. Profectum enim vocauit Euangelista Diuinitatis Iesu per partes manifestationem. Qui enim Patris proprietates sibi habet proprias, quod valet incrementum suscipere? Proficere autem tum simul videbatur coram Deo & hominibus, per opinionem videlicet Diuinitatis, quam pro Patris sui beneplacito ostendebat tempori ætatis suæ, Diuinitatis declarationem accommodans.

82. Proficiebat ergo secundùm ætatem, corpore naturaliter in virilem statum promoto; sapientiâ autem per eos qui ab eo diuina *Incrementa gratiæ Christi qualia.*

uina docebantur. Gratiâ verò cum gaudio promouemur, credentes, perficienda fore quæ dicta sunt ab eo de spe in nobis. Apud Deum, quoniam assumpta carne paternum opus peregit nos redimendo: & apud homines, per conuersionem illorum a cultu idolorum, ad diuinam sanctissimæ Trinitatis notitiam. His vtique modis profecit, ac verum dicit Euangelista; non autem ex prauo in melius, vt quidam minùs sapientes censent. Fuerit itaque dictus profectus sapientiæ, communicata hominibus Deificatio ac gratia. Sic enim corpore per ætatem crescente, simul in ipso creuit Diuinitatis manifestatio. Et apud omnes ostendit se verum esse templum Dei, ac in corpore Deum.

In Christo quid profecerit. 83. Quando itaque audies Iesum profecisse sapientiâ, & ætate, & gratiâ, examina tecum, quidnam ætate profecerit, & reperies quòd corpus; quid sapientiâ ac gratiâ, & inuenies quòd anima, non Diuinitas, quæ semper perfecta, eos qui merentur sapientes facit. Nihil enim horum Diuinitati conuenit, sed ætate quidem corpus proficit, sapientiâ vero anima, non vtique irrationalis, sed rationis particeps. Vnde perspicuum fit, Deum etiam animam rationalem assumpsisse.

NYSSENVS 84. Diuersimodè autem proficiens Verbum in his qui ipsum suscipiunt, non in omnibus est æquale; sed iuxta mensuram eius in quo existit, & secundum capacitatem illius qui illud suscipit, etiam ipsum apparet aut infans, aut proficiens, aut perfectum: iuxta naturam botri, qui non eâdem semper specie in vite conspicitur, sed vnà cum tempore formam mutat, florens, fructificans, maturus, vinum factus.

85. Vt autem clariùs dicam ac breuius, dicitur proficere sapientiâ, & ætate, & gratia: ætate quidem crescens, per ætatis autem incrementum insitam sibi sapientiam palàm faciens. Adhæc verò, hominum in sapientiâ & gratiâ profectum, ac beneplaciti Patris adimpletionem, videlicet diuinam hominum cognitionem atque salutem, suum profectum faciens, & sibi vbique quod nostrum est approprians.

NYSSENVS de Incarnatione. 86. Quod in aliquo proficit, aliud est ab eo in quo proficere dicitur. Cùm igitur in sapientiâ proficere dicitur, non ipsa sapientia profecit, sed in illâ homo. Reuelatâ enim ac manifestatâ in illo indies Diuinitate, semper maiori videntibus admirationi erat. Atque hoc sibi vult illud, Proficiebat sapientia. Sapientiâ itaque proficiebat id quod erat humanum. Iuxta modum hunc autem naturam humanam indura Sapientia (hoc est, Verbum Dei) paulatim per opera & admirandas patrationes deificans assumptum templum, apud intuentes ipsum secundùm illud proficere faciebat. Ita sapientiâ proficiebat humanitas deificata.

S. LVCÆ CAPVT III.

1. ANNO autem quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarchâ autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarchâ Ituræx, & Trachonitidis regionis, & Lysaniâ Abilinæ tetrarchâ.

1. HIC Danielis prophetia finem habuit. Septimanarum enim quarumdam numerum ad Christi vsque principatû nominatim sermone complectens, post earum consummationem, vnguentum seu chrisma apud Iudæos exterminandum prædixit. Quâ autem ratione prosperum ac florentem regni sui statum, quo frui se existimabat Herodes, domesticis calamitatibus, quarum aliæ ex alijs oriebantur, obscurauerit, cùm vxorem, liberosque, ac reliquos generis affinitate sibi coniunctissimos, nefaria cæde trucidaret, id verbis explicare modò non possumus, cum hoc argumentum omnem etiam tragicam compositionem obfuscet. Cæterùm qui post insidias Saluatori nostro cæterisque infantibus factas, immissâ diuinitus plagâ, ipsum corripiens, ad mortem redegerit, non inutile erit audire verba Iosephi, exitum vitæ illius in hunc modum describentis. Hinc morbus ipsius corpus corripiens varijs passionibus discerpebat. Febris siquidem erat non tepida; pruritus autè intolerabilis vniuersæ cutis, & colici continui dolores, circa pedes tamquam hydropici tumores, imi ventris inflammatio, ac genitalis membri sanies vermes generans: ad hæc creber anhelitus ac perdifficilis respiratio, & conuulsiones omnium membrorum, adeo vt Diuinatores in punitionem hos morbos irrogatos dicerent, quibus excruciatus non paruis cum doloribus vitam abrupit. Atque hic fuit exitus consummationis Herodis, iustam pro occisis in confinijs Bethleem pueris pœnam persoluentis. Testamento exinde ipsius, approbante Cæsare Augusto, in regnum Iudæorum filius eius Archelaus successit.

EVSEBIVS Hist. Ecclesiast. li. 1. cap. 8.

Herodes tyrannus tragicus exitus.

Iosephus lib. 1. de Bello Iudaico, c.

GEOMETRA. 2. In Prophetico quidem sermone solis Iudæis prædicato, regnum solum Iudæorum describitur. Visio enim, inquit, quam vidit Isaias, in diebus Oziæ & Ioathan & Achaz qui

In Prophetis Iudaea sola, in angelio tus or describitur. Isa. 1. 1

qui regnauerunt in Iudæâ. In mysterio autem Euangelij per totum orbem prædicandi, describitur Imperium Tiberij Cæsaris, qui vniuerso orbi imperare videbatur. Et si quidem solæ Gentes saluandæ essent, filijs verò Israel omnis fuisset præclusa salus, sufficisset solius Tiberij mentionem facere: cùm autem Galilæos etiam atque Ituræos Trachonitasque credere oporteret, idcircò regna hæc seu Tetrarchiæ describuntur. Numquam autem factum est verbum Dei super aliquem Prophetarum in eremo, nisi nunc solùm per aliquam mysticam visionem: quoniam videlicet futuri erant multi filij desertæ, magis (hoc est Ecclesiæ ex Gen-
Isa. 54, 1. tibus) quàm eius quæ habet virum, legem inquam Iudaicæ synagogæ.

a Act. 4, 6. VERS. 2. a Sub Principibus sacerdotum Annâ & Caiphâ: factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium, in deserto.

CHRYSOSTOMVS. *Verbum Domini ad Ioannem in deserto.*

3. QVod autem dicit factum esse verbum Dei ad Ioannem, hoc est mandatum. Ioannes vtique omni reliquo tempore, quod præcesserat manifestationẽ eius, obscurus erat & in deserto degebat, vbi singulari quadam gratiâ instruebatur, vt in talem euaderet, qualem oportebat esse eum qui tantum ministerium obiturus, atque ipsius Christi Domini præcursor futurus erat. Longo autem tum tempore apparuit, non in ciuitate delitescens, sed in deserto proprium opus perficiens: omnia sic diuinâ disponente gratiâ, ne qua sinistra de futuro Christi Domini teste hominibus ingeneraretur suspicio. Ne itaque existimarẽt, illum suæ cum Christo affinitatis causâ (illorum enim matres inter se cognatæ erant) vel maiorum amicitiæ memorem, vel ob suam cum illo à pueritia cognationem, hæc de ipso voluisse testari; à diuinâ gratiâ in desertum abductus fuit. Vbique, quòd veritatis causâ ipsi testimonium perhiberet, inducens indicia, cùm à suâ in deserto commoratione, tum ab abstractâ viuendi consuetudine, cuius & ipse
Ioan. 1, 33 testis dicebat, Et ego nesciebã eum: sed qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit.

ANNOTATIONES.

VERS. 2. FACTVM EST VERBVM DOMINI SVPER IOANNEM, ZACHARIÆ FILIVM, IN DESERTO.] *Docentur hîc concionatores, exemplo S. Ioannis primùm se priuatim in omni virtutum genere exercere, antequam prædicationis munus auspicentur, vti pulchrè etiam* S. BERNARDVS *ad illa verba Cant. 5.* Manus meæ distillauerunt myrrham primam, & digiti mei sunt pleni myrrhâ probatissimâ. Oportebat namque dare exemplum omnis mortificationis. Et quia hæc carnis mortificatio propter Deum erat, myrrha dicitur probatissima; quæ non esset, si propter gloriam propriam, caro mortificaretur. *Subiungit:* Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, id est, clausuram oris mei, vt audientes ædificentur. Quàm pulcher & rationabilis ordo loquendi! Prius myrrha stillat de manibus, & digiti myrrhâ probatissimâ pleni monstrantur, ac deinde pessulus ostij dilecto aperitur: id est, priùs vita laudabilis in exemplum præparatur, & deinde doctrina fidem quærens auditorum, palàm profertur. *Idem sanctus Doctor explicans illa verba,* Oleum effusum nomen tuum, *ait:* Quicumque munere gratiæ exterioris perfusum se sentit, quò & ipse alijs refundere possit, etiam huic dicere est, Oleum effusum nomen tuum. Sed sanè cauendum in his, aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus retinere. Rem proximi retines tibi, si, plenus virtutibus cùm sis, forisque nihilominùs donis scientiæ, & eloquentiæ adornatus, metu fortè, aut segnitie, aut minùs discretâ humilitate, verbum bonum, quod posset prodesse multis, inutili imò & damnabili ligas silentio; certè maledictus qui frumenta
Prou. 11, 26. abscondit in populis. Rursus quod tuum est spargis, & perdis, si priusquam infundaris tu totus, se-
Deut. 15, 19. miplenus festines effundere, contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens. Nimirum vitâ atque salute, quam alteri das, te fraudas, dum sanâ vacuus intentione, gloriæ inanis vento inflatis, aut terrenæ cupiditatis veneno inficeris, & lethali apostemate turgens interis.
Concionator sit concha non canali similis. Quamobrem, si sapis, concham te exhibebis, & non canalem: hic siquidem pænè simul & recipit, & refundit; illa verò donec impleatur exspectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum qui partem suam facit deteriorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas, audi sapientiorem me. Stultus (ait Salomon) profert totum spiritum suum simul, sapiens reser- Prou. 29, 11.
uat in posterum. Verùm canales multos hodie habemus in Ecclesiâ, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis sunt, per quos nobis fluenta cælestia emanant, vt ante effundere quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum existimo, Eccl. 30, 24
quem sapiens posuit dicens: Miserere animæ tuæ, placens Deo.

Docentur item hîc viri sancti, alioquin contemplationi dediti vt cùm proximi necessitas & charitas exigit, interpositâ contemplatione vacent prædicationi, si videlicet ad id munus sufficienti doctrinæ verbique gratiâ sint instructi; vt hîc fecit S. Ioannes, qui deserto relicto, vbi assiduè Deo vacabat, supernisque potiebatur fauoribus, venit in Iudæam prædicans hominibus pœnitentiam. Hoc enim (*inquit* S. BERNARDVS *Serm. 57. in Cantica*) vera & casta contemplatio habet, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis
Otium contemplationis pro studio prædicationis intermittendum. libentissimè intermittat, & rursus potita votis, aliquatenus in hac parte tantò ardentiùs redeat in illud ipsum quantò se fructuosiùs intermisisse meminerit, & item sumpto contemplationis gustu, valentiùs ad conquirẽda lucra solitâ alacritate recurrat.

Mat. 3, 1. Marc. 1, 4.

VERS. 3. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

GEOMETRA. *Baptista cur iuxta Iordanem versatus.*

4. QVÆ autem decebat Baptistam loca peragrare, nisi Iordani confinia? vt si quis vellet pœnitentiam agere, protinus fluuij copiam haberet. Iordanis autem Descendens interpretatur. Descendit enim verè Dei fluuius: aqua autem vera, est aqua salutis.

ANNOTATIONES.

VERS. 3.

PRÆDICANS BAPTISMVM POENITENTIÆ.] *Ingens sane Dei misericordia est, vt pœnitentia prædicetur, per hanc enim homo imminens exitium potest effugere, vti pulchrè docet* S. AVGVSTINVS *lib. de Vera & falsa pœnitentia, dicens:* Pœnitentia vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat, omnia redintegrat, omnia lætificat. Ignorans se, per hanc se recognoscit; quærens se, per hanc se inuenit. Hæc est quæ homines ad Angelos ducit, & creaturam reddit creatori. Illa ouem perditam monstrauit quærenti, & decimam drachmam obtulit anxianti. Hæc dissipatorem filium ad patrem reduxit, & vulneratum à latronibus custodi curandum reseruauit. In hac omne bonum inuenitur, per hanc omne bonum conseruatur: fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia, ipsa ignis consumens.

Effectus pœnitentiæ.

Nota autem, baptisma illud pœnitentiæ, quod hic Ioannes prædicauit, imò & dedit, non habuisse per se vim peccata remittendi, vti Baptismus a Christo institutus facit; sed vt summum disponebat ad remissionem peccatorum, per contritionem & pœnitentiam impetrandam, vti ad hunc locum obseruat D. GREGORIVS *in hæc verba:* Cunctis legentibus liquet, quia Ioannes baptismum pœnitentiæ non solùm prædicauit, verùm etiam quibusdam dedit: sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio enim peccatorum in solo nobis Baptismate Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur, Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum: quoniam Baptismum, qui peccata solueret, quia dare non poterat, prædicabat: vt sicut incarnatum Verbum Patris præcurrebat verbo prædicationis, ita Baptismum pœnitentiæ, quo peccata soluuntur, præcurreret suo baptismate, quo peccata solui non possunt: vt quia sermo eius præcurrebat præsentiam Redemptoris, ipsum quoque eius baptisma, præcedendo fieret vmbra veritatis.

Ioannis baptisma erat figura Baptismi Christi.

NVM. 4. IORDANIS AVTEM DESCENDENS INTERPRETATVR.] *Eodem modo S. Hieronymus in cap. 4. Ionæ Iordanem* descensum *dicit, à* ירד, *quod* descendere *significat. In Ezechielis verò cap. 47. dicit, quod Iordanis interpretatur* riuus iudicij. *Dictus est autem Iordanis à* Ior *&* Dan *riuulis, ex quibus ad radicem Libani montis exoritur, vbi Cæsarea Philippi, quæ ex Paneas, sita est, eodem Hieronymo teste ad cap. Ezechielis 27. Est autem maximus Iudææ fluuius, influitque in mare Mortuum seu lacum Asphaltiten, & non obscurè Baptismi Sacramentum signauit.*

Iordanis quid significet.

VERS. 4. Sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius. Isa. 40, 3. Ioan. 1, 23.

CYRILLVS & BASIL. *Ioannes lucerna veri luminis & vox Verbi Dei.*

5. NON ignorabat vtique Beatus Isaias eorum quæ à Ioanne prædicata sunt scopum, sed superiùs ac multo antè tempore testimonium præbens, Christum quidem Dominum appellauit ac Deum, Ioannem verò ministrum eius ac seruum nominauit: & quòd lucerna erat veræ lucis præuia, lucifer Solis prænuntius, illuminaturæ nos diei aduentum indicans: quodque lux erat Verbi, præcurrens Iesum, sicut vox verbum. Quemadmodum igitur Ioannes vox quidem dicebatur clamantis in deserto, cum Isa. 40, 1.
esset naturâ homo; sic & Vnigenitus Verbum quidem appellatur, cùm Deus sit Verbum. Ne tollas igitur personam Vnigeniti propter nomen Verbi. Ioan. 1, 1.

ANNOTATIONES.

VOX CLAMANTIS.] *Omnes quatuor Euangelistæ consentiunt, hanc prophetiam Isaiæ 40. esse de S. Ioanne Baptistâ, Domini præcursore; cuius officium hoc vocabulum optimè exprimit. Vox enim est quasi quoddam instrumentum exprimens verbum, seu conceptum mentis: per illam siquidem tamquam per vehiculum quoddam eiusdem conceptus cognitio ad alios deriuatur. Meritò igitur Ioannes Baptista vox dicitur, quia Verbum æternum Patris in hunc mundum veniens prædicauit, & omnibus innotescere fecit. Pulchrè nobis hanc vocem & verbum describit* S. AVGVSTINVS *Serm. 2. in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ.* Scripturæ, *inquit*, Sanctæ verbum esse definiunt, quod intra animi silentium mente concipimus: verbum esse definiunt ipsam cogitationem, quæ adhuc intra conscientiæ secreta retinetur; vocem verò, per quam verbum profertur in medium. Vox sonus est index cogitationis, verbum verò ipsa cogitatio. Sicut enim quando verbum corde concipimus, necessaria vox est quasi quoddam vehiculum verbi, & quâ verbum ipsum per oris sonum ad alium transferamus; tamen illud integrum etiam intra nos, id est clausum à loquente transfertur, vt in suâ sede teneatur: ita & omnipotens Pater innotescere nobis volens sapientiam, & Verbum illud, quod in principio erat Deus apud Deû, sicut ipse testatur, Eructauit cor meum verbum Psal. 44, 1.
bonum; beatum Ioannem quasi vocem, per quam ad nos Verbum suum proferret, assumpsit. Quod quidem Verbum de illâ sede ita ad nos descendit, vt in sinu, id est in profundo paterni pectoris permaneret, terrena visitans, & cælestia non relinquens. *Vox est ergo Ioannes, & vox Verbi, quia exactè non explicat Verbum Patris. Nec mirum, quoniam inexplicabile est, & immensum. Vnde* AVCTOR IMPERFECTI *Hom. 3. in Matthæum*, Vox, *inquit*, est sonus confusus, nullum secretum cordis ostendens, sed hoc tantummodò significans, quia vult aliquid dicere ille qui clamat. Verbum autem est sermo rationabilis, mysterium cordis aperiens. Adhuc vox

VERS. 4.

Quid verbum sit, & quid vox.

inter

inter animalia & homines communis est, verbum autem hominum tantùm. Ideò ergo Ioannes dictus est vox, non verbum: quia per Ioannem neque misericordias suas Deus, neque iustitias, neque ante constitutionem mundi præparata consilia demonstrauit: sed hoc tantummodò, quia aliquid magni facere Deus in hominibus meditabatur. Posteà autem per Filium suum plenissimum mysterium suæ voluntatis aperuit, ideò & dictus est Verbum. *Vox etiam Ioannes rectè dici potest, quia maximè coniunctus est Verbo, & vitæ perfectione simillimus. Hinc* S. BERNARDVS *Serm. in Natiuitate S. Ioannis*, Tantò, *inquit*, propinquior Deo Ioannes, quantò vox verbo vicina, cui nullâ voce aliâ media, quod foris sonet, oportet intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit in vtero spiritus matris suæ.

Notandum autem hic dici vox clamantis, *non* clamans, *ad significandum, prædicatores verbi Dei non ex se loqui, sed ex Spiritu sancto, qui loquitur per ipsos, secundum illud Matth. 10.* Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

Ioannes cur in eremo prædicarit. IBIDEM. IN DESERTO.] S. HIERONYMVS *epistolâ de Verâ circumcisione*, Illud in eo mirandum est, *inquit*, quòd eremum elegerit, Domini prædicaturus aduentum: non in templis, non loquitur in plateis: multitudinem, multitudini profuturus, horrescit. Et cur vox est clamantis, si declinatur auditor? opus est vtique multitudo Doctori. Et quæ in eremo multitudo? sine dubio nulla. Et quid facit Propheta, qui & vox est, & vox clamantis? Elegit, ni fallor, locum, non vbi enim nullus audiat, sed ad quem populos de naturæ corruptæ conuersatione reducat; vt in Prophetâ nouam vitam videntes, diuinam mirari discant, seque omnibus vitijs circumcisos in eremo esse patiantur. Locus ergo ipse, forma doctrinæ est; & ipsa prædicatio, solitudo est virtutum. Operatur habitatio, dum vrbium frequentiam sollicitus relinquit auditor, & eremum, à contagione mundi velut à theatro hoc voluptatum auulsus, ingreditur.

[...]undus [...]rt als[...]rta est. S. AVGVSTINVS *verò Serm. 10. de Sanctis per desertum gentium populum intelligit, aut etiam mundum vniuersum, dicens:* Vacua enim timore Dei pectora, & Spiritu sancto carentia, deserto squalentis eremi comparantur. Desertum enim erat hic mundus, ab omni culturâ fidei & timoris Dei, & peccatorum spinis obsitus squalebat tamquam ager incultus, & nullam penitus bonorum operum fecunditatem attulerat, nullum imbrem gratiæ spiritalis receperat. Mittitur B. Ioannes, qui eum per Propheticam atque Apostolicam prædicationem, annuntiando pœnitentiam, quasi rudem campum proscinderet, fecundaret, & excoleret, diuini verbi seminibus impleret, & ad maturam fugem, id est ad [...] generationis gratiam præpararet.

IBIDEM. PARATE VIAM DOMINI.] S. GREGORIVS *Hom. 7 in Euang.* Omnis, *inquit*, qui fidem rectam & bona opera prædicat, quid aliud quàm venienti Domino ad corda audientium viam parat, vt rectas Deo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonæ prædicationis format.

ORIGENES *Hom. 21 in Lucam, ait:* In corde nostro [illegible] Domino. Magnum etiam est cor hominis & spatiosum, si tamen fuerit mundum. Neque in corporis quantitate, sed in virtute sensuum eius magnitudinem intellige, quæ tamen scientiam capiat veritatis. Præpara ergo in corde tuo viam Domino per conuersationem bonam, & egregijs vel perfectis operibus dirige semitam vitæ, vt in te sermo Dei absque offensâ perambulet.

S. AMBROSIVS *Serm. 61.* Parare ergo, *inquit*, iubemur viam Domini, scilicet non aggerem itineris, sed fidei puritatem. Dominus enim non terrenam semitam carpit, sed per secreta mentis incedit. *Quâ ratione in nobis sit paranda via Domino.* Si quid igitur in hac viâ fuerit moribus asperum, crudelitate durum, conuersatione pollutum; iubemur mundare, exæquare, componere? vt superueniens Dominus non offendat in nobis, sed magis reperiat viam castitate puram, procliuem fide, eleëmosynis eminentē. Quòd autem tali itinere incedere soleat Dominus, Propheta describit dicens: Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen est ei. *Psal. 67. 5.* Sed videamus, ipse Ioānes, qui parare viam Domino iubet, quam ipse viam parauerit Saluatori. Per omnia planè, adueniente Christo, tramitem viæ suæ composuit, & direxit: nam fuit vtiq; ieiunus, humilis, pauper, & virgo. Omnes enim has virtutes eius Euangelista describens ait: Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorū, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erant locustæ, & mel siluestre. *Mat. 3, 4.*

VERS. 5. Omnis vallis implebitur: & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas:

6. & videbit omnis caro salutare Dei.

6. PRAEVENIENS itaque Propheta cuncta prædixit, & populi concursum, & rerum in melius commutationem, & prædicationis facilitatem, & causam omnium quæ fiebant. *CHRYSOSTOMVS Hom. 10. in Matth.* Et ista licet figuratè proponeret, erat tamen prophetia quod dicebatur. Nam quando ait, Omnis vallis implebitur, & quæ sequuntur, *Isa. 40, 4.* extollendos humiles, & elatos deprimendos docet; ac legis asperitatem in fidei esse lenitatem permutandā. Non enim ampliùs, inquit, sudores erunt & labores, sed gratia & indulgentia peccatorum, quæ multam præstant salutis facilitatem. Deinde horum causam subiungit, dicens, Quia videbit omnis caro salutare Dei. *Luc. 3, 6.* Non ampliùs Iudæi tantùm & proselyti, sed omne genus hominum. *Quid sit valles impleri.* Per praua enim quemcumque corruptum indicauit, vt publicanos & adulteros, & latrones & magos, qui cùm priùs essent peruersi, rectam posteà viam ambularunt. Quoniam igitur & ipse dixit, Quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei, eò quòd crediderunt, *Mat. 21, 31* dicens modò, Quia videbit omnis caro salutare Dei, omnes homines significat, & quòd in fine horum Euangeliorum virtus ac notitia diffundetur, ab efferato more ac contumaci voluntate, ad multam mansuetudinem ac lenitatem genus humanum conuertens.

 7. Sic

NYSSENVS Hom. 5. in Cantica. Cant. 2, 12

7. Sic praua in directa facta sunt, vt Isaias prophetauit, & Ioannes prædicauit, de quo in Cantico dicitur: Tempus putationis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. Hoc verò tale est: Tempus, inquit, putationis florum aduenit, vt tibi vox clamantis in deserto testatur. Ioannes enim turtur est, & præclari huius veris præcursor, qui pulchros virtutis flores hominibus ostendit, ac carpere volentibus porrigit; per quos demonstrabat florem de radice Iesse prodeuntem, dicens, Ecce agnus Dei; suggeritque pœnitentiam pro peccatis agendam, vitamque ex præscripto virtutis degendam esse. Quomodo autem aduentu Domini etiam colles humilientur, intelliges ex sponsâ in Canticis dicente: Ecce hic venit saliens super montes, transiliens super colles. Similis est fraternus meus capreæ vel hinnulo ceruorum in montibus Bethel. Quia ergo Deus in carne fuit manifestatus, qui ad delendas aduersarias potestates in vita cõparebat, idcircò capreæ quidem assimilatur, vt qui e cælis in terram aspexerit; hinnulo autem qui montes & colles saltibus comprehendit, hoc est, qui conculcat frangitque improbas malitiæ dæmonum altitudines. Quoniam igitur est proprium naturæ hinnulorum, vt & bestias consumant, & halitu proprij corporis serpentes fugent, idcircò capreæ quidem assimilatur, vt qui omnia cernat, (acutissimi enim visus est hoc animal caprea:) ceruorum verò hinnulo, vt qui aduersariam potestatem, quam figuratâ significatione montes & colles appellauit, conculcet & absumat.

Ioannes turtur.

Christus capreæ hinnuloque similis.

GEOMATRA.

8. Vel demum sic intelliges, quòd montes quidem ac colles, hoc est, aduersariæ potestates per Christi aduentum humiliatæ sint: valles verò, id est homines, repleri sint operibus bonis. Sed & praua omnia facta sunt in directa: vnusquisque enim nostrûm prauus erat; verùm in aduentu Christi ad animam nostram, fiunt praua in directa. Et rursum aspera omnino erat vita nostra, ac ratio inæqualis; veniens autem Dominus plana omnia reddidit.

Aduentu Christi omnia complanata.

MAXIMVS.

9. Cùm etiam omnes in deserto versemur propter bonorum operum sterilitatem, quodammodò exclamat conscientiæ sensus, Parate viam rectam, hoc est, in melius mores commutate, atque carnem passionum fluxu diffluentem, per virtutum institutionem ad naturalem formam reducite, spiritu complanatã; depresso, quod in nobis erectum erat, prauorum spirituum imperio.

ANNOTATIONES.

VERS. 5. OMNIS VALLIS IMPLEBITVR, &c.] S. GREGORIVS *Hom. 20. in Euang.* Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles? quid montium & collium, nisi superbi homines designantur? In aduentu ergo Redemptoris valles impletæ, montes verò & colles humiliati sunt: quia iuxta eius vocem, omnis qui se exaltat, humiliabitur; & omnis qui se humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit, mons autem & collis humiliatus decrescit: quia nimirum in fide mediatoris Dei & hominum, hominis Christi Iesu, & Gentilitas plenitudinem gratiæ accepit, & Iudæa per errorem perfidiæ hoc, vnde tumebat, perdidit. Omnis enim vallis implebitur; quia corda humilium sacræ doctrinæ eloquio virtutum gratiâ replebuntur, iuxta hoc quod scriptum est: Qui emittit fontes in conuallibus. Et vnde rursum dicitur: Et conualles abundabunt frumento. A montibus namque aqua dilabitur, quia superbas mentes veritatis doctrina deserit. Sed fontes in conuallibus surgunt, quia mentes humilium verbum prædicationis accipiunt; & sic donum humiles accipiunt, quod à se corda superbientium repellunt.

Valles sunt humiles qui implentur gratiâ. Luc. 18, 14

Colles autem superbi, qui humiliantur & gratia destituuntur.

Psal. 103, 10.

Psal. 64, 14

IBIDEM. ET ERVNT PRAVA IN DIRECTA, &c.] *Pergit* S. GREGORIVS *loco citato,* Praua, *inquiens,* directa fiunt, cùm malorum corda per iniustitiam detorta ad iustitiæ regulam dirigontur. Et aspera in vias planas immutantur, cùm immites atque iracundæ mentes, per infusionem supernæ gratiæ ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracundâ mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergentis repellit: sed cùm mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam correptionis vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam prædicator inuenit, vbi priùs præ asperitate itineris, pergere, id est, prædicationis gressum ponere non valebat.

Praua corda per iustitiã fiunt recta.

Hortatur itaque S. Ioannes vniuersos vt Christum excipiant, eique viam parent quasi Regi venturo. Sicut enim viæ huic complanari & etiam ornari solent, ita etiam Christo omnem vitiorum inæqualitatem ad virtutis medium & æqualitatem esse reducendam; scilicet asperitatem morum, petulantiam, superbiam pusillanimitatem, & similia, reducenda esse ad æquitatem, modestiam, humilitatem, fortitudinem. Ita Euthymius, & passim Patres. Sicque futurum, vt omnis caro, *id est omnis homo,* videat salutare Dei, *id est Saluatorem Christum tum oculis corporis, tum oculis mentis: quod secundum tum maximè intendit Isaias. Videat, inquam, & videndo in se sentiat & experiatur salutem allatam à Christo, qui magis etiam colles æquabit vallibus & obliqua diriget in rectitudinem, & campos, scilicet omnes tum vitiorum tum legis difficultates, in Euangelij facilitates & æquitates in suis discipulis conuertendo, inquit Tertullianus l. 5. Contra Marcionem. quæ etiam causa est, cur Futuro sit vsus, non Optatiuo, dicens,* implebitur, *non* impleatur. *Ita S. Cyrillus in 40. Isaiæ.*

Via quomodo Deo præparanda.

VERS. 7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant vt baptizarentur ab ipso: " Genimina viperarum, quis ostendit " vobis fugere à venturâ irâ? Mat. 3, 7.

10. QVOD infirmitas, aut febris, aut intercus aqua, vel alius huiusceinodi morbus est in corporibus, quod in ferro rubigo, in lanâ tinea, & in ligno vermis, hoc in animâ malitia est. Mancipat enim illam ac in seruitutem redigit, quin imò in brutorum

CHRYSOSTOMVS.

Peccatum homines feras facit.

eam

eam animam transformat, hanc quidem in leon, illam verò in canis, aliam verò in serpentis, aliam in viperæ, aliam denique in alienus feræ formam commutans. Hoc Prophetæ de[illegible]ntes, & omnibus eam quæ ex malitiâ existit mutationem notam facientes, hic quidem dicebat, Canes muti, non valentes latrare; subdolos nempe homines & clanculum insidiantes rabiosis canibus comparans. non enim cum latratu inuadunt illi cùm rabiunt, sed clanculùm accedentes peiora rabiosis canibus ijs quos comprehendunt inferunt. Alius vero corniculas quosdam appellabat. Alius autẽ dicebat, Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hic vero antesignanos Prophetarum, Sterilis illius filius, stans iuxta Iordanem, serpentes nonnullos ac viperarum genimina nominabat. Per nomen quidem viperæ [illegible]quam illorum conditionem declarans, & eorum malitiam increpans, non Patriarchas vituperans, sed per iræ fugam, pœnitentiæ fructum ostendens. Quodnam igitur huic sit æquale supplicium, quando qui ad imaginem Dei factus, ac tanto est honore affectus, vt cùm animal sit rationis particeps ac mansuetissimum, in tantam incidit feritatem? Adeò etiam ante punitionem in seipsâ malitia supplicium habet.

11. Ferunt autem viperam marem; ex quo concepit, inter coëundum necare, cuius fetus excrescens perimit conceptricem; & sic prodit in lucem scisso matris vtero, in vindictam quodammodò perempti patris. Itaque patricida & matricida est proles viperæ. Tales erant Iudæi, qui Patres suos spiritales atque Doctores proprijs manibus perimebant. Dictum de his in Matthæo latiùs.

12. Sacra siquidem Scriptura secundùm stimulantes passiones irrationaliũ plerumque ac ferarum agnomina his qui ratione insigniti sunt imponit, interdum quidem eos canes nominans, propter impudentiam ac procacitatem; Canes (enim inquit) muti non valentes latrare: interdum verò ob libidinem equos; Equi furentes in feminas facti sunt: interdum verò asinos, propter stupiditatem ac dementiam; Comparatus est, enim inquit, iumentis: interdum autem leones ac pardos, propter rapacitatem & habendi cupiditatem: aliquando verò aspides, ob fraudulentiam: nonnumquam denique serpentes ac viperas, causâ veneni ac malignitatis; sicut etiam Ioannes hoc loco Iudæos vocat, multâ vtens dicendi libertate.

13. Discamus autem & nos quid lenitas sit, & quid dicendi libertas: multâ enim opus est accuratione, vt tam quid hoc quàm quid illud sit cognoscamus. Sunt enim vitia cognata virtutibus: ac dicendi quidem libertati, temeritas; lenitati verò, mollities illa non vitilis. Et probè considerandum, ne quis vitia apprehendens putet se virtutem possidere. Quemadmodum si quis putans se coniungi Dominæ, nesciat se coniunctum ancillæ. Quid igitur lenitas, quid pusillanimitas? Alios quidem iniustè læsos cùm non vlciscimur, sed silemus, hoc pusillanimitatis est: quando verò ipsi iniuriâ affecti sustinemus, hoc lenitatis est. Rursus cùm pro alijs contendimus, illa est dicendi libertas; quando autem nos ipsos vlcisci cupimus, temeritas. Atque ita coniunctæ sunt magnanimitas & dicendi libertas, vti & temeritas iterùm atque pusillanimitas. Quando * purum nobis fuerit * pectus ab affectione, amplectitur & virtutem, non secùs ac purum à febri corpus robur induit. Magnæ vtique virtutis lenitas est. Haud parua res fuerit, malis affici, & non exacerbari. Duæ passiones sunt, timor & ira. Si itam superaueris, manifestum quòd & timorem. Iram autem vinces, si lenis fueris; igitur & timorem si viceris, eris fortis. Iterùm, si non superaueris iram, eris temeratius. Hanc autem si non viceris, neque timorem superabis; atque adcò quoque timidus eris. Et hoc fit, sicut si corpus infirmum fuerit, illud statim vel à frigore vel à calore consumitur. tale est enim corpus malè temperatum. Quod verò rectè temperatum est, omnia sustinet.

Virtus vicina vitia. — * puri mores — Magna virtutis est passiones suas superare.

ANNOTATIONES.

FERVNT autem viperam, &c.] *Eadem quæ hic Geometra, narrant etiam de viperâ S. Basilius Hom. 9. de Opificio. S. Epiphanius Hæresi 26. S. Hieronymus in Epistolâ ad Præsidium: S. Augustinus Serm. 1. Dominica 3 in Quadragesimâ: S. Gregorius lib. 15. Moralium cap. 9. S. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist 105. & inter Auctores profanos Plinius l. 10. Naturalis Historiæ cap. 62. Plutarchus in Opusculo de Garrulitate, Nicander, & alij plures; qui volunt dici Græcè ἔχιδναν [illegible] τὸ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου, quòd contineat in se fetum vsque ad mortem. Latinè autem dictam esse* viperam, *quòd vi pariat, & pereat. Contrarium tamen contra prædictos Auctores Gesnerus sustinet, lib. de Serpentibus, viperam dictam asserens quasi* viuipatam, *quia ferè sola inter serpentes non oua sed viuum animal pariat. Videat qui volet hæc fusiùs pertractata & disputata apud Aldrouandinum lib. de Serpentibus.* NVM. 11. Vipera vnde dicta.

Sicut autem hic viperæ, quæ patricida & matricida nascitur, naturam Geometra rectè accommodat sensu allegorico Iudæis, Christum auctorem vitæ occidentibus; ita etiam in morali sensu idem licet applicare peccato, quod auctorem suum, scilicet peccatorem, spiritaliter occidit ac perimit. Natura etiam viperarum, vt ait AVCTOR IMPERFECTI *Hom.* 3 talis est, cùm momorderit hominem, statim currit ad aquam, si autem aquam non inuenerit, moritur. Ideò & istos Peccatum simile viperæ.

voca-

vocabat genimina viperarum, qui peccata mortifera committentes, currebant ad Baptismum, vt quemadmodum viperæ periculum mortis euaderent. Item, viperæ à foris speciosæ sunt, & quasi pictæ; ab intus autem veneno plenæ sunt: ideò & hypocritas & Pharisæos viperarum genimina appellat, quia hypocritæ pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu, & venenum malitiæ portabant in corde.

Idem Hom. 3. in Matthæum pulchrè hîc S. Ioannis prudentiam & Pharisæorum tectam malitiam detegit, per comparationem dicens: Sicut artifex medicus, si viderit ægrotantis colorem, intelligit speciem passionis ipsius: sic & Ioannes, mox vt vidit Pharisæos venientes ad se, intellexit cogitationes eorum

Baptismus & Cõfessio nil pro sunt manente peccati voluntate. prauas. Forsitan enim cogitauerunt apud se: Imus & confitemur peccata nostra. Quantum est in vnâ horâ erubescere? Iustitias à nobis non quærit, nullum laborem imponit: baptizamur, & consequimur indulgentiam peccatorum. Sic cogitabant, quomodo & modò omnes, qui faciendæ iustitiæ propositum non habent, & ad Baptismũ veniunt, putantes quia possit eos iustificare sola aqua Baptismatis, etiamsi non præcesserit bona voluntas. Iosipiens, pone Ioannem medicum esse, verbum autem ipsius, quasi ferrum medicinale, quo repletæ peccatis conscientiæ præscinduntur. Confessionem puta esse digestionem impuritatis & spurcitiæ quæ foris erat inclusa, Baptismum esse lotionem sordium egressarum: numquid factâ digestione impuritatis, iam statim sanus factus es? numquid iam non habes vulnus? numquid non est tibi necessaria superpositio medicinæ? Sic multa diligentia necessaria est homini post Confessionem & Baptismum, vt vulnus peccatorum eius & confessionis apertura sanetur.

VERS. 8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, & ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.

CHRYSOSTOMVS *Ex lapidibus filios Abrahæ suscitari quid.* 14. PER lapides quidem hîc nonnulli Metaphoricè gentes intellexerunt, vel propter earum duritiem, vel propter illa quę adorabant. Ego verò id ipsum assero, quasi dicat: Ne existimaueritis, quòd si vos ipsos perditum iueritis, Patriarcham idcircò sine liberis futurum. Potest enim Deus etiam de lapidibus ipsi homines dare, ac in eius adoptare cognationem, quandoquidem ita etiam factũ fuerit ab initio. Ex lapidibus enim homines nasci, perinde erat, ac de sterili illâ matre Sarâ prolem progigni. Cernis vt carnis cognationem reijciens, illam quæ in fide est inducat?

ORIGENES. 15. Si quis autem voluerit etiam, quòd qui propheticum opus, hoc est verbum annuntiant, hi tum à præcursore lapides intellecti fuerint, ex quibus vaticinio pronuntiabatur Abrahæ filios suscitandos; hi vtique per spontaneam Saluatoris passionem, Domini sui affectu rupti atque conscissi, & quodammodò imprægnati, miraculo plurimos religioni parturierunt ac pepererunt; quasi clarà voce, ac cælesti prædicatione pro suo ipsorum affectu, & in Saluatorem fiduciâ, ab errore homines reuocantes, & ad cognitionem veritatis manu ducentes, ac ad donum regenerationis cernendum occasiones suppeditantes. Hos vtique potiori fidei quàm sanguinis communicatione filios esse Abrahæ censendos puta. Si autem è litterà transcendere ad aliquam contemplationem volueris, per lapides rectè gentes intelligi poterunt, quæ occæcatæ fint ac rigido corde. Ex ijs siquidem hereditas Abrahami completur, dum cæcitate liberati, salutaris visionis compotes efficiuntur, & repudiato gentilitatis errore, ad arcanam spiritus doctrinam traducuntur.

ANNOTATIONES.

FACITE ERGO FRVCTVS DIGNOS POENITENTIÆ.] S. AVGVSTINVS *Serm. 66. de Tempore eos definit hoc modo:* Fructus dignus est pœnitentiæ, transacta flere peccata, & ea iterùm non agere. Lauamini (ait Dominus) mundi estote. Lauatur & mundus est, qui & præterita plangit, & iterùm non admittit. Lauatur & non mundus est, qui plangit quod gessit, nec deserit; sed post lacrymas hæc quæ fleuerat, repetit. De his beatus Petrus terribiliter ait in 2. suâ Epist. cap. 2. Canis reuersus ad vomitum suum. VERS. 8. *Fructus pœnitentiæ quinã sint. Isa. 1.*

Item Serm. 7. de Tempore, Videte, *inquit*, qualis debet esse pœnitentia, quia multi assiduè dicunt se esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Accusatur anima, non sanatur; pronuntiatur offensa, non pellitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei. Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in animâ, quod antè dulce fuit in vitâ; & quod te priùs oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente; iam tunc benè ingemiscis ad Deum, & dicis: Tibi soli peccaui, & Psal. 50, 6.
malum coram te feci. Da Domine misericordiam misero, qui tamdiu pepercisti criminoso. Dic illi in fletu cordis, aspice ad infelicem pietas immensa, respice crudelem misericordia publica. Qui tamdiu suspendisti gladium vltionis, dele numerositatem criminum, multitudine misericordiarum. Ista est, filioli, vera pœnitentia, quando sic conuertitur quis vt non reuertatur, quando sic pœnitet vt non repetat.

S. BERNARDVS *Serm. 3. in Vigiliâ Natiuitatis ita distinguit gradus pœnitudinis, dicens:* Scientia in primo gradu operatur pœnitudinem & dolorem, vt risum in luctum, gaudium in mœrorem conuertat, & incipiant tibi displicere, quæ vehementer antè placuerant, vt illa specialiter horreas, quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est Eccl. 1. Quia qui addit scientiam, addit & dolorem, vt veracis & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. In secundo verò gradu operatur correctionem, vt iam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coërceas gulam, iugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias seruire corpus sanctitati, quod iniquitati antè seruierat. Pœnitudo enim *Pœnitudo sine correctione non prodest.*
sine

sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait: Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest eis, nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eum, nihil profuit lauatio eius. Sed iuxta Saluatoris sententiam verendum est, ne ei aliquid deterius contingat.

Eccli. 34, 28

Ioan. 5.

NVM. 14. Per lapides quidē hîc nonnulli gentes intellexerunt.] *Vt scilicet multi Patres & interpretes hoc loco ad allegoriam confugiunt. Sed benè hîc insinuat Chrysostomus, illud etiam propriè verū esse posse. quasi dicat: Potest Deus ex lapidibus filios, quos ipse suâ intētione & voluntate Abrahamo, aut quos Abraham ipse sibi arroget & adoptet, suscitare, non minùs quàm potuit Adam ex terrâ, Euamque ex latere Adæ, Isaac ex sterili Sarâ producere, Gen. 15, 4. & Isaiæ 51, 1. quo alludit S. Ioannes Baptista. Secundò, etiam omnino propriè, Sicut vxorem Lot in statuam salis vertit, ita potest Deus saxa immediatè in homines & filios Abrahæ vertere. Imò potest Deus quamuis substantiam creatam in aliam conuertere totam id est, tam secundùm materiam quàm formam; sufficit enim vt sola accidentia maneant, vt patet in transsubstantiatione Ven. Eucharistiæ, vti docet D. Thomas 3. p. quæst. 75. art. 4. Mysticè autem significat S. Ioannes, Deum gentiles, rudes vt saxa, quæ etiam pro dijs colebant, quibus etiam a Dauide assimulantur Psal. 113, 16. & in vitijs suis obduratos, per fidei mutationem facturum filios Abrahæ. Ita Origenes num 15. hic, & passim Patres.*

Non prodest natum esse clarum parentibus, si ipse non clarus virtutibus.

Gen. 6, 10.

AVCTOR IMPERFECTI *ad ista verba*, Nolite dicere quia Patrem babemus Abraham, *Hom. 3. ait:* Quid enim prodest ei quem sordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus. Quid profuit Cham quòd filius fuit Noë? nónne separatus de medio filiorū? Qui secundùm carnem frater natus fuerat, secundùm animum factus est seruus. Nec familia eius sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ, quòd patrem habuit Thare luteorum deorum cultorem? nónne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? Nec potuerunt gloriam eius sordidare paterni errores. Nam & aurum de terrâ nascitur, sed non est terra. Et aurum quidem eligitur, terra autem contemnitur. Et stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius nō est eius solius, sed communis videtur eum genere. Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius, eius solius est. Item qui de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis illius, non eius solius, sed etiam generis eius. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo illius, eius solius est. Ideò melius est vt in te glorientur parentes qui talem filium habeat, quàm tu glorieris in parentibus. Sic & vos nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abraham; sed magis erubescite, quia filij eius estis, & sanctitatis eius non estis heredes. Ipse enim suo testimonio se conuincit quia de adulterio natus est, qui non similatur patri. Sermonem dictum ad Iudæos conuertamus ad Christianos: quia sicut Iudæi putabant se propter hoc solùm esse saluandos, quia erant filij Abrahæ: sic & multi insipientes Christiani, per hoc solum putant se esse saluandos, quia sunt Christiani ad quos conuenienter dicit Ioannes: Nolite dicere quia sumus Christiani, sed facite dignos pœnitentiæ fructus.

Præstat illustrare familiam quàm ab eâ illustrari.

VERS. 9. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

16. QVID autem securis? Excisio animæ etiam post purgationē non curatæ. NAZIANZENVS.
Vel virtus Domini tollens malitiam. NYSSENVS

17. Vel securim in præsenti nominat acerbissimam illam iram, quam super Iudæos Deus ac Pater induxit, propter illorum in Christum impietatem. In illos enim instar bipennis ira irruit, vt Propheta nobis Zacharias declarat, dicens: Erit planctus Ierusalem, sicut planctus malogranati, quod in campo succiditur. Dixit autem & Ieremias tamquam ad ipsam: Oliuam pulchram benè opacam specie vocauit Dominus nomen tuum, ad vocem circumcisionis eius accensus est ignis super eam, magna tribulatio super * ipsam. Inutiles facti sunt rami eius; & Dominus qui plantauit te, locutus est super te mala. Eò etiam accipi potest quæ in Euangelijs est de fico parabola. Tamquam infructuosa igitur ac degenerans planta excisa est à Deo. Verùm non in radice, sed ad radicem securim esse positam dicit, hoc est iuxta radicem: decisi namque fuerunt rami, nec radicitus extirpata est planta; reliquiæ enim Israel saluæ fient, & non radicitus perierunt.

CYRILLVS.

Quid sit securis ad radicem.

Zach. 12, 11

Ier. 11, 16.

* te.

Mat. 21, 19

ANNOTATIONES.

QVID autem securis?] *Metaphora est, secuti ad iudicium Dei explicandum translatâ, quasi dicat:* Securis, *id est iudicium Dei*, ad radicem arborum, *hoc est peccatorum*, posita est, *vt eos morte breui succidat, & in ignem ac mortem æternam mittat. Contrà verò, iusti morte breui per Christū transplantabuntur in cælestem paradisum ad perennes fructus felicissimos producendos. Dicitur autem hoc de Christo, quia ipse constitutus est Iudex viuorum & mortuorum.* NVM. 16.

NVM. 17. *Illud Zachariæ* Ἔσται ὁ κοπετὸς, *in LXX legitur* μεγαλυνθήσεται, *id est* magnificabitur, *aut erit* magnus. *&* pro Ἱερουσαλὴμ *ponitur* ἐν Ἱερουσαλήμ. *Locus autem iste Ieremiæ 11, 16.* Ἐλαίαν ὡραίαν, *in Vulgatâ legitur*, oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ, grandis exarsit ignis in eâ, & combusta sunt frutecta eius. Et Dominus exercituum qui plantauit te, locutus est super te malum.

Eleēmosyna largiter & ingiter largienda vt simus oliua fructifera.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 32. in Epist. ad Hebræos*, Efficiamur, *inquit*, sicut oliua fructifera; ex omnibus partibus misericordias germinemus. Non enim sufficit oliuam esse, sed opus est eam esse

Eleëmosyna largitor & iugiter largienda, vt simus oliua fructifera.

esse fructiferam. Sunt enim misericordes, sed modicè per totum annum tribuentes, aut per singulas septimanas, aut si quando fortè progrediuntur: isti oliuæ quidem sunt, sed non fructiferæ, quin etiam aridæ: & quandoquidem miserentur, oliuæ sunt; quoniam verò non largè, neque magnificè, non sunt fructiferæ.

Operum fructus requirit Deus a fidelibus.

THEODORETVS *ad locum Ieremiæ cap. 11. suprà citatum ait:* Vbi synagogam vocauit dilectam, iterùm aliam refert ipsius denominationem, Oliuam formosam, specie valdè opacam vocauit Dominus nomen tuum. Hanc appellationem addidit, vt inuitaret eam ad ferendos fructus. En etiam modo sæpè vocauit eam vineam, Ad vocem putationis ipsius exarsit ignis super eam. Vt vocauit oliuam, meminit purgationis: putationem enim nuncupat purgationem. Sic & Dominus in sactis Euangelijs Ioan. 15. v. 2. dicit, Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum, & omnem qui fert fructum purgat eum. Magna tribulatio super te, rami eius inutiles facti sunt: quia bonos fructus ferre noluerunt. Et vt ostendat non Regem Babylonis potentem pœnas ei infligere, sed Dominum ipsum, hæc addidit: Et Dominus Deus exercituum qui plantauit te, locutus est super te mala, pro malitiâ domus Israel & domus Iuda, quia fecerunt sibi hoc, ad irritandum me libantes Baal. Ipse, inquit, qui plantauit, præcidit ramos, tu verò in causâ es, quæ non probos fructus sed exitiales protulisti.

Ob operum bonorum defectum nos sumus in causâ cur Deus nos castiget.

Si in ignem mittitur qui non fecit bona, quantò magis qui fecit mala?

S. AVGVSTINVS *Serm. 38. de Sanctis, ad locum istum*, Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, *rectè obseruat quod* non dixit, quæ facit fructum malum, sed, quæ non facit fructum bonum. Hinc possumus agnoscere, quas pœnas arbor spinosa in die iudicij patietur, quando illa quæ fructum non dederit, excidetur, & in ignem mittetur. Si in ignem mittetur qui esurienti non dedit panem suum, putas vbi mittendus est qui rapuit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non vestit, vbi mittendus est, qui vestitum exspoliauit? Rogo vos, fratres charissimi, hinc attendite quam spem habere possunt qui mala faciunt, quando illi perituri sunt qui bona non faciunt?

VERS. 10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus?

11. Respondens autem dicebat illis:

1. Ioan. 3, 17. Iac. 2, 15. " Qui habet duas tunicas, det non habēti: & qui habet escas, similiter faciat.

12. Venerunt autem & publicani vt baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus?

13. At ille dixit ad eos: Nihil amplius, quàm quod constitutum est vobis, faciatis.

BASILIVS. Vnde subueniendum necessitati patientis.

18. HINC discimus, quòd si quis plus possideat quàm ad vitā sustentandam necessarium sit, teneatur inde alteri subuenire secundùm præceptum Domini, qui etiam largitus est ea quæ habemus. Quid enim, inquit, habes quod non accepisti? & rursus, Vestra abundantia illorum inopiam suppleat. (1. Cor. 4, 7.; 2. Cor. 8, 14)

19. Hoc potest quidem per Hyperbolem præceptum esse, quatenus oportet pauperes vestire, & non negligere mandatum. Inuestigans verò profundiorem sensum dico, quòd sermo nolit nos duas habere tunicas, & modò quidem induere veterem, modò verò nouam; sed alteram quidem induere, aliam verò exuere, quodque nos oporteat exutos quasi in profundum maris mergere peccata nostra, ac reijcere in eum qui peccatorum nobis causa extitit, in eum inquam qui Deum non habet, hoc est diabolum. Hoc ipsum quoque in cibis, secundum quidem sensum obuium, Non habenti, escas: secundùm verò sensum reconditum, praua dæmonibus proijcienda sunt. (ORIGENES Homil. 23. in Luc.)

ANNOTATIONES.

QVI HABET DVAS TVNICAS.] S. GREGORIVS *Hom. 10. in Euangelia ait:* Per hoc quòd tunica plus est necessaria vsui nostro quàm pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, vt non solùm exteriora quæque & minùs necessaria, sed ipsa valdè nobis necessaria diuidere cum proximis debeamus, scilicet vt escam, quâ carnaliter viuimus, vel tunicam quâ vestimur. Quia enim in lege scriptum est Leuit. 19. Diliges proximum tuum sicut teipsum; minùs proximum amare conuincitur, qui non cum eo in necessitate illius, etiam ea quæ sibi sunt necessaria, partitur. Idcircò ergo de diuidendis cum proximo duabus tunicis datur præceptum, quia hoc de vnâ dici non potuit, quoniam si vna diuiditur, nemo vestitur. In dimidiâ quippe tunicâ nudus remanet qui accipit, & nudus qui dedit. Inter hoc autem sciendum est, quantum misericordiæ opera valeant, cùm ad fructus dignos pœnitentiæ ipsa præ ceteris præcipiuntur. Hinc etiam per semetipsam Veritas dicit: Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Hinc rursus ait: Date, & dabitur vobis. Hinc scriptum est: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis. Hinc iterùm dicitur. Conclude eleëmosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit, &c.

Eleëmosyna etiam ex necessarijs facienda.

Luc. 11, 41. Fructus eleemosynæ. Eccl. 3, 33. Eccl. 29, 15.

VERS. 12. VENERVNT AVTEM ET PVBLICANI, &c.] BEDA *in hunc locum*, Quantum, *inquit*, Baptistæ sermo virtutē habuerit, quantumque mentes concusserit auditorum, hinc probatur, cùm etiam publicanos & milites ad consilium salutis suæ inquirendum compulerit. Præcipit ergo eis ne vltra præscriptū exigant. Vnde sequitur, Et dixit ad eos: Nihil amplius quàm quod vobis constitutum est, faciatis. Publicani verò appellantur hi qui vectigalia publica exigunt, siue qui conductores sunt vectigalium fisci vel rerum publicarum: nec non & hi qui sæculi huius lucra per negotia sectantur, eodem vocabulo censentur: quos omnes pariter in suo quemque gradu ab agendâ fraude coërcet, vt dum primò se ab aliorum temperarent appetitu, tandem ad propria cum proximis communicanda pertingerent.

Publicani quod sit officium.

VERS.

VERS.14. Interrogabant autem eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? & ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis: & contenti estote stipendijs vestris.

CHRYSOSTOMVS in Matth.

20. VOLEBAT siquidem B. Ioannes, quando Publicanis ac militibus loquebatur, ad aliam sublimiorem philosophiam ipsos traducere; verùm cùm eius nondum capaces essent, minora refert, & suis iubet stipendijs contentos viuere, nec quidquam præter id quod illis statutum est exigere: ne si his sublimiora proferret, dum illis intenderent, etiã hisce priuarentur. Quamobrem & nos in humilioribus nos ipsos exerceamus, vt teneamus symmetriam, atque discamus, nihil cum anxietate molestiáve possidere, & è re priuatâ pauperibus vnde viuant penu conficere, nihil in illud quod ex iniustitiâ fit immittendo, cùm eleëmosynæ sit opus, quæ numquam potest ab immanitate procedere. Artifex cùm quidpiam operis manuarij vendiderit, primitias pretij Deo offerat, & cum eo minimam quoque partem diuidat. Hanc agrorum quoque Domini in prouentu recipiendo legem obseruẽt. Hanc qui iustum lucrum colligunt accuratè custodiant. Ad eos enim qui vsuras exigunt, nullus mihi sermo est, vti nec ad milites illos qui alios quasi excribrant, & aliena diripiunt: nihil enim cupit Christus ab illis accipere: sed ad eos loquor, qui ea quæ possident, iusto sibi labore compararunt.

Eleëmosyna ex quibus danda.

ANNOTATIONES.

VERS.14 INTERROGABANT AVTEM EVM ET MILITES, &c.] Iustissimo, *inquit* BEDA, moderamine præmonet, ne ab eis calumniando prædam requirant, quibus militando prodesse debuerant. *Hic etiam obserua, non præcepisse Ioannem militibus, vt militiæ nuntium remitterent, sed vt militiæ munere iustè fungerentur.* Sciebat enim, *inquit* S. AVGVSTINVS *in aureâ Catenâ*, eos, cùm militarent, non esse homicidas, sed ministros legis; & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores: alioquin responderet eis, Arma abijcite, militiam istam deserite, neminẽ percutite, vulnerate, prosternite. Quid enim culpatur in bello, an quia moriuntur quandoque morituri, vt domentur in pace victuri? Hoc reprehendere, timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua talia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur; quæ plerumque vt etiam inde puniantur, aduersus violentiam resistentium, siue Deo siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cùm in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iustè ipse ordo constringit.

Militia per se non est mala.

Quamobrem meritò D. MAXIMVS *Sermone de Verbis Domini Matth.*22. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, *milites eos accusat, qui militiæ prætextu quòd virtutem non colant, se excusant.* Nonnulli, *inquit*, fratres, qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu sunt publico constituti, cùm peccant grauiter, hac solent à peccatis suis primâ se voce excusare, quòd militant: & ne benè aliquando faciant, occupatos malis actibus conqueruntur: perinde quasi militia hominum, non voluntas in culpâ sit, ita quod ipsi gerunt, officijs suis adscribunt. Non enim militare delictum est, sed propter prædam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminosum est; sed ideò agere rempublicam, vt rem familiarem potiùs augeas, videtur esse damnabile. Propterea enim prouidentiâ quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, præda grassetur. Illud autem quale est, quòd cùm ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis cur ebrius fuerit, cur res alienas peruaserit, cædem cur turbulentus admiserit; statim respondeat: Quid habebam facere homo sæcularis aut miles? numquid Monachum sum professus, aut Clericum? quasi omnis qui Clericus non est aut Monachus, possit ei licere quod non licet. Cunctis igitur officijs Sacris litteris præscribitur norma viuendi, omnis ad benè viuendum prouocatur sexus, ætas, & dignitas. Igitur nemo se excuset publicis actibus, nemo de occupatione militiæ conqueratur. Apud omnem Christianum prima honestatis debet esse militia.

Status sæcularis aut militia non debet esse prætextus peccati.

VERS.15. Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne fortè ipse esset Christus.

21. SED & hinc quoque Ioannis æquanimitatem cernimus. Cùm enim populus suspicaretur ipsum esse Christum, huic ipse suspicioni ex errore atque ignorantiâ natæ occurrit, penitusque ex eorum animis delet. nec simpliciter veritatem declarat, verùm etiam omnem honorem sibi exhibitum repellit.

CHRYSOSTOMVS. *Ioannes honores fugit.*

ANNOTATIONES.

EXISTIMANTE AVTEM POPVLO, &c.] *Patet hinc, quantam populus de Ioanne concepisset opinionem, licet (vt benè notat* ORIGENES *Hom.* 25. *in Lucam) non satis ordinatam.* Habet enim, *inquit*, periculum & dilectio, si modum transeat. Debet enim qui aliquem diligit, naturam & causas considerare dilecti, & non eum plus diligere quàm meretur. Nam si mensuram charitatis modumque transcenderit, & qui diligit, & qui diligitur, in peccato erunt. Quod vt manifestius fiat, ponamus exemplum. Ioannem populus mirabatur, & diligebat eum: & reuerà erat dignus miraculo, vt plus ei quàm ceteris hominibus deferretur, quia aliter quàm cuncti mortales vixerat. Erat siquidẽ Ioannes vitæ mirabilis, & multùm ab aliorum hominum conuersatione diuersus. Non habebat sacculum, non famulum, non saltem vile tugurium. Morabatur in deserto non solùm vsque ad diem ostensionis VERS.15

S. Ioannes admirationi erat ob vitæ austeritatem.

fionis suæ ad Israel, verùm eo tempore quo pœnitentiam populo prædicabat, erat in solitudine Iudææ, & aquâ simplici irrigabatur; vt & in potu esset diuersus à ceteris. Nos qui versamur in vrbibus, qui in medio populorum sumus, & vestes quærimus lautiores, & cibos, & habilia. Ille verò, qui in eremo morabatur, videte quali vestimento indutus fuerit. De pilis camelorum sibi tunicam fecerat, & zonâ pelliceâ cingebatur. Omnia ergo in illo nouerant, & propter dissimilitudinem vitæ, vniuersi qui videbant admirabantur eum, & mirantes studiosissimè colebant; super omnia, quòd pœnitentes in remissionem peccatorum baptizabat. Quas ob causas diligebant quidem eum iustissimè, sed non seruabant in charitate modum. *Cauendus amor inordinatus.* Cogitabant enim ne fortè ipse esset Christus. Quam inordinatam & irrationabilem charitatem cauens Apostolus Paulus de semetipso loquebatur: *2. Cor. 12, 6.* Timeo autem ne quis de me cogitet, super id quod videt in me, aut audit ex me, & ne magnitudo reuelationum extollat me, *&c.* Quod metuens ne ipse etiam incurrat, nolebat omnia de se indicare quæ norat, ne quis eò plus arbitretur esse quàm cerneret, & mensuram honoris excedens diceret, quod dictũ fuerat de Ioanne, quia ipse esset Christus. Quod quidem nonnulli etiam de Dositheo Samaritarum hæresiarchâ dixerunt, alij verò de Iudâ Galilæo, *&c. Vnde oportet charitati frena imponere, & tantum ei vagandi permittere libertatem, quantum in prærupta non corruat.*

VERS. 16. Respondit Ioannes, dicens omnibus: "Ego quidem aquâ baptizo vos: Veniet autem fortior me, cuius nõ sum dignus soluere corrigiam calceamentorum eius: "ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.

"Matth. 3, 11. Marc. 1, 8. Ioan. 1, 26. "Act. 1, 5. & 11, 16. Matth. 3, 12.

CHRYSOSTOMVS in Acta. *Baptismus in Spiritu sancto. Act. 2, 3.*

22. AT vbi Christus baptizauit in Spiritu? In cœnaculo. Apparuerũt, enim inquit, illis dispertitæ linguæ tamquã ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Et quomodo inquit, Christus discipulos in cœnaculo baptizauit, cùm ibi deesset aqua? quia Spiritus ipse potentior est, per quem & aqua operatur. Quemadmodum etiam ipse inunctus dicitur, cum numquam oleo illinitus fuerit, sed Spiritum acceperit. Aliàs quoque ac diuersis temporibus Apostolos aquâ baptizatos constat: in nobis siquidem vtrumque simul fit, tunc autem separatim. Sub principium enim à Ioanne baptizabantur.

IDEM. 23. Idcircò autem ignis mentionem fecit, vt illis in memoriam reuocaret [visiones] Prophetarum. Quotquot enim illis apparebant, plerumque per ignem apparebant, quemadmodum Moysi in rubo & in Sinâ, atque Ezechieli super Cherubim; Domino flammam ignis dissecante ac diuidente, ita vt punitionis quidem ignis obscurus sit, lux verò salutaris incombusta. *Baptismus ignis & iudicij.*

BASILIVS. 24. Dicit autem Isaias, quoniam abluet Dominus sordem filiorum & filiarum Sion, & sanguinem Israel expurgabit, in spiritu iudicij, & in spiritu combustionis. *Isa. 4, 4.* His ipsis perspicuè Ioannes de Domino loquens affatus est, Quia ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. *Matth. 3, 11.* De seipso autem, Ego quidem vos baptizo in aquâ ad pœnitentiam. Cùm igitur Dominus vtrumque coniunxerit, nimirum illud, Ex aquâ ad pœnitentiam, atque illud, Ex spiritu in regenerationem, etiam Scriptura vtrumque Baptisma innuit; *Tres Baptismatis acceptiones.* ni fortè tres sint Baptismatis acceptiones, expurgatio scilicet sordium, regeneratio per spiritũ, & examen quod per ignem fit iudicij: sic vt illud, Abluet, pro depositione peccati accipiatur, quæ in hac vitâ fit, hoc autem, In spiritu iudicij & spiritu combustionis, ad eam referatur probationem, quæ per ignem fiet in sæculo futuro. Etenim peccata per ignorantiam admissa, cùm sint veluti sordes quædam, quæ animæ splendorem adimunt, & natiuo illius decori officiunt, egent purgatione per lotionem. Quæ verò ad mortem ducunt peccata, eorum nempe qui post acceptam cognitionem certâ animi destinatione flagitia committunt, sanguis appellantur, atque in ardore iudicij expurganda sunt. Hæc quoque possint accipi simpliciùs, ita vt leuia quidem seu superficiaria peccata sordibus quibusdam comparentur, ea verò quæ procedunt ex profundâ erga malum affectione, sanguini assimilentur. Quocircà etiam sanguis spiritu combustionis expiandus dicitur.

CYRILLVS. 25. Vel potiùs cum spiritus significatione illam ignis coniunxit Beatus Baptista, non quòd omnino nos igni baptizati dicat, sed viuificam spiritus operationem, per ignis significationem declaret. Ex diuersâ enim circa subiectum operatione diuersas vnus ac idem Spiritus denominationes sumit.

COSMAS Hymno 2. 26. Igne demum finali baptizat Christus infideles, ac Deum ipsum ignorantes; Spiritu verò renouat.

ISIDORVS l. 4. ep. 66. 27. Quam autem ob causam diuina ferè omnia ignis nomine designantur? Deus enim ignis dicitur; & Angeli ignis vrens; & apparuerunt Apostolis linguæ instar ignis. *Ignis symbolum Diuinitatis.* Nonnulli quoque dicuntur Spiritu feruentes, existimo quòd propter abundantiam atque diuitias: quandoquidem vnus [ignis] mille lampadas accendat, nec minuatur, sed alias iterùm totidem imò plures accendere valeat, ceterorum autem corporum viam transcendat. Solus enim terrena deserens sursum fertur: illa siquidem terram, hic verè cælum petit.

BASILIVS. 28. Neminem autem in errorem inducat illud Apostoli, vtpote nomen Patris ac Spiritus

ritus

ritus in Baptismatis commemoratione sæpè omittentis, nec idcircò existimet horum nominum inuocationem non esse obser-
Gal.3,27. uandam. Quicumque, inquit, in Christo baptizati estis, Christus induistis. & iterùm:
Rom.6,3. Quicumque in Christo baptizati estis, in morte ipsius baptizati estis. Christi enim appellatio totius Diuinitatis est professio, quippe quæ simul declarat & Deum qui vnxit, & Filium qui vnctus est, & Spiritum sanctum qui est vnctio. Videtur quoque nonnumquam in Baptismo solius spiritus mentionem fecisse. Omnes, enim inquit, in vno corpore, in vnum Spiritum baptizati sumus.

Baptismus in Christi nomine qualis.

1.Cor.12,13.

TITVS. 29. Oportet enim aurum in fornacem immitti, vt si quidem purum fuerit, egrediatur splendidius; sin verò viliori sit materiæ permixtum, castigetur.

ANNOTATIONES.

VERS.16 RESPONDIT IOANNES DICENS OMNIBVS: EGO QVIDEM AQVA BAPTIZO VOS, *&c.*] EVSEBIVS EMISSENVS *Hom. in Dominicam* 3. *Aduentus*, Omnes, *inquit*, existimabant Ioannem esse Christum, quoniam in moribus & vitâ, in habitu & sanctâ conuersatione alijs omnibus dissimilis erat. Ipse tamen mundi gloriam fugiens, & Christum se non esse respondens, in tantùm se humiliauit, vt indignum se diceret qui Christi calceamenta soluere debuisset.

S. Ioannis humilitas.

S. GREGORIVS *Homil.* 7. *in Euangelia*, Mos, *inquit*, apud veteres fuit, vt si quis eam quæ sibi competeret, accipere vxorem nollet, ille ei calceamentum solueret, qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Christus, nisi sanctæ Ecclesiæ sponsus apparuit? de
Ioan.3,29 quo & idem Ioannes dicit. Qui habet sponsam, sponsus est. Sed quia Ioannem homines Christum esse putauerunt, quod idem Ioannes negat, rectè se indignũ esse ad soluendam corrigiam eius calceamenti denuntiat. Ac si apertè dicat: Ego Redemptoris nostri vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immeritò non vsurpo. Quod tamen intelligi & aliter potest. Quis enim nesciat quòd calceamenta ex mortuis animalibus fiunt? Incarnatus verò Dominus veniens, quasi calceatus apparuit: quia in Diuinitate suâ morticina nostræ corruptionis assumpsit. Vnde etiam per
Psal.59,10 Prophetam dicit: In Idumæam extendam calceamentum meum. Per Idumæam quippe Gentilitas, per calceamentum verò assumpta mortalitas designatur. In Idumæam ergo Dominus calceamentum suum se extendere asserit; quia dum per carnem Gentibus innotuit, quasi calceata ad nos Diuinitas venit. Sed huius Incarnationis mysterium humanus oculus penetrare non sufficit. Inuestigari etenim nullatenus potest quomodo incarnatur Verbum; quomodo summus & viuificator Spiritus intra vterum matris animatur; quomodo is qui initium non habet, & existit, & cõcipitur. Corrigia ergo calceamenti, est ligatura mysterij. Ioannes igitur soluere corrigiã calceamenti eius non valet, quia Incarnationis eius mysterium nec ipse inuestigare sufficit, qui hoc per prophetiæ spiritum agnouit. Quid est ergo dicere, Nõ sum dignus soluere corrigiã calceamenti eius? nisi apertè & humiliter suam ignorantiã profiteri? Ac si patenter dicat: Quid mirum, si ille mihi prælatus est, quem post me quidem natum considero, sed natiuitatis eius mysterium non apprehendo? Ecce Ioannes prophetiæ spiritu impletus, mirâ scientiâ emicat, & tamen illud de se insinuat, quod ignorat. Quâ in re pensandum nobis est, & totâ intentione cogitandum, quomodo sancti viri, vt humilitatis in se virtutem custodiant, cùm quædam mirabiliter sciunt, illud ante mentis oculos student reuocare quod nesciunt: vt dum ex parte aliâ infirmitatem suam considerant, ex eâ parte quâ perfecti sunt, eorum se animus non extollat: scientia etenim virtus est, humilitas etiam custos virtutis. Restat ergo, vt in omni quod scit sese mens deprimat, ne quod virtus scientiæ congregat, ventus elationis spargat.

Corrigia calceamenti est ligatura mysterij incarnationis.

Ignorantia nostra semper nobis ob oculos mentis versari debet, ne propter scientiam extollamur.

IBIDEM. IPSE VOS BAPTIZABIT SPIRITV SANCTO, ET IGNI.] *Nota hinc, hæreticos Hermianos & Seleucianos, teste Augustino Hæresi 59. baptizasse suos non aquâ, sed igne. Origenes autem Hom. 24. in Lucam accipit* ignem purgatorij, *S. Hilarius* ignem iudicij, *Auctor Imperfecti* tribulationis: *sed optimè cũ Chrysostomo* S. HIERONYMVS *hîc*, Baptizabit, *inquit*, effusâ non aquâ, sed Spiritu sancto in vos, illoque siue eius gratiâ & charitate, tamquã igne vos illuminabit, purificabit, inflammabit, *tum in Pentecoste Actorũ 2,17. tum Baptismo Christi sacramentaliter, & visibiliter. Coniunctio enim* & *hîc est explicatiua, significans* id est, *vti & infrà cap. 13,41. & ad Colossenses 2,8. Exodi 4,12. Hinc patet contra hæreticos, alium fuisse baptismum Ioannis à Baptismo Christi. Primò, ex antithesi quâ S. Ioannes expressè futurum Baptisma Christi præfert suo. Secundò, quia ego, inquit,* baptizo vos aquâ *scilicet tantùm, Christus verò non tantùm aquâ, sed & Spiritu sancto. Tertiò, clarissimè id patet Actorum 19,3. & 4 & ex Tridentino sess. 7. Can. 1. & ita passim omnes Patres apud Bellarminum Controuersiã de Baptismo cap. 21.*

NVM. 28. *Aduerte hîc, meritò à S. Basilio praecaueri, ne quis loco Apostoli ad Rom. suprà citato in errorem inducatur, existimans Patris ac Spiritus sancti nomina in Baptismi collatione non necessariò exprimenda esse, vti quidam ex dicto Apostoli loco colligere volunt. Nam vt rectè hîc monet Basilius, Patris & Spiritus sancti nomina subintelligenda sunt: nec existimandum est, illa in ipsâ Baptismi collatione fuisse prætermissa; sed præsupponit illud Romanis ex vsu & praxi Ecclesiæ satis notum esse, & ab ijs sufficienter intelligi. Vnde non mirum est quòd Apostolus illa non expresserit, cùm ibi baptizandi formulã non præscribat, sed eos tantùm commonefaciat vt meminerint in cuius nomine baptizati sint, vt Christi nomine dignè viuant. Hinc patet, quàm infirmum sit argumentum illorum, qui ex hoc aut alio Scripturæ loco, vbi narratiuè aliqui dicuntur in Iesu aut Christi nomine baptizati esse, volunt inferre, hoc in solius Iesu aut Christi nomine factum esse. Nam dum hoc narratiuè dicitur, Patris ac Spiritus sancti nomina suppressa esse non insinuatur, sed id potiùs tamquam ex communi formulâ Baptismi notum præsupponitur. Vbi enim Christus Baptismi formam tradidit, Patris, Filij, & Spiritus sancti nomina disertè expressit, Matth 28,19. Vnde colligitur, illam esse essentialem ac immutabilem Baptismi formam, sine quâ numquam etiam ab Apostolis collatus sit, vti verior iam & communior fert Theologorum sententia, qui hac de re fusè disputant in Tertiam partem D. Thomæ ad quæst. 66. art. 6. Patres autem qui con-*

Baptismus in nomine Christi qualis.

trarium dicere videntur, vt Ambrosius qui D. Basilium citat, & alij, iuxta supradictam D. Basilij moderationem intelligendi sunt. Quando itaque dicuntur Apostoli baptizasse in nomine Iesu aut Christi, intellige primò id factum in auctoritate, virtute, & meritis Christi: secundo, in Baptismo à Christo instituto: tertiò, in nomine Christi, sed non solo: quartò, dicendo, in nomine Patris & Filij Iesu Christi, ista duo nomina addendo, ad expressiùs significandum, Iesum Christum esse Filium Dei, vt sic nomen Iesu & Christi celebrius redderetur; hoc enim faciebat ad honorem Christi, vt componeretur cum Patre & Spiritu sancto tamquam illis æqualis, & vnus cum ijs Deus.

Hoc præclarum Ioannis de Christo testimonium, à S. Ioanne Euangelistâ paulò fusiùs explicatum, commodum duxi hic adscribere, qui illud refert in hæc verba:

SVPPLEMENTVM EX S. IOANNIS CAP. I.

15. IOANNES testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.

a 1. Tim. 6, 17. 1 Ioan. 4, 12.

16. a Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ.

17. quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

b 1. Ioan. 4, 12. 1. Tim. 6, 16.

18. b Deum nemo vidit vmquam: vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.

ALEVINVS *in Catenâ D. Thomæ,* Ioannes, *inquit,* dixerat superiùs, fuisse missum hominem ad perhibendũ testimonium; hîc determinat testimonium suum, quod manifestè Præcursor prænuntiauit, dicens: Hic erat quem dixi, &c.

Prudenter Ioannes Iudæos paulatim ad Christi notitiam adducit.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 12. in Ioannem,* Obscurum, *inquit,* hoc & adhuc plenum humilitatis testimonium. Non enim dixit, Hic est filius Dei vnigenitus & dilectus; sed, Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat. Quemadmodum enim aues pullos suos neque euestigiò, neque vnâ dumtaxat die, totam volandi artem edocent; sed primò è nido paululùm educunt, deinde à volatu requiescere sinunt, & postridie ad volatum maiorem reuocant, ita paulatim exercendo ad naturalem eos efferunt altitudinem: ita beatus Ioannes non statim ad summa Iudæos erigit, sed primùm paululùm à terrâ eleuat, cùm Christum se meliorem testatur. Neque enim parum erat, quòd auditores primò Christum nondum cognitum, nondum miracula facientem, Ioanne viro tam admirabili, tam claro, ad quem omnes concurrebant, quem omnes Angelum arbitrabantur, meliorem crederent. Principio igitur hanc opinionem in auditorum animis confirmare conatus est, eo videlicet, qui testimonium perhiberet, eum de quo testimonium perhiberetur; & eo qui prior venit, eum qui posterior, & claro & nobili, nondum notum esse potiorem. Et aduerte testis sapientiam: non modò cognitum, sed priusquam nosceretur prædicat, (illa enim particula, Hic erat quem dixi, id significat;) vt faciliùs præsentis testimonium auditorum animis reciperetur; cùm iam exhibitis verbis illius notitiã habuissent, néve eos vile Christi vestimentum à credendo dehortaretur, sed facilè multitudinem in fide contineret. Nam si & verba hæc simul audissent, & Christum vidissent, Ioannis testimonium derisissent: sed cùm ante eius cognitionem, plura de ipso audierint, & in his confirmati fuerint, contrà euenit: siquidem eo viso non tantùm prædicationis eius doctrinam aspernati, sed Ioannis testimonio fidem adhibentes, etiam clariorem sunt arbitrati.

Quo sensu Christus post Ioannem venturus, ante eum factus.

Ad illud autem, QVI POST ME VENTVRVS EST, ANTE ME FACTVS EST, *ita benè* S. CYRILLVS *c. 29. in Ioannem:* Aliè, *inquit,* hic sermo legitur, & diligenti nimiùm indiget consideratione, paratus tamen tritusque sensus hic est: Præcessit Saluatoris natiuitatem Baptistæ natiuitas: sex enim integris mensibus (vt ab Euangelistâ Lucâ cap. 1. percipitur) Emmanuel posterior fuit. Id ergo significari hic putant: quia secundùm ætatem, qui post me venit, ante me factus est. Sed si quis ad altiora mentem extollit, primùm longè à proposito ad alienos sensus oratio trahitur: testis enim Baptista citatus est, non vt natiuitatis tempore modò posteriorem, modò priorem Christum affirmaret; verùm vt ille, qui quo modo Euangelista, sic etiam ipse Vnigeniti à Patre gloriam viderit gratiæ plenam ac veritatis. Nullo igitur spatio temporis oratio hæc accommodari potest. Nam etsi non negamus, post Baptistam natum esse Dominum secundùm carnem; præcedentibus tamen hic sensus nequaquam accommodatus, inconsequenter nimium dicitur. Deinde quod posterius re aliquâ tempore inuenitur, eamdem præcessisse tempore non potest. Magis igitur nobis placet ad rerum spiritualium conditionem, ab imagine ac similitudine rerum humanarum sermone capto, huius contextus sensum accommodare. Solet enim vulgò qui præcedit, posterioribus gloriosior semper videri: sicut qui fabrilem quamdam artem, aut quamuis aliam absoluitè tenuit, præcedit aut gloriosior eo est qui adhuc discens magistrum sequitur, & ad vlteriora continuò graditur. Qui tamen cùm magistrum suum cognitione artificij vicerit, non iniuriâ à superato poterit audire magistro, Qui post me venturus est, prior me factus est. Hac igitur imagine sensum huius orationis Saluatori & Baptistæ attribuens, rectè meâ quidem sententiâ intelliges. Mirabantur enim omnes Ioannem: multos ille vndique discipulos colligebat: magna turba hominum, qui baptizari ab illo volebant, quotidie confluebat. Christus verò illo præstantior ignorabatur: latebat verè ipsum Deum esse; & quia ignorabatur, multò posterior ac minor quàm Baptista videbatur. Maiorem enim honorem atque gloriam ab hominibus Baptista capiebat: sed qui post venturus erat, prior factus est, maior atque præstantior indies reputatus. Ab operibus enim ipsis Deus esse reuelabatur, cùm Ioannes hominis terminos non excedens, in posterioribus relictus sit. Ænigmaticè igitur beatus Baptista, Qui post me venturus est, inquit, prior me factus est: & qui

honore

honore me inferior erat, gloriosior factus est, & incomparabili præstantiâ idoneam mihi mensuram gloriæ superat. Hic certè sensus non frustrà nec extra propositum sumitur; sed ad superiora congruè consequenterque dicitur. Testis enim Vnigeniti gloriæ citatus, quia magna erat hominum de ipso opinio, cùm maiorem se Christum esse testatur, quid aliud quàm præcipuam ei gloriam attestatur? Cumque priùs factum esse dixerit, necessariò adiecit, Quia prior me erat, priscam & vetustissimam ei attribuens gloriam, quia prior omnibus non tempore sed naturâ, vt Deus est. Prior enim, inquit, me erat, hoc est, semper me superior, semper gloriosior erat, *&c.*

ET DE PLENITVDINE EIVS NOS OMNES ACCEPIMVS.] *Quinam illi sint omnes, sic explicat* D. THOMAS *ad hunc locum*: Omnes Apostoli, Patriarchæ, Prophetæ, iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam omnes Angeli: quia plenitudo gratiæ quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis. *Et 3. parte, quæst. 8. art. 4.* Corpus Ecclesiæ mysticum non solùm consistit ex hominibus, sed etiam ex Angelis: totius autem huius multitudinis Christus est caput, quia propinquiùs se habet ad Deum, & perfectiùs participat dona ipsius, non solùm quàm homines, sed etiam quàm Angeli, & de eius influentiâ non solùm homines accipiunt, sed etiam Angeli. *Et quæst. 7. art. 9.* Similiter etiam quantum ad virtutem gratiæ, plenè habuit Christus gratiam, quia habuit eam ad omnes operationes vel effectus gratiæ: & hoc ideò, quia conferebatur ei gratia tamquã cuidam vniuersali principio in genere habentium gratiam, virtus autem primi principij alicuius generis vniuersaliter se extendit ad omnes effectus illius generis.

Bono doctori duplex plenitudo necessaria. D. GREGORIVS *colligit ex his verbis, duplicem bono Doctori plenitudinem esse necessariam. Sic enim scribit in lib. 1. Reg. lib. 4. cap. 4.* Bonus Doctor, dum dulciter, quæ dicit, in deuotionem mentis accipit; se, & eos qui audiunt, simul pascit. Quo contrà Doctores reprobi: quia quæ dicunt, non amant; cùm alios verbo pascunt, ieiunant. Nam cùm animæ refectionem verbum Dei esse Dominus dixerit, verbum verò Dei in mente, plena sit eruditio, plena deuotio; verbo Dei non pascuntur, qui deuotè, quod loquuntur, non audiunt. Apostolus quidem quasi iam illâ verbi dulcedine repletus, ait: De plenitudine eius omnes accepimus. Alia est plenitudo verbi, alia libri. De plenitudine verbi accipere non nisi electi possunt; de plenitudine verò Scripturæ, possunt & reprobi.

Triplex gratia nobis data à Deo. D. BERNARDVS *verò Serm. 5. de Assumptione B. Mariæ, triplicem gratiam ex his eisdem verbis elicit.* Hæc est enim, *ait*, illa gratia quam nobis commendat B. Ioannes dicens: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ. Ex quibus scilicet verbis innuitur, quòd triplicem gratiam diuinitus accepimus: vnam, quâ conuertimur; aliam, quâ in tentationibus adiuuamur; tertiam, quâ probati remuneramur. Prima nos initiat, per quam vocamur; secunda prouehit, quâ iustificamur; tertia consummat, quâ glorificamur. Et prima quidem beneplacitum est, secunda meritum, tertia præmium. De primâ dictum: Et de plenitudine eius omnes accepimus. de duabus reliquis dictum est: Et gratiam pro gratiâ. id est, munera gloriæ æternæ, pro merito temporalis militiæ.

S. AVGVSTINVS *ad hunc locum Tractatu 3. rectè obseruat, non dictum esse,* Et de plenitudine eius nos omnes accepimus gratiam pro gratiâ. Sed sic ait, *inquit*, De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratiâ, id est, accepimus; vt nescio quid nos voluerit intelligere de plenitudine eius accepisse; & insuper gratiam pro gratiâ. Accepimus enim de plenitudine eius, primò gratiam, & rursus accepimus gratiam, gratiam pro gratiâ. Quam gratiam primò accepimus? Fidem. In fide ambulantes, in gratiâ ambulamus. Vnde enim hoc meruimus? quibus nostris præcedentibus meritis? Non se quisquam compalpet, redeat in conscientiam suam, quærat latebras cogitationum suarum. redeat ad seriem factorum suorum. Non attendat quid sit, si iam aliquid est; sed quid fuerit, vt esset aliquid: inueniet non se dignum fuisse, nisi supplicio. Si ergo supplicio dignus fuisti, & venit ille qui non peccata puniret, sed peccata donaret: gratia tibi data est, non merces reddita. Vnde vocatur gratia? quia gratis datur. non enim præcedentibus meritis emisti quod accepisti. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, vt eius peccata dimitterentur. Quid meruit? Interroget Iustitiam; inuenit pœnam: interroget Misericordiam; inuenit gratiam. Sed hoc promiserat Deus per Prophetas: itaque cùm venit dare quod promiserat, non solùm gratiam dedit, sed & veritatem. Quomodo exhibita est veritas? quia factum est quod promissum est. Quid est ergo, gratiam pro gratiâ? Fide promeremur Deum: & qui digni non eramus quibus peccata dimitterentur, ex eo quia tantum donum indigni accepimus, gratia vocatur. Quid est gratia? Gratis data. Quid est gratis data? donata, non reddita. Si debebatur, merces reddita est, non gratia donata. Si autem verè debebatur, bonus fuisti: si autem, non merito tuo, vt verum est, malus fuisti, credidisti autem in eum qui iustificat impium. Rom. 4, 5. Quid est, qui iustificat impium? Ex impio facit pium. Cogita quid per legem imminere debebat, & quid per gratiam consecutus sis. Consecutus autem istam gratiam fidei, eris iustus ex fide. Iustus Rom. 1, 17 enim ex fide viuit; & promereberis Deum viuendo ex fide: cùm promerueris Deum viuendo ex fide, accipis præmium immortalitatem, & vitam æternam. Et illa gratia est. Nam pro quo merito accipis vitam æternã? pro gratiâ. Si enim ipsa fides gratia est, & vita æterna quasi merces est fidei; videtur quidem Deus vitam æternam tamquam debitam reddere. Cui debitam? fideli, quia promeruit illam per fidem? Sed quia ipsa fides gratia est, & vita æterna gratia est pro gratiâ, *&c. Et paulò pòst ita concludit:* Ergo, fratres, omnes de plenitudine eius accepimus. De plenitudine misericordiæ eius, de abundantiâ bonitatis eius accepimus. Quid? Remissionem peccatorum, vt iustificaremur ex fide. Et insuper quid? Gratiam pro gratiâ, id est, pro hac gratiâ, in quâ ex fide viuimus, recepturi sumus aliam. Quid tamen nisi gratiam? Nam si dixero, quia & hoc debetur, aliquid mihi assigno quasi cui debebatur. Coronat autem in nobis Deus dona misericordiæ suæ; sed si in eâ gratiâ quam primam accepimus, perseueranter ambulemus.

Quidquid habemus id est ex gratiâ, quia nil nobis debetur, nisi pœna.

Et paulò pòst subiungit: Non erat ista gratia in veteri Testamento: quia lex minabatur, non opitulabatur; iubebat, non sanabat; languorẽ ostendebat, non auferebat: sed illi præparabat medico venturo cum gratiâ & veritate, tamquam ad aliquem quem

Lex ostendebat, non curabat vulnera.

quem curare vult Medicus, mittat primū seruum suum vt ligatum illum inueniat. Sanus non erat, sanari nolebat: & ne sanaretur, sanum se esse iactabat. Missa lex est, ligauit eum: inuenit se reum, iam clamat de ligaturâ. Venit Dominus, curat amaris aliquantùm & acribus medicamentis. Dicit enim ægroto, Fero: dicit, Tolera: dicit, Noli diligere mundum, habeto patientiam, curet te ignis continentiæ, ferrum persecutionum tolerent vulnera tua. Expauescebas quamuis ligatus: liber ille & non ligatus bibit quod tibi dabat: prior passus est vt te consolaretur, tanquam dicens, Quod times pati pro te, prior patior pro te. Hæc est gratia, & magna gratia.

Quomodo autem Deus hic à Ioanne negetur ab vllo visus, alibi autem dicatur quòd aliqui viderint Deum facie ad faciem, pulchrè discutit & soluit idem S. AVGVSTINVS *Tom. 4 in Quæstionibus vtriusque Testamenti, quæst. 71 dicens:* Quid est quòd Iacob appellatus est homo videns Deū, & Moyses vidit Deum facie ad faciem; nec non & Isaias, Vidi, inquit, Deum sabaoth oculis meis. Contrà autem Ioannes Euangelista, Deum, inquit, nemo vidit vmquam? Hoc, quantum videtur, contrarium est; quantum ad fidem verò pertinet, Deum omnino nemo vidit vmquam, neque Patrem, neque Filium. Quòd enim visus dicitur, ad intelligentiam refertur. Visus est enim velut in imagine. Veluti nos cùm Imperatores nesciamus, videmus eos in figurâ, non in veritate. ita & Deus visus est, vt intelligeretur Deus esse qui apparebat per rationem, non per substantiam. quia in naturâ suâ Deus videri non potest. Animaduertamus sensum Euangelistæ: vt enim verum esse, quia nemo Deum vidit vmquam, ostenderet, Filium hoc enarrasse docet, quem falli vtique impossibile est, quia in sinu Patris est. Sinus autem Patris quid est, nisi affectus in charitate veri Patris per naturæ vnitatem in Filiū? Quamobrem nemo vidit Deum, nisi vnicus Filius. Hoc Ioannes Apostolus Filium Dei audiuit dicentem inter alia: Non quia Patrem vidit quisquam, nisi qui est à Deo, hic vidit Patrem. Vt ergo ad condemnationem proficeret Iudæorum, qui Christum Dei Filium audire nolebant vel credere, ostendit Euangelista hunc esse Christum qui Patribus apparuisset in Deum: illum autem qui Pater est, numquam videri nisi à Filio. Quando enim Deum Patrem negat visum, & Deum apparuisse Patribus profitetur; manifestare se vult Dei Filius, quia ipse semper in Deum visus à Patribus est. Vnde inter cetera dicit Iudæis de Patre: Neque vocem eius audistis aliquando, neque figuram eius vidistis. Ecce non est contrarium, & visum & inuisum esse Deum.

Quomodo Deus visus & non visus sit.
Gen. 32, 30
Exo. 33, 11
Isa. 6, 1.
Ioan. 1, 18.
Ioan. 5, 37.

VERS. 19. Et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum: Tu quis es?

20. Et confessus est, & non negauit: & confessus est. Quia non sum ego Christus.

21. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

22. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso?

23. Ait: "Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Isa. 40, 3. Matth. 3, 3 Marc. 1, 3. Luc. 3, 4.

24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.

25. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta?

26. Respondit eis Ioannes, dicens: "Ego baptizo in aquâ: medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis. Mat. 3, 11 Marc. 1, 7.

27. "Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est: cuius ego non sum dignus vt soluam eius corrigiam calceamenti. Luc. 3, 16 Act. 13, 25. & 1. 16. 19. 4.

28. Hæc in Bethaniâ facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *Hom. 15. in Ioannem*, Mittunt, *inquit*, ad eum, vt per adulationem ipsum alliciant ad confitendum se Christum esse. Quamobrem non abiectos & infimæ sortis homines mittunt, quemadmodum ad Christum cùm vellent eum capere in sermone. Tunc enim seruos, & iterùm Herodianos destinarunt, nunc autem Sacerdotes & Leuitas: nec quoslibet Sacerdotes, sed ab Ierosolymis, hoc est maioris auctoritatis & omnium. Non enim temerè hoc significauit Euangelista. Et mittunt vt interrogarent eum, Tu quis es? Et profectò natales eius adeò celebres erant, vt vulgò diceretur: Quis, putas, puer iste erit? Et super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Et cùm iterùm Iordanem petisset, omnes ad eum ciuitates aduolabant, & ex Ierosolymis, & ex omni Iudæâ ad Ioannem, vt baptizarētur, concurrebant. Quid igitur interrogant? Non quòd ignorarent; satis enim superque cognoscebatur, neque vllo pacto poterat ignorari: sed eâ quam paulò antè diximus ratione, quò eum adducerent, vt se Christum esse confiteretur. Audi ergo quomodo B. Ioannes non verbis, sed animo quo illi percontabantur, respondet. Nam cùm dixissent, Tu quis es? Non respondit continuò quod rectà erat respondendum, Ego vox clamantis, *&c.* sed eorum primùm suspicionem amouit. Interrogatus enim, inquit, Tu quis es? confessus est, & non negauit, confessus est, quia non sum ego Christus. Vbi animaduerte Euangelistæ sapientiā. Tertiùm idem dicit, vt & Baptistæ virtutem, & Iudæorum malitiam atque stultitiam demonstret. Hoc frugi serui officium est, non solùm Domini sui gloriam non aucupari, sed & à multitudine tributam propulsare.

Pharisæorū ad Ioannem legatio.
Matth. 22, 16.
Luc. 1, 66.

S. BERNARDVS *lib. 2. De Consideratione*, A te, *inquit*, tua consideratio inchoet, ne frustrà extendaris in alia te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quan-

Sui cognitio semper habenda, & in omnibus retinenda.
Mat. 16, 26

Quantum verò? vt quidem senserim ego, totum. Noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cæli, profunda maris: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento; ruinam, non structuram faciens. Quidquid castruxeris extra te, erit instar congesti pulueris, ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. Sapiens, sibi sapiens erit; & bibet de fonte putei sui primus ipse. A te proinde incipiat tua consideratio: non solùm autem, sed & in te finiatur. Quocumque euagetur, ad te reuocaueris eam cum salutis fructu. Tu primus tibi, tu vltimus. Sume exemplum de summo omnium Patre, Verbū suum & emittente, & retinente. Verbum tuum, consideratio tua. Quòd si procedat, non recedat. Sic progrediatur, vt non egrediatur. Sic exeat, vt non deserat. In acquisitione salutis, nemo tibi germanior vnico matris tuæ. Contra salutem propriam cogites nihil. Minus dixi, contra; præter, dixisse debueram. Quidquid se considerationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum. Et hæc tui consideratio in tria quædam diuiditur, si consideres, quid, quis, & qualis sis. Quid in naturâ, quis in personâ, qualis in moribus, *&c. In hac vtique sui ipsius consideratione apprime versatus S. Ioannes, tam humiliter de se sensit, tamque sublime de Christo testimonium præbuit, vti pulchre ostendit* S. AVGVSTINVS *Sermone 23. de Sanctis, in hac verba:*

S. Ioannes quam perhibuit testimonium veritati, veritas mansit in eo.

Quid enim est maius testimonium veritatis, quàm se humiliando eum agnoscere, cui æmulando potuit inuidere? Putari Christus potuit, & noluit: existimari Christus potuit, & noluit. Dixerunt homines, cùm fallerentur in eo, Num fortè hic est Christus? Respondit ille quod non erat, vt maneret quod erat. Inde quippe Adam lapsus perdidit quod erat, quia quòd non erat vsurpauit. Recolebat hoc iste magnus, sed in paruo Christo minimus. Nouerat hoc, recolebat hoc, & tenebat; quia recipere, quod perdiderat, cogitabat. Homo ergo iste, vt dixi, magnus Ioannes, cui Dominus tale perhibuit testimonium, quem sic Veritas
Mat. 11, 11 commendauit, vt diceret, In natis mulierum non surrexit maior Ioanne Baptistâ. Potuit credi Christus: imò iam ab eis, qui eius magnitudinis gratiâ fallebantur, credebatur Christus, ita vt in illo morerentur, nisi ab illo confitente corrigerentur. Respondit ergo putantibus, & ait: Non sum ego Christus. tamquam diceret: Certè in honorem meum ita fallimini, & certè mihi hoc putando magnam additis laudem; sed debeo cognoscere, vt vobis errantibus ille possit ignoscere. Si enim quod non erat, fallaciter putaretur, ab illo qui erat veraciter, amputaretur. *Cætera de testimonio quod reddebat de seipso, quod nimirum esset vox clamantis in deserto &c. superiùs explicata sunt.*

Subiungit hic S. Ioannes Euangelista quartum Baptistæ de Christo testimonium.

VERS. 29. Alterâ die vidit Ioannes Iesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.

30. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat.

31. & ego nesciebam eum, sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aquâ baptizans.

SANCTVS HIERONYMVS *in caput 53. Isaiæ*, Christus, *inquit*, agnus est, in cuius typo immolabatur agnus, cuius cruor linitus in postibus, exterminatorem fugabat Ægypti. Qui non solùm sanguine suo nos redemit, sed & lanis operuit; vt algentes infidelitate, suâ veste calefaceret, & audiremus Apostolum nobis loquentem, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. & in alio loco: Induimini Dominum Iesum Christum.

Christus cur agnus dictus. Gal. 3, 27. Rom. 13, 14.

ORIGENES *in aureâ Catenâ ad hunc locum, citatus ex Tomo 9. in Ioannem*, Cùm quinque, *inquit*, offerantur animalia in templo, tria terrestria, vitulus, ouis, & capra; volatilia verò duo, turtur & columba; & de ouibus tria adducantur, aries, ouis, agnus, de genere ouium agnum memorauit. Agnum enim in oblationibus quotidianis offerri videmus, vnum quidem manè, alterum verò vesperè. Quænam autem oblatio alia potest esse quotidiana à rationali naturâ comprehendenda, nisi Verbum viuens, agnus typicè nuncupatum? Hoc nempe censebitur oblatio matutina, ad frequentiam intellectus in diuinis relatum. Neque enim anima pati potest vt summis iugiter insistat, eò quòd corporis terrestris & grauis coniugium est sortita. Ex hoc etiam Verbo, quod Christus est, coniectare de pluribus poterimus, & quodammodò vespere pertingemus ad corporalia pertingentes. Qui autem hunc obtulit agnum ad immolandum, Deus fuit in homine reconditus. Magnus Sacerdos, qui dixit, Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam. Vnde dicitur Agnus Dei. Ipse enim nostros languores accipiens, totius mundi tollens peccata, mortem quasi baptismum suscepit. Apud Deum enim non pertransit incorrectum, quidquid agimus quod disciplinâ indigeat, quæ per difficilia exercetur.

Christus agnus & Sacerdos.

THEOPHYLACTVS *ad hunc locum ibidem*: Vel dicitur Christus agnus Dei, in quantum Deus Pater mortem Christi acceptauit pro nostrâ salute, vel in quantum eum pro nobis tradidit morti. Sicut enim dicere consueuimus, Hæc oblatio est talis hominis, id est, quam talis homo obtulit; sic & Christus dicitur Agnus Dei, dans scilicet filium suum pro nostrâ salute in mortem. Et ille quidem agnus typicus nullius omnino peccatum sustulit, hic verò peccatum vniuersi orbis terrarum: periclitantem enim mundum eruit ab irâ Dei. Vnde subdit, Ecce qui tollit peccata mundi. Non autem dixit, qui tollet, sed qui tollit peccata mundi; quasi semper hoc faciente ipso. Non enim tunc solùm tulit cùm passus est, sed ex illo tempore vsque ad præsens tollit. Non semper crucifixus: vnam enim pro peccatis obtulit oblationem, sed semper purgans per illam.

CHRYSOSTOMVS *Hom. 16. in Ioannem, ad illud*, Et ego nesciebam eum, *ait*: Vt autem non videatur ex amicitiâ propter cognationem ei testimonium perhibere, quia cognatus est secundùm carnem; propterea dicit, Ego nesciebam eum: & secundùm rationem hoc contigit. Etenim in deserto conuersatus est Ioannes: miracula verò quæcumque Christo puero existente facta sunt, puta quæ circa Magos, & similia, ante multum contigerant tempus,

Quomodo Christus Ioanni incognitus.

Ioanne & ipso valdè puero existente. In medio verò tempore ignotus omnibus existebat, propter quod subdit, Sed vt manifestetur in Israel, &c.

Ad textum nunc S. Lucæ reuertamur, qui Historiam Euangelicam ceteris iterum clarius prosequitur.

VERS. 17. Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum: paleas autem comburet igni inextinguibili.

BASILIVS in Reg. breuior. Interr. 257. *Qui sint palea.*

30. QVINAM autem sunt palea, quæ inextincto igne comburitur? Ij, qui quidem vtiles sunt ijs qui digni sunt regno cælorum, sicut palea tritico; verùm non id amoris diuini proximíve intuitu faciũt, siue in spiritualibus donis, siue in corporalibus beneficijs, & sic seipsos deserũt imperfectos.

COSMAS ARCHIEP.

31. Agricola hic & opifex, medius stans tamquam vnus omnium corda ingreditur, purgatiuum verò ventilabrum manu tenet.

ORIGENES. *Ventus triticum, tentatio hominem discernit.*

32. Desidero etiam videre quo modo Dominus noster Iesus habeat ventilabrum, & quo vento flante, ac illo quidem vehementi (nam in tranquillitate inutile est ventilabrum) palea quidẽ rapiatur ad proprium locum, triticum verò ventum superans deferatur ad suum. Ac vide num fortè tentationes, quæ paleas segregant, ventus sint qui triticum quod (verè) triticum sit demonstrat. Non enim ventus, id est tentatio, cùm aliquem vincit, paleam ipsum efficit, hoc est leuem, aut infidelem; sed talem existentem arguit. Et si tentationem quis sustineat, tentatio non illius fidelem fecit & tolerantem, sed latentem in illo tolerantiæ virtutem patefecit.

VERS. 18. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

ᵃ Matth. 14,3. Marc. 6,17

19. ᵃ Herodes autem tetrarcha, cùm corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis quæ fecit Herodes,

20. adiecit & hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcere.

ᵇ Matth. 3,13. Marc. 1,9. Ioan. 1,32.

21. ᵇ Factum est autem cùm baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante, apertum est cælum:

22. & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, & vox de cælo facta est: ᶜ Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

ᶜ Matth. 3,17. 17,5. Inf. 9,35. 2. Pet. 1,9.

CLEMENS *Spiritus sanctus cur in specie columbæ.*

33. NON hic hominis sed columbæ similitudinem Deus assumpsit; quia volebat nouâ quadam apparitione Spiritus, per columbæ similitudinem, simplicitatem ac mansuetudinem declarare.

ATHANASIVS Orat. 2. in Arian.

34. Spiritus sancti autem super Christum in Iordane descensus ad nos factus est, quòd nempe corpus ipse nostrum gestaret: & non ad emendationem Verbi, sed ad nostram sanctificationẽ id accidit, vt ipsius vnctionis participes efficeremur, ac de nobis diceretur illud, Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Domino enim instar hominis in Iordane loto, nos in ipso & ab ipso lauabamur. Quin & ipso Spiritum suscipiente, illius nos per ipsum reddebamur capaces. Ideircò non sicut Aaron aut Dauid, ceteríve [communi] vnctus est oleo, sed oleo præ cunctis participibus suis, oleo exultationis, quod est Spiritus. Sed quando vnctus est Spiritu, nisi, quando in carne existens, in Iordane baptizabatur, ac Spiritus super ipsum descendebat? Etenim ipsemet Dominus ait, Quia Spiritus de meo accipiet, & ego mittam illum. & discipulis: Accipite Spiritum sanctum; vt nosceremus, de plenitudine Diuinitatis ipsius datum esse Spiritum discipulis. In Christo, enim inquit, inhabitat (hoc est, in carne ipsius) omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter. Formâ enim corporali, hoc est instar columbę, visus est Spiritus sanctus descendere ac manere super ipsum. In nobis namque primitiæ ac pignus Diuinitatis inhabitat, in Christo verò omnis plenitudo Diuinitatis. Et ne arbitreris quòd illius expers ipsum acceperit, ipsemet ab alto demisit illum, in quantum Deus; atque eumdem ipse in terrâ suscepit, in quantum homo. Ab eodem itaque in eumdem descendit, ex Diuinitate (scilicet) ipsius in humanitatem eius. Vnde igitur qui alios sanctificat vt Verbum ac splendor Patris, nunc dicitur ipse sanctificari? Postquam homo factus est, etiam corpus ipsius sanctificatum fuit. Ex illo igitur & nos cœpimus hoc vnguentum ac sigillum accipere, dicente Ioanne: Et vos vnctionem habetis à sancto; ac Paulo, Et vos signati estis Spiritu promissionis sancto. Ad nos itaque quæ dicta sunt, spectant. Cùm enim ipse secundùm humanitatem vngi dicitur, nos ipsi in illo vngimur; cumque baptizatur, nos ipsi baptizamur in illo.

1. Cor. 3,16 — *Nos in Christo baptizati sumus.* — Heb. 1,9. — Ioan. 16,14. — Ioan. 20,22. — Col. 2,9. *In Christo erat Spiritus plenitudo.* — 1. Ioan. 2,20. — Ephes. 1,13.

IGNATIVS

35. Natus est ac baptizatus, vt mortalitas nostra purgaretur.

CHRYSOSTOMVS

36. Lauacrum illud continebat aliquid antiqui, & continebat aliquid noui. A Prophetâ enim baptizari ostendebat antiquum, Spiritum verò descendere, nouũ indicabat.

ISIDORVS l. 1. ep. 67.

37. SS. Trinitas in Iordane apparuit in proprijs personis agnoscenda. Nam cùm Filius baptizaretur, Pater testimonium dedit,

&

& Spiritus ſanctus deuolans eum qui baptizabatur, eiuſdem ſecum ac cum Patre ſubſtantiæ eſſe oſtendebar.

CHRYSOSTOMVS. *Cur Christus baptizatus.* 38. Quanam autem de causâ Christus baptizetur, & quo Baptiſmate, dicendum reſtat. Non primo illo Iudaico, neque noſtro quod poſterius eſt: quia nec indulgentiâ peccatorum egebat (quippe qui nullum peccatum commiſerat;) nec illa caro expers erat Spiritus ſancti, vtpote quæ per Spiritum ſanctum ab ipſo principio concepta fuit. Quonam ergo [Baptiſmo] baptizatus eſt? Non Iudaico, nec noſtro, ſed Ioãnis. Quam ob cauſam? vt nempe ex ipsâ Baptiſmi naturâ diſcamus, quòd nec propter peccatum baptizatus ſit, nec tamquam indigens erogatione Spiritus, quorum vtroque hoc baptiſma carebat. Audi quàm hoc ipſum rectè

Matth. 3, 14. Ioannes docuerit. Ego, inquit, à te debeo baptizari, & tu venis ad me. Hoc autem dicebat, vt illum non ob eamdem cum ceteris indigentiam ad ſe accedere declararet; ſed tantum abeſſe vt baptiſmo egeat, quin & ipſomet Baptiſtâ maiorem eſſe, ac ſine comparatione puriorem. Cuius ergo gratiâ baptizatus fuerit, ſi neque in pœnitẽtiâ, neque in remiſſione, neque ad Spiritus adeptionem id fecerit? *Cur & quo baptiſmo Christus baptizatus.* Duas vtique alias ob cauſas, quarum vnam quidem diſcipulus, alteram verò ipſe Ioanni attulit. Quam igitur dicit Ioannes cauſam eſſe baptiſmatis huius? vt nempe multis innoteſcat, quemadmodum &

Act. 13, 14 ipſe Paulus dixit, quoniam Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, in eum qui venturus erat poſt ipſum, vt crederent. Hoc erat baptiſmatis inſtitutum. Singulorum ſiquidem ædes circuire, & ad fores accedentem foras euocare ac dicere, quòd qui Christum continet ille ſit filius Dei, ſuſpectum vtique feciſſet teſtimonium, ac valdè operoſum fuiſſet: captum autem in ſynagogam venire, atque ipſum demonſtrare, rurſus ſimiliter ſuſpectum reddidiſſet teſtimonium. Populo verò vniuerſo ex ſingulis ciuitatibus effuſo propter Iordanem ac littora eius commorante, venientem etiã ipſum ad baptiſmum accepiſſe de ſurſum commendationem per vocem Patris, ac ſuperinſertionem Spiritus in ſpecie columbæ, Ioannis de ipſo teſtimonium omni ſuſpicione vacare fecit.

IDEM. *Christus vt omnem iuſtitiam impleuerit.* 39. Cùm itaque Deo obtemperare iuſtitiâ ſit, Deus autem miſerit Ioannem vt baptizaret populum, poſt cetera omnia legalia hoc quoque Christus adimpleuit. Conſtituta autem erant ducenta denaria ſeu legis præcepta. debitum hoc ſoluendum erat generi humano. Quod cùm non poſſet perſoluere, mors nos comprebendit criminis iſtiuſce reos. Christus verò ad nos veniens, ac reperiens ſubiugatos, æs alienum perſoluit, debitumque noſtrum adimpleuit, & exemit eos qui non erant ſoluendo. Quamobrem non dixit, decet nos Facere, ſed, Implere omnem iuſtitiam. quaſi dicat, Decet me Dominum locupletem pro egentibus ſoluere. Hæc itaque cauſa baptiſmatis erat, vt cerneretur legem omnem implere, & vt anteà dictum fuit, idcircò quoque Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit. Columba enim Dei reconciliatio eſt. Matth. 3, 15.

IDEM. 40. Ceterùm cùm poſt baptiſma illud legem eſſet ſoluturus, idcircò in hanc vſque ætatem, quæ omnium peccatorum capax eſt, expectat adimplens vniuerſa, ne quis dicat, eum idcircò legem ſoluiſſe, eò quòd nequiuiſſet illam adimplere. Neque enim ſemper omnes nobis ingruunt paſſiones.

SEVERVS. *Cur Christus trigeſimo anno baptizatus.* 41. Ad hæc propterea trigeſimo anno ad baptiſmum accedit, vt oſtendat, ſpiritalem regenerationem perfectos ætate viros procreare. Enimuerò primus quoque homo perfectus eſt formatus, ac ſtatim in paradiſo collocatus, & tamquam perfectus mandatum accepit, ac cultura ipſi cuſtodiaque paradiſi commiſſa fuere. Iuuentus ſiquidem & incrementum ætatis poſt eiectionem è paradiſo, fluxam commixtionem, ac natiuitatem vitamque corruptam ſubſecuta ſunt.

NYSSENVS. *Christus quot modis primogenitus.* 42. Cùm quidem tres in nobis ſint natiuitates per quas humana viuificatur natura; vna quidem corporis, altera verò myſterij regenerationis, alia denique ſperatæ rurſum ex mortuis reſurrectionis: in tribus hiſce Dominus exiſtit primogenitus. Duplicis ſiquidem regenerationis, quæ per vtraque fiunt, per Baptiſmum inquam ac reſurrectionem, anteſignatus fuit. Primogenitus autem in carne primus ac ſolus extitit, quatenus ignotum naturæ fetum per ſemetipſum de virginitate produxit; quod nullus inter tot generationes hominum explicare potuit. Primogenitus quoque ex mortuis eſt, quippe qui primus per ſe parturigines mortis ſoluit, vt omnibus ad partum reſurrectioni viam ſterneret. In [multis] rurſum fratribus primogenitus eſt, vtpote qui nouæ regenerationis partu progenitus in aquâ illâ, cuius parturidini columba aduolans obſtetricata fuit, per quam etiam ſui comparticipes, conſimilis quoque generationis fratres ſibi adſciſcit, ac primogenitus inter illos exiſtit, qui poſt ipſum ex aquâ & ſpiritu renaſcuntur.

ANNOTATIONES.

CORPORALI SPECIE SICVT COLVMBA.] *S. Anſelmus & D. Thomas p. 3. q. 66. a. 7. putant fuiſſe veram columbam. Sed contrarium eſt probabilius. Primò, quia omnes Euangeliſtæ dicunt fuiſſe ὡς Cõ-me-* VERS. 22

περιστερὰν, quasi columbam; ergo similitudo erat columbæ, non veritas. Secundo, quia simili modo aperti sunt cæli, nec opus hic erat verâ columbâ. Adde, quod ita doceant S. Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. S. Augustinus epist. 102. Abulensis quæst. 84. & 85. Lyranus, Caietanus, & alij recentiores, & innuunt S. Chrysostomus in Matth. 3. Theophylactus, & alij. Obserua tamen, fuisse verum corpus, habens speciem columbæ, vt docet S. Augustinus lib. de Agone Christiano, cap. 22. non assumptum hypostaticè à Spiritu sancto sicut humanitas à verbo, vti videtur censuisse Tertullianus lib. de Carne Christi cap. 3. sed tantùm Spiritus sancti index & symbolum Est enim columba mansuetissima, simplicissima, innocentissima, & zelotypum animal. Hanc autem mansuetudinem, innocentiam charitatemque Spiritus sancti animæ Christi iam inde ab instanti conceptionis eius perfectissimè indiderat, iamque tantùm externo signo quod pridem factum fuerat, significabat, ac publicè declarat impletam esse prophetiam Isaiæ de Messiâ cap. 11. v. 1. dicentis: Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. *Vnde etiam columba reconciliationis & reparationis mundi symbolum fuit, Genesεos 8. v. 12. Alias causas vide apud D. Thomam 3. qu. 66. art. 6. & Scholasticos ibidem.*

NVM. 38. Quanam autem de causâ Christus baptizetur, &c.] *Hic quærit Chrysostomus. Possent autem huius rei congruentiæ facilè assignari sex. Prima, vt turbis ad baptismum confluentibus, Ioannes Messiam ostenderet, & ad Baptismum Christi viam sterneret, vt patet suprà v. 11. & Ioan 1. v. 31. Secunda, vt Christus daret exemplum perfectæ humilitatis & iustitiæ, vt est vers. 15. Tertia, vt Christus S. Ioanni auctoritatem adderet. Quarta, vt hac ratione Pater & Spiritus sanctus Christo testimonium darent. ita Isidorus hic num. 37. Quinta, vt Christus ad Baptismum suum omnes alliceret, & fructum eius ostenderet Spiritus sancti donationem. ibidem. Sexta, vt sicut Abraham olim circumcisionem, ita Christus nouæ Ecclesiæ nouam tesseram, scilicet Baptismum daret, eaque primus quasi initiaretur. Quare probabile est, Christum instituisse hic Sacramentũ Baptismi, non verbis, sed ipso facto. quæ etiã est sententia D. Thomæ p. 3. q. 60 a. 2. Vnde hic apparuit sanctissima Trinitas, scilicet Pater in voce, Spiritus sanctus in specie columbæ, & Filius in Iordane, vt significaretur fides SS. Trinitatis iam esse explicanda & eius nomine conferendum Baptisma. Hinc etiam S. Chrysostomus hic, & S. Augustinus Serm. 36. & 37. de Apostolis, Nazianzenus in Oratione in S. Natiuitatem, & passim alij docent, Christum hic suo Baptismo aquam sanctificasse, & contactu corporis sui vim regeneratiuam indidisse, non quasi dederit illis physicam aliquam qualitatem, sed moralem: quia scilicet tunc illo facto ex intentione Christi deputatæ sunt aquæ ad sanctificandum, instituto in eis Baptismo.*

IBIDEM INFRA: Ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι.] *Scilicet spiritualiter, & ablui a leuibus peccatis, & Spiritu Christi perfici. Non significatur hic vllum debitum præcepti ad suscipiendum Baptisma Christi. Illud enim præceptum tantùm post mortem Ioannis imò & Christi obligauit in Pentecoste, vt docent Theologi. Hinc tamen SS. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius colligunt, S. Ioannem posteà a Christo fuisse baptizatum. S. Euodius successor D. Petri in Cathedrâ Antiochenâ, in Epistolâ quæ inscribitur Τὸ φῶς, &c. teste Nicephoro l. 2. c. 3. ait, Christum ex mulieribus solam B. Virginem, ex viris B. Petrum baptizasse: quod Petrus verò baptizarit Andream, Iacobum, & Ioannem, & hi reliquos.*

VERS. 23. Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat,

24. qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph,

25. qui fuit Mathathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge,

26. qui fuit Mahath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda,

27. qui fuit Ioanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,

28. qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her,

29. qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorã, qui fuit Mathat, qui fuit Leui,

30. qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliakim,

31. qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid,

32. qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,

33. qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ,

34. qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor,

35. qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale,

36. qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech,

37. qui fuit Mathusale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan,

38. qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

43. Con-

Epiphanius cont. Ebionem.

43. CONFVNDATVR impius ille Ebion, dicens, ex affrictu ac viri semine, hoc est Iosepho, Christum esse prognatum, eò quòd in personâ Mariæ dicat Lucas, Quia ego & pater tuus dolenres quærebamus te. Ecce enim iterùm idem Euangelista demonstrat, quòd Ioseph Christo vice patris esset, non autem secundùm naturam illius pater existeret. Dum enim dicit, qui erat filius Ioseph, vt putabatur; ostendit ipsum noo esse eius filium, sed [taorùm pro eo] habitum fuisse.

Christus putatus filius Ioseph.

Chrysostomus in Epist. ad Rom. c. 16. Hom. 31.

44. Multos etiam valdè diligentes partem hancce Euangelij prætercurrere existimo, tamquam superuacaneã, & nihil magni continentem. Cùm enim nominum sit catalogus, nihil magni putant se hinc luerari. Et aurifusorum quidem pueri etiam minutissima fragmenta curiosè conquirunt: hi verò tantas auri massas prætereunt. Ne itaque illud ipsum nobis eueniat, conabimur eumdem hunc locũ perscrutari. Licet enim in nudis istis nominibus magnum reperire thesaurum. Si igitur didiceris vnde Abraham, vnde Sara, vnde Israel, vnde alia oomina deducta sint, plurimarũ quoque hinc rerum historiam inuenies. Diligens siquidem exinde ditescit, ignauus verò nec ex maximè quidem perspicuis lucrum facit. Etenim Adami nomen oon paruam nos docet philosophiam, vti & filij eius, & vxoris, & aliorum complurium. Nomina enim multarum monumenta sunt rerum, cùm etiam beneficiorum Dei, rum benedictionum quoque mulieribus collatarum indicia. Cùm enim prolem conciperent, à [diuino] munere illam nominabant. Verùm aliqui vsque adeò hebetes sunt & ignaui, vt noo dumtaxat nomina, sed integros libros superuacaneos esse censeant, vt Leuiticum, Iosue, atque alios plures. Sic & verus Testamentum multi indocti reiecerunt, ac semitis deprauatæ illius consuetudinis insistenres, etiam mulra noui Testamenti loca mutilarunt. Verùm ebriosos hosce oon magnopere curamus.

Nomina propria magna continent mysteria.

Nazianzenus carmine de Christi genealogia.

Cur aliam Lucas aliã Matthæus texat genealogiam.

45. Quæret hîc nonnemo, vnde quidem Matthæus hanc, aliam verò Lucas genealogiam Biblijs inseruerit, Christum à primi parentis sanguine deducentes: quomodo quidem ille plures, hic verò pauciores recensuerit. Siquidem ad Dauidem vsque Regem, vtrique Euangelistæ fluxus generationis indiuisus est: post Dauidem verò bifariàm diuiditur; sed rursus in Christo tamquam in mari quodam denuò congregarur atque coniungitur. Quænam igitur sit causa diuersitatis genealogiæ, ac mutationis nominum, hic decernemus. Salomon & Nathan ambo filij sunt Dauidis. Ducebat autem ille quidem Regium sanguinem, hic verò sacerdotalem. Christus autem vtrumque erat, Rex simul ac summus Sacerdos. Quamobrem Matthæus quidem à Salomone ipsum deducit, vt Regem, Lucas verò à Nathan vt summum Sacerdotem. Ex duabus autem hisce generationibus, ex vnâ quidem maior, ex alterâ verò contractior riuus exijt: adeóque minimè mirum est numerum nominum non esse æqualem.

Idem.

46. Matthan à Salomone genuit Iacob. Mortuo Matthano, Melchi ex eâdem vxore genuit Heli. Heli itaque & Iacob, ex eâdem matre vterini erant fratres. Heli cùm sine prole moreretur, Iacob suscitauit ipsi semen, generans Ioseph, naturâ quidem suum, secundùm legem verò Heli. Et sic Ioseph vtriusque erat filius.

Evstathivs.

47. Hac itaque ratione Iosephi genealogia diducta, virtute etiam Mariæ simul indicata est, cùm ex eâdem tribu fuerit.

Nazianzenvs.

48. Nihil verò mirum est, si in Matthæo quidem quadraginta generationes ab Abrahamo per Salomonem vsque ad Iosephum numerentur: secundùm Lucam verò quinquaginta in altero genere series extiterint. Diuersimodè siquidem diuersi generant: alij quidem tardiùs, alij verò citiùs. Ac sæpè liceat videre duas familias, vnam quidem antiquiorem ad vnum redactam filium, alteram verò recentiorem etiam ad tertiam pertingere generationem: ac in vnâ quidem seniorem vocari patrem solùm, in alterâ verò illo iuniorem auum appellari. Cùm igitur hîc liberorum generatione, alia quidem rarior sit, alia verò frequentior; annorum ferè quingentorum decursu, ac tot generationibus inter Dauidem ac Iosephum intercedentibus; quid mirum, alteram quidem seprenario deficere, alteram verò redundare?

Cur in vnâ genealogiâ plures quã in aliâ numerentur.

Athanasivs.

Cur ad Adã Christi genealogia deducitur.

49. Beatus Lucas à Iesu vsque ad Adamum ascendit, vt ostendat, assumptum à Christo corpus ab Adamo Theoplastâ descendere, Dominumque ex Deo atque homine vnum confitendum esse. Idcircò etiam adscriptum est, Qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Epiphanivs l. 1. sub initiũ.

50. Sale genuit Heber insignem pietate ac religione virum, à quo & linguam Hebræam nomen accepisse traduor; ipse enim solus post linguarum confusionem in primo illo & aoriquo idiomate permanebat. Heber autem genuit Phalec. Nulla tunc adhuc erat In terris hæresis, opinionum nulla dissensio, non Iudaismus, non Gentilismus. Inter Heberis autem ac Phaleci tempora, atque ædificationis turris [Babylonicæ] prima hominum coitio ac tyrannicus dominatus [au-

ctore

Nembrod primum regnum occupat. ctore Nemrod] constitutus est Nemrod autem genuit Zoroastrem, Astrologiæ ac magiæ inuentorem. Verùm vt rei veritas habet, multum inter Nemrod & Zoroastrem temporis intercessit. Phaler autem *Seruch quid significet.* genuit Rhagam, hic verò Seruch qui interpretatur Irritatio. Ex quo idololatriæ inter *Idololatria initium.* homines, ac gentilium superstitionis initium est factum, non in simulacris [adhuc] cælatisve lapidibus, sed solùm per colores. Serucho autem natus est Nachor. Nachor autem genuit Tharra. *Simulachrorũ initium.* Ex quo tempore simulachra facta sunt ex argillâ, atque opere figulino, artifice Tharrâ. Perseuerabat autem æuum vsque tunc, ad vigesimam generationem, per annos ter mille trecentos ac triginta duos. Et nullus vmquam priorum illorum hominum filius ante patrem obierat, sed patres omnes ante liberos morientes, filios relinquebant successores. Ne quis autem Abelem objiciat: non enim defunctus est morte naturali. Posteaquam verò Tharre æmulam Deo statuam erexit, arte figulinâ à se elaboratam, dignam quoque factis suis pœnam persoluit, per proprium vicissim filium prouocatus. quod & Scriptura admirans significauit, dicens: Et mortuus est Arran coram Tharrâ patre tuo. Gen. 11, 28 Tharre autem genuit Abraham. Atque hic cùm ad nonagesimum nonum ætatis annum peruenisset, de Circumcisione à Deo responsum accepit. *Iudaismus exortus.* Inde Iudaismi nota cœpit post Gentilem superstitionem, quæ originem habuit à Seruch post Scythicum illud institutum inde à diluuio.

BASILIVS Gen. 4, 24. 51. Nonnulli autem illud, septies vindicatum est de Cain, de Lamech autem septuagies septies, considerantes, *Peccatum Cain & Lamech quomodo punitum.* in eiusmodi sermonem eruperunt, non dissonum Ecclesiastici doctrinæ, quòd à Cain vsque ad diluuium septem effluxerint generationes, statimque superinductum sit vniuersæ terræ supplicium propter ingentem peccatorum confusionem. Peccatum verò Lamechi non indigebat diluuio ad curationem, sed ipso met [Agno] qui tollit peccata mundi. Numera igitur generationes ab Adamo vsque ad aduentum Christi, & secundum conscriptam à Lucâ genealogiam, septuagesimâ septimâ successione Dominum natum fuisse reperies.

EPIPHANIVS L. 1. 52. Abraham quidem octo habebat liberos. Sed solus Isaac heres erat, eò quòd addictus pietatis ex patris sententiâ vitam institueret, ac Dei promissione patri concessus fuisset. Ante illum autem Ismaelem ex Agar *Quot fuerint Abrahamo filij.* ancillâ susceperat. Sed & Chetura sex illi posteà peperit, qui omnes per Felicem Arabiam dispersi fuerunt. Ismael autem in deserto condidit [ciuitatem] Phares dictam. Huic liberi numero duodecim nati sunt, à quibus [propagatæ] sunt tribus Agarenorum siue Ismaëlitarum, qui hodie Saraceni vocantur.

53. Verùm nunc Abrahæ historiam recenseamus simul ac perpendamus. CYRILLVS in Genesim lib. 3. *Historia Abrahami. Sara quid.* Coniuncta quidem matrimonio Patriarchæ ac contubernalis erat formosa illa Sara, quæ Princeps interpretatur; substituta verò illi erat secunda & quasi illegitima, quæ isti coniugio subseruiebat, vernacula, hoc est Agar, *Agar quid.* quæ interpretatur Peregrinatio. Atqui Sara quoniam nondum legitimam prolem pepererat, lugebat suam orbitatem. Agar autem peperit Ismaëlem. Ægrè verò ferebat Abraham, quòd non esset pater legitimi filij. Et quamuis filium ex Ægyptiâ genuisset, nihilominùs animi mœrore detinebatur, existimans semen spurium & non liberum æquale esse orbitati. Orbum igitur se vocabat, tametsi haberet Ismaelem. Postquam verò *Promissio in Isaac.* promissiones acceperat in filio suo legitimo, in Isaac inquam, audiuit se in ipso patrem futurum millenarum & quodammodò innumerabilium gentium; & iustificatus est credens. Quòd autẽ terræ sibi à Deo ostensæ possessionem esset adepturus, (Tibi, enim Gen. 17, 8. inquiebat, dabo terram hanc) certior fieri Gen. 15, 8. rogabat: idcircò Deus diuisiones accipere iubebat, vitulam triennem & capram similiter & arietem, & turturem, & columbam. Qualis itaque spiritualis sensus hisce accommodandus sit, dicemus pro modulo. Primus enim quasi filius vniuersorum Deo fuit secundùm carnem Israel. Filius, enim inquit, primogenitus meus Israel; verũ quasi ex seruâ, & Aegypto redemptus. Vnde nec inter filios Deus eum dignatus est numerare. (Natura enim amat legitima.) Quæsiuit autem potiùs populum qui placeret, scilicet per fidem in Christum, secundùm promissionem, in quo etiam illi patres facti sunt plurimarum gentium, qui de Abrahamo [procedunt.] Hanc enim gloriam hereditate adepti sunt posteri, non in Israele secundùm carnem, sed in ijs qui ex gentibus saluati sunt. Paulus igitur duorum Testamentorum figuras manifestè referre dicit, Agar Galat. 4. *Agar & Sara typus duorum Testamentorum.* & Saram. Et ancillulam quidem comparat Iudæorum matri, terrestri nempe Ierusalem; siquidem seruituris legibus subdita est, neque libero spiritu decorata: primam verò ac liberam Dominatricem Saram, sublimis illius atque supernæ Ierusalem typum præ se ferre ait, matremque apertè factam esse confirmat eorum qui per fidem iustificati sunt, & ex promissione Dei vocati, vt essent filij Abrahæ. Continetur autem in iuramento patris

patris Filius, siue eius mysterium: consueuit enim Pater iurare quasi per propriam virtutem Filium, atque hoc est iurare per semetipsum. Sed & figuratus est veluti in vitulâ Christus, quin & in caprâ & ariete, & in turture & in columbâ. Vitula igitur Christus, quandoquidem natus pro nobis tamquam sub lege factus sit. Assimilatur autem etiam capræ, quoniam obtulit semetipsum pro peccatis nostris; hircus autem in lege sacrificium est pro peccato. Comparatur verò etiam arieti, eò quòd rationalis gregis sit dux. Vnus enim magister* noster, est Christus. Figuratur verò etiam in turture & columbâ. Ille enim est canora illa auis, quæ Euangelicis prædicationibus vniuersum terrarum orbem demulsit. Ipse etiam est simplex atque innocens, omnisque doli expers columba. Vitula verò triennis, vt & reliqua animalia, ætate suâ quodammodò Vnigeniti in Diuinitate perfectionem eleganter significant. Enimuerò quatenus Verbum caro factum est, diuisum est quodammodò, & in duplicem considerationem ipsum Verbum venit. Ceterùm, tametsi factum sit duplex quodammodò Verbum, vnum tamen & idem omnino est, nec in duos diuisum est filios. Vnus siquidem atque indiuisus est Christus, cuius figura sunt aues illæ non dissectæ. Et significatus quidem fuit veluti terrenus ob humanitatem, in vitulo, caprâ, & ariete, intelligitur autem vt cælestis (quippe qui Deus sit) per aues. Factum est autem incarnationis Vnigeniti mysterium, eis qui credere noluerunt, flamma horribilis ac clibanus; ijs verò qui eius apparitionem cognouerunt, lucerna in tenebris lucens. Quòd verò* necessarium erat Moysaici cultus typos Euangelicæ disciplinæ subijci, veluti rudi quodam typo rursus adumbratum est. Dicit enim Angelus ad ancillam: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius. Prior enim ostensa est, legalis disciplina Israelem parturiens. Cùm verò serua esset, spiritus libertatis non erat in eâ: nam priùs tantùm non peperit populum Aegyptiacum quàm nouam disciplinam; idcircò elata fuit animo & persecuta Christianos. Monetur autem per vocem Angeli ne despiciat liberam, hoc est, disciplinam ad libertatis dignitatem vocantem. Quòd autem apparente Christo vnà exoriretur tempus circumcisionis in Spiritu, perspicuè edoctus est Abraham. Fit enim octauo die circumcisio, quo Christus à mortuis reuixit; & tempus iam erat vt Spiritus sancti participes efficeremur, circumcisionemque in ipso susciperemus: abolito verò iam legis cultu, tempus erat vt Iudæorum synagoga ablegaretur, & exheres

Christus quibus in Scriptura comparatur.

Matth 23, 8.& 11. *rector.

Lex subijciens Euangelio.

Gen.16,9.

quodammodò promissionis populus, qui ex illâ oriretur, fieret. Porrò, quòd successu temporis sit reuersura & accepta Deo futura, rursum significat Scriptura sacra. Ad mysterij autem huius intelligentiam, ipse etiam puerorum ludus non est inutilis. Persecutus est enim [filius ancillæ, hoc est] Israel filium liberæ, siue fidelem ac Christianum populum; quamobrem etiam eijcitur Iudæorum synagoga tenue viaticum habēs, modicum videlicet seminis, ac reliquias legalis æquitatis. Et afflixit quidem, sicut Abrahamum quemdam, Apostolos excidens Israel; verumtamen separati sunt ab eo, etiam præter suam voluntatem, propter voluntatem Dei. Ceterùm si plorauerint successu temporis, misericordiam omnino consequentur: apetiet enim eorum mentis oculos, videbuntque fontem ipsum aquæ viuentis, hoc est Christum, & bibentes in eo exultabunt.

Iudæi in fine conuertendi.

54. Quemadmodum autem Abraham iussus immolare filium suum, licet stimulis compungeretur amoris, potiorem tamen rationem habuit boni quod ex eâ re consequeretur: eodem pacto Deum, si liceat humanum quid dicere, remordebat quodammodò cùm Filiùm propter nos ad mortem mitteret, tametsi sciebat ipsum nihil inde damni passurum, quandoquidem ipse etiam erat impassibilis, quatenus Deus. Verumtamen cùm intelligeret vtilitatem, quæ ex eius morte manaret, nostram omnium salutem, illi filialem amorem Patri conuenientem, posthabuit. Quocircà Paulus etiam ipsum admiratus est, dicens: Qui proprio filio non pepercit. Qui verò senem comitantur famuli duo atque ad tertiam vsque diem, typus sunt duorum populorum vocatorum ad seruitutem per legem, Israel nimirum & Iuda, qui sola Dei ac Patris præcepta sequenda esse putabant; quin & paruus illis videbatur Filius, neque conuenientem Domino potestatem præ se ferens. Quòd verò secuti sint famuli, idque vsque ad tertium diem, neque ad excelsam illam terram conscenderint, sed potiùs ibi consederint vnà cum asino; duos populos per legem Deum sequentes significat, ad tertium seu postremum vsque tempus in quo nobis apparuit Christus: tunc autem excæcatio fuit in Israel, quæ per asinum significatur. Cæcitas enim irrationalitatis est fetus. Quòd autem se rursum dicat cum filio reuersurum, significat temporariam Dei à filijs Israel separationem, & in consummatione sæculorum reditum ad ipsos futurum per fidem in Christum. Isaac verò lignis ad sacrificandum onerabatur per manum patris. Christus enim propriam crucem humeris baiulans, extra portam passus est, non humanâ

IBIDEM de Abrahā & Isaac.

Abraham iussu immolare Isaacum quid figuret.

Rom.8,32

Isaac gestās humeris ligna, typus Christi baiulantis crucem.

I

manâ vi ad passionem coactus, sed ex propriâ voluntate, & decreto Dei ac Patris. Verùm eximitur à passione, atque aries à Deo datus in sacrificium ascendit. Erat etiam Emmanuel, in quantum Deus, passionis expers, atque ita semetipsum à morte passioneque subduxit, ascendit autem in odorem suauitatis Deo ac Patri per propriũ corpus.

IBIDEM de Isaac & Rebeccâ. 55. Dedignatus est Abraham ex filiabus Chananæorum dare Isaaco vxorem, sed in regionem idololatrarum proprium suum seruum emisit, qui vxorem maximè illi conducentem quæreret. Non enim volebat Deus ac Pater Iudæorum synagogam Christo copulare qui est Delectatio & Exultatio, *Isaac quid.* sic enim Isaac interpretatur; sed ex gentibus Ecclesiam, intercedẽtibus Discipulis, qui ad aquas spiritualem virginem probarunt. Accommodatissima enim est Ecclesia ad hauriendum viuificantem sermonem ex fontibus Saluatoris: *Isa. 14, 3.* & sufficiens est potare quasi seruos & camelos, eos nempe qui ex Iudæis & gentibus vocati sunt. Cùm verò talem Discipuli virginem sunt conspicati, armillis illam decorarunt, atque auribus ornatũm addiderunt, hoc est, obedientiæ ac bonorum operum gloriâ conspicuam reddiderunt. Promptissima enim est Ecclesia ex gentibus ad dilectionem Christi. Huic igitur postquam Emmanuel coniunctus fit, consolatus est super matre suâ. Lugebat enim tantùm non mortuam per infidelitatem Iudæorum synagogam, ex quâ ipse secundùm carnem natus erat: postquam verò sponsus Ecclesiæ gentium est effectus, deposuit quodammodò mœrorem, quem eâ de re conceperat.

IBIDEM de Esau & Iacob. 46. Facta est igitur vxor Christi Rebecca (id est Ecclesia) quæ Parientia interpretatur, & Aegrè parturiens: sterilis enim erat. Parit tamen primogenitum Israel instar alterius *Quid Esau, quid Iacob significet.* Esau (prior enim vocatus est per legem) & secundùm illũ ex gentibus & in fide populum, ponè sequentem instar alterius Iacob. Esau autem interptetatur Quercus in figuram obdurati Israelis, Iacob verò supplantator, hoc est artifex, siue vincendi peritus. Vincit autem omnino non populus in lege, sed qui in Christo per fidem. Porrò Esau ru- *Gen. 25, 25* fus erat totus & velut pellis hirsutus; Iacob autem vir glaber siue læuis. Rubedo autem indicium est ferociæ: siquidẽ verum est, rubicundam in irâ percitis cutem fieri: quin & ferinum est, pilosum esse. Læuitas verò proprium humanæ formæ est signum. Inuenio itaque irâ magis quàm ratione præditum fuisse Israëlem. Occidit enim Prophetas, quinimò in ipsum Emmanuelem impiè se gessit. Mitis autem valdè ac mansuetus est nouus & in fide populus. Ceterùm vtrique vna erat mater Ecclesia, subseruiens quodammodò ad regenerationem (spiritualem) duorum populorum. Qui enim venit, pro ipsius aduentus scopo formauit eos in vnum nouum hominem. Verùm erat dyscolus & discors Israel à nouo populo. Hoc enim, vt arbitror, significat fetus in vtero subsultare, futuram quodammodò inimicitiam significantes; verumtamen, præstantiorem euasurum nouum illum populũ præ primogenito Israele. Prior enim ex vtero prodijt Esau, secutus autem est Iacob, quia supplantabit & vincet fratrem, quod per calcanei eius apprehensionem significatur. Index autem vtriusque mentis erit ipsa vitæ eorum ratio: siquidem Esau in agris versabatur, & venatione delectabatur, & carnalibus erat desiderijs addictus, resque viles ac friuolas rebus necessarijs præferebat. Hic verò erat vrbanus, placidus nimirum ac societatis studiosus, & vir simplex inhabitans domum, & optimarum rerum insatiabilis amator. Emit enim primogenita, reijciente illa Esau, & ventris satietatem propriæ suæ dignitati anteferente. Quocircà vocatus est Edom, hoc est terrenus: terreni enim reuerà erat animi, *Esau Edom dictus.* gloriam quidem quâ præditus erat, vilipendere, & primogenitutæ dignitatem nihili facere. Temporariam verò potiùs voluptatem, tametsi cum magno damno coniunctam, præeligere. Eodem modo Israel terrenâ erat mente præditus, insolens ac belli studiosus, & ad sanguinem fundẽdum pronus. Verùm nouus & in fide populus, mitis, simplex, minimè malignus, inhabitans [& excolens] quasi domum vitæ sanctimoniam. Ceterum dilexit, inquit, Isaac Esau, quoniam venatio eius erat cibus ipsi. Dignus enim ha- *Gen. 25, 28* bitus est diuino amore primogenitus Israel, quia legalis vitæ perfectionem, velut cibum quemdam obtulit Deo. Fuerunt enim in *Gentes benedictionem Israëlitis surripuerunt.* Israel etiam viri sancti ac legis obseruatores; verùm non perpetuò conseruauit honorem primogenitutæ ipsi concessum, sed cessit illum quodammodò nouo populo, ob promptitudinem in obediendo, per quod etiam debitam Israeli gloriam præripuit. Præceperat siquidem Deus, ante eos qui per fidem vocati sunt, Israeli, vt velut splendidũ quoddam munus offerret sibi placentem vitam, typis tantùm non obtectam ac veluti in siluâ latentem in litteræ superficie. Ac promiserat quidem Israel se facturum. dixerat enim in Choreb: Omnia quæcumque dixit Domi- *Exod. 19, 8* nus, faciemus, & audiemus. Negligens autem deprehensus est ex rebus ipsis, etiamsi facilis in promittendo. Quocircà etiam cedit suum locum, eumque anteuertit nouus

in

in fide populus. Obtulit enim Deo quæ ipſe cupiebar, ac tergiuerſanre ac tardante primogenito populo, prius fidem fructificauit, quæ diuinæ naturæ eſt inſtar cibi. Implent verò legem qui io Chriſto circumciſionem in ſpiritu pro carnali ſuſceperunr, intrantes etiam in requiem Chriſti, & in Chriſto ſabbatum colentes, atqui in occulto & interiùs Iudæum repræſentantes. Atque hoc ſignificabat, vti arbitror, τὸ habere manus Eſau, imitatione videlicet, Iudaicum inſtitutum referre, ſed diuerſam ab ipſo vocem. Neque enim Iudæorum effræni linguâ vtimur, ſed conglorificamus potiùs cum Deo ac Patre Filium.

CYRILLVS l. 4. in Geneſim.

57. Ceterùm adorſus fuit nouum populum primogenitus Iſrael: ſed Rebecca, id eſt Eccleſia, periclitanti nouo populo conſuluit, vt homicidarũ iras fugiat. Quin & eiuſdem ſententiæ erat ſponſus eius Chriſtus, deuitare quidem iubens ſpiritalem amicitiam cum ijs qui impijs flagrant iris (amicitiæ autem ſignum ſunt ouptiæ) eligere autem potiùs è domo Laban, hoc eſt ex gentibus, & ex ijs prolem ſuſcipere. Iudæorum ergo iras nouus ille populus, tamquam in ptimitijs ſanctorum Apoſtolorum intellectus, ſubterfugere cogebarut ae euitate. Proficiſcens autem de

Iſa. 28, 16. Pſ. 117, 22

ciuitate in ciuitarem, gentium greges ſibi de-

Scala Iacob quid ſit.

ſponſabat. Poſtquã verò requieuit in Chriſto, qui eſt lapis electus (hoc enim, vt autumo, ſibi vult, dormire ſuper lapidem) didicit ſe auxiliatores habiturum ſanctos Angelos ſurſum ae deorſum currentes, propter

Heb. 1, 14.

eos qui hereditatem capient ſalutis. Innitebatur autem ſcalæ Chriſtus, veluti ad ipſam

* ſpiritibus

vſque mortem ſanctis* patribus auxiliator, non tamquam exiſtens [vnus] de illis, ſed vt Deus ac Dominus. Digni enim ſunt diuino aſpectu, qui in Chriſto ſunt ac confidenti animo prædıti. Ceterùm erat etiam lapis veluri in typo Chriſti honoratus, & erectus, oleoque delibutus. Vnctus enim eſt

Pſal. 44, 8.

à Deo ac Patre Emmanuel oleo exultationis: ſuſcitatus verò etiam à mortuis. Arque hoc, vt arbitror, eſt, erectum eſſe lapidem.

IBIDEM de Iacob.

58. Igitur ſupplantator ille populus, & inſtar Iacobi alicuius eſt habitus. Primitiæ verò huiuſce generis cenſendi ſunt ſancti Apoſtoli, qui orti quidem ſunt ex ſanguine Iſrael; poſtquam verò fidem in Chriſto adepti ſunt, offenſi ſunt ijs qui ex genere ſuo eranr. Quocircà illos ad cædem pronos deſeruerunt, ac tantùm-non a parernâ domo, Ieruſalem ſcilicet, Iudæâ diſcedéres ad gentes ſe contulerunt, Chriſtum habentes auxiliarorem, comiteſque Angelos. Ceterùm quòd paſtores ſint ſpiritales, ſtatim declarant: extemplò enim ſermonem doctrinæ de Chriſto proponunt, & Erhnicorum Magiſtrorum doctores demonſtrantur, ac viuificantem [proferunt] ſermonem, qui quodammodò in profunditate alta ſirus eſt. Incumbit verò ei quaſi lapis grauiſſimus, ipſa

* veritas, quam gentibus explicatunt ex pro- *obſcuritas

fundo in apertnm educentes; & Rachaelis Rachel

(quæ Ouis Dei ioterpteratur) hoc eſt Eccle- quia.

ſiæ rationales oues adaquarunt, nec oon amatores ac pronubi eius fueruut. Quin imò ex gentibus etiam ipſi principium generis ac veluri primas radicis emiſſiones habuerunt. Siquidem Chaldæus erat Abraham: cognatus itaque eorum eſt qui ex gentibus ſunt, primogenitus Iſrael, tametſi lege diſtinctus, vt diuerſus eſſe videatur. Verumtamen duo populi in Chriſto ſacti ſunt vnum: ſuſtulit enim macetiem quæ eos dirimebat, abolitâ litterali lege, ac circumciſione, quæ eos diſtinguebat. Signum autem vnitaris duorum populorum, eſt Laban amplectens Iacob, confitenſque quòd ſit os & caro ipſius.

59. Hic autem Chriſto perſonam Iacobi IBIDEM.

accommodabo. Siquidem in principio iuniorem Rachaëlem adamat, hoc eſt Eccle-

ſiam ex Gentibus: ducit verò quodammodò Lia quid ſignificet.

ſeniorem Liam, quæ Laborãs interpretatur. Laborauit enim Ægyptiorum tyrannide oppreſſus Iſrael, & domum reducitur non ſine labore. Vniuerſa enim creatura contra Ægyptios bellum geſſit pro Iſrael. Poſt primam autem vocata eſt Eccleſia ex Genti-

bus Ouis Dei. Laborauit verò etiam quo- Chriſtus quantum pro Eccleſiâ laborauerit.

dammodò pto eâ Chriſtus, perſecutiones ſuſtinens, petpeſſus inſidias, affectus calumnijs, conſputus, ludibrio habitus, ipſam denique in ligno mortem ſubiens. Lia autem & Rachael filiæ erant Laban, viri idololatræ: vocatæ ſiquidem ex Gentibus, prima nempe Iudæorum ſynagoga, (genere enim gentili ortus eſt Abraham) & ſecunda illa ac iuniot Eccleſia. Porrò oculi Liæ etãt lippi, Rachael decota valdè. Infitmi ſiquidem ad cetnendum Deum Iudæi, magna verò ad intelligendum maturitas eorum qui in fide ſunt. Prima igitur & ætate prouectiot ſynagoga peperit Deo Iudæorum congregationem. Et hi quoque geniti ſunt ex liberis, eò quòd Patres eorum legis iugum nondũ ſuſcepiſſent;

iuxta illud, Ego autem viuebam ſine lege Rom. 7, 9.

aliquando, quod ad maiores ſuos refert Paulus. Quòd autem, tametſi ex liberis nati, legalis ſeruitutis iugum ſubituri eſſent, ſignificauerit vicinus ortus aliorum quatuot, qui nati ſunt ex ancillis. Ceterùm adhuc latet aliquod in his myſterium: filij eoim Balæ Dan & Nephthalim, adſcripti ſunt Rachaeli, Zelphæ verò Gad & Aſer [adſcripri] Liæ. Et ijs qui ex Balâ, etant tardiùs geniti. Sed

 quo-

quomodo ex Balâ ancillâ nati, cùm Rachaeli adſcribantur, implere queant typum Eccleſiæ ex Gentibus? Quid igitur ad hoc dicemus? Quòd fuerint initio beati Prophetæ annumerati quidem inter filios ſeruæ Ieruſalem, filij autem certo modo erant Eccleſiæ ex Gentibus. Satagebant enim quæ eius ſunt, dicentes monſtrandum eſſe atque effulſurũ ſucceſſu temporis Chriſti myſteriũ. Qui verò poſt ipſos iterũ in ſeruitutem nati ſunt, Chriſtum non admiſerunt libertatis aſſertorem. Videat autem quis etiam ex ipſis nominibus, quòd alumni quidem Eccleſiæ ſint filij Balæ, hoſtes verò filij Zelphæ: interpretantur enim Dan, Iudicium, Nephthalim autem, Latitudo. Quòd enim iudicaturus eſſet Chriſtus orbem terrarum in iuſtitiâ, & condemnaturus ſatanam, tyrannidem in nos exercentem, ſaluaturus verò nos, & ex multis anguſtijs in latũ quodammodò cor tranſlaturus, manifeſtũ eſt. Nati igitur ſunt ex Balâ, Dan & Nephthalim, hoc eſt Iudicium & Dilatatio: ex Zelphâ verò Gad & Aſer. Interpretatur autem, Tentatio quidem Gad, Diuitiæ verò Aſer. Nam Iudæi tentarunt Chriſtum vt eum [quaſi] laqueo caperent: nonnulli verò, quòd auari eſſent, Filium [Dei] recipere noluerunt. Deinde verò primogenitus Iacobi Ruben mandragotas in agro reperit, quas ſtatim Liæ matri ſuæ offert, quæ petenti illas Rachaeli tradit. Et Lia quidem acceptis mandragoris, duos iterùm parit filios, Iſſachar ſcilicet & Zabulon; Rachael verò Ioſeph & Beniamin. Mandragoræ itaque figuratè nobis innuunt Chriſti myſterium, obdormientis quodammodò propter nos, & exinanientis ſemetipſum vſque ad mortem. Primi autem ex Iſrael primogenito cognouerunt, Chriſti nempe myſterium, nec non matri ſuæ Ieruſalem offerentes gaudium conciliarunt. Hæc autem declarata eſt mater eorum omnium qui in mercede ſunt & benedictione: bonoque odore fragrant apud Deum. Interpretatur enim Merces quidem, Iſſachar; Bonus verò odor, & Benedictio, Zabulon. Non enim mercede carebat fides in Chriſtum, tribuens remiſſionem peccatorum. Rurſus verò Eccleſia ex Gentibus ſuſcipiens Chriſti myſterium per ſanctos Apoſtolos, veluti ex ſimili quidem ſorore, Synagogâ Iudæorum, mater facta eſt populi creſcentis ſemper. Interpretatur enim Ioſeph, Additio Dei. Addita enim eſt gregi Iſraelitico Eccleſia ex Gẽtibus, perpetuumque habet etiam nunc incrementum, donec etiam ipſe veluti in extremis temporibus Beniamin naſcatur, hoc eſt Filius doloris, populus qui eſt multitudo credendum in extremis temporibus. Tunc enim filius iniquitatis contra Sanctos aciem educet, & nihil ab indomitis feris differet. Tunc etiam quieſcet Rachael, & in alteram vitam tranſmigrabit Eccleſia, ex corruptione in incorruptionem, ex menſurato ac definito tempore in vitam ſempiternam.

Quid Dan quid Nephthalim ſignificent.

Mandragora quid innuant.

Quid Iſſachar, quid Zabulon ſignificent.

Ioſeph quid ſignificet.

Beniamin quid.

60. Ceterùm Chriſtus eſt verus ille ſupplantator: conculcauit enim vniuerſum peccatum, & ad ſimilitudinem Iacob, veluti paternam domum tantùm non deſerens cælum, ad Laban, hunc inquam mundum venit, qui neſciens eum eſſe naturâ ſuâ Deum, ſeque proprium eſſe Chriſti, vtpote qui naturâ ſuâ Deus, ac conditor eius erat; non proprium tamen propter defectionem (ſatanam enim Regem habebat.) Erat igitur vt hoſpes in proprio ſuo mundo incarnatus, verùm ante incarnationem in proprijs erat vt Deus. Ignotus autem mundo, noſtri curam habuit: pauit enim illos qui in mundo erant greges, ſuppeditans ijs vitæ ſuſtentandæ neceſſaria, ex ſolâ ſibi inſitâ benignitate; & mercedem quidem idcircò nullam ab ijs qui in mundo ſunt accipiens, non adorationem, non glorificationem. Præſciens verò quòd duas ſucceſſu temporis vxores eſſet habiturus, quæ ipſi legitimorum filiorum matres eſſent futuræ, nimirum natu grandior Iudæorum ſynagoga, & quæ illam non longo pòſt tempore eſt ſubſecuta, ex Gentibus Eccleſia, quæ etiam peperit Ioſeph, qui Additio interpretatur. Additus eſt enim Iſraelitis Gentium grex, qui credentium per tempus additione in immenſam excreſcit multitudinem. Ceterùm animaduerte obſeruationem. Peperit Lia priùs quàm Rachael, Iudæorum ſcilicet ſynagoga ſubleges & ſeruos: nondum enim [ſe in illâ] Chriſtus habere propriam domum profitebatur; non lapideum eorum templum non habuit charum, quin imò nec ſpiritalis illi domus fuit Iſrael: ſed vbi Rachael, hoc eſt Eccleſia ex Gentibus, nouum & addititium populum peperit, propriam deinceps ſibi ipſi domum Saluator ædificauit. Quænam verò ea eſt? Nos qui fidem amplexi ſumus. Habitat enim in nobis per Spiritum, non habitans in Iſrael. Exigit autem à mundo veluti mercedem quamdam ſuæ de eo curæ, nimirum ad fidem promptiores, quorum quidem typus ſunt maculoſa & cineritia, hoc eſt ea quæ non ſunt vniformia ac pretioſa, nec ab hominibus ſelecta, ſed potiùs quæ contemptui habentur: infirma enim mundi elegit Deus. Vel etiam quòd varij ſint cùm in opere tum in ſermone, qui in Chriſto decorem obtinent. Color ſiquidem fuſcus, myſterij Chriſti, plurimis ignoti, ænigma complectitur, iuxta

CYRILLVS in Geneſim lib. 5.

Mundus vt proprius Chriſti & non proprius.

Ioſeph quid.

Fideles domus ſunt Dei.

1. Cor. 1, 27.

Psal. 17, 12 iuxta illud, Posuit tenebras latibulum suum: albus verò, operum quodammodò splendorem declarat. *Virga typus Christi.* Virga verò Emmanuelem præfigurat, quem stabilimentum nostrum fecimus. *Virga styracina & nucea quid significent.* Ac styracina quidem mortis est signum; aromatibus enim mortuorum corpora condiuntur, suauissimum autem aromatum est styrax: [virga] verò nucea vigilãtiæ est signum, mortuus siquidem pro nobis ac resuscitatus est Christus. Illa verò ex platano, eius ad cælos ascensionem insinuat. procera enim inprimis arbor atque prægalta est platanus; vel quia dilatamur etiam nos per fidem & charitatem, tantùm non inserti Christo. Christus igitur veluti in specie virgæ intellectus, seipsum quodammodò nobis proponit, vt mortuum & suscitatum, atque in cælos exaltatum, & mysticè eorum qui ipsum suscipiunt per spiritum corda dilatantem. Ceterùm vbinam virgas posuit? in canalibus nimirum aquatorijs. Canales autem & aquatoria rationalis gregis, id est nostra, sunt scripta Moysis, & Propheticæ prædicationes, in quibus Emmanuel, qui virga *Psal. 109. 2* virtutis est, reperitur; qui & in morte propter nos, & primogenitus mortuorum, & exaltatus in gloriâ, credentesque dilatat. Ceterùm *Gen. 30, 37* decorticauit Iacob virgas, decorticationes albas, distrahens viride. Auellit enim quodammodò Christus legis vmbram, & Propheticorum scriptorum veluti velamen, atque ita in illis album pulchrumque aspectu sermonem ostendens, ad partum nos perducit spiritalem, ac virtutum suadet ornamentis variegari. Ceterùm seorsum fecit sibi, inquit, greges Iacob, nec miscuit eas cum ouibus Laban. Nulla enim societas est sancto cum impuro. Separati autem sunt illi qui Christi sunt, recusantes commisceri ijs qui in mundo versantur, neque verò sine vitæ *Figura Iacobi Christo appropriata* signo. Signata enim erant Iacobi. Acquisiuit autem Christus immensam multitudinem, proprios suos congregans cultores. At mundi filij non sustinent [æquo animo] quòd Christus congreget ex omni genere. Admittit enim seruum, vt eum libertatis gloriâ illustrem reddat. Admittit eos qui sub lege sunt, veluti sanctos iam, & ad spiritale sacrificium comparatos, vice quodammodò bouis. Admittit præterea profanum genus, tamquam cameli loco & asini, vt eos a pluralitatis deorum errore liberans, mundatos iam sanctorum cœtui copularet. Sacræ verò sponsæ se promptè secuturas promittunt, venditas quippe ipsi à mundo [vt] aiunt. Emit enim Sanguine suo proprio Ecclesias Emmanuel, & alienati sunt à patre veteri. Nulla siquidem ratio societatis est ipsis cum mundo, diuitiæ enim & illarum hereditas Christus est. Inuidit itaque mundus Christo sic ditescenti. Discedit verò etiam quodammodò Christus à mundo cum sponsis suis, spiritaliter nempe, non corporaliter, ex cogitationibus scilicet mundanis ad facienda ea quæ Deo placent. Rachael autem deos patris sui Laban surripuit, non verò Lia. Idolorum enim sublatio, erat illustre facinus Ecclesiæ Gentium, idola manufacta ignominiâ afficientis. At mundus falsos suos deos non inueniens, cum Christo amicitiam inijt, quin & pacis vinculum ipsi erit. Rursum probatissimus ipse lapis est. Statuit enim Iacob lapidem in typum Christi, & accumulantur ei alij lapides, eorum qui per fidem iustificati sunt, præfigurantes eleganter concursum ad Christum. Saluanti autem suos Christo, & ex mundanâ prauitate educenti, Angelorum quoque adest multitudo inseruiens, & designatum sibi ministerium exequens.

61. Gentibus itaque in sponsum ostensus *Ibidem.* est Christus, qui per gratiam plurimorum in spiritu filiorum factus iam parens, quòd rationalium innumerabilem congregasset pecudum gregem, mundi persecutionem sustinuit. Equidem sæpenumerò mundani homines Christo propter gloriam, quâ pollebat, bellum mouerunt; verùm rursus illos diuina gratia placauit: mundus siquidem cum Christo, vti cum Iacobo Laban, pacem *Sub finem mundi Iudæi conuertendi.* composuit. Quin & extremis temporibus persecutorem Israelem sibi Dominus conciliabit, quemadmodum & Iacob Esau post reditum è Charris osculatus est. Conuertetur enim successu temporis Israel, post Gentium vocationem, ipsasque Christi diuitias admirabitur. Elias enim vbi venerit, reducet, vt par est, intractabilem Israelem, & à veteri irâ abducet, amicumque reddet ac pacificum Christo, tantùm-non præsentia ostendens ipsius largitatis munera, hoc est credentium opem. Neque enim ad longum tempus prorogabitur promissionis fructus ijs qui tunc crediderint, sed propinqua erit retributio, obuiaque gratia; abolito quidem statim iniquitatis filio, descendente verò de cælis Christo.

62. Quomodo autem posteri Iacob suc- *Ibidem.* cessu temporis neque Iordanem transituri (hoc est sacri Baptismatis gratiam contempturi) essent, atque ipsum postmodùm Emmanuelem aduersarium habituri, subindicauit Iacob non transmeans cum ceteris flumen, & luctans cum eo qui apparebat in nocte, hoc est diuinam in mente lucem non habens. Increduli itaque Iudæi veluti in tenebris repugnant Christo, sed infirmati ac superati rectè incedere nequeunt. Emarcuit enim femur Iacobi, hoc est, claudicauerunt omnes

Quid significet femur Iacobi claudicans. Gen. 32, 26.

omnes qui de femore eius prodierunt. Non luctatur autem Christus cum ijs qui in luce versantur: dicebat enim colluctator ille Iacobo, Dimitte me, ascendit enim diluculũ. Repugnat autem Israel Emmanueli, vt incredulus & inobediens; sed quasi ignorantiâ, & tenebris imperitiæ occæcatus, oriens etiam ipsius menti diuinum lumen vixdum cognouit, & benedictus à Christo est, etiam si non vniuersus fortasse, certe in parte quadam fidelium. Crediderunt enim Iudæorum non pauci, ac præ reliquis diuini discipuli, qui quidem orti erant ex Iacob, recusantes Deum offendere. Irreprehensibiles enim erant secundum legalem iustitiam: facti autem sunt posteà etiã Israel, hoc est, transformati sunt deinceps in mentem videntem Deum. Quamobrem si quis fortasse Iacob sit, hoc est, qui supplantare valeat atque dissipare eum qui ad peccandum inuitat, proficiet per Christum in diuinâ cognitione. Vocabitur vero etiã Israel, hoc est Deum videns. Tum demum inter homines erit potens corroboratus cum Deo. Neque enim mentis imbecillæ fuerit Deum cernere, sed Dei placita perficere valentis.

Iacob vocatus Israel.

Deus propriè non habet nomen.

Non autem nomen Deus enuntiat, per hoc significans quòd sit a naturâ. Non enim vti hominibus, sic peculiare est aliquod nomen Deo, sed ex ijs quæ suapte naturâ est, multifariàm nominatur, lux, vita, veritas, vnigenitus, splendor, character Patris, & hisce similibus nominibus. Igitur Iacob tandem intelligens Deum esse cui nullum peculiare nomen adscribi potest, vocauit nomen loci illius, Facies Dei. Vidi enim Deum facie ad faciem [inquit] & salua facta est anima mea. Christi namque cognitio res est salutaris. Deus igitur etiam Verbum incarnatum. Deum enim se vidisse ait Patriarcha facie ad faciem. Oriente autem sole, præterijt facies Dei, ipse autem claudicabat femore suo. Nam illuminatis Iudæis cessauit quidem lucta, & ascendit ad cælos Christus: Israel autem à claudicatione non fuit liberatus; neque enim vniuersus saluatus est. Nẽquit autem quodammodò adhuc propter incredulos omnino rectus incedere. Quid verò deinceps? Iacob habitat in tabernaculis. Hoc vtique signum fuerit, ad meliora tendendum, & res mundanas vt peregrinationem æstimandas esse.

Dei nomina in Scriptura.

Gen. 32, 30

Gen. 32, 32

IBIDEM.

63. Illa autem de Dinâ docent nos, quomodo animam per Baptismum iam regeneratam corrumpi contingat ab ijs, qui talia solent perpetrare, ij qui iniuriâ affectę secundùm fidem fratres sunt, siue in sacerdotali Ordine sint constituti, quemadmodum Leui, siue in statu subditorum sint (Simeon enim interpretatur Obedientia) indignè quidem ferant, si quispiam suorum in fide familiarium oppressus sit, non tamen ad sanguinem procedant, ne audiant Christum ipsis dicentem, Rem odiosam mihi fecistis. Cauendum autem ijs qui interitum vitare volunt, ne paterno tabernaculo, hoc est, domo Dei egrediantur, néve sese aliarum sectarum gregibus adiungant.

Simeon Obedientiam significat.

CYRILLVS in Genesim lib. 6.

64. Iudas quoque nobis ad vinum expresserit Christum, vtpote ex Iudâ oriundum, qui coniunctus est quodammodò synagogæ in Ægypto, tamquam alienigenæ & Chananææ mulieri; quemadmodum etiam Iudas Sabæ, quæ interpretatur Altitudo. Nam veluti in amicitiam Dei vocata Iudæorum synagoga, non amplius tam terrestris extitit aut abiecta, quippe ex fornace ferreâ liberata. Hinc exinde in Ægypto synagogæ tres nati sunt populi supplentes Deo vicem filiorum; nempe Her ille pelliceus, & Aunan perculsus corde, ac Selõ qui Euulsio interpretatur vel Exemptio & Pacificatio. Thamari itaque, hoc est synagogæ, coniunctus primogenitus Her, peruersus nempe ac carnalis ille populus primus perijt, nullum pietatis fructum habens. Deinde post illum populus qui Iordanem traiecit, & promissionis Terram hereditauit, mortuus est etiam sine liberis in terram seminans, cùm nollet per legalem æquitatem, loco eorum qui inobedientes fuerant, se quodammodò suscitare Deo, hoc est semen fratri suo. Tertium porrò [populum] quasi natu minimum in vltimo tempore sanctorum Prophetarum (quibus est proximus fuit diuinus ille Ioannes Baptista, ipsum Christum iam præsentem ostendẽs) non permisit Deus quodammodò cõplexari brachijs synagogæ Iudæorum, quin imò noluit vt ex eâ fructum vllum perciperet, ne fortè periret etiam ille. Nemo enim per legem iustificatur. Deuitant igitur fideles consuetudinem Thamar, hoc est fructificare in lege, iam à turbâ percuntium exempti. Idcircò mansit vidua, & à spirituali sponso deserta. Verumtamen vltimis temporibus illius Deus miserebitur, & post gentes subsequetur. Nam cùm Iudas ascendisset tonsurus oues suas, obiter cum Thamar & quasi in transcursu congressus est; baculum autem & annulum & monile eam sinit habere, hœdum etiam missurum promittens. Propriam enim & quidem maximè necessariam curam gerens Christus accipiendi fructus spiritualis gregis, fidelium nempe ac sanctificatorum in Spiritu, velut perfunctoriam quamdam & non omnino sedulam successu temporis initurus est cum synagogâ Iudæorum in spiritu societatem,

Saba quid.

Her. Aunan, Selon quid significent.

quin

quin & prægnantem illam quodammodò ostendet, ac sapientiam quasi suam parturientem. Exhibebit autem semetipsum illi tamquam virgam virtutis, & imaginem ac similitudinem Dei & Patris (id enim vult annulus) & speciosum formâ præ filijs hominum (hoc enim arbitror significare monile:) mittet autem ipsi etiam hœdum, hoc est, peccatorum remissionem largietur. hœdus enim secundùm legem pro peccatis mactabatur. Imò & Christus suo tempore liberabit Iudæorum synagogam à supplicio, societatis cum ipso initæ symbola præ se ferentem, & quòd ex ipso conceperit ostendentem. Thamar autem cùm & ipsa rursus gemellos parturiret, peperit tandē. Deinde primogenitus quidem manum exerit, sed eo eamdem ad se retrahente (tametsi iam coccino circumligatam) prosilit secundus, maceriè veluti perfractâ, atque ita primus egreditur posterior. Hoc quoque non obscurum nobis signum est, Gentes priùs vocatas esse quàm isti de sanguine Israel, & dignitatem primogenituræ consecuturos esse qui vltimis temporibus eligentur. Sequetur autem omnino, qui cùm & ipse tunc Christi sacrificium susceperit: nam coccinum est figura sacri Sanguinis. Quis igitur est qui interstitium maceriæ disrupit, & in locum primogeniti vocauit secundum postposito primo? An non manifestum quòd Christus? Ac de his quidem hæc sufficiant.

Psal.44.3

65. Considera hîc mysterium ac prædictionem futurorum. Nam vbi obstetrix manum obligasset, vt cognosci posset proles nascitura, contraxit manum, & exijt frater eius; cessit, inquit, fratri vt prior egrederetur; & qui posterior putabatur, prior exijt. Et dixit, inquit, Quare diuisa est propter te maceria? & vocauit nomen eius Phares. Discretionem enim hoc nomen interpretari liceat, & vt ita dicam, Partitionem. Et post hunc egressus est frater eius, qui signum in manu dexterâ acceperat, & vocauit nomen eius Zara, quod interpretatur Oriens. Hæc autem non temerè contigisse, sed figuram quamdam fuisse futurorum, res ipsæ declarant. Neque enim iuxta naturæ ordinem hoc factum est. Quomodo enim ligata coccino manus, iterum contrahi potuisset, & posteriori transitus dari, nisi diuina quædam virtus hæc anteà dispensasset; & quasi in vmbrâ quadam Ecclesiæ statum præfigurasset? Vt nempe à principio primisque exordijs per Zaram, quod est Oriens, Ecclesiæ typus cœperit * proficere. Sed illâ statim instar Zaræ paululū progrediente & retrocedente, legalis obseruatio (per Phares significata) subintrarit, ac longo tempore regnauerit; Ecclesiasticâ verò republicâ rursus comparente, (instar eius quæ typum eius expressit, Zaræ inquam) cessit omnis Iudaica consuetudo. Sed fortè necessarium fuerit hoc ipsum clariùs dicere. Incepit sicut Zara manum exerere, Noë & Abraham, imò ante illos Abel & Enoch, summo studio placere Deo. Deinde postquam in multos propagati; multa peccatorum onera collegerunt; opus autem habebant aliquâ consolatione, lex illis figuræ instar concessa fuit, non tollens peccata sed ea demonstrans, & manifesta ipsis faciens, vt infantulorum lacte altorum more possent adolescere. Verùm cùm hoc ipsis parum profuisset, lege nimirum magnitudinem peccatorum tantùm ostendente, ipsisque rursum ijsdem adhærentibus; adueniens [tandem] communis Dominus, spiritualem hanc ac virtutibus claram vitam humano generi largitus est, cuius figuram Zara implebat. Idcircò etiam Euangelista Matthæus Thamar mentionem fecit, atque ex illâ genitorum. Matth.1,3

CHRYSOSTOMVS Hom. 62. in Gen. (?)cap.38, (?)

Phares quod significet.

Zara, id est Oriens.

* prospectare.

ANNOTATIONES.

VT PVTABATVR FILIVS IOSEPH] *Solet hic & apud Matthæum cap. 1. quæri, quomodo ex genealogiâ Ioseph rectè colligatur genealogia Christi, cùm Christus B. Mariæ non Iosephi fuerit filius, & B. Maria, vt videtur, potuerit nubere viro non suæ, sed alterius tribus, sicuti cognata ipsius Elisabeth virum habebat non tribus Iuda, sed Leui. Respondent passim Patres, & nominatim Eusebius hîc num. 47. Iosephum & B. Virginem eiusdem fuisse tribus & familiæ, itaque ex genealogiâ Ioseph rectè colligi genus B. Mariæ & Christi. Pro quo nota, feminas quidem apud Iudæos potuisse nubere viro alterius tribus; sed tamen si ipsæ deficiente stirpe masculâ in hereditatem patris succedebant, ne illa hereditas ad alium tribum & familiam transiret, debuisse illas nubere viro eiusdem tribus & familiæ, vt habetur Numerorum vltimo, v. 7. Ioachim autem pater B. Mariæ nullos reliquit masculos filios, vt præsupponunt SS. Matthæus & Lucas, quasi illo tempore satis cognitum ex publicâ famâ & tabulis genealogiarum & matrimoniorum, quæ, teste Iosepho, exactissimæ erāt apud Iudæos. Quare B. Maria debuit nubere contribuli & eiusdem familiæ viro, qualis erat Ioseph.* NVM. 43. ad v. 23.

An autem B. Maria cum Iosepho verum matrimonium, an verò sponsalia solummodò contraxerit, diuersimodè sentiunt Patres. S. enim Hilarius in Matthæi cap. 1. S. Basilius Homiliâ de Humanâ Christi generatione, Epiphanius Hæresi 78. Origenes Hom. 1. in Matth. & ipse S. Matthæus cap. 1. v. 18. & Lucas cap. 1. vers. 27. ipsam tantùm desponsatam nominant. Vnde prædicti Patres putant colligi, sponsalia duntaxat contracta fuisse inter Iosephum & B. Virginem, non autem matrimonium celebratū. Sed meliùs alij censent, fuisse desponsatam non nudis sponsalibus, sed vero matrimonio, ac nuptijs celebratis. Ita S. Chrysostomus & Theophylactus in Matth. cap. 1. Ambrosius lib. 2. in Lucam, & passim Interpretes. Erat ergo nupta & traducta in domum sponsi Iosephi iam tum

ab initio quando ab Angelo salutabatur, idq; Primò, vt Ioseph testis esset eius virginitatis. Ita S. Bernardus. Secundo, vt pueri & B. Mariæ custos esset. Tertio, ne Christus conciperetur extra matrimonium, & Iudæis spurius videretur ex matre adulterâ. Dicitur tamen ab Euangelistis desponsata, *quia viro incognita, vti sponsa quæ nondum nupta est, sed tantùm promissa. Ita S. Chrysostomus supra citatus, & S. Hieronymus lib. Contra Heluidium. Hoc autem matrimonium verum fuisse ac licitum, inde patet: quia essentia matrimonij consistit in mutuâ traditione vel potestate corporum, etiamsi hæc potestas numquam ad actum reducatur. Votum autem castitatis nemini ius aut potentiam adimit, sed tantùm facit illicitũ eius vsum atque actum. Fuit etiam hoc matrimonium licitum; quia tametsi vouisset virginitatem, licitè tamen & sine periculo iniit matrimonium; quia Dei instinctu sciebat, virum potestate suâ numquam vsurum ad votum hoc infringendum. Ita S. Augustinus de S. Virginitate cap. 4. & passim Theologi.*

NVM. 45. *Hæc desumpta sunt ex Carmine Nazianzeni* περὶ τῆς τοῦ Χριστοῦ γενεαλογίας, *quod sic habet:*

Ματθαῖος πόθεν εἶπε μέσας, Λουκᾶς τε γέρος,
Τοῦ μὲν ὅγ', αὐτὰρ ὁ τοῦ δὲ βίβλοις ἐνὶ θῆκε γενέθλην,
Αἳ Χριστὸν κατάγουσιν ἀφ' αἵματος ἀρχαίοιο.
Πῶς δ' ὁ μὲν ἐν πολέεσσιν, ὅ τ' ἐν παύροισιν ἔταξεν;
Εἰ Δαβὶδ μὲν ἄκραντα γένος ῥέε ἀμφοτέροισιν
Ἄτμητος, μετέπειτα ῥίζ' ἔσχα, ὑστάτιον δὲ
Συμφέρεθ', ὡς δεῖ πάντων ἀπείρονα Χριστὸν ἀδεῖναι.
Ὧδε δὲ καὶ ἀθρήσειας, ἀμφὶ δ' ἐπιποίθεο μύθῳ.
Δαβίδαι Σολομών τε Νάθαν τ' ἔσαν. τῷ ὁ μὲν εἷλκεν
Ὥστε ῥόος μεγάλοιο πατρὸς βασιλήιον αἷμα.
Αὐτὰρ ὅ γ' εὐαγέων τε φαεινοτάτων θ' ἱερήων.
Χριστὸς δ' ἀμφότερ' ἔσκεν, ἄναξ μέγας, ἀρχιερεύς τε.
Τοὔνεκα Ματθαῖος μὲν ἐγράψατο πνεύματι θείῳ
Τοὺς Σολομωντιάδας. Λουκᾶς δ' ἐς Νάθαν ὄρουσεν.
Ἐκ δὲ δύω γενεῶν, τῇ μὲν πλέον ἐξ ἑτέρης δὲ
Παυρότερον, τὸ ῥέεθρον, ἐπιλαθόμεν', ὦ μέγα θαῦμα,
Οὐ μὲν παυρότερον, γενεῶν δ' οὐκ ἴσον ἀριθμόν.

Et infrà Num. 46.

Ματθὰν ἐκ Σολομῶντος ἄγων γένος, ἠγάγετ' Ἐσθάν.
Τοῦ δ' ἄρ' ἀποφθιμένοιο, Ναθανίδης οὔνομα Μελχί,
Καὶ τῷ μὲν Ἰακὼβ, τῷ δ' Ἠλεὶ γείνατο παῖδας.
Ἠλεὶ δὲ φθιμένοιο, ἐπεὶ γόνον οὔτιν' ἔλειπεν,
Αἶψα δόμον τε λέχος τε Ἰακὼβ οὐχ ὁμόπατρος
Δέξατο, καὶ τέκεν υἱὸν ἀδελφειοῦ ἐσθλὸν Ἰωσήφ.

Nota hic, Porphyrium & Iulianum Apostatam falsitatis accusasse Euangelistas, quia scilicet S. Matthæus cap. 1. dicit Iosephum fuisse filium, non Heli, vt hic vult Lucas, sed Iacob, omnesque alios ponit à Dauid descendendo quàm ponat Lucas. Quam difficultatem hic benè soluit Nazianzenus, dum indicat Ioseph fuisse filium legalem Heli, sed naturalem Iacob. Nam iuxta legem veterem fratri sine liberis mortuo, vti hic videtur fuisse Heli, superstes frater, vti hic videtur fuisse Iacob, liberos gignebat: quorum mortuus, puta Heli, censebatur pater legalis, siue per arrogationem legis. Vnde vlteriùs colligitur, legem Deuteronomij 25. vt frater fratri suscitet prolem, non tantũ de germano fratre, sed etiam de vterino accipi: nam Heli & Iacob ὁμομήτριοι *erant, vti superiùs in textu n. 46. Nazianzenus testatur; habebant autem diuersos patres, Iacob videlicet Mathan, vt Matth. cap. 1. Heli verò Matthat, vt est Lucæ 3. Vnde mirum est, Nazianzenum hic Melchi ponere pro patre Heli, cùm fuerit is, vt ex genealogiâ à D. Lucâ recensitâ patet, auus ipsius Matthat patris Heli, cùm inter Matthat & Heli adhuc interponatur Leui, qui fuit Melchi: vnde Melchi non potuit duxisse Esthan, vt ibidem vult Nazianzenus, & benè refutat Franciscus Lucas in Matthæum. Ad propositam autem difficultatem genealogiæ Christi aptiùs respondere videntur Ioannes Lucius lib. 2. de Emendatione temporum, Iansenius, & Pererius, sanctum videlicet Lucam, quia gentibus scribit, genus proprium Christi per matrem texere, vt nimirum Ioseph dicatur filius, id est, gener Heli, qui & Heliacim & Ioachim dictus, pater fuit B. Virginis: Matthæum verò, quia Iudæis scribit, texere per Ioseph; Iudæi enim genealogias semper per patrem texunt. Qui volet plura, videat Maldonatum & Franciscum Lucam in Matthæi cap. 1. & Toletum in cap. 3. Lucæ, & Dionysium Petauium in Animaduersionibus ad Hæresim Epicureorum.*

NVM. 48 In Matthæo quidem quadraginta generationes ab Abraham.] *Numero scilicet rotundo numerando. Sicut dicuntur fuisse septuaginta Christi discipuli & septuaginta Interpretes, cùm omnino fuerint septuaginta duo, vt constat ex Lucæ cap. 10 sic dicuntur hic in Matthæo ab Abraham vsque ad Christum generationes quadraginta, cùm tantùm fuerint triginta nouem, strictè numerando. Licet enim S. Matthæus c. 1. v. 17. tertiò repetat* τὸ, γενεαὶ δεκατέσσαρες, *id est,* generationes quatuordecim, *quod tertiò repetita facerent numerũ quadraginta & duorum; recensentur tamen omnino tantùm tredecim generationes in singulis: quod patet si numeres verbum* ἐγέννησε, *id est genuit, repetitum. Causam autem cur Euangelista tres tesseradecadas ponat, illam ferè assignant Interpretes, quòd videlicet S. Matthæus voluerit triplicem statum populi designare: primum sub Iudicibus, secundum sub Regibus, tertium sub Ducibus & Sacerdotibus. Addit Origenes Homiliâ 27. in Numeros, & S. Hieronymus Epistolâ ad Fabiolam, has quadraginta duas generationes respondere quadraginta duabus mansionibus Hebræorum in deserto, quibus ad Terram promissam peruenerunt, sicut hæ quadraginta duæ generationes ad Messiam promissum peruenerunt.* *Quot fuerint generationes ab Abraham vsque ad Christum.*

NVM. 50. Sela genuit Heber, &c.] *Monet hic Epiphanius obscuram & difficilem quæstionem, à quo videlicet, quomodo & quando cœperint idola & idololatria. Pro quâ difficultate dilucidandâ, suppono, idololatriam posse esse sine idolis seu simulacris fictis aut pictis, imò fuisse ante illa, cùm scilicet Dij sine eiuscemodi simulacris, aut solis templis, aut ædibus vacuis colerentur, vt docet Tertullianus initio libri de Idololatriâ, & Plutarchus in Vitâ Numæ, vbi dicit ex illius præcepto annis 170. ab Vrbe conditâ nullam in templis Romanorum imaginem, neque pictam neque fictam fuisse conspectam. Idem habet Halicarnassæus, docens, Tarquinium Priscum docuisse Romanos simulacra dijs ponere, quod etiam vult Varro apud D. Augustinum lib. 4. de Ciuitate cap. 31.*

Dico ergo, idololatriam videri statim cœpisse post diluuium, non item idola. Nam Nemrod filius Chus, filij Cham, filij Noe, vt patet Geneseos cap. 10. superbâ tyrannide populum sollicitauit, vt à Deo ad se deficeret. Ita Epiphanius hic, & Iosephus l. 1. Antiquitatum cap. 4. S. Augustinus lib. 16. de Ciuitate cap. 4. & passim alij consentiunt, eum inuentorem fuisse & præfectum ædificandæ turris Babel contra Deum. Vnde puniti sunt à Deo, quando nimirum, vt inquit Epiphanius hic, & S. Augustinus l. 16. de Ciuitate c. 11. solus Heber cum suis, quasi Dei populus, pristinam linguam & pietatem retinuit. Addit Hugo Victorinus in Notationibus in Geneseos cap. 11. & alij, Nemrod homines ad idololatriam induxisse, vt ignem quasi

Deum

Deum colerent, quem errorem posteà Chaldæi sunt secuti. Vndo Abraham dicitur liberatus de Vr, id est igne Chaldæorum. Adde, quòd Cham filius Noe, homo pessimus, fuerit magus, & auctor magiæ (magi autem dæmonei colunt, vt docet Cassianus Collatione 8. cap. 21 & Berosus Ammanus lib. 3. & alij. Berosus autem ibi docet, Cham à magiâ Zoroastrem dictum; (cui omnino contradicit Epiphanius hic, qui Zoroastrem Nemrodis filiũ dicit; & Salianus, qui illum non quidem Nemrodis filiũ, sed eodem tempore cum Nemrod vixisse tradit) eiusque pestilentia dogmata secutos Ægyptios qui illum sibi fecerunt inter Deos Saturnum iuniorem. Quidquid sit de hac re, & historiâ tam remotâ adeoque obscurâ; huic saltem res fauet ratio: probabile nimirum esse, pessimos mores, qualesstatim à diluuio fuerunt Cham & posterorum eius, vti plerumque fieri videmus, in infidelitatem, hæresim, aut atheismum degenerasse, adeoque ex tunc idololatriam cœpisse.

Ninus autem primus idolum celebre Beli patris sui mortui (qui Belus vel fuit, vel eius successor) publicâ Regis auctoritate colendum proposuit, illudque reis asylum constituit. Ita Eusebius in Chronico, S. Ambrosius in cap. 1. Ep. ad Romanos, S. Hieronymus in Oseæ cap. 2. Cyrillus lib. 3. contra Iulianum, non procul à fine, & alij passim veteres. Indeque prisca idola dicta sunt Bel, Baal, Baalim, Belial, Beelsegor, *& similibus nominibus appellata sunt. Significat autem* Bel *vel* Baal *Hebraicè* Dominum, *quo modo nos Deum* Dominum *vocamus.*

Ante publicum autem hoc Nini idolum fuerunt & alia priuata. Quod inde colligitur, quod Ninus fuit Abrahæ coæuus, quem Eusebius & Patres suprà citati quadragesimo Nini anno natum referunt: atqui ante Abraham fuerunt idola; quare verosimilius est, etiam tum reliquos Chaldæos anteà fuisse idololatras, vti habet communis Hebræorum traditio, & Iosue vltimo versu 2. dicitur Thare pater Abrahæ, & Nachor seruiisse dijs alienis. Quin etiam Epiphanius hîc docet, idololatriam in cultu imaginum seu picturarum cœpisse à Saruch, qui auus fuit Thare, & septimus à Noë.

Causa verò & initium idolorum videtur fuisse fabrica imaginum defunctorum, vti habetur Sap. 14. Fecerunt enim homines idola, vt suorum maiorum, aut Regum, aut inuentorum artium, aut beneficiorum, & amicorum celebrem memoriam seruarent. Hi ergo defuncti habiti sunt pro Dijs, cùm quasi in cælum recepti, imaginibus sunt culti: pro quibus deinde in terris se dæmonia colenda supposuerunt, & sibi sacrificari à deceptis ac perditis flagitabant. Ita S. Augustinus lib 22. contra Faustum, cap. 17. & S. Cyprianus initio libri de Idolorum varietate, Herodotus lib. 1 Tertullianus cap. 11. Apologetici, Eusebius lib. 7. Præparationis Euang. cap. 7. Lactantius l. 1. de Falsâ religione cap. 15. Vnde S. Augustinus lib 13. de Ciuitate cap. 5. docet, Serapidis simulacrum digito ad os admoto indicare solitum, vt taceretur Serapidem fuisse hominem; imò & pœnam capitis ait constitutam ijs qui Serapidem hominem fuisse dicerent, cùm tamen verè hominem fuisse constaret. Porrò, ritum ἀποθεώσεως *Cæsarum Romanorum vide apud Herodianum lib. 4. sub initium.*

Vnde colligitur, initium idolorum cultus fuisse ex nimio affectu & dolore suorum defunctorum, quod apud varias gentes diuersimode factum, apud quosdam patre erigente imaginem filio, apud alios filio erigente imaginem patri, apud alios marito vxori, apud alios alijs. Idolum ergo defunctorum finxit amor, ambitio prouexit, adulatio ac metus Principum firmauit, fraus dæmonum & tot sæculorum error propagauit.

Magis autem obuium & procliue videtur, vt Sapientiæ cap. 14 v. 15. insinuatur, vt pater filio defuncto, quàm vt filius patri aut alteri imaginem & idolum erigat, ac consequenter idolum filij vel primum fuisse, vel certè inter prima.

Primùm, quia huc inclinant verba Sapientis dicentis, Sap. cap. 14. v 15. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. *Cui loco Sapientis nihil ex antiquitate opponi potest, quo ostendatur aliunde idola sumpsisse initium. Huc accedit, quòd patres ordinariè magis ament filios, maximè paruulos, quàm filij ament patres; quare procliuius est vt amor & dolor parentum ijs excusserit imagines erigendas filijs defunctis, quàm è contra, maximè cùm patres per filios semper esse, & conseruari naturaliter cupiant, non filij per parentes.*

Confirmatur hoc exemplis. Nam Lactantius l. 1. de Falsâ religione cap. 15. ex Cicerone docet, ipsum Tulliolam filiam suam defunctam Deam facere conatum, erecto illo simulacro, idque imitatione veterum; ergo veterum hic mos fuit. Rursus Fulgentius Carthaginensis Episcopus l. 1. Mythologiarum de Dijs cap. de idolo sub initium, ex Diophanto Lacedæmonio antiquissimum habet exemplum, idoli quod erexit Syrophanes pater filio demortuo, additque idolum dictum εἰδοδύνην, *siue* speciem doloris, *qui in morte filiorum est acerbissimus. Denique Epiphanius hîc ex libro 1. de Hæresibus, & ex eo Suidas voce* Abraham, *docet, Thare, qui auum habuit Saruch, & filium Abraham, primum ante Saturnum, Iouem, Rheam, ac Iunonem, & alios, idola statuarum ex luto ac arte figulinâ fecisse, illumque primum esse cuius filium scilicet Aram Scriptura meminit ante patrem esse defunctum, (vt habetur Gen. cap. 11. v. 28.) quasi innuat id proptereà factum, quòd Thare primus filio defuncto idolum statua erexerit, ideoque ipsum à filio suo Abrahamo, qui pater est fidelium, de idolorum cultu grauissimè fuisse reprehensum. Vnde nonnulli locum Sapientiæ 14. suprà citatum, non improbabiliter existimant notare hunc Thare, vt qui primus statuam filio erexerit. Si quis tamen locum illum ad imagines pictas Saruchi referre vellet, non repugno, dummodo auctorem proferat, qui cum filio illas fecisse dicat.*

Ibidem. Nembrot autem genuit Zoroastrem.] *Nota, hæc fusiùs haberi in Epiphanio loco citato, vbi legitur hoc modo:* Ἀρχὴ λοιπὸν συμβουλίας, ἀνδρειομένη καὶ τυραννίδος γίνεται Νεβρώδ. Νεβρώδ γὰρ βασιλεὺς ὁ τοῦ Χοὺς τοῦ Αἰθίοπος, ἐξ οὗ Ἀσσοὺρ γεγέννηται, τότε ἡ βασιλεία ἐν Ὀρὲχ γεγένηται, καὶ ἐν Ἀρφαλ, καὶ Χαλάννῃ. Κτίζει δὲ καὶ Θηρὰς, καὶ τὴν Θόβελ, καὶ Λόβον, ἐν τῇ Ἀσσυρίων χώρᾳ. Τοῦτόν φασι παῖδες Ἑλλήνων εἶναι τὸν Ζωροάστρην, *&c.* Ceterùm prima hominum coitio ac tyrannicus dominatus auctore Nembroth constitutus est. Nam Nembroth [primus] regnabat filius Chusi Æthiopis, ex quo natus Assur, qui Orechi, Arpale, & Chalanne regnum exercuit. Quin & Thiras vrbem condidit, & Thobelem, & Lobum, in Assyriâ. Græci Zoroastrem hunc fuisse memorant, *&c. Quid hac de re sit, vide fusiùs apud Iacobum Salianum in anno mundi 2044. qui hæc ibidem accuratè examinat.*

Ibidem. Verùm vt rei veritas habet, multum in-

ter Nembrot & Zoroastrem tempore intercessit.] *Videtur omissum τὸ ὤν non, ante πολὺ χρόνῳ,* multo tempore. *nam vt Chronologi passim, & Galatinus etiam in Arcanis l. 4. c. 20. eodem ferè tempore vixerũt Nembrod & Zoroaster, etsi non ijdem fuerint; vti etiam in ipso Epiphanio legitur hisce verbis:* Εὑρέτης γὰρ οὗτος γεγένηται κακῆς διδαχῆς ἀστρολογίας καὶ μαγείας, ὡς τινες τὰ περὶ τούτου τῷ Ζωροάστρου. Πλὴν ὡς ἡ ἀκρίβεια περιέχει, τῷ Νεβρὼδ τοῦ γίγαντος οὗτος ἦν ὁ χρόνος. οὐ πολὺ δὲ ἀλλήλων τοῦ χρόνου διεστήκασιν ἄμφω, ὅ τε Νεβρὼδ καὶ ὁ Ζωροάστρης. Inuentor enim ille erat prauæ doctrinæ Astrologiæ ac magiæ, quæ quidam Zoroastri tribuunt. Verùm secundùm eos qui rem hanc accuratiùs examinarunt, hæc ad Nembroth gigantis tempora pertinent: quamquam non multo temporis interuallo à sese mutuò distabant Nembroth & Zoroastres. *Vbi nota, non Zoroastri, vt hic in Catenâ, sed Nembrothi Astrologiæ ac magiæ inuentionem tribui. Vide fusiùs Salianum suprà citatũ, anno 2044. & Dionysium Petauium in Animaduersionibus ad suprà citatum Epiphanij locum, vbi etiam discutit illam interpretationem nominis* Σαρούχ, *quod hic* ἐρεθισμὸν *Epiphanius vertit. De eo autem hic scribit Suidas:* Σερούχ. Οὗτος ἐκ τῆς τοῦ Ἰάφεθ φυλῆς κατερχόμενος, δόγμα παρέδωκε τιμᾶσθαι τοὺς πάλαι τελευτήσαντας, καὶ ἀρετεύσαντας ἄνδρας, ἢ διὰ εἰκόνων, ἢ διὰ ἀνδριάντων, καὶ τούτοις προσκυνεῖσθαι κατ' ἔτος ὡς ἔτι ζῶντας, καὶ μνήμας αὐτῶν ὀκτελεῖν, καὶ ἐν ταῖς ἱερατικαῖς ἀναγράφεσθαι βίβλοις, καὶ θεοὺς αὐτοὺς νομίζειν ὡς εὐεργέτας. Ἐντεῦθεν εἰσήχθη ἡ πολυθεΐα, καὶ ἡ εἰδωλολατρεία. Τοῦτο δὲ διέμεινε παρ' αὐτοῖς μέχρι τῶν χρόνων Θάῤῥα τοῦ πατρὸς Ἀβραάμ. *Id est:* Seruch. Hic ex Iaphet tribu oriundus, decretum tradidit, quo iussit honorari viros olim defunctos, & virtute præstantes, idque vel per imagines, vel per statuas; & hos, vt adhuc viuentes, quotannis adorari voluit, & ipsorum memoriam celebrari, & monumentis ornari, & in sacros commentarios referri, & eos iudicari Deos, vt de hominibus benè meritos & beneficos. Hinc introducta est multitudo Deorum & idololatria. Hoc autem apud ipsos permansit vsque ad tempora Tharæ patris Abrahami. *Vbi nota, Suidam errare, Primò, quia ponit Seruch siue Saruch inter posteros Iapheth, cùm hic in Catalogo genealogiæ Christi à Lucâ recenseatur inter posteros Sem. Secundò, quia ipsum dicit esse auctorem idololatriæ, cùm ostensum sit ex Epiphanio, cui fauet Scriptura, primum eius auctorem fuisse Nemrod siue Belum: quare ad summum fuit idololatriæ propagator per suam artem pictoriam, sicut Thare per plasticen.*

Nvm. 53. Sara, quæ Princeps dicitur.] *Ita etiam nomen hoc interpretatur S. Hieronymus. Anteà antè vocata fuerat* Σάρα *seu* Sarai, *quod idem est quod* Princeps *seu* Domina mea, *puta domus meæ: sed post acceptam promissionem Isaac Gen. 17. v. 15. vocata est Dei iussu* Σάῤῥα *seu* Sara *absolutè, quia iam non erat vnius tantùm familiæ, sed plurimarum gentium Domina per Isaac futura, vtpote omnium fidelium, per Christum ex ipsâ oriundum.*

Ibidem. Agar quæ interpretatur Peregrinatio.] *In Catalogo nominũ Hebraicorum qui Biblijs subiunguntur, vertitur* Peregrina. *Fortè quia Abrahæ peregrinationis comes, vel vt S. Chrysostomus putat Gen. 12. illa Abrahæ in Ægypto peregrinanti à Pharaone data sit. S. Hieronymus interpretatur Agar* incolatus, *quod etiam suprà dictæ interpretationi Cyrilli congruit.*

Nvm. 55. Delectatio & Exultatio, sic enim Isaac interpretatur.] *S. Hieron. Isaac* risum *interpretatur à radice* צָחַק *tsachak, id est,* risit. *Sic nempe dictus ob risum & gaudium Abrahæ atque etiam Saræ, de nato sibi filio collætantium & exultantium. Geneseos enim 21. dicit Sara:* Risum fecit mihi Deus, quicumque audierit corridebit mihi.

Nvm. 56. Esau autem interpretatur Quercus, in figuram obdurati Israelis.] *Eodem modo Philo Esau* querceum *interpretatur. In Catalogo propriorum nominum Biblijs subiuncto Esau* faciens *seu* operans *exponitur. S. Hieronymus obseruat ipsum tribus nominibus appellatum esse: primò,* Esau, *quod factũ interpretatur, quasi* עָשׂוּי *asui, id est* perfectus; *erat enim hispidus instar viri perfecti: secundò,* שֵׂעִיר Seir, *id est* pilosus: *tertiò,* אֱדוֹם Edom, *id est* rufus, sanguinatius, *& vt hic Cyrillus vertit,* γήϊνος *seu* terrenus, *tum à rufo colore, tum potius, vt ibidem Cyrillus indicat, à coctione rufâ, pro quâ vendidit primogenita sua Iacob, Gen. 25.*

Ibidem: Iacob verò supplantator, hoc est artifex, siue vincẽdi peritus.] *Cui interpretationi etiam S. Hieronymus subscribit, & passim omnes.* יַעֲקֹב Iacob *enim quasi ab* עָקֵב *ekeb quod* plantã *significat.*

Nvm. 59. *sub medium,* Nephthalim autem, Latitudo.] *Sic etiam illud interpretatur S. Hieronymus: in Catalogo autem nominum Hebraicorum post Biblia explicatur* æquiparatio.

Ibid. Interpretatur autem Tentatio quidẽ Gad.] *In Catalogo autem Biblico propriorum nominum* felix *&* accinctus. Diuitiæ verò Aser.] *D. Hieronymus vertit etiam* Beatitudo, *quod in idem incidit, cùm diuites secundùm hominẽ beati dicantur.* Bonus verò odor & Benedictio, Zabulon.] *S. Hieronymus autem in cap. 1. Aggæi illud* fluxus noctis *interpretatur, & Catalogus Biblicus,* habitaculum.

Ibidem *infrà:* Interpretatur enim Ioseph Additio Dei.] *Secundùm S. Hieronymum* augmentum. Beniamin, filius doloris.] *Fortè voluit dicere* Benoni; *isto enim nomine primùm à matre vocatus fuit, quod* filium doloris *sonat. Nam* Beniamin, *quod nomen posteà à patre accepit, vt interpretatur D. Hieronymus & alij passim,* filium dexteræ *significat.*

Nvm. 60. Virga verò Emmanuelem præfigurat.] *Ita etiam, vt S. Hieronymus testatur in c. 1. Ieremiæ,* quidam virgam vigilantem atque nuceam, intelligunt Dominum, de quo ait Isaias c. 11. Exiet virga de radice Iesse, *&c. Hinc etiam, teste eodem S. Cyrillo lib. 9. contra Iulianum,* volentes hieroglyphi significare Deum, pingebant oculum cui baculum substituebant, vt videlicet per oculum intelligatur, quòd Deus omnia videat; & per stantem baculum, quòd nullo modo diuina natura labefactari possit, sed quasi semper stare, & quodam modò sustinere & fundare omnia dicatur. *Quod etiam hîc insinuat, cùm subiungit,* ὃ ἔρεισμα πεποιήμεθα, *id est,* quod stabilimentum facti sumus, *vel* ὅ, *id est,* cuius, *&c.*

Ibidem: Nucea verò vigilantiæ est signum.] *Vt is clarum est ex Ieremia cap. 1. v. 11. ibi siquidem, vbi Vulgata habet,* virgam vigilantem ego video, *apud Septuaginta Græcè legitur,* βακτηρίαν καρυΐνην, *id est* baculum nuceum. *Ad quem locum pulchrè Senetus in Catenâ ex Epistolâ ad Theodorum Archiepiscopum.* Φασὶ γὰρ οἱ ταῦτα περιεργασάμενοι, τὴν καρυΐνην ῥάβδον, καὶ μὴν, καὶ τὸ κάρυα φυσικῶς ἐγρηγορέναι τοῖς αὐτῶν μετεχόντων ἐμποιεῖν. *Id est:* Dicunt enim harum rerum inuestigatores, nuceam virgam, nucesque ipsas naturæ suæ vi, eos secum habentes vigilantes reddere.

dere. *Quod ipsum etiam Cyrillus libro 10. de Adoratione tradit.*

NVM. 62. Vocabitur verò etiã Israel, hoc est Deũ videns.] *Sic etiam nomen hoc interpretantur D. Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 39. Philo, Nazianzenus, Hilarius, Eusebius, quasi ab* איש ראה אל is roë el. *S. Hieronymus exponit* ישר אל iescar el, *id est* rectus Dei. *Sed vti notat Cornelius in Genesim, ibi vtrobique scribitur per* schin *asperum, cùm Israel soleat scribi per* sin *lene; quare genuinam putat nominis istius etymologiam esse* שרה אל sara el, *id est* dominatus est Deo. *inde enim* sar *vocatur* Dominus, *&* Sara Domina, *vel* qui dominabitur Deo: *potest enim τὸ* ישרה ijsra *in Israel accipi vt Futurum, licet aliàs in nominibus proprijs* iod *addi soleat, non vt Futurum, sed vt hee̊manticum. Hoc autem esse etymon* Israel, *patet ex verbis Angeli; ait enim.* Vocaberis Israel, *quia* שרית sarita, *id est*, præualuisti, *&* dominatus es Deo. *Ita Septuaginta. S. Hieronymus, & Aquila, qui vertit* regnasti cum Deo, *id est, contra Deum. Vnde in Catalogo Biblico rectè Israel explicatur* præualens Deo.

IBID. Non autẽ nomen Deus enuntiat, per hoc significans quod sit à naturâ.] *Alludens ad illud Exod. 3. vbi Deus Moysi nomen eius petenti respondet,* Ego sum, qui sum. *scilicet per essentiam, quam nullum nomen proprium, prout in se vere est, nobis explicare potest. Hinc D. Dionysius lib. 1. de Diuinis nominibus cap. 1. nomen Dei* ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα τὸ ἀνώνυμον *vocat, id est*, nomen quod super omne nomen & innominabile est. *Vnde Theodoretus in Catenâ in Ieremiam.* Πολλὰ μὲν οὖν αὐτοῦ τὰ ὀνόματα, καὶ πάντα ὅσα λέγεται ὄντως ἐστὶ, καὶ οὐδὲν τοιοῦτον λέγεται οἷον ἐστίν. Multa quidem illius nomina, vereque est quidquid ille dicitur, nec tale quidquam dicitur qualis est.

S. LVCÆ CAPVT IV.

1. IESVS autem plenus Spiritu sancto
regressus est à Iordane: & agebatur à Spiritu in desertum
2. diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis: & cõsummatis illis esurijt.
3. Dixit autem illi diabolus: Si filius
Dei es, dic lapidi huic vt panis fiat.
4. Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est: "Quia non in solo pane vi-
uit homo, sed in omni verbo Dei.

a Deut. 8, 3 Matth. 4, 4

CYRILLVS.

1. ILLVD enim Agebatur non est magis quàm illud Abripiebatur, sed [indicat] quòd deduceretur ac gubernaretur. Siquidem gubernabatur Dominus in Spiritu, hoc est spiritualiter.

ISIDORVS l. 1. ep. 75.

2. Si enim Christus in desertum ductus fuerit vt tentaretur cùm esset Deus incarnatus, quid mirum est tibi cum tentationibus luctam esse. Ad solam igitur Christi victoriam legitimè partam confidenter animum adijce. Vana enim gloria conculcata est, extincta superbia, oppressa auaritia, & aduersarius pudore suffusus, nullâ suarum sagittarum ipsum traijcere valens. Ad eumdem modum si te fortiter gesseris, ac vulnerantes animam gladios superaueris, pro propugnaculo possidens affectuum vacuitatem; Angeli tibi post luctam ministrabunt, non quidem seruilem in modum ministrantes (cùm hoc soli Deo debeatur) sed victoris in morem te coronantes. Hanc enim mercedem habet qui in præsenti certamine strenuè se gesserit.

Legitimè certans coronatur.

NAZIANZENVS.

3. Ieiunium autem erat vnctio ad luctandum cum inimico, tentatio verò exploratio diuinæ complexionis.

CYRILLVS

4. Rebus quidem à terrâ petitis terrenum nostrum corpus alitur, & auxilium ab eo quod sibi cognatum est quærit. Anima verò rationis particeps, per Dei verbum ad robur spiritale promouetur. Cibi siquidem terrestres sibi cognatum corpus nutriunt, superni verò ac cælestes corroborant spiritum. Cibus mentis verbum Dei, & panis spiritalis confirmans cor hominis, vt in libro Psalmorum canitur. Tales autem esse dicimus etiam ipsorum beatorum Angelorum cibos.

Corpus terreno animus spiritali cibo nutritur.

ANNOTATIONES.

VERS. 1.

IESVS AVTEM PLENVS SPIRITV SANCTO.] ORIGENES *Hom. 19. in Lucam*, Quando, *inquit*, legis Iesum plenum Spiritu sancto, & in Actibus scribit de Apostolis, quòd repleti fuerint Spiritu sancto, vide ne æquales putes esse Apostolos Saluatori. Quomodo enim si volueris dicere, Hæc vasa plena sunt vino vel oleo, non statim dices quòd æquali mensurâ sunt plena: sic & Iesus & Paulus pleni erant Spiritu sancto, sed vas Pauli multò minus erat quàm Iesu, & tamen erat secundùm mensuram suam vtrumque repletum. Accepto itaque Baptismo Saluator plenus Spiritu sancto dicitur, qui super eum in specie columbæ de cælis venerat. Ducebatur à Spiritu, quia quotquot Spiritu ducuntur, hi filij Dei sunt: ipse autem supra omnes propriè Filius Dei erat.

Aliâ plenitudine Christus, aliâ Apostoli spiritu pleni erant.

NVM. 1. Illud enim Agebatur nõ est magis quàm illud Abripiebatur.] *Nota, τὸ, ἀπεφέρετο non legi apud Euangelistas de Christo in desertũ abducto: sed S. quidẽ Matthæum c. 4. v. 1. habere τὸ, ἀνήχθη*, ductus est *seu* subductus ac sequestratus, *cùm a turbis, tum etiam per efficaciam Spiritus, vt S. Marcus indicat cap. 1. vers. 12. dicens,* εὐθὺς τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει, εἰς τὴν ἔρημον. Et statim Spiritus expulit eum in desertum. *quasi impetum ac fortitudinem quâ hostem aggrediebatur significans. Quòd autem per πνεῦμα hic Spiritus sanctus significetur, patet ex ijs quæ immediatè præcedunt & sequuntur, vbi Spiritus opponitur diabolo, qui sequitur; tum etiam, quia πνεῦμα seu* Spiritus *absolutè positus, maximè cum articulo, significat Spiritum sanctum, vt ex Didymo S. Hieronymus obseruat.*

Christus à Spiritu sancto in desertum ductus.

S. AMBROSIVS *lib. 4. in Lucam ad hunc locum,*

Ago-

Cur Christus in desertum ductus sit.

Agebatur, *inquit*, consilio in desertum, vt diabolum prouocaret. Nam nisi ille certasset, non mihi iste vicisset. Mysterio, vt illum Adam de exilio liberaret, qui de paradiso in desertum eiectus est: exemplo, vt ostenderet, nobis diabolum ad meliora tendentibus inuidere, & tunc magis esse cauendum, ne mysterij gratiam deserat mentis infirmitas.

NVM. 2. Vt tentaretur.] *Causam nobis & modum tentationis eius pulchrè describit* S. DAMASCENVS *l. 3. de Fide c. 2.* Tentatus est & vicit, vt nobis victoriã pararet, & daret naturæ virtutem vincendi aduersariũ, vt natura olim victa, per quas suggestiones olim victa fuisset, per illas vinceret & antiquum victorem. Malignus igitur deforis suggerebat, non per cogitationes, quemadmodum etiam Adamo, cui siquidem non per cogitationes, sed per serpentem. Dominus autem suggestionem repellebat, & velut fumum dissoluebat, vt suggestiuæ ipsi passiones expugnatæ, & victæ, nobis etiam facilè expugnabiles euadant: & sic nouus Adam, antiquum reparet ad salutem.

Tribus tentationibus vt Adam sic Christus tentatus.

Idcircò etiam eiusdem ferè generis tentationibus appetitus est Christus, vti pulchrè docet S. GREGORIVS *Hom. 16. his verbis:* Antiquus hostis primum hominem tribus tentationibus pulsauit, gulâ, vanâ gloriâ, & auaritiâ; & eum tentando superauit, quia eum sibi per consensum subdidit. Gulâ tentauit, cùm cibum ligni vetiti ostendit: vanâ gloriâ, cùm dixit, Eritis sicut Dij: auaritiâ, cùm dixit Scientes bonum & malũ. Auaritia enim non solùm pecuniæ est, sed etiam altitudinis. Sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis secundo homini, id est Christo Domino, tentator succubuit.

CASSIANVS *hisce non dissimilia dicit Collatione 5. cap. 6.* In his vitijs, *inquit*, Christum tantummodò diabolus tentat, in quibus etiam primum hominem deceperat, conijciens hunc quoque velut hominem similiter in ceteris illudendum, si eum in illis quibus priorem deiecerat sensisset elisum.

Tentamur omnes ad similitudinem Adæ & Euæ.

Nos quoque omnes ad similitudinem primorum parentum tentari, pulchre ostendit S. GREGORIVS *l. 14. Moralium, cap. 7. & 8. vbi ait:* Quod tunc in paradiso antiquus serpens egit, hoc quotidie agere non sistit. Verba Dei de cordibus hominum molitur euellere, atque in eis ficta promissionis suæ blandimenta radicare quotidie. Hoc quod Deus minatur, leuigat; & ad hoc credendum quod falsò promittit, inuitat. Falsò enim pollicetur temporalia, vt mentibus hominum ea supplicia leuiget, quæ Deus minatur æterna. Sed quia diuino munere redemptus homo, iustitiam recepit robustiorem, se iam contra blandimenta callidæ persuasionis erexit; quia experimento didicit, quantum obediens esse debeat præcepto.

Recèns conuersos tentari.

Tentationes autem iam inde à principio conuersionis insurgere, docet ORIGENES *in illud Exodi 1.* Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proijcite. Videte, *inquit*, quid princeps huius mundi præcipit suis, vt infantes nostros rapiant, & in flumen proijciant; primæ statim natiuitati nostrorum insidiantes continuò, vt cùm vbera Ecclesiæ prima contigerint, irruant, diripiant, persequantur, vndis & fluctibus huius sæculi absorbeant. Vide, statim vt natus, imò vt renatus fueris, quid tibi immineat.

Matth. 4, 1 Hoc illud est quod legimus, quia Iesus statim vt ascendit de baptismo ductus est à Spiritu in deser-

Psal. 68. 3. tum, vt tentaretur à diabolo. Hoc etiam fortasse est, quod per Prophetam dicitur, Quia intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Sed propterea Christus superauit & vicit, vt tibi vincendi iter aperiret. Propterea ieiunans vicit, vt & tu scias, huiusmodi genus dæmoniorum ieiunijs & orationibus superandum. Propterea & oblata sibi regna mundi, & gloriam eorum contemnit, vt & tu contemnens gloriam mundi, possis superare tentantẽ.

Tentatio sequitur iustitiam, vt vmbra lucem.

Nec incipientes & conuersos tantùm, sed etiam iustificatos iam ac proficientes tentationibus assiduis concuti, pulchrâ similitudine declarat S. GREGORIVS *lib. 8. Moralium cap. 6.* Ex hoc quod priùs refert Moyses, Fiat lux, & paulò pòst ait, Factũ est vespere, dicit quòd Creator omnium, humanæ culpæ præscius, tunc expressit in tempore, quod nunc versatur in mente: Quia nimirum lucem rectitudinis, vmbra sequitur tentationis. Numquam enim in hac vitâ sic peccatum deseritur per exercitationem iustitiæ, vt in eadem iustitiâ inconuersè maneatur. Quia etsi iam à cordis habitaculo culpam rectitudo eliminat, ipsa tamen culpa quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus adstans, vt sibi aperiatur pulsat. Sed quia electorum lux tentationibus non extinguitur, nequaquam nox sed vespera facta perhibetur post lucem. Tentatio enim lumen iustitiæ eis abscondit, sed non interimit: quia etsi ad pallorem trepidationis pertrahit, funditus tamen non extinguit. Gen. 1, 3.

Cur Christus quadraginta diebus ieiunaris.

VERS. 2. ET NIHIL MANDVCAVIT IN DIEBVS ILLIS.] RVPERTVS *aptè ad hunc locum*, In eo, *inquit*, quòd ibi fuit sine cibo & potu quadraginta diebus & quadraginta noctibus Moyses, vtiliter satis prouidit Diuinitas, quatenus idoneum haberet testimonium Christi humanitas. Ille namque ieiunare habebat quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vt pro gulâ peccatoris primi hominis, innocens hic homo secundus ordinatâ satisfactione vapularet; nobisque in se credentibus, quem ille manducando perdidit cibum vitæ æternæ, ieiunando acquireret.

Differentia inter ieiunium Christi & Moysis.

Quanta autem inter Christi & Moysis ieiunium intercesserit differentia, optimè ostendit MAXIMVS TAVRINENSIS *Episcopus Hom. 3. de Ieiunio.* Quantum, *inquit*, distat seruus à Domino, tantũ necesse est eorum distare ieiunium. Moyses enim editor veteris legis est, Christus conditor noui Testamenti. Ieiunat Moyses, vt præceptis legalibus vnius populi erudiat disciplinam, Christus ieiunat, vt vniuersas totius mundi redimat gentes. Ieiunat Moyses, vt præsentis vitæ mandata suscipiat: ieiunat Christus, vt æternæ salutis Sacramenta constituat. Ieiunat Moyses, vt Deum videret: ieiunat & Christus, vt vnum se esse cum Deo, dum diabolum triumphat, ostenderet. Moyses post ieiunium, scriptas Dei digito tabulas populo præuaricante confregit: Christus post ieiunium, mansurum per sæcula Euangelium consecrauit. Quid illud autem est, quòd cùm vterque quadragenos ieiunauerit dies, non vterque esurijsse perhibetur? Moyses vtique non esuriuit, vt in homine fragili operata Diuinitas probaretur: esuriuit Dei Filius, vt assumptione carnis nostræ fragilem suscepisse hominem reuelaret. Quòd non esuriuit Moyses, cælestis est possibilitatis exemplum: quòd esurijt Christus, nostræ redemptionis est sacramentum. Vt homo esurijt, & esurientes pascit vt Deus. Hinc, quòd fatigatur itinere, & claudis virtutem tribuit ambulandi: hinc, quòd oculos suos laxat in lacrymis, &

Christus vt nos fortes efficeret ipse infirmatus est.

mira-

mirabiliter cæcis reformat aspectum: hinc, quòd appropiante morte tristatur, & mortuum Lazarum suscitat de sepulcro.

A ieiunio vtraque lex incepit.

Quomodo autem vtraque lex à ieiunio cœperit, pulchre nobis ostendit S. CHRYSOSTOMVS *Serm. 1. de Ieiunio.* Ieiunium, *inquit*, Moysis primâ vice detulit Iudæis legem à monte, sed priusquam deferretur lex, visus est populus veritatem amisisse. Prima lex: Dominus Deus tuus vnus est. & mandatum suscepturi dicunt: Hi dij tui. Magna infirmitas. Nam & pro Deo viuo, simulacrum vituli venerati sunt. Quod ergo in huiusmodi pharmacum? Iterùm ieiunat Moyses, qui non peccauerat, & ignoscitur peccantibus peccatum. Veteris legis ratio à ieiunio cœpit, & Testamenti noui prædicatio à ieiunio initium sumpsit. Baptizatus enim Saluator propter nos, & profectus in eremum, priùs ieiunauit, & tunc signa facere cœpit, non ipse ieiunio opus habens, nos autem docens pro vitiis ieiunij præmissionem. Si igitur vetus lex à ieiunio incipit, & noua ab eo fundamenta ponit, ne putemus malum esse ieiunium.

Christus primo ieiunauit, & postea signa fecit.

Vtilitates ieiunij, & saturitatis damna.

Quantum autem (*inquit* S. AVGVSTINVS *Sermone 65. de Tempore*) sit bonum ieiunij, videamus. Moyses ieiunio legem Domini accipere meruit, per quam populis imperaret. Impetrauerunt vnius hominis ieiunia, quod totius populi saturitas desperauerat. Aduertamus ergo quanta sit inter ieiunium & saturitatem distantia, inter ventrem vacuum, & pulmones epulis æstuantes. Moyses quia ieiunauit, Dominum vidit: populus quia manducauit & bibit, idola fabricatus est. Princeps ille humani generis Adam, quamdiu ieiunauit, seruans mandatum, in paradiso fuit: vbi verò comedit, eiectus est de paradiso: & qui in paradiso virgo fuerat, egressus de paradiso cognouit vxorem; semper enim iuncta est saturitati lasciuia. Vicina sibi sunt venter & genitalia: & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. Eiecit ergo nos de paradiso cibus, reducat esuries, reducat ieiunium.

Tempus Quadragesimale à Christo ieiunio consecratum obseruandum.

Hoc autem quadraginta dierum continuato ieiunio, Quadragesimale, quod Ecclesia præcipit, ieiunij tempus Christum consecrasse Patres consentiunt.

NAZIANZENVS *Orat. 3. in Lauacro:* Ieiuniū, *inquiens*, Quadragesimale vnū est, nostrū & Christi.

S. IGNATIVS *in Epistolâ ad Philemonem ait:* Quadragesimam ne contemnatis. Imitationem enim continet dispensationis Dominicæ, & passionis hebdomadem ne despiciatis: quarto & quinto die, qui est parasceues, ieiunate, & pauperibus reliquias distribuite.

S. AVGVSTINVS *Epist. ad Ianuarium quæst. 119. cap. 15.* Quadragesimæ sanè ieiunium habet auctoritatem & in veteribus libris, ex ieiunio Moysi & Eliæ, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit. *Et Sermone 77. de Tempore:* Quadragesimam abstinendo ipse Dominus consecrauit, & tot dierum & noctium curriculo cibum omnino non capiens, vnum ac solidum ieiunij tempus effecit. Totum non obseruare, sacrilegum est; ex parte autem violare, peccatum est. *Et Sermone 2. de Tempore*, Tempus, *inquit*, Quadragesimæ venit, & ideò rogo, dilectissimi, vt dies illos corporibus salubres, & animæ medicinales, ita cum Dei adiutorio sanctè ac spiritualiter celebremus, vt obseruatio sanctæ Quadragesimæ non nobis iudicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos nimijs occupationibus implicamus, si castitatem seruare nolumus, si ieiunijs & vigilijs & orationibus non insistimus, si Scripturas diuinas aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus; ipsa nobis medicamenta conuertuntur in vulnera, & inde habebimus iudicium, vnde habere potuimus remedium. *Et Sermone 64. de Tempore:* Meritò etiam nos hunc dierum numerum custodire debemus ieiunijs, quem per talia exempla legimus consecratum. Hi enim dies abstinentiæ & ieiunijs dedicati tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt.

Quadragesima piè transigenda.

Ieiunium sit cuiusque viribus commensum.

NAZIANZENVS *in Catenâ aureâ ad hunc locum*, Quadraginta, *inquit*, diebus Christus ieiunauit nihil manducans, erat enim Deus: nos autem ieiunium possibilitati proportionamus, licet zelus aliquibus progredi suadeat vltra posse.

Ieiunium non sit indiscretum.

Sed tamen non sic vtendum est carne, *inquit ibidem* S. BASILIVS, vt per egestatem alimenti naturalis vigor eius soluatur, neque vt ad vltimatum torporem intellectus vrgeatur per dissolutionis excessum: vnde Dominus noster semel hoc peregit, sed per totum consequens tempus ordine debito gubernauit corpus, & similiter Moyses & Elias.

Numerus quadragesimus mysticus in ieiunio obseruandus.

S. AMBROSIVS *lib. 4. in Lucam*, Quadraginta, *inquit*, dierum mysticum numerum recognoscis: tot enim diebus aquas abyssi effusas esse inuenisti, & tot ieiunio dierum sanctificato refusam cæli serenioris ostendit clementiam: tot dierum ieiunio Moyses perceptionem legis emeruit, tot annos in eremo constituti Patres panem Angelorum consecuti sunt, nec antequam mystici numeri tempus explerent, Terram promissionis intrare meruerunt. Tot ieiunij dierum Domini nobis in Euangelio patescit ingressus. Vnde si quis Euangelij gloriam, fructumque Resurrectionis optat adipisci, mystici ieiunij præuaricator esse non debet: quod & in lege Moyses, & in Euangelio suo Christus vtriusque Testamenti auctoritate præscripsit fidele virtutis esse certamen.

In Quadragesimâ decimas temporum persoluimus.

Hos autem Quadragesimalis ieiunij dies tamquam primitias & totius anni decimas Domino fideliter persoluendas monet CASSIANVS *Collatione 21. capite 13. & 26. his verbis:* Itaque qui substantiarum nostrarum, omniumque fructuum decimas offerre præcipitur, multò magis necesse est, vt ipsius quoque conuersationis nostræ, & humani vsus operumque nostrorum decimas offeramus; quæ profectò in supputatione Quadragesimæ euidenter implentur. Omnium enim dierum numerus, quibus resolutus in orbem annua includitur, triginta sex semis dierum numero decimatur. In septem namque hebdomadibus, si dies Dominici subtrahantur, triginta sex supersunt dies ieiunijs deputati; imò etiam pro decimis quinque dierum qui residui videbantur, si illud quod superest adiectum noctis spatium vsque ad galli cantum computetur, plenitudinis totius summæ omnino non deerit.

Quadragesima sacramentum est laboriosi temporis vitæ humanæ.

Numerus autem iste, *inquit* S. AVGVSTINVS *lib. 2. cap. 4. de Consensu Euangelico*, laboriosi huius temporis sacramentum est, quo sub disciplinâ Regis Christi aduersus diabolum dimicamus. Hic enim numerus temporalem vitam significat; tempora enim annorum quadripartitis vicibus currunt: quadraginta autem quater habent decem. Porrò ipsa decem ab vno vsque ad quatuor progrediente numero consummantur. Quod decla-

rat, quòd quadraginta dierum ieiunium, hoc est humiliationem animæ consecrauit, lex & Prophetæ per Moysen & Eliam, & Euangelium per ipsius Domini ieiunium.

IBIDEM VERS. 2. ET CONSVMMATIS ILLIS POSTEA ESVRIIT.] *Vnde colligitur, Christum antea non esuriuisse, Diuinitate scilicet corpus sine esurie conseruante, & suspendente actionem caloris naturalis aliorumque contrariorum agentium. Ita Origenes, Hilarius, Chrysostomus in cap. 4. Matth. Cibus ergo Christi, vti & Moysis, erat oratio, & Dei alloquium: posteà tamen esuriit vt se hominem ostenderet, & vt, sicut ait* S. AMBROSIVS *l. 4. in Lucam cap. 2.* fames Domini pia fraus esset diaboli, vt famis specie lactatus tentaret vt hominem.

Diabolus dubitat Christum an sit Filius Dei. VERS. 3. DIXIT AVTEM ILLI DIABOLVS: SI FILIVS DEI ES.] *Audiuerat siquidem Patris oraculum & S. Ioannis testimonium de Christo quod esset Filius Dei: sed quia aliâ ex parte videbat eum hominem infirmum, alijs similem, idcircò dubitat an verè esset Filius Dei naturalis, an tantùm adoptiuus, & singulari aliquâ Dei Patris beneuolentiâ, propter virtutis eminentiam, Dei Filius nuncupatus. Tentat itaque Christum, vt aliquo miraculo ostendat se Filium Dei, vt videlicet ex eo, aut eius impotentiâ, alterutrum cognosceret; vel etiam vt ipsum alliceret ad vanam ostentationem, vel ad diffidendum auxilio diuino; aut denique vt ipsum per gulam alliceret, quomodo etiam tentauit primos parentes. Gulæ enim fuisset, hîc etiam ob famem diabolo credere, & obedire per miraculum* Suadebat enim, *vt inquit* BASILIVS *in Catenâ aureâ*, lapidibus appetitū date, hoc est, permutare desiderium ab alimento naturali ad existentiam præter naturam. Dissipator autem tentationum Christus non repellit à naturâ famem, *sed per Scripturas confundit tentatorem, dicens:*

Verbū Dei cibus animæ. VERS. 4. NON IN PANE SOLO VIVIT HOMO, SED IN OMNI VERBO DEI.] *Vbi nota Hebræam enallagen,* in, *id est*, ex omni verbo, *vt noster vertit Deuteronomij cap. 8. v. 3. Hebraicè est*, super omne quod egreditur os Domini viuet homo, *id est, vt P. Cornelius ibidem ait, re quacumque quam iusserit Dominus, aut ordinarit ad vitæ sustentationem, vti Iudæos sine pane mannâ aluit per quadraginta annos. de eo enim ibi loquitur Moyses. Sic Moysen, Eliam, Christum quadraginta diebus, alloquio Dei & virtute suâ naturam conseruante, sine cibo sustentauit. Similem Hebraismum & loquendi modum vide Ieremiæ cap. 44. v. 17. & Gen. 20 vers. 51. Mysticè autem S. Ambrosius* in omni verbo, *id est alimento verbi cælestis quo alitur anima, præ quo fames corporis est negligenda.*

VERS. 5. Et duxit illum diabolus in
montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,
6. & ait illi: Tibi dabo potestatem
hanc vniuersam, & gloriam illorū: quia mihi tradita sunt; & cui volo do illa.
7. Tu ergo si adoraueris coram me,
erunt tua omnia.
[a] Deut. 6, 13. 10, 20. 8. Et respondens Iesus, dixit illi: [a] Scri-
ptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.

5. TV verò considera quomodo Christus non fuerit indignatus, sed diabolo cum magnâ mansuetudine per Scripturas responderit; Christumque hac in parte pro virili imitare, nec amplius te talem effectum diabolus vel in faciem quidem ex aduerso aspicere in posterum poterit. Nouit vtique insigne Regium, Christi arma cognouit quibus superatus fuit. Quænam autem sunt illa? modestia ac mansuetudo. Etenim quando in monte ipsum aggredientem prostrauit atque deleuit, non agnoscebatur quòd Christus esset, sed suis verbis hisce ipsum irretiuit, suâ modestiâ cepit, suâ mansuetudine fugauit. Hoc etiam tu fac, si videris hominem diabolum effectum, & te aggredientem, sic vincito. Doce animam tuam conformare os tuum ori Christi: conformatur autem illi non per materiam aliquam, sed per virtutem solam & modestiā atque humilitatem; sicut etiam diaboli os configitur execrationibus, contumelijs, periurijs. Omni itaque studio contendamus, & linguam nostram doceamus Dominum suum imitari, nisi enim linguâ ipsius loqui noueris, à Iudice nequaquam audieris. *CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom. 79.* *Diabolus quibus armis superandus.*

ANNOTATIONES.

ET DVXIT ILLVM DIABOLVS IN MONTEM EXCELSVM.] *S. Matthæus habet* παραλαμβάνει, *id est* assumpsit. *Vbi quæritur, qualis fuerit hæc assumptio. S. Cyprianus Sermone de Ieiunio & tentatione Christi, putat hanc phantasticam non realem fuisse assumptionem, quales sunt visiones Ezechielis, & quales solent esse translationes sagarum. Sed indignum videtur credere tam falsò diabolum Christo illusisse. Euthymius autem & S. Anselmus, vti & Origenes Homiliâ 31. in Lucam, putant Christum eò pedibus ductum, idque ne se proderet diabolus. Denique S. Hieronymus hîc & S. Gregorius, vti & Auctor Imperfecti, ac D. Thomas 3. parte quæst. 41 art. 4 ad 7. & Glossa in Matthæum putant Christum eò per aëra à diabolo raptum. Quæ sententia verisimilior videtur, & exprimit τὸ παραλαμβάνειν quo Matthæus vtitur. Sed difficultas hic oritur, quomodo diabolus id fecerit, se non prodendo. Ad quod dici potest, quòd velut Angelus lucis illum transtulerit, quia se suspectum, imò quasi perspectum esse Christo metuebat. S. etiam Chrysostomus in cap. 4. Matth. & post eum D. Thomas loco suprà citato, dicunt, quòd licet diabolus sic Christum assumeret vt ab omnibus videretur, Christum tamen diabolo nesciente sic egisse inuisibiliter vt à nemine videretur, idque vel continendo diffusionem specierum corporis sui, vel non concurrendo cum oculis videntium ad actum hunc visionis. Sequitur* *VERS. 5. Diabolus vt Christū duxerit de loco in locum.*

IBID. ET OSTENDIT ILLI OMNIA REGNA.] *Vbi* THEOPHYLACTVS *rogat:* Πῶς δὲ ὑπέδειξε; Τινὲς μὲν λέγουσιν, ὅτι κατὰ διάνοιαν αὐτῷ ὑπέδειξε πάντας· ἐγὼ δὲ οὐ κατὰ διάνοιαν οἶμαι, ἀλλ᾽ αἰσθητῶς πάντα αὐτῷ ὑπέδειξεν, ἐν φαντασίᾳ ποιήσας φανῆναι, τοῦ Κυρίου μὴ φανταζομένου. Sed quomodo, *inquit*, ostendit? Nonnulli quidem aiunt quòd menti ipsius ea proposuerit: verùm ego existimo quòd non mente sed sensibiliter illa *Diabolus quomodo Christo regna mundi ostenderit.*

illa ipsi ostenderit, faciendo ea in phantasiâ apparere, Domino in phantasiâ minimè decepto. *Quæ mihi sententia verisimilior videtur, quàm S. Cypriani, qui existimat hanc regnorum visionem non sensibilem, sed imaginariam fuisse. Probabile igitur est, vt tradit Auctor Imperfecti in Matth. cap. 4. cum Euthymio & D. Thomâ suprà art. 4. qu. 41. diabolum Christo cuiusque Regni plagam saltem confusè demonstrasse, aut etiam omnium Regnorum imagines nouo quodam modo distinctè repræsentasse instar pictoris, faciendo per illas imagines omnia gloriosa apparere eius oculis, quomodo S. Benedicti oculis Deus totum mundum obiecit in globo, teste S. Gregorio secundo Dialogi cap. 35. Hæc autem omnia ipsi ostendit, vt hîc S. Lucas ait,* ἐν στιγμῇ χρόνου, in momẽto temporis. *Vbi* S. AMBROSIVS, Benè, *inquit*, in momento temporis sæcularia & terrena monstrantur; non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpè honor sæculi abijt antequam venerit.

AVCTOR IMPERFECTI *Hom. 5. in Matthæum, sumptâ à nautis comparatione, explicat quomodo diabolus Christo omnia mundi Regna potuerit ostendere.* Si, *inquit*, nautæ vnam stellam aspicientes, non dicam vnamquamque prouinciam vel insulam, sed ad vnamquamque ciuitatem, sed ad singula loca quæ petunt, sine aliquo errore aut diuagatione dirigunt cursum: quantò magis diabolus, qui princeps aëris constitutus, totam terram non solùm sciebat, sed etiam videbat? Poterat ergo Christo singula loca digito demonstrare, & vniuscuiusque Regni honores & statum verbis exponere.

Diabolus temporalia donat vt animas perdat.

VERS. 6. TIBI DABO POTESTATEM HANC VNIVERSAM.] *Idem* AVCTOR IMPERFECTI *Hom. 27.* Sicut, *inquit*, homo malignus si viderit aliquem orphanum habere substantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat ei interdum aliquod speciosum vestimentum, loquitur illi dulces sermones, donec tollat facultates eius: sic & diabolus, videns hominem habentem in se thesaurum cælestem, id est animam immortalem à Deo creatam, sapientem, cælestem, in arcâ terrenâ positam: ideò ostendit illi aurum, & argentum, & concupiscibilia ornamenta, ostendit illi vestes speciosas, & deliciosos cibos, & gloriosos honores, vt per hoc subiugans eum voluptatibus suis, auferat salutem animæ eius, & corrumpat gratiam cordis ipsius. *Hisce non dissimilia adfert* CLEMENS ALEXANDRINVS *lib. 2. Stromatum, aptâ hac vtens similitudine:* Quemadmodum qui pecora abigunt, frondes porrigunt: ita dæmones omnia fortunæ ludibria & voluptates animabus prætendunt, quò possint tandem eas inescare & in seruitutem redigere.

Quomodo Christus diaboli superbiam virtute humilitatis extinxerit.

VERS. 7. TV ERGO SI ADORAVERIS CORAM ME, ERVNT OMNIA TVA.] *Hîc sese manifestò prodit primogenitus satanæ, qui ab initio diuinum honorem affectauit, sed Christi humilitate deiectus atque eneruatus fuit, vti pulchre docet* CASSIANVS *lib. 12. cap. 8. de Spiritu superbiæ.* Ideò, *inquit*, vniuersitatis creator & medicus Deus, causam principiumque morborum superbiam esse cognoscens, contrarijs sanare contraria procurauit, vt ea scilicet quæ per superbiam corruerant, per humilitatem resurgerent.
Isa. 14,13. Ille namque dicit: In cælum conscendam. hic di-
Psal. 43,25 cit: Humiliata est in terrâ anima mea. Ille dicit: Et
Isa. 14,14. ero similis Altissimo. hic cùm esset in formâ Dei,
Philip. 2,7 exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens,
humiliauitque se factus obediens vsque ad mor-
tem. Ille dicit: Super astra Dei exaltabo solium Isa. 14,13
meum. iste verò dicit: Discite à me, quia mitis sum Matth. 11,
& humilis corde. Ille dicit: Nescio Dominum, & 29.
Israel non dimittam. iste verò dicit: Si dixero quia Exod 5, 2.
non noui eum, ero similis vobis mendax: sed noui Ioan. 8,55.
eum, & mandata eius seruo. Ille dicit: Mea sunt flu-
mina, & ego feci ea. iste verò dicit: Non possum
ego à meipso facere quidquam, sed Pater meus in Ioan. 14,10
me manens, ipse facit opera. Ille dicit: Mea sunt
omnia regna mundi, & gloria eorum, & cui volue-
ro, do ea. iste verò cùm diues esset, pauper effectus 2. Cor. 8,9.
est, vt eius inopiâ nos diuites essemus. Ille dicit:
Sicut colliguntur oua quæ derelicta sunt, sic vniuer- Isa. 10,14.
sam terram ego congregaui, & non fuit qui moue-
ret pennam, & aperiret os, & ganniret. iste verò di-
cit: Similis factus sum pellicano solitario, vigilaui, Psal. 101,7
& factus sum sicut passer solitarius in tecto. Ille
dicit: Exsiccaui vestigio pedum meorum omnes Isa. 37,25.
riuos aggerum. hic dicit: Numquid non possum Matth. 26,
rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò 53.
plus quàm duodecim legiones Angelorum? Ex illius igitur ruinâ, & huius exemplo docemur, quemadmodum euitare tam atrocem mortem superbiæ debeamus.

Deo seruire, regnare est.

VERS. 8. SCRIPTVM EST: DOMINVM DEVM TVVM ADORABIS, *&c.*] Id est, *inquit* S. MAXIMVS *Hom. 1 in Dominicâ 1. Quadragesimæ*, qui te, dæmon, adorauerit, non ei regna, sed inferos debentur: adorare autem Deum verum, eique seruire, prærogatiua regnandi est.

CHRYSOLOGVS *Serm. 3. de Tentatione Christi sic hæc intelligit, ac si Christus diabolo dicat:* Tu Dominum Deum tuum illum, cui genuflectunt omnia, non solùm cælestia & terrestria, sed etiam inferna, adorabis in inferno stridens & eiulans eum, quem ad te adorandũ modò temerarius desertor inuitas.

VERS. 9. Et duxit illum in Ierusalem,
& statuit eum super pinnam templi,
& dixit illi: Si Filius Dei es, mitte te
hinc deorsum.
10. " Scriptũ est enim quòd Angelis " Ps. 90,11
suis mandauit de te, vt conseruent te:
11. & quia in manibus tollent te, ne
fortè offendas ad lapidẽ pedem tuum.
12. Et respondens Iesus, ait illi: Di-
ctum est: " Non tentabis Dominum " Deut. 6,
Deum tuum. 16.
13. Et consummatâ omni tenta-
tione, diabolus recessit ab illo, vsque
ad tempus.

6. VIDE autem quàm subdolè per vsum Scripturarum conetur abolere gloriam Domini, quasi indigeret Angelico subsidio, veluti ad lapidem alioquin offensurus esset, nisi Angeli ipsi succurrerent. Non enim de Christo dictũ est illud Psalmi. Non enim opus habet Angelis Angelorum Dominus. Quin potiùs id asseuerauerim tibi, ô diabole, ipsos, nisi Iesus illos præseruaret, GEOMATRA.

 offen-

offensuros esse Angelos. Imò tu idcircò cecidisti de cælo, quia te tibi ipsi sufficere existimasti, nec Iesu [Christi] præsidio indige-
Psal. 90, 1. te. Vt autem cognoscas, non de Iesu dicta esse quæ suprà scripta sunt, sed ad virum iustum referri, quod adscriptum est audi. Qui habitat, inquit, in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Hoc enim iusto potiùs viro, quàm Dei Filio conuenit. & deinde: Cadent à latere tuo mille, & à dextris tuis decem millia, & quæ sequuntur, quæ etiam ipsa ad iustum referuntur.

CYRILLVS *Christus non egebat refugio.* 7. Referunt quidem perperàm nonnulli Psalmum hunc ad Christi personã, hosque versiculos ipsi accommodantes sic legunt:
Psal. 90, 9. Quoniam tu Domine spes mea, Altissimum posuisti refugium tuum. Aiunt itaque quòd Dominus refugium habeat Altissimum, nempe suum qui in cælis est Patrem. Satanas autem ipsis istiusmodi intelligentiæ occasio
Matth. 4, 6 fuit. Ipse sic intelligebat istos versiculos dicens: Si Filius Dei, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quoniam Angelis suis mandabit de te. Sycophanta enim & impostor diabolus est, & quæ dicta sunt de nobis, hæc accommudat ipsimet personæ omnium nostrûm Saluatoris Christi. Verum nos non ita intelligimus sicut intelligere solet satanas. Si autem sic illud intellexerint Arriani, nihil mirum est: sequuntur enim proprium
Ioan. 8, 44. suum patrem, qui mendax est, & non est veritas in eo, iuxta vocem Saluatoris. Hoc enim apud illos non est verum. At spem quidem nos habemus in Christo collocatam, ipse autem refugium habet Patrem. Numquid ergo ad eum qui ab alio adiuuatur confugimus, & Saluatorem vocamus eum qui ab alio saluatus est? Absit inquam hoc, absit. Æqualis est per omnia Patris Filius, vtpote character substantiæ ipsius, & Altissimus sicut & Pater eius.

ISIDORVS l. 4. ep. 164. *Angelis mandatum est de viro iusto, non de Christo.* 8. Illud quidem, Angelis suis mandauit de te, de viro iusto dictum, perperàm verò à diabolo acceptum (aut enim fallere sciens voluit, aut certè malè intellexit) clarissimè breuissimeque arguit Christus, cùm dixit:
Psal. 90, 11 Luc. 4, 12. Scriptum est, Non tentabis Dominũ Deum
Matth. 4, 7 tuum. Periclitanti enim sed non tentanti Deus auxilium promisit: in necessitate constituto, non autem se ostentanti, & vanam gloriam consectanti. Non enim, inquit, Psalmista ait, quòd hoc de me (quo & ipsi Angeli opus habent) sed de iusto viro dictũ sit.

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Hebræos. *Pericula vitanda.* 9. Certum quoniam diabolicum sit, temerè ac sine causâ se periculis obijcere, & tentare si saluet Deus. Tentantis enim est proprium, isti dicto præfidere, & in mille semetipsum pericula conijcere, dicẽdo, Videamus an Deus me hac ratione possit eripere: Videbo si Deus me liberet. Non oporret itaque sic agere, sed ex parte nostra omnia conferre, ac totum Deo committere.

10. Illud autem, Non tentabis Dominum Deum tuum, de seipso satanæ dicit Dominus. ATHANASIVS.

11. Ego autem inquirens cur apud Marthæum inanis gloriæ consideratio præcedat illam auaritiæ: apud Lucam verò è diuerso, illa auaritiæ, ista inanis gloriæ præponatur. Reperio itaque quòd auaritia & vana gloria se inuicem gignant: siquidem inaniter gloriantes diuitijs affluunt, & diuites inaniter gloriãtur. Cum igitur inanis gloria nonnumquam quidem matris vicem subeat respectu auaritiæ, nonnumquam verò filiæ, idcircò etiam Euangelistæ, hic quidem hanc, alter verò illam præponit. Quoniam autem Dominus, cùm esset naturâ Deus, propter suum in homines amorem etiam homo fieri dignatus est, sublex factus est, vt instar hominis præceptum seruans, annquam Adami auerteret maledictionem. Cùm itaque sciret in duobus hisce legis præceptis, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum, vniuersam legem pendere ac Prophetas, hæc ab initio & vsque in finem custodite, sedulò studuit vt hominem decebat. Verùm qui ab initio seduxit hominem, & per hoc potestatem mortis adeptus est diabolus, videns Christo, dum baptizaretur, à Patre testimonium datum, ipsumque quatenus hominem, cognatum sibi de cælo Spiritum suscepisse, & in desertum vt à diabolo tentaretur abductum esse, totum suum exercitũ in ipsum concitauit, si fortè posset etiam ipsi persuadere, vt res huius mundi præferret amori Dei. Sciens autem diabolus hæc esse tria, in quibus res omnes humanæ vertuntur, cibos inquam, diuitias, & gloriam, quibus etiam plerumque homines in barathro perditionis detinet, per hæc tria Christum in deserto tentauit. Quibus Dominus noster fortior apparens, diabolum abire retrò post se iussit. Hoc vtique signum erat amoris in Deum, cuius præceptum vt transgrederetur cùm promissis suis persuadere non posset; posteà mandatum amoris proximi, quod iam in orbem venerat, per perfidos Iudæos (per quos hoc machinabatur) operans, vt transgrederetur dimicauit. Hanc ob causam docente illo vias vitæ, concitauit in eum insidiosè Scribas & Pharisæos, vt illorum tentationes, vti sperabat, sustinere non valens, erga insidiantes odio commoueretur, sicque scopum suum impostor assequeretur, mandati illum de proximo diligendo transgressorem exhibens. Verùm Christus, vtpote Deus, ipsius perspectas

MAXIMVS *Inanis gloria auaritiæ mater est, vicissim auaritia inanis gloriæ.*
Matth. 4, 7 Luc. 4, 12.
Diabolus conatur semper lædere charitatem.
Matth. 22, 37.

ctas habens cogitationes, non eos qui ab ipso concitati erant, in odio (cùm naturâ bonus sit) sed suâ erga ipsos dilectione concitantem [diabolum] vltus fuit. Atque illos quidem, qui cùm non poterant non concitari, propter socordiam tamen suam non inuiti cuncitatorem sustiuebant, instruebat, monebat, increpabat, exprobrabat, deflebat, nec de ijsdem benè mereri cessabat. Maledictis lacessitus, patientiam exhibebat; cùm pateretur, sustinebat, & omnia charitatis officia erga illos ostendebat, & per suam erga eos qui à diabulo instigabantur beneuolentiam, ipsummet diabolum qui illos instigabat vlcisecebatur. O mirum certamen, vt pro odio amorem exhiberet, & benignitate malitiæ patrem prosterneret! ideircò tanta mala pro nobis sustinens, ad mortem vsque pro lege charitatis tam generosè decertauit, ac perfectam à diabolo victoriam referens, coronam resurrectionis pro nobis induit, atque hoc modo nouus Adam antiquum renouauit.

Christus vincebat in bono malâ.

NYSSENVS. Præmium legitimè certantiū.

12. Legitimè dimicanti in certaminibus laborum terminus est, vel quòd aduersarius labores istos non sustinens suâ sponte cedat vincenti, vel trino casu secundùm legem athleticam deponatur. Quo fit, vt victori iudicio munerariorum coronæ decus clarâ præconis voce decernatur. Cùm itaque diabolus cum Domino tertiùm in arenam descendisset, ac totidem vicibus profligatus depositusque fuisset, confusus ac bellè discerptus discessit.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 4.

13. Sed quomodu Lucas ait, quòd diabolus omnem consummauerit tentationem? Etenim nullas alias produxit in medium, præter has tres, gulæ inquam, vanæ gloriæ, & auaritiæ. Mihi itaque videtur, dum capita tentationum recenset, cuncta recensuisse, vtpote in quibus & reliquę comprehenduntur. Illud autem, Recessit ab illo, apposuit Euangelista, declarans quòd posteà non amplius per semetipsum, sed per propria sua instrumenta ipsum aggressus fuerit.

TITVS. Per quod diabolus tentet homines.

14. Postquam hasce tres tentationes consummauerat diabolus, discessit, alias enim præter has non habet. Primus Adam per ventrem tentatur, quandoquidem non habebat amplius quod appeteret, aut vnde inaniter gloriaretur, cùm esset Dominus omnium, nec quisquam alius existeret. Non autem ad iracundiam ipsum diabolus incitabat, quia non erat cui irasceretur. A gulâ itaque tum & etiamnum incepit. Quid autem est illud, Vsque ad tempus? expectabat enim nequitiam Iudæorum. Christus verò propterea venit, vt dispensationis scopum adimpleret.

ANNOTATIONES.

VERS. 9.

SI FILIVS DEI ES, MITTE TE DEORSVM] S. AMBROSIVS *lib. 4. in Lucam*, Verè, *inquit*, diabolica vox est, quæ mentem hominis de gradu altiore meritorum præcipitare contendit. Simul infirmitatem suam diabolus malitiamque designat: quia nemini potest nocere, nisi ipse deorsum se miserit. Nam qui relictis cælestibus terrena eligit, voluntarium quoddam præcipitium vitæ labentis incurrit, simul quoniam telum suum diabolus vidit obtusum, qui omnes homines propriæ subiecerat potestati, plus cœpit quàm hominem iudicare.

Diabolus non erigit hominem, sed ad præcipitia impellit.

Hisce consentit CHRYSOLOGVS *Serm. 3. de Tentatione Christi*, O signú, *exclamans*, Mitte te deorsum. Conuenientiùs dixerit, Si filius Dei es, ascende ad cælum: cùm sit hominis vtique ad ima cadere, Dei sit ad superna conscendere. Si Filius Dei es, mitte te deorsum Consilijs suis se diabolos prodit. Mitte te deorsum. Lapsus quærit, præcipitia imperat, & tali consilio per Africam Martyres facit, sine clamore, dicendo, Si vis martyr esse, mitte te deorsum, vt eos impellat de alto ad mortem, non de humili tollat & eleuet ad coronam.

IBID. Et sicut se diabolus consilijs suis prodit, ita responsione suâ Dominus se reuelat, dum ait: Non tentabis Dominum Deum tuum. Se vtique Dominum, se vtique Deú intelligi voluit, hæc dicendo, quia non de pinnâ templi tantùm se dedit ad terram, sed è cælis se ad inferos vsque iactauit, vt non cadentiú forma, sed esset resurrectio mortuorum.

Hisce igitur Christi tentationibus per diuinam dispensationem ad nostram vtique instructionem permissis, non obscurè erudimur, quibus nos maxime veterator ille diabolus soleat tentationibus impugnare, & quibus eumdem armis debeamus repellere.

Sex autem hîc potissimùm assignari possunt rationes, cur Deus hanc Christi tentationem aut permiserit aut ordinarit.

Primò, Vt Christus iam baptizatis atque conuersis ideam vitæ daret, & tentationibus statim occursantibus resistere doceret. Ita S. Chrysostomus & Hilarius in cap. 4. Matthei.

Rationes cur Christus à diabolo voluerit tentari.

Secundò, Vt ostenderet nullam omnino tentationem esse insuperabilem, sed omnes penitus vinci posse. Primò, Dei gratiâ, secundò, oratione; tertiò, ieiunio; quartò, Scripturarum, præceptorum, & promissionum Dei meditatione; quintò, fiduciâ in Deum; sextò, constantiâ atque animi fortitudine, seruantes Ecclesiastici salubria ista monita quæ tradit fusè cap. 2. contra tentationes nos muniendo dicens: Fili, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitiâ & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum, & sustine, *&c. quæ ibidem fusè.*

Tertiò, Vt Christus se hominibus & fratribus similem exhiberet & probaret, vt est ad Hebræos c. 4. v. 15. Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Quartò, Vt futuros Doctores ac Præsides tentationibus primùm probari, & firmari solitariâ meditatione oportere ostenderet. De quo vide fusè S. Basilium in Opusculo de Laudibus eremi.

Quintò, Vt Luciferum siue diabolum ad duellum prouocaret, & superaret tam eum quàm eius exercitum. Ita passim Patres suprà citati.

Sextò denique, Vt suâ tentatione & exemplo nostras

ten-

tentationes vinceret, & cum eodem hoste pugnare ac vincere doceret, & ad id gratiam ac fortitudinē nobis promereretur. Ita S. Augustinus in Psal. 60. & 90.

Permisit Deus tentationes vt participes simus victoriæ ipsius.

Permittit nos igitur Christus etiam exemplo suo tentari, vt participes simus victoriæ ipsius, vt pulchrè docet S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 16 in Matthæum, dicens:* Propterea vult Deus te aliquid laborare, vt tua quoque possit esse victoria. Et vt plerumque Rex aliquis vult quidem filium suum in acie versari, in hostem iacula torquere, exercitu esse conspicuum, vt illum profectò habeat consortē triumphi, totum verò ipsum bellum gubernat, ac peragit: ita etiam Deus cum dæmone in prælio facit. Vnum enim solum illud à te requirit, vt aduersus hostem veras inimicitias pro honore Regis & tuâ salute suscipias.

Oportet continuò exerceri contra tentationes.

Quomodo autem assiduis tentationibus nos exerceri oporteat, apposito exemplo demonstrat ibidē S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 24. his verbis:* Cùm nemo in ascesi seipsum exerceat, quomodo aliquis in certamine insignis erit atque conspicuus? Quis vnquam athleta, non ab ineunte adolescentia in palæstrâ corroboratus, potuit in Olympicis excelso & magno animo aduersarium aggredi? An non oportet quotidie luctari atque currere? Nónne vides eos, quos certaminum athletas appellant, cùm nullum fortè reluctatorem repererint, ad saccum arenâ plenum vires suas excitare, iuniores cum iunioribus, quasi cum aduersario pugnam inire? Hos imitari stude, ac ipse tecum altioris philosophiæ instituta meditare, ac confirma. Insurge contra passiones; vince animi labes.

Numquam cessandum in pugnâ spirituali.

Vt autem numquam superemur, optimum nobis consilium suggerit D. PROSPER *lib. 2. de Vitâ contemplatiuâ c. 8.* In hac vitâ quamuis strenuè dimicemus, & adiuuante Domino cateruas hostium quibus circumfundimur, prosternamus; tamen si ab eis vinci nolumus, numquam pugnare desinamus: nec vincentes securos faciunt viriliter desudata prælia, sed magis sollicitant aduersariorum rediuiua certamina.

Mille siquidem habet nocendi artes, & sæpè victum se simulat, vt nos vincat & supplantet incautos; & multos quos bello non potuit, in pace superauit. Vnde meritò S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 31. in Genesim,*

Diabolus ad homines perdendos varia habet media.

Multùm, *inquit*, sum anxius, non ignorans quàm malignus sit hostis, qui vestræ saluti insidiatur. Et quemadmodum piratæ, quando vident nauem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem diuitias, tunc potissimùm varijs moliuntur insidijs, vt possint mercibus omnibus nauigantes illos spoliare. Ita sanè & diabolus cùm viderit spirituales diuitias coaceruatas, alacritatē feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri, cruciatur, & dentibus stridet, & quasi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, vt si quà vel paruum inueniat aditum, quidquid in nobis est spiritualium diuitiarum, deprædetur. Igitur sobrij simus, obsecro: & quantò magis spirituales nostræ facultates crēscunt, tantò & vigiliæ nostræ intendantur. Mala enim bestia est, & multiplices machinationes struit. Et quando non potest rectà nos ad vitia allicere, & suis dolis inetrare, quando manifestè salutem nostram lædere nequit, sæpè per opera carnis quæ agimus, clanculò escâ illata diuitias nostras auehit omnes. Quando videt nos à manifestis vitijs abhorrere, & fugere intemperantiam, continentiam verò amplexari, & iterùm auersari auaritiam, odio habere iniustitiam; ridere & contemnere delicias, ieiunijs autem & precibus vacare, ac eleēmosynis dare operam, tunc alium comminiscitur dolum, quò pessumdet omnes nostras opes, operaq; nostra faciat inutilia. Nam eos qui magnâ constantiâ machinationes suas vicerūt, facit vt bonis operibus inflentur, & ad humanā spectent gloriam, quò scilicet à verâ eos gloriâ faciat excidere.

Quomodo artes diaboli eludendæ.

Modum autem eius machinationes eludendi optimum tradit nobis S. AVGVSTINVS *Serm. 8. ex septemdecim varijs, qui est de B. Vincentio, Tom. 10.* Benè vincere diabolum, est vniuersas machinas vincere. Illecebras dum ministrat, vincitur per continentiam: pœnas & tormenta infligit? vincitur per patientiam: errores suggerit? vincitur per sapientiam. Ad extremum cùm omnia hæc victa fuerint, suggerit animæ: Euge, euge, quantū potuisti, quantum certasti? quis tibi comparatur? quàm benè vicisti? Respondeat illi anima sancta illud Psal. 33. Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.

Diabolus bono operi triplices tendit insidias, in principio, in medio, in fine.

S. GREGORIVS *lib. 1. Moralium cap. 20. optimè etiam eius insidias detegit, dicens:* Bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur: vt videlicet aliquando in bono opere intentionem polluat. Aliquando verò intentionem boni operis vitiare non præualet, sed in ipsâ actione, se quasi in itinere opponit, vt cùm per propositum mentis securior quisque egreditur, subiuncto latenter vitio quasi ex insidijs perimatur. Aliquando verò nec intentionem vitiat, nec in itinere supplantat, sed opus bonum in fine actionis illaqueat, quantóque vel à domo cordis, vel ab itinere operis longiùs recessisse se simulat, tantò ad decipiendum bonæ actionis terminum astutiùs exspectat; & quantò incautum quemque quasi recedendo securum reddiderit, eò illum repentino nonnumquam vulnere duriùs insanabiliusque transfigit.

Omni conatu studio nos custodire debemus.

Cum igitur tot inimicorum insidijs circumueniamur, omni diligentiâ nosmetipsos muniamus necesse est. Nam, vt bene docet idem S. GREGORIVS *lib. 19. Moralium cap. 17.* Si qua ciuitas contra insidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, insomni muniatur custodiâ, vnum verò foramen tantummodò immunitum per negligentiam relinquatur, inde procoldubio hostis ingreditur, qui vndique exclusus videbatur. Vnde dictum est Prou. 4. vers. 23. Omni custodiâ serua cor tuum.

Etiam post victoriam tentationi vigilandum est.

Et vt ne post victoriam quidem securi esse debeamus, dum viuimus, apto exemplo demōstrat S. NILVS *in libro Ascetico, dicens:* Quod enim quibusdam accidit, propter auaritiam, vt dum mortuos spoliant post victoriam, sæpè interimantur à iacentibus, & turpis quæstus gratiâ post trophæa miserabiliter pereant, ad iacentem hominem & spirantem accedentes. Vt enim illi mortuos hostes ob prædam excutiendo sæpè in seminecem aliquem incidunt, & clàm lethali vulnere accepto cadunt, gloriosamque victoriam temeritate fœdant: sic nos cùm barbarum aduersarium temperantiâ & continentiâ deiecerimus, aut videbimur deiecisse; tunc spoliorum cupiditate capti, eorum nimirum quæ in pretio sunt apud homines, vt diuitiæ, principatus, bona valetudo, gloria, ad eum accedimus, aliquid quod illius sit detrahere cupientes, atque ita sponte in perniciem ruimus.

Quare rectè nos cum Apostolo monet S. CHRYSO-

STOMVS

STOMVS *Hom. 8. in Epist. 2. ad Timotheum:* Nemo requiem quærat, nemo amplectatur quietem. Nefas est pugilem Dei vacare delicijs: non licet epulati luctantem. Luctamen quidem sunt præsentia omnia, certamen, bellum, pressura, angustia, stadium. Aliud est quietis tempus, hoc ærumnis deputatum est atque sudoribus. Nullus vbi ad certamen se exuit, vnctusque est, requiem quærit. Si enim inquiris requiem, quid te exuisti? cur iactasti manum? Quâ enim ratione hîc requiem speres, cùm libidinibus indixeris bellum, atque aduersus naturam pugnare perrexeris? *Et Serm. 24. in Epistolam ad Romanos ad istam pugnam nos animans ait:* Induamur arma lucis. Ad aciem nos dies & ad pugnam vocat. Pugnam verò audiens & arma, non est quòd timeas. In sensibili quidem armaturâ durum est & exosum armari, hîc verò iucundum & dignum, quod expetatur etiam; lucis quippe sunt arma. vnde & radijs solaribus illustriorem te faciunt multum emittentia fulgorem, atque in toto etiam optimè munitum constituunt; arma siquidem sunt: deinde & splendidũ faciunt; sunt enim arma lucis. Quid igitur? Non est necesse vt prælieris, neque vt fatigeris, aut laboris molestiã subeas; neque enim bellum hoc, sed chorea, & panegyris. Talis est videlicet armorum istorum natura, talis Ducis huius potestas. Et quemadmodum è thalamo suo gloriosus progreditur, ita & is qui armis istis munitus est: simul enim & sponsus est & miles. Quando verò de virtute sermo fit; non omnia opera, sed arma commemorat, ostendens virtute eum, qui illam habeat, omni securitate omnique splendore munitum & clarum constitui.

In hac vitâ non est quies.

Arma & labor pugnæ spiritualis iucunda sunt.

VERS. 13. ET CONSVMMATA OMNI TENTATIONE, &c.] *Optimè huic loco quadrat illud Ieremiæ 50. v. 23.* Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ? *Nam vt pulchrè ibidem* ORIGENES *Hom. 3. in Ieremiam:* Malleus dicitur diabolus, non partis alicuius terræ, sed vniuersæ, pro eo quòd in omni terrâ malitia eius dispersa sit, & vbique malleus iste malum operatur. Est autem etiam hoc dicendum, zabulum vniuersæ terræ malleum esse, non cæli: neque enim tenuiori substantiæ conuenit malleus, sed crassiori. Si portas imaginem terreni, malleus te, quia terrenus es, percutit. Si peccas, & terra es, & in terram ibis, experieris malleum vniuersæ terræ in te operantem. Iuxta istum intellectum istud quoque animaduertendum est, vniuersæ terræ malleum, quia aduersum cuncta terrena potentiam suam exerceat, zabulum esse posse: aut etiam minorem malleum intelligi, quia non vniuersæ terræ sit malleus, sed illius, vt ita dicam, & illius partis terræ. Et si quidem, cùm vna aliqua contraria fortitudo mihi repugnat, & colluctatur mecum, non valens cum vniuersis simul hominibus congredi, vt zabulus, tunc est quidem malleus in me, sed non vniuersæ terræ malleus, verùm vt ita dicam, meæ tantùm malleus terræ. Confractus autem & contritus est malleus vniuersæ terræ à Christo Domino. Primò confractus, & deinde contritus est: in tentatione siquidem suâ malleum non contriuit, sed tantùm confregit: cùm verò recessit ab eo vsque ad tempus, & tempore instante posteà venit, tunc etiam contritus est, & non solùm confractus. Per vnumquemque autem nostrûm confringitur quidem, quando introducimur in Ecclesiam, & proficimus ad fidem; conteritur autem & comminuitur, quando ad profectum venimus. Quòd si dubites conteri zabulum ad profectum venientibus nobis, audi Apostolum ad Rom. 16. benedicentem in istum: Deus autem conterat satanam sub pedibus vestris velociter. Illo autem confracto & comminuto, Babylon fit in exterminium; nec priùs confusionis ciuitas dissipatur, quàm malleus vniuersæ terræ confringatur & cõteratur. Vnde & mirabiliter & præclaro ordine Propheta vsus est, dicens: Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ? quomodo facta est in exterminium Babylon? Quando exterminantur omnes confusiones de animâ meâ, nec vlteriùs confundit me mors filij, aut interitus vxoris, cùm non est qui me irritet & prouocet ad tristitiam, ad iram, ad concupiscentiam, ad voluptatem, quoniam maneo inconfusus, assumens rationem quæ me confirmet & roboret; tunc mihi accidet quod dictum est, Facta est in exterminium Babylon, id est vniuersa confusio.

Quomodo diabolus à Christo confractus sit, & à nobis confringatur.

IBIDEM. RECESSIT AB ILLO VSQVE AD TEMPVS.] *Quomodo autem sæpè discessum simulet vt fallat, pulchrè docet* ORIGENES *Hom. 4. in Exodum, dicens:* Cùm steterimus contra diabolum eo modo quo Apostolus dicit ad Ephesios 6. Succincti lumbos in veritate: cùm hoc modo steterimus aduersus ipsum, ille artifex antiquus & callidus etiam vinci se simulabit, & cedere, si fortè per hoc negligentiores nos efficiat ad certamen. Sed & pœnitentiam simulabit, & deprecabitur nos discedere quidem, sed non longè discedere. Vult nos esse sibi aliquâ ex parte vicinos, vult nos à suis finibus non longè discedere. Sed nos nisi ab eo longè recedamus, & transeamus mare, & dicamus, Quantum interiacet ortus ab occasu, elongauit à nobis iniquitates nostras, salui esse non possumus.

Diabolus simulat fugam, vt fallat.

Post diaboli autem tentatoris à Christo decessum, addit S. Marcus cap. 1. ET ANGELI MINISTRABANT ILLI. *S. verò Matthæus cap. 4.* ET ECCE ANGELI ACCESSERVNT, ET MINISTRABANT EI. *vbi Glossa,* Accesserunt, *inquit,* non quasi tunc primùm adeuntes, sed agonem Domini procul aspicientes; ne videatur eorum præsidio eguisse vel vicisse. Sed vt ille victus abijt, parati ad obsequium venerũt, sicut in hoc agone militia nostra præstruitur, ita in obsequio Angelorum gloriosa remuneratio docetur.

AVCTOR IMPERFECTI *ad c. 4. Matthæi ait:* Non dixit, Et descendentes Angeli ministrabant ei, vt ostendat, semper ad ministeriũ eius Angelos fuisse in terris: sed tunc præcipiente Domino recessisse ab eo, vt locus diabolo aduersus Christum daretur, ne fortè Angelos videns circa eum, non appropinquaret ad eum. Sic enim inuisibiliter fit omni homini Christiano. Duo enim sunt Angeli permanentes cum hominibus, scilicet bonus & malus. Quamdiu circa nos est Angelus bonus, numquam nos in tentationem potest impellere angelus malus. Secundùm autem dispensationem Dei recedit aliquantulùm Angelus bonus, magis autem non recedit: sed abscondit se, inuisibilem se reddens ante diabolum: quoniam nisi voluerit Angelus bonus, à diabolo non videtur. Subtrahit ergo se, vt det diabolo licentiam tentandi, & stans exspectat tentationis euentum. Quando ergo aliqua concupiscentia malæ rei ascenderit super cor tuum, & pulsat aliquod genus peccati, non est circa te Angelus bonus, sed diabolus loquens in corde tuo, tentat te pariter, & compellit. Si tu ergo permanseris, confringens cor tuum; magis autem diabolum

Angeli se occultant vt diuinâ dispensatione diabolus nos tentare possit.

Angeli post tentationem victè pugnãtes consolantur.

bolum in corde tuo confringens, cùm non te poterit superare, discedet à te. Quando recedente concupiscentiâ incipit cor tuum exultare quia euasisti impetum illum malum, & quasi quidam spiritus in te tacente lætatur, & gratias agit Deo: cognosce quia à te recessit diabolus, & post tentationis victoriam accedens Angelus ministrat tibi, & ille loquitur in te, & gaudium operatur. Quoniam autem ministrabant ei Angeli, scimus: in quibus autem rebus illi ministrabant, scire non possumus. Verùm ad sanitates infirmitatem, quemadmodum & per Angelum Raphaelem sanauit Tobiam; an ad correctionem animarum, an ad effugationem dæmonum? Quoniam quidem multa opera sua per Angelos facit, verum est: Angelis autem facientibus, ipse facere videtur, qui dat illis faciẽdi præceptum & potestatem. Tamen manifestum est, quia etsi ad opus ipsius ministrant ei, non propter necessitatem impotentiæ eius ministrant ei, sed propter honorem potestatis ipsius. Nam ministrant ei, & non adiuuant eum.

Tob. 1. 5.
Christus vtitur ministerio Angelorũ, non tamen eo indiget.

Moraliter etiam pulchrè RVPERTVS *ad illud Geneseos* 32. Fueruntque ei obuiàm Angeli Dei; Iacob, *inquit*, postquam præceptum patris peregit, reuertenti obuiàm fuerunt Angeli Dei, vt sciamus, quia post obedientiæ laborem, cuique viro fideli superest illum supernis reuelationibus glorificari, & cælestiũ spirituum crebrâ visitatione iam in hac vitâ remunerari. Sic ipse Christus, postquam tentationes euicit, exceptus est victor ab Angelis. Reliquit enim eũ tentator, & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Obedierat Spiritui sancto, à quo & ductus est in desertũ; & ecce Angeli, &c. Perfectis enim & fidelibus diuina solent adesse præsidia.

Viris obedientibus assistunt Angeli.

Math. 4, 11.

Supplens hic iterũ, quæ à reliquis omissa sunt Euãgelistis, S. Ioãnes quæ immediatè à Christi baptismo (tẽtatore scilicet superato) cõtigerint, accuratè prosequitur.

SVPPLEMENTVM EX S. IOANNIS CAP. I.

35. ALTERA die iterùm stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo.

36. Et respiciens Iesum ambulantem, dicit: Ecce Agnus Dei.

37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.

38. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei: Rabbi, (quod dicitur interpretatũ Magister) vbi habitas?

39. Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.

Statio signum constantiæ est.

BEDA *ad hunc locum*, Stabat, *inquit*, quidem Ioannes, quia illam virtutum arcem conscenderat, à quâ nulli, tentationum posset improbitatibus deijci. Stabant cum illo discipuli, quia magisterium illius corde sequebantur immobili.

ALCVINVS *in aureâ Catenâ*, Mysticè, *inquit*, stat Ioannes, id est, cessat lex; & venit Iesus, id est gratia Euangelij, cui ipsa lex perhibet testimonium. Ambulabat Iesus discipulos collecturus.

Ambulatio etiam Iesu, *ait ibidem* BEDA, dispensationem incarnationis, quâ ad nos venire, ac nobis exempla viuendi præbere dignatus est, insinuat, sicut mansio eius æternitatem Diuinitatis, in quâ semper est Patri æqualis, aptissimè designat. Respiciens ergo Iesum ambulantem Ioannes dicit, Ecce Agnus Dei: quia videns eum inter homines conuersantem, profectumque illis vitæ cælestis & factis demonstrantem & verbis, apertè pronuntiabat, quia non ipse, vt putabant, sed ille esset, qui ad redemptionẽ generis humani à Deo Patre missus esset in mundum; ille qui formam innocentiæ & patientiæ in se credentibus esset daturus, de quo in carne venturo præcinens Propheta dicebat: Sicut agnus coram tondente se sine voce, sic obmutescet: ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & liuore eius sanati sumus. Testimonium igitur perhibente Ioanne, quia Iesus esset agnus Dei, secuti sunt illum duo discipuli magis desiderantes ab ipso Iesu, quàm à præcursore illius verbum gratiæ percipere, quò & ipsi mererentur in agnorum Dei sorte computari. Benè autem duo discipuli sunt inuenti qui Dominum primi sequerentur, vt etiam mysticè designarent, omnes qui illum perfectè sequerentur, geminâ dilectione deuotos esse debere, hoc est eiusdem sui Redemptoris & fratrum simul amore flagrantes.

Isa. 53, 7.

Duo discipuli voce Ioannis sequuntur Christum.

S. CYRILLVS *lib. 2. in Ioannem*, Vides, *inquit*, quàm citò à doctrinâ Baptistæ fructus secutus est. Vides quàm magnum auditoribus emolumentum iteratio sermonis attulit. Discat igitur ex istis, cui docendi opus creditum est, non laudari silentium in pastore, nec talentum Domini, sicut infecundæ terræ, taciturnitati commendandum: sed nummularijs esse dispartiendum, vt inde cum fœnore Saluator illud exigat, quasi fertile semen in terrâ fecundâ viuificans. Horum omnium confirmationem Baptistæ didicisti exemplo: quem non piguit iterùm atque iterùm ostendere Dominum: qui hac iteratione doctrinæ tantum discipulis suis contulit, vt quibusdam iam persuaserit: secuti enim duo discipuli eius illicò Dominum sunt.

Fructus prædicationis à Ioãne iterata.

Matth. 25, 25.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 17. in Ioannem docet, duos hosce discipulos ceteris discipulis præstitisse, dicens:* Atqui & alij erant Ioanni discipuli, qui non modò non secuti sunt, sed ei æmulabantur. Dicebant enim: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Et iterùm videntur eum accusare: Quare nos ieiunamus, & discipuli tui non ieiunant? Sed meliores nullo alio affectu perturbati, audito Ioanne, euestigio secuti sunt Iesum; non quòd Magistrum despicerent, sed quòd certam fidem eius adhiberent testimonio. Maximum autem argumentum est, rectâ eos mente secutos, quòd nullo hortatu (suspiciosum enim fuisset) sed solo auditu, quòd in Spiritum sanctum esset baptizaturus, secuti sunt: neque magistrum reliquerunt, sed quid ille amplius quàm Ioannes ferret, ediscere voluerunt.

Meliores discipuli Ioannis sequuntur Christum.

Ioan. 3, 26.

Matth. 9, 14.

S. AVGVSTINVS *Tractatu 7. in Ioannem*: Non sic illum sequuntur, quasi iam inhærerent illi: nam manifestum est, quando illi inhæserunt, quia de naui eos vocauit. In his enim duobus erat Andreas,

Duo discipuli sequuntur Christum vt explorent vbi habitet.

ſicut modò audiſtis. Andreas autem frater Petri erat. Et nouimus in Euangelio, quòd Petrum & Andream Dominus de naui vocauit, dicens: Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum. Et ex illo iam inhæſerunt illi, vt non recederent. Modò ergo quòd illum ſequuntur iſti duo, non quaſi non receſſuri ſequuntur, ſed videre voluerunt vbi habitaret, & facere quod ſcriptum eſt, Limen oſtiorum eius exterat pes tuus. Surge ad illum venire aſſiduè, & erudire præceptis eius. Oſtendit eis ille vbi maneret, & venerunt, & fuerunt cum illo. Quàm beatū diem duxerunt, quàm beatam noctem! Quis eſt qui nobis dicat, quæ audierint illi à Domino? Ædificemus noſmetipſi in corde noſtro, & faciamus domum quò veniat ille, & doceat nos, & colloquatur nobis.

Matth. 4, 19.

Eccli 6, 36

Deus occurrit quærentibus ſe.

BEDA *ad illa verba*, Conuerſus autem Ieſus dicit eis, Quid quæritis? Non potuit, *inquit*, ignorare Dominus quid ſequentes ſe diſcipuli Ioannis quærerent, ſed in eo quòd ad illos ſe ſequentes conuertitur, quòd ipſe prior quid quærerent interrogat, quòd dat eis fiduciā quæque vellent rogandi, manifeſtè innotuit quantum bonis noſtris ſtudijs delectetur, quàm libenter iter veritatis inchoantibus ipſe auxilium laturus occurrat.

Deus conuertitur ad eos qui ad ipſum conuertuntur. Pſal. 33, 5.

S. CYRILLVS *ad eumdem locum*, Conuerſus, *inquit*, opportunè ad ſequentes eum Dominus, & vt te ipſâ verum eſſe diſcas, quod canimus: Quæſiui Dominum, & exaudiuit me. Donec enim nec fide rectâ nec probis moribus Dominum quærimus, poſt eum eſſe quodammodò comperimur: cùm verò diuina eius mandata ſcientes, præcipuam iuſtitiæ viam ſcrutamur, ſtatim conuerſus viſitat, clamans: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos. Interrogauit autem quid quęrerent: non quia ignoraret, qui vniuerſa nouit, vt Deus; ſed vt colloquendi principium interrogatio fieret.

Zach. 1, 3.

THEOPHYLACTVS *ſic in aureâ Catenâ*: Vide autem quòd ſequentibus ſe Dominus conuertit faciem, & reſpexit: quia niſi per bonam operationem ipſum ſecutus fueris, ad viſionem faciei eius numquam pertinges, neque ad domum eius poteris peruenire.

Ieſus ſequentes ſe diligit.

EVSEBIVS EMISSENVS: Quòd enim ad eos Dominus conuertitur, eoſque reſpicit, & cum eis loquitur, clementiæ & bonæ voluntatis indicium eſt. Sciebat enim quales erant, & quales poſteà futuri erant, & quo affectu eum ſequebantur. Omnes enim diligit Ieſus qui eum ſequuntur, neminem ad ſe venientem repellit.

Te autem, *inquit* THEOPHYLACTVS *ad hunc locum*, velim admirari bonam illorum affectionem erga Chriſtum. Non enim ſolùm ſecuti ſunt, ſed & Rabbi ſalutant, hoc eſt, Magiſter, idque cùm nihil adhuc de illo audiſſent.

Doctè vtique, *inquit* CYRILLVS, ad interrogata reſpondentes, primò Magiſtrum eum appellauerunt, à quo diſcere cupiebant: deinde vbi habitet rogant, quaſi opportuniùs domi reliqua dicturi. Non enim vbique res grandes oportere dicere arbitrabantur.

Habitatio Chriſti inquirenda diligenter.

Volunt, *vt ait* BEDA, habitaculum noſſe Ieſu, volunt ſibi oſtendi qualem habitationem habeat Saluator: vt cùm ille oſtenderit in quibus Chriſtus habitet, tales ſe exhibeant in quibus poſſit Dominus habitare. Nolebant tranſitoriè magiſterio Veritatis perfrui, ſed manſionem potiùs in quā habitaret inquirebant: quatenus & tunc liberiùs iu ſecreto verbis illius imbui, & exinde ſæpiùs eum poſſent viſitare pleniùs inſtruendi.

THEOPHYLACTVS: Volētes ſe itaque ſeorſim aliquid ab eo diſcere, interrogant vbi maneat. In quiete enim commodiùs & diſcitur & auditur. Dominus verò non dicit eis ſignum domûs, ſed Venite, inquit, & videte. Hoc autem facit, tum vt magis alliciat eos ad ſequendum ſe, tum vt probet eorum deſiderium, num grauentur ex itinere. Nam ſi frigidā mente acceſſiſſent, neutiquam ad domum fuiſſent ſecuti.

CYRILLVS: Non docuit vbi habitaret, quamuis hoc ipſum ab eo peteretur; ſed illicò illò ire ipſos hortatur. Primùm, vt doceret, nullam eſſe in quærendis bonis moram laudandam, cùm vtilitatis retardatio detrimentum adferat ſemper. Deinde, vt oſtenderet, non ſufficere, ſi quis vbi Chriſti domus, id eſt, Eccleſia fundata ſit, didicerit: ſed ſi per fidem in eam venerit, & quæ myſticè in ipſâ peraguntur, feruenti animo viderit.

Vel per hoc, *inquit* ORIGENES *in aureâ Catenâ*, quod dicit Venite, ad actionem inuitat; per hoc autem quod dicit Videte, ad contemplationem. Quaſi dicat: Habitaculum meum explicari non poteſt ſermone, ſed opere demonſtratur. Venite ergo credendo & operando, & videte intelligendo.

Quia ergo, *inquit* BEDA, illos benè petentes, quærentes, pulſantes vidit, libens eis ſecretarium ſui reſerauit arcani, eoſque introducens veritatis Euangelicæ rudimentis, quæ deſiderabant, illuſtrauit. Nam ſequitur: Venerunt & viderunt vbi maneret, & apud eum manſerunt die illo. Quòd ſi altiore ſenſu libet inſpicere, quid nobis agendum inſinuent diſcipuli in eo quòd ad Dominum quidem ambulantem venerunt, ſed locum continuò vbi habitaret inquirebant, admonent vtique nos, vt quoties incarnationis eius tranſitum ad mentem reducimus, ſollicito ſemper eum corde rogemus, vt habitationem nobis æternæ ſuæ manſionis, quæ eſt apud Patrem, oſtendere dignetur, dicentes cum Moyſe: Domine, oſtende nobis gloriam tuam. Exo. 33, 18
Quia autem ipſe diſcipulos venire, & vbi maneret videre præcipit, virtutum profectò ſtudiū, quibus ad æterna gaudia perueniamus, ſubeundum nobis oſtendit. Venire etenim poſt Ieſum eſt, vt manſionem eius videre poſſimus, bonis operibus, quæ ipſe præmonſtrauit, inſiſtere, horumque quotidianis profectibus ad celſitudinem diuinæ viſionis attingere.

Qui diligenter quærunt Chriſtum, inueniunt.

CYRILLVS *ad illud*, Et manſerunt apud eum die illo; Diuinorum, *inquit*, diſcipuli myſteriorum cognitionem congruè nimiùm docebantur. Non enim conuenit, vt citò ſatiati, à diuinâ doctrinâ recedamus: ſed per totum vitæ tempus integrum habere feruorem oportet. Id enim deſignari arbitror quando dicitur, Quia manſerunt apud eum die illo. Horam autem dicit quaſi decimam fuiſſe, vt nos moueret, non incipientibus ſæculis, ſed poſt magnum iam eorum progreſſum, Saluatoris noſtri myſterium factum fuiſſe. In nouiſſimis enim diebus (vt ſcriptum eſt) dociles Dei omnes effecti ſumus. Et ad hæc, decimâ horâ diuertiſſe, & manſiſſe apud eum illos ait: vt diſcant, qui Chriſto per fidem adhærent, nec peccato, nec incredulitate ab eo alienari oportere.

S. AVGVSTINVS *ſuper illud*, Hora autem erat quaſi decima; Numerus, *inquit*, iſte legem ſignificat, quia in decem præceptis data eſt lex. Venerat

autem

autem tempus vt impleretur lex per dilectionem, quia à Iudæis non poterat impleri per timorem.

Horâ decimâ, id est per obseruationem Decalogi, venitur ad Christum.

Benè ergo, *ait* BEDA, decimâ horâ venerunt discipuli vt mansionem Iesu viderent: quia nimirum necesse est, vt qui Deum videre desiderat, Dei se mandatis humiliter subdat: quique luce diuinæ contemplationis postmodum frui appetit, priùs adiuuante Domino Decalogum legis per opera lucis, quasi decem horas diei sole illustrante, compleat. Et illi quidem die illo manentes apud Dominum, felicissimâ veritatis speculatione vesperam expectabant: at verò omnes electi post operum bonorum perfectionem, post impleta legis Dei præcepta, perpetuum, & nulli fini obnoxium diem sunt cum illo acturi, illum videlicet, quem

Psal. 83, 11

videre desiderans Propheta cantabat: Quia melior est dies vna in atrijs tuis super millia.

VERS. 40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, & secuti fuerant eum.

41. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam. (quod est interpretatum Christus.)

42. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas. quod interpretatur Petrus.

Proximus nobiscum ad Christũ adducendus.

BEDA *ad hunc locum*, Andreas, *inquit*, Dominum, quem inuenit, etiam fratri Simoni sequendum euangelizat, quia hoc est verè Dominum inuenire, verâ illius dilectione feruere, fraternæ quoque salutis curam gerere. Ille enim perfectè conditoris sui ducatum sequitur, qui etiam proximi, quantum valet, habere comitatum nititur.

IBIDEM. O vera pietas! Statim vt inuenit Iesum, statim vt inuenit margaritam, statim vt inuenit thesaurum, fratri nunciat, fratrem suum Simonem vocat, fratrem non tam sanguine quàm spiritu. Quem fratrem habebat germanitate & sanguine, voluit habere & fide germanum, & dicit ei, Inuenimus Messiam. Nemo inuenit nisi qui quærit. Iste qui inuenisse dicit, ostendit quia diu quæsiuerit. Diu quæsiuimus Christum in Moyse, in omnibus Prophetis: & quem inuenire cupiebamus, ipse nos inuenit, & inuenti inuenimus. Et adduxit eum ad Iesum. Non dedignatur maior minorem sequi, quia non erat ordo ætatis, vbi erat meritum fidei.

Maximi est amoris in spiritalibus communicatio.

S. CHRYSOSTOMVS *ad hunc locum*, Vides, *inquit*, quàm cito didicit simul & persuadentis magistri sapientiam, & eorum in discendo incredibilem à principio diligentiã ostendit? Hoc enim verbum, Inuenimus, animæ est maximè eius aduentum desiderantis, & cælitus veniam expectantis, cuius aduentu exultans alios Euangelij gestiat fieri participes. Hoc fraterni animi, cognati amoris, sinceri est affectus officium, vt in spiritalibus quàm diligentissimam curam adhibeamus, inuicem opitulemur. Audi Andream, quàm assertiuè articuli adiectione dicat. Inuenimus Messiam. Vnum quemdam Christum expectabant, nihil cum alijs communicantem. Considera ab ipso principio fidelem & beneuolum Petri animum. Cucurrit è vestigio, nihil moratus. Et adduxit eum, inquit, ad Iesum.

CYRILLVS. Huiusmodi certè assensus, docilisque animus est, vt non longâ egeat oratione, nec post multos annos, aut menses fructum doctrinæ pariat: sed simul cùm audiuerit, & sibi profuit, & alijs vtilis esse conatur. Sapienti enim da causam (inquit Prou. 9.) & erit sapientior: doce iustum, & proficiet. Fratrem igitur Petrum Andreas breuiter, atque in summâ, tantâ re significata, seruauit. Inuenimus, enim inquit, Messiam: vt reconditum in agro thesaurum, vel maximi gemmam pretij, iuxta ipsius Euangelij parabolas. Matth. 13.

Christus & Messias quid.

S. AVGVSTINVS *ad hunc locum*: Messias Hebraicè, Latinè Vnctus, Græcè Christus: ab vnctione enim dicitur Christus. Chrisma vnctio est Græcè, ergo Christus vnctus. Ille singulariter vnctus, præcipuè vnctus, vnde omnes Christiani vnguntur. Ille præcipuè; quomodo in Psalmo 44. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis, præ participibus tuis. Participes enim eius omnes Sancti, sed ille singulariter Sanctus sanctorum, singulariter Christus, singulariter vnctus. *Plura de nomine Christi dicta superius capite 2. in Notis ad Num. 30.*

BEDA *ad illud*, Intuitus autem eum Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, *&c.* Intuitus est, *inquit*, Simonem Iesus non exterioribus solùm oculis, sed & interno Diuinitatis intuitu, iuxta illud B. Samuelis 1. Reg. 16. Homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Vidit cordis eius simplicitatem, vidit animi sublimitatem, cuius merito cunctæ esset præferendus Ecclesiæ. Vidit, quia vocante Andreà feruente ad se amore peruolauerit: ideoque venientem mox familiari affatur eloquio, Tu es, inquiens, Simon filius Ioanna. Nec magnum est Domino vocabulum cuiuslibet hominis vel patris eius dicere, qui omnium Sanctorum nomina scripta tenet in cælo: sed positurus discipulo nomen meriti sublimioris, dicaturus vocabulo quod totius Ecclesiæ præsuli congrueret, primò voluit ostendere, quia quod à parentibus acceperat nomen, etiam ipsum significatione virtutis non careret. Simon ergo, Obediens; Ioanna dicitur Domini gratia. Tu es Simon filius Ioanna, tu es obediens

Simon id est Obediens. filius Ioanna, id est filius gratia.

filius gratiæ Dei. Et meritò ille obedientis nomine censetur, qui & priùs inuitante Andreâ, mox Dominum videre curauit, & postmodum cùm ipse Dominus eum ad discipulatum vocaret, statim cum eodem Andreâ, quem pariter vocauit, relictis rebus, quorum vsu vtuebatur, eum sequi non distulit. Vnde & Andreæ quoque nomen veram mentis

Andreas virilis.

eius imaginem præfert. Andreas namque Græcè, Latinè dicitur Virilis. Et illi libenter Dominum vel ad prædicationem Ioannis, vel ad ipsius Domini iussionem sequendo, ad eorum se sortem pertinere docet, qui temporalia quæ possident, fortiter æternorum amore contemnunt: qui credentes videre bona Domini in terrâ viuentium, donec hæc per-

Psal. 26, 14

cipiant, exspectare Dominum cum Psalmistâ, & viriliter agere, ac cor suum confortare contendunt. Quòd autem Simon filius fuit Ioannæ, id est, gratiæ Dei, apertè demonstrat, quia quidquid deuotæ obeditionis Domino impendit, quidquid merito obedientiæ præmij perennis à Domino recepit, totum hoc nimirum præueniente se gratiâ supernæ pietatis vt habere posset, accepit.

IDEM *in aliâ expositione eiusdem loci breuius*:

Needum

Necdum aliquid Petrus fecerat, & iam nomen meruit mutare. Numquid plus crediderat Andreâ? Quid maius fecit, vt à fratre plus acciperet? Quid maius fecerat? Minorem fratrem secutus est: & quem habebat discipulum, non dedignatus est habere magistrum. Tu es Simon filius Iona. Iona linguâ nostrâ dicitur columba. Tu es ergo filius Iona, tu es filius Spiritus sancti. Filius ergo dicitur Spiritus, quia humilitatem de Spiritu sancto acceperat.

Filius Iona est filius columba.

S. AVGVSTINVS *ad hunc locum Tractatu 7. in Ioannem*, Non magnum, *inquit*, quia Dominus dixit, cuius filius esset iste. Quid magnum Domino? Omnia nomina Sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem mundi prædestinauit: & miraris quia dixit vni homini, Tu es filius illius, & tu vocaberis illud? Magnũ, quia mutauit illi nomen, & fecit de Simone Petrum. Petrus autem à petrâ, petra verò Ecclesia. Et quis securus, nisi qui ædificat supra petram? Et quid ait ipse Dominus Matthæi 7. Qui audit verba mea hæc, & facit ea, similabo eum viro prudenti, ædificanti supra petram. Non cedit tentationibus: descẽdit pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram. Et omnis qui audit verba mea hæc & non facit ea, (iam vnusquisque nostrûm timeat, & caueat) similabo eum viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam: descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina eius magna. Quid prodest quia intrat Ecclesiam, qui vult super arenã ædificare? Audiendo enim, & non faciendo, ædificat quidem, sed super arenam. Si enim nihil audit, nihil ædificat: si audit, ædificat. Si quærimus, vbi? Si enim audit & facit, supra petram; si audit & non facit, super arenam. Duo sunt genera ædificantium, aut supra petram, aut super arenam. Quid ergo illi qui non audiunt? Securi sunt? Securos eos dicis, quia nihil ædificant. Nudi sunt sub pluuiâ ante ventos: sanè flumina cùm venerint ista, antè illos tollunt, quàm domos deijciant. Ergo vana est securitas, & ædificare, & supra petram non ædificare. Si audire vis, & non facere, ædificas, sed ruinam ædificas: cùm autem venerit tentatio, deijcit domum, & cum ipsâ ruinâ tuâ te tollet. Si autem non audis, nudus es, & illis tentationibus tu ipse retraheris. Audi ergo, & fac. Nisi igitur quis & audiat & faciat, non ædificat supra petram, & non pertinet ad nomen tam magnum quod sic commendauit Dominus. Intentum enim te fecit: nam si hoc antè Petrus vocaretur, non ita videres mysterium petræ, & putares casu eum sic vocari, non prouidentiâ Dei. Ideò voluit eum aliud priùs vocari, vt ex ipsâ commutatione nominis, sacramenti viuacitas commendaretur.

Quis ædificat supra petrã, quis super arenam.

Mysterio Simonis nomen in Petri est commutatum.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 18. in Ioannem, ritè hic monet, esse* animaduertendum, quòd non omnia quæ ventura ei erant, hoc primo congressu prædixit: non enim appellauit eum Petrum; non dixit, super eam petram ædificaturum se Ecclesiam; sed dixit, Tu vocaberis Cephas. Illud enim maioris potestatis, nec non etiam auctoritatis. Ea enim Christus nunc conticuit, humiliùs à principio loquitur: cùm verò Diuinitatem suam demonstrauit, maiora narrauit, inquiens, Et ego dico tibi, tu es Simon, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hunc Petrum appellauit, Ioannem verò filium tonitrui. Quamobrem? vt ostendat se eumdem esse qui vetus dedit Testamentum. Ipse est qui nomina aptè imponit: qui Abram Abraham, & Sarai Saram, Iacob Israel vocauit. Multis à natiuitate nomina imposuit; vt Isaac, Sampson, vt ijs quorum meminit Isaias & Osee. Quibusdam antequam à parentibus acceperunt, appellationem mutauit, vt in prædictis & Iesu. Mos etiam antiquitus erat à rebus nomina imponi, quod & Elias fecit. Hoc autem non temerè fit, sed vt ea appellatio imponatur, quæ sit diuini beneficij perpetuum monumentum, & memoria per prædicta nomina auditorum animis imprimatur. Ita & Ioanni cælitus nomen imposuit. Qui enim debebant ab ineunte ætate virtute pollere, eis tunc indita sunt nomina: qui verò in ætatis progressu profecturi erant, postmodum. Sed tunc quidem varia ac differentia singuli nomina acceperunt: nunc autem vno omnes appellamur, Christiano, scilicet omnium maximo atque præstantissimo, cum quo & filij Dei, & amici, & corpus dicti sumus. Quâ appellatione ceteris omnibus vehementiùs excitati, & promptiores ad virtutem complectendam fieri, nec eâ quidquam indignum facere conari debemus. Cum eodem, quo Christus, nomine vocamur, vt Paulus testatur, cuius excellentiam nos intelligere oportet. Quòd si is qui Principis cuiuspiam aut alterius clari viri nomen sortitus est, cùm id audit, tumet atque superbit, & magnæ id sibi gloriæ arbitratur, eiusque auctoritatem pro viribus seruare adnititur: quid nobis faciendum est, qui non Principis, non terrenæ alicuius potestatis, non Angeli, non Archangeli, sed ipsius omniũ Regis nomine appellari digni habiti sumus? Nonne ita animam nostram instituemus, vt non afficiatur iniuriâ qui tanto nos honore prosecutus est? An ignoratis quanto cohortes Regiæ, & scutati & hastati, eius latus stipantes, honore habeantur: Ita & nos proximi facti Deo, eò magis quàm quos nunc diximus, quò corpus propinquius est capiti, quàm illi Regibus, totis viribus contendamus, vt Christi simus imitatores.

Christus sensim dispensat & præparat ad charismata futura.

Matth. 16, 18.

Marc. 3, 17

Deus nomina imponit aut mutat per hoc significando mysteria.

Gen. 17, 5. Gen. 17, 21 Iud. 13, 24 Luc. 1, 31.

Dignitas nominis Christiani quanta.

VERS. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me.

44. Erat autem Philippus à Bethsaidâ ciuitate Andreæ & Petri.

45. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit [a] Moyses in lege, & [b] Prophetæ: inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth.

46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide.

[a] Gen. 49, 10. Deut. 18, 18.
[b] Isa. 40, 10. 45, 8. Ier. 23, 5. Ezech. 34, 23. 37, 24. Dan. 9, 24.

BEDA *ad hunc locum ita commentatur:* Iam patet ex superioribus, vnde voluerit Iesus exire in Galilæam, videlicet à Iudæâ, vbi erat Ioannes baptizans, & testimonium illi perhibens quòd esset Agnus Dei, duos ex discipulis suis ad eum sequendum prouocauit: è quibus vnus Andreas ad illum etiam fratrem suum Petrum adduxit. Patet iuxta sensum spiritalem, & crebrâ expositione iam cognitum est, quis sit, qui Dominum sequitur. Sequitur

tur namque Dominum, qui imitatur. Sequitur Dominum, qui quantum fragilitas humana patitur, ea quæ in homine monstrauit Filius Dei humilitatis exempla, non deserit. Qui socius passionum existendo ad consortium resurrectionis eius, & adscensionis pertingere sedulus exoptat. Sed non sine certi ratione mysterij refertur, quòd dicturus Philippo Iesus, Sequere me, voluit exire in Galilæam.

Galilæa Transmigratio interpretatur vel Reuelatio, & quid per hoc significetur.

Galilæa namque Transmigratio facta, vel Reuelatio interpretatur. In eo quippe quòd transmigratio facta dicitur, profectum fidelium designat, quo vel de virijs ad virtutum celsitudinem transmigrare, vel in ipsis virtutibus paulò proficere, ac de minoribus ad maiora quotidie subire contendunt, quousque de hac conualle lacrymarum ad arcem lætitiæ cælestis Domino auxiliante perueniant. In eo autem quòd reuelationem sonat, ipsam vitæ æternæ beatitudinem, pro quâ in præsenti sancti laborant, insinuat. Cuius vtramque interpretationem nominis Psalmista vno versiculo comprehendit, vbi ait:

Psal. 83, 8. Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Hæc est namque visio de quâ dicit Apostolus:

2. Cor. 3, 18. Nos autem reuelatâ facie gloriâ Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tamquam à Domini Spiritu. Benè ergo vocaturus ad sequendum discipulum Iesus, voluit exire in Galilæam, id est in transmigrationem factam, siue reuelationem: vt videlicet, sicut ipse

Luc. 2, 52. Euangelio proficiebat sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines, sicut passus est & resurrexit, & ita intrauit in gloriam suam; sic etiam suos sequaces ostenderet proficere virtutibus, ac per passiones transitorias ad æternorum dona gaudiorum transmigrare debere.

Promptitudo Philippi in sequendo Christo.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 13 in Ioannem*, Tritû, *inquit*, sermone prouerbium est, Homini diligenti semper aliquid superesse. Et Christus Matth 7. Qui quærit, inquit, inuenit. Quare nulla tam me admiratio tenet, cur Philippus Christum secutus sit. Andreas enim audito Ioanne, Andreâ Petrus, hic nemine, sed tantùm Christo dicente, Sequere me, quamprimùm credidit; & secutus, alij factus est prædicator. Cucurrit enim ad Nathanael: Quem scripsit, inquit, Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus. Vides viri diligentiam, vt Scripturæ meminerit, vt Christi aduentum expectauerit? Inuenire enim quærentis est. In crastinum exiuit in Galilæam, priusquam quisquam ipsum sequeretur Neminem vocat: quod non temerè fecit, sed summâ sapientiâ: nam si nemine suâ sponte prosequente ipse aliquos vocasset, de eorum perseuerantiâ potuisset dubitari; verumtamen vltrò sequi elegissent minimè. Philippum autem sibi notiorem vocat, vtpote qui in Galilæâ & natus erat & educatus. Acceptis igitur discipulis, alios iam venatur, & inprimis Philippum & Nathanael. Sed de hoc non tam mirum fuit, quandoquidem nomen Iesu in vniuersam Syriam diffusum erat: illud admiratione dignum, quo pacto Petrus, Iacobus, Philippus potuerunt tam breui persuaderi, non tantùm ratione quòd ante signa, sed quòd Galilæi erant, vnde neque Propheta surrexit, neque quidquam boni. Rusticiori enim quodammodò & crassiori erant ingenio. Vnde in hoc etiam Christus suam demonstrauit virtutem, cùm ex sterili terrâ tales sibi discipulos comparauit. Credibile quidem est, Philippum, & qui cum Petro erant, viso & audito Ioannis de Christo testimonio, eum secutos, & Christi sermonem non parum in illis operatum. Nouerat enim qui idonei futuri erant discipuli. Euangelista autem hæc omnia omittit. Quoniam igitur venturus erat Christus, credidit: quòd Christus esset, ignorabat, quod vel à Petro vel à Ioanne audierat. Meminit autem eius patriæ Euangelista, vt intelligas, quòd infirma mundi elegit Deus. 1. Cor. 1, 27.

BEDA *rursus ritè obseruat*, non putandum esse Euangelistam fortuitò & absque ratione mysticè nomen ciuitatis de quâ esset Philippus, & quòd eadem Andreę quoque & Petri esset voluisse monstrare: sed per nomen ciuitatis typicè, qualis tunc iam animo Philippus, qualis officio esset futurus, quales etiam Petrus & Andreas, ostēdere curasse.

Bethsaida, id est, Domus venatorum

Bethsaida quippe Domus venatorum dicitur: & venatores vtique erant, qui audiebant à Domino: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Matth. 4, 19.

Philippus quàm is fuerit Christi venator.

Venator & ille, qui antequam ad prædicationis officium ordinaretur à Domino, quantum capiendis ad vitam animabus esset intentus, mox sponte prædicando monstrauit. Inuento enim Nathanaëli dicit: Quem scripsit Moyses in lege & Prophetæ, inuenimus. Quantum rete fidei, quàm capacibus deuotæ prædicationis vinculis intextum inuento fratri circumdat, quem ad æternam cupit prouidus captare salutem? Illum dicit inuentum, quem Moyses & Prophetæ venturum suis scriptis signauerunt: vt eò cunctis sequentibus intelligatur, quòd ipse sit cuius aduentui præconizando vniuersa veterum scripta seruierint. Iesum nuncupat: quod nomen Christi futurum Prophetarum oracula concinebant. Filium Ioseph appellat, non vt hunc ex coniunctione maris & feminæ natum asseueret, quem de virgine nasciturum, in Prophetis didicerat: sed vt de domo ac familiâ Dauid, vnde Ioseph ortum nouerat, secundùm vaticinia Prophetarum eum venisse doceret. Neque enim mirandum, si Philippus eum filium Ioseph vocet, cùm & ipsa genitrix illius intemerata semper Virgo Maria, quæ virum non nouerat, consuetudinem vulgi sequens, sic locuta legatur, Fili quid fecisti nobis Luc. 2, 48. sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Addit & patriam, A Nazareth, vt ipsum esse signaret de quo legerant in Prophetis: Quoniam Nazaræus vocabitur. Non ergo mirum, si mox Matth. 2, 23. ad consensum credendi, ac veniēdi ad Christum, captauit Philippus Nathanaël, cui tantos vndique veritatis casses prætendit. Neque immeritò à Bethsaidâ, id est, domo venatorum oriundus asseritur, qui tantam Deo dilectæ venationis curam pariter & gratiam accepisse monstratur.

S. CYRILLVS *lib. 2. in Ioannem ad illud*, A Nazareth potest aliquid boni esse? Non potest, *inquit*, facilè sentire Nathanael, magnum quid atque præcipuum esse quod à Nazareth ortum habeat. Id legis & totius Prophetiæ perito fidem non faciebat, cùm non à Nazareth, sed à Bethlehem venturum Prophetæ Christum prædixerunt. Si videris solummodò, dicit [Philippus] si sermonem cum eo conferas, facillimè mihi assenties, ipsum proculdubio esse qui expectatur. Credere autem nos oportet, ineffabilem quamdam gratiam

Magna vis in verbis Christi.

in sermone ac verbis Christi fuisse, quibus auditorum animi magnâ iucunditate allicerentur. Scribitur enim, quia omnes admirabantur de verbis

gratiæ

gratiæ, quæ exibant de ore eius. Nam quemadmodum ad faciendа signa, diuina verbis eius inerat virtus, sic etiam ad persuadendum magnas vires habebat.

VERS. 47. Vidit Iesus Nathanaël venientem ad se, & dicit de eo: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.

48. Dicit ei Nathanaël: Vnde me nosti? Respondit Iesus & dixit ei: Priùs quàm te Philippus vocaret, cùm esses sub ficu, vidi te.

49. Respondit ei Nathanaël, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.

50. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi. Vidi te sub ficu, credis: maius his videbis.

51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra Filium hominis.

Nathanaël ab ipso Christo magnum sua sanctitatis testimonium accepit. SANCTVS AVGVSTINVS *Tractatu 9. in Ioannem,* Qualis, *inquit,* fuerit Nathanael, Dominus ipse perhibet testimonium. Magnus Dominus cognitus est testimonio Ioannis; beatus Nathanael cognitus testimonio Veritatis: quia Dominus, etsi testimonio Ioannis non commendaretur, ipse sibi perhibuit testimonium, quia sufficit sibi ad testimonium suum veritas: sed quia veritatem non poterant capere homines, per lucernam quærebant veritatem, & ideò Ioannes, per quem Dominus ostenderetur, missus est. Audi Dominum Nathanaëli testimonium perhibentem: Ecce verè Israelita, in quo dolus non est. Magnum testimonium: hoc nec Andreæ dictum, nec Petro dictum, nec Philippo, quod dictum est de Nathanaële. Quid ergo facimus, fratres? Deberet iste primus esse in Apostolis, & non solùm primus non inuenitur in Apostolis, sed nec medius, nec vltimus inter duodecim Nathanael, cui tantum testimonium perhibuit Filius Dei. Intelligere enim debemus, ipsum Nathanaëlem eruditum & peritum legis fuisse; proptereà noluit illum Dominus inter discipulos ponere, quia idiotas elegit vnde confunderet mun-
1. Cor. 1, 27. dum. Audi Apostolum dicentem: Videte, inquit, vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus: & ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, vt ea quæ sunt, euacuentur. Si doctus eligeretur, fortasse ideò se diceret electum, quia doctrina eius meruit eligi. Dominus noster Iesus Christus volens superborum frangere ceruices, non quæsiuit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus est Imperatorem. Magnus Cyprianus Orator, sed priùs Petrus piscator, per quem posteà crederet non solùm Orator, sed &
Ibidem. Imperator. Nullus nobilis primò electus est, nullus doctus; quia infirma mundi elegit Deus, vt confunderet fortia. Erat autem iste magnus & sine dolo. hoc solo non electus, ne cuiquam videretur Dominus doctos elegisse.

Nota hîc, S. Augustinum non obscurè negare Nathanaelem electum fuisse in Apostolum, eò quod videatur fuisse doctus & Legisperitus. Non improbabile tamen, imò probabilius videtur Ruperto, Iansenio, Salmeroni, alijsque Interpretibus Euangeliorum, Nathanaelem hunc esse Bartholomeum Apostolum. Primò, quia Euangelistæ semper iungunt Philippum Bartholomæo, sicut hîc Philippus iungitur Nathanaeli. Secundò, quia Bartholomæi vocationem nusquam legimus, nisi sit hic Nathanaël. Tertiò, quia alij Euangelistæ, qui Bartholomæi meminerunt, non meminerunt Nathanaelis; contrà S. Ioannes, qui meminit Nathanaelis, non meminit Bartholomæi, quasi ijdem sint: ita vt non improbabile sit, Bartholomæum etiam vocatum Nathanaelem, quod significat Donum Dei, propter quod à Domino vocatus est. Gratiâ enim Dei constat vocatio nostra. Adde, quòd à S. Ioanne c. 21. v. 2. Nathanael hoc nomine inter Apostolos recensetur. Quidquid autem sit de Apostolatu Nathanaelis; illud certum est, quòd ipsiusmet Veritatis testimonio doli expers *Nathanaël quis fuerit.*
fuerit declaratus. De quo autem dolo hîc agatur, ita loco suprà citato discutit S. AVGVSTINVS *interrogans:* Quid est, In quo dolus non est? Fortè non habebat peccatum? Fortè non erat æger? Fortè illi Medicus non erat necessarius? Absit. Nemo sic ortus est, vt illo Medico non egeret. Quid sibi ergo vult, In quo dolus non est? Aliquantò intentiùs quæramus, apparebit modò in nomine Domini. Dolum dicit Dominus, & omnis qui verba Latina intelligit, scit quia dolus est, cùm aliud agitur, aliud fingitur. Dolus, fraus est, simulatio est: quando aliquis aliquid in corde tegit, & aliud loquitur, dolus est, & tamquam duo corda habet. Vnum quasi sinum cordis habet, vbi videt veritatem: & alterum sinum, vbi concipit mendacium. Et vt noueritis hunc esse dolum, dictum est in Psalmis, Labia dolosa. Quid est, Labia dolosa? sequitur, In Psal. 11. corde & corde locuti sunt mala. Quid est, In corde & corde: nisi duplici corde. Si ergo dolus in isto non erat, sanabilem illum Medicus iudicauit, non sanum. Aliud est enim sanus, aliud sanabilis, aliud insanabilis. Qui ægrotat cum spe, sanabilis dicitur: qui ægrotat cum desperatione, insanabilis: qui autem iam sanus est, non eget Medico. Medicus ergo qui venerat sanare, vidit istum sanabilem, quia dolus in illo non erat. Quomodo dolus in illo non erat? Si peccator est, fatetur se peccatorem. Si enim peccator est, & iustum se dicit, dolus est in ore ipsius: ergo in Nathanaële confessionem peccati laudauit, non iudicauit non esse peccatorem, *&c.* *Nathanaël quomodo doli expers.*

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 19. in Ioannem:* Animaduertite, *inquit,* hominis constantiam. Nam cùm dixisset Christus, Ecce verè Israelita, non intumuit laudibus, neque bis obuiàm factus est, sed perscrutatur, vt de eo certi aliquid intelligat, & adhuc tamquam hominem alloquitur, Iesus tamquam Deus respondet. Non enim è loco aliquo editiori ipsum & eius mores & mansuetudinem vidisse, non è speculâ aliquâ more hominis eum sub ficu obseruasse dicit: nemo enim illic aderat, sed soli Philippus & Nathanael secreto in loco inuicem sermonem habuerant. Idcircò, inquit Euangelista, quòd cùm videret à longè venientem ad se, dixit: Ecce vir Israelita. Vt intelligatur, priusquam appropinquaret Philippus, ita Christum locutum. Et ne quisquam posset suspicari, quare & temporis meminit, & loci, & arboris, ne ab ipso missum Philippum quisquam opinaretur, si tantùm eius

ad Nathanaël profectionis meminisset. Verùm cùm dixisset, vbi eum conuenit Philippus, & tempus certissimum, se Prophetam ostendit. Neque hoc tantùm, sed etiam quæ inuicem locuti essent in memoriam reduxit: hoc est, A Nazareth potest aliquid boni esse? Ex quo maximè eum sibi conciliauit, cùm ex eo non reprehendit, sed laudibus prosecutus est. Et admiratus his verbis Nathanaël verè Christum esse cognouit: à prophetiâ scilicet, & prænidentiâ, & à certissimâ ipsius mentis perscrutatione. Demonstrarat enim animi eius cogitationes planè intellexisse, præsertim cùm quæ ægrè ferenda videbantur, ea non reprehendit, sed laudat. Dixit enim à Philippo vocatum, non autem quem inuicem sermonem habuerint, neque quòd adfuerit: relinquit hæc eius conscientiæ examinanda, eò m nolit ipse coarguere. Quid igitur? priusquam à Christo vocaretur, eum dumtaxat vidit, nónne anteà etiam insomni oculo viderat? Viderat sanè, & nemo inficias iret, sed ita opus fuit dictu. Quid igitur ille? Cùm certissimum de Christi prouidentiâ argumentum accepisset, confessus est, & primò se diligentem, deinde consensu fidelem ostendit. Respondit enim & ait: Rabbi tu es filius Dei, tu es Rex Israel. Vides gratam repentè & Iesum amplexantem animam? Tu, inquit, ille es quem expectamus, quem quærimus. Vides hominem stuporis, admirationis, lætitiæ planum? Is nobis sequendus est, quibus Deus Filij sui cognitionem dare dignatus est. Exultandum nobis est, non animo tantùm, sed reipsâ. Quod autem exultantium officium est? Credere ei quem cognoueris: credentium verò cogniti parere voluntati.

Beda *ad hunc locum*, Quia, *inquit*, cognouit Nathanaël vidisse & nosse Dominum quæ alio in loco gererentur, id est, quomodo & vbi vocatus sit à Philippo, cùm ipse ibi corporaliter non esset, diuinæ hîc maiestatis intuitum considerans, protinus eum non solùm Rabbi, id est, Magistrum, sed Filium Dei, ac Regem Israel, id est Christum confessus est. Et libet intueri, quàm prudens laudanti Domino confessio respondeat serui. Ille hunc verum Israelitam, id est virum qui Deum videre posset, eò quòd dolum minimè haberet, adstruxit: iste eum non Magistrum tantummodò, qui vtilia præciperet, verùm etiá Filium Dei, qui cælestia dona tribueret, & Regem Israel, id est populi Deum videntis, religiosâ deuotione fatetur: vt hac confessione suum quoque hunc Regem, & se eius Regni militem significet. Potest

Nathanaël sub ficu, quid mysticè. autem hæc Domini sententia, quâ dicit se Nathanaël priusquam vocaretur à Philippo, cùm esset sub ficu, vidisse, super electione spiritalis Israel, id est, populi Christiani, mysticè intelligi: quem Dominus necdum se videntem, necdum per Apostolos eius ad fidei gratiam vocatum, sed sub tegmine adhuc peccati prementis abditum, misericorditer videre dignatus est, Paulo attestante, qui ait ad Ephesios 1, v. 3. Qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. Et quidem ficiarbor aliquando in Scri-

Prou. 27, 18. pturis dulcedinem dilectionis supernæ insinuat; vnde scriptum est: Qui seruat ficum, comedit fructum eius: & qui custos est Domini sui, glorificabitur. Sed quia primi parentes nostri, reatu præ-

Gen. 3, 7. uaricationis confusi, de fici sibi folijs succinctoria fecerunt, potest hæc arbor fici non incongruè malè dulcorata generi humano consuetudinem peccandi signare: sub quâ positos adhuc electos suos, sed necdum electionis suæ gratiam cognoscentes, quasi sub ficu constitutum, nec se iam videntem Dominus videt Nathanael. Nouit enim Dominus 2. Tim. 2, 19.
qui sunt eius. Quorum saluationi ipsum quoque nomen Nathanael aptissimè conuenit. Nathanael namque Donum Dei interpretatur: & nisi dono Dei quisque vocatus numquam reatum primæ transgressionis, numquam malè blandientia augescentium quotidie peccatorum vmbracula euadit, numquam saluandus venire meretur ad Christum. Vnde dicit Apostolus ad Ephesios 2. Gratiâ enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis: donum Dei est, non ex operibus, vt ne quis glorietur.

Idem *venerabilis* Beda *ad illud*, Respondet Iesus & dixit ei: Quia dixi tibi, &c. De quo dicat, ipse subsequenter aperit, futuram credentibus spondendo apertionem regni cælestis, & prædicandam mundo vtramque vnius suæ naturam personæ: quod reuerà multò excellentius est arcanum, quàm quòd nos in peccati adhuc vmbrâ positos, à se illuminandos præuidit. Maius est enim quòd nos Saluator gratiâ suæ cognitionis imbuit, quòd cæli nobis gaudia pandit, quòd prædicatores suæ fidei in mundum dispersit, quàm quòd nos saluandos potentiâ suæ maiestatis ante sæcula præsciuit. Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum. Iam completum cernimus promissi huius effectum. Videmus etenim cælum apertum, quia postquam cælum Deus homo penetrauit, etiam nobis in eum credentibus supernæ patriæ patefactum cognoscimus ingressum. Videmus Angelos Dei ascendentes & descendẽtes supra filium hominis, quia prædicatores suos nouimus sublimitatem Diuinitatis Christi simul & humanitatis eius infirma nuntiare. Ascendunt super filium hominis Angeli, cùm docent prædicatores, quia in principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, Ioan. 1, 1.
& Deus erat Verbum. Descendunt super filium hominis Angeli, dum adiungunt idem, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Neque immeritò prædicatores sancti typicè Angeli vocantur, quibus consuetè deriuatum ab Angelis nomen Euangelistarum conceditur: vt sicut hi nuntij, ita & illi propter idem summæ prædicationis officium boni nuntij cognominentur. Et notandum, quòd Dominus seipsum filium hominis nuncupat, Nathanael eumdem Filium Dei prædicat. Cui simile est quòd apud alios Euangelistas ipse discipulos interrogat, Quem dicunt filium hominis esse? Responditque Petrus: Tu es Christus, Fi- Matth. 16, 16.
lius Dei viui. Et quidem iustæ dispensationis mo- Mar. 8, 29.
deramine actum est, vt cùm vtraque eiusdem mediatoris Dei & Domini nostri, vel ab ipso Domino, vel ab homine puro esset commemoranda substantia, Deus homo fragilitatem assumptæ à se humanitatis, purus homo virtutẽ æternæ in eo Diuinitatis adstrueret, ipse suam humilitatem, ille eius fateretur altitudinem. Notandum quippe, quòd Dominus, qui Beatum Nathanael verè Israëlitam nuncupat, in hoc verbo quod ait, Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentes supra filium hominis, visionem Iacob Patriarchæ, qui per benedictionem vocatus est Israel, ad memoriam redu- Gen. 28, 12
cit. Is namque cùm volens in quodam loco requiescere,

quiescere, lapidem capiti suo supposuisset, vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Domini ascendentes & descendentes super eam: & Dominum innixum scalæ, dicentem sibi: Ego sum Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Surgensque manè, & debito cum pauore laudes Deo reddens, tulit ipsum lapidem, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Huius ergo loci Dominus facit mentionem, & de se ac suis fidelibus figuratum manifestissimè testatur.

Paulò post Andreæ, Philippi, & Nathanaëlis vocationem, ab Euangelistâ refertur primum quod fecisse Christus legitur in Canâ Galilææ miraculum, quod in hæc verba describit:

S. IOANNES CAP. II.

VERS. 1. Et die tertiâ nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ: & erat mater Iesu ibi.

2. Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius, ad nuptias.

3. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.

4. Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

ORIGENES *diem hanc tertiam numerat à Philippi vocatione, & Christi abitu in Galilæam.*

Dies tertia quid mystice. *Quid autem illa dies tertia, & quid Cana Galilææ significet, ita spiritaliter exponit* S. GAVDENTIVS *Episcopus Brixiensis, Tractatu 1. in prædictum Euangelium.* Dies, *inquit*, lucis est, & ideò præceptis Domini, qui verum lumen est, æquissimè comparatur,
Psal. 18, 9. testante Prophetâ, Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et alibi iterùm: Quomodo lux, inquit, mandata tua super terram. Vnde benè Saluator Dominus admonebat in luce esse ambulandum, dicens: Quòd si quis ambulat in die, non offendit, quia lucem mundi huius videt. Verè enim, si quis ambulauerit in luce præceptorum Dei, offendere nequaquam potest. Dies itaque fuit in mandato primus ab Adam vsque ad Moysen: secundus dies fuit sub lege Moysi: tertius dies est sub gratiâ Saluatoris, in quo hodie Sponsus ipse cælestis amator animarum credentium Dominus Iesus, sponsam sibi e a Gentibus coniunxit Ecclesiam, cui annulum signaculi sui, & inaures fidei tri-
Rom. 10, 7 bueret pretiosas (nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, videlicet Filium, quia in principio erat Verbū, & Verbū erat apud Deum, & Deus erat Verbum: cuius sponsus, idem Dei Filius Deus Verbū;) aurea quoque donaret dextralia, probabilium quippe operum, dextrorumque factorum, nec non etiam cetera sigillatim pretiosa monilia largiretur, quæ spiritualium sunt ornamenta virtutum. Et vt agnosceres tertiâ hac die spirituales istas à Christo nuptias in plebe gentium celebrari, non in Iudæâ fiunt, sed in Canâ Galilææ, quod præter testimonium S. Isaiæ, qui Galilæam
Cana Galilææ quid significet. Gentium memorauit, ex interpretatione ipsorum nominum clariùs ostenderetur. Cana enim Possessio dicitur: & Galilæa vel Volubilis vel Rosa nuncupatur, ex Hebræo interpretata sermone. Constat autem vel populum Gentium ab errore idololatriæ, in quem fuerat olim deuolutus, nūc ad Christianæ veritatis cultum celeritate rotæ cuiuſdam currentis se præparare. Vnde etiam figuraliter cecinit Propheta Dauid Psal. 76. Vos tonitrui tui in rotâ: intonuit enim è cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, &c.

S. EPIPHANIVS *Hæresi 51. §. 19. & 30. diē hunc, quo nuptiæ, quibus Christus interfuit, in Canâ Galilææ celebrabātur, tradit fuisse vndecimū mensis Tybi, qui apud nos fit sexta Ianuarij, quando etiam Ecclesia cum Festo Epiphaniæ hoc miraculū recolit, asseritque Epiphanius ad sua vsque tempora idem miraculum annis singulis ignouari, sic scribens:* In cuius rei fidem hodieque pluribus in locis idem, quod olim factum est, prodigium instauratur; idque ipsum fontes fluuijque testantur passim in vina conuersi. Cuiusmodi ad Cibyram Cariæ oppidū fons est, qui eâdem illâ horâ, quâ ministri aquam hauserunt, ac Saluator dixit, Date architriclino, in vinum vertitur. Idem & in Geraseno potauimus, qui in Martyrio est. Plerique verò idem & de Nilo Ægypti fluuio confirmant. *Miraculum quod in anniuersario nuptiarum Canæ Galilææ contingebat tempore Epiphaniæ.* Quæ causa est cur Tybi vndecimo omnem in Ægypto aquam hauriant, ac reseruent: idque multis alijs in locis fieri assolet. Igitur, vti certò compertum habuimus, post duodecimū Athyr abijt Christus, ac tentationem quadraginta dies subijt. Inde digressus discipulos aliquot delegit. Tunc post quadraginta tentationis dies prædicationem aggressus ad Iordanem pertexit. Ibi Nathanaëli, & ijs qui cum eo erant, occurrit: quos & secum abduxit, cùm scilicet biduo apud illum mansetunt. Moxque vt ijdem recesserunt, in Galilæam profectus est. Quòd verò bidui huius mentionem fecerat, ideò statim Euangelium subijcit: Tertiâ die nuptiæ factæ sunt in Canâ Galilææ: quod ad Ecclesiā pertinere putandum est. Etenim tertiâ die omni illâ, quam in terræ penetralibus post mortem obijt, administratione perfunctus, surrexit à mortuis, ac nuptias cum Canâ coniunxit. Cana porrò Possidentem significat. Quæ est verò possidens illa, nisi heres, cuius Psalmo quinto Dauid meminit, Pro hereditatem capessente. Hæ quippe nuptiæ sunt ac reuerà benedictæ, quæ argumentum ex illâ figurâ quodammodò traxerunt. Etenim in Canâ Galilææ externæ sunt celebratæ nuptiæ, vbi in vinum aqua est conuersa. Quare duabus mihi de causis videtur inuitatus esse Christus. *Cur Christus nuptijs interfuerit.* Primùm, vt aquæ similem, ac diffluentem furiosorum hominum in mundo libidinem, nuptiarum castimoniâ & honestate constringeret: tum vt quod deerat, emendaret, ac iucundissimi vini suauitate mulceret & gratiâ; nec non & eorum obturaret ora, qui aduersus Dominum insurgunt: atque vt eumdem se cum Patre & Spiritu sancto declararet esse Deum, qui humorem viti suppeditans, in vini colorem ad hominum voluptatem oblectationemque commutat.

S. CYRILLVS *cap. 22. in Ioannem*, Opportunè, *inquit*, Iesus iam ad signorum initiū accedit. Nam honestè celebratis nuptijs tam mater quàm ipse cum discipulis inuitatus adest, miraculi potiùs quod acturus erat, quàm coniugij gratiâ profectus: & ad hæc, vt natiuitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, sanctificaret. Oportebat certè, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solùm natis iam hominibus benedicere, verùm etiam nasciturís gratiam

præparare, & aditum illorum ad hanc vitam auctoritate miraculi & præsentiâ suâ sanctũ efficere. Præterea in doloribus parere filios, ad mulierem Gen. 3, 16. propter peccatum dictum fuit. Quomodo igitur aliter hæc depellenda maledictio erat, ne condemnata nuptiarum sanctimonia videretur, quàm Saluatoris præsentiâ? qui cùm sit verum gaudium, priscum nuptiarum mœrorem præsentiâ suâ depulit. Noua enim omnis creatura in Christo est: 2. Cor. 5, 17. prætereteréque vetera, vt Paulus ait, & omnia facta sunt noua. Discipuli quoque adfuerunt, vt miraculo fidem suam confirmarent.

S. AVGVSTINVS *Hom. 1. in hoc Euangelium*, Dominus, *inquit*, inuitatus ad nuptias venit. Quid mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in *Spiritales Christi nuptiæ cum Ecclesiâ.* hunc mundum ad nuptias venit? Si enim non venit ad nuptias, non hîc habet sponsam. Et quid est, quod ait Apostolus 2. Cor. 11. Aptaui vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Quid est quòd timet, ne virginitas sponsæ Christi, per astutias diaboli corrumpatur? Timeo, inquit, ne sicut serpens Euam seduxit astutiâ suâ, sic & vestræ mentes corrumpantur à simplicitate & castitate quæ est in Christo. Habet ergo hîc sponsam, quam redemit sanguine suo, & cui pignus dedit Spiritũ sanctum. Eruit eam de mancipatu diaboli, mortuus est propter delicta eius, resurrexit propter iustificationem eius. Quis offerret tanta sponsæ suæ? Offerant homines quælibet ornamenta terrarum, aurum, argentum, lapides pretiosos, equos, mancipia, fundos, prædia: numquid aliquis offerret sanguinem suum? Si enim sanguinem suum sponsæ dederit, non erit qui ducat vxorem. Dominus autem securus moriens, dedit sanguinem suum pro eâ, quam resurgens haberet, quam sibi iam coniunxerat in vtero Virginis. Verbum enim sponsus, & sponsa caro humana, & vtrumque vnus Filius Dei, & idem filius hominis, vbi factus est caput Ecclesiæ. Ille vterus virginis Mariæ, thalamus eius vnde Psal. 18, 6. processit tamquam sponsus de thalamo suo, sicut Scriptura prædixit. De thalamo processit velut sponsus, & inuitatus venit ad nuptias.

S. BERNARDVS *Serm. 1. in Dominicam 1. post Octauam Epiphaniæ*, Omnes, *inquit*, nos ad spirituales nuptias vocati sumus, in quibus vtique sponsus est Dominus, de quo dicitur Psal. 18. Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Sponsa *Spiritales Christi nuptiæ cũ animâ Christianâ.* verò nos ipsi sumus, si non nobis videtur incredibile, & omnes simul vna sponsa, & animæ singulorum quasi singulæ sponsæ. Sponsa hæc multò inferior genere, multò inferior specie & dignitate. Attamen propter Æthiopissam istam Filius Dei de longinquo venit vt sibi desponsaret illam. Moyses quidem Æthiopissam duxit vxorem, sed non potuit eius mutare colorem. Christus verò, quam adamauit ignobilem adhuc & fœdam, gloriosam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Vnde tibi, ô humana anima, vnde tibi hoc? vnde tam inæstimabilis gloria, vt eius sponsa merearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? Vnde tibi hoc, vt ipse sponsus tuus, cuius pulchritudinẽ Sol & Luna mirantur, ad cuius nutum vniuersa mutantur? Quid retribues Domino pro omnibus quę retribuit tibi, vt sis socia mensæ, socia regni, & socia thalami, vt introducat te Rex in cubiculum suum? Vide quibus brachijs vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit, immò qui tanti te fecit. Delere carnales affectus, sæculares mores dedisce, consuetudines noxias obliuiscere. Quid enim putas? Nónne stat Angelus Domini, qui secet te medium, si fortè (quod auertat ipse) alterum admiseris amatorem? Iam enim desponsata es illi, iam nuptiarum prandium celebratur: nam cœna quidem in cælo paratur; sed ibi vinum non deficiet. inebriabimur enim Psal. 35, 9. ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potabimur. Paratum est profectò illis nuptijs flumen vini, vini inquam quod lætificat cor: siquidem fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Nunc autem quoniam grandis nobis restat via, prandium quidem accipimus hîc, etsi non in tantâ copiâ, quòd plenitudo & satietas cœnæ reseruetur æternæ. Hîc nonnumquam vinum deficit, gratia scilicet deuotionis, & feruor charitatis.

S. GAVDENTIVS *Tract. 1. de Lectione Euangelicâ*, Audiuimus, *inquit*, quòd Saluator humani generis Iesus ierit inuitatus ad nuptias, ibíque aquam in vini saporem naturamq; conuerterit. Habet planè & ipsa historia ordinem veritatis: nam & nuptias idem qui ab initio instituerat, benedixit, & creaturam quam fecerat, in id quod voluit, suâ potestate conuertit. Ac de virtute quidem Omnipotentis, nulla in facto dubietas poterit animo subrepere; tamen illum ad festiuitatem nuptiarum, id est in domo epulationis, quispiam nostrûm non sine ratione mirabitur. Enimuerò pænè omnis Euangeliorum textus Dominum Christum inter homines conuersantem, desperatis rebus opem contulisse insinuat, & quàm maximè mœroribus adfuisse, *Christus vix vnquã nisi mœstis adfuit.* dum blasphemantes Iudæos increpat; dum Scribas & Pharisæos fallaciæ, doli, auaritiæ vanitatísque coarguit; dum ciuitatibus exprobrat incredulis ac minatur; dum spiritus torquet immundos, vt imagini suæ captiuatæ subueniat, & expulsis dæmonijs salubritati restituat mentes obsessas; dum leprosos supplicantes emundat; dum paralyticos, linguæ solius, quâ precarentur, viuentes officio, reformat potiùs quàm curat; dum tempestate maris periclitantibus, ipse super aquas ambulans, securus tranquillator aduentat; dum vel cæcatis oculis donum lucis admissæ redintegrat, vel à natiui- Ioan. 9, 7. tate cæcis nouum lumen infundit; dum inter mœstas ægrotantium turbas, medendi peritus assistit; dum luctus varios obsecrantium parentum dimo- Luc. 9, 11. uet, vel morientes eorũ charos sanitati restituens, vel mortuos vitæ. Ad hoc enim Filius Dei, sine Ioan. 11, 44. initio Deus, in fine sæculi initium carnis sumpsit ex virgine, & inter homines conuersari dignatus est, vt huic mundo succurreret pereunti: quoniam vt ipse ait, Non est opus sanis medico, sed malè habentibus. Medicus enim mœstitudinis domum potiùs quàm lætitiæ ingredi consueuit. Aut enim vulnerum dolore afflictis necessarius est, aut ægritudinis morbo laborantibus, aut longâ viscerum tabe desertis; quia Medici officium prosperitas non requirit. Quid est ergo quòd ista Euangelij lectio, quæ hodie recitata est, festiuitati nuptiali interfuisse Dominum perhibet inuitatũ, nisi quòd ibi vinum (id est virtus lætitiæ spiritalis) defecerat, & languebant sitientium conuiuarũ ora, vini lætificantis inopiâ? quoniam vinum lætificat cor ho- Ps. 103, 15 minis, vt ait Propheta. Sed priusquã spiritualium scientiam reuelemus, rationem facti historialiter exponamus. Ideò nuptiarum celebritatem non *Christus præsentiâ cur nuptias honorarit.* aspernatur Christus, vt eumdem se esse testetur Deum, qui de limo terræ figurauerit ab initio vi-

rum

rum & feminam, ijsdemque licentiam tribuerit
Gen 1, 28. coniugalem, dicens, Crescite, & multiplicamini, & implete terram. Quod Manichæis perditis adeò displicet constitutum: quibus ego ob immunditiam suam puto non tam rem nuptialem displicere, sed legem quæ non multas feminas vni viro, neque vnam feminā multis viris, sed etiam vnam feminam vni viro coniungit. Nolunt enim viuere ipsi execrabiles Manichæi iuxta Apostoli Pauli
1. Cor. 7, 2. doctrinam, vt vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum. Benedixit ergo quod constituerat à primordio legitimum Christus coniugium, dum pergere ad nuptias non renuit inuitatus: & tamen virginitatem docuit esse meliorem, dum magis per eam nasci dignatur. Probauit sanctam virginem suum esse domicilium Deus, vbi lumen pudoris perpetuum seruet ingressus, dum sine detrimento integritatis maternæ nascitur, sine corruptelâ conceptus. Ideoque vas electionis Apostolus ad istud bonum quod consecutus fuerat, ceteros inuitabat, dicens innuptis: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do quasi misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis; quia expedit homini sic esse. Et post longam monitionem, quâ castimoniæ beatitudinem conditioni prætulit nuptarū, sententiâ postremâ conclusit Igitur & qui dat virginem suam nuptui, benè facit; & qui non dat, melius facit.

Bonum coniugium, virginitas melior.

1. Cor. 7. 25.

Licet autem multis partibus matrimonio præstet virginitas, ipsum tamen per se virtutis impedimento non esse, pulchrè ostendit S. CHRYSOSTOMVS *ad hunc locum, dicens*: Ne excuses te propter nuptias. Dominus tuus nuptijs interfuit, & nuptias honorauit, & tu nuptias arguis, & dicis nuptias obstaculum esse ad pietatem? Nullum ad pietatem est obstaculum. Moyses vxorem habuit & liberos, & nihil ei nocuere. Si Elias virgo ignem è cælo deduxit, Moyses etiam manna è cælo deduxit. Si Elias virgo cælum verbo clausit; nónne & Moyses coturnices aduolare fecit? Si Elias cum Deo conuersatus est; nónne Moysi Deus locutus est? Si Elias curru igneo in cælum sublatus est; nónne Moyses mare diuisit & traduxit populum? Sicut vni profuit virginitas, alteri non nocuere vxor & liberi. Et Petrus Ecclesiæ columna vxorem habuit. Ne igitur incuses nuptias. Hæc excusatio, hic prætextus, diaboli insidiæ sunt. Hæc dico, ne quis prætexat vel vxorem, vel liberos, vel militiam, vel negotiationem, vel opificium, vel seruitutem, vel diuitias, vel paupertatem, *&c.*

Matrimonium non impedit ad virtutem.

IDEM *in cap. 5. Geneseos*, Ingeminat, *inquit*, ac repetit, Et ambulauit Enoch cum Deo postquam genuit Mathusalem, ne quis arbitretur obstaculum virtutis esse coniugium. Quia si sobrij sumus, nec educatio, nec coniugium, nec aliud quid nobis obest quò minùs placeamus Deo. Nam si nuptiæ vel puerorum educatio præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc nostram vitam nuptias introduxisset vniuersorum Dominus, vt ne temporalibus & maximè necessarijs nos læderet. Sed quia non solùm nihil nobis obstant, si voluerimus esse sobrij, sed & magnam afferunt consolationem, dum comprimunt insanum naturæ impetum, ideò consolationem hanc humano generi tribuit. Audiant igitur viri & mulieres, & discant iusti huius virtutem, neque putent nuptias in causâ esse quò minùs Deo placeant.

Ad illa autem verba, Vinum non habent, *ita pulchrè* S. BERNARDVS, Compassa est enim, *inquit*, eorum verecundiæ, sic misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Nónne qui pomum in manu suâ tenuerit dimidiâ die, reliquâ diei parte seruabit odorem? Quantum ergo viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Nam & antè repleuit mentem quàm ventrem, & cùm processisset ab vtero, ab animo non recessit. Vinum, inquit, non habent. Quàm breuiter & quàm reuerenter suggessit? Vnde piè sollicita fuit. Disce ergo homo in matre Domini magnam in mirabilibus fidem habere, & in magnâ fide verecundiam retinere. Disce verecundiâ decorare fidem, reprimere præsumptionem. Ipsa enim pietatis æstum, pudoris temperans vmbram, conceptam præ eis fiduciam verecundè suppressit, non frontosè accessit, non palàm locuta est, vt audacter coram omnibus diceret: Obserua, fili mi, deficit vinum, contristantur conuiuæ, confunditur sponsus, ostende quid possis. Sed licet hæc aut multò plura pectus æstuans, & feruens loqueretur affectus, priuatim tamen potentem pia mater filium adijt, non potentiam tentans, sed voluntatem explorans. Vinum, inquit, non habent. Quid modestius? quid fidelius? Non defuit pietati fides, voci grauitas, efficacia voto.

S. Maria misericors mater.

S. HILARIVS *Hom. 1. in hoc Euangelium*, Hîc primo loco, *inquit*, attentiùs requiramus, quid sit vinum quod defecisse dicitur, & quod sit aliud vinum, quod non naturâ ministrante, sed potentiâ *S. Scriptura vino comparata.* operante profertur. Vinum multis locis sacrarum Scripturarum salubritatem atque virtutem, meracissimum in se vigorē cælestis sapientiæ continentem significat, quo ad timorem Dei repletus atque inebriatus fideliū concalescat affectus, vt possint dicere cum Prophetâ: Potasti nos vino compun- Psal. 59, 5.
ctionis, & poculum tuum inebrians quàm præclarum est! Et, Vinum lætificat cor hominis. Ope- Psal. 103.
rante ergo Christo in Canâ Galilææ vinum fit, id 15.
est, recedit lex, gratia succedit: vmbra remouetur, veritas repræsentatur: carnalia spiritalibus comparantur: in nouum Testamentum obseruatio vetusta transfertur, sicut B. Apostolus dicit: Vetera 2. Cor. 5, 17
transierunt, & ecce facta sunt noua. Et sicut aquæ illæ quæ in hydrijs continentur nihil minuunt ex eo quod erant, & tunc incipiunt esse quod non erant: ita lex non perit per aduentum Christi manifestata, sed proficit. Mater Domini, id est synagoga, dicit, Vinum non habent: dum hoc dicit, ob- Isa. 5, 6.
seruationibus suis finem venire cognoscit, de quâ synagogâ Dominus dicit: Et relinquā vineam meā, & nō putabitur, neq; fodietur. Quare, Relinquam vineam meam? Expectaui, inquit, vt faceret vuam, fecit autem spinas. Non immeritò vinum deficiebat, quia vinea fructum negabat: & ideò sacrâ le- Hab. 3, 17.
ctione concinitur. Quia, inquit, ficus non afferet fructum, nec erunt natiuitates in vineis, *&c.*

S. BERNARDVS *Hom. 2. in Dominicam post Octauam Epiphaniæ, ad illa verba*, Quid mihi & tibi est mulier? Quem, *inquit*, non moueat hæc responsio, quam benignissimæ matri suæ ac sanctissimæ Dominus respondit? Quid tibi & illi est, Domine quæris? nónne quod filio & matri? Quid ad illam pertineat quæris, cùm tu sis benedictus fructus ventris eius immaculati? Nónne ipsa est, quæ saluo pudore concepit, & sine corruptione te peperit? Nunc ergo, Domine, quid molestus es illi, dicens

Matri cur responderit Christus duriusculè.

Quid mihi & tibi est? Multum per omnem modum. Sed manifestè iam video, quòd non velut indignans, aut confundere volens virginis matris teneram verecundiam, dixeris hæc, cùm venientibus ad te iuxta matris præcepta ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggessit. Vt quid ergo hoc fecit? Vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum iam non sollicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illæ non impediant exercitium spiritale. Quamdiu enim de mundo sumus, debitores nos esse constat parentibus: at postquam reliquimus nosmetipsos, multò magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Vnde & legimus, Fratrem quemdam in eremo conuersantem, cùm ad eum carnalis frater auxilij gratiâ aduentasset, respondisse, vt adiret alterum Fratrem eorum, cùm ille vtique iam obijsset. Cumque admiratus qui venerat responderet, Quia ille obijt; Eremita se quoque similiter obijsse respondit. Optimè ergo nos docuit Dominus, ne solliciti simus super propinquis carnis nostræ plus quàm religio postulet, cùm ipse matri & tali matri respondit, Quid mihi & tibi, &c.

Religiosum non oportet carnalium propinquorum esse sollicitum.

Obserua verò B. Virginem non ex ostentatione aut intempestiuè petiisse miraculum, (vt innuit S. Chrysostomus cum Theophylacto & quibusdam alijs ad hunc locum) sed ex necessariâ charitate & pietate, vti manifestè S. Bernardus suprà citatus cum Cyrillo & Ruperto in hæc verba. Vnde nulla fuit in B. Virgine culpa, & consequenter non fuit vera Christi reprehensio, sed tantum dispensatoriè videtur reprehendere, vt doceret in operibus theandricis, siue in rebus diuinis & miraculis, vti parentes nihil habent iuris vel auctoritatis, ita nec eorum affectibus, sed tantum Deo & charitati illa esse exhibenda. Vide dicta superius in Notis ad Caput x. S. Lucæ, ad v. 49. & 51.

S. GREGORIVS *Epist. 42. lib. 2. ad illa verba,* Nondum venit hora mea; Neque enim, *inquit*, Iesus Angelorum Dominus horæ subiectus erat, qui inter cuncta quæ creauerat, horas & tempora fecerat. Sed quia mater virgo cùm vinum deesset, per eum miraculum fieri volebat; statim ei responsum est, Quid mihi & tibi mulier? ac si apertè diceret: Vnde facere miraculum possum, hoc mihi ex Patre, non ex matre est.

VERS. 5. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, facite.

6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundùm purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas.

7. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aquâ. Et impleuerunt eas vsque ad summum.

8. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclino. Et tulerunt.

9. Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam: vocat sponsum architriclinus,

10. & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhuc.

11. Hoc fecit initium signorum Iesus in Canâ Galilææ: & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

SANCTVS GAVDENTIVS *Tractatu in præsens Euangelium*, Beatissima, *inquit*, Virgo, agnito responsionis huius profundo mysterio, intellexit non suggestionem suam præsentem aspernanter acceptam, sed secundùm illam spiritalem rationem in mysterio tunc dilatã. Ceterùm numquam mandaret ministris, Quodcumque dixerit vobis, facite, nisi Spiritu sancto post partum diuinum plena, non solùm responsionis Christi virtutem cognouisset; verùm etiam futuri ab eo tunc ex aquâ vini vniuersum ordinem præuidisset. Quid enim lateret sapientiæ, matrem capacem Dei?

RVPERTVS *Abbas lib. x. in Ioannem, hisce consentiens, ait:* Voluntatis eius conscia, & de potentiâ eius non dubitans, opportunâ commonitione ministrorum animos præparat; videlicet, ne id quod præcepturus erat, amentiæ reputarent, nondum veram eius experti virtutem. Nam & propinqui eius, cùm Apostolos eligeret, & nomina quibusdam mutata imponeret; exierunt, inquit Marcus Euangelista cap. 3. vt tenerent eum, dicentes, Quia in furorem versus est. Itaque sollicita præmonet, vt non diffidentes, aut etiam irridentes, indigni fierent gratiâ miraculi, sed præcepto parentes, viam facerent manifestandæ gloriæ Dei. *Agnoscens igitur Deipara Virgo, optimam ad impetrandum quidpiam à Deo dispositionem esse fidem indigentium, vt Dominus eis miraculo subueniret, fidem suadet ministris, vt egregie notauit* S. AVGVSTINVS *Serm. 2. Dominica 2. post Epiphaniam, dicens:* Quàm benè mater Domini credulitatem suadet ministris, vt non desint vina prandentibus? Quodcumque, inquit, dixerit vobis, facite.

Breue quidem fuit hoc eloquium, sed in eo pleraque latent arcana, & documenta Dei Genitricis supremo Magisterio digna. Vnde ALBERTVS MAGNVS *super* Missus, *inter alia multa argumenta, quibus sanctissimæ Virgini excellentiorem quam reliquis omnibus Doctoribus ac Magistris aureolam deberi probat, sic ait:* Doctrina prudentum facilior est (vt ait Salomon Prou. 14) sed Beatissima Virgo breuissimè & lucidissimè omnia prædicabilia vno verbo prædicauit, quando dixit in nuptijs: Quodcumque dixerit vobis, facite. Qui enim facit quæcumque Filius Dei dixerit, omnia prædicabilia implet; ergo B. Virgo omnia vno verbo prædixit.

D. Virgo Magistra Doctorum.

Venerabilis BEDA *ad illud,* Erant autem lapideæ hydriæ sex, &c. Hydriæ, *inquit*, vocantur vasa aquarum receptui parata. Græcè enim aqua ὕδωρ dicitur. Aqua autem Scripturæ sacræ scientiam designat, quæ suos auctores & à peccatorum sorde abluere, & diuinæ cognitionis solet fonte potare. Vasa sex quibus continebatur, corda deuota sunt Sanctorum, quorum perfectio vitæ & fidei exemplum rectè viuendi ac credendi proposita est generi humano

Hydriæ quid mysticè.

mano per sex sæculi labentis ætates, id est vsque ad tempus Dominicæ prædicationis. Et benè lapidea sunt vasa, quia fortia sunt præcordia iustorum, vtpote illius fide & dilectione solidata lapidis, quem vidit Daniel cap. 2. præcisum de monte sine manibus, creuisseque in montem magnum, & implesse omnem terram: & de quo dicit Zacharias cap. 3. In lapide vno septem oculi sunt, id est, In Christo vniuersitas scientiæ spiritalis inhabitat: cuius & Apostolus Petrus meminit Epist. 1. cap. 2. dicens, Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipsi tamquam lapides viui superædificamini. Benè secundùm purificationem Iudæorum tantùm positæ erant hydriæ, quia Iudæorum tantùm populo lex per Moysen data est. Nam gratia Euangelij & veritas non minùs gentibus quàm Iudæis per Iesum Christum facta est. Capientes, inquit, singulæ metretas binas vel ternas. quia Scripturæ sanctæ auctores & ministri Prophetæ, modò de Patre tantùm loquuntur & Filio, vt est istud Psal. 103. Omnia in sapientiâ fecisti. Virtus etenim Dei & Sapientia Christus est. Modò etiam Spiritus sancti faciunt mentionem, iuxta illud Psalmographi Psal. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Verbum, Dominum, & Spiritum, totam, quæ vnus est, intellige Trinitatem. Sed quantum inter aquam & vinum, tantum distat inter sensum illum quo Scripturæ ante aduentum Saluatoris intelligebantur, & eum quem veniens ipse reuelauit Apostolis, eorumque discipulis perpetuò sequendum reliquit. Et quidem potuit Dominus vacuas implere hydrias vino, qui in exordio mundanæ creationis cuncta creauit ex nihilo: sed maluit de aquâ facere vinũ, quò typicè doceret, non se ad soluendum improbandumque, sed ad implendum potiùs Legem Prophetasque venisse. Neque alia se per Euangelicam gratiam facere, quàm quæ legalis & Prophetica Scriptura eum facturum docturumque signaret.

S. Bernardvs *super illa verba*, Implete hydrias aquâ; Mira, *inquit*, res. Ministri solliciti sunt de vini penuriâ, & Dominus iubet impleri hydrias aquâ. Illi de poculis cogitant, & Dominus iubet vt vasa purificationis impleant. Sic suspiranti Iacob ad Rachelis amplexus, Lia à patre supponi- Gen. 29, 23
tur. Prælatis hoc præcipitur, qui ministri Christi sunt, vt aquâ hydrias impleant quoties deest vinum: ac si dicatur, Illi deuotionem desiderant, vinum requirunt, feruorem flagitant, sed nondum venit hora mea; implete hydrias aquâ, incutite metũ, & spiritu timoris non tam vasa quàm corda replete. Quia vt ad charitatem perueniant, initiandi sunt à timore, vt dicant & ipsi: A timore tuo concepimus Domine, & parturiuimus Spiritum salutis. Sed quomodo implebuntur hydriæ? prædixerat enim Euangelista, Capientes singulæ metretas binas vel ternas. Quæ sunt duæ metretæ, quæve tertia? Vtique duplex timor, communis & notus omnibus, ac tertius quidem minùs communis, & minùs notus. Primus enim timor est, ne cruciemur in gehennâ: secundus, ne exclusi à visione Dei, priuemur tam inæstimabili gloriâ: tertius replet animam omni sollicitudine timidam, ne fortè deseratur à gratiâ. Et quidem omnis timor Domini, sicut aqua extinguit ignem, sic extinguit peccati concupiscentiam: sed is maximè cùm ad omnem tentationem statim occurrit, ne fortè contingat amittere gratiam, vt sibi derelictus homo labatur quotidie de malo in peius, de periculo minori in grauiorem culpam: quales vtique multos videmus, cùm in sordibus sint, sordescentes adhuc. Nam aduersus timorem istum non est vnde sibi blandiatur anima, siue de minori fortè quantitate peccati, siue de emendatione futurâ. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima genera timoris. Præcepit ergo Dominus, vt hac aquâ hydrias impleamus. Sunt enim aliquando vacuæ, & plenæ vento; si quis tamen adeò insanus est, vt in eo per vanitatis studium, illæ quas prædiximus obseruantiæ mercede perpetuâ vacuentur; vt sunt fatuæ virgines, in quarum vasis oleum non habetur. Interdum autem (quod peius est) plenæ quidem sunt, sed plenæ veneno, quod est inuidia, murmur, rancor animi, & detractio. Proptereà ne fortè subintrent ista dum vinum deest, iubemur implere hydrias aquâ, vt obseruentur mandata Domini in timore: quæ tunc mutatur in vinum, cùm timor expellitur à charitate. & implentur omnia feruore spiritus & iucundâ deuotione.

Aquâ timoris Domini sunt implenda hydria corda nostri.

Est hic etiam locus moralis de necessariâ cooperatione nostrâ ad Dei beneficia & gratiam obtinendam. Cooperandũ gratia Dei.
Potuisset enim, vt supra ex Bedâ dictum est, Christus absque aquâ vinum creare, & vacuas hydrias vino implere, sed voluit vt eis domestici cooperarentur. Docet ergo Christus, debere vnumquemque cooperari ad salutem suam. Ita Eliseus curaturus à leprâ Naaman 4. Reg. 5, 10.
Syrum mittit ad Iordanem, vt in eo lauaretur: & cæcus missus est ad natatoriam Siloë. Sic virgâ vsus est Ioan. 9, 7.
Dominus per manũ Moysi, vt tanta operaretur signa. Exod. 4, 2.
Sic etiam 4 Reg. 5. Eliseus viduæ necessitati prouidit, dum illa miraculo cooperata est, &c.

S. Gavdentivs *Tractatu 9. super illud*, Ferte architriclino; Traditio est, *inquit*, cùm fierent nuptiæ apud Iudæos, vnus è sacerdotibus dabatur qui morem legitimæ disciplinæ gubernaret, curamque pudoris coniugalis ageret, simul & conuiuiorum apparatum, ministros atque ordinem dispensaret. Inde architriclinus, id est triclinij siue mensarum & conuiuij præfectus dicebatur: quomodo & Gentiles suum symposiarchã habebant, qui in conuiuijs erat Modimperator. *Hisce omnino consentientia tradit* Alcvinvs *in aureâ Catenâ*. Architriclinus, *inquit*, est Princeps triclinij, siue primus inter conuiuas, qui more antiquo in lectis discumbebant. Vnde quidam architriclinum intelligunt aliquem ex sacerdotibus Iudæorum, qui nuptijs interesse poterant, vt illos instrueret, qualiter nuptijs vti deberent.

Architriclini officium quale.

Iubet autem Christus aquam vinum factam dari architriclino; quia, vt ait S. Chrysostomvs *ibidem in Catenâ*, aliqui potuissent dicere, quòd conuiuæ ebrij erant, & sensus iudicantium corruptus, vt nescirent vtrùm aqua vel vinum esset. His autem quibus ministratio conuiuarum credita est, maximè vigiles sunt, vnum opus habentes, vt ornatè & ordinatè omnia disponant: ideò in testimonium eorum quæ fiebant, dixit Dominus, Ferte architriclino. propter euigilantem eius sensum, & non dixit, Propinate discumbentibus.

Hvgo de S. Victore *illud*, Omnis homo primùm bonum vinum ponit, deinde quod deterius est, *pulchrè diuino & humano amori accommodat, vtriusque hinc differentiam assignans in hæc verba:* Inter amorem huius mundi, & amorem Dei, hæc

Amor mũdi initio dulcis, in fine amarus, Dei amor contrà initio amarus, in fine dulcis.

est differentia, quòd amor mundi in principio dulcis videtur, sed finem habet amarum: amor Dei ab amaritudine incipit, sed vltima eius plena sunt dulcedine. Omnis namque homo, id est carnalis, primùm bonum vinum ponit, quia in suâ delectatione falsam quamdam dulcedinem sensit: sed postquam furor mali desiderij mentem inebriauit, tunc quod deterius est, propinat: quia spina conscientiæ superueniens mentem, quam priùs falsò delectabat, grauiter cruciat. Sed sponsus noster postremò vinum bonum porrigit, dum mentem, quam sui dulcedine amoris replere disponit, quadam priùs tribulationum compunctione amaricari sinit, vt post gustum amaritudinis, auidiùs bibatur suauissimum poculum charitatis. Et hoc est primum signum quod fecit Iesus coram discipulis suis, & crediderunt in eum: quia inde peccator & pœnitens primùm de misericordiâ Dei fiduciam habere incipit, quòd post longa mœroris tædia Spiritus sancti consolatione cor suum releuari sentit.

S. Ambrosius *Serm. 20. ad illud*, Et manifestauit gloriam suam; Quàm benè, *inquit*, potentiam Domini subsequitur deuotio seruulorum! & quod Magister docuit opere, discipuli in corde describunt! Ecce cui manifestatur virtus operantis, & fides prædicatur manifesta credentium. Prædicanda planè Apostolorum fides, quæ viso vno signo credidit in omnipotentiam Saluatoris. Et Apostoli, dum mirantur aquam in vinum versam, ipsi ex omni fæce peccatorum similiter sunt conuersi, & instar facti miraculi, ex vili superstitione Gentilium in pretiosam deuotionem credentium sunt translati. Et vt aqua in vinum versa, sapore, rubore, calore conditur; ita scientiæ quod erat in his insulsum, accepit saporem; quod pallens, gratiæ sumpsit colorem; quod frigidum, incaluit immortalitatis ardore. Magnificanda igitur Apostolorum fides, quæ ideò Euangelico sermone descripta est, vt & illis esset ad laudem, & nobis proficeret ad exemplum. Sed quod peius est, his illis laus sua permanet, nos exempla non promouent. Nam quantò posteriores sumus, tantò & inferiores merito. Illi enim viso vno signo, statim Domino crediderunt; nos acceptis adhuc tot beneficiorum mirabilibus, dubitamus. Dubitamus, inquam, quia præsentia diligimus, dum futura non credimus: diuitias amamus in sæculo, dum eas accipere cunctamur à Christo. Credere ergo debemus, sicut tunc Apostoli crediderunt. Dicit autem & alius: Et nos Christiani sumus, credimus in Dominum Saluatorem. Sed credere opus est opere, non sermone; non linguâ, sed corde: ne & nobis dicatur illud Isa. 29. Plebs hæc labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.

Ostendenda est fides factis.

Ex eo autem quod dicitur, Hoc fecit initiũ signorum Iesus, *passim veteres & recentiores colligunt, hoc miraculum fuisse absolutè primum quod Christus publicè fecit ad prædicationis suæ fidem faciendam.*

Vers. 12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus.

13. Et propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam:

14. & inuenit in templo vendentes, boues, & oues, & columbas, & numularios sedentes.

15. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque, & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

16. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.

17. Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: " Zelus domus " tuæ comedit me. *Ps. 68, 10*

Sanctvs Chrysostomvs *Hom. 21. in Ioannem*, Quanam, *inquit*, gratiâ cum matre abijt in Capharnaum? Neque enim illic vllum fecit miraculum, neque incolæ rectè de ipso sentiebant, sed multis flagitijs laborabant, vt ipse Christus ostendit Lucæ 10. Et tu Capharnaum vsque ad cælum elata, vsque ad infernum deferêris. Quoniam, vt mihi videtur, cùm paulò pòst esset Ierosolymam ascensurus, antè Capharnaum petijt, ne quocumque fratres secum ac matrem traheret. Parum igitur illic matris gratiâ commoratus, iterùm miracula aggreditur. Propterea, inquit, quòd non multò pòst ascendit Ierosolymam. Paucis itaque ante Pascha diebus baptizatus venit Ierosolymam, vbi rem miram aggressus est.

S. Avgvstinvs *Tractatu 10. in Ioannem ad hunc locum*, Ecce, *inquit*, habet matrem, habet fratres, habet & discipulos. Inde fratres, vnde matrem. Fratres enim Scriptura nostra non eos solos appellare consueuit qui nascuntur ex eodem viro & feminâ, aut ex eodem vtero, aut ex eodem patre, quamuis diuersis matribus, aut certè ex eodem gradu, velut compatrueles aut consobrinos: non solùm hos fratres nouit dicere Scriptura nostra. Quomodo loquitur, sic intelligenda est. Habet linguam suam: quicumque hanc linguam nescit, turbatur, & dicit: Vnde fratres Domino? Num enim Maria iterùm peperit? absit. Inde cœpit dignitas virginum. Illa femina mater esse potuit, mulier esse nõ potuit. Dicta est autem mulier secundùm femineum sexum, non secundùm corruptionem integritatis: & hoc ex linguâ ipsius Scripturæ. Nam & Eua statim facta de latere viri sui nondum contacta à viro suo, nostis quia mulier appellata est. Et formauit eam in mulierem. Vnde ergo fratres? Cognati Mariæ, fratres Domini, de quolibet gradu cognati. Vnde probamus? ex ipsâ Scripturâ. Frater Abrahæ dictus est Lot, qui filius erat fratris ipsius. Lege, & inuenies quia Abraham patruus erat Lot, & dicti sunt fratres. Vnde, nisi quia cognati? Item Iacob Laban Syrum habebat auunculum: frater enim erat Laban matris Iacob, id est Rebeccæ vxoris Isaac. Lege Scripturam, & inuenies quia fratres dicuntur auunculus & sororis filius. Quâ regulâ cognitâ, inuenies omnes consanguineos Mariæ fratres esse Christi. Sed illi discipuli magis erant fratres, quia & illi cognati fratres non essent, si discipuli non essent: & sine causâ fratres, si magistrum non agnoscerent fratrem.

Quinam in Scripturâ fratres Domini.

Gen. 2, 22

Gen. 13, 8.

Alcvi-

ALCVINVS *in Catenâ D.Thomæ ad illa verba,* Et ascendit Ierosolymã; Bis, *inquit,* in Euangelijs legitur Iesum ascendisse Ierosolymam; semel in primo anno prædicationis, dum adhuc Ioannes non erat missus in carcerem; de hoc ascensu nunc agitur: & iterùm illo anno quo erat passus. Dedit autem nobis exemplum Dominus quantâ curâ diuinis subdi debeamus imperijs. Si enim ipse Dei Filius decreta legis à se data implebat, celebrans solemnitates cum ceteris hominibus, quanto studio bonorum operum serui debent solemnitates præuenire & celebrare?

Qui in sunt iumenta & vendentes in templo.

BEDA *ad ista verba,* Et inuenit in templo vendentes, *&c.* Non est putandum, *inquit,* quòd hæc venalia in ipso templo fierent, sed potiùs in porticibus quibus ipsum templum cingebatur. Oues ergo & boues & columbæ ad hoc ibi emebantur, vt in sacrificio Domini offerrentur. Nummularij verò ad hoc ibi residebant, vt inter emptores venditoresque hostiarum fieret prompta pecuniæ taxatio. Ergo quodammodò honesta erat & licita negotiatio ista: quia ad hoc, vt dictum est, emebantur hostiæ vt Deo offerrentur. Quid ergo putamus fecisset Dominus, si inuenisset eos rixis dissidentes, aut fabulosis, otiosis aut turpibus & obscœnis colloquijs vacantes, aut quolibet alio scelere occupatos, si ita in eos desæuit, qui ea negotiabantur in templo quæ Domino offerre volebant? Hæc contra illos dicimus, qui Ecclesiam ingressi, non sicut in domo Dei cum metu & reuerentiâ ibi consistunt, sed lasciuientibus obtutibus, vagi, inanibus fabulis occupantur, cachinno soluuntur; spretaque intentione orandi, peccata, pro quibus exorare debuerant, augent; quodque grauius est, si quis eos pro huiusmodi stultâ præsumptione redarguere ausus fuerit, odijs eum & maledictis prosequantur, nec diuinum ex hoc iudicium formidant, cuius templum ausu nefario profanant. Hoc sanè quod tunc corporaliter gestum est in templo, quotidie geri in Ecclesiâ, nullus qui rectè sapit, ignorat. Quotidie namque Dominus sanctam spiritualites intrat Ecclesiam, & qualiter in eâ vnusquisque versetur, attendit. Cauendum ergo & valdè pauendum est, ne improuisus veniens, peruersum in nobis aliquid, vnde meritò flagellari, & de Ecclesiâ eijci debeamus, inueniat. Maximè verò hoc obseruare debemus in eâ quæ spiritaliter domus Dei vocatur, ne quid ibi ineptum geramus, ne dicatur de nobis, quod per Prophetam Dominus dixit: Dilectus meus in domo meâ fecit scelera multa. Nec obliuiscamur nos ipsos templum Dei esse, ideoque ab omni immunditiâ & iniquitate conscientiam nostram immunem custodiamus, illud cum tremore recolentes quod dicit Apostolus: Si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Dominus. Notandum autem est, quòd vendebantur in templo oues, & boues, & columbæ. Boues quippe terram exarant, & suscipiendis seminibus præparant. Quid ergo per boues, nisi doctrina cælestis accipitur? Boues ergo vendunt, qui verbum Euangelij non pro auditorum vtilitate, nec causâ amoris Christi, sed intuitu lucri temporalis auditoribus impendunt. Oues simplicia & mansueta animalia vestiendis hominibus sua vellera præstant: & quid per oues, nisi opera simplicitatis & innocentiæ signãtur? Vendunt ergo oues, qui gratiâ humanæ laudis opera agunt pietatis, de quibus dicitur, Receperunt mercedem suam. Quid verò per

Deus peculiariter attendit quid agatur.

Ier. 11, c 5

1.Cor.3, 17.

Qui boues vendant.

Qui oues.

columbas quæ felle carent, nisi Spiritus sanctus intelligitur, qui in specie columbæ super baptizatum Dominum ostensus est? Columbas igitur vendunt, qui Spiritus sancti donum per impositionem manus vel ad præmium vel ad vulgi fauorem tribuunt, qui sacros Ordines non pro vitæ merito, sed pro gratiâ largiuntur. Nummularij verò sunt hi, qui in Ecclesiâ apertè terrenis rebus inseruiunt, quæ sua sunt quærentes, non quæ Iesu Christi.

Matth. 3. 16.

Qui columbas.

Qui nummularij.

S.PAVLINVS *epist. 12. ad Seuerum:* Expedit autem nobis, vt etiam ædificatum cordis nostri templum sæpè Dominus Iesus reuisat, veniens in flagello timoris sui, vt eijciat de nobis mensas nummulariorũ, & venditores boum vel columbarum: ne quod auaritiæ commercium animus noster exerceat, neque in nostris sensibus tarditas boum stabulet, neque simus innocentiæ nostræ, vel diuinæ gratiæ venditores; ne faciamus orationis domum, speluncam latronum.

Quomodo Christus à nobis expellat boues, oues, &c.

Et epist. 16. ad Delphinum: Ora veniat Dominus Iesus in cor nostrum sicut in templum suum: excutiat flagellum pietatis suæ, quo verberat omnem filium quem recipit, & expellat à sensibus mentis nostræ, quasi à negotiatoribus templi, omne commercium atque contagium iniquitatis. Expellat à nobis boues, & venditores columbarum, & mensas nummulariorum; vt ab omni immunditiâ & cupiditate purgati, castam simplicitatem fidei charitatisque teneamus. Fides incorrupta tenetur, vbi columba non venditur. Nisi enim nos Deo tradamus, vendimus diabolo. Vnde & vetus homo, qui se consilio malesuadi serpentis addixit, venumdatus sub peccato dicitur.

Locus hic de reuerentiâ debitâ locis sacris atque inprimis Ecclesijs exhibendâ cumulatè nos admonet, & quomodo qui in illis irreuerenter se gerunt ab ijsdem arcendi sint docet. Pulchrè autem in abusus sui temporis hac in parte committi solitos inuehitur S.CHRYSOSTOMVS, *qui cùm hac etiam tempestate inualescãt, opera pretium fuerit ipsius verba adferre, ita scribentis Homiliâ 13. in Marcum, ad illa verba,* Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum, *sic exclamat:* O infelicitatem nostram, ô nos omni lachrymarum fonte plangendos! Domus Dei facta est spelunca latronum. Ista est domus de quâ dicitur in Ieremiâ cap 7. Numquid spelunca hyænæ, facta est domus mea mihi?

IDEM *infrà:* Vtinam de præterito populo esset tantùm dictum! Vtinam de Iudæis legeretur, non autem de Christianis, Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum, & domum negotiationis, vt Ioannes ait c.2! Si de Iudæis tantùm ista dicerentur, ploraremus quidem illos, sed de nobis gauderemus: nunc verò in multis locis, domus Dei, fit domus negotiationis. Res tam manifesta est, vt expositione non indigeat. Vtinam esset obscurum, & non intelligeremus! Domus Patris in multis locis domus negotiationis est.

Et Hom. 24. in Acta: Et hoc profectò terribile, quòd non venis ad Ecclesiam vt saltes in ludo & choreâ, & stes sine ordine. Nescis quòd cum Angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis, & stas ridens? Etenim non esset mirum, si fulmen demitteretur non solùm in illos, sed etiam in nos. Digna enim fulmine sunt hæc. Adest Rex considerare exercitum, & tu in illorum conspectu stas ac rides,

Contra eos qui in Ecclesiâ irreuerenter se gerunt.

rides, vel ridentem negligis? Verùm quamdiu obiurgamus? quamdiu reprehendimus? Nònne vt damnosos, vt fures, vt corruptos, & perniciosos tales, & innumeris malis plenos ab Ecclesiâ excludi oportebat? Vnde hi qui horrendâ horâ rident, abstinebunt à risu, vnde abstinebunt à nugis, qui in tempore benedictionis garriunt, non reuerentur præsentes, nec Deum timent. Non sufficit nobis, quòd ipsâ mente sumus ignaui, neque quòd orantes aliò euagamur, sed etiam risum & cachinnos multos afferimus? Numquid theatrica sunt hæc quæ in Ecclesiâ geruntur?

In eos qui mulieres in Ecclesiâ indecenter aspiciunt.

Homiliâ autem 74. in Matthaeum sic ait: Multi ad formas mulierum aspiciendas in Ecclesiam veniunt. Deinde non miraris, quomodo vndique fulmina non deferuntur, quomodo cuncta funditus non euertuntur. Hæc enim non fulminibus solùm, sed etiam gehennæ supplicio dignissima. Verùm Deus cùm longanimis & misericors sit, vt in pœnitentiam te adducat, iram suam intereà retinet. Quid facis homo? mulierum speciem curiosiùs in Ecclesiâ perscrutaris, nec horrescis, tantâ templum Dei afficiens contumeliâ? Prostibulum ne tibi videtur Ecclesia, & foro ignobilior? Nam in foro erubescis, etiam times, ne quis te videat mulierem sectari: in Ecclesiâ verò Dei, cùm ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso tempore maximè fornicatione atque adulterio vteris, quo tibi magnâ voce intonatur vt ab his fugias; nec horrescis, nec stupes. Sanè multò melius esset cæcos aut aliter ægrotos esse, quàm ita oculis turpiter abuti.

Christus est flagellum peccatoribus, & flos iustis.

Ad illud autem, Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, *rectè accommodari possunt illa* ORIGENIS *Hom. 3. in Isaiam dicentis, Christum virgam & flagellum esse peccatoribus, florem verò iustis.* Virga est, *inquit*, primogenitus omnis creaturæ, qui iuxta carnem natus est. Exijt virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit. Quis est flos, & quæ est radix? Ambo enim in vnum idipsum subiacent. Differentia autem est negotiorum. Nam si peccator es, non est tibi flos, neque videbis florem qui est ex radice Iesse. Venit enim ad te virga, quomodo Apostolus etiam virgæ & floris meminit. De virgâ quidem dicit: Quid vultis, in virgâ veniam ad vos? de flore verò: An in charitate Dei & spiritu mansuetudinis? Exit ergo de radice Iesse virga sapientiæ si qui supplicijs plectitur, virga ei qui indiget increpatione, virga ei qui necesse habet vt arguatur; flos verò ei qui iam eruditus est, & non indiget illâ correptione, vel certè non indiget pœnis, sed incipit iam florere, & ad perfectum fructum exire.

Isa. 11, 1.

1. Cor. 4, 21

Rectè autem obseruat S. AVGVSTINVS *Serm. 99. de Tempore ad suprà citata Isaiæ verba*, non otiosum videri, quòd exire dicitur virga, & flos ascendere. Quamuis enim vnus sit Christus, singulis tamen diuersus efficitur, prout indiget is qui operatur. Qui ergo segnior est & negligentior pro disciplina, Christus ei efficitur virga, & in virgâ non ascendere dicitur, sed exire. Exeundum namque est ei qui inutilis & ignauus est, de eo statu in quo non rectè consistit: transeundum ad alium statum tamquam virgæ compulsione, id est seueritati doctrinæ rigidioris admonitu. Qui verò iustus est, quia iustus sicut palma floret, in hoc ascendere dicitur Christus. Sic ergo qui verberibus indiget, exit ad eum virga; qui autem proficit ad iustitiam, ascendit ei in florem. Ascendit autem quousque adferat fructus spiritus, qui sunt charitas, pax, patientia, & reliquæ virtutes in Christo Iesu.

Congruè verò Christus flagello è funiculis facto deturbauit eos è templo. Quid enim aliud sunt peccata, nisi funiculi quibus peccator constringitur? Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, *ait Isaias cap. 5. v. 18. Qui ergo peccatum peccato addit, iam funiculos auget, & prolongat, quibus tandem è templo eijcitur, vti benè* S. HIERONYMVS *ad prædictum Isaiæ locum ostendit in hæc verba:* Quòd vincula dicantur esse peccata, crebriùs legimus. E quibus illud est, Funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Et Dominus arguens populum delinquentem, qui peccatis peccata sociarant, fecit flagellum de funiculis, ostendens eis quomodo domum Dei fecissent speluncam latronum. Conuiua quoque cœnæ Dominicæ vestem non habens nuptialem, vinctis pedibus & manibus eijcitur in tenebras exteriores. Et Dominus venit, vt his qui erant in vinculis, diceret: Exite. Ipse enim soluit compeditos, quos Ieremias vinctos terræ nuncupat. Nec plangit eos qui peccare cœperunt, statimque desierunt: non enim est iustus super terram, qui non peccet, sed qui longo funiculo peccata protraxerint. Vnde & in Numeris legimus, vaccam rufam, cuius cinis expiatio populi est, non aliter immolari & offerri ad altare Domini, nisi quæ terrena opera non fecerit, iugumque non traxerit, nec vinculis iugi Nabuchodonosor fuerit alligata. Et in hoc eodem Prophetâ, pro cingulo veritatis filiæ Sion cinguntur funiculo. Achitophel quoque & Iudas, quorum alter Dauid alter Dominum prodiderunt, fune longissimo trahentes peccata sua, periere suspendio. Quòd autem iuxta Hebraicum, & omnes alios Interpretes, appellantur funiculi vanitatis, hoc significat, quòd facientibus, peccatum facilè texitur, & tam inane & futile est, vt aranearum fila texuntur, sed cùm inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectitur.

Peccatores sibi funiculos quibus flagellentur contexunt.

Prou. 5, 22

Matth. 21, 17.

Matth. 22, 11.

Psal. 145, 7

Thren. 3, 34.

Num. 19, 9

Zelus Deo gratus.

Ad illud autem, Zelus domus tuæ comedit me, *pulchrè* S. GREGORIVS *lib. 34. Moralium cap. 7.* Nullum Deo tale sacrificium est quale zelus animarum. *Maximè autem zelum decere sacerdotem, docet* AMBROSIVS *super Psal. 118. in hæc verba:* Zelum debet habere sacerdos, qui incorruptam studet seruare Ecclesiæ castitatem; & ideò Princeps sacerdotum dicit, Zelus domus tuæ comedit me. Et Phinees sacerdos erat, & nepos sacerdotis, & filius sacerdotis. Bonus zelus & vtilis, in Sacerdote præcipuè, ne negligens ne remissus sit. Zelus Dei gratia est, qui exquirit, qui superuenit, qui se iusti infundit pectori. Zelus Dei vita est. Zelum habuit Elias, & ideò raptus est in cælum. Zelum habuit Mathathias, qui aduersus sacrilegia Antiochi excitauit Dei plebem. Zelum qui habet, omnes inimicos suos sibi putat, qui sunt hostes Dei; quamuis patrem, fratres, sorores, de omnibus dicit sicut Dauid, Hostes facti sunt mihi.

Zelus maximè decet Sacerdotē.

Quomodo temperādus sit zelus.

Quomodo autem attemperandus sit zelus, docet idem GREGORIVS *suprà citatus, his verbis:* Simila in sartagine frigitur, cùm mūda mens iusti per zelum sancti amoris crematur, quæ conspergi oleo præcipitur, id est misericordiâ, quæ in conspectu Dei ardet & lucet. Distinctio ergo sancti zeli: misericordiæ virtus ardeat & clarescat. Amat enim etiam quem insequitur. Vnde calida in suauissimum odorem Domino effertur: si enim zelus amorem non habet, simila in sartagine calorem amisit:

amisit: Sacerdoa offeret eam qui patri succedit: qui se Dei filium motibus ostendit, nec ab eius nobilitate degenerat. In altari tota crematur vt holocaustum fiat: qui enim omnia quæ mundi sunt deserunt, & totâ mente igne diuini amoris accenduntur, Deo holocaustum fiunt; qui verò sic operantur quæ sunt Dei, vt non relinquant quæ sunt sæculi, sacrificia offerunt, sed non holocaustum.

Quis autem vero domus Dei zelo comedatur, ostendit nobis S. AVGVSTINVS *Tract. 10. in cap. 2. Ioannis, scribens his verbis:* Quis comeditur zelo domus Dei? qui omnia, quæ fortè ibi videt peruersa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emẽdare non potest, tolerat, gemit. Non excutitur de areâ granum, sustinet paleam, vt intret in borreum cùm palea fuerit separata. Tu ante horreum, si granum es, noli excuti de areâ, ne priùs ab auibus colligaris; quàm in borreum congregeris. Anea enim cæli, aëreæ potestates, exspectant aliquid rapere de areâ, & non rapiunt nisi quod inde fuerit excussum. Ergo zelus domus Dei comedat te. Vnumquemque Christianum zelus domus Dei comedat, in quâ domo Dei membrum est. Non enim magis est domus tua, quàm domus vbi habes salutem sempiternam. Domum tuam intras propter requiem temporalem: domum Dei intras propter requiem sempiternam. Si ergo in domo tuâ ne quid peruersum fiat satagis: in domo Dei, vbi salua proposita est, & requies sine fine, debes pati quantum in te est, si quid fortè peruersum videris? verbi gratiâ: Vides fratrem currere ad theatrum; prohibe, mone, contristare, si zelus domus Dei comedit te. Vides alios currere & inebriari velle, & hoc velle in locis sanctis, quod nusquam decet; prohibe quos potes, tene quos potes, terre quos potes, quibus potes blandire, noli tamen quiescere. Si amicus est, admoneatur leniter: vxor est, seuerissimè refrenetur: ancilla est, etiam verberibus compescatur. Fac quidquid potes, pro personâ quam portas: & perficis, Zelus domus tuæ comedit me.

Zelus [illegible] quando cognoscatur.

VERS. 18. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hæc facis?

19. Respondit Iesus, & dixit eis: [a] Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud?

[a] Matth. 26, 61. 27, 40. Mar. 14, 58. 15, 29.

20. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?

21. Ille autem dicebat de templo corporis sui.

22. Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & [b] crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus.

[b] Psal. 3, 6. 56, 9.

23. Cùm autem esset Ierosolymis in Paschâ in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat.

24. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nosset omnes,

25. & quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.

FVLGENTIVS *lib. 3. ad Trasimundum cap. 17. ad ista verba,* Soluite templum, *&c.* Hoc, *inquit,* respondit Iesus, ad demonstrandum in se & veram mortalitatem hominis, & veram immortalitatem Deitatis. Quid autem fuerit illud templum, sanctus Euangelista monstrauit, dicens: Ipse autem dicebat de templo corporis sui. Ostensa est igitur & veritas humanæ substantię, quam Iudæi possent in Christo, ipso volente, soluere; & veritas diuinæ naturæ, quâ Christus templum sui corporis poterat suscitare. Quando enim mortuo Christo anima deseruit carnem, tunc solutum est illud templum, quod fuit ex animâ carneque constructum: & cùm anima reuerteretur ad carnem, tunc est illud templum die tertiâ suscitatum. Et tamen propter vnam Christi Dei hominisque personam idem mortuus est in corpore, qui suscitauit templum corporis sui.

Corpus Christi templum Dei.

Verè autem, *inquit* S. AMBROSIVS *in Psal.* 47. templum Dei corpus est Christi, in quo est nostrorum purificatio peccatorum. Verè templum Dei caro illa, in quâ nullum peccati potuit esse contagium: sed ipsa pro delicto mundi totius fuit sacrificium. Verè templum Dei caro illa, in quâ Dei imago fulgebat, & corporaliter plenitudo Diuinitatis habitabat, quoniã ipse Christus est plenitudo.

Obseruat hîc rectè BEDA, quòd non dicit, sicut aliqui confixerunt in passione, Destruam; sed honesto verbo, Vos, inquit, soluite. Neque enim conuenit vt nosipsi nobis manus inferamus. Vos ergo, ait, soluite; quia ab illis excruciandus & crucifigendus erat. Meritò igitur de templo illo typico eiecti fuerant, qui ipsum verum Dei templum, in quo nulla prorsus peccati macula esse poterat, soluere per mortem quærebant. Iudæi autem carnaliter Domino responderunt, quia superiora eius verba carnaliter intellexerunt. Quod enim ipse de sui corporis templo diserat, hoc isti de materiali templo dictum putabant. Verùm quod dicunt quadraginta & ses annis templum ædificatum, non primam sed secundam indicant ædificationem. Primum namque templum à Salomone in maximâ regni pace decentissimo opere septem annorum spatio perfectum est. Hoc destructũm posteà à Chaldæis, rursus post septuaginta annos iubente rege Persarum, relaxatâ populi captiuitate, à filijs transmigrationis sub Zorobabel & Iesu Principibus reædificari cœptum est. In quo opere sic impediti sunt impugnantibus se vicinis gentibus, vt vnâ manu gladium tenerent, alterâ lapidem in parietis structuram ponerent. Atque ita factum est, vt per quadraginta sex annos inchoata templi fabrica vix potuerit impleri. Hic autem annorũ numerus perfectioni Dominici corporis aptissimè congruit. Tradunt namque Physici, tot dierum spatio formam humani corporis in vtero matris perfici. Susceptum namque semen primis sex à conceptione diebus lactis similitudinem habet, nouem sequentibus vertitur in sanguinem, reliquis duodecim coagu-

Templum Ierosolymitanum primum septẽ secundùm quadraginta sex annis absolutum.

Quadraginta sex diebus formatur corpus humanum.

coagulatur, & in carneã soliditatem redigitur, alijs verò decem & octo formator vsque ad perfecta membrorum lineamenta. Hinc iam vsque ad tempus editionis magnitudine semper augetur. Sex autem, & nouem, & duodecim, & decem, & octo, in summâ collecti quadraginta quinque faciunt, quibus si ipsum diem adijcias, quo discretum per membra corpus incipit sumere incrementum, quadraginta sex absque errore reperies, per quod videlicet tot dies in ædificatione corporis Domini, quot annos in fabricâ legimus, numerantur. Possumus quoque ipsum hunc numerum in nomine ADAM, supputato ipsarum litterarum numero, inuenire, cuius nomen ex principalibus quatuor climatum mundi litteris apud Græcos constat: per quod innuitur, ipsum primum parentum nostrum de paradiso eiectum, & in totum orbem fuisse disseminatum. Nomina quippe quatuor mundi partium secundùm Græcos sunt, Ἀνατολὴ, Δύσις, Ἄρκτος, Μεσημβρία, hoc est, Oriens, Occidens, Septemtrio, Meridies. Nomen verò Adam, ex A, Δ, A, M, constat. quarum litterarum secundùm Græcos A, vnum, Δ quatuor, & rursum A vnum, & M quadraginta, quæ simul sunt quadraginta sex. Tot nimirum diebus corpus Christi in vtero virginali formatum ac perfectum est; per quod designabatur, primum Adam per orbem dispersum, per secundũ Adam, id est Christum colligendum atque in vnionem fidei congregandum.

Numerus litterarum nominis Adam, & quod in ijs mysterium.

Hæc Beda per compendium ex S. Augustino, qui hæc fusiùs tractat Tractatu decimo in Ioannem, & quæst. 56. libri octoginta trium Quæstionum; & qu. 26. Dialogi, & quæst. 65. ad Orosium, tum etiam lib. 4. de Trinitate, cap. 5.

IOANNES CAP. III.

VERS. 1. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.

2. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hęc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

3. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.

4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?

5. Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

6. Quod natum est ex carne, caro est: quod natum est ex spiritu, spiritus est.

7. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuò.

8. Spiritus vbi vult spirat: & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.

SANCTVS CYRILLVS *lib. 2. in Ioannem cap. 38.* Propensus, *inquit*, ad fidem Nicodemus fuisse videtur, sed pudore improbo victus, & gloriâ hominum superatus, palàm accedere non audet; ita ambiguâ quadam sententiâ, & claudicante iudicio, virisque (vt dicitur) poplitibus laborat. Nam conscientia quidem stimulis suis miraculorum magnitudine ad fidem eum pellebat: principatus autem gentis suæ (Princeps enim Iudæorum erat) ne palàm Christo adhæreret, facilè illi persuadebat: qui principatus detrimentum, calamitatem non paruam existimabat. Vtrumque igitur, & fidem scilicet & gloriam hominum, retinere cupiens, tenebris se commisit: quæ duplicitatem animi eius apertè accusant.

Pudor humanus quã sit noxius spiritalibus exercitijs.

Hinc patet, quòd etsi (vti moraliter & pulchrè Gislerius in Cant. cap. 2. v. 14.) libera coram Deo conuersatio, quam libertatem Spiritus appellare consueuimus, adeo sit iucunda, vt & illum gaudio perfundat qui liberè studio virtutum indulgeat, & Deum quoque mirum in modum oblectet: nihilominus vel suspicio opprobrij apud homines tantas habeat vires, vt ob humanam verecundiam plerumque, & honestas libertatis Spiritus contemptus habeatur, & nulla habeatur ratio eximiæ illius dulcedinis, quæ liberam consequi solet virtutis conuersationem: quodque bona sanctaque erubescentia efficere sæpiùs nequit, vt terrenarum voluptatum contemptum inducat; id è vestigio facillimè ipsamet praua efficit erubescentia boni rectique. Ex hac frigiditas, ex hac imperfectio, ex hac pessima & fictio in virtutum studijs, ex hac denique & cessatio ab exercitiis spiritualibus alioquin iucundissimis. Huius incommoda sibi metuens Dauid, supplicibus precibus Deum frequenter exorauit, vt eam ab ipso auerteret, præsertim Psal. 118. dicens: Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui. *Ac si diceret: Ego quidem testimonia tua exquisiui, legique tuæ inhærere studui: at sentio in me malam quamdam erubescentiam, metuens contemptui haberi apud mundanos ob istud ipsum quod sanctissimæ tuæ legi inhæream. Quapropter ibidem ait:* Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum; quia iudicia tua iucunda. *ac si diceret: Agnosco, & experimento probaui iudicia tua, tuamque legem ac virtutis studium iucundissimam exhibere suauitatis spiritalis dulcedinem; at nihilominus tantum roboris habere sentio prauam erubescentiam, metumque vel suspicionem opprobrij hominum, vt nullam ipsius legis tuæ eiusdemque dulcedinis habere sinat rationem. Idcircò hanc à me auferas quæso, vt iucundorum iudiciorum tuorum dulcedine perfruar. Remedia autem contra noxiam hanc erubescentiã vide multa & pulchra in Panario P. Ioannis Busæi, titulo* Pudor noxius.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 23. in Ioannem, aduentum nocturnum timori tribuit.* Hic, *inquit*, nunc afficiebatur quidem Christo, non tamen vt oportebat, neque quo debebat animo, sed adhuc Iudaicâ imbecillitate detinebatur: ideò nocte venit, quia interdiu formidabat. *Et* THEOPHYLACTVS, Noctu, *inquit*,

Timor humanus noxius.

inquit, venit propter timorem Iudæorum, *&c. Timore nimirum adhuc detinebatur humano, qui vtique non minùs quàm pudor ille noxius, de quo modo verba fecimus, virtutis officit, vti pulchrè etiam ostendit in Panarto Eusens, titulo* Timur humanus, *contra quem ibidem apta suggerit remedia.*

BEDA *verò in hunc locum opinatur, Nicodemum idcircò noctu venisse ad Christum, vt cum eo solo remotis arbitris colloqui posset, dicens*: Venit Nicodemus ad Iesum nocte, cupiens secretâ eius allocutione pleniùs discere mysteria fidei, cuius apertâ ostensione signorum aliquatenus iam rudimenta perceperat, *&c. Cui consentit* RVPERTVS *in cap. 3. Ioannis, dicens*: Venit nocte Nicodemus, vt audiret Iesum sine turbâ. Doctrinæ aptum nocturni silentij benè captauit otium.

Posset hoc sensu non incongruè Nicodemo accommodari persona sponsæ Canticorum 3. dilectum in lectulo per noctes quærentis. Ad quem locum ita pulchrè S. BERNARDVS *Serm. 86.* Verecundia tibi, si aduertis, & loco signatur & tempore. Quid tam amicum verecundo animo, quàm secretum? Porrò secretum & nox & lectulus habet. Vnde & orare volentes iubemur intrare cubiculum, vtique secreti gratiâ. Id quidem ad cautelam, ne palàm orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum: sed doceris nihilominùs verecundiam [illegible]entiâ hac. Neque verò tantùm locum, sed & tempus obseruare oportet eum qui orare voluerit. Tempus feriatum commodius aptiusque, maximè cùm profundum nocturnus sopor inducit silentium: tunc planè liberior exit puriorque oratio. Propter hoc ergo sponsa non minùs verecundè, quàm cautè, & lectuli secretum petebat, & noctis, orare, hoc est verbum quærere volens.

Quærit Deum anima sancta verecundè & cautè.

Oratio optimè fit noctu & in occulto.

HAYMO *autem hic per noctem ignorantiæ tenebras, in quibus etiam tum adhuc Nicodemus versabatur, designatas arbitratur, dicens*: Vel pulchrè in nocte venisse dicitur, quia tenebris ignorantiæ obnubilatus ad tantam lucem nundum peruenerat, vt perfectè Deum verum crederet. Nox enim in sacro eloquio pro ignorantiâ ponitur. *De quâ in Psal. 81. v. 5. dicitur:* Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Porro sicut nox sensibilis causatur ab intermediâ terrâ, quæ densitate atque opacitate suâ solarium radiorum impediens penetrationem, ipsam efficit noctem: ita & nox spiritalis prouenit ab aliquâ re quæ densa sit & terrestris, atque adeo adstanti Deo, qui animæ sol est, opposita, illius impediat lucem. Illud tamen inter spiritalem hanc illamque sensibilem, noctem discrimen intercedit, quod nox sensibilis ita causetur à terrâ, vt sol terram ipsam sibi oppositam auferre nequeat, nec possit vllâ ratione noctis tenebras expellere, nisi suum cursum peragendo super illam rursus sese eleuet: at verò nox spiritalis ita causatur à terrestri aliâ re quam Deo anima opponit, vt tamen Deus absque vllâ sui mutatione, per excitantis & adiuuantis gratiæ collationem, rem illam amoueat quæ diuinam lucem ab animâ excludebat. Vnde Deus à nobis, cùm in spiritalibus tenebris versamur, continuo exorandus est, vt noctem fuget, ostendens nobis lucem miserationum suarum. Quamuis & anima pariter dictam fuget noctem adiuta & excitata à diuinâ gratiâ, dum aufert id omne quod huiuscemodi noctem causabat, diuinæque lucis diffundi sinit splendorem.*

Ignorantia nox est spiritalis.

Noctis sensibilis & spiritalis comparatio, & vtriusque discrimen quale.

S. AVGVSTINVS *lib. 1. de Peccatorum meritis ac remissione contra Pelagianos, ait:* Iam nunc scrutemur diligentiùs, quantum adiuuat Dominus, etiam ipsum Euangelij capitulum, vbi ait: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non intrabit in regnum Dei. Quâ isti sententiâ nisi mouerentur, omnino paruulos nec baptizandos esse censerent. Sed quia non ait, inquiunt, Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non habebit salutem vel vitã æternam; tantummodò autem dixit, Non intrabit in regnum Dei; ad hoc paruuli baptizandi sunt, vt sint etiam cum Christo in regno Dei, vbi non erunt, si baptizati non fuerint. Quamuis & sine Baptismo si paruuli moriantur, salutem vitamque æternam habituri sint, quoniam nullius peccati vinculo obstricti sunt. Hæc dicentes, primò numquam explicant isti quia per iustitiam nullum peccatum habens, imago Dei separatur à regno Dei. Deinde videamus vtrùm Dominus Iesus vnus & solus magister bonus in hac ipsâ Euangelicâ lectione non significauerit & ostenderit, non nisi per remissionem peccatorum fieri, vt ad regnum Dei perueniant baptizati: quamuis rectè intelligentibus sufficere debuerit: Nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. Cur enim nascatur denuò, nisi renouandus? vnde renouandus, nisi à vetustate? quâ vetustate, nisi in quâ vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, vt euacuetur corpus peccati? Aut vnde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati, *&c.*

Quid sit nasci denuò.
Ioan. 3, 3.

S. CHRYSOSTOMVS *quomodo per Baptismum anima penitus renouetur, pulchris explicat similitudinibus Homiliâ 4. ad Baptizandos sic scribens:* Vt statuam auri, fumo, puluere, & æruginis sordibus coinquinatam cùm artificis manus acceperint, renouant fornacis ardore, & splendidam nobis lucidamque demonstrant. Ita & nostram naturam Deus æruginatam mole peccati, & malorum gestorum fumo violatam, & omni pulchritudine quam ei primò donauit denudatam, in illos aquarum fontes tamquam in purgatorium mittit, & pro flammâ Spiritus gratiam subministrat: & exinde rudes effectos etiam solis radijs eleuat clariùs lucentes, veterem hominem conterens, nouum autem ostendens longè meliorem. Et istam nobis quassationem & mysticam purificationem obliquo sermone olim Propheta demonstrabat, dicens: Sicut vasa figuli conteres eos. Non autem dixit, Sicut vasa fictilia, sed, Sicut vas figuli. Nam confracta vasa fictilia tam nullâ emendatione corriguntur; semel figuram per flammas sortita. Vasa autem figuli non sunt fictilia, sed argilla composita: inde etsi casu fuerint peruersa, facilè ad pristinam figuram artificis reformantur industriâ.

Quomodo Baptismate anima renouetur.

IDEM: Sicut scintilla ignis exigua in profundi maris pelagus cadens, aquarum copiâ non paulatim, sed statim extinguitur, & illicò nihil esse demonstratur. Ita omnis humana malitia quando ad natatoriam cælestium fontium voluerit peruenire, illius scintillæ faciliùs extinguitur ardore. Et ob quam causam, inquis, hoc quod nobis peccata concedit, non lauacrum purificationis dicitur, sed lauacrum regenerationis? Quia non nobis simpliciter peccata concedit, nec simpliciter purificat, sed tamquàm è cælo generatos facit. Non enim vasa simpliciter purgat, sed integrum nouat iterùm. Nam cùm vasa purgantur, etsi diligentiâ multâ tergantur, quædam vestigia nihilominùs retinent vetustatis, & pristinam maculam non amittunt: illa autem quæ conflatorio committuntur, cùm flam-

Cur Baptismus lauacrum regenerationis.

flammâ fuerint renouata, omnem maculam præteritæ fœditatis amittunt. *Et Homiliâ 9. in Ioannem,* Quemadmodum, *inquit*, ignis, si metallorum terram attigerit, eam quamprimùm aurum reddit: sic & longè magis pro luteis aureos Baptisma facit quos abluerit, cùm Spiritus sanctus tamquam ignis illâ ipsâ horâ animos nostros ingrediatur, & terrenâ assumptâ similitudine, cælestem illam nouam & claram tamquam ex fornace fulgentem referat.

Baptismi elogia.

Pulchrè nobis Baptismi elogia his verbis tradit S. CYRILLVS IEROSOLYMITANVS *in Præfatione ad Catechesim, dicens:* Magnum est sanè propositum hoc Baptisma, captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad cælum, deliciæ paradisi, regni cælestis reconciliatio, charismaque adoptionis filiorum.

Aquæ præstantia & prærogatiua.

Prærogatiuas autẽ aquæ in quâ Baptisma institutum est, pulcherrimas assignat idem CYRILLVS *Catechesi tertiâ sic scribens:* Quòd si quis scire desiderat, quomodo per aquam potiùs quàm per aliquod aliud elementum gratia detur; sacras Scripturas relegens inueniet. Magnum enim quiddam est aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum. Angelorum habitaculum est cælum; atqui ex aquis sunt cæli: terra est hominum locus; atqui ex aquis etiam terra. Et ante omnem rerum creatarum sex illis diebus distinctionem, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Principium mundi aqua; principium Euangelij Iordanis. Liberatio Israëlis à Pharaone per mare facta est: & liberatio à peccatis mundi per lauacrum est aquæ in verbo Dei. Vbicumque fœdus aliquod inter Deum & hominem, ibi & aqua. Post diluuium fœdus percussum est cum Noë; fœdus & cum Israële ex monte Sinâ; verùm hæc non sine aquâ, & lanâ rubeâ & hyssopo. Elias assumptus est, sed non sine aquâ: priùs enim transiuit Iordanem, deinde in cælum raptus est. Priùs abluitur summus sacerdos factus. Quomodo enim susciperet pro alijs oraturus, qui nondum per aquam purificatus esset? Symbolum Baptismi erat labrum in tabernaculo positum. Veteris Testamenti finis, & noui est principium Baptismus. Ioannes erat dux eius, quo maior inter natos mulierum nullus, qui finis erat Prophetarum. Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem, & idem erat rerum Euangelicarum principium. Initium enim Euangelij Iesu Christi, & quæ sequuntur, erat Ioannes baptizans baptisma, *&c.*

S. AVGVSTINVS *Serm. 134.* Quinta, *inquit*, die fetus suos pisces & aues factum est vt producerent: in comparatione piscium Sanctos dicimus, qui in aquâ Baptismatis viuunt. Ideò pisces benedictionem primò consequi meruerũt, quia fideles in Sacramento Baptismatis benedici poterant.

Aquatilibus cur benedixerit Deus ante terrestria.

ANASTASIVS *quoque* SINAITA *Hexaemeron l. 5.* Ex aquis, *inquit*, genitas animas, nempe per Baptismum regeneratas, benedixit Deus, dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas. Animantibus autem & iumentis, & feris quæ terræ sunt, serpentibusque & venenatis hominibus, qui sunt peregrini & alieni à regeneratione Baptismatis, nequaquam eam impertiji benedictionem. Tum tamquam medius stans Christus inter terrestria & marina animantia, & alia quæ sunt ex terrâ genita

Gen. 1, 22.

oculos dirigens, & dicens, Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu qui fertur super aquam, non intrabit in regnum cælorum: neque fiet per columbam, nempe per Spiritum volucris cæli, neque rapietur in nubibus obuiàm mihi in aëra, *&c.* *Alludit ibi Anastasius ad locũ Geneseos 2. v. 22. vbi Deus piscibus & auibus benedixit, non autem animantibus & feris terræ. Vnde vult inferre, baptizatis tantummodo conferri benedictionem: in Baptismo siquidem cælum nobis reseratur, ad quod indicandum baptizato Christo cæli aperti sunt, Spiritus sanctus descendit velut columba, & vox Patris intonuit: Hic est filius meus dilectus, &c.* *Ioan. 3, 5.*

Baptizatis tantùm confertur benedictio.

CYRILLVS *porrò* ALEXANDRINVS *multa quæ Baptismalis aquæ virtutem præfigurarunt adfert l. 6. in Ioannem cap. 15. vnde hæc per compendium:* Populus, *inquit*, Israel duce Moyse Mare rubrum sicco pede pertransijt, submersis ibidẽ Ægyptijs: quod per Baptismi susceptionem totam diabolicæ prauitatis cohortem, à nobis dimoueri insinuat, vt testis est S. Paulus 1. Cor. 10. Quid præterea populus Israeliticus Iosue ductu Iordane traiecto in Terram promissionis perductus significat, nisi Christo auctore quicumque lauacrum Baptismi ritè susceperint, in terram viuentium tandem peruenturos? Quid Naaman Syrus septies in Iordane ablutus, & à leprâ mundatus, nobis innuit, nisi Baptismo Christi lotos ab omni prorsus animæ leprâ peccatoque purgari? Quid denique aqua expiationis secundùm legis veteris ritum tollens immunditiam ex contactu morticinorum contractam, denotat, nisi aquam Baptismi omnem prorsus animæ impuritatẽ abstergere? Postremò hanc Baptismi gratiam præsignauit Probatica piscina, in quam post aquæ ab Angelo motionem descendens quacumque tenebatur ægritudine languidus, illicò sanabantur. Non autem simpliciter sanabatur aquarum Piscinæ naturâ (semper enim hoc fieret) sed Angeli descensione. Sic & in baptizatis non simpliciter aqua operatur, sed cùm Spiritus sancti acceperit gratiam, tunc omnia soluit peccata. *Vide hæc fusius in Cyrillo loco citato, & apud Pererium in cap. 3. Ioannis disp. 5. n. 18.*

Exo. 14, 22. *Figura baptismatis.* *Ios. 3, 16.* *4 Reg. 5, 14.* *Num. 19, 13.*

Ad illud autem Spiritus vbi vult spirat, *ita* S. AVGVSTINVS *q. 49. ex vtroque Testamento.* Sic & omnis qui renascitur ex aquâ & Spiritu sancto: vt quomodo vos aduenientis spiritus, id est, venti, auditur quidem, non autem videtur; sic & ratio Baptismi: auditur quod dicitur, tamen quomodo per Spiritum sanctum fit, non videtur.

THEOPHYLACTVS *quoque in 2. ad Corinth. c. 3.* Quemadmodum, *inquit*, argentum soli obiectum, ex solis occursu micanter radios in solem ipsum reflectit, sic & nos Baptismo accepto purgati per Spiritum, & huius splendore denique illustrati, fulgorem & ipsi spiritalem quemdam ex aduerso remittimus, eamdemque imaginem à spiritus gloriâ in gloriam nostram & claritatem transferimus, talem inquam imaginem qualem decens est, vt is sortiatur, qui à Spiritu Domini, nulli rei obnoxio, lucem acceperit. Dominus enim ille cùm sit, & Regium habet splendorem: fideles autem omnes Baptismi gratiâ Spiritu sancto implẽtur, & illorum est fulgentior anima. Quandoquidem & Moyses Dei gloriæ splendore inspecto, in eius gloriæ imaginem est transformatus, hoc est, & ipse diuinæ gloriæ & splendori participauit. Huius & facies resplendebat, cùm ipse nostri præferret figurã.

ALCVI-

Spiritus accessus & recessus incognitus.

ALCVINVS *verò in aureâ Catenâ ad hunc locum sic ait:* Ergo nescis vnde veniat, aut quò vadat: quia etsi te præsente Spiritus ad horam quempiam impleuerit, non potest videri quomodo in eum intrauerit, vel quomodo redierit, quia naturâ est inuisibilis.

HAYMO *ibidem in hac verba:* Siue nescis vnde veniat, quia quomodo credentes ad fidem introducat ignoras; vel quò vadat, quia quomodo fideles ad spem perducat nescis. Et sic est omnis qui natus est ex spiritu. Ac si dicat, Spiritus sanctus, spiritus inuisibilis est, ita & quisquis ex spiritu nascitur, inuisibiliter nascitur.

ALLREDVS *quoque huïce consentiens pulchrè in caput 3. Ioannis,* Vnde, *inquit*, venit, aut quò vadat spiritus qui replet orbem terrarum? Nec ab ipso vox ista aliena est, Cælum & terram ego impleo, & tamen venit, & nescis vnde veniat; & vadit, & nescis quò vadat. Nescis certè vnde veniat: an à secretario misericordiæ, an à tribunali iustitiæ, an ex abysso iudiciorum, an ex thesauris scientiæ. Cùm enim vt excitet torpentem, vel compungat peccantem, vt consoletur afflictum, quasi ex cubiculo misericordiæ dicitur processisse: quando verò vt benè operantem spiritualis compunctionis suauitate remuneret, ex iustitiæ eum sede ad nos dicimus descendisse. At vbi illorum mentibus salutarem inspirat affectum, quibus omnia cooperantur in malum; qui ingrati beneficijs, seruantur supplicijs, quibus bonum & malum simul sunt; ad tormentum eum ex abysso iudiciorum aduenisse non dubites. Si verò eâ causâ venire dignatur, vt mens huiusmodi visitatione purgata, ad tenenda diuinæ secreta scientiæ luminosior apertiorque habeatur, quasi ex scientiarum thesauris eum exijsse confides. Sed nescis vnde veniat, cùm nescias vtrùm amore an odio dignus sis; & vtrùm misericordiam præroget, an mercedem restituat, an exerceat iudicium, scire non possis. Nescis & quò vadat, vtrùm videlicet è vicino subsistat post modicum reuersurus; an longiùs eat, post multum temporis rediturus; an offensus recedat nunquam denuò reuersurus.

S. GREGORIVS *in cap. 37. Iob lib. 27. cap. 16 quam inuestigabilis sit eius accessus sic explicat:* Vox Domini auditur, cùm gratiæ eius aspiratio mente concipitur, cùm insensibilitas occultæ surditatis rumpitur, & cor ad studium summi amoris excitatum virtutis intimæ clamore penetratur. Sed istam vocem superuenientis Spiritus, quæ se in aures cordis insinuat, nec ipsa mens, quæ per hanc illustrata fuerit, inuestigat. Pensare enim non valet, inuisibilis virtus quibus sibi mentibus influat, quibus ad
Ioan. 3, 8. se modis veniat, quibus recedat. Vnde & benè per Ioannem dicitur: Spiritus, vbi vult spirat, & vocem eius audis, sed nescis vnde veniat, & quò vadat. Vocem enim spiritus audire, est vim compunctionis intimæ in amorem inuisibilis conditoris assurgere. Sed nemo scit vnde veniat: quia ignoratur, per ora prædicantium quibus se ad nos occasionibus fundat. Et nemo scit quò vadat: quia cùm vnam prædicationem multi audiunt, intelligi procul dubiò non potest quem deserens abijciat, aut cuius ingrediens in corde requiescat. Vna quippe res foris agitur, sed non per hanc vno modo intuentium corda penetrantur: quia qui inuisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina incomprehensibiliter plantat.

VERS. 9. Respondit Nicodemus, &
dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri?
10. Respondit Iesus, & dixit ei: Tu
es Magister in Israël, & hæc ignoras?
11. Amen, amen dico tibi, quia quod
scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non
accipitis.
12. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis?
13. Et nemo ascendit in cælum, nisi
qui descendit de cælo, Filius hominis,
qui est in cælo.
14.[a] Et sicut Moyses exaltauit ser- [a] Num. 21, 9.
pentem in deserto, ita exaltari oportet
Filium hominis:
15. vt omnis, qui credit in ipsum,
non pereat, sed habeat vitam æternam.

SANCTVS AVGVSTINVS *lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione cap. 31.* Cùm, *inquit*, Nicodemus quæ dicebantur non intelligeret, quæsiuit à Domino, quomodo possent ista fieri. Videamus quid Dominus ad hoc respondeat. Profectò enim, si ad interrogata respondere dignabitur, quomodo possunt ista fieri, hoc dicturus est quomodo possit fieri regeneratio spiritalis venientis hominis ex generatione carnali. Notatâ itaque paululum eius imperitiâ qui se ceteris de magisterio præferebat, & omnium talium incredulitate reprehensâ quòd testimonium non acciperent veritatis, addidit etiam se illis terrena dixisse, nec eos credidisse, quærens vel admirans quomodo essent cælestia credituri. Sequitur tamen & respondet, quòd alij credent si illi non credunt, ad illud quod interrogatus erat, Quomodo possunt ista fieri?

Nemo nascitur ex spiritu nisi humilis.

IDEM *in Catena aureâ, a t:* Quid? putamus Dominum huic magistro Iudæorum quasi insultare voluisse? Volebat quidem illum nasci de spiritu: nemo autem ex spiritu nascitur, nisi humilis fuerit, quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu. Ille autem Magisterio inflatus erat, alicuius momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat Iudæorum. Deponit ergo Dominus superbiam eius, vt possit nasci de spiritu.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 25. in Ioannem benè notat, quòd* non malitiæ hominem, sed stultitiæ potiùs & simplicitatis accuset. Tu es, inquit, Magister in Israel, & hæc ignoras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur. Hæc autem dicit, vt pro illius imbecillitate ad inferiora descendens orationem suam magis credibilem faciat. Siquidem cùm apud nos sensus visus certissimus sit, cùm persuadere quid volumus, ita loqui solemus, non audisse nos, sed vidisse. Idcircò Christus more hominum loquens sibi fidem conciliat.

HAYMO *ad hunc locum*, Quæritur, *inquit*, quare pluraliter dicat, Quod scimus loquimur? Ad hoc dicendum, quòd vnigenitus Dei Filius erat qui hoc loquebatur, ostendens qualiter Pater in Filio,

 & Fi-

& Filius in Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque indiuisibilis procedat.

Alcvinvs *in aureâ Catenâ*: Vel dicit pluraliter, ac si dicat: Ego, & illi qui modò spiritu sunt renati, intelligimus illud quod loquimur; & quod vidimus apud Patrem in abscondito, hoc testamur foris in mundo. Et vos qui carnales estis & superbi, non accipitis testimonium nostrum, quod nequaquam (inquit Theophylactus) de Nicodemo dicit, sed de genere Iudæorum, qui vsque ad finem in perfidiâ permanserunt.

S. Chrysostomvs *Hom. 26. in Ioannem ad illud*, Si terrena dixi; Terrena, *inquit*, hoc in loco nonnulli de vento dictum arbitrantur: hoc est, Si exemplum à terrenis sumptum non creditis, quonam pacto altiora credetis? Verùm terrenum potiùs baptisma dicit, vel quod in terrâ perficitur, vel quod ad suæ ipsius ineffabilis generationis comparationem ita appellat. Nam etsi cælestis ipsa generatio sit, ad illam tamen veram ex Patris substantiâ comparata, terrena est. Et non dixit, Non intelligitis; sed, Non creditis: siquidem qui intellectu difficilia non intelligit, meritò ignorantiæ accusatur; qui verò quæ non ratione, sed fide intelliguntur, non accipit, non ampliùs stultitiæ, sed incredulitatis arguitur.

Per exempla terrena ducimur in cognitioně spiritalia.

S. Avgvstinvs *hunc locum proprijssimè sic explicat lib. Quæstionum ex vtroque Testamento, quæst. 59.* Ista verba terrena dixit, quę ad exemplum protulit: hoc est, si per rationem terrenam, inquit, exempli dati, spiritus, id est, venti, non creditis posse fieri, quia quomodo fiat, non videtur: quomodo fieri poterat, vt si darem cælestia exempla, quæ vtique nescitis, crederetis? Potest enim homini suaderi quod nescit, per id quod scit: vt puta, Deus dicit de Christo, quòd Filius eius sit verus, quod quomodo sit, comprehendi non potest. Per id autem quòd scimus secundùm carnem quomodo sint filij, credimus ideò Deum dixisse, Christus Filius meus est verus, vt de semetipso illum esse significaret. Hoc modo & Saluator rem quæ nec verbis nec animo explicari potest, per id quod sensibile est, & auribus auditur, voluit commendare: hoc est per exemplum spiritus qui est ventus, quem & sensibilitas capit & auris audit, sed vnde veniat nescit, factum Spiritus sancti, quod capi non potest, voluit facere credibile.

Idem *Serm. 14. de Verbis Apostoli ad hæc verba*, Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis; Filius ergo hominis descendit de cælo? Nónne filius hominis in terrâ factus est? Nónne filius hominis per Mariam factus est? Sed ô homo, noli, inquit, separare quem volo copulare. Natum est quia filius hominis descendit; Christus enim descendit, idemque filius hominis, qui Filius est Dei, sedet in cælo qui ambulat in terrâ. In cælo erat, quia vbique Christus, idemque Christus & Filius Dei, & filius hominis. Propter vnitatem personæ in terrâ Filius Dei, propter eamdem vnitatem personæ esse probauimus in cælo filium hominis, ex his verbis Domini, Filius hominis, inquit, qui est in cælis. Propter vnitatem personæ num-
Matth. 16, 16. quid in terrâ constituto atque conspicuo Petrus dicit, Tu es Christus Filius Dei viui? Ergo discat Nicodemus quomodo fiat illud quod ei minùs intelligenti incredibile & quasi impossibile videbatur, Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit. Omnes autem qui renascuntur vtique ascen-

Solus qui in corpore Christi est ascendit calum.

dunt in cælum, ceterorum nemo prorsus: & omnes qui renascuntur, per gratiam Dei ascendunt in cælum; & nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit filius hominis qui est in cælo. Vnde hoc? Quia omnes qui renascuntur, membra ipsius fiunt, & solus Christus de Mariâ natus vnus est Christus, & cum corpore suo caput, vnus est Christus. Hoc ergo dicere voluit: nemo ascendit nisi qui descendit. Non ergo ascendit nisi Christus. Si vis ascendere, esto in corpore Christi; si vis ascendere, esto membrum Christi. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum est corpus, sic & Christus, qui caput, qui corpus, Christus.

S. Bernardvs *similiter ad hunc locum pulcherrimè Serm. 18. inter paruos*, Dominus, *inquit*, & Saluator noster Iesus Christus volens nos docere quomodo in cælos ascenderemus, ipse fecit quod docuit, ascendit in cælum. Et quoniam ascendere non poterat nisi priùs descenderet, (descendere autem eum vel ascendere non patiebatur Diuinitatis suæ simplicitas; quippe quæ nec minui potest nec augeri, aut aliquo modo variari) assumpsit in vnitatem suæ personæ naturam nostram, id est humanam, in quâ descenderet & ascenderet, viamque nobis quâ & nos ascenderemus, ostenderet. Quod totum indicant sancti Euangelij verba proposita. In eo enim quod dictum est, Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit, assumptio humanæ naturæ exprimitur: in eo autem quod infertur, Qui est in cælo, Diuinitatis suæ incommutabilitas ostenditur. In quibus verbis illud etiam innuitur, quòd ipse sit via per quam ascendamus, ipse patria vbi maneamus, via scilicet transeuntibus, patria peruenientibus. Manens itaque quòd erat in naturâ suâ, descendit & ascendit propter nos in nostrâ; attin- Sap. 8, 1.
gens nimirum à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter. Descendit siquidem quò inferiùs non decuit, ascendit quò celsiùs non potuit. Ipsumque descensum egit fortiter, quia virtus erat: ascensum disposuit suauiter, quia sapientia erat. Descendit auté, dictum est, non, Cecidit: quia qui cadit, sine gradu ruit. qui autem descendit, gradatim pedem ponit. Sunt ergo gradus in descendendo, sunt in ascendendo. In descendendo primus quidem gradus est à summo cælo vsque ad carnem, secundus vsque ad crucem, tertius vsque ad mortem. Ecce quousque descendit, numquid ampliùs potuit? Poterat iam certè Rex noster dicere, & quasi quodam operis effectu clamare, Quid vltrà debui facere, & non feci? Maio- Isa. 5, 4.
rem hac dilectioné nemo habet, vt animam suam Ioan. 15.
ponat quis pro amicis suis. Vidimus descensum, 13.
videamus & ascensum. Sed & ille quoque triplex est, & eius primus gradus gloria resurrectionis, secundus potestas iudicij, tertius consessus ad dexteram Patris. Et de morte quidem meruit resurrectionem, de cruce iudicij potestatem; vt quoniam in illâ iniustè iudicatus est, de illâ iustam obtineret iudicis censuram, ipso post resurrectionem dicente: Data est mihi omnis potestas in cælo & in Matth. 28,
terrâ. Ipsam verò serui formam, id est, carnem in 18.
quâ passus & mortuus est, resuscitatam euexit super omnes cælos, & super omnes Angelorum choros, vsque ad dexteram Patris. Quid hac dispositione suauius, vbi mors absorbetur à victoriâ, vbi ignominia crucis vertitur in gloriam? vt de illâ dicant Sancti: Absit mihi gloriari nisi in cruce Do- Gal. 6, 14.
mini

Vt ascendamus cum Christo priùs cum ipso descendere debemus.

Gradus per quos descendit Christus.

Gradus per quos ascēdit Christus.

mini nostri Iesu Christi. Vbi & ipsa carnis humilitas ex hoc mundo transiit ad Patrem. Hac ascensione nihil sublimius, hoc honore nihil gloriosius dici potest aut cogitari. Sic per incarnationis suæ mysterium descendit & ascendit Dominus, relinquens nobis exemplum vt sequamur vestigia eius. Sumamus & nos de mysterio eius moribus nostris exemplum. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Descendamus per viam humilitatis, ponamusq; nobis

Quibus gradibus nobis descendendum primus eius gradus, id est primus profectus, nolle dominari; secundus, velle subijci; tertius, in ipsâ subiectione quaslibet contumelias & iniurias illatas æquanimiter pati. Quomodo autem ascendendum sit, Propheta docet. Quis, inquit, ascendet in

Quibus ascendendū sit gradibus montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, qui non

Psal. 23. 3. accepit in vanum animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo. Vbi notandum, quòd triplicem gradum ascendendi constituit. Primus gradus, est innocentia operis; secundus, munditia cordis; tertius, fructus ædificationis, &c.

S. CYRILLVS *lib. 2. in Ioannem cap. 50. super illud,*

Plaga serpentum quatenus qualis. Sicut Moyses exaltauit serpentem, &c. Serpentes, *inquit,* olim in Iudæos in deserto insiliebant. Cumque more spicarum tempore messis caderent, diui-

Num. 21, 9 nam opem supplices requirebant. Misericors autem Dominus serpentum ex ære Moysi exaltari iussit, vt eâ in re discerent fide salutem sperare. Morsu enim serpentis laborantibus, vnicum erat remedium, exaltatum cum fide serpentem aspicere. Hæc quidem historia est, in quâ velut in tabulâ totum figuratæ incarnationis mysterium obum-

Serpentum remedium serpens æneus, & quid significarint. bratur. Serpens enim peccatum, quod humanum genus pascebatur, significat; quodque varijs morsibus venenum hominibus infundit, quod effugere nullo alio pacto natura humana poterat, nisi auxilio atque ope diuinâ. Verbum igitur Dei factum

Rom. 8, 3. in similitudine carnis peccati, in carne suâ peccatum damnauit, vt scribitur: respicientibusque in eum fide sincerâ æternæ salutis largitor ostenditur. Quòd autem in sublime serpens exaltatus fuerit, in eam cognitionem passionem Christi peruenturam denotabat: vt sicut ipse quoque prædixerat,

Matth. 10. nemo sit qui in cruce passum fuisse ipsum ignoret,

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 26. in Ioannem, explicans illa eadem verba,* Sicut Moyses exaltauit ser-

Serpens æneus figura Christi crucifixi. pentem in deserto, *sic ait:* Vt intelligamus quomodo possunt in crucifixum credentes salui fieri, veterem in medium adducit historiam. Nam si ad ærei serpentis simulacrũ aspicientes Iudæi à morte liberabantur, quantò maiori, qui in Crucifixum credunt, beneficio fruentur? Vnde vt figura veritati consentiat, illic mortem fugerunt Iudæi, sed temporalem, hîc sempiternam fideles: illic ictus serpentum suspensus serpens sanauit; hic incorporei serpentis plagas Iesus crucifixus curauit: illic corporeis oculis inspicientes corporis salutem; hic incorporeis omnium peccatorum remissionẽ consecuti sunt: illic æs suspensum erat in serpentis effigie; hic Dominicum corpus Spiritu formatum: serpens illic mordebat, & serpens sanabat; hîc mors perdidit, & mors saluum fecit. Ad hæc, qui interimebat serpens, veneno sæuiebat; qui liberabat, nullo: itaque perdidit mors: peccatum tamquam serpens venenum habuit: Domini mors id

Isa. 53, 9. omne vt æreus serpens venenum abstulit. Peccatum enim, inquit, non fecit, neque inuentus est do-

lus in ore eius. Hoc est quod significauit Paulus: *Col. 2, 15.* Exspolians Principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso. Quemadmodum enim cùm fortis athleta hostem altè erectum prosternit, clariorem facit victoriam: ita Christus toto orbe spectante, hostiles conatus euertit, & qui in solitudine formidabant, eos ab omnibus feris in cruce suspensus, tutatus est.

S. AVGVSTINVS *Serm. 14. de Verbis Apostoli,* Vnde, *inquit,* tibi non videbatur peccatores homines posse fieri membra Christi, id est, illius qui nullum omnino haberet peccatum? Serpentis morsu mouebaris: ideò crucifigitur Christus, ideò fundit sanguinem Christus in remissionem peccatorum, quia propter peccatum, id est, serpentis venenum. Sicut exaltauit Moyses serpentem in eremo, vnde sanarentur qui in illo deserto à serpentibus mordebantur, & illum exaltatum attendere iubebantur, & quisquis attenderet sanabatur: sic oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum, id est, qui attendit exaltatum, qui non erubescit crucifixum, qui in cruce Christi gloriatur, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non pereat. Vnde? Credendo in eum. Vnde non pereat? Attendendo exaltatum, alioquin perijsset.

IDEM *Tractatu 12. in Ioannem,* Quis, *inquit,* est serpens exaltatus? mors Domini in cruce. Quia enim à serpente mors, per serpentis effigiem figurata est mors. Morsus serpentis lethalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens vt nihil valeat serpens: attenditur mors, vt nihil valeat mors. Sed cuius mors? vitæ, &c.

S. GREGORIVS NAZIANZENVS *Orat. 3. aduersus* *Serpens in perticâ exaltatus diabolum indicat iuxta Nazianzenum.* *Iulianum serpentem suspensum in perticâ diabolum putat adumbrare à Christo victum.* Plusquam, *inquit,* septem hominum millia reliqua fuerunt qui non flexerunt genua coràm Baal, nec auream imaginem adorarunt, nec à serpentibus vulnerati sunt; quòd serpentem illum suspensum Christique passionibus oppressum atque confectum intuerentur, &c.

ELIAS *in Commentarijs eiusdem Orationis,* Per serpentem, *inquit,* suspensum diabolum intelligit Gregorius: quòd æneus ille serpens suspensus hunc quoque præsignaret, &c. *Item Orat. 2. in Pascha,* Serpens, *inquit,* æneus aduersus serpentum morsus suspenditur: non tamen vt Christi pro nobis passi typus, verùm vt antitypus, id est contraria figura. Atque ijs qui ipsum intuētur salutem adfert, dum non vitâ frui, sed mortuus esse, ac subditas sibi potestates secum interimere creditur. Oppressus nimirum & extinctus sicut merebatur, &c.

Idem quoque sentit Tertullianus libro 3. contra Marcionem, cap. 18. & D. Iustinus in Dialogo cum Tryphone. Plura vide apud Gretzerum Tom. 1. de Cruce.

VERS. 16. "Sic enim Deus dilexit *"1. Ioā. 4, 9*
mundum, vt Filium suum vnigenitum
daret: vt omnis, qui credit in eum, non
pereat, sed habeat vitam æternam.
17. Non enim misit Deus Filium
suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mũdus per ipsum.
18. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudica-

tus est: quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.

Ioan. 1, 9

19. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum mala opera.

20. Omnis enim qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius:

21. qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

Deus ex nimiâ dilectione Filium nobis tradidit.

SANCTVS HILARIVS *lib. 6. de Trinitate*, Deus, *inquit*, mundum diligens, hoc dilectionis suæ in eum testimonium protulit, vt vnigenitum Filium suum daret. Si dilectionis hinc fides est, creaturam creaturis præstitisse, & pro mundo id quod mundi est dedisse, & ad ea quæ ex nihilo sunt substituta redimenda, eum qui ex nihilo subsistit præbuisse: non facit magni meriti fidem vilis & spernenda iactura. Pretiosa autem sunt quæ commendant charitatem, & ingentia ingentibus æstimantur. Deus diligens mundum, Filium non adoptiuum sed suum, sed vnigenitum dedit. Hic proprietas est, natiuitas est, veritas est: non creatio est, non adoptio est, non falsitas est. Hinc dilectionis & charitatis fides est, mundi saluti filium & suum & vnigenitum præstitisse.

S. CHRYSOSTOMVS *quoque Hom. 27. in Genesim hanc immensam Dei dilectionem exaggerans ait:* Vide quanto miraculo plena hæc dictio: magnitudinem expendens, quam dicturus erat, exorsus est: Sic dilexit. Dic igitur nobis Beate Ioannes, quomodo sic? Dic mensuram, dic magnitudinem, doce nos excellentiam. Sic enim dilexit Deus mundum, vt Filium vnigenitum daret; vt omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Vidisti causam aduentus Filij hanc esse, vt per fidem in illum, ij qui perituri erant, salutis occasionem inuenirent? quomodo cogitarit quis magnam & admirabilem illam, & quæ omnem rationem vincit, liberalitatem, quæ naturæ nostræ per donum Baptismi, omnium peccatorum remissionem donat? Sed quid dicam? neque mens sufficit, neque sermo valet cetera enumerare. Nam quantumuis dixero, multò plus prætereo.

IBIDEM *supra:* Quemadmodum maris fluctus, quamuis iterùm atque iterùm conemur, enumerare numquam poterimus: ita neque beneficiorum Dei, quæ in nostram contulit naturam. Vbi enim vidit post tantam suam prouidentiam adhuc multâ & ineffabili misericordiâ indigere humanum genus, & nihil profecisse vel Patriarchas, vel Prophetas, vel signa admirabilia, vel pœnas, vel admonitiones illas quotidie adhibitas, & captiuitates sibi inuicem succedentes: quasi miseratus genus nostrum, misit ad nos animarum corporumque medicum, vnigenitum suum Filium ex Patris sui finibus excitatum, fecitque susceptâ serui formâ è virgine nasci, & nobiscum conuersari, & omnia nostra ferre, vt genus nostrum peccatis oppressum iacens, à terris in cælum subuehere possit. Et hoc miraculo obstupescens tonitrui filius, considerausque immensam Dei dilectionem quâ genus nostrum prosecutus est, clamabat & dicebat: Sic Deus dilexit mundum, *&c.*

ALCVINVS *in aureâ Catenâ*, Verè, *inquit*, per Filium Dei habebit mundus vitam, quia non aliâ de causâ venit in mundum, nisi vt saluet mundum.

Christus Saluator, sed præcepta seruãti.

Quare enim, *inquit ibidem* AVGVSTINVS, Saluator mundi dictus est, nisi vt saluet mundum? Ergo quantum in medico est, sanare venit ægrotum. Ipse se interimit, qui præcepta medici seruare non vult, vel contemnit.

Primus aduentus Christi in condemnatione, secundus in iudicio.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem*, Sed quia, *inquit*, hoc dicit, multi pigrorum & peccatorum magnitudine, & negligentiæ superabundantiâ, Dei abutentes misericordiâ dicunt, non est gehenna, non est supplicium, omnia nobis Deus peccata dimittit. Sed considerandum quòd duo sint Christi aduentus: qui iam factus est, & qui futurus est. Et prior quidem factus est, non vt iudicet quæ facta sunt à nobis, sed vt dimittat. Secundus autem non vt dimittat, sed vt iudicet. De priore igitur ait, Non veni vt iudicem mundum: quia enim clemens est, non facit iudicium; sed interim remissionem omnium peccatorum per Baptismum primò, & posteà per pœnitentiam. quia si hoc modo non fecisset, vniuersi simul perditi essent: omnes enim peccauerunt, & egent gratiâ Dei. Ne igitur aliquis crederet se impunè peccare, subdit de pœnâ non credentis. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui credit, inquit, non, Qui inuestigat. Quid igitur si immundam habeat vitam? maximè quidem Paulus tales non fideles esse dicit. Confitentur, inquit, se nosse Deum, factis autem negant. Sed hoc illud significat, quia secundùm hoc qui credit non iudicatur, sed operum quidem grauiorem sustinebit pœnam, infidelitatis autem causâ non torquebitur.

Tit. 1, 16.

Sũt diuersi ordines iudicandorum & non iudicandorum, tum reproborum tum electorum.

S. GREGORIVS *lib 26. Moral. cap. 24.* Duæ, *inquit*, sunt partes, electorum scilicet atque reproborum. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alij namque iudicantur & pereunt, alij non iudicantur & pereunt: alij iudicantur & regnant, alij non iudicantur & regnant. Iudicantur & pereunt, quibus Dominicâ voce in damnatione dicitur: Esuriui, & non dedistis mihi manducare, *&c.* quibus præmittitur, Discedite à me maledicti, *&c.* Alij verò in extremo iudicio non iudicantur & pereunt, de quibus Propheta ait: Non resurgunt impij in iudicio: & de quibus Dominus dicit: Qui autem non credit, iam iudicatus est: & de quibus Paulus ait: Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Resurgunt ergo omnes etiam infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium. Non enim eorum tunc causa discutitur: quia ad conspectum districti Iudicis iam cum damnatione suæ infidelitatis accedunt. Professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur vt pereant. Qui verò nec fidei Sacramenta tenuerunt, increpationem Iudicis in extremâ examinatione non audiunt: quia præiudicati infidelitatis suæ tenebris, eius quem despexerant inuectione redargui non merentur. Illi saltem Iudicis verba audiunt, quia eius fidei saltem verba tenuerunt; isti in damnatione suâ æterni Iudicis nec verba percipiunt, quia eius reuerentiam nec verbotenus seruare voluerunt. Illi legaliter pereunt, quia sub lege positi peccauerunt; isti in perditione sua de lege nihil

Matth. 25, 42.

Psal. 1, 5.

Ioan. 3, 18.

Rom. 2, 12

hil dicitur, quia nihil legis habere conati sunt.

Et cap. 25. Princeps namque terrenam rempublicam regens aliter punit ciuem interiùs delinquentem, atque aliter exteriùs hostem rebellantem. In illo iura sua consulit, eumque sub verbis dignæ inuectionis adducit: contra hostem verò bella mouet, instrumenta perditionis exercet, dignæque eius malitiæ tormenta retribuit; de malo verò eius quid lex habeat non requirit. Neque enim lege necesse est perimi, qui lege numquam potuit teneri. Ita ergo in extremo iudicio & legalis inuectio percutit, qui ab eo quod professione tenuit actione declinauit: & iste sine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Ex electorum verò parte alij iudicantur & regnant, qui vitæ maculas lachrymis tergunt, qui mala præcedentia factis sequentibus redimentes, quidquid illicitum aliquando fecerunt ab oculis iudicis eleëmosynarum superinductione cooperiunt. Quibus Iudex veniens in dexterâ consistentibus dicit: Esuriui, & dedistis mihi mãducare, *&c.* Venite benedicti, *&c.* Alij autem non iudicantur & regnant, qui etiam præcepta legis perfectione virtutum transcendunt, qui nequaquam hoc solum quod cunctis diuina lex præcipit implere contenti sunt, sed præstantiori desiderio plus exhibere appetunt quàm præceptis generalibus audire potuerunt. Quibus Dominicâ voce dicitur, Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Hi ergo rectè sub generalis iudicio non tenentur, qui & præcepta generalia viuendo vicerunt. Sicut enim non iudicantur & pereunt, qui suadente perfidiâ, legem tenere contemnunt; ita non iudicantur & regnant, qui suadente pietate etiam vltra generalis diuinæ legis præcepta proficiunt.

Aliter punitur ciuis aliter hostis.

Matth. 25, 35.

Non iudicantur & regnant, qui Euangelica consilia secuti sunt.

Matth. 19, 28.

S. Hilarivs *Enarratione in Psalmum 1. ad hac verba Ioannis 3.* Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, *&c.* Negligentem, *inquit*, audientiam & incuriosam legentium facilitatem dicti Dominici sermo perturbat. Cùm enim dicit, Qui credit in me, non iudicabitur, exemit iudicio fideles. Et cùm subiecit: Qui autem non credit, iam iudicatus est, non admittit ad iudicium infideles. Ergo si credentes exemit, & repulit infideles, nec in hos nec in illos iudicij sorte permissâ, quomodo conuenire sibi hoc quod tertiùm ait existimabitur: Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem? Non enim potest videri locus relictus esse iudicio, cùm neque infideles neque fideles sint iudicandi. Et hæc quidem ita esse, auditoribus negligentibus & lectoribus incuriosis videbuntur: ceterùm in se veriùs ipsa verborum proprietas dicti intelligentiam continet: Qui credit, inquit, non iudicabitur. Quid enim necesse est iudicare credentem? Iudicium enim ex ambiguis rebus existit: & ambiguitate ademptâ, iudicij non desideratur examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est iudicari, quia ambiguitas, cùm infideles sint, non residit. Sed adempto in credentes & non credentes iudicio, causam Dominus iudicij, & auctores in quos iudicari necesse esset, adiecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque qui medij sint ex vtroque admixti, neutri tamen propriè, quia in idipsum constiterint ex vtroque, nec fidei admiscendi, quia sit illis aliquid infirmitatis insertum; nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei. Plures namque Dei metus in Ecclesiâ continet, sed eosdem tamen ad sæcularia vitia, sæculi blandimenta sollicitant. Orant, quia timent; peccant, quia volunt. Christianos se nuncupant, quia bona est spes æternitatis: gentilia agunt, quia blanda præsentia sunt. Impij non manent, quia his Dei nomen in ore est: pij non sunt, quia quæ pietati sunt aliena sectantur. Et necesse est ea magis diligant per quæ id quod se nuncupant esse non possunt, secundùm nuncupationis voluntatem operum voluntate potiore. Et idcircò Dominus, posteaquam credentes nón iudicandos, & non credentes iam iudicatos esse dixerat, addidit: Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lumen. In eos ergo iudicium est, quòd iam & in incredulos actum est, & in credentes non necessarium est, quia magis tenebras quàm lumen dilexerint: non quòd non dilexerint & lumen, sed quòd dilectio illis fuerit magis propensa tenebrarum. Præferri enim solet dilectioni ex comparatione dilectio: & hinc iudicium est, quia cùm dilexerint Christum, magis tamen tenebras dilexerunt. Hi ergo iudicabuntur, qui neque vt pij non iudicabuntur, neque iam fuerint vt impij iudicati, in quos ex prælatâ potiùs dilectione iudicium est. Et huius quidem Euangelicæ dispositionis tenuit Propheta rationem, dicens: Propterea non resurgunt impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum. Impijs iudicium, quia iam iudicati sunt, non relinquit; peccatoribus autem, quos superiori sermone discerni ab impijs docuimus, consilium iustorum, quia iudicandi sint, denegauit. Illos enim præiudicatos impietas facit, hos verò peccatum detinet iudicandos. Itaque neque impietas quæ iam iudicata est, peccatorũ est permissa iudicio; neque peccatores qui iudicandi sunt, iustorũ, qui non iudicabuntur, me[illegible]i sunt digni esse consilio.

Soli medij iudicabuntur.

Psal. 1, 5.

Vers. 22. Post hæc venit Iesus, & discipuli eius, in terram Iudæã: & illic demorabatur cum eis, " & baptizabat. *" Ioan. 4, 2.*

23. Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon, iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur.

24. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.

25. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de Purificatione.

26. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, " cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. *a Ioã. 1, 19*

37. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.

28. Ipsi vos mihi testimonium per-

"Ioã.1,20 hibetis," quòd dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illũ.

29. Qui habet sponsam sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est.

30. Illum oportet crescere, me autem minui.

31. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terrâ, de terrâ est, & de terrâ loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est.

32. Et quod vidit, & audiuit, hoc testatur, & testimoniũ eius nemo accipit.

33. Qui accepit eius testimonium,

"Rom.3,4 "signauit, quia Deus verax est.

34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum.

35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu eius.

"1.Ioan.5,10. 36. "Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

SANCTVS *Chrysostomus Hom.28.in Ioannem, sentit Christum à metropoli Iudææ, scilicet Ierusalem (cuius ciuis videtur fuisse Nicodemus, cum quo prædictum sermonem habuit) venisse in reliquam Iudææ regionem.*

Iudæa mysticè confitens. ALCVINVS *autem pulchrè in Catenâ aureâ*, Per Iudæam quidem, *inquit*, significantur confitentes, quos visitat Christus: vbi enim est peccatorum confessio, vel diuinarum laudum, illuc venit Christus & discipuli eius, id est, doctrina & illuminatio eius, & ibi moratur purgando à vitijs.

Christus non suis sed discipulorũ manibus baptizabat. *Christum autem non suis sed discipulorum manibus baptizasse, tradit* AVGVSTINVS *Epist.108.ad Seleucianum scribens:* Ipsum quidem baptizasse præsentiâ maiestatis, non tamen ipsum baptizasse manibus suis. Ipsius enim erat Baptismi Sacramentum, ad discipulos autem baptizandi ministerium pertinebat. Tunc ergo quando dicit Ioannes Euangelista in Euangelio suo, Post hæc exijt Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis & baptizabat; tunc paulò pôst de illo loquens ait: Vt ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos faceret, & baptizaret plures quàm Ioannes; quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius, reliquit Iudæam, & abijt iterùm in Galilæam. Tunc ergo quando ab Ierosolymis exijt cum discipulis suis in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis, baptizabat non per seipsum, sed per discipulos suos, quos intelligimus iam fuisse baptizatos, siue baptismo Ioannis, sicut nonnulli arbitrantur; siue, quod magis credibile est, Baptismo Christi.

NICEPHORVS *lib.2.Hist.cap.3.* Porrò diuinus, *inquit*, Euodius, qui & ipse Apostolorũ successor fuit, in Commentarijs suis, præcipuè autem in Epistolâ quam Lumen inscripsit, hæc quoque posuit: Christus, inquiens, manibus ipse suis Petrum tantummodò baptizauit: Petrus verò Andream, & filios Zebedæi: ij deinde reliquos Apostolos: septuaginta autem illos Petrus & Ioannes Theólogus dictus, baptizarunt. *Christus quos & quomodo baptizauerit.*

TERTVLLIANVS *quoque lib.de Baptismo c.11.sic scribit:* Sed ecce inquiunt venit Dominus, & non tinxit. Legimus enim: Et tamen is non tingebat, verùm discipuli eius: quia reuerà ipsum suis manibus tincturum Ioannes prædicasset. Non vtique sic intelligendum est, sed simpliciter dictum more communi. Sicut est verbi gratiâ: Imperator proposuit edictum, aut Præfectus fustibus cecidit: numquid ipse proponit, aut numquid ipse cædit? Semper is dicitur facere cui præministratur. Ita erit accipiendum, Ipse verò tinget, pro eo quod est, Per ipsum tingemini, vel, in ipsum.

S.CHRYSOSTOMVS *Hom.28.in Ioannẽ ait:* Meritò autẽ non ipse, sed discipuli baptizarunt, cùm vellent plurimos ad salutarem doctrinam allicere. Et quidem discipulis Iesu baptizantibus Ioannes baptizare non destitit, sed quousque missus fuit in carcerem id exercuit ministerium.

S.AVGVSTINVS *Tract.13.in Ioannem ad v.25.* Facta est autem quæstio, *&c. ita scribit*: Baptizabat Ioannes, baptizabat Christus. Moti sunt discipuli Ioannis, concurrebatur ad Christum, veniebatur ad Ioannem. Qui enim veniebant ad Ioannem, mittebat illos ad Christum baptizari: non mittebantur ad Ioannem, qui à Christo baptizabantur. Turbati sunt discipuli Ioannis, & cœperunt quæstionem tractare cum Iudæis, quomodo solet fieri. Intelligas dixisse Iudæos, maiorem esse Christum, & ad eius Baptismũ debere concurri. Illi nondum intelligentes, defendebãt baptismũ Ioannis. Ventum est ad ipsum Ioannem, vt solueret quęstionem. Intelligat charitas vestra. Et hîc vtilitas ipsa humilitatis agnoscitur, & ostenditur verùm in ipsâ quæstione cùm errarent homines, gloriari apud se voluerit Ioannes. Fortasse enim dixisset: Verum dicitis, rectè contenditis: baptismus meus est melior. Nam vt noueritis quòd baptismus meus est melior, ipsum Christum ego baptizaui. Poterat hoc dicere Ioannes baptizato Christo, quantum se, si vellet extendere, habebat vbi se extenderet: sed meliùs nouerat apud quem se humiliaret. Quem se nouerat nascendo antecedere, illi voluit confitendo cedere. Salutem suam intelligebat in Christo esse. *S. Ioannis humilitas in declinandâ laude emicuit.*

S.GREGORIVS *Hom.20.in Euangelio pulchrè ad hunc v.29.* Qui habet sponsam, *&c.* Ecce cùm pro mirâ operatione virtutum talis esset, vt Christus esse crederetur, non solùm Christum non esse se respondit, sed etiam corrigiam calceamenti eius soluere, id est, incarnationis eius mysterium perscrutari non se dignum esse perhibuit. Eius esse sponsam Ecclesiam credebant, qui hunc Christum esse existimabant. Sed ait: Qui habet sponsam, sponsus est. Ac si diceret: Ego sponsus non sum, sed amicus sponsi sum. Nec propter vocem suam, sed in voce sponsi se gaudere perhibebat, quia non ideò lætabatur in corde, quoniam à populis humiliter audiebatur loquens, sed quia ipse Veritatis vocem audiebat intus, vt loqueretur foris. Quod benè *Ioannes amicus sponsi.*

benè gaudium impletum dicit, quia quisquis de suâ voce gaudet, plenum gaudium non habet, à quo & subditur: Illum oportet crescere, me autem minui. Quâ in re quærendum est, in quo creuit Christus, in quo imminutus est Ioannes, nisi quòd populus Ioannis abstinentiam videns, remotum hunc ab hominibus esse conspiciens, eum esse Christum putabat: Christum verò eum publicanis comedentem, inter peccatores ambulantem intuens, eum non Christum, sed esse Prophetam credebat. Sed dum per accessum temporis, & Christus, qui propheta esse putabatur, Christus est agnitus; & Ioannes, qui Christus esse credebatur, propheta esse innotuit: impletũ est quod de Christo suus Præcursor prædixit, Illum oportet crescere, me autem minui. In æstimatione quippe populi & Christus creuit, qui agnitus est quod erat: & Ioannes decreuit, quia cessauit dici quod non erat. Igitur quoniam & idem Ioannes ideò in sanctitate perstitit, quia in cordis humilitate perdurauit: & multi idcircò ceciderunt, quia apud semetipsos elatâ cogitatione tumuerunt.

Christus quomodo creuerit & Ioannes imminutus sit.

S. BARNARDVS *Serm. de S. Ioanne*, Quomodo, *inquit*, minui? splendore vtique, non feruore. Retraxit radios, recollegit se ne fieret sicut is qui totum profert spiritum suum. Illum, inquit, oportet crescere, qui exhauriri non potest, de cuius plenitudine omnes accipiunt: me autem minui, cui datus est spiritus ad mensuram: & danda magis opera, vt ardere semper valeam, quàm lucere: præcessi solem tamquam sidus matutinũ, abscondi necesse est, orto iam sole. Non est mihi nisi modicum olei quo vngar, volo illud in vase tutiùs quàm in lampade possidere.

Aliquo tempore post hanc Ioannis de Christo confessionem in carcerem detrusus legitur, vti supra Luca cap. 3. v. 20. dictum est; quæ clariora fiunt

EX S. MARCI CAP. VI.

a Luc. 3. 19 VERS. 17. "Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam.
18. Dicebat enim Ioannes Herodi: "Non licet tibi habere vxorem fratris tui.
b Leu. 18, 16.
19. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec poterat.
20. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.

HANC *autem S. Ioannis incarcerationem licet Euangelistarum nullus hoc eam loco narret, qui tamen Concordias scribunt Euangelicas, illam hoc loco concordi consensu collocant, atque illam proinde non eo loco, atque ordine quo gesta sit ab Euangelistis narratam sentiunt. Siquidem S. Lucas (Bedâ ad caput eius tertium teste) quod de Ioannis incarceratione ait, per anticipationem dixit, dum id ante Christi Baptismum collocat. Quomodo autem à Ioanne misso in carcerem Iesus baptizatus sit? Matthæus quoque & Marcus alio quàm res ista gesta sit tempore ac ordine in suâ narratione posuerunt: ipsi enim dicunt, Dominum Ioanne tradito isse in Galilaam, & post multa quæ in Galilæâ gessit ad Herodis veniunt hæsitationem: quâ occasione narrant omnia, quæ de Ioanne carceri incluso & occiso acciderunt. Hic itaque, vt sæpè aliàs, ab Euangelistis temporis locique rationem prætermissam fuisse, ipse quoque S. Augustinus censet lib. 2. de Consensu Euangelistarum lib. 2. cap. 17. 18. & 24. Quare Ioannis incarcerationem hic etiam suo loco inserimus ante secessum Christi è Iudæâ in Galilaam, quem S. Ioannes Euangelista cap. 4. & S. Matthæus quoque capite 14 & S. Marcus cap. 6. post Ioannis incarcerationem accidisse testantur. De quâ incarceratione ita pulchrè*

S. FVLGENTIVS *Serm. 7.* Audiuimus vitijs obuiasse virtutes, cùm Herodis nequitia, Herodiadis luxuria, sancti verò Ioannis veneranda iustitia demonstrata est, in tantum vt libenter susciperet mortem, ne videretur contemnere veritatem. Vide quæ tria in vnam conuenerint causam. Miranda res, si rectè discutias grauitatem Prophetæ, luxuriem mulierem, & Herodis sæuissimam feritatem. Dicite mihi quid habetis cum Ioanne Baptistâ, Herodes & Herodias, quos ad consortium adduxit nominum, impuritas criminum? An hoc timetis, ne qui vobis vocabulis coniungimini, in luxuriâ forsitan separemini? Estote certissimi, quia sicut vno consensu cecidistis in luxuriam, ita vno nomine suscipietis sententiam. Tenetis in carcere iustum: quia vobis legaliter interdixit incestum, quasi possit veritas alligari. Et si omnia membra vinculorum nexibus astringat, sola lingua non potest custodiri: cui liberum est veritatem ab impijs contaminari. At inquies, Quare impedit desiderium nostrum? Ille potest desiderium impedire, cui licet in tempore flagitia remouere: nunc verò cùm hoc tibi denuntiat Propheta, quia Domini voluntati displiceat, nemo ferè sapiens erubescit audire, quod non piguerit sine verecundiâ perpetrare.

Conspirant impij contra iustum.

CHRYSOLOGVS *autem Serm. 127. ait:* Herodem Ioannes monitis non accusatione pulsabat: corrigere voluit, non perire. Sed Herodes facibus libidinis ardens, perire maluit, quàm redire, & vxorem fratris illicitè possidere. Captiuis criminum, innocentiæ inimicis, odiosa fit semper libertas, virtus contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis, corruptis integritas pœna, luxuriosis aduersa frugalitas, crudelibus misericordia, pietas impijs, iniustis iustitia non ferenda. Ecce vnde Ioãnes offendit: ecce vnde Herodes furit. Malos qui mouet, offendit; incurrit odium, qui arguit criminosos. Dicebat Ioannes quod erat legis, quod iustitiæ, quod salutis: certè quod erat non odij, sed amoris. Ecce qualem consecutus est ab impio pro pietate mercedem.

Praui oderunt probos.

Et Serm. 173. Herodes adulteræ non vincebat animum, nefas tamen adulteræ differebat. Illa ne esset arguens, arguentis tendebat ad mortem: ille vt placeret incestæ, captiuus ipse, iustum tantùm tenuit, vinxit inclusum, quia in innocentem reus facilè non poterat dictare sententiam.

Ordine

Ordine autem historiæ quæ à S. Ioannis incarceratione sunt gesta, subiunguntur

EX S. IOANNIS CAP. IV.

VERS. 1. Vt autem cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos facit, [a] & baptizat, quàm Ioannes. [a Ioã. 3, 11.]

2. (Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius)

3. reliquit Iudæam, & abijt iterùm in Galilæam.

4. oportebat autem eum transire per Samariam.

5. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar: iuxta prædium, [a] quod dedit Iacob Ioseph filio suo. [a Gen. 33, 19. 48, 22. Iosu. 24, 32.]

6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta.

7. Venit mulier de Samariâ haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere.

8. (Discipuli enim eius abierant in ciuitatem vt cibos emerent.)

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coütuntur Iudæi Samaritanis.

10. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam.

11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vnde ergo habes aquam viuam?

12. Nûquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.

13. Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aquâ hac, sitiet iterùm: qui autem biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

14. sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.

15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neque veniam huc haurire.

16. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc.

17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Benè dixisti, quia non habeo virum:

18. quinque enim viros habuisti; & nunc quem habes non est tuus vir: hoc verè dixisti.

19. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu.

20. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, [a] quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet. [a Deut. 12, 6.]

21. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.

22. [a] Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. [a 4. Reg. 17, 41.]

23. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum.

24. [a] Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. [a 2. Cor. 3, 17.]

25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur Christus) cùm ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

26. Dicit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum.

27. Et continuò venerunt discipuli eius: & mirabantur, quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid loqueris cum eâ?

QVOMODO *Iesus non tam per seipsum quàm per Apostolos baptizarit, superiùs ostensum est ad tertium caput S. Ioannis. Cur autem id factum sit, congrue adferri rationes possunt: Primò, Vt ostenderet Baptismum suum esse diuersum à baptismo Ioannis; hic enim à solo Ioanne conferebatur, Christi verò Baptismus etiam & plerumque à discipulis. Secundò, Quia Christus maioribus rebus, videlicet docendo & miraculis patrandis, occupabatur. Ita sentit D. Thomas 3. p. Tertiò, Vt auctoritatem, vim, & durationem sui Baptismi ostenderet per omnia sæcula succedentia propagandam fore. Ita S. Augustinus & Cyrillus in cap. 4. Ioan. Quare nequaquam solidum aut verum videtur quod Tertullianus lib. de Baptismo, cum quibusdam alijs insinuat, ideo nimirum Christum non baptizasse, quòd ante mortem Christi Baptismus eius non haberet vim remittendi peccata, aut Spiritum sanctum conferendi. Melius hic* ALCVINVS *in aurea Catenâ,* Solet, *inquit,* quæri si in Baptismo discipulorum Christi Spiritus sanctus daretur, cùm dicatur Ioan. 7. Spiritus sanctus nondum erat da[tus], quia

Cur Iesus potiùs per discipulos quàm ipse baptizaret.

Discipuli Christi baptizando dabant Spiritum sanctum.

quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Sed sciendum quia dabatur Spiritus, licet non eâ manifestatione quâ post Ascensionem in linguis igneis datus est: quia sicut ipse Christus in homine, quem gerebat, semper habebat Spiritum, sed tamen posteà super ipsum baptizatum visibiliter descendit in specie columbæ: sic ante manifestum & visibilem aduentum Spiritus sancti, quicumque Sancti eum latenter habere potuerunt.

Christus abiens in Galilæã per Samariam transit, vt Samaritanam conuerteret.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 30. in Ioannem rationem discessus Christi in Galilæam pandit his verbis:* Neque abs re in Galilæam concessit, sed vt magna apud Samaritanos operaretur eâ quæ Deum deceret sapientiâ, & vt nullam Iudæis ne impudentem quidem excusationem relinqueret, quod Euangelista his verbis significauit: Oportebat autem eum transire per Samariam; vt ostenderet præter itineris rationem hoc fecisse, cuius exemplum & Apostoli secuti sunt. Quemadmodum enim illi Iudæorum persecutionibus tunc temporis agitati, ad Gentes profecti sunt: ita & Christus eùm ab illis fugaretur, ad has venit, vt & in muliere fecit Chananæâ. Hæc autem facta sunt, vt omnem Iudæis auferret excusationem, ne dicerent, se relictis, Christum ad incircumcisos profectum. Idcircò excusantes se

Act. 13, 46

discipuli dicebant: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur

Matth. 5, 25. Ibid. v. 26.

ad Gentes. Et ipse iterùm: Non veni nisi ad oues, quæ perierant domus Israel. Et iterùm: Non est bonum accipere panem filiorum, & dare canibus. Cùm autem eum Iudæi expulerunt, portam Gentibus aperuerunt: neque etiam sic in Samariam principaliter profectus est Christus, sed per eam iter fecit. Præteriens ergo venit in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem illic fons Iacob. Quanam gratiâ tantâ hunc locum diligentiâ narrat Euangelista? Ne postmodum audiendo mulierem dicentem, Iacob pater noster dedit nobis hunc puteum, mireris. Etenim is locus erat, vbi pro Dinâ Leui & Simeon indignati, grauem illam cædem patrauerunt. Et quoniam ad hoc ventum est, non abs re fuerit subtexere vnde Samaritani originem habuerint. Locus is omnis Samaria appellatur. Vnde igitur appellati sunt? Samor mons

Samaritani vnde dicti sunt.

à conditore dictus est, vt testatur Isaias, & caput Samororum Ephraim. Habitatores autem non Samaritani, sed Israelitæ appellabantur: procedente tempore Deum offenderunt, & regnante Phacee surgens Thelgamasa, & multas ciuitates occupauit, & Ele subdidit, quo interempto Osee regnum tradidit. In hunc insurgens Salmanasar, alias cepit ciuitates, & tributarias fecit. Huic Osee primùm paruit; inde defectione factâ, Æthiopibus confœderatus est: quod cùm Assyrius intelligeret, gentem illam obsessam cepit, neque ampliùs illic habitare permisit, veritus ne iterùm deficerent, sed Babylonem & in Medos translatis, collectitiam hinc inde multitudinem in Samariam habitatum misit, vt in posterum firmum sibi imperium familiaribus incolis confirmaret. His peractis, volens Deus potestatem suam ostendere, quodque non imbecillitatis, sed peccatorum gratiâ Iudæos Assyrijs tradidisset, leones in barbaros emisit, qui vniuersam gentem perderent. His Regi nuntiatis, misit Sacerdotem quemdam, qui populo exponeret legem Dei: non tamen omnino, sed ex parte impietatem exuerunt. Procedente adhuc tempore idolorum cultu abiecto, Dei cultum complexi sunt. Cùm ita se res haberent, reuersi Iudæi, his, vtpote alienigenis hostibus, æmulabantur, & à monte Samaritanos nuncupabant; nec parua hinc inter eos contentio, &c. Huc itaque Christus venit, mollem & lasciuam vitam expellens, laboriosam autem & difficilem nos erudiens. Non enim iumentis vsus est, sed adeò intentè vadit, vt ex itinere fatigetur. Fatigatus enim ex itinere, sedebat sic super fontem.

S. AVGVSTINVS *Serm. 92. de Tempore,* Infirmitatem, *inquit,* humani generis suscepisse Dominum Iesum Christum, plenissimè nobis sanctos Euangelista monstrauit. Videte diuersitatem mysterij. Inter Apostolos exultabat in Spiritu: in monte positus, non solùm confortabat eos, verùm etiam gloriam his propriam demonstrabat. In Samariâ constitutus, fatigatus ex itinere, sedebat supra puteum. Numquid Dei virtus poterat fatigari? Non vtique: sed fatigabatur, quòd fidelem populum inuenire non poterat. Tunc ergo fatigatur Christus, quando nullam virtutem in suo populo recognoscit. Hodieque fatigat eum inobedientia nostra, fatigat eum infirmitas nostra. Infirmi enim sumus, quando non ea quæ fortia sunt atque perpetua, sed temporalia & caduca sectamur. Benè ait, Sedebat supra puteum; non, requiescebat: quoniã in Samaritanis non poterat requiescere. Et hora, inquit, erat quasi sexta. Sextâ die Deus de limo terræ hominem figurauit; sextâ horâ venit Samariam visitare, vt si in eum Samaritani crederent, ipse in his inciperet requiescere, vt verum illud quietis sabbatum celebraret. Magnum mysterium! venit mulier ad puteum, & fontem quem non sperauit inuenit. Sedit supra puteum, vt non in altitudine quæramus aquam: sed de eo fonte qui supra omnes aquas est salutaria nobis pocula hauriamus. Quis est fons nisi Dominus noster Iesus Christus, cui dicitur, Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Bonus fons, qui nos de vitæ huius refrigerauit incendio, & inundatione suâ ariditatem nostri pectoris superauit.

Matth. 17.

Christus fatigatur nostrâ inobedientiâ & infirmitate.

Psal. 35, 10

S. BERNARDVS *Serm. 1. in Natiuitate Domini, fontem hunc spiritalem in hæc verba describit, dicens:* Fons est nobis Christus Dominus, vnde lauemur, sicut scriptum est: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris. Verumtamen non iste solus aquarum est vsus, nec tantùm sordes abluunt, sed & sitim extinguunt. Beatus verò, ait Sapiens, qui in sapientiâ morabitur, & qui in iustitiâ meditabitur. Et post pauca, Aqua, inquit, sapientiæ salutaris potabit illum. Benè sapientiæ salutaris, quoniam sapientia carnis mors est, & sapientia mundi etiam ipsa inimica est Deo. Sola quæ ex Deo est sapientia, salutaris est, quæ secundùm B. Iacobi definitionem, primùm pudica, deinde pacifica est. Nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica. Sapientia mundi tumultuosa est, non pacifica. Sapientia verò quæ ex Deo est, primùm pudica est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, vt non suam quisque faciat voluntatem, sed consideret quæ sit voluntas Dei: deinde pacifica, non abundans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio vel iudicio. Tertius aquarum vsus est irrigatio, quam profectò maximè necessariam habent nouellæ plantationes, alioquin aut minùs proficient, aut ex toto peribunt ex siccitate. Quærat ergo deuotionis aquas, quisquis seminauerit bonorum

Fons nobis Christus est quo lauamur.

Apoc. 1, 5.

A quo potamur aquâ sapientiæ salutaris.

Iac. 3, 13.

A quo irrigamur deuotione.

operum

operum semina, vt irrigatus fonte gratiæ bonæ
conuersationis, hortus non arescat, sed in perpetuâ
viriditate proficiat. Orat enim pro huiusmodi Pro-
Psal. 19, 4. pheta, Et holocaustum tuum, inquient, pingue fiat.
Sic & in laudibus Aaron legis, quonia sacrificium
Eccl. 45, 20. eius quotidianus ignis absumpsit. In quibus omni-
bus nihil aliud intelligendum videtur, nisi vt bona
opera feruore deuotionis, & dulcedine spiritualis
gratiæ condiantur. Putas inueniri poterit quartus
fons, vt paradisum recuperemus quatuor fontium
irrigatione amœnissimum? Nam si terrenum para-
disum denuò nobis reddendum non speramus,
quomodo regnum cælorum sperabimus? Si terre-
na, inquit Ioannis 3. dixi vobis, & non creditis;
quomodo si dixero vobis cælestia, credetis? Nunc
autem vt de exhibitione præsentium firma sit ex-
spectatio futurorum, paradisum habemus multò
meliorem, & longè delectabiliorem quàm primi
parentes habuerunt. Et paradisus noster Christus
Dominus est; in quo tres quidem fontes iam inue-
nimus, quartum quæramus. Habemus de fonte
misericordiæ, ad diluendas culpas, aquas remissio-
nis: habemus de fonte sapientiæ, ad potandum
sitim nostram, aquas discretionis: habemus de
fonte gratiæ, ad irrogandas plantas bonorum ope-
Christus est fons charitatis. rum, aquas deuotionis: quæramus ad decoquendos
cibos, aquas feruentes, aquas æmulationis. Hæ ni-
mirum condiunt & decoquunt affectiones nostras,
Psal. 38, 4. & ebulliunt de fonte charitatis. Vnde ait Propheta:
Concaluit cor meum intra me, & in meditatione
Psal. 68, 10 meâ exardescet ignis. Alibi quoque, Zelus, inquit,
domus tuæ comedit me. siquidem ex dulcedine
deuotionis diligens iustitiam, ex feruore æmula-
tionis odio habet iniquitatem. Et vide ne fortè
de fontibus istis prædixerit Isaias, Haurietis a-
Isa. 12, 3. quas in gaudio de fontibus Saluatoris. Nam vt
promissionem hanc vitæ præsentis esse noueris, non
futuræ, illud attende quod sequitur: Dicetis in illâ
Psal. 104, 1 die: Cõfitemini Domino, & inuocate nomen eius.
Inuocatio quippe præsentis temporis est, sicut scri-
Psal. 49, 15 ptum est: Inuoca me in die tribulationis. Porrò ex
his quatuor fontibus tres quidem propriè conue-
nire videntur tribus Ecclesiæ ordinibus, singuli
singulis. Nam primus quidem communis est om-
nibus. In multis enim offendimus omnes, & ne-
Rom. 3, 23. cessarium habemus misericordiæ fontem ad di-
luendas offensionum sordes. Omnes inquam pec-
1. Ioan. 1, 8 cauimus, & egemus gloriâ Dei. Et Prælati, & con-
tinentes, & coniugati, si dixerimus quia peccatum
non habemus, nosipsos seducimus. Quia ergo ne-
mo mundus à sorde, necessarius est omnibus fons
misericordiæ, & pari voto debent ad hunc fontem
Noë, Daniel, & Iob properare. De cetero quidem
Iob maximè sapientiæ fontem quærat, quoniam
ipse magis inter medios laqueos ambulat, ita vt
magnum videatur, si à malo declinat. Danieli verò
currendum est ad fontem gratiæ, cui nimirum pœ-
nitentiæ opera, & labores abstinentiæ, deuotionis
gratia necesse est impinguare. Oportet enim vt nos
maximè in hilaritate omnia faciamus, quoniam
2. Cor. 9, 7. hilarem datorem diligit Deus. Nam & terra nostra
nequaquam fertilis est huiusmodi seminis, bonæ
scilicet conuersationis: ideoque facilè exarescet,
nisi crebris irrigationibus adiuuetur. Vnde & in
Oratione Dominicâ huius gratiam sub quotidiani
panis nomine postulamus. Meritò satè, ne fortè
cadat super nos terribilis illa maledictio prophetí-
Psal. 128, 6 cæ increpationis, Fiant sicut fœnum tectorũ, quod
priusquam euellatur, exaruit. Fons verò æmulatio-
nis Noë conuenit specialiter, quia maximè Præla-
tos deceret hic zelus. Quatuor itaque fontes istos ad-
huc in carne viuentibus nobis in semetipso Chri-
stus exhibet: quintum, qui est fons vitæ, post hoc
sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta
cùm diceret, Sitiuit anima mea ad Deum fontem Psal. 41, 3
viuum. Fortassis etiam propter hos quatuor fon-
tes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc
viuens in cruce; propter quintum cùm iam tradi-
disset spiritum, transforatus est in latere. Viuebat
adhuc quando fodiebant ei manus & pedes, vt no-
bis adhuc viuentibus, quatuor fontes ex seipso
proferret. Quintum pertulit vulnus cùm iam ex-
spirasset, vt in se nihilominùs quintum nobis fon-
tem post obitum aperiret.

S. AVGVSTINVS *l. 83. Quæstionum, quæstione 64. pulchrè ad illud vers. 15.* Quinque viros habuisti, *Mysticè quinque viri sunt quinque libri Moysi.*
dicens: Sed non sunt hæc carnaliter accipienda, ne
huic ipsi adhuc mulieri Samaritanæ similes esse
videamur. Sed de illo dono Dei si aliquid iam gu-
stauimus, spiritaliter ista tractemus. Quinque vi-
ros, quinque libros qui per Moysen ministrati
sunt, nonnulli accipiunt. Quòd autem dictum est,
Et nunc quem habes non est tuus vir; de seipso
Dominum dixisse intelligunt, vt iste sit sensus:
Primò, quinque libris Moysi, quasi quinque viris
seruisti; nunc autem quem habes, id est, quem au-
dis, qui loquor tecum, non est tuus vir, quia non-
dum in eum credidisti. Sed quoniam nondum cre-
dens Christo, adhuc vtique illorum quinque viro-
rum, id est, quinque librorum copulatione teneba-
tur, potest mouere quomodo dici potuerit, quin-
que viros habuisti, quasi nunc eos iam non habe-
ret cùm adhuc vtiq; ipsis subdita viueret? Deinde
cùm quinque libri Moysi nihil aliud quàm Chri-
stum prædicent, sicut ipse ait: Si crederetis Moysi, Ioan. 5, 46.
crederetis forsitan & mihi, ille enim de me scripsit:
quomodo potest intelligi à quinque illis libris re-
cedere hominem vt ad Christum transeat, cùm
ille qui credit in Christũ, non relinquendos quin-
que illos libros, sed spiritualiter intelligendos mul-
tu auidiùs amplectatur? Est ergo alius intellectus, *Quinque viri sunt etiã quinque sensus.*
vt quinque viri intelligantur quinque corporis
sensus. Vnus qui ad oculos pertinet, quo lucem
istam visibilem, & quoslibet colores formasque
corporum cernimus. Alter aurium, quo vocum &
omnium sonorum momenta sentimus. Tertius est
narium, quo variâ odorum suauitate delectamur.
Quartus in ore gustus, qui dulcia & amara sentit,
& omnium saporum habet examen. Quintus, per
totum corpus tangendo dijudicat calida & frigi-
da, mollia & dura, leuia & aspera, & quidquid
aliud est quod tangendo sentimus. Istis itaque car-
nalibus quinque sensibus, prima hominis ætas im-
buitur necessitate naturæ mortalis, quâ ita post
peccatum primi hominis nati sumus, vt nondum
redditâ luce mentis, carnalibus sensibus subditi,
carnalem vitam sine vllâ veritatis intelligentiâ
transeamus. Tales necesse est esse infantes & par-
uulos pueros, qui nondum possunt accipere ratio-
nem. Et quia naturales sunt isti sensus, qui primam
ætatem regunt, & Deo artifice nobis tributi sunt,
rectè dicuntur viri, id est mariti, tamquam legiti-
mi: quoniam non eos error vitio proprio, sed Dei
artificio natura contribuit. Cùm autem quisque
peruenerit ad eam ætatem, vt iam possit capax esse
rationis, si veritatem statim comprehendere po-
tuerit,

Abstinens nimis sensibus Christo coniungimur coniubio spirituali. merit, non iam illis sensibus rectoribus vtetur, sed habebit virum spiritum rationalem, cui sensus illos in famulatum redigat, seruituti subijciens corpus suum: cùm anima non iam quinque viris, id est quinque corporis sensibus subdita est, sed Verbum diuinum habet legitimum virum, cui copulata est & inhærens: cùm & ipse spiritus hominis hæserit

[1.Cor.11,3] Christo, quia caput viri Christus est, amplexu spirituali æternâ vitâ sine vllo separationis timore

[Rom.8,35] fruetor. Quis nos enim separare poterit à charitate Christi? Sed quoniam illa mulier errore tenebatur, qui significabat multitudinem sæculi vanis superstitionibus subiugari, post tempora illa quinque carnalium sensuum, quibus prima ætas, vt diximus, regitur, non eam Verbum Dei acceperat in coniugem, sed complexu adulterino diabolus obtinebat. Itaque illi Dominus dicit, videns eam carnalem, id est carnaliter sapere: Vade, voca virum tuum, & veni huc: id est, remoue te ab affectione carnali in quâ nunc constituta es, vnde non potes intelligere quæ loquor. & voca virum tuum, id est spiritu intelligentiæ præsena esto. Est enim animæ quasi maritus quodammodò spiritus hominis, qui animalem affectionem tamquam coniugem regit. Nno illle Spiritus sanctus qui cum Patre & Filio incommutabilis manet, & dignis animis incommutabiliter datur, sed spiritus hominis, de quo

[1 Cor.2,11] Apostolos dicit: Nemo scit quæ sunt in homine nisi spiritus hominis. Nam ille Spiritus sanctus Spiritus Dei est; de quo iterùm dicit sic: Et quæ Dei sunt nemo scit, nisi Spiritus Dei. Hic ergo spiritus hominis cùm præsens est, id est, intentus est, & se pietate subijcit Deo, intelligit homo quæ spiritaliter dicuntur. Cùm autem diaboli error, tamquã absente intellectu in animâ dominatur, adulter est. Voca ergo, inquit, virum tuum, id est spiritum qui in te est, quo potest homo intelligere spiritalia si eum lux veritatis illustret. Ipse adsit cùm loquor tibi, vt spiritalem possis accipere aquam. Et cùm illa diceret, Non habeo virum; Benè, inquit, dixisti; quinque enim viros habuisti: id est quinque sensus carnis, qui te in primâ ætate rexerunt, & nunc quem habes non est tuus vir, quia non est in te Spiritus qui intelligit Deum, cum quo legitimum possis habere connubium, sed error diaboli potiùs dominatur, qui te adulterinâ dominatione corrumpit.

Quæstio Samaritanorũ de locis adorationis. VERS. 20. PATRES NOSTRI IN MONTE HOC, *scilicet Garizim, qui imminet vrbi Sichem, vt patet Iudicũ 6. v. 7.* ADORAVERVNT]. *Celebris autem erat quæstio inter Samaritanos & Iudæos de adoratione in hoc monte. Nam tempore Alexandri Magni Sanaballar Præfectus Samariæ vice Darij Regis Persarum in hoc monte Garizim ædificauit templum simile Ierosolymitano, eique præfecit Manassem fratrem Iaddi Pontificis à Iudæis expulsum, eòque confluxerant multi Iudæi profugi vel schismatici, maximè qui alienigenas vxores duxerant, vtebanturque hoc argumento, quòd locus ille iuxta Sichem celebratus esset adoratione Patriarcharum, vti Iacob, Geneseos 30, 20. Verùm vt*

Samaritani vt schismatici à Christo damnãtur. *ipsa cum suis in adorando errarent ac fallerentur, manifestò Christus declarat dicens v. 22.* Vos adoratis quod nescitis. *Quia scilicet Samaritani Deum cum idolis, ac consequenter quasi idolorum socium, ac proinde falsò, colebant. Rursum colebant Deum, quasi solius terræ Iudææ esset Dominus. Vel etiam* adoratis *inquit,* quod nescitis, *quasi dicat, Hanc ritum adorandi habetis quem nescitis verè à Deo esse profectum, quia scilicet vestro ingenio illum confinxistis.* Nos verò *Iudæi* adoramus quod scimus *à Deo Moysi esse præceptum. Quibus verbis Christus obiter Samaritanorum schisma damnat, litemque Iudæis adiudicat,* quia salus ex Iudæis est, *nam Christus salutis auctor ex Iudæis prodijt. Ita S. Cyrillus cum Chrysostomo in cap. 4. Ioannis. Vel* salus, *id est, vera Dei cognitio ac cultus diuinus, qui est causa salutis, hic olim in lege veteri, & iam in nouâ à Iudæis ad alias Gentes manauit. Et pulchram subinfert doctrinam, dicens:* Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. *Vbi Christus etiam tacitè taxat Iudæos, qui licet non falsò vt Samaritani Deũ adorarent, nimis tamen*

Salus ex Iudæis per Christum.

Veri adoratores sunt Christiani. *signis suis corporeis & externis cærimonijs innitebantur, quæ vmbra tantùm erant futurorũ, illisque Christus hic opponit Christianos, qui pro corpore in spiritu, pro vmbris in veritate adorant Deum, qui spiritus est incorporeus atque purissimus. Christus ergo hic significat cultum spiritalem, fidei, spei, charitatis ac virtutum cæterarum, quibus non per vmbras, sed in veritate, id est proprijssimè, verissimè ac purissimè Deus colitur. Ita S. Cyrillus suprà citatus. Quare Sacramenta nouæ legis & cærimoniæ cùm non sint vmbra legis veteris, sed ornamenta & adiumenta spiritus, ad spiritum spectant.*

S. CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ,* Dicit, *inquit,* hoc de Ecclesiâ, in quâ est vera adoratio, & Deo congrua. Cùm autem Deus incorporeus sit, oportet igitur incorpoream eius culturam esse, hoc est per animam & intellectus puritatem nos ei offerre.

Vt Samaritana colloquio Christi sensim illuminata & accensa fuerit. *Quantum autem mulier his Christi verbis sensim illuminata profecerit, suâ responsione declarauit cùm dixit,* Scio quia Messias venit qui dicitus Christus. *Vbi pulchrè obseruat* S. AVGVSTINVS *libro 83. Quæst.* Fortasse, *inquiens,* vt intelligentibus indicaret, quinque memoratos corporis sensus, quinque virorum nomine significari, post quinque responsiones carnales ista mulier sextâ responsione nominat Christum. Nam prima eius responsio est, Tu cùm sis Iudæus, quomodo à me bibere petis? Secunda, Domine, neque quo hausias habes, & puteus altus est. Tertia, Domine da mihi de hac aquâ, vt neque sitiam, neque veniam huc haurire. Quarta, Non habeo virum. Quinta, Video, quia propheta es, patres nostri in monte hoc adorauerunt. nam & ista responsio carnalis est. Carnalibus enim datus fuerat locus terrenus vbi adorarent, spiritales autem in spiritu & veritate oraturos Dominus dixit. Quod posteaquam locutus est, sexta mulieris responsio Christum fatetur omnium istorum esse Doctorem. Dicit enim, Scio, quia Messias venit qui dicitur Christus: cùm ergo venerit, ipse nobis annuntiabit omnia. Sed adhuc errat, quia eum quem venturum sperat, venisse non videt: verumtamen misericordiâ Domini nunc error iste tamquam adulter expellitur. Dicit enim ei Iesus, Ego sum qui tecum loquor. Quo audito, illa non respondit, sed statim relictâ hydriâ suâ abijt in ciuitatem festinans, vt Euangelium & Domini aduentum non tantùm crederet, sed etiam prædicaret. Nec hoc, quòd relictâ hydriâ discessit, negligenter prætereundum est: hydria enim fortasse amorem sæculi huius significat, id est, cupiditatem, quâ sibi homines de tenebrosâ profunditate, cuius imaginem puteus gerit, hoc est, de terrenâ conuersatione hauriunt voluptatem: quâ percepta iterùm in eius appetitum inardescãt, sicut de aquâ illâ, Qui biberit, inquit, sitiet iterùm.

N Opor-

Oportebat autem vt Christo credens, sæculu renuntiaret, & relictâ hydriâ cupiditatem sæcularem se reliquisse monstrsret, non solùm corde credens ad iustitiam, sed etiam ad salutem ore confessura, & prædicatura quod credidit.

VERS. 28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus:

29. Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci: numquid ipse est Christus?

30. Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum.

31. Intereà rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca.

32. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.

33. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?

34. Dicit eis Iesus: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.

35. Nónne vos dicitis, quòd adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis: Leuate oculos vestros,
"Matth. 9, 37. Luc. 10, 2. & videte regiones," quia albæ sunt iam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.

37. In hoc enim est verbum verum: quia alius est qui seminat, & alius est qui metit.

38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.

39. Ex ciuitate autem illâ multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcumque feci.

40. Cùm venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.

41. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius.

42. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus, quia hic est verè Saluator mundi.

43. Post duos autem dies exijt inde: & abijt in Galilæam.

44. " Ipse enim Iesus testimonium "Matth. 13, 57.
perhibuit, quia Propheta in suâ patriâ Marc. 6, 4.
honorem non habet. Luc. 4, 24.

45. "Cùm ergo venisset in Galilæam, "Matth. 4, 12.
exceperunt eum Galilæi, cùm omnia Marc. 1, 14
vidissent quæ fecerat Ierosolymis in Luc. 4, 14.
die festo: & ipsi enim venerant ad diem Ioan. 2, 9.
festum.

SANCTVS AVGVSTINVS *in caput 4. Ioannis*, Proiecit, *inquit*, cupiditatem, & properauit annuntiate veritatem. Discant, qui volunt euangelizara, vt priùs hydrism ad puteum proijciant.

S. CHRYSOSTOMVS *ad eumdem locum ait*: Non verecundata autẽ est hoc dicere: Anima enim cùm ignita fuerit igne diuino, ad nihil eorum quæ sunt in terrâ de reliquo aspicit, neque ad gloriam, nec ad verecundiam, sed ad vnam solam quæ detinet eam flammam. Volebat autem non ex propriâ annuntiatione eos inducere, sed ex audito proprio eos facere communicatores doctrinæ Christi: vnde dixit, Venite & videte hominem. Non dixit, Venite & credite, sed, Venite & videte, quod leuius erat. nouerat enim manifestè, quoniam solùm gustantes de illo fonte eadem paterentur quę & ipsa. Vnde etiam neque manifestè annuntiauit Christum, neque tamen totaliter siluit, sed dixit, Numquid ipse est Christus? & ideò sermonem eius acceperunt.

Qui accensus est Dei amore, despicit respectus humanos.

S. BERNARDVS *Serm 71 in Cantica, pulchrè describit nobis quem cibum Christus aueat manducare, vtque ipse nos pascat & pascatur.* Secundùm vtrumque, *inquit* (carnem dico & spiritum,) pasci inter lilia sponsus inuentus est. Puto autem, quòd & ipse vicissim pasceret, sed in spiritu. Hoc ipso quo pascebatur, quomodo pascebat? Quomodo inquam confortabat timiditatem feminarum, iucundabat humilitatem, impinguabat deuotionem? Sed si vidisti, quòd pasci illi sit pascere, vide etiam nunc ne fortè & è conuerso pascere sit ei pasci. Domine, Gen. 48, 15
qui pascis me à iuuentute meâ, ait sanctus Patriarcha Iacob. Bonus paterfamilias, qui suorum domesticorum curam gerit, maximè in diebus malis, vt alat eos in fame, cibans illos pane vitæ & intellectus, & sicut nutriens ad vitam æternam. At pascens ita puto nihilominùs pascitur ipse, & quidem escis quibus libenter vescitur, profectibus nostris. Etenim gaudium Domini fortitudo nostra. Ita ergo & cùm pascit pascitur, & pascitur cùm pascit, simul 2. Esd. 8, 10
nos suo gaudio spirituali reficiẽs, & de nostro æquè spirituali profectu gaudens. Cibus eius pœnitentia mea, & cibus eius salus mea, cibus eius ego ipse. An non cinerem tamquam panem manducat? Ego Psal. 101. 10.
autem quia peccator sum, cinis sum, vt manducer ab eo. Mandor cùm arguor, glutior cùm instituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm transformor, vnior cùm conformor. Nolite mirari hoc, & manducat nos, & manducatur à nobis, quò arctiùs illi adstringamur. Non sanè aliàs perfectè vnimur illi. Nam si manduco & non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quòd si manducor quidem, nec manduco, me in se habere

Christus quomodo nos pascat & pascatur à nobis.

ille,

ille, sed non etiam in me esse videbitur. Nec enim perfecta vnino in vno quouis horum. Si enim manducet me, vt habeat me in se, & à me vicissim manducetur, vt sit in me, quatenus integra firmaque sit connexio, cùm ego in eo, & nihilominùs in me ipse erit, *&c.*

Et infrà: Sed audi ipsum quo se dicat cibo ali.
Christi cibus debet esse purus. Meus, inquit, cibus est vt faciam voluntatem Patris mei. Verbũ Verbi est, apertè indicantis esse suum cibum, factum bonum, si tamen inuenerit illud inter lilia, hoc est inter virtutes. Alioquin si extra reperit, etsi bonus (quod in se est) videtur cibus, non tanget illum is qui pascitur inter lilia. Verbi causâ: non recipit eleëmosynã de manu raptoris, seu fœneratoris, sed nec de hypocritæ quidem, *&c.*

Quænam verò nostra sint alimenta, docet Serm. 3. in
Quinã sint cibi nostri spirituales. *Dedicatione Ecclesiæ, dicens cum Euangelistâ Mat. 4.* Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Itaque non nobis alimenta desunt, qui & sermones frequenter & frequentiùs sacras lectiones audimus: & interdum quoque spiritualis deuotionis gustamus delicias, tamquam si catuli edant de micis quæ cadunt de mensâ dominorum suorum: cælestes illos conuiuas dico, qui replentur ab vbertate domus Dei. Habemus etiam panem lacrymarum, qui licet minùs suauis, optimè tamen confirmat cor hominis.
Ioan. 4. 5. Habemus & obedientiæ panem, de quo loquitur ad discipulos Dominus, Meus, inquiens, cibus est vt faciam voluntatem Patris mei. Habemus super omnia de cælo panem viuum, Corpus Domini Saluatoris, in cuius vtique fortitudine cibi, omnis aduersæ partis deijcitur fortitudo.

Cetera quæ sunt de messe, fusiùs explicantur Lucæ 9. & 10.

VERS. 46. Venit ergo iterùm in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.

47. Hic cùm audisset quia Iesus aduenit et à Iudæâ in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori.

48. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.

49. Dicit ad eum regulus: Domine, descende priùs quàm moriatur filius meus.

50. Dicit ei Iesus: Vade, Filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat.

51. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nuntiauerunt, dicentes, quia filius eius viueret.

52. Interrogabat ergo horam ab eis, in quâ meliùs habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri horâ septimâ reliquit eum febris.

53. Cognouit ergo pater, quia illa hora erat, in quâ dixit ei Iesus, Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota.

54. Hoc iterùm secundum signum fecit Iesus, cùm venisset à Iudæâ in Galilæam.

SANCTVS HIERONYMVS *in cap. Isaiæ 65. videtur putare hunc Regulum fuisse gentilem, & inter alia sic habet:* Regulus qui Græcè dicitur βασιλικός, quem nos de aula Regiâ rectiùs interpretari possumus Palatinum, non solùm filij, sed & vniuersæ domus reperit sanitatem.

Vbi S. Hieronymus rectè notat, quòd Græcè βασιλικός, Latinè rectiùs Palatinus aut Regius quispiam Nobilis interpretetur. Quare non improbabilis videtur coniectura dicentium, quòd noster Interpres βασιλίσκος legerit. Verisimilis autem videtur opinio eorum qui tenent ipsum fuisse Iudæum, vt qui propter fidei imbecillitatem à Christo increpatur, quod non solet Christus facere Ethnicis, vtpote plerumque maiori fide & humilitate ad Christum accedentibus, vt patet in Centurione & Chananæâ. Vt ergo Dominus falsam hanc mundanorum confunderet opinionem, quâ pauperibus neglectis, diuitibus ad nutum obsequuntur, ad huius domum venire dedignatur, qui vt mederetur seruo Centurionis, dixit: Ego veniam & curabo eum. *Honorandus itaque exemplo Christi pauper si iustus sit, & vir diues ac potens si male viuat, vilipendendus, vti benè monet S. BASILIVS in Psal. 14. Explicans ista* *Diues peruersus vilipendendus.*
verba, Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat. Magno, *inquit*, ac præstanti animo opus, & qui in *pauper iustus honorandus est.*
nullam se sinat deflecti partem humanarũ rerum, quique virili fortitudine præditus ad summum iam peruaserit iustitiæ habitum, suum ius vt cuique pro dignitate dispertiatur ac distribuat, & malignè agentes nouerit ad nihilum deducere, quantolibet Magistratu isti polleant, quantislibet referti opibus se venditent, sint licet generis claritudine conspicui atque illustres, quamlibet sui nominis splendorem sustollant ac celebrent; tantùm si in his deprehendatur vlla vitæ malignitas, hos inquam ad nihilum deducere, hoc est, ne tantilli quidem æstimare, excelsi est prorsus ac præstantis animi. Contrà verò timentes Dominum, vt hi pauperes sint, ignobiles, idiotæ sermone, corpore debiles, hos gloriâ laudibusque attollere, & beatos existimare addecet eum qui spirituali doctrinâ eruditus tales didicerit planè esse beatos. Beati enim, ait, omnes qui timent Dominum. Eiusdem namque benè institutæ mentis fuerit, & agentem iniqua, quamuis clarum & potentem, nihili pendere, & timentem Dominum glorificare, quamuis tenuem ac pauperis & despicabilis vitæ, nec quidquam externorum possidentem quæ nos inuitent ad illius commendationem.

Hic igitur Regulus quia superbè atque altè de se sentiens, veluti mandando rogat vt descendat Iesus in domum suam, minimè honore isto dignus fuit: quia dum propter dignitatem sæcularem, quâ pollebat, pretiosus erat in oculis suis, vilis factus est in oculis Dei, vti pulchrè docet S. AVGVSTINVS in Psal. 74. sic scribens: Ad superbum non accedit Deus. Certè altus est, non eum attingit elatus. Omnia sublimia

Deus humilia propè, & alta de longè respicit.

vt contingamus, attollimus oos: & si attingere non possumus, machinamenta aliqua vel scalas quærimos, vt sublimia sublimia contingamus. Contrà Deus & altus est, & ab hominibus contingitur. Scriptum est: Propè est Dominus his qui obtriuerunt cor. Tritura cordis, pietas, humilitas. Qui se conterit, irascitur sibi. Se habeat iratum, vt illum habeat propitium: se habeat iudicem, vt illum habeat defensorem. Ergo inuocatus Deus venit. Ad quem venit? Ad superbū non venit. Audi aliud testimonium. Excelsus Dominus, & humilia respicit, excelsa autem à longè cognoscit. Excelsus Dominus, & humilia respicit non à longè: excelsa autem à longè cognoscit. Et ne fortè, cùm dictum esset, quia humilia respicit, superbi de impunitate gauderent, quasi eos superbientes non agnoscat qui in excelsis habitat; tertii sunt, & dictum est eis: Videt vos & cognoscit vos, sed à longè. *Vnde humilis verè sublimis est, cui tanta maiestas dignatur adesse; superbus verò abiectus, cuius domum Dominus adire recusat.*

Psal. 33, 19.

Secundo indignatus est Iesus, quia Regulus hic dicebat, Descende priusquam moriatur filius meus. *In quibus verbis duplicem fidei imperfectionem ostendit. Alteram, quòd credidit eius præsentiam corporalem necessariam, quâ salus filio restitueretur: item dum ait,* priusquam moriatur, *significat quod si semel vitâ fuisset priuatus, ad vitam eum reuocare non posset Iesus, cuius tanta signa vidisset patrata in Capharnaum, sicut Nazareni inuidentes calumniabantur dicentes, Luca 4.* Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patriâ tuâ: *quibus visis vel auditis motus iste non est, vt crederet digna Saluatore nostro. Hac autem tam imperfecta eius fides Dominum in illum indignationem promeruit. Fides quidem perfecta rarò reperitur in terrâ, vt bene docet* S. Hieronymus *in Dialogo aduersus Luciferianos, explicans verba illa,* Putas ne cùm venerit filius hominis, inueniet fidem in terrâ, *sic ait:* Fidem illam dicit, de quâ Dominus aiebat, Fides tua te saluam fecit. & alibi de Centurione: Non inueni tantam fidem in Israel. & rursus ad Apostolos: Quid timidi estis modicæ fidei? Nec non & in alio loco; Si autem habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti, Iacta te in mare, & sic fiet. Hæc est fides quam rarò inuentam Deus pronuntiauit. Hæc est fides, quæ etiam apud eos qui benè credunt, difficilè perfecta reperitur. Fiat tibi, inquit Deus, secundùm fidem tuam. Hanc ego vocem audire nolo. Si enim secundùm fidem meam fiat mihi, peribo, & certè. Credo in Deum Patrem, credo in Deum Filium, credo in Deum Spiritum sanctum. Sæpè quippe venit inimicus homo, & inter Dominicam messem zizania interserit. Neque hoc dico quòd maius quidquam sit, quàm Sacramenti fides, quàm puritas animæ, sed indubitata ad Deum fides ardua reperitur. Verbi gratiâ, ad orationem assisto: non orarem si non crederem: sed si verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lacrymis rigarem, corpore inhorrescerem, ora pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certè trunco crucis, nec priùs omitterem quàm misericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione meâ aut per porticus deambulo, aut abductus vanâ vel turpi cogitatione etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero. Vbi est fides? Siccine putamus orasse Ionam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce? Et hæc ego exempli causâ ad intelligentiam sensus protuli. Ceterùm conueniat vnusquisque cor suum, & in omni vitâ inueniet quàm rarum sit fidelem animam inuenire.

Luc. 18, 8. Perfecta fides est rara est, & quanta illa.

Matth. 9, 22.

Matth. 8, 10.

Matth. 16, 8.

Matth. 17, 20.

Præterea indignatus est Dominus videns hunc Regulum tam anxiè sollicitum de salute corporali filij, qui ægrotam animam illius, qui nobilitate, diuitijs, & abundantiâ, & iuuentute infirmaretur, nec curabat, cùm potissima illius cura esse de salute animæ potius quàm corporis debuisset, vti benè docet

S. Chrysostomus *Hom. 9. in Epist. 1. ad Timotheum scribens:* Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos, cetera omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate læditur. Vis filium relinquere diuitem? Bonum illum ac benignum esse doce, ita enim etiam rem familiarem augiorem facere poterit. Quòd si tenuis illi substantia fuerit, nihil deteriori in loco erit, quàm hi qui plurima possident. Quòd si malus ille fuerit etiamsi infinitam illi substantiam relinquas, non illi custodem reliquisti, sed longè deteriori conditione fecisti, quàm si ad extremam deuenisset inopiam. Quippe filijs non rectè institutis præstat pauperes esse quàm diuites.

Maxima cura habenda recta institutionis filiorum.

Tandem Dominus indignatus est, quia necessitate pressus ipsum requisiuit, cùm anteà neglexisset, idque cùm audisset quod Iesus aduenisset à Iudæâ in Galilæam. Frequenter siquidem Iesus Capharnaum fuerat ingressus, & tamen illum minimè requisiuit, neque inuisit, neque allocutus est nisi vrgente necessitate: cùm filius ad mortem vsque ægrotaret, cùmque humana defecissent remedia, tum demum Christus requiritur. Qui in præsentia modò etiam frequenter ad Deum non tam Dei amore quam proprie amore impulsi ad ipsum accedunt in tribulatione, qui eumdem in pace ac prosperitate contemptserant. Sic Nabuchodonosor, Dan. 4. Antiochus & Heliodorus, 2. Machab. 9. & 3. Deum requirebant in angustiis, quem acriter in prosperitate fuerant prosecuti. Qui enim diuitijs & humanâ potentiâ turgent, plerumque nec Deum agnoscunt, nec quærunt, donec flagellis fuerint admoniti.

Qui in prosperis Deum negligunt, in aduersis quærunt.

Has itaque & similes ob causas non descendit Iesus in domum Reguli, eiusque modicam fidem reprehendens dixit: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. *Difficulter vtique homines Deo fidunt. Cùmque Deus fidat homini, & illi omnia sua credat, homo tamen maximè iniquus cum maximâ difficultate fidit Deo. Quod inde accidere verosimile est, quòd quales nos sumus erga Deum, talem eum credamus erga nos. Quia enim nos frequentissimè Deo promissa mentimur, & non soluimus, arbitramur Deum nobis etiam non seruaturum promissa. Iustorum contrà plerumque tanta existit erga Deum fiducia, quia nimirum sibi fidacia conscij quòd ipsi Deo promissa seruent, non dubitent quin ipse vicissim illis promissa præstabit. Sic de Abraham ad Rom. 4. S. Paulus ait:* Qui cùm audisset Satam pariturum, confidit, non considerans corpus suum emortuum, cùm iam centum ferè esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. *Vnde etiam Salomon Prou. 28. iustum vt leonem confidere asserit.* *Vade & homo hic cùm in viram alterum mutatus est, vt habetur v. 50.* credidit sermoni quem dixit ei Iesus, & ibat. *Non satis est credere, nisi iter arripias per viam mandatorum Dei, vt fides per charitatem*

Homines cur tam difficilè fidant Deo.

Iustorum de venis.

Fides sine bonis operibus non sufficit ad salutem.

operetur, iuxta illud Iacobi 1. Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. *Sicut enim qui in flumen cadit, si nec brachia nec pedes moueat, statim aquis obruitur, natans autem eripitur, sic qui soli fidei innititur virtutũ functiones deserens, in profundissimum vitiorum barathrum mergetur; si autem fidei coniunxerit bona opera, incolumis in terram viuentium appellet. Vide autem hic benignitatem Dei, quomodo infirmitati nostræ condescendat. Non enim semper imperitiam nostram respicit, sed etiam peccantibus & indignè de se sentientibus auxilium fert. Ipse enim nouit figmentum nostrum, ideo vt est in Psal.* 102. sicut miseretur pater filiorum, sic ipse miseretur nostri. *Deinde, quamuis eum duris verbis increpauit, nihilominùs quod postulat concedit. Non enim in æternum irascitur, neque in æternum comminatur Deus, sed vt est Psal.* 29. ira *quidem* in indignatione eius, sed vita in voluntate eius. *Hinc de Christo scriptum est, Psal.* 88. Si dereliquerint filij eius legem meam, &c. visitabo in virgâ iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, verumtamen misericordiam meam non dispergam ab eis. *Sic Christus Regulum hic quem prius increpando terruerat, nunc summè consolatur dicẽs:* Vade, filius tuus viuit. *Hinc etiam discamus benè sperare de Deo etiam, cùm videtur iratus. Flagella enim Dei semper miscentur misericordiâ, ut pulchrè ac fusè docet Origenes Homil.* 5. *in Ezechielem, Chrysostomus Homil.* 9. & 17. & 18. 21. 24. 25. *in Genesim.*

Deus vt nostra condicendat infirmitati.

Deus etiam dum increpat & flagellat, misericors est.

Hactenus quæ à tentatione Christi vsque ad secundam eius in Galilæam reditum memorabilia contigerunt, à S. Lucâ prætermissa, ex S. Ioanne, qui ista fusè & accuratè descripsit, hic suo loco inseruimus; nunc iterum Lucâ cetera exactissimè recensentis textum prosequamur.

S. LVCÆ CAPVT IV.

a Math. 4, 13. Marc. 1, 14
14. ET a regressus est Iesus in virtute
Spiritus in Galilæam, & fama
exijt per vniuersam regionem de illo.
15. Et ipse docebat in synagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.
b Math. 13, 54 Marc. 6, 1. Ioan. 4, 45.
16. b Et venit Nazareth, vbi erat nutritus, & intrauit secundùm consuetudinem suam die sabbati in synagogam, & surrexit legere.
17. Et traditus est illi Liber Isaiæ Prophetæ. Et vt reuoluit librum, inuenit locum vbi scriptum erat.

Cyrillus Christi recessus in desertum.

15. VRBANAM deserens commorationem, eremum inhabitabat. Ibidem ieiunabat tentandus à diabolo, ibi vicit pro nobis, ibi contriuit capita draconum, ibi, vt beatus ait David, Inimici defecerunt frameæ in finem, & vrbes destructæ sunt; hoc est, qui erant instar turrium ac vrbium. Superato itaque diabolo, & humanâ naturâ brauijs ipsius coronatâ, reuersus est in Galilæam in virtute Spiritus, efficacitate suâ atque potentiâ vtens, plurimaq; diuina signa perficiens.

Psal. 9, 7.

VERS. 18. a Spiritus Domini super me: propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, a Isa. 61, 1

19. prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptabilem, & diem retributionis.

20. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in synagogâ oculi erant intendentes in eũ.

21. Cœpit autem dicere ad illos: Quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.

22. Et omnes testimonium illi dabant: & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, & dicebant: Nónne hic est filius Ioseph?

CYRILLVS

16. QVEMADMODVM quidem illud, Vnxit me, humanitati conuenit; (non enim vngitur diuina natura, sed quod nobis cognatum est;) sic etiam illud, Misit me, accommodandum humanitati.

BASILIVS. *Euangelizare pauperibus quid significet.*

17. Quid autem est illud, Euangelizare pauperibus? id est, Gentibus prædicare bona. Quid, Sanare contritos corde? hoc est, curare eos qui animam habent contritam à satanâ, qui, inquá, in peccatis ambulant, quoniam peccatum omnium maximè hominem prosternit. Econtrà verò Dauid prophetizans de aduentu Domini in carne, ac illum tam appropinquantem, & non procul distantem prænuntians, cecinit: Iuxtà est Dominus ijs qui tribulato sunt corde. Quãdoquidem enim medicus missus sit contritorum corde, Propè, inquit, Dominus est nobis, animans nos, & ad patientiam inducens per gaudium quod expectamus.

Psal. 33, 19

Psal. 146, 3

CHRYSOSTOMVS in Psal. 125. *Captiuitas quid significet in Scripturis.*

18. Captiuitatis nomen simplex quidem est, sed habet multas intelligentias. Est enim bona [captiuitas,] vt quando dicit Paulus: In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Est & mala, vt quando dicit: Captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis. Et etiam intellectualis, de quâ dicit: Prædicare captiuis remissionem. Est autem sensibilis illa quæ fit ab hostibus, quâ adhuc grauior est ista prior. Audi igitur quomodo miserum Iudam apprehendens peccati captiuitas illi non pepercerit, sed fecerit ipsum proditorem sacrilegum; & perpetrato iam peccato, in theatrum ipsum

2. Cor. 10, 5
2. ad Tim. 3, 6.
Isa. 61, 2.
Luc. 4, 18.

produxerit Iudæorum, & maleficium reuelauerit, & nec sic quidem ipsum pœnitentiæ fructum capere permiserit, sed à pœnitentiâ abducens eum ad laqueum adegerit. Est enim sæuus tyrannus qui impia præcipit præcepta, & eos qui sibi obediunt confundit. Ab hac spiritali captiuitate Christus nos liberauit.

ANNOTATIONES.

VERS. 16 ET VENIT NAZARETH.] Pro concordiâ nota hîc, Christum, cùm versu 14. dicitur regressus in Galilæam, præteriisse Nazareth, vt habet Matth. cap. 4. v. 13. & in Capharnaum aliisque locis prædicasse, eaque gessisse quæ narrat S. Matthæus à capite 4. ad 13. quæ hîc per ὕστερον πρότερον transilit S. Lucas; ac deinde multò pòst venit in Nazareth, vt hîc habet Lucas, & Matth. cap. 13. v. 54.

Christus quomodo Spiritu sancto vnctus, & ad quid.

NVM. 16. ad v. 18. Vnxit me.] Scilicet visibili vnctione seu Spiritus sancti missione in specie columbæ, accedente testimonio ipsius Dei Patris, dicentis, Hic est Filius meus, &c. quâ vnctione Christus quodammodò deputatus est ac consecratus in Doctorem & Prophetam. Ita Theophylactus ad hunc locum τὸ ἀφώρισε explicat. Nota, ex Hebræo nostrum aliter vertere in Isaiæ cap. 61. scilicet, eò quòd vnxit me, & tunc, vt ibidem vult Cornelius à Lapide, alia est accipienda vnctio, scilicet quâ in conceptione vnctus est gratiâ vnionis hypostaticæ, & habituali. Quia enim Christus hac gratiâ fuit vnctus, idcircò Spiritus Domini dicitur auctor huius gratiæ, quæ semper fuit super illum & cum illo, idque visibiliter ostendit in Baptismo. Rectè autem dicitur hîc nulla esse ταυτολογία, sed commoda reciprocatio: nam ex donis optimè colligitur inesse donorum auctor Spiritus sanctus; & contrà ex Spiritu sancto inhabitante, rectè colliguntur etiam adesse ipsa dona.

NVM. 17. Quid autem est illud, Euangelizare pauperibus?] Quæritur hîc, quinam hi sint pauperes. S. Basilius hîc intelligit τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, id est gentiles; in epistolâ autem 79. ad Eustathium πτωχὸν, id est pauperem vocat τὸν ἐνδεῶς ἔχοντα τῶν μεγάλων δογμάτων, hoc est egregiis disciplinis destitutum, καὶ περὶ τὴν σύνεσιν ἐνδεῶς ἔχοντας, & intelligentiâ carentes. S. Ambrosius hîc accipit spiritualiter, scilicet per peccatum pauperes, id est gratiâ & salute destitutos, maximè qui se tales esse agnoscunt. His euangelizauit, id est hos docuit & consolatus est Christus. S. Hieronymus in c. 61. Isaiæ & alii, accipiunt pauperes spiritu, his enim euangelizauit Christus, dicens, Beati pauperes spiritu. Clarissimè autem pauperes hîc sunt plebeii, inopes, puta Apostoli & turba quæ Christum sequebantur, eumque receperunt; Pharisæis & diuitibus ei se opponentibus.

Quid sit sanare contritos, dare cæcis visum, dimittere confractos.

IBIDEM. Quid, Sanare contritos corde?] S. Basilius ait, hîc contritos vocari eos qui à diabolo oppressi sunt. Theophylactus intelligit τοὺς ἐξ Ἰσραήλ, id est Israëlitas, qui videlicet ob peccata sua & legis Moysaicæ onus afflicto erant animo. Cyrillus in Catenâ aureâ vocat contritos corde, debiles, fragilem mentem habentes, qui nequeunt resistere suis passionibus. Nota, quod pro cæcis visum, Hebræi & noster in Isaia cap. 61. habeant, clausis apertionem, sed phrasi sine dubio Hebraicâ, quam explicant Septuaginta & D. Lucas, vertentes cæcis visum. Hebræi enim clausos scilicet oculis vocant cæcos, & apertionem vocant illuminationem; alioquin enim non distinguerentur à captiuis qui præcesserunt. Illud autem, dimittere confractos, non est in Hebræo, sed paraphrasticè addit S. Lucas. Confractos ergo vocat eos, qui carcere & seruitute atque onere diaboli & peccati obstricti, ac quodammodo obtriti erant, tum spiritualiter, tum corporaliter, vti erant infirmi & dæmoniaci quos curauit & liberauit Christus.

Tempus Christi est tempus acceptabile & salutis.

VERS. 19. ANNVM DOMINI ACCEPTABILEM.] S. Hieronymus vertit annum placabilem, Septuaginta δεκτὸν, quasi dicas, annum diuinæ beneuolentiæ & liberalitatis, qualis erat annus iubileus, ad quem hîc alluditur. Erat enim typus huius anni & temporis Euangelici: vnde etiam totum tempus prædicationis Christi, & deinceps Christo obedientibus, atque eius libertatem acceptantibus fuit annus iubileus, id est annus primò misericordiæ, secundò pacis, tertiò libertatis, quartò remissionis, quintò salutis, in quo post longam Dei iram in nos, restituimur in eius gratiam, acceptationem, beneuolentiam, hereditatem, gloriam, libertatem, omniaque bona pristina. Vnde probabilius videtur, loco isto Isaiam ad litteram loqui non de liberatione à captiuitate Babylonicâ per Cyrum, sed diaboli & peccati per Christum: tum quia illum locum sic intelligit & explicat S. Lucas; tum quia Cyrus nulli visum legitur restituisse, sed Christus. Atque alia etiam angustiora sunt, quàm vt temporibus Cyri conueniant. Fateor tamen eò alludi; nam Cyrus Christi veri liberatoris typum gessit.

VERS. 23. Et ait illis: Vtique dicetis mihi hanc similitudinem: Medice cura teipsum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patriâ tuâ.

24. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ.

19. TV verò considera post quantum temporis, quantamque signorum manifestationem ad ipsos venerit, & nec sic quidem ipsum sustinuerint, quin rursus odio inflammarentur. Quocircà nec fecit ibi signa multa, ne maius supplicium illis accerseretur. Quâ de causâ igitur etiam pauca patrauit? ne dicerent, Medice cura teipsum. Et quoniam hostis noster & inimicus est, & domesticos ac familiares despicit, quia, si factum fuisset signum, etiam nos credidissemus; idcircò etiam [signa] fecit, & [rursus ea] cohibuit, partim quidem vt partes suas expleret, partim verò ne maioris illos criminis reos perageret. Considera autem magistri æquanimitatem, vt non indignetur, sed cum multâ mansuetudine responderit per modum iuramenti, Amen; præponens in confirmationem eorum quæ dicebantur, Quia nemo Propheta acceptus est in patriâ suâ, & quæ sequuntur.

CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom. 49.

Vbi Christus signa faciat, vbi non.

ANNOTATIONES.

MEDICE CVRA TEIPSVM.] Commune, inquit CYRILLVS in Catenâ aureâ, prouerbium erat apud Iudæos ad improperium excogitatum: clamabant VERS. 23

mabant enim aliqui contra Medicos infirmos, Medice cura teipsum. *Quasi dicerent, vt habet Glossa, qui hic Capharnaum plures te curasse audiuimus, cura etiam teipsum, id est, fac similiter in tuâ ciuitate vbi conceptus es & nutritus. Origenes autem Hom. 23. in Lucam obseruat, quòd quantum ad historiam pertinet, Christus nondum describatur apud Lucam aliquod signum in Capharnaum exhibuisse: quin imò antequam veniret in Capharnaum, in Nazareth dixisse legitur quæcumque audiuimus facta in Capharnaum. Vnde putat in præsenti sermone aliquid latitare mysterij, & Nazareth esse typum Iudæorum, Capharnaum typum gentium. Erit enim tempus quando dicturus est populus Israel, Quæ ostendisti vniuerso orbi, ostende & nobis, prædica sermonem tuum populo Israel, vt saltem cùm subintrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israel saluus fiat.*

S. AMBROSIVS *in Psal. 37. ad illud*, Medice cura teipsum; Si medicus, *inquit*, quantò magis reus priùs curare se debet? Confiteris peccatum tuum, & medicum te profiteris in alienum? Et si veritatis est quod retorques, temporis nō est. Peccatori enim dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Vsurpas tibi vt de lege arguas, qui contra legem ipse fecisti? Quid lacrymarum tempus amittis?

Iniqua Nazarenorum erga Christum indignatio. *Considerandа autem hic est Nazarenorum ingratitudo & iniqua erga Christum indignatio. Nam cùm multa in illos Dominus beneficia contulisset, in synagogâ prædicando, infirmos curando, quos impositis manibus sanauit, nihilominùs quasi nullum signum fecisset dicunt*, Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hîc in patriâ tuâ. *Vbi manifestò se prodit hominum ingenium, vt plurimum nihili facientium quidquid illis contuleris, nisi quæ cupiunt etiam addideris. Tales vtique erant ingrati & increduli Iudæi qui in Nazareth morabantur, vt eorum malitiam perpendens S. Marcus cap. 6. dixerit:* Et non poterat ibi virtutem vllam facere: *hoc est, non erat consentaneū, sicut idem dicit cap. 2.* Non possunt filij sponsi ieiunare, quamdiu cum illis est sponsus, *id est, non est rationi cōsonum vt ieiunent. Quamquam autem tales essent viri Nazareni, curauit tamen eorum infirmos, aliaque non modica ipsis contulit beneficia, quæ parui pendebant ingrati, alia exspectantes, & maiora desiderantes, priorum obliti. Ita Israëlitico quondam populo Deus cùm innumera, quæ in Exodo recensentur, beneficia contulisset, si aquam & carnes desideranti illa Deus continuò non præstabat, omnium ingratus ille populus beneficiorum oblitus, conquerebatur quòd noua semper, prout somniabat, non porrigerentur.*

Cur plerumque non ita quis honoretur in patriâ suâ. VERS. 24. AMEN DICO VOBIS, QVIA NEMO PROPHETA ACCEPTVS EST IN PATRIA SVA.] *Primò propter ingenitam quamdam inter conciues inuidiam, quâ fit vt æqualis æqualem non ferat præ se honorari, & multò minùs senior iuniorem, superior eum quem generis nobilitate aut diuitijs credit inferiorem. Et quia Nazareni Christum Dominum fabrum & filium fabri credebant, ex contemptibilibus parentibus ortum, ex infimâ plebe natum, cùm eum viderent signis ac miraculis superiorem, in totâ prouinciâ Galilææ omnibus prælatum, id ferre patienter non poterant, sicut nec patres eorum, Prophetas, qui ad istud munus ex humili assumebantur. Benè audiebat Dominus apud extraneos, vtputa Samaritanos, tametsi alioquin scelestissimos. Sic etiam 3. Reg. 19. Elias à Sidonijs, Eliseus à Syris colebantur, multis grauissimisque à suis affecti iniurijs, à quibus exulabat Elias, & abscondebatur Eliseus, ne perirent.*

Secundò Propheta non est acceptus in patriâ suâ propter familiaritatem, quæ contemptum parit, scilicet quòd per eam obseruentur & cognoscantur humanæ imperfectiones aut quæ hominum iudicio habentur imperfecta. Ne itaque doctrinâ contemptâ pœnam incredulitatis sibi conduplicarent, Christus Nazareth relinquit.

VERS. 25. In veritate dico vobis,
" multæ viduæ erant in diebus Eliæ in " 3. Reg. 17. 9.
Israel, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terrâ:

26. & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad mulierem viduam.

27. " Et multi leprosi erant in Israel " 4. Reg. 5. 14.
sub Eliseo prophetâ: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.

28. Et repleti sunt omnes in synagogâ irâ, hæc audientes.

29. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.

30. Ipse autem transiens per medium illorum, ibat.

31. " Et descendit in Capharnaum " Matth. 4. 13. Marc. 1. 21 Matth. 7. 28.
ciuitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis.

32. Et stupebant in doctrinâ eius, quia in potestate erat sermo ipsius.

CYRILLVS Electi semper pauci fuerunt. 20. QVANDOQVIDEM enim, vt inquit, impletis de ipso Prophetijs, stabiliuntur nonnulli Iudæi, partim per sanctos Prophetas, partim etiam per signa illustria ab illis edita; eximit vtiliter ipsis talem opinionem, dicens, Eliam ad vnicam viduam fuisse missum, quin & vnicum quoque ab Eliseo prophetâ Naaman Syrum à leprâ fuisse curatum: per hæc significans, quòd Ecclesiam ex Gentibus esset suscepturus, & à spiritali leprâ liberaturus ob duritiem Israel.

BASILIVS in diuites auaros. Ieiunij medicina. 21. Vbi enim aspexit ex saturitate non modicum generari opprobrium, necessariò illis inuoluntarium ex fame ieiunium attulit: quo culpam eorum, quæ in immensum crescebat, cohibuit, non secùs ac quadam adustione incisionéve per ieiunium mali tanti progressum vlteriorem præscindens. Ac Eliam quidem Carmelus mons sublimis & inhabitabilis habuit; verùm anima iusto erat instar omnium, & viaticum vitæ, spes in Deo: & cùm ita viueret, fame tamen exstinctus non fuit; sed auium rapacissimi ac vo-

racissimi corui cibum ei attulere, & qui alienas solebant escas inuadere, viro iusto ministri fuere, ac propriæ oblitæ naturæ, Dominico præcepto paruerunt, fideles custodes effecti panum ac carnium. Hæc enim eos nos viro Dei attulisse, ex sacrâ historiâ didicimus.

CHRYSOSTOMVS. *Elias vadit in Sarepta.* 3. Reg. 17, 9.

22. Quando autem exsiccatus erat fluuius ex quo potum vir iustus hauriebat, Vade, inquiebat Deus, in Sarepta Sidoniæ; illic mandabo mulieri viduę vt pascat te. Hoc autem pro aliquo factum est: nam cùm Elias quæ facta erant ignoraret, excitabat eum Deus, ac iubebat plurimum terræ peragrare vsque in Sidoniam, vt vniuersalem cernens calamitatem, rogaret Dominum vt largiretur ipsis imbrem.

NAZIANZENVS. *Elias à coruo nutritus.*

23. Quæsiuerit hîc fortassis aliquis, quomodo Propheta, cùm sanctus esset, ac in lege probè instructus, cibum à coruo allatum gustauerit. Quia nempe ipse legislator per coruum illi hunc obtulerat. Nam & iusserat quoque ipsi vt in torrente Chobath commoraretur, promittens se illi per coruum cibos subministraturum, & promissa compleuit. Adferebant enim corui panem manè, vesperi verò carneos. Docet autem nos per hoc legislator, quòd propter Iudæorum infirmitatem tales leges tulerit, quas & ipse aliquando transgredi iusserit: nam in sabbato Propheram Iosue & Eleazarú Pontificem, cum omnibus sacerdotibus ac Leuitis populoque vniuerso septies Ierichuntis mœnia circuire iussit, vti & nunc magnum illum Eliam cibum per coruum allatum sumere. Quandoque etiam istiusmodi legum transgressores non reprehendit: Samson siquidem ob ebrietatem lasciuiamque gratiâ priuatus fuit, ob fauum verò mellis ex demortui leonis ore, vbi eum apes texuerant, desumptum, ne reprehensus quidem. Quamobrem autem iubebat eum Deus ad viduam alienigenam accedere? Ego autem existimo in hac ex gentibus Ecclesiam fuisse præfiguratam: nam fidelem quem Israelitæ persequebantur suscepit, sicut etiam Ecclesia Apostolos ab ijsdem expulsos.

BASILIVS in diuites auaros.

24. Ex paruo quoque largiri ne verere. Licet enim vnicus tantùm tibi suppetat panis, adstet autem præ foribus rogator, illum ipsum vnicum panem è penu deprome, ac tendens ad cælum manus, in misericordiæ benignitatisque hæc verba prorumpe: Vnicus mihi hic panis reliquus est Domine quem vides, periculo imminente; verum tuum mihi ob oculos præceptum pono, & de modico hoc esurienti fratri tribuo. Tu etiam succurre periclitanti seruo tuo. Noui tuam bonitatem, confido potentiæ, te non ad longum tempus gratiam tuam dilaturum, sed breui, cum tibi placuerit, munificentiæ tuæ munera collaturum. Quòd si sic locutus fueris ac feceris, panis quem in hac dabis angustiâ, agriculturæ semen accopiam suppeditabit, multiplicemque tibi fructum proferet. Dic etiam illud Sidoniæ mulieris, in simili euentu: Viuit Dominus, quoniam hunc solum in domo habeo in cibum mihi liberisque. Et si dederis ex eo quod tibi superest, habebis & tu lecythum olei diuinâ gratiâ exuberantem, & farinæ hydriam minimè vacuam. In fidelibus enim liberalibus Dei gratia imitatur puteos, qui continuò exhausti deficiunt, sed duplum rependit.

Eleëmosyna pauperum Deo gratissima.

3. Reg. 17, 12.

Vis liberalitatis.

NILVS. 3. Reg. 18, 18. *Elisei excelsus animus.*

25. Qualibus enim armis, qualive potentiâ fretus ad Achab dixit Elia: Non euerto ego Israel; sed tu & domus patris tui? Quomodo autẽ Eliseus, coacto ad bellum exercitu duorum Regum Israel & Iuda, dixit ad Achab: Viuit Dominus virtutum, cui adstiti coram eo, quia nisi faciem Iosaphat ego sumerem, si respexissem ad te, & vidissem te; nec exercitum coactum timens, neque iram pertimescens Regis, quem belli tempore verosimile erat ob instans certamen, irrationalibus animi motibus perturbatum fuisse? Hæc autem faciebant, quandoquidem animæ vitam dumtaxat æstimabant, corpus ac corporis necessitates auersari: & omnibus hoc ipso sublimiores euadebant, quod nullo indigebant. Corpus enim deserere, & vitam hanc quæ in carne ducitur, commutare potius exoptabant, quàm virtutis decus prostituere, & propter necessitatem corporalem diuiti cuipiam adulari. Nos verò in necessitate aliquâ constituti (quemadmodum catelli adblandiente motu caudæ adulantur ijs qui illis nudum fortassis os aliquod micásve objiciunt) sic ad ditiores accurrimus, & omnem ijs virtutem inesse testamur, tametsi in extremâ viuant malitiâ. Quod hic attentamus, maius est quàm vt perficere valeamus. Venit ad Eliseum quondam Naaman Dux exercitus [Regis] Syrię, multa secum adferens dona. Quid igitur Propheta? Non occurrebat, non obuiàm procedebat, sed illi per puerum aliquem necessitatem propter quam aduenerat declarabat, ne ad aspectum quidem ipsum admittens, ne propter illa quæ attulerat curasse illum putaretur. Ipsum itaque curauit in Iordane baptizari iubens, munera verò non attigit, sed puerum Giezi, cùm illa sustulisset latere existimans, lepræ illius heredem constituit. Quòd si libet, vtriusque Prophetæ huius miracula recenseamus.

4. Reg. 3.

Munerum contemptus.

4. Reg. 5, 9

NAZIANZENVS in Iambis.

26. Hæc miracula Eliæ sunt Thesbitæ.
A coruis primùm altus est, ac posteà

Nutri-

Miracula Eliæ.

Nutriuit ipse viduam perquam amplè Sarephthiam
Paucis olei ac farinæ reliquijs;
Cuius etiam filium à mortuis suo anhelitu
Suscitauit. Pluuiã inhibuit ex [parte] Dei.
Deinde oratione præparatam tradidit victimam deuorandam
Igne nouo, nouaque ratione: & abstinuit
A cibis, nihil gustans per plurimos dies.
Combussit duos volentes Duces agere.
Iordanem pertransijt, eum pallio secans.
Igneo verò curru ascendit ad cælum:
Simul etiam & munus & gratiam Eliseo
Reliquit. Intuere quoque huius miracula.

Miracula Elisei.

Iordanem pertransijt, eum pallio diuidens.
Fontes ciuitatis sale fertiles reddidit,
Pueros conuitiantes per feras perdidit.
Sitienti fluuium ex Edom eduxit
Exercitui. Mulierem à debito liberauit
Per fontes olei. Sunamitidi verò
Filium demortuum rursus reddidit.
Corruptionem expulit ab herbis, & plurimis
Exemit famem exiguo cibo.
Naaman autem à leprâ mundauit Syrum.
Immittit Giezi morbum. Deinde asciam
Enatare fecit ex fundo ad summitatem Iordanis.
Syrios verò visionibus captos occæcans
Tradidit hostibus, ac deinde exercitum saturauit.
Expulit lepras, & mortuus mortuum
Suscitauit, positum iuxta ossa ipsius.

ANNOTATIONES.

Nvm. 21

AC Eliam quidẽ Carmelus mons sublimis & inhabitabilis habuit.] *Græce est*, Καὶ τὸν μὲν ὁ μακάριος εἶχεν ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀοίκατον. *forte* ἄοικον. Et ipsum quidẽ sanctus habebat mons sublimem & extorrem. *Hoc legitur apud S. Basiliũ nonnihil aliter, & melius, nempe*, Ἠλίας εἶχεν ὁ Κάρμηλος, ὄρος ὑψηλὸν καὶ ἀοίκητον, *& addit* τὸ, ἔρημος ἔρημον. Eliam Carmelus mons sublimis & inhabitabilis, solitudo solitariũ habuit. *Olympiodorus in Catenâ in Ieremiæ c, 2. de Carmelo ait*: Ὄρος τοῦτο τῆς Παλαιστίνης. ἑρμηνεύεται δὲ ἐπίγνωσις περιτομῆς, δι' ἧς ἀποτέμνομεν τὰ ἀγαθὰ ἀπὸ τῶν φαύλων. *Id est*: Palæstinæ mons hic: interpretatur autem Recognitio circumcisionis, per quam bona à malis recidimus. *Chrysostomus ibidem in Catenâ contrà quàm hic Basilius, Carmelum fertilem esse ait, de eo dicens*: Ἀπὸ τοῦ τόπου τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας λέγει. Ὁ δὲ Κάρμηλος ὄν πίονα γῆν ἔχων, καὶ γενναίους φέρων τοὺς καρπούς. Per locum hunc Terram promissionis significat. Carmelus autem & terram pinguem habebat, & fructus producebat generosos.

Vers. 32. *Græcè est*: Ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ. *id est*: Qvia in potestate erat sermo ipsivs. *Marci. v. 22. est*: Ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων καὶ οὐχ ὡς Γραμματεῖς. Erat enim docẽs eos quasi potestatẽ habens, & non sicut Scribæ. *Primò, quia Scribæ docebant vt legis interpretes, Christus verò vt legislator, cum cælesti scientiâ, auctoritate, efficaciâ ad perseuerandum. Ita Beda & Theophylactus hic. Secundò, quia non opes, non plausum quærebat, vt Scribæ, sed tantùm Dei gloriam, & hominum salutem. Tertiò, quia non verbo tantùm, vt Scribæ, sed & opere docebat & exemplo. Ita S. Gregorius lib. 3. Moralium cap. 7. Quartò, quia miraculis eam confirmabat, vt patet hoc loco ex eiectione dæmonum. Quintò, quia exterius docendo etiam stupidissimos reddebat doctos; nam interiùs illuminabat mentem, & inflammabat affectum. Quibus vltimò adde excellentem Christi doctrinam, eiusque vtilitatem, rectitudinem & consummatam perfectionẽ, in ijs omnibus quæ mores spectant.*

Vers. 33. [n] Et in synagogâ erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magnâ, [n] Marc. 1, 23.

34. dicens: Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis, Sanctus Dei.

27. DÆmon autem cùm diceret, Scio te, non verè ipsum sciebat, sed verbis simulabat, tametsi vera loquebatur. Verè enim dicebat, Tu es Sanctus Dei, attamen [Christus] inhibebat ac loqui vetabat, ne quãdo veritati quid vitij de suo aspergeret, vtque nos assuefaceret talibus numquam attendere, tametsi videantur vera dicere. Etenim indecens est nos qui sacram habemus Scripturam, & à Saluatore libertatem, doceri à diabolo, qui proprium ordinem non seruauit, sed alia pro alijs comminiscitur. Idcircò etiam ipsum verba Scripturæ proferentem prohibet, dicens: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Fideles vtique possunt [eruditi] ab ipsâ voce paternâ dicẽre, Hic est Filius meus dilectus, & ab adorantibus ipsum Angelis, sanctisque discipulis de ipso scribentibus, quòd ipse solus sit Filius ac Verbum Dei. Arriani verò quandoquidem intellectum non habeant perpurgatum, nec diuinos viros Theologosque audire possint, à sui similibus dæmonijs discant, quòd non quasi multos existentes prædicarint, sed vnum solum agnoscentes dixerint, Tu es Sanctus Dei, & Filius Dei. Etenim qui illis hæresim suggessit, non dixit, Tu es sanctus Dei, quasi adhuc alij sint; sed, Tu es sanctus Dei, tamquam qui solus sit. Pulchra est igitur ista articuli additio: vnicus enim est naturâ sanctus, cuius participatione quoque ceteri fiunt sancti.

Athanasius in Vita S. Antonij.

Diabolis non attendendum, etiam verè dicentibus.

Psal. 49, 16

Vers. 35. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cùm proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilque illũ nocuit.

36. Et factus est pauor in omnibus, &

& colloquebantur ad inuicem, dicentes: Quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus?

37. Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum regionis.

28. QVAMOBREM autem proiecit eum, & quare Dominus id permisit, cùm loqueretur vt homo sobrius, & tamquam sui compos verba proferret? Verùm quòd essent verba dæmonis, & lingua hominis, & qui præsentes aderant existimarent ipsum non ex dæmonio prauo sed ex animi sui sententiâ locutum fuisse, permisit ipsi vt hominem proijceret, vt manifestum fieret dæmonium esse illud quod loquebatur, & non hominem. Exiuit autem ab illo nihil ipsi nocens: proijcere enim tantummodò permissus fuerat, & nihil amplius.

Dæmon per os hominis loquitur.

ANNOTATIONES.

NVM. 27 SCIO TE.] *Nota, ex S. Athanasio hic, & Patribus passim in hunc D. Lucæ locum, vti & in Matthæi 4. patere, dæmones, licet in Baptismo Christum & anteà non planè cognouerint, ideoque vt cognoscerent tentarint, tamen posteà ex miraculis, quæ euidenter ipsi videbant esse miracula, & à Christo fiebant in signum quo se manifestè probaret ac proderet esse Messiam, id planè & omnino cognoscere potuisse vtrumque, maximè conferendo cum Scripturis ac Prophetijs quæ erant de Christo. Ex alia tamen parte cogitantes magnitudinem mysterij tantæ dignationis & humilitatis, quod naturaliter videbatur incredibile, maximè superbissimo dæmoni, adhuc hæsitasse, imo ignorasse huius mysterij fructum & finem, scilicet per mortem Christi homines redimendos, suum euertendum, Dei verò regnum erigendum esse; excæcante nimirum illos odio Christi, quem quia virum sanctissimum videbant, omnino oppugnandum & euertendum sibi sumpserant: quo factum est, vt Scripturas alioquin claras de Christi morte, & nostrâ per eam redemptione, vel non considerarent, vel non intelligerent, & ita Christum per Iudæos occiderent, & nescientes ita regnum suum euerterent, vt pulchrè S. Leo Sermone 9. de Passione describit.*

VERS. 38. Surgens autem Iesus de synagogâ, introiuit in domũ Simonis. Matth. 8, 14. Marc. 1, 30. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illũ pro eâ.

39. Et stans super illam, imperauit febri: & dimisit illam. Et continuò surgens ministrabat illis.

CHRYSOSTOMVS Hom. 28. in Matth. Matth. 8, 15. 29. QVAM ob causam introiuit in domum Petri? Mihi videtur vt cibum sumeret. Hoc vtique significauit [Euangelista] dicens, Surrexit & ministrabat ei. Apud discipulos enim diuertebat, hoc honore illos afficiens, quò eos redderet promptiores. Considera verò quales fuerint istorum piscatorum domus. Attamen non dedignabatur humiles illorum casas ingredi, docens se in omnibus humanum fastum conculcare.

Christus ad discipulos pauperes diuertebat.

CYRILLVS 30. Sed & nos igitur suscipiamus Iesum. Cùm enim ad nos ingressus fuerit, ipsumq; mente ac corde continebimus, tunc enormium voluptatum æstum extinguet, nos suscitabit, & robustiores faciet apparere (nimirum in spiritu) vt ministremus ei, hoc est ei beneplacita peragamus.

ANNOTATIONES.

VERS. 38 SOCRVS AVTEM SIMONIS TENEBATVR MAGNIS FEBRIBVS.] S. AMBROSIVS *ad illum locum ita pulchrè moraliter:* Fortassis etiam in typo mulieris illius socrus Simonis & Andreæ varijs criminum febribus caro nostra languebat, & diuersarum cupiditatum immodicis æstuabat illecebris. Nec minorem febrim amoris esse dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum febris, hæc corpus inflammat. Febris enim nostra, auaritia est; febris nostra, libido est; eò quòd ignitæ sint cupiditates. vnde & Apostolus ait: Si non se continent, nubant; melius est nubere, quàm vri. Febris nostra, luxuria est; febris nostra, ambitio est; febris nostra, iracundia est. Quæ licet corporis vitia sint, ignem tamen ossibus implicant, mentem, animum, sensumque pertentant. Hæc prior diaboli sollicitatur arte: etenim ager bonus, vestis, monile, suadela serpentis est. Honorum gratia, sublimitas potestatum, epularum suauitas, forma meretricis, laqueus est diaboli, & quasi quidam nequitiæ spiritalis illecebrosus afflatus, qui per carnis illecebram, quæ citò fœmineâ quadam leuitate mollitur, animum quoque de gradu deijcit. Neque enim formam mulieris animus priùs, quàm corporis oculus concupiscit. Denique quod non videris, non amabis: sed vbi caro concupierit, compatientis quoque animi constantia defatiscit, & mens consortio amoris inflectitur. Duo enim in carne vnâ sunt, ad quam mors irrepit sceleris effectu, tentante diabolo, carne suadente. Vehementior tamen est animi quàm corporis febris, & ideò pro animi voluntate corporis salus plerumque contemnitur, nec à periculis abstinetur. Vnde non alienum videtur repetere, quemadmodum Theotimus cùm graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdictâ sibi à Medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, & impetu libidinis raptus se moderari nequiuerit. Sciens enim prudensque quòd esset oculos amissurus, priusquam conueniret vxori, in ipso æstu feruentis cupiditatis, & consuetudinis apparatu, Vale, inquit, amicum lumen. Sic febre libido flagrantior est, grauiusque præcipitat & inflammat. Sed vbi quis resipuerit à furore, tunc conscientiæ interioris visus aperitur, factique succedit pœnitentia, & pudenda sui vnusquisque facinoris erubescit, &c.

Peccata & vitia sunt febres animæ.

IDEM *ad illa verba,* ET ROGAVERVNT ILLVM PRO EA, *lib. de Viduis tomo 4. sic ait:* Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent. Habes Apostolos proximos, habes martyres proximos, si deuotione eis appropinques. Ama propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, vt pro te rogent, & recedant

Sanctos in ægritudine spirituali constituti inuocare debemus.

dant cupiditates tuæ verbo Dei pulsæ. Ergo rogauerunt pro viduâ Petrus & Andreas. Vtinam existat aliquis, qui tam citò possit rogare pro nobis, vel certè iste, qui pro socru rogat, Petrus & Andreas frater eius. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Ægri, nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare nō possunt. Ad Medici illius sedem debitè non potest explicare vestigium. Obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt: martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrimonium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiamsi quæ habuerunt peccata, lauerunt. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cùm viuerent, cognouerunt.

VERS.40. Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebāt infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos.

ORIGENES. *Cur infirmi circa vesperam ad Christum adducti.*

31. CIRCA solis occasum verò illos adducebant, vel quia de die pudebat illos, vel Pharisæos metuebant, aut certè alijs negotijs detenti erant, vel fortè quia putabant non licere sanare in Sabbato. Annotauit enim Euangelista, quòd erat docēs illos in Sabbato. Idcircò circa solis occasum illi qui ipsum accedebant malè habentes adducebant. Ipse autem sanabat eos.

CHRYSOSTOMVS in Matth.

32. Curabat autem Dominus sæpè quidem verbo, sæpenumerò quoque opere. Nonnumquam verò etiam manum extendebat, quando nempe erant infirmiores in fide, ne videretur id casu aut sponte suâ peragi.

" Marc. 1, 34.

VERS.41. "Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

CHRYSOSTOMVS. *Christus prohibet dæmonia loqui.*

33. PERCIPE [Christi] humilitatem: non sinebat vt immundi dæmones eum prædicarent. Non enim oportebat eos surripere officij Apostolici gloriam, sed nec decebat Christi mysterium linguâ coinquinatâ publicari. Itaque tametsi quid veri proferant, nemo illis fidem adhibeat. Non enim per tenebras lux cognoscitur, quemadmodum Christi docet discipulus, dicens: Nam quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial?

2.Cor.6, 14.

VERS.42. Factâ autem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum: & detinebant illum ne discederet ab eis.

43. Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideò missus sum.

44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

CYRILLVS

34. ABIENS igitur in desertum, vt Marcus ait, orabat, non quòd ipse oratione indigeret, (quippe qui omnium preces suscipiat) sed dispensatorio modo id ageret, vt nobis bonæ operationis forma fieret. Quòd autem Marcus quidem dicat Apostolos ad eum peruenisse dicentes, Quia omnes quærunt te; Lucas verò [quòd requirebant eum] turbæ, non discrepant ab inuicem. Illa enim simul consistunt, post Apostolos etiam turbam ad Christum sensim penetrasse. Dominus autem gaudebat quidem se detineri, verumtamen vt se dimitterent, præcipiebat vt alij etiam doctrinæ eius participes fierent, quasi tempore suæ præsentiæ non multùm duraturo. Et Marcus quidem subiungit, Ad hoc enim veni, Diuinitatis suæ auctoritatem, ac voluntariam exinanitionem insinuans; Lucas verò dicit, Ideò missus sum, dispensationem ostendens, nec non beneplacitum Patris missionem nominans. Et ille quidem simpliciter dicit, Vt prædicem; hic verò, Regnum Dei [adiunxit] quod est ipse Christus.

Marc.1,37

Marc.1,38

Luc.4,41.

S. LVCÆ CAPVT V.

1. FACTVM est autem, cùm turbæ irruerent in eum vt audirent verbum Dei: & ipse stabat secus stagnum Genezareth.

2. Et vidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descendetant & lauabant retia.

CYRILLVS

1. SVNT autem etiam Galilææ duæ, quarum quidem vna in Iudæâ, altera verò Phœniciæ ciuitatibus confinis & vicina est. Ambulans igitur Saluator iuxta mare Galilææ, hoc est ad stagnum Tiberiadis, delectum fecit discipulorum. Quòd autem non vna sit Galilæa, dixit alibi quoque Deus per vnum ex Prophetis: Quid vos mihi Tyrus & Sidon, & omnis Galilæa alienigenarum? & Isaias: Galilæa gentium, populus qui sedet. Galilæi itaque non soli illi sunt, qui in Iudæâ, sed & omnes gētes. Galilæa, enim inquit, gentium.

Galilæa duplex.

Ioel.3.4.

Isa.9,1.

ANNO-

ANNOTATIONES.

NVM. I. *Galilaa duplex.*

SVNT autem etiam Galilææ duæ, quarum quidem vna in Iudæâ.] *Nimirum quæ inferior Galilaa dicitur, qua sita est in tribu Issachar & Zabulon, in quâ erat Nazareth, cuius Herodes Antipas erat Tetrarcha.* Altera verò Phœniciæ ciuitatibus confinis & vicina est.] *Quæ & superior Galilaa nuncupatur, & sita est in tribu Aser & Nephthalim, in quâ erat Bethsaida, Corozaim, Capharnaū, quæ & Gentium dicebatur, quia erat vicina Tyris & Sidonijs, & Phœnicibus, & quia à Gentibus multis habitabatur, ex donatione Salomonis factâ Joram Regi Tyri, 3. Reg. 9. 11. Plura vide apud Adrichomium in Galilaâ. Christus ergo ex Nazareth & inferiori Galilaâ, ne ab Herode eius Tetrarchâ comprehenderetur, secessit in superiorem, quam & miraculis illustrauit.*

Locus autem Ioëlis 3. v. 4. qui hic citatur hoc modo, τί ὑμεῖς ἐμοί; quid vos mihi? *in Complutensi est,* καίγε τί ἐμοὶ καὶ ὑμῖν; *& apud S. Hieronymū,* quid mihi & vobis? *& pro* Γαλιλαία, *ponit Aquila* Θῖνες, *quod Symmachus* terminos *transtulit.*

Ibidem locus Isaia. Ο' λαὸς ὁ καθήμενος, populus sedens, *legitur in Septuaginta,* ὁ λαὸς ὁ πορευόμενος ἐν σκότει, populus ambulans in tenebris.

VERS. 3. Ascendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terrâ reducere pusillum. Et sedens docebat de naniculâ turbas.

NAZIANZENVS Orat. 31.

2. FIT piscator, & omnibus condescendit, vt è profundo piscem extrahar, hominem nempe in fluxis rebus, & amaris vitæ huius procellis natitantem. Et quod mirandum est, piscator quidem in mari est, in terrâ verò pisces.

VERS. 4. Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.

5. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.

6. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.

7. Et annuerunt socijs, qui erant in aliâ naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.

8. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicēs: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.

9. Stupor enim circumdederat eum, & omnes qui cum illo erant, in capturâ piscium, quam ceperant.

CYRILLVS

3. POST sufficientem igitur doctrinam, cùm oporteret etiam opus aliquod diuinum istis verbis adiungere, in vtilitatem prospectantium iussit Petro paululùm à terrâ soluere, ac laxare in capturam rete. Illi verò dicebant, se totâ quidem nocte laborasse, cepisse autem nihil. Verumtamen in nomine Christi laxabant rete, & confestim refertum habebant prædâ, vt per rem tam euidentem, & tamquam ex typo imagineque miraculi facti, certum illis exploratumque fieret, laborem eorum mercede non cariturum, nec infructuosam fore diligentiam, quam erant adhibituri in mystico reti Euangelico explicando, sed in eo omnes omnium gentium greges conclusuros esse. Obserua verò illud, quòd Petrus & qui cum ipso erant, non possent adducere rete; ac idcircò præ timore ac consternatione non ausi fuerint loqui, præ admiratione enim obmutuerant. Et annuerunt, inquit, socijs. vt videlicet ex piscatorum institutis, ipsis opem ferrent, & prædam in vado collocarent. Multi enim sanctis Apostolis collaborarunt, & collaborant, ac præ ceteris quidem illi qui sacras Euangeliorum Scripturas ediderunt, & post illos alij pastores ac populorū præsides, & in veritatis doctrinā periti. Adducitur enim etiamnum rete, replente illud Christo, & vocante ad conuersionē eos qui, sicut scriptum est, in profundo maris, hoc est in æstu ac fluctibus huius mundi versantur.

In nomine Domini laxantes rete, multos capiunt.

Qui sint conductores Apostolorum.

MACARIVS ARCHIEP.

4. Cùm non sit facilè aliquem reperire qui ex tentationibus melior euadat, gratias oportet agere Deo in omni euentu. Nisi nocturna prǣda Petro fuisset elapsa, non vtique diurnam adeptus esset. Nisi Paulus sensibiliter fuisset excæcatus, spiritualiter non vidisset. Nisi blasphemiæ Stephanus calumniam sustinuisset, non vtique cælis ipsi apertis Dominum conspexisset. Verùm quod proponitur in considerationem quoque adducere libet. Ante Domini aduentum nox erat per vniuersam vitam, & ignoratio Dei, quo tempore Prophetæ multum laborantes nullum Iudæorum sermone suo flectere potuerunt, sed nec gentilium, qui omnes praui pisces erant ac fugiebant. Si enim Iudæi manserint infideles, quid dicat quis de alijs nationibus? Quando verò factum erit diluculum, & Sol iustitiæ illucescebat, qui illuminat corda hominum & educit è tenebris ignorantiæ ad lumen cognitionis Dei, tunc Apostolicum rete, laxatum fuit, hoc est sermones Apostolorum, seu prædicatio Euangelica, & magnam hominum prædam adepti sunt. Quòd autem laxaretur in nomine Domini rete denotat quòd per apparentem stultitiam quidquid sub cælo est irretiuerint, hoc est sermone vulgari atque humili homines flexerint, Domino omnia

Pauci tentationibus meliores euadunt.

In nocte legis pauci pisces spirituales capti.

nia operante, siquidem in nomine ipsius impletur rete piscibus.

VERS. 10. Similiter autem Iacobum, & Ioannem, filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens.

Isidorus. Sibi mori debet qui Deo vult viuere.

5. QVANDOQVIDEM ergo homines illos qui ab Apostolis sagenâ regni concludebantur, priori vitæ in peccatis actæ mori oportebat, idcircò capturæ piscium assimilauit Dominus capturam hominum, Apostolosque se hominum piscatores facturum promisit. Addidit autem, Ad vitam, defectum exempli supplens per id quod declarabat.

Eusebius.

6. Hæc diuinâ virtute prædicebat Saluator, hæc ipse factis ipsis fidelia & vera declarabat. Ille vtique piscator * Syrus, vice piscium venationis quot hominum millia ineffabilium sermonum retibus diuinâ virtute contextis irretiuerit, numerari non possit, illorum autẽ visu aspectus obscuretur. Quæ enim longum illud vitæ prioris æuum ante Saluatoris apparitionem non attulit, quæ nec legislator Hebræorum Moyses, nec post Moysem Prophetæ Dei per totam noctem multùm laborantes, ante aduentum Domini perficere minimè valuerunt; hæc piscator, pauper, linguâ barbarus, ipse ille Petrus peregit. Hæc autem tunc à Petro gesta esse, argumento sunt Ecclesiæ huc vsque illustres, pluribus longè, quàm illæ tunc scaphę, rationalibus piscibus refertæ. Qualis est illa Cæsareæ in Palæstinâ, qualis etiam illa Antiochiæ in Syriâ, qualis & vrbs illa Romana. Has enim Ecclesias, & quotquot ab illis deriuantur, instituisse Petrus memoratur. Illam autẽ Alexandrinam non ipse quidem per se, sed Marcum discipulum suum fundauit: ipse siquidem Italiæ viciniſque Gentibus vacabat; Marcum verò discipulum suum in Ægyptum & doctum & piscatum mittebat. Hisce autem Petri similia reperiet quoque, qui animum aduerterit ad reliquos Saluatoris nostri discipulos, quos promiserat futuros piscatores hominum, reipsâ sermonem comprobans. Id ipsum vtique etiamnum operatur ac facit Dominus, vbique terrarum præsens existens, ac totum hominum orbem sermonum suorum retibus implens, & ex omni genere rationalium piscium, tam barbarorum quàm Græcorum, è profundo malitiæ atque infidelitatis tenebris animas hominum educens, illasque ad lumen à se datæ cognitionis veri Dei alliciens.

** forte Simon.*

Petrus quot hominum sit piscatus.

Petrus quas Ecclesias fundauerit.

ANNOTATIONES.

VERS. 3. ROGAVIT EVM A TERRA REDVCERE PVSILLVM.] *Ita pulchrè* S. GREGORIVS *lib.* 17. *Moral. c.* 14. Vt prędicaret populis Dominus, ingressus nauim Petri, rogauit à terrâ reducere pusillũ: quam nec in altum duci, & tamen à terrâ præcipit remoueri: profectò significans, prædicatores suos rudibus debere populis nec alta nimis de cælestibus, nec tamen terrena prædicare. Nam plerumque si auditorum cor verbi immensitate corrumpitur, lingua docentium indiscretionis pœnâ mulctatur.

NVM. 5. *sub finem:* Addidit autem, Ad vitam.] *Vbi nota, hoc in Vulgatâ non addi, sed a Syro interprete, qui post illud*, homines eris capiens, *subiungit* ad vitam: *quod ipsum etymologia τῦ ζωγρῶν, quo verbo in textu Euangelista vtitur, insinuat, quod sonat quodammodo ζῶον ἀγρεύω, hoc est*, animal, *scilicet viuum*, capio. *quasi velit dicere*, *Non capies homines quasi feras cædibus & vulneribus, sed quasi pisces qui illæsi capiuntur reti: hoc est, non armis aut vi, sed virtute S. Spiritus cum suauitate. Vel etiam posset deduci à ζῶον & ἐγείρω, hoc est*, animal excito, *vel* ad vitam reuoco. *Vnde S. Ambrosius in Hexaëm. cap.* 6. ζωγρῶν viuificans *interpretatur: quasi dicat, Piscatores pisces ad interitum extrahunt, tu verò ad vitam. Ita tamen (vt hic S. Iustinus aduertit) vt homines quasi pisces capti moriantur peccato, ac vita priori, & sic nouam vitam gratiæ & diuinam inchoent, sicut pisces capti & comesti ab hominibus incorporantur, & sic eorum substantia nobiliori animâ, rationali videlicet, informatur. Ita Origenes Hom.* 16. *in Ieremiam, & S. Iustinus in Quæst. Gent.* 48.

Apostoli piscatores hominum.

NVM. 6. *Locum hunc apud Eusebium, cui inscribitur, nusquam reperi, sed eiusdem argumenti alium quemdam tractat lib.* 3. *Hist. Eccl. cap.* 1. 2. 3. *Quod autem sub initiũ habetur in Græco* ὁ ἁλιευτὴς ὁ Σύρος, piscator Syrus, *fortè* Συμεὼν *debet esse, scilicet Petrus, de cuius spirituali piscatione hic agitur.*

VERS. 11. Et subductis ad terrã nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

7. TALEM enim obedientiam requirit à nobis Christus, vt ne ad punctum quidam temporis illam differamus, etiamsi nos aliquid valdè necessariũ vrgeat. Quam ob causam etiam alteri cuidam ad se accedenti ac roganti vt patrem posset sepelire, ne quidem hoc permisit, ostendens quòd oporteat sequelam ipsius rebus omnibus anteferre.

CHRYSOSTOMVS. Obedientiã promptam Deus exigit.

8. Nihil siquidem ipsi æquè charum ac dilectio, propter quam & homo factus est, & vsque ad mortem obediens. Idcircò enim quoque prima vocatio discipulorum eius fuit duorum fratrum; indicante iam inde statim à primis initijs Saluatore, quòd omnes discipulos suos fraterno inter se modo coniunctos velit.

ISIDORVS. Christus cur fratres elegerit.

ANNOTATIONES.

NOTA, *locũ hunc Isidori spectare propriè ad versiculum* 10 *capitis huius Lucæ. Ad illud nempe:* Similiter autem Iacobũ & Ioannem, filios Zebedæi. NVM. 8.

Matth. 8, 2. Marc. 1, 40

VERS. 12. "Et factum est, cùm essent in vnâ ciuitatum, & ecce vir plenus leprâ, & videns Iesum, procidens in faciem, rogauit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.

13. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo: mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.

ATHANASIVS in Adelphiú. *Christum quâ ratione adoremus.*

9. SED neque quampiam creaturam adoramus, absit; Ethnicorum enim & Arianorum hic error est: sed Dominum creaturæ, incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam etsi caro ipsa per se pars sit rerũ creatarum, attamen Dei corpus effecta est: neque istiusmodi corpus seorsim separatum à Christo seu Verbo, adoratione prosequimur, neque Verbum adorare cupientes procul ipsum à carne seiungimus: sed scientes quòd Verbum caro factum est, illud iam in carne existens Deum agnoscimus. (Ioan. 1, 14) Quis igitur adeò sit demens, qui dicat Domino, Desere corpus tuum vt te adorem? aut quis tam impius sit, vt cum insanis Iudæis propter corpus dicat ei, Cur tu cùm homo sis, facis teipsum Deum? Verum non talis erat leprosus. Adorabat enim Deum in corpore existentẽ, & agnoscebat [verè] quòd Deus erat, dicens: Domine si vis, potes me mundare: neque etiam propter carnem existimant creaturam esse Dei Verbum, neque eò quòd Verbum erat opifex vniuersæ creaturæ, vilipendit carnem, quam indutum erat, sed tamquam in creato templo creatorem vniuersi adorabat, & mundatus est.

ANASTASIVS.

10. Et quandoquidem vtrique parti hominis, animæ inquam ac corpori, fuerit æqualiter Diuinitas commixta, in vtraque etiam supereminentis naturæ indicia eluxerunt. *Christi corporis ac animæ efficacia.* Nam corpus quidem insitam illi Diuinitatem declarauit, per tactum curationes operans: anima verò, potenti illâ voluntate diuinam virtutem manifestauit. Quemadmodum enim corpori sensus ille tactus est proprius, sic animæ motus liberi arbitrij. Accedit ille totus diffluens & æger corpore, vt huic à Domino curatio adhibeatur: Volente animâ corpus tangitur, ab vtroque morbus fugit. Et confestim, inquit, lepra discessit ab illo.

VERS. 14. Et ipse præcepit illi vt nemini diceret: sed, Vade, ostẽde te Sacerdori, & offer pro emũdatione tua, "sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. (Leu. 14, 4)

ISIDORVS l. 1. ep. 146

15. EAM ob causam etiam munus offerre leprosus iubebatur à lege constitutum, vt vtriusque Testamẽti concordia demonstraretur: quodque is qui nunc curationem perfecit, idem ipse sit qui legem imposuit. *Cur leprosi munus offerre iubeantur.*

CYRILLVS Tom. 4 in ep. Dynasi.

12. Videre liceat hoc de Christo profundum magnumque mysterium in Leuitico nobis descriptum. Lex enim Moysis leprosum declarat esse pollutum: emitti autem iubebat extra castra tamquã immundum. Quando verò contingit morbum desinere, tum demum eum recipi mandat. Deinde quoque quâ ratione futurus sit mundus, declarat dicens: Hæc est lex leprosi, quacumque die mundatus fuerit: & adducetur ad Sacerdotem: & exibit Sacerdos extra castra: & aspiciet sacerdos: & ecce sanatur tactus lepræ à leproso. (Leu. 14, 1. & seq. *Lex purificationis leprosi.*) Et præcipiet Sacerdos: & sument ei qui mundatus est, duas auiculas viuentes mundas. Et præcipiet Sacerdns, & iugulabunt auiculam vnam in vase testaceo super aquam viuentem: & auiculam viuentem sumet illam, & tinget eam in sanguine auiculæ iugulatæ super aquam viuentem, & asperget super mundatum à leprâ septies: & mundus erit. Et emittet auiculam viuentem in campum. Duæ igitur erant auiculæ integræ, hoc est puræ, nihil babentes vitij quod à lege notetur. Atque vna quidem occidebatur super aquam viuentem, altera verò sine iugulatione intincta sanguini occisæ dimittebatur. Figura autem hæc subindicabat nobis magnum illud ac venerandum Saluatoris nostri mysterium. *Aues figura Christi erant.* Erat siquidem de sursum, hoc est ex Patre ac de cælis Verbum; quamobrem etiam iure merito volucri comparatur. Descendit autem dispensatoriè in similitudine nostrâ ad nos, ac formam serui assumpsit. tametsi etiam tum sursum erat; siquidẽ disertè Iudæis loquens dicebat: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: ego non sum de hoc mundo. (Ioan. 8, 23) Et iterùm: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis. (Ioan. 3, 13.) Quemadmodum enim paulò antè dicebat [Verbum] caro factum est. (Ioan. 1, 14.) ergo perfectus homo: non terrenus aut terrestris vt nos, sed cælestis ac supermundanus, quatenus nempe Deus intelligitur. Verùm videre est in auiculis, ipsum carne quidem passum secundùm Scripturas, superesse tamen etiam passioni, ac mortuum quidem humanitus, diuinitus tamen viuere. Vita enim Verbũ est. (Ioan. 14. 6) Etenim sapientissimus ille discipulus mortificatum quidem eum dicebat carne, viuificatum autem spiritu. (1. Pet. 3, 18 *Christus carne mortuus viuebat spiritu.*) Tametsi enim mortem pati secundùm propriam naturam Verbum minimè poterat, attamen carni eius passio appropriatur. Tingebatur enim auicula viua in sanguine iugulatæ, tincta verò sanguine, & tantùm non particeps passionis

in

in desertum dimittebatur. Reuersum siquidem in cælos vnigenitum Dei Verbum vnà cum vnitâ sibi carne, eratque nouum in cælis spectaculum. Obstupescebat igitur Angelorum multitudo, in formâ nostrâ Regem terræ ac Dominum virtutum conspiciens, atque dicebat: Quis est iste, qui venit de Edom, hoc est de terrà? rubor vestium eius de Bosor. Interpretatur autem Bosor Caro, vel Angustia ac Tribulatio. Deinde interrogabant eum de his: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? ipse verò ad eos: Quibus percussus sum in domo dilecti mei. Quemadmodum enim incredulo Thomæ per magnam dispensationem etiam post suam à mortuis resurrectionem ostendens manus, & in ijs clauorum fixuras iubebat tangere, vti etiam lateris foramina; ita quoque in cælo existens sanctis Angelis comprobabat, quòd iustè à familiaritate suâ reiecisset, ac perditum iuisset Israel. Idcircò tinctum sanguine vestimentum, & in manibus plagas ostendebat, illas retinens indiuulsas, (à mortuis siquidem resuscitatus corruptionem exuit, vnà cum omnibus ijs quæ illam consequuntur) vt dispensatorio modo innotesceret Principibus ac Potestatibus Ecclesiæ multiformis sapientia Dei quam in Christo exhibuit. Sed fortè dixerit aliquis, Quomodo igitur vnum & eumdem dicis Filium & Dominum Iesum Christum, quandoquidem duæ offerebantur auiculæ?

Isa.63,1. *Bosor quid.* *Zach.13,6* *Cur Christus stigmata post mortem seruauerit.*

Idem. 13. Non enim poterat fieri vt in vnâ illarum omnia eius facta dictaque cernerentur. Pictura siquidè ac figura erat lex rerum parturientium veritatem. Ita tametsi erant duæ auiculæ, vnicus tamen [Christus] erat in vtrisque, & in passione, & extra passionem; & in morte, & supra mortem; atque in cælos ascendens tamquam alteræ quædam primitiæ humanitatis renouatæ ad incorruptionem. Ipse enim ad superna nobis viam renouauit, ipsumque suo tempore sequemur. Vnam autem auicularum iugulari, in iugulatæ verò sanguine alteram intingi quidem, sed à cæde liberam dimitti, antitypon fuerint rerum verissimarum. Mortuus enim pro nobis Christus, & nos in ipsius morte baptizati sumus, nosque proprio suo Sanguine liberauit.

Auicula pro leproso oblata quid significent.

Theodoretus in Leuiticum. 14. Et simplici modo salutaris passionis typum continent ea quæ pro leproso offerebantur. Nam quemadmodum ex auiculis illis vna quidem mactabatur, altera verò sanguine mactatæ tincta soluebatur; sic etiam pro genere humano, quod leprâ laborabat, Christus Dominus crucifixus fuit, carne quidem mortem suscipiente, Diuinitate verò passionè humanitatis sibi accommodante. Et quemadmodum leprosus demonstratur splendidus ac purus, vbi circumspersus fuerit sanguine passeris immolati mixto aquâ purâ cum ligno cedrino, hyssopo coccoque retorto; ita qui credit Christo Saluatori, & sacrosancti Baptismatis aquâ lustratus, peccatorum maculas abstergit. Porrò lignum quidem cedrinum, vtpote quod non putrefiat, symbolum est Diuinitatis passionis expertis. Coccinum verò retortum, humanitatis ex animâ & corpore constantis. Hyssopus autem, sancti Spiritus caloris ac suauitatis odoris. Per hæc qui baptizantur, ab animæ leprâ liberantur. Hemina verò olei, vnguentum spiritale significat; oleumque quo inunguntur auris dextera, manus & pes dexter, innuit auditum quidem dedicatum esse dextris sermonibus, manum autem & pedem dextris operationibus. [Oleum verò] immissum capiti, consecrationem mentis indicat. At qui leprosus permanet, ab Ecclesiâ expellitur.

Oblatio leprosi erat figura passionis Christi. *Leuit.14,4* *Quid lignũ cedrinum, coccinum & hyssopus significent.*

Cyrillus 15. Obserua autem, vt per dicta totus nobis Christus ad viuum describatur. Per viuentem siquidem auiculam viuens ac cæleste Verbum intelliges, per sanguinem verò occisæ, pretiosum Sanguinem patientis templi. Nam carne ipsum passum dicimus, sic tamen vt in corpore proprio. Per lignum incorruptibile, carnem incorruptam. Per hyssopum verò, spiritum; calida enim herba est, ac passiones ex frigore prouenientes abstergens. istiusmodi autem Spiritus quoque sancti efficacitas est ac virtus. Per coccinum verò, testamentum in sanguine, confessionem. Per viuentè autem aquam, viuificam Baptismi gratiam. Vel si libuerit, cedrinum quidem lignum symbolum accipe salutiferi ligni; pretiosi verò Sanguinis per colorem coccineum.

Quid viua & mortua auicula insinuet.

Theodoretus in Leuit.q.15 16. Quid autem sibi vult lex lata de leprâ? Per affectiones corporeas, indicat morbos animæ; & per ea quæ non sponte committuntur, arguit spontanea. Si enim naturalia quodammodò videntur esse impura, multò magis quæ à voluntate promanant.

Quid lex lepra denotet.

Maximus. 17. In quatuor autem genera tactus lepræ diuiditur, in album nempe & viridem, & flauum ac fuscum; per quæ symbolicè vis irascibilis & concupiscibilis in totidem species diuisa demonstratur. Ac concupiscibilis quidem per album & viridem significata, in voluptatem tristitiámque diuiditur: irascibilis verò, per flauum ac fuscum [indicata] in iram rancoremque & occultam suspicionis malignitatè distribuitur. Nam præcipua genera affectionum sub illis (vt aiunt) continentur, atque omniũ magis principalia sunt, quæ ab irâ concupiscentiâque gignuntur.

Quid quatuor species lepræ significent.

Quibus ægrotans anima, quamdiu illis maculata est, non potest ijs qui diuinis castris continentur annumerari.

NILVS. Quæ vitia vt lepra fugienda. 18. Fugienda igitur humana complacentia, ira, vana gloria, iniuriarum tenax memoria. Has enim albicantes ac rubescentes lepras lex arcebat, vt & vulpinantem hypocrisim, ac degenerem ignauiam. Hæc spiritaliter accipe de animâ.

ORIG. in Leu. 14. Quid faciendum leproso pro mūdatione. 19. Secundùm historiam autem, post dimissionem auiculæ, primùm vestimenta lauat qui mundatus est, deinde omne capillitium raditur, atque insuper abluitur aquâ. post quod subiungitur illud, Mundus erit. Fuerint autem vestimenta, vitæ institutum non omnioo malè contextū; nam alioquin illa deposuisset: crioes verò, opera mortua ex animâ pullulantia: quibus contrarij sunt illi Samuelis ac Nazaræorum, vti & discipulorum qui dinumerati sunt. *Nazaræi crines non radebant.* Nazaræorum enim caput ferrum non ascendebat, quippe qui omnia quæ faciebant suaueolentia reddebant, vt ne folium quidem eorum suo *Psal. 1, 4.* fructu careret. Aquâ deinde corporis maculæ tolluntur, Baptismate per hoc significato. Post hæc verò Dei castris dignus efficitur: non ingreditur tamen domum propriam, nisi post dies septem, ac tum denuò caput raditur doctrinis opportunis, barbáque deponitur [hoc est] peccata viri 1. per supercilia vero omnem elationem.

CYRILLVS 20. Sic autem mundati sanctorum castris aggregamur, ac sumus quidem in domo Dei, sed non in supernâ mansione, seruatum enim est sanctis donum hoc in sæculum futurum, quando præsentis huius sæculi hebdomas finem acceperit.

ORIGENES & THEODORETVS in Leuiticum. 21. Sed quare leprosum iubet esse aperto capite? Vt notus sit, & ne fiant impuritatis participes qui accedunt ad illum.

Leprosi cur essent capite aperto, & ore velato. Quòd autem os eius velaretur, significat quòd sibi ipsi silentium iodicere debeat, donec puritas redierit. Opportunè autem hoc in illos dici posset, qui cùm peccatis obnoxij sint, alios rei diuinas docere satagunt. *Lepra quæ munda, & quæ immunda.* Cur autem ex integro leprosum factum, mundum nominat? Hæc quoque lex plena est humanitatis. Sicut enim asseruit esse vas impurum, in quod cadauer cecidisset, non ita si lapsum esset in fontem aut lacum: sic illum qui vario colore respersus est, ab alijs quidem segregat, vtpote qui spem purificationis habeat; qui verò penitus albus est, hunc cum ceteris conuersari iubet, ne per totam vitam ab alijs hominibus segregatus degat. Sed & hoc rerum spiritualium figuram continet: siquidem lex diuina ne comedere quidem permittit cum fidelibus peccantibus: cum infidelibus verò ad conuiuium inuitantibus maoducare non prohibet. Fidelis igitur qui peccat, similis est ei qui aliquatenus est leprosus: infidelis autem, illi qui colorem omnem naturalem perdidit. Atqui cum his quidē loquimur & conuersamur, cum illis verò nullo modo. Scripsi enim vobis, inquit Apostolus, ne commisceamini fornicarijs, oon vtique fornicarijs *1. Cor. 5, 9.* huius muodi; etsi sit is qui frater nominatur.

ORIGENES. 22. Secundùm aliquos verò rursus toto corpore leprosum lex mundum pronuntiat, insinuans quòd Deus oderit quod varium est. *Simplicia Deus amat.* Clariùs autem procedens hoc significat in illo, Non seminabis vineam tuā variam. *Deut. 22, 9* Et vestimentum ex duobus textum, adulteratum. *Leu. 19, 19* Et, Pecora tua non dabis in admissuram animali diuersi generis. Vbique præferens simplicitatem, quæ in totaliter leproso consideratur.

ISIDORVS l. 4. ep 117. & 141. & lib. 2. 8. 23. Et existimo per leprosum quidem, versutum ac malitiosum; per seminifluum verò, prauum & impudicum; per eum autem qui immundus est super animâ hominis ex mortoi corporis contactu, illum qui animo peccantibus cooperatur, atque assentitur, è superiori mansione sacri conuentus & Ecclesiæ eiectum à lege dici. Quandoquidem verò aliqui accusent eos qui mysticos sensus* texunt, & spiritui litteram accommodant, etsi vtile quodpiam auditoribus dicant, res autem ipsas interpretari sibi postulaot, quam ob causam leprosus, & seminifluus, alijque inuoluntarijs morbis laborantes sacro templi ambitu prohibebantur. Desiderauerim quidem ego hæc silentio premere; nam secreta naturæ mysteria reuelare, oeque facile est, nec conueniens: verumtamen prout res patitur, paucis edisseram. Quandoquidem enim cùm propter virorum grauitatem, tum ob honorem feminarum, tum etiam propter rem ipsam quæ sanctitatem redolet, diuinitus cautum erat, ne quis ad vxorem suam, dum ab immunditiâ expurgaretur, accederet: *Leu. 20, 18. Ad menstruatam ingredi nefas est.* multi autem cum vxoribus dum in mēstruo sunt, aut sese perpurgant, aut etiam prægnantes sunt, libidinis œstro vel potiùs furore perciti, congrediuntur. Atque illæ nescio quo pacto id ferunt, cùm ipsa quoque animantia bruta, vbi conceperunt, à coitu abstineant. Quare noonulli tradunt θηλυτέρα dictam esse feminam, factâ comparatione cum femellis animantium, quòd hæ ob generis dumtaxat propagationem coitum admittant, mulieres autem fortasses ob salacitatem atque impudicitiam, tametsi tum etiam muliebris libido extinguatur. Natura tum enim vel in efformando fœtu vel in purgatione [corporis] occupatur. Sæpenumerò

* indicant

merò autem accidebat, vt viri semen immundo mulieris sanguine permixtum, non purum ac benè temperatum, sed multis affectionibus obnoxium corpus effingeret. Hæc mala volens impedire legislator, & parentum incontinentiam refrænare, tali concubitu procreatos à templi aditu hoc loco proscripsit, & à sacris conuentibus submouit, ne in posterum istiusmodi quidpiam audeant perpetrare. Quòd autem hæc sit cau-
Ezech. 18, 6. sa, perspicuum fit ex ijs quę scripta sunt apud Ezechielem. Illic enim Deus virum iustum deprædicans, impium verò insectans, illum cum menstruatâ minimè congressum fuisse, hunc verò cum eâ coiuisse dicit. Quòd si quis dixerit, in istiusmodi sceleris auctores pœnam statui debuisse; responderim: Ecquod tandem grauius supplicium excogitari posset? Quando enim viderint natos suos, quos desideraret illustriores quàm semetipsos conspicere, neque precationum, nec sollemnitatum, nec vrbiū, nec sacrorum conuentuum participes esse, tum cogita quantum dolorem sustineant. Si quis autem non rectè illud ordinatum existimet, quid dixerit de morte: quoniam vnâ peccante (Euâ inquam) totum genus humanum morte condemnatum est.

Chrysostomus in Ep. ad Titu, Hom. 3. 24. Hanc autem obseruantiam oportet exhibere in ijs quæ animam commaculant. Illa enim immunda sunt, illa sunt sordes, horum verò nihil. Immundum, inquit, est peccatum. Obseruationes autem illæ lega-
Deut. 14, 8. les, symbola erant purgationum. Morticina, inquit, non tangetis. Peccatum enim huiuscemodi morticinum est ac fœtidum. Leprosus, ait, immundus est. At peccatum varium
Peccatum est maximè immundū. est ac multiplex. Quodque illud insinuetur, patet ex ijs quæ sequuntur: si enim semper & per totum corpus lepra fuerit, mundus est; sin autem in parte, nequaquam. Vides vt varietas illa & mutatio habeatur immunda. Rursus qui fluxum seminis patitur, immundus est. Existima seminis fluxum esse eum, qui virtutis semina reijcit. Incircumcisus rursum immundus. Cernis quomodo hæc non allegoriæ sint, sed figuræ. Qui, inquit, non circumciderit nequitiam animi sui, [immundus est.] Qui operatur in Sabbato, lapidatur: hoc est, qui Deo non iugiter vacat, hic
Leuit. 12. & 15. perit. Quæ pepererit, inquit, mulier immunda erat. Cur, obsecro? nónne semē & generationem ipsa constituit? Quam ob rem igitur immunda esset mulier, nisi quid aliud lex insinuaret? Metum animæ indidit, & procul à fornicatione remouit. Si enim illa quæ peperit immunda sit, longè magis quæ fornicata fuerit. Et si cum propriâ vxore congredi, non sit valdè mundū, quantò erit immundius alienæ misceri? Quæ à conuitio, inquit, immunda est, multò magis quæ à cæde vel bello. Plures vtique reperiret immunditiarū modos, qui omnes vellet recensere, Verùm hoc modò non quærimus, sed totum hoc ad animum referendum. Tum corporalia quidem & quæ nobis maximè vicina sunt pro illis introduxit, sed non modò: non enim semper figuris inhærēdum, aut in verbis versandum, sed ipsamet veritas arripienda. Immunditia est peccatum: hoc fugiamus, ab eo abstineamus. Si accesseris, inquit, Eccli. 31, à.
ad illud, suscipiet te. Immundus est fornicator, non propter concubitu m, sed propter modum. Rursus ira cùm modum excedit, immundum hominem reddit, non propter ipsam iracundiam, sed propter eius modum. Quandoquidem addatur isti: Qui irascitur, Matth. 5.
non simpliciter, sed temerè, ita vt vbique inordinatus appetitus immundus sit, illud autem quod appetitur nullo modo. Etenim Moyses ossa Iosephi tulit, & Sampson bibit ex maxilla anni, & ex leonis ore mel comedit, & Elias à coruis fuit nutritus, sed & membranæ Bibliorum, quæ maximè sanctæ sunt omnium, ex pellibus constant animalium mortuorum. Sic nobis etiam hîc sermo de leproso, & de mundis ac immundis locum hunc perpurgauit.

ANNOTATIONES.

SED neque quampiam creaturā adoramus, *&c.*] *Ex hac leprosi adoratione ac sanatione S. Athanasius hic Christi Diuinitatē probat contra hæreticos, vti & S. AMBROSIVS in hunc Lucæ locum.* Volo, *inquit,* dicit Christus propter Photinum, Imperat propter Arium, tangit propter Manichæum. *Sanctē Matthæus hanc leprosi curationem narrat cap. 8. significatque illam contigisse statim post sermonem illum Christi quem cap. 7. descripserat, ad eumdem scilicet miraculo confirmandum, vti ibidem sensit Chrysostomus.* NVM. 9.

NVM. 12. *In loco isto Leuitici 14. in textu Græco post illud,* δύο ὀρνίθια ζῶντα καθαρὰ, *apponitur,* καὶ ξύλον κέδρινον, καὶ κεκλωσμένον κόκκινον, καὶ ὕσσωπον. & lignum cedrinum, & coccum tortum, & hyssopum. *& ibidem paulo infrà, post* τὸ, λήψεται αὐτὸ, *repetit* καὶ τὸ ξύλον τὸ κέδρινον, καὶ τὸ κλωστὸν κόκκινον καὶ τὸν ὕσσωπον, καὶ βάψει αὐτά. *Passeres pro leproso oblati.*

Nota hic, τὸ, δύο ὀρνίθια ζῶντα, *id est,* duas auiculas *viuas, &c. passeres nempe, vti constat ex Vulgatâ, quæ vbique vbi Septuaginta* auiculas, *ipsa* passeres *habet. Pro quo Gentianus Heruetus in locum hunc Cyrilli lib. 8. in Leuiticum, vti etiam apud Origenem,* τὸ ὀρνίθια, gallinas *vertit vtrobique. Sed perperam meo iudicio: nam licet* τὸ ὄρνις, *quod propriè* auem *significat,* κατ' ἐξοχὴν *pro gallinâ sumatur; hoc loco tamen sic verti non potest, cum sit contra veritatem historiæ & textum vulgatum Scripturæ. Licet enim Septuaginta* ὀρνίθια *pro* στρουθία *verè simul ac rectè posuerint, vtpote genus pro specie quæ sub illo comprehenditur; malè tamen Gentianus nomen generale ad talem speciem hic contraxit, pro quâ non supponit, & in quâ non verificatur id quod narratur. Describitur hic à Cy-*

Ritus lustrationis lepræ. rillo ritus lustrationis, quo legaliter expiandus erat leprosus, iam à leprâ curatus, quem hoc ordine ex Leuitici cap. 14. Cornelius recenset.

Primò, Expiandum aspergebat Sacerdos sanguine passeris, per alium passerem viuum, alligatum baculo cedrino, cum cocco & hyssopo, mox passerem viuum auolare sinebat. vers. 5.

Secundò, Expiandus lauabat vestes, & corpus, pilosque radebat. v. 8.

Tertiò, Die octauâ offerebat agnum pro delicto, & agnum pro peccato, & ouem anniculam in holocaustum cum tribus decimis similæ & olei sextario. v. 10. Si pauper esset, pro iam dictis offerebat agnum pro delicto, & duos turtures, vel duos pullos columbarum, vnum pro peccato, & alterum in holocaustum, cum tribus decimis similæ, & olei sextario. v. 21.

Quartò, Sanguine agni tingebat sacerdos aurem dextram mundandi, & pollices dextræ manus ac pedis.

Quintò, Ex alio aspergebat septies coram tabernaculo: reliquum olei fundebat super aurem, pollices & caput expiandi.

Aspergillum autem quo leprosus expiabatur erat eiusmodi: primò, in summitate virgæ cedrinæ alligabatur passer viuus, caudâ sursum & capite deorsum: secundò, huic caudæ ac virgæ alligabatur coccus & hyssopus: tertiò, hæc simul mergebantur in aquam viuam siue fontanam, sanguine passeris occisi infectam, eaque aspergebatur purificandus. Hæc expiatio legalis erat cærimonia tollens irregularitatem legalem, restituensque hominem leprâ mundatum conuictui aliorum hominum, atque etiam templo ac sacrificiis, vt iis posset interesse atque communicare, eratque quædam gratiarum actio. Iussit autem Christus hunc leprosum Euangelicum à se mundatum ad sacerdotem accedere, vt hoc miraculo quasi testimonio certo conuicti sacerdotes agnoscerent, Christum verum esse Messiam, aut certè inexcusabiles, tam claro testimonio conuicti incredulitatis condemnarentur. Ita S. Chrysostomus in cap. 8. Matth. & S. Ambrosius hic.

Quid passer expiatorius symbolicè significet. NVM. 13. *Explicat hic Cyrillus quid passer expiatorius symbolicè significet: quod vti hic Christo, sic pulchrè à Cornelio loco suprà citato cuiuis iusto accommodatur. Primò, propter prudentiam quoad partem rationalem: passer enim nidificat in tectis domorum, & non in imo, ne fetus rapiantur à serpentibus. sic iusti mente habitant non in terrâ, sed in cælo. Secundò, iustus dicitur passer ob temperantiam quoad vim concupiscibilem: passer enim non facilè laqueis irretitur, nec per ingluuiem ventris, escarum ambitione decipitur. sic iusti escis non indulgent, sed carnem macerant ieiunio. Tertiò, propter patientiam quoad vim irascibilem: nam vt ait Philosophus, passer non albescit nisi in infirmitate. sic iusti in aduersis albescunt. Nam*

1. Cor, 12, 9. virtus in infirmitate perficitur. *Quartò, Christus & iustus ait cum David:* Vigilaui, & factus sum sicut

Psal. 101, 8 passer solitarius in tecto: *à vitâ enim mundi se subducit ad secretum conscientiæ, orationis & compun-*

Psal. 123, 7 *ctionis. Quintò, idem cum eodem dicit,* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium, *scilicet dæmonum & persecutorum. Sic anima martyris per martyrium è laqueis diaboli eripitur, inquit S. Augustinus in Psal. 123.*

Lignum cedrinū quid, & quid cetera in lustratione adhibita. NVM. 14. Per cedrinum autem lignum, &c.] *Nota hic ex Cornelio in Leu. 14. lignum cedrinum in leprosi lustratione adhiberi, quia est incorruptibile, vnde aptè significabat leprosum à corruptione lepræ esse mundatum. Secundò, vermiculus siue coccus qui viuacissimè rubet, significabat sanguinem & sanitatem carni eius esse restitutam. Idem tertiò significabat passer viuus qui auolare sinebatur, vitam carni redditam esse, hominemque liberū factum à leprâ ad viuentium & mundorum consortium admitti. Quartò adhibebatur hyssopus, qui aptissimus est aspersioni sanguinis quæ hic erat facienda. Allegoricè autem, vt hic n. 16. insinuatur, lepra est peccatum. Hæc expiatur Primò per lignum cedrinum quod est imputribile, id est per Christi Crucem, quæ omnia vicit & superauit. Secundò, per coccum, id est, Sanguinem passionis Christi. Tertiò, per hyssopum, qui boni odoris est, purgat & sanat præcordia, id est, per gratiam Spiritus sancti animæ infusam. Quartò, per passerem viuum, id est, per Diuinitatem Christi. Quintò, per passerem immolatū, id est per humanitatem Christi oblatam in cruce. Sextò, per aquas viuas Baptismi. Ita cum Theodoreto hic Hesychius & Radulphus. Tropologicè verò hyssopus est fides, cedrus est spes, coccus est charitas, passer viuus est humilitas, passer moriens est mortificatio, aqua viua sunt lacrymæ pœnitentis. His enim omnibus à leprâ peccati mundamur. Nam hyssopus est herba humilis, quæ radicibus hæret in petrâ, vnde aptè significat fidem, quæ Dei veritate infallibili nititur. Cedrus altissimè sese erigit, hinc spei est symbolum. Coccus rubet instar ignis, talis est charitas. Hæc omnia tinguntur sanguine, quia per passionis Christi efficaciam & memoriam hæ omnes virtutes excitantur.*

NVM. 17. In quatuor autem genera tactus lepræ diuiditur.] *Leuitici autem 13. septem signa seu species lepræ describuntur. Prima est, lepra alba & lucens, de quâ ibidem agitur v. 3. secunda, lepra recurrēs, v. 7. tertia, lepra inolita, v. 10. quarta, lepra mundissima, v. 13. quinta, lepra capitis & barbæ, v. 29. sexta, lepra in caluitio, v. 42. septima, lepra vestis & domus, v. 47.* *Quatuor genera tactus lepræ, & quid symbolicè significarit.*

Lepra autem illa Iudæorum, vt benè ibidem notat Cornelius, morbus erat vel vitium, subinde naturale, subinde etiam à Deo immissum ad punienda grauiora peccata: primò Simoniæ, vt patet in Giezi; secundò sacrilegii, vt patet in Oziâ Rege 2. Paralip. 26, 19. tertiò homicidii, 2. Reg. 3, 29. quartò murmuris, vt patet in Mariâ Num. 12, 10. quintò & maximè inobedientiæ ac rebellionis contra sacerdotes, vti disertè dicitur Deuteronomii 24, 8. Lepra hæc diuersa fuit à nostrâ, quæ magis elephantia est. Primò, quia lepra Iudæorum ferè tantùm erat in cute, nostra verò carnes & ossa depascitur. Deinde, lepra Iudæorum etiam vestes ac muros inuadebat, nostra tantùm homines corripit. Tertiò, lepra nostra est incurabilis, lepra autem Iudæorum sæpè curabatur, vt patet ex Leuitici c. 13. & 14.

Videtur autem Iudæorum illa similis fuisse veteri lepræ Græcorum, de quâ Hippocrates, Lepra, *inquit,* pruritus, & scabies, turpitudo magis sunt quàm morbi. *ita & Galenus lepram ait esse vitium cutis, simile scabiei. Ratio est, Quia vetus Iudæorum lepra, vt ait D. Augustinus, coloris vitium fuit magis quàm valetudinis, eaque de causâ leprosi à Christo hic & Matth. 8. aliisque locis non sanari, sed mundari dicuntur. Vnde Franciscus Valesius de Sacrâ Philosophiâ c. 19. censet per lepram hanc varia vitia cutis accipienda esse, quorum vnum nascitur ex alio, idque ex redundantiâ pituita vel melancholia.*

Tropologicè autem lepra est quodlibet peccatum, cutis & color est conuersatio externa, caro est conscientia interna, pili sunt cogitationes se prodentes cùm in his apparuerit pustula, id est conscientiæ corruptio, aut lucens quidpiam, id est reatus euidenter elucescens: sacerdos separet eum. si post septem dies obscurior appareat, & non creuerit, scabies est, id est, leuior culpa;

sin

sin autem creuerit, est lepra, id est viuens & perseuerans deliberatio peccandi. Ita Cornelius ex Radulpho in Leuit. 23.

Cur leprosorum caput detegeretur. NVM. 21. Sed quare leprosum iubet esse aperto capite? *Vt scilicet per poros capitis, & vestes quas etiam debebat habere dissutas, vt Leuitici 13. praecipitur, exspirarent putridi corporis ac capitis vapores. Debebat insuper, vti sequitur, os tegere, & se leprosum clamare: quia nullâ re homo immundus magis inficit quàm anhelitu. Denique iubebatur habitare extra castra. Ozias tamen, quia erat Rex, cùm leprâ percussus esset, permissus est habitare in domo liberâ, sed seorsim, vt habetur 4. Reg. c. 15. v. 5. quamquam S. Chrysostomus Hom. 4. in cap. 6. Isaiae docet, Iudaeos peccasse quòd Oziam extra vrbem non expulerint, ideoque Deum illis subtraxisse Prophetas vsque ad mortem Oziae, tunc enim coepit prophetare Isaias cap. 6. 1*

Duplex immunditia legalis. NVM. 23. Καὶ οἶμαι, &c.] *Nota pro maiori intelligentiâ harum legalium immunditierũ, duplicem apud Hebraeos fuisse immunditiem: vnam nempe, quae erat peccatum, quia praecepto Dei vetita; talis erat comedere carnes immundas, sanguinẽ vel adipem, item tangere morticina vel reptilia, vt notat Cornelius c. 11. Leuitici, v. 43. Alteram verò, quae non erat vetita, sed tantùm indicata & statuta; talis erat, tangere leprosum, mortuum, seminifluum: talis etiam erat, pati lepram, fluxum seminis vel sanguinis. Nam de his non dicitur,* Ne tangatis ea, *sed* qui tetigerit ea, immundus erit. *Vnde haec non erant peccata, sed tantùm inducebant irregularitatem legalem, vt non possent ingredi Sanctuarium ante sui expiationem.*

VERS. 15. Perambulabat autem magis sermo de illo: & conueniebant turbae multae vt audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 25. DOMINVS quidem illum sanans praecepit vt nemini diceret: sine fastu nos esse docens, quando omnia erga proximum adimplemus [officia.] Verùm ala famae vbique dimanabat, & sermo defluebat de ipso, auditum omnium hocce miraculo replens; atque hac de causâ plurimi concurrebant.

VERS. 16. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

17. Et factum est in vnâ dierum, & ipse sedebat docens. Et erant Pharisaei sedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilaeae, & Iudaeae, & Ierusalem: & virtus Domini erat ad sanandum eos.

"Matth. 9. 2. Marc. 2. 3. 18. " Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: & quaerebant eum inferre, & ponere ante eum.

19. Et non inueniẽtes quâ parte illum inferrent prae turbâ, ascenderunt supra tectum, & per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.

26. IDCIRCO frequenter ad deserta secedit, ibidemque saepenumerò in oratione pernoctat; vt nos erudiret, opportunum esse desertum ac solitudinem quando cum Deo sumus congressuri: simul nos docens, & à tempore & à loco tranquillitatem ac vacationem animae consectari. Tranquillitatis siquidem mater eremus est, quietis portus, quae omni nos turbatione liberat. ISID. c. 14. *Christus saepe in deserta abit.*

VERS. 20. Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.

21. Et coeperunt cogitare Scribae & Pharisaei, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?

22. Vt cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris?

27. HINC autem quis nouerit, an suorum peccatorum indulgentiam consecutus sit, si nempe in animo suo senserit quòd perfectè illa oderit ex corde, & in publicis suis operibus aliter se gerat quàm soleat. Talis confidat quòd consecutus sit delictorum à Deo condonationẽ, ex conscientiae suae testimonio quod in se habet, secundùm id quod prouerbio dicitur; Conscientia indemnis sibi ipsa testis est. Verùm haec quidem nimis moraliter dicta sint. ISAAC ARCHIEP. *Conscientia testis optimus.*

VERS. 23. Quid est facilius, dicere: Dimittuntur tibi peccata; an dicere: Surge, & ambula?

24. Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terrâ dimittendi peccata (ait paralytico.) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo iacebat: & abijt in domum suam, magnificans Deum.

26. Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

28. HOC est, Quid videtur facilius vobis esse, corpus luxatum firmare, vel, animae peccata soluere. Manifestum, quòd corpus consolidare. Quantò enim anima corpore praestantior, tantò quoque peccata soluere illo maius est. CHRYSOSTOMVS Hom. 30. in Matth.

29. In dicendo enim, Dimittuntur tibi CYRILLVS

 pec-

peccata tua, locus relinquebatur excusationi incredulitatis opportunus: nam homo corporeis oculis non cernit an peccata dimissa sint. Sed morbi depulsio, & paralytici surgentis ambulatio, diuinæ virtutis potentiam manifestò declarant.

ANNOTATIONES.

VERS. 18. ET ECCE VIRI PORTANTES IN LECTO HOMINEM, QVI ERAT PARALYTICVS.] *Pulchrè de hoc moraliter* S. AVGVSTINVS *lib. 2. Quæst. Euangelicarum cap. 4. sic ait:* De paralytico potest intelligi anima dissoluta membris, hoc est bonis operationibus; Christum quærere, hoc est, voluntatem verbi Dei, impediri autem turbis, nisi tecta, id est, operta Scripturarum operiat, vt per hæc ad iustitiam Christi perueniat, hoc est, ad eius humilitatem, fidei pietate descendat. Hi autem, à quibus deponitur, bonos in Ecclesiâ Doctores possunt significare. Quòd autem de lecto deponitur, significat ab homine, in istâ carne adhuc constituto, Christum debere cognosci: quem tamen lectum sanus posteà iubetur portare, & ire in domum suam, vt remissione peccatorum conualescentibus per spem bonam membris animæ, hoc opus restaurare intelligatur, vt iam non in carnalibus gaudijs, tamquam in lecto requiescat infirmitas animi, sed magis ipsa contineat affectiones carnales, & tendat ad requiem secretorum cordis sui.

Paralyticus quid symbolicè & spiritaliter.

IDEM *lib. de Pastor. c. 6.* Qui aliquâ, *inquit*, cupiditate malâ amatores mundi ab ipsis bonis operibus reuocantur, languidi & ægroti iacent: quippe in ipso languore, tamquam sine vllis viribus, nihil boni possunt operari. Talis in animâ paralyticus ille fuit, quem cùm ad Dominum inferre non possent qui eum portabant, tectum aperuerunt, & deposuerunt: id est, tamquam si in animâ hoc velis facere, vt tectum aperias & deponas ad Dominum animam paralyticam, dissolutam omnibus membris, & vacantem ab omni opere bono, grauatam vtique peccatis suis, & languentem morbo cupiditatis suæ. Si ergo dissoluta sunt membra omnia, & est paralysis interior, vt peruenias ad medicum, (fortè enim latet medicus, & intus est: id est, verus intellectus in Scripturis occultus est) exponendo quod occultum est, aperi tectum & depone paralyticum. Quod qui non faciunt, & qui facere negligunt, audistis quæ audiant: Quod malè habuit non corroborastis: & quod contribulatum est non colligistis.

NVM. 28. Quid videtur facilius vobis esse, &c.] *Nota Primo, per se difficilius esse, remittere peccata, quàm curare paralyticum, imo quàm creare cœlum & terram: quia peccator, vtpote hostis Dei, magis distat à Deo quam morbus aut nihil. Deinde, quia remissio peccatorum est altioris ordinis quam natura vel naturales vires, spectat enim ad ordinem gratiæ, eamque secum adducit, gratia autem est, summa participatio Diuinitatis. Ita Chrysostomus & Augustinus Tractat. 79. in Ioannem.*

Nota secundo, Christum tamen hic remissionem præponere, vt faciliorem. Primò, quia hominibus res naturales & corporeas magis quam spiritales capientibus ita videtur. Deinde, quia qui dicit remitti tibi peccata, non ita mendacij argui potest si non remittat, quia remissio est occulta; qui autem alteri se dicit sanitatem restituere, statim arguitur si sanitas non subsequatur. Tertio, quia sanatio hæc est opus physicum, & physicè difficilius; remissio verò peccati per se tantum est ens morale, sicut culpa & offensa est tantum moralis. Ita D. Thom. 1. 2. q. 131. a. 9.

Hoc tamen argumentum Christi est efficax, quia vel vnum miraculum certum est argumentum cuiusque veritatis, si ad eam probandam assumatur, vti docent Theologi passim, & D. Thom. 1. 2. q. 178. a. 2.

VERS. 24. TOLLE LECTVM TVVM.] S. GREGORIVS *lib. 23. Moralium cap. 23.* In Scripturâ sacrâ, *inquit*, lectus, siue grabatus, seu stratum, aliquando voluptas carnem, aliquando repausatio in bonis operibus, aliquando requies temporalis accipitur. Quid est enim quòd in Euangelio sanato cuidam Dominus dicit, Surge tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam; nisi quòd per grabatum voluptas corporis designatur? Et iubetur vtique, vt hoc sanus portet, vbi infirmus iacuerat. Quia nimirum omnis qui adhuc delicijs delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis, sed sanatus hoc portat vbi infirmus iacuerat; quia diuino adiutorio ereptus à vitijs, eiusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in quibus priùs desiderijs requiescebat.

Quid lectus in Scripturis significet.

S. AMBROSIVS *lib. 5. in Lucam*, Hic lectus, *inquit*, qui tolli iubetur, quid est aliud, nisi quòd humanum corpus attolli iubetur? Ipse est qui per singulas noctes lauatur à Dauid, lectus doloris, in quo anima nostra graui conscientiæ ægra cruciatu iacebat. Sed si quis secundùm Christi præcepta se gesserit, iam non lectus doloris est, sed quietis. Miseratione etenim Domini cœpit quies esse, quod mors erat; qui nobis soporem mortis, vertit in gratiam voluptatis. Nec solùm leuare lectum, sed etiam domum suam repetere, hoc est ad paradisum redire, censetur: ea est enim vera domus, quæ hominem prima suscepit non iure amissa, sed fraude. Meritò ergo restituitur domus, quia venerat qui nexum fraudis aboleret, ius reformaret. Nec mora vlla sanitatis interuenit, vnum dictorum remediorumque momentum est.

VERS. 27.[a] Et post hæc exijt, & vidit Publicanum nomine Leui, sedentem ad Teloniũ, & ait illi: Sequere me.

28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum.

[a] Matth. 9. 9. Marc. 2, 14

30 QVAMOBREM autem non cum Petro & Ioanne vocabat hunc Christus? Certè quemadmodum tunc illos vocabat quando sciebat hoc illis persuadendum; sic & Matthæum tum vocabat quando credebat eum secuturum, vti etiam Paulum post resurrectionem.

CHRYSOSTOMVS. *Christus congruo tempore suos vocat.*

31. Telonarius erat vir Leui, lucri studio insatiabili. Effrenis in auaritiâ, rerum alienarum iniquus amator. Hoc est enim Publicanorum institutum. Verùm ex ipsis officinis iniquitatis detrahebatur, & mirabili ratione ad salutem deducebatur, vocante ipsum Christo Saluatore nostro. Dicebat enim illi, Sequere me; & relictis omnibus secutus est eum.

CYRILLVS. *Matthæus erat Publicanus.*

ANNO-

ANNOTATIONES.

VERS.27 *A facie Dei fugit peccatum.*

VIDIT PVBLICANVM.] S. CHRYSOSTOMVS *Hom. in Psal.68. ait:* Quando respicit Deus, fugiunt peccata, extinguuntur delectationes, liquefiunt omnia mala, collecta desideria: tantùm vt respiciat claritas, statim fugit peccatorum iniquitas.

Peccatores enim respicit Deus, intus monens vnde fletibus compunguntur, vti pulchrè S. Petro contigisse ostendit S. AMBROSIVS *lib.10. in Lucam cap.96. his verbis:* Quos Iesus respicit, plorant delictum. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia non respexerat Dominus: negauit secundò & non fleuit, quia adhuc non respexerat Dominus: negauit & tertiò, respexit Iesus, & ille amarissimè fleuit. Cùm ergo respexit eum Dominus, hoc intus actum est, in mente actum est. Misericordia Domini latenter subuenit, cor tetigit, memoriam reuocauit, interiore gratiâ suâ visitauit Petrum, interiorem hominem vsque ad exteriores lacrymas mouit, & produxit affectum. Quæ omnia significat Euangelista cùm ait, Respexit Dominus Petrum. *Sic etiam hic cùm Iesus praeteriret, & intimas cordis partes aspiceret hominis in telonio sedentis, cumque virtutis studium atque ardorem in eius animo latentem cordis perscrutator benè cognosceret, & qualis suam ex eo qui nunc erat, postea futurus esset, prospiceret, eum vocauit.*

Aurum & auaritia vt deprimant mentem.

IBIDEM. SEDENTEM AD TELONIVM.] Sedebat vtique, *inquit* CHRYSOLOGVS *Sermone 29.* quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totâ conscientiâ fraudis incuruus. Aurum onerat à graue, grauius fit auaritiâ nimis: hinc est quòd plus habentem deprimit quàm ferentem, & vehementiùs aggrauat corda quàm corpora. Nascitur in terrâ profundâ, sectatur ipsa montium fundamenta, perque ima venarum cæcis discurrit anfractibus, & dum suam semper repetit ad naturam cælestes animos, ad inferna deponit. Obscurat sensus semper, alta montium semper in terrena demergit. *Vidit igitur Christus Matthaeum vinculis irretitum: vidit quòd auri furor ardentiùs humano feruet in pectore, quàm caminus totus ignescat incendijs, & acriùs hominem dissoluit quàm soluatur in calore flammarum. Videt quòd auri cupiditas crudelitatis sit Dominus, & vt verbis vtar* CHRYSOLOGI *Serm.29.* Sæuus hostis amando lædit, nudat ditando, ipsum etiam captiuat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium. *Et quid plura? Vidit, vt ait Apostolus 1. ad Timoth.6. quòd radix omnium malorum est cupiditas. Vidit his omnibus malis circumdatum esse Matthaeum, & ad inferna auri pondere vrgente properare. Vidit, & misertus est, & talibus malis atque vinculis absoluere illum cupiens, dixit:* Sequere me.

Virtus Christi vocantis.

VERS.28. ET RELICTIS OMNIBVS, &c.] S. HIERONYMVS, Fulgor, *inquit*, ipse & maiestas Diuinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ Christi facie relucebat, etiam primo aspectu videntes ad se trahere poterat. Si enim in magnete & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos & stipulam & festucam sibi copulent; quantò magis Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat? *Et in Epist. ad Principiam ex Psal.44* Nisi Christus habuisset etiam in vultu quoddam sidereum, numquam eum statum secuti fuissent Apostoli.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom.31. in Matthaeum ait:* Vidisti virtutem vocantis, disce nunc vocati obedientiam. Non enim repugnauit, nec ambigendo secum dixit, Putásne publicanum peccatorem que me rectè absque fraude vocauerit? Nuo est enim huiusmodi intempestiua humilitas laudabilis: sed confestim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandam rem cum suis profectus sit: verùm sicut piscatores priùs retibus vnâ cum nauigio atque patre relictis, sic ipse publico officio & quæstu relicto, sequebatur; sic præparatum animum atque præmeditatum ostendens, sic ab omni sæculari negotio seipsum abrumpens mirabili hac obedientiâ testimonium vocanti perhibuit, quòd opportunè ipsum vocauerit. *Obedientia prompta Matthaei à sequendâ vocatione.*

VERS.29. Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo suâ: & erat turba multa publicanorum, & aliorum, qui cum illis erant discumbentes.

32. VIDESNE quàm verè sapientissimus Paulus dixerit, Christum in hunc mundum venisse vt saluos faceret peccatores. Cernis vt incarnatum vnigenitum Dei Verbum, vasa diaboli in ipsum conuerterit. Saluabatur quidem in Leui; verùm res hæc optimam nobis spem dedit; nam ex eo quòd hic accidit, pœnitentiam salutem conferre docti sumus. Sed & Deus vniuersorum Dominus id ipsum confirmauit per vocem Prophetæ dicentis: Conuertimini ad me, & salui eritis, qui ab extremis terræ. Sed nihil horum Pharisæos conuertit, verùm discipulos increpauit. Audi enim. [quod sequitur.] CYRILLVS 1.Tim.1,15. *Christus venit saluare peccatores.* Isa.45,22.

VERS.30. "Et murmurabant, Pharisæi & Scribę eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis? "Mat.2,18

33. HOC enim maleuolorum erat, & discipulorum chorum dissoluere volentium. CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom.31.

VERS.31. Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico, sed qui malè habent.

32. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

34. IN cælo non est peccans morbus; sed nos sumus qui propter peccatum ægrotamus, qui propter mali susceptionem infirmamur. Nos quia deficimus ad malum, indigebamur eo qui nequit variari: qui à salutis viâ aberrabamus, ductore ad veritatem opus habebamus. Idcircò dicit Dominus, non egere qui sani sunt medico, hoc est Angelos, sed malè habentes, nos videlicet. Deinde subiungit, Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. NYSSENVS *Viatores opus habent ductore.*

35. Scien-

ISIDORVS l. 4. ep. 189. *Pharisaei Christum reprehendunt.* 35. Sciendum siquidem, Pharisæos reprehendisse Saluatorem, quasi qui cum publicanis & peccatoribus cibum sumeret, quandoquidem lex inter sanctum & profanum discernebat; ignotantes interim Christum super legale iudicium, benignam gratiam exhibuisse: illa siquidem exscindebat, hæc verò malum permutabat [in bonum] vti restantur Zachæus ac Matthæus, & quotquot vitia sua superarunt.

VERS. 33. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt & bibunt?

CHRYSOSTOMVS Hom. 31. in Matth. 36. CVM vndique illorũ ora obstruxisset, nec haberent quod dicerent, ipsimet rei apparentes criminis istius quod ipsi obiecerant, in discipulos crimen transferunt. Matth. 9. Ac Matthæus quidem ait, quòd discipuli Ioannis id dixerint; Lucas verò, quòd Pharisæi. Verisimile autem est, vtrosque hæc dixisse. Cùm enim inferiores essent, illos, vti probabile est, secum acceperunt, quod etiam *Herodiani cum discipulis Ioãnis cõtra Christum conspirant.* cum Herodianis posteà fecerunt; semper enim ipsi inuidebant Ioãnis discipuli. Quod autem dicunt, est huiusmodi: Esto, inquiunt, tu vt medicus ista facias; quid autem discipuli tui, spreto ieiunio, tales mensas frequentant? Deinde quò magis accusationem exaggerarent, primo loco Ioannis discipulos ac deinde seipsos collocant, comparatione crimen augere volentes. Et aiunt, quoniam illi, quemadmodum & nos, multum ieiunamus: etenim ieiunabant, à Ioanne quidem illi, edocti, hi verò à lege. Vtique sicut Pharisæus dicebat, Ieiuno bis in Sabbato.

VERS. 34. Quibus ipse ait: Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare?

CYRILLVS *Christi aduentus festiuitas fuit.* 37. CONSIDERA verò rursum vt ostendat Christus illos non esse participes sollemnitatis, sed eius omnino expertes ob eorum contumaciam, atque ab vniuersali celebritate segregatos esse. Saluatoris enim nostri in hoc sæculo demonstratio, nihil aliud erat quàm quædã festiuitas, spiritaliter quasi quamdam sponsam copulans sibi nostram naturam, vt quondam sterilis, fecunda fieret & fertilissima. Itaque filij quidem sponsi sunt omnes illi, qui vocati sunt ab eo per nouam & Euangelicam prædicationem; non autem Scribæ & Pharisæi, qui solùm legis vmbram considerant.

BASILIVS. 38. Sublimiori verò sensu filij sponsi non possunt ieiunare, hoc est, conuenientem animæ cibum non sumere, & non viuere de omni verbo quod procedit ex ore Dei. Matth. 4, 4

39. Vbi verò concesserat filijs sponsi, quòd non deceret eos certo tempore laborare, tamquam qui spiritalem celebrarent solemnitatem, ne inter nos ieiunium aboleretur, ad modum dispensatiuè subiungit, dicens: CYRILLVS

VERS. 35. Venient autem dies: cùm ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

36. Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à nouo vestimento immittit in vestimentum vetus: alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo.

37. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpet vinum nouum vtres, & ipsum effundetur, & vtres peribunt.

38. sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est, & vtraque conseruantur.

39. Et nemo bibens vetus, statim vult nouũ, dicit enim: Vetus melius est.

40. OMNIA enim bona in tempore illorum. Quid autem est hoc, auferendum esse ab illis sponsum? ascensurum nempe Christum. CHRYSOSTOMVS.

41. Vinum enim recèns expressum, propter feruorem humoris naturaliter fumosum est, feculentam materiam à se naturali agitatione despumans. Tale autem vinum meâ quidem sententiâ est noua doctrina spiritalis, quam putridi, & propter inueteratam incredulitatem cariosi vtres, continere non valent, sed eruditionis sublimitate scinduntur. Idcircò priusquam intellectus eorum sublimetur doctrinâ, eiusdem grauitate rumpuntur, & ob scissuram redduntur inutiles, nec non & gratiam spiritus incassùm fluere faciunt. Nam in maleuolam animam non introibit sapientia, vt tradit Scriptura. NYSSENVS *Nouum vinum est noua doctrina.* Sap. 1, 4.

42. Aduerte autem, quomodo communibus exemplis orationem confirmet. Tale verò est quod dicit: Discipuli mei nondum facti sunt robusti, sed adhuc magnâ egent indulgentiâ, nondum per Spiritum renouati sunt: sic autem constitutis non oportet onus imponere præceptorũ. Vestimentum autem & vtres exempla sunt antiqui Testamenti similia: nam & Ieremias cingulum esse populum dixit, & tam de vtribus quàm de vino mentionem fecit. Nunc verò Dominus quoniam de ventris vitio erat sermo CHRYSOSTOMVS. Ier. 13, 4. *Discretio Doctori necessaria est.*

ac

ac de mensis, ab eisdem desumit exempla. Lucas autem etiam amplius aliquid dicit quàm Matthæus, quòd & nouum scindatur, si immiseris illud veteri. Cernis vt non solùm inde nihil existat emolumenti, verùm etiam maius detrimentum. Quapropter quamdiu noui sunt discipuli, nihil austerum ijs præcipiendum est aut graue: nam qui opportunitate non expectatâ, altiora quàm par est, hominibus dogmata proponit, is nec cùm occasio fuerit, aptos ad audiendum reperiet, cùm iam semel ineptos fecerit. Quod non causâ vini, nec suscipientium culpâ contingit, sed propter imponentium importunitatem.

ANNOTATIONES.

VERS. 30 *Cur Christus consideretur publicanis.* ET MVRMVRABANT PHARISÆI.] CHRYSOLOGVS *Serm.* 30. Arguitur, *inquit*, Deus, quare inclinat se homini, quare coniacet peccatori, quare esurit pœnitentiam, quare sitit reditum peccatorum, quare acceptat misericordiæ fercula, quare sumit poculum pietatis. *Statimque occurrens obiectioni ait:* Venit ad prandium Christus, venit ad conuiuium vita, vt faceret secum conuiuere morituros: iacuit resurrectio, vt de sepulchris surgerent qui iacebant: decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad veniam: venit ad humanitatem Diuinitas, vt ad Diuinitatem veniret humanitas: venit iudex ad reorum prandium, vt humanitas præueniret reatus sententiam: venit ad languentes Medicus, vt reficeret conuescendo defessos: inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reuocaret ad caulas. Sed hoc Pharisæus detestatur, & arguit, qui prandium Dominicum putat non virtutis esse, sed ventris; non spiritus, sed carnis; non diuinæ bonitatis, sed voluptatis humanæ; terreni luxus, non gratiæ cælestis. Sic sic se videt, qui Deum non videt. Quis arguit Medicum iacentibus coniacentem, nisi humanæ salutis inimicus? Quis pastorem subnixum lapso pecori reprehendit, nisi qui lucrosi gregis amorem nescit? Quis iudicem de pietate iudicat, nisi ille qui fuerit desperatus? Quis communionem Dei, nisi sacrilegus spernit? Indulgentiam quis nisi crudelis horrescit? *Sic ille.*

Sed vide quid seueri isti iudices, & sapientissimi Aristarchi dicant: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis? *In qua verba idem* CHRYSOLOGVS, *volens ostendere ipsos esse peccatores qui se iustos arbitrabantur*, Et quis est, *inquit*, peccator, nisi qui se peccatorem negat? Magis ipse peccator est, & vt veriùs dicam, ipse iam peccatum est, qui se iam non intelligit peccatorem. Et quis iniustus, nisi qui se iudicat iustum? Legisti Pharisæe, Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Confitere peccatũ, vt Christi venire possis ad mensam, vt sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum; vt fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Pharisæe prande cum peccatoribus, vt possis prandere cum Christo. Agnosce te peccatorem, vt tecum prandeat Christus: intra cum peccatoribus conuiuium Domini tui, vt possis non esse peccator: intra domum misericordiæ cum Christi veniâ, ne cum tuâ iustitiâ extra Domini misericordiæ puniaris exclusus. Audi cælestem Medicum. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Si vis curam, agnosce languorem. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Si cupis misericordiam, confitere peccata. Fratres simus peccatores confessione nostrâ, vt Christi veniâ non simus peccatores.

Magis peccatores sunt qui se iustos arbitrantur.

Psal. 142, 2

VERS. 34. NVMQVID POTESTIS FILIOS SPONSI, &c.] *Nota, hic alludi ad matrimonium Christi cum Ecclesiâ, cuius quasi sponsalia hic in terrâ celebrantur Matthæi c. 22. nuptiæ autem in cælo, Apocalypseos c. 19, 7. Quasi Christus dicat: Non mirum est meos discipulos non lugere, ac per consequens non ieiunare more lugentium, cùm sponsalibus meis ac nuptijs gaudeãt, in quibus dedecet ieiunium: filios autem seruorum ac Ioannis vitam tristem agentis auferam, vti & Moysi onerosam suis legem imponentis, quos decebat luctus & ieiunium, quippe qui peccatoribus per luctum & aspera pœnitentiæ opera parabant viam ad latas sponsi Christi nuptias. Tropologicè autem* S. HIERONYMVS *in Matthæi c. 9.* Cùm sponsus, *inquit*, à nobis propter peccata discesserit, tum maximè luctus suscipiendus est ac ieiunium. *Qui sint filij sponsi.*

NVM. 42 *ad vers.* 36. Nemo commissuram à nouo vestimento immittit in vestimentum vetus.] *Matthæi c. 9. v. 16. habetur* ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου *id est*, commissuram panni rudis, *aut impoliti atque impexi, qualis est pannus quando à textoribus ad fullones præparandus defertur, qui Græcè* ἄγναφος *dicitur. Hic est autem sensus parabolæ: Vestis lacera simili veteri assumento resarcienda est, non nouo. Nam si nouum assuas, vt ait S. Matthæus cap. 9. tollis plenitudinem à vestimento cui assuitur, vt videlicet non videatur vnum, plenum atque integrum vestimentum homogeneum, sed heterogeneum, quia partim vetus, partim nouum est, ita vt qui tale assumentum nouum veteri assuerit, videns eius turpitudinem, statim illud rursum auferat, vt addit S. Marcus c. 2. v. 21. & sic peior fit scissura quàm erat anteà. Ita etiam Christus cùm sit prudentissimus ac suauissimus animorum medicus, perspiciens discipulorum suorum qui sunt quasi vtres veteres & vestimentum vetus, ob veterem ac pristinam consuetudinem, infirmitatem ac libertatem, necdum eis tam duras & rigidas voluntarias pœnitentias, quæ sunt quasi vinum nouum & commissura panni rudis, imponit, ne & doctrinæ fructus pereat, & ipsi quoque desperatione acti salutem suam deserant: sed exspectat dum innouentur spiritu cælesti, ac vetustate & infirmitate depositâ, innouati nouam austeritatẽ sponte suscipiant. Ita factum esse patet Actorum 13, 2. 2. ad Cor. 11.*

Hoc loco ponenda videtur istius languidi iuxta piscinam iacentis curatio, quæ describitur his verbis.

SVPPLEMENTVM EX S. IOANNIS CAP. V.

VERS. 1. Post hæc erat dies festus Iudæorum, & ascẽdit Iesus Ierosolymam. Leu. 23, 5. Deut. 16, 1

2. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens.

3. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantiũ aquæ motum.

4. Ange-

4. Angelus autem Domini deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam: & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.

SANCTVS *Cyrillus atque Chryſoſtomus in caput 5. Ioannis exiſtimant feſtum hoc fuiſſe Pentecoſten. Irenæus verò l. 2. c. 39. quem ferè ſequuntur recentiores, tenet fuiſſe Paſcha, quod probabilius videtur. Primò, quia capite 4, 35. dicit adhuc quatuor menſes reſtare ad meſſem, quare necdum erat Paſcha, ſed proximum erat, ſcilicet hoc feſtum. Secundò, quia cùm Chriſtus à Baptiſmo tres annos cum medio prædicarit, vt habet communis ſententia Doctorum; oportet horum annorum quatuor inuenire Paſchata. Primum expreſſit S. Ioannes cap. 2, 13. ſecundum hîc cap. 5, 1. tertium cap 6, 4. quartum paulo ante mortem Chriſti. Aliàs ex S. Ioanne tria tantùm Paſchata colliges. Hic ergo finiuntur geſta primi anni Chriſti & aliquot menſium, ſcilicet geſta à Baptiſmo vſque ad ſecundum Paſcha. De Probaticâ verò piſcinâ vide Euthymiū in c. 5. Ioānis, item S. Chryſoſtomum Hom. 15. in Ioannē, S. Auguſtinum Tractatu 17. in Ioannem, Cyrillum lib. 2.*

Quinque porticus in piſcinâ quid moraliter.

Ibidem capite 115. pulchrè explicat piſcinam moraliter GALFRIDVS *dicens:* Mens noſtra velut quædam piſcina cogitationum, velut aquarum collectio, quinque porticus habet, ſcilicet corporis ſenſus, in quibus iacet, cùm ſit hora ſurgendi, multitudo languentium; cæcorum, qui neſciunt bonum agere; claudorū, qui nequeunt; aridorum, qui nolunt, humorem gratiæ non habentes; exſpectantium aquæ motum, quæ mouebitur omnibus, ſed quibuſdam ſerò mouebitur. Aqua profunda, ſenſus in corde viri, quæ per Angelum Domini mouetur, cùm diuinitus cogitatio noſtra timore concutitur, & qui primus immergitur, ſanatur, & qui perfectè in hac vitâ compungitur, ſaluus erit. Non ſimiliter autem meretur, qui poſteà venerit; quia poſt mortem, etſi pœnitentia erit, ſed iam fructuoſa non erit.

Angelus piſcinæ motor quid deſignet.

S. AMBROSIVS *de Spiritu ſancto cap. 7. ait:* Habes etiam, quia Angelus ſecundùm tempus deſcendebat in natatoria, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet in natatoria, ſanus fiebat. Quid in hoc typo Angelus, niſi deſcenſionem ſancti Spiritus nuntiabat, quæ noſtris futura temporibus aqua ſacerdotalibus inuocata precibus conſecraret? Ille ergo Angelus ſancti Spiritus erat nuntius, eò quòd per gratiam ſpiritalem medicina noſtris eſſet animi ac mentis languoribus deferenda. Eoſdem ergo & ſpiritus habet, quos Deus Pater & Chriſtus miniſtros. Sic omnia repleti ſic omnia poſſidet, ſic omnia operatur in omnibus, quemadmodum & Deus Pater operatur & Filius.

TERTVLLIANVS *lib. de Baptiſmo cap. 5.* Piſcinam, *inquit,* Bethſaidam Angelus interueniens commouebat, obſeruabant qui valetudinem querebantur. Nam ſi quis præuenerat deſcendere illuc, queri poſt lauacrum deſinebat. Figura iſta medicinæ corporalis ſpiritalem medicinam canebat, eâ formâ, quâ ſemper carnalia in figurâ ſpiritalium antecedunt. Proficiente itaque in hominibus gratiâ Dei, plus aquis & Angelo acceſſit. Qui vitia corporis remediabant, nunc Spiritum medentur: qui temporalem operabantur ſalutem, nunc æternam reformant: qui vnum ſemel anno liberabant, nunc quotidie populos conſeruant, deletâ morte per ablutionem delictorum; exempto ſcilicet reatu, eximitur & pœna. Ita reſtituetur homo Deo per ſimilitudinem eius qui retrò ad imaginem Dei fuerat. Imago in effigie, ſimilitudo in æternitate cenſetur. Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de afflatu eius acceperat, ſed pòſt amiſerat per delictum. Non quòd in aquis Spiritum ſanctum conſequamur, ſed in aquâ emundati ſub Angelo Spiritui ſancto præparamur.

S. AVGVSTINVS *in Pſal 83. ſic ait:* Quinque illæ porticus, lex eſt in quinque libris Moyſi. Ad hoc producebantur ægroti de domibus ſuis, vt iacerent in porticibus. Ergo lex producebat ægrotos, non ſanabat: ſed benedictione Dei turbabatur aqua, tamquam Angelo deſcendente. Viſâ aquâ turbatâ, qui poterat vnus deſcendebat, & ſanabatur. Aqua illa cincta quinque porticibus, populus Iudæorum erat lege concluſus: hunc perturbauit Dominus præſentiâ ſuâ, vt occideretur. Niſi enim deſcenſu ſuo Dominus perturbaret populum Iudæorum, numquam crucifigeretur. Itaque perturbata aqua paſſionem Domini ſignificabat, quæ facta eſt perturbata gente Iudæorum. In hanc paſſionem redit languidus, tamquam in aquam turbatam deſcendens, & ſanatur. Qui non ſanabatur lege, id eſt porticibus; ſanatur gratiâ, per paſſionis fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Vnus, quia vnitas.

Quinque porticus, quinque libri Moyſis

S. AMBROSIVS *lib. 1. de Sacramentis cap. 2 Auguſtino conſentiens,* Figura, *inquit,* aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſanaturus erat humanā generationem, ipſe eſt Angelus teſtamenti, deſcendens & mouens piſcinam aquarum, quia in hunc mundum paſſurus venit, & per paſſionem ſuam & mortem humanum genus infirmum ſanaturus. Hoc eſt, quod miraculū præfigurabat, & idcircò vnicus ſanabatur. Nā in vno homine infirmo meliùs totum genus humanum repræſentatur, quàm in multis, ad exprimendam morbi vniuerſitatem & vnitatem. Omnes enim peccati morbo laborabāt, omnes ſub eadem mortis damnatione tenebantur.

Angelus figura Chriſti.

Cur vnicus tantùm ſanaretur.

Hac videtur etiam ratio, cur Chriſtus hic vnum tantùm ſanarit, vt hoc facto ſignificaret, ſe eſſe illum eumdem Deum, qui priùs ſanauerat, & eum qui tali miraculo præſignatus erat, & qui humanum genus ſanare de cælo veniebat. Optimè autem humanum genus in hoc paralytico figurabatur & exprimebatur, quapropter forſan Dominus hunc ſanandum elegit.

VERS. 5. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſuâ.

6. Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri?

7. Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinā: dum venio enim ego, alius ante me deſcēdit.

8. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.

9. Et

9. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo.

SANCTVS ATHANASIVS *Homiliâ de Semente*, Diuturnus, *inquit*, hic morbus fuit, vt Iudæi inde conuincerentur. Si enim breuis illa ægrotatio fuiſſet, latuiſſet vis miraculi. Nunc multi anni hunc morbum conteſtatum reddunt, vt vel ita videntes viſum recuperent.

Peccatores ſpiritualiter languentes cur non curentur.

Quia autem homo hic & corpore & multò magis animâ ægrotabat, poſtulat ab illo Dominus an ſalutem velit, vt indicet, eos qui longâ peccandi conſuetudine detinentur in peccatis, rarò illam velle efficaciter. Vnde ſi petas à fornicario an ſalutem animæ velit; vtique reſpondebit, Volo: ſed cùm ad eam conſequendam concubina relinquenda ſit, ſalutem negligit. Idem vſurario, cùm reſtitutio facienda; ita iracundo, cùm iniuria condonanda eſt, euenit. Hic itaque æger, quia viribus deſtitutus erat vt ipſe deſcenderet, nec hominem habebat qui eum mitteret in aquam, propereà iuxta piſcinam manebat in ſuâ infirmitate, ſemper deſiderans ſalutem, nec tamen tot annis conſequens. Huiuſcemodi ſpiritu languentes hodie multi reperiuntur, qui deſiderio quidem benè operandi ac viuendi, ſed inefficaci tenentur, qui tandem ad inferna deſcendunt ob defectum virilis animi, hominem non habentes, fortitudine carentes, ad aggrediendum difficilem virtutis viam, quâ quod rectè deſiderant exequantur. Plerique enim vellent acquirere virtutes, ſed abſque labore, vti pulchrè docet

Multi vitæ emendationem proponunt, ſed facilè in tentatione recedunt.

S. GREGORIVS *lib. 7. Moralium cap. 12. explicans illa verba Iob 6, 18.* Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum, *ſic dicens*: Omne quod inuoluitur, in ſemetipſum replicatur. Et ſunt nonnulli, qui ſeducentibus vitijs obuiare quaſi totâ intentione deliberant, ſed irruente tentationis articulo, in deliberationis propoſito non perdurant. Alius namque prauo vſu ſuperbiæ inflatus, cùm magna eſſe præmia humilitatis conſiderat, aduerſum ſemetipſum ſe erigit. & quaſi tumor ne turgidi faſtus deponit, exhibere ſe quibuſlibet contumelijs humilem promittit: ſed cùm repentè hunc vnius iniuria verbi pulſauerit, ad conſuetam protinus elationem redit, ſicque ad tumorem ducitur, vt nequaquam, quia humilitatis bonum concupierat, recordetur. Alius auaritiâ æſtuans, augendis facultatibus anhelat: is cùm præterire omnia velociter conſpicit, vagantem per concupiſcentiam mentem figit, decernit iam nihil appetere, & adepta tantummodò ſub magni moderaminis freno poſſidere: ſed cùm repentè fuerint oculis oblata quæ placeant, in ambitione protinus mens anhelat, & oblitâ continentiâ quam ſecum pepigerat, cogitationum ſe ſtimulis per deſideria acquiſitionis inquietat. Alius luxuriæ tabe polluitur, & longâ iam conſuetudine captus tenetur, quanta autem caſtitatis ſit munditia conſpicit, & à carne vinci turpe deprehendit: reſtringere ergo voluptatum fluxa deliberat, ſed vel obiectâ oculis ſpecie, vel ad memoriam reductâ, cùm ſubiectâ tentatione côcutitur, protinus à priſtinâ præparatione diſſipatur. Alius verò iracundiæ flammis incenditur, eiuſque ſtimulis ad inferendas proximis contumelias effrenatur; cùm verò nulla furoris animam occaſio pulſat, quanta ſit manſuetudinis virtus, quanta patientiæ altitudo, conſiderat, ſeque etiam contra contumelias patienter parat: ſed cùm parua quælibet commotionis occaſio naſcitur, repentè ad voces & contumelias medullitus inflammatur. Cumque furori plenè ſatisfecerit, quaſi poſt exercitium, in tranquillitatem redit, & tunc ſe ad ſilentij clauſtra recolligit, cùm linguæ non patientia, ſed procacitatis ſuæ ſatisfactio frenum ponit. Vix igitur, vel ſerò poſt conuitia illata ſe cohibet, quia & à curſu ſæpè ſpumantes equos, non præſidentis dextera, ſed campi terminus coërcet. Benè ergo de reprobis dicitur, Inuolutæ ſunt ſemitæ greſſuum eorum, quia recta quidem deliberando appetunt, ſed ad conſueta ſemper mala replicantur; & quaſi extra ſe tenſi, ad ſemetipſos per circuitum redeunt, quia bona quidem cupiunt, ſed à malis nequaquam redeunt. Eſſe quidem humiles, ſed tamen ſine deſpectu; eſſe contenti proprijs, ſed ſine neceſſitate; eſſe caſti, ſed ſine maceratione carnis; eſſe patientes, ſed ſine contumelijs volunt: cumque adipiſci virtutes quærunt, ſed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo neſciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiſcunt? Iob 6, 18.

VERS. 8. SVRGE, TOLLE GRABATVM TVVM, ET AMBVLA.] *Præcipiendo hoc Dominus languido, vt lectulum in quo quieſcebat tolleret, docere voluit peccatores iam conuerſos, vt membra, quæ ſeruierant iniuſtitiæ & iniquitati, faciant ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Hunc igitur Chriſtus vbi ſanitati reſtituit, vires etiam præſtitit, & occaſiones abſtulit; inſinuans quòd etiam à peccatis tribus modis conſeruet, ſcilicet occaſionis ſubtractione, reſiſtendi datâ virtute, & affectionis ſanatione, vti pulchrè propriâ experientiâ doctus docet* S. AVGVSTINVS *libro de Diligendo Deo ſic ſcribens*: Tribus autem modis à peccato me memini conſeruatum, ſcilicet occaſionis ſubtractione, reſiſtendi datâ virtute, affectionis ſanitate: multa enim in peccata cecidiſſem grauiter impulſus violentiâ tentationis, ſed virtutem dediſti mihi Domine, vt ſub me eſſet appetitus meus, & ei quam ſentiebam concupiſcentiæ minimè conſentirem. Sed à quibuſdam peccatis tam longè me fecit tua miſeratio Domine, vt penitus abominarer ea, & ne vlla me quidem eorum tentatio moleſtaret. Magis quidem bonitatis eſt iudicium Domine Deus, & hoc ecce infelix ego te irritaui, ego malum coram te feci, furorem tuum prouocaui, iram promerui; peccaui & paſſus es, deliqui & adhuc ſuſtines. Si pœniteo, parcis; ſi reuertor, me ſuſcipis; inſuper dum differo præſtolaris, reuocas errantem, vincis repugnantem, exſpectas torpentem, amplecteris redeuntem, doces ignorantem, mulces mœrentem, à ruinâ ſuſcitas, poſt lapſum reparas, petenti largiris, quærenti inueniris, pulſanti aperis, oſtendis mihi benè viuendi viam, das gradiendi ſcientiam.

Tribus modis Deus nos reuocat à peccato.

S. BERNARDVS *pulchrè etiam ad hunc locum ſic ait*: Grabatum corpus noſtrum eſt, in quo priùs languidi iacemus, ſeruientes deſiderijs & concupiſcentijs noſtris. Tunc portamus illud, cùm ſpiritui cogimus obedire, & mortuum noſtrum portamus, quia corpus mortuum eſt propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam. Ambulamus etiam in domũ noſtram. In quam domum? in matrem omnium, quia ſepulcrum eorum domus eorum in æternum. Qui ſub hoc onere ambulamus, poſito eo, quid putatis quomodo curremus, quomodo volabimus? Felix interim qui paſ-

Quomodo grabatum tollere debeamus.

siones corporis sui propter iustitiam ordinat, vt quidquid patitur, propter Dei Filium patiatur, quatenus & à corde tollatur murmuratio, & in ore versetur gratiarum actio, & vox laudis.

VERS. 10. Dicebant ergo Iudæi illi
Exod. 20, 12. Ierem. 17. 24. qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum.

11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula.

12. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula?

13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turbâ constitutâ in loco.

14. Posteà inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

15. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

QVÒD *autem paralyticus hic à Christo sanatus reprehensionem statim & exprobrationem sustineret Iudæorum, Deo sine dubio ita dispensante id factum est, vt doceremur idem spiritualiter accidere, vt nimirum homine ad Deum conuerso, ne securitas & negligentia eum sternant, tentationes continuò nouæ, & noui hostes insurgant, vti præclarè docet*

A peccatis liberati non diu à tentationibus sunt liberi.

S. GREGORIVS *lib. 24. Moralium cap. 7. ita scribens:* Ne conuersus quisque iam sanctum se esse credat, & quem pugna superare non valuit, ne ipsa postmodum securitas sternat, dispensante Deo permittitur, vt post conuersionem suam tentationum stimulis fatigetur. Iam quidem per conuersionem, Rubrum mare transitum est, sed adhuc in eremo vitæ præsentis, ante faciem hostes occurrunt. Iam peccata præterita, velut extinctos Ægyptios post terga relinquimus; sed adhuc nocentia vitia, quasi alij hostes obuiant, vt ad Terram promissionis pergentibus, cœptum iter intercludant. Iam priores culpæ velut insequentes aduersarij diuinâ virtute prostrati sunt; sed tentationum stimuli quasi hostes alij contra faciem veniunt, qui & cum nostro labore superentur. Ne ergo securitas negligentiam generet, scriptum est: Fili, accedens ad seruitutem
Eccle. 2, 1. Dei, sta in iustitiâ & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Non enim ait, ad requiem, sed, tentationem: quia hostis noster adhuc in hac vitâ nos positus, quantò magis nos sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit. Eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit: contra nos verò eò vehementiùs excitatur, quò ex corde nostro quasi ex iure propriæ habitationis expellitur, &c.

VERS. 14 ECCE SANVS FACTVS ES.] S. CHRYSOSTOMVS *Sermone de Lapsu primi hominis, sic monet eum qui spiritu sanus effectus est:* Te iam instituit Dominus, tibi gestorum exempla proposuit. Ecce, inquit, sanus factus es, noli iam ampliùs peccare, ne quid tibi deterius fiat. Noli, inquit peccare post veniam, noli vulnerari post curam, noli sordidari post gratiam. Cogita, inquit, ô homo, grauiorem esse culpam post veniam, renouatum vulnus peiùs dolere post curam, molestiùs hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est qui post veniam peccat; sanitate indignus est, qui semetipsum postquam curatus est vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. Porrò qui post absolutionem non peccat, meretur & præmium; qui post curam cautus est, sanitatis possidet donum; qui gratiam illæsam tenuerit, æternitatis accipiet regnum. Graue est enim hominem instructum delinquere; grauius, absolutum peccare. Seruo peior est qui patronum post libertatem offendit; beneficijs ingratus est, qui datorem, tumoris arrogantiâ despicit. Quare aut salutem de exemplo acquire, aut de consortio similem sententiam metire, ne seuerum sentias iudicem, quem benignum contempseris persuasorem.

Recidiua periculosa est.

Vide item S. Chrysostomum Homil. 4. in Ps. 121. & Hom. 68. in Matthæum. Quibus non absimilia scribit S. BERNARDVS *Sermone 3. in Cantica:* Si dixerit mihi Iesus, Dimittuntur tibi peccata tua: nisi ego peccare destitero, quid proderit? Exui tunicâ meam, si reinduero eam, quantum profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, numquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum, iacui diu in luto fæcis; sed erit sine dubio recidenti quàm iacenti deteriùs. Denique qui me saluum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es, vade, iam ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus est vt addat & continendi virtutem: ne iterem pœnitenda, faciamque nouissima mea peiora prioribus. Væ enim mihi etiam pœnitenti, si statim subtraxerit manum sine quo nihil possum facere. Nihil, inquam; quia nec pœnitere, nec continere. Audio proinde quid consulat Sapiens. Verbum, inquit, in oratione ne iteres. Paueo, & quòd Iudex intentat arbori non Eccli 7, 15
facienti fructum bonum: fateor pro huiusmodi non sum omnino contentus priore gratiâ, quâ iam malorum sum pœnitens, nisi & secundam accepero, vt videlicet dignos faciam pœnitentiæ fructus, & deinceps non reuertar ad vomitum.

VERS. 16. Proptereà persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato.

17. Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.

18. Proptereà ergo magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solùm soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Iesus, & dixit eis:

19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæ-

cumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.

20. Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, vt vos miremini.

21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat: sic & Filius, quos vult, viuificat.

22. Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iudicium dedit Filio,

23. vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transijt à morte in vitam.

Quomodo Deus cessauerit ab omni opere.

SANCTVS AVGVSTINVS *libro Contra Adimantum cap. 2.* Hoc etiam, *inquit*, loco Manichæi calumnias mouent, & dicunt nouo Testamento aduersari quod in Genesi scriptum est, Deum septimo die requieuisse ab omnibus operibus suis quæ fecit; quoniam Dominus in Euangelio dicit, Pater meus vsque nunc operatur, quod nullo modo contrarium est. Dominus enim Iudæorum refellit errorem, qui putabant Deum sic requieuisse die septimo, vt ex illo nihil prorsus operaretur. Requieuit autem ab omnibus operibus suis quæ fecit, vt iam vltrà non faceret mundum cum omnibus quæ in eo sunt, non tamen vt etiam à mundi administratione requiesceret. Non enim scriptum est, Requieuit Deus ab omnibus operibus suis, vt deinceps non operaretur, sed scriptum est, Requieuit Deus ab omnibus operibus suis quæ fecit; vt deinde non in faciendo mūdo, à quo opere post perfectionem cessauerat, sed in administrando operaretur, in quo opere eum esse Dominus intimauit. Hæc illa requies non quasi post laborem, Deum pausam quæsijsse, sed ab instituendis rerum naturis, post earum rerum perfectionem cessare significat, quamuis vsque adhuc in administrandis operetur. Sabbati autem obseruationes non intelligebant Iudæi, qui putabant ab ijs etiam operibus, quæ ad salutem hominum valent, oportere cessari.

Quid intenderit Deus per Sabbati obseruationē.

Vnde illos Dominus etiam alijs locis de boue qui in puteum cecidit, & iumento quod soluendum est vt ad aquam ducatur, mirificâ comparatione redarguit. Sabbatum autem non repudiatum, sed intellectum à Christianis destitit quidem carnaliter obseruari, sed spiritualiter retinetur à Sanctis, qui intelligūt vocem Domini vocantis ad requiem,

Matth. 11, 28. & dicentis: Venite ad me, qui laboratis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum leue est, & sarcina mea leuis est. Hoc sabbatum, id est, hanc requiem Scriptura illa significat, quam Iudæi non intelligebant, & pro temporum dispensatione carnaliter sequebantur vmbram, cuius vmbræ quasi corpus, id est, veritas nobis danda erat. Sed quemadmodum illa requies Dei post fabricatum mundum insinuatur, sic requiem, quæ nobis promittitur post opera quæ in hoc mūdo habemus, si iusta fuerint, cōsequemur; septimâ scilicet eademque vltimâ parte sæculi, de quâ longum est disputare. Non ergo Dominus rescindit Scripturam veteris Testamenti, sed cogit intelligi: nec sabbatum soluit, vt pereat quod figurabatur, sed aperit potiùs vt appareat quod tegebatur.

Idem lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 11. Iustissimâ, *inquit*, ratione compellimur indagare si valeamus, atque eloqui, quomodo vtrumque sit verum, & quod hîc scriptum est, in septimo die requieuisse Deum ab omnibus operibus suis quæ fecit, & quod in Euangelio dicit ipse, per quem facta sunt omnia, Pater meus vsque nunc operatur, & ego operor. Eis enim hoc respondit, qui propter requiem Dei, Scripturæ huius auctoritate antiquis commendatum sabbatum ab eo non obseruari querebantur. Et dici quidem probabiliter potest, obseruandum sabbatum Iudæis fuisse præceptum in vmbrâ futuri, quæ spiritalem requiem figuraret, quam Deus exemplo huius quietis suæ, fidelibus bona opera facientibus arcanâ significatione pollicebatur.

Quo sensu dicatur Filius à se nihil posse facere.

EVTHYMIVS *in cap. 5 Ioannis*, Non potest Filius à se facere quidquam, nisi viderit Patrem facientem; Quia, *inquit*, sublimia de seipso dicens, persecutionem sustinebat, quòd illi ad eorum quæ dicebantur celsitudinem peruenire non possent, sed tamquam Deo contrarium eum persequerentur, condescendit imbecillitati mentis illorum, & humilia dispensatione de se loquitur, vt per hæc facilè suspicerentur. Deinde rursus ad sublimia sermonem reducit, & iterùm hunc ad humilia demittit, rursumque ad id quod sublimius est, deinde ad id quod humilius: & ita per sublimia simol & humilia verba, tum æqualitatem demonstrantia, tum minoritatem demonstrare apparentia, suum texit sermonem, atque hunc iudicio dispensat, vt & qui mente sunt acutiores ac benigni, sumant à sublimibus intellectū conuenientem etiam de humilibus; & qui obtusiores sunt aut insulsi, ab humilibus consolationem accipiant, & quasi de homine hæc intelligentes non turbentur. Verumtamen quamquam verba sint humilia, hoc etiam modo sub his excelsæ occultantur sententiæ: & verbis quidem causam dare videtur aduersarijs, sensibus verò nequaquam. Quid ergo nunc dicit, Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem? His quidem qui sunt intellectu crassiores, potentiæ minorationem præ se fert hic sermo, propter dictam dispensationem: subtilibus autem æqualitatem potiùs & identitatem, propter veritatem. Non potest, non ob potentiæ defectum, sed propter inseparabilitatem: nam impossibile est Filium quidquam facere quod non facit Pater, quia non est alia Filio potentia ab eâ quæ Patris est, sed eadem. quòd si eadem est, æqualis certè Filius est Patri. Ait autē Gregorius Theologus, quòd earumdem rerum formas intelligendas præbet Pater, Filius verò perficit, non tamquam seruus aut insipiens, sed tamquam Dominus ac prudens, & vt magis propriè dicatur, modo

paterno, siue iuxta Patris dominium ac scientiam. Propter prædicta ergo dictum est, Non potest Filius à se facere quidquã, nisi quod viderit Patrem facientem. Quòd si non propter hæc, quomodo potentiâ non potest, aut quomodo sapientiæ est opus præceptore? Quomodo etiam omnia per ipsum facta sunt? Siue quo pacto etiam hominibus non erit imbecillior, qui multa à seipsis faciunt? nam & virtutem à nobis ipsis eligimus, & vitium. Multa quoque varijs ex locis consequentur absurda, &c.

VERS.25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei: & qui audierint, viuent.

26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in semetipso:

27. & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.

28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei:

Matth.25 26. 29. & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

SANCTVS AVGVSTINVS *in Catenâ aureâ ad hunc locum*, Ne fortè, *inquit*, quia dixit, Transit de morte ad vitam, intelligamus hoc in futurâ resurrectione, ostendere volens quomodo transit qui credit, subiungit: Amen, amen dico vobis, quia venit hora. Quæ hora? Et nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint, viuent. Non inquit, quia viuunt audiunt, sed audiendo reuiuiscunt. Quid est enim, audient? nisi obedient. Qui enim credunt, & secundùm veram fidem agunt, viuunt, & mortui non sunt. Qui autem vel non credunt, vel credunt malè viuentes, & charitatem non habêtes, mortui potiùs deputandi sunt. Et tamen agitur adhuc hora ista, & vsque ad finem sæculi ipsa hora vna agitur, vt Ioannes dicit, Nouissima hora est.

IDEM *de Verbis Domini*: Quando mortui, id est, infideles audient vocem Filij Dei, id est Euangelium. Et qui audierint, id est qui obedierint, viuent, hoc est iustificabuntur, & infideles iam non erunt.

Cur Pater dederit Filio iudiciũ. S. BERNARDVS *Sermone 73. in Cantica*, Ipse, *inquit*, Deus Pater dedit Filio iudicij potestatem, & non quia suus, sed quia Filius hominis est. O verè Patrem misericordiarum! vult per hominem homines iudicari, quò in tantâ trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo. Prædixerat hoc quondam sanctus Dauid orans pariter & prophetans, Deus, inquiẽs, iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Sed neque huic dissonat promissio facta per Angelos, qui eo assumpto ita ad Apostolos loquebantur: Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, hoc est, in hac ipsâ corporis formâ atque substantiâ.

IDEM *Epistolâ* 42. Solum attendo iudicem, quem & solum iustificatorem agnosco. Pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Non vsurpo mihi, vel super me, seruus, filij potestatem; nec me annumero illis, de quibus ita conqueri solet, Tulerunt homines à me iudicium. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Et ego mihi præsumam quod nec ipse Pater sibi assumit? Velim nolim, ipsi me adstare necesse est, ipsi horum, quæ gesserim in corpore, reddere rationem; cui nec verbum præteruolat, nec subterfugit cogitatio. Sed tam æquo libratore meritorum, sub tam intimo secretorum inspectore, quis gloriabitur castum se habere cor?

S. AVGVSTINVS *de Verbis Domini*, Ad iudicium, *inquit*, forma hominis ventura est. Forma illa iudicabit quæ iudicata est. Sedebit iudex, qui stabat sub iudice. Damnabit verò reos, qui factus est falsò reus. Rectum enim erat vt iudicandi viderent iudicem: iudicandi autem erant boni & mali. Restabat vt in iudicio forma serui & bonis & malis ostenderetur, forma Dei solis bonis seruaretur. *Christus cur ad iudicium veniet in formâ hominis*

VERS.30. Non possum ego à me ipso facere quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.

31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.

32.* Alius est, qui testimonium perhibet de me: & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me. *Matth.3, 17. Ioan.1, 15.

33. Vos misistis ad Ioannem: & testimonium perhibuit veritati.

34. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed hæc dico vt vos salui sitis.

35. Ille erat lucerna ardens, & lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius.

36. Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater vt perficiam ea; ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me:

37. & qui misit me Pater,* ipse testimonium perhibuit de me: neque vocem eius vmquam audistis, *neque speciem eius vidistis. *Matth.3, 17. 17,5. *Deut.4, 12.

38. & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non creditis.

SANCTVS AMBROSIVS *Serm.10 in Psal.118.* Et hîc, *inquit*, personam iudicis præpositique suscipit, dicens: Non possum à me facere quidquam. Bonus enim iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ *Boni iudicis officium.*

mestica proposito voluntatis, sed iuxta leges & iura promulgata, scitis iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert: sed sicut audit, ita iudicat; & sicut habet negotij natura, decernit. Obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causæ merita, non mutat. Dicite iudices sæculi, quem in iudicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem. Dominus omnium dicit: Non possum ego à me facere quidquam. Alibi lego: Negare semetipsum non potest. Non potest vtique, non per infirmitatem, sed per integritatem; non per impossibilitatem faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid non potest, qui omnia potest, nisi quod posse noluit? Non vult posse quod damnat, non vult posse aduersus fidem, non vult posse aduersus veritatem. Audi postremò ipsum dicentem, cur non possit à se facere quidquam: Sicut audio, inquit, iudico: hoc est, Non ex meâ potestate decerno quod libitum, sed ex iudicandi religione quod est. & ideò iudicium meum verum, quia non voluntati meæ indulgeo, sed æquitati. Audite quid Iudex dicat cælestis: Non possum à me facere quidquam, sed sicut audio iudico. Et Pilatus dicebat ad Dominum Iesum: Potestatem habeo crucifigendi te. Vsurpas ô homo potestatem quam non habes, cùm Dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem. Audi quid Iustitia dicat: Non possùm à me facere quidquam. Audite quid Iudex æquitatis asserat: Sicut audio, ita & iudico. Audite quid iudex iniquitatis loquatur: Potestatem habeo dimittendi te, & potestatem habeo crucifigendi te. Tuâ Pilate voce constringeris, tuâ damnaris sententiâ. Pro potestate igitur, non pro æquitate crucifigendum Dominum tradidisti: per potestatem absoluisti latronem, auctorem verò vitæ interfecisti. Sed nec istam à te habuisti, quam habere te asseris, potestatem. Denique dicit tibi Dominus Iesus: Non haberes potestatē aduersus me vllam, nisi data tibi esset desuper. Mala potestas, licere quod noceat. Potestas ista tenebrarum est, verum non videre, sed spernere. Audite quid verus Iudex loquatur: Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Quasi homo loquitur, quasi Iudex docet: quoniam qui iudicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est. Constitue iudicem de hoc sæculo. numquid potest aduersum Imperialis formam venire rescripti? numquid potest normam Augustæ definitionis excedere? quantò magis diuini formam seruare debemus iudicij? Christus dicit: Non quæro voluntatem meam, hoc est hominis, quæ vel odio dirigatur, vel studio intenditur, vel gratiâ inflectitur, vel aliorum mendacio deprauatur; omnis enim homo mendax: Sed voluntatem, inquit, eius qui me misit hoc est, Diuinæ cognitionis formam veni docere, vt in iudicando magis cordi sit veritatis custodia, quàm obedientia voluntatis. Non ergo hîc quoque infirmitas potentiæ, sed forma est expressa iustitiæ. Iustum ergo est iudicium Filij Dei, quia est secundùm voluntatem Dei, non secundùm hominis affectum. Deus enim misericordiarum plenus est, & misericordia eius cum iudicio, & iudicium cum misericordiâ; neque enim sine iudicio miseretur, neque sine misericordiâ iudicat.

S. Gregorivs *lib. 35. Moralium cap. 12. ex hoc Christi responso sic infert:* Nobis obedientia vsque ad mortem seruanda præcipitur: ipse autem Christus si sicut audit iudicat, tunc quoque obedit, cùm iudex venit. Ne igitur nobis vsque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, Redemptor noster iudicat: quia hanc etiam, cùm iudex venerit, seruat. Quid ergo mirum, si homo peccator se obedientiæ in præsentis vitæ breuitate subijcit, quando hanc mediator Dei & hominum, & cùm obedientes remunerat, non relinquit.

Christus etiam cùm iudicat, obedientiā seruat.

Evthymivs *ad hunc locum in cap. 5. Ioannis ita scribit:* Quis repentè turbari non posset audiens Christum dicentem: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum? siquidem ipse dixit, Ego sum veritas. Quòd si veritas verum non loquitur, quisnam erit qui vera loquatur? Si quæ de seipso testificatus est, vera non sint nobis, omnino perit prædicationis summa. Nam vt cetera sinamus, quæ sunt innumera, & fidem contingentia, vbinam ponemus ea, quæ paulò antè de seipso testificatus est, quòd Filius sit Dei, quòd æqualis illi naturâ, potentiâ, & voluntate; quòd creator, quòd viuificator, quòd iudex, aliaque similia? Quid ergo dicendum est? Quòd quia talia de seipso testificatus fuerat, cognouit Iudæos in animo habere opponere sibi, ac dicere: Si tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum non est verum. nemo siquidem qui de seipso fert testimonium, fide dignus est apud homines; propter suspicionem de nimio suiipsius amore; ideò præuenit, ac dixit quod illi dicturi erant, dicens: Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum, vt vobis appa-ret. Itaque testes adducit, etiam in hoc se dimittens ad imbecillitatem illorum, & ex abundanti cautione silentium illis imponens. Quod ergo ait, Testimonium meum non est verum, non quasi affirmando dixit; sed quòd illi hoc dicere pararent. Quòd autem hæc ita se habeant, inde manifestum est. Cùm enim in se loquentibus locutus fuisset, dicens, Ego sum lux mundi; dicentibus Pharisæis, Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum; contradixit dicens: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum verum est. Manifestum ergo est, quòd illud oppositionis illorum erat, hoc autem intellectua eius: siquidem illi putabant eum non esse fide dignum, qui de seipso ferret testimonium, vtpote hominem; ipse verò è diuerso sese fide dignum dixit, tamquam Deum. Primùm itaque dissoluit excogitatam ipsorū oppositionem, dicens id quod ipsi dicere parabant; & ostendens quòd cogitationes eorum cognosceret. Deinde etiam testes adducit manifestos, & quibus contradici nequeat; Ioannem, opera propria, & Patrem. Primùm autem ponit debilius testimonium, puta Ioannis.

Quo sensu dixerit Christus, Testimoniū meum non est verum.

S. Avgvstinvs *in Catenâ aureâ,* Nouerat, *inquit,* ipse verum esse de se testimonium suum, sed propter infirmos & propter incredulos quærebat sol lucernas: fulgorem quippe solis lippitudo eorum ferre non poterat, ideò quæsitus est Ioannes qui testimonium perhiberet veritati. Martyres nonne testes sunt Christi, vt testimonium perhibeant veritati? Sed si diligentiùs inspicimus, quando martyres perhibent illi testimonium, ipse sibi perhibet testimonium. Ipse enim habitat in martyribus, vt perhibeant testimonium veritati.

Martyres quomodo Christo perhibeant testimoniū.

S. Bernardvs *Sermone in Natiuitate S. Ioannis Baptistæ, de hoc Christi de Ioāne testimonio sic ait:* Au-

S. Ioannes lucerna ardens & lucens. dite quid de Ioanne loquatur. Ipse, inquit, erat lucerna ardens & lucens. Magnum testimonium. Magnus enim est cui perhibetur, sed maior est ipse qui perhibet. Est enim tantùm lucere, vanum: tantùm ardere, parum: ardere & lucere perfectum. *Eccli. 27, 12.* Audi quid dicat Scriptura: Sapiens permanet vt sol, stultus vt luna mutatur. *Sapiens vt sol, stultus vt luna.* Quia enim splendet luna sine feruore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Mutuatum siquidem lumen numquam in eodem permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur, & penitus non comparet. Sic, sic, qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modò magni, modò parui sunt, modò nulli, secundùm quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At verò solis splendor igneus est, & cùm feruet acriùs, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus foris lucet, & si non ei datur vtrumque, curat semper ardere magis, vt Pater suus, qui videt in abscondito, reddat ei. *Praestat tantùm ardere, quàm solùm lucere.* Væ nobis fratres, si luxerimus tantùm: nam lucemus quidem & magnificamur ab hominibus; Dominus feruorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. Non ait, lucens & ardens, quia Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodijt ex splendore. Sunt enim qui non eò lucent quia feruent, sed magis feruent vt luceant. At isti planè non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vultis nosse quemadmodum arsit Ioannes, & luxit? Ego vtrumque in eo triplicem posse arbitror inueniri, & ardorē scilicet, & splendorem. Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate conuersationis erga Christum intimo quodam & pleno feruore deuotionis; erga peccantes proximos constantiâ liberæ increpationis. *S. Ioannes triplici modo & arsit & luxit.* Luxit nihilominùs (vt paucis dixerim) exemplo, digito; verbo: & seipsum ostendens ad imitationem, & luminare maius quod latebat ad peccatorum remissionem, & ipsas quoque tenebras nostras, sicut scriptum est, *Psal. 17, 29.* Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas: vtique ad correptionem. Luxit ergo, vt suprà memini, exemplo, digito, verbo, opere seipsum; Christum indice, nosmetipsos nobis sermone declarans.

VERS. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:

40. & non vultis venire ad me vt vitam habeatis.

41. Claritatem ab hominibus non accipio.

42. Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

44. Quomodo vos potestis credere, *a 1. Cor. 4, 3* qui gloriam ab inuicem accipitis, a & gloriam quæ à solo Deo est, non quæritis?

45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis.

46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: a de me enim ille scripsit. *a Gen. 3, 15 22, 18. 49, 10. Deut. 18, 15.*

47. Si autem illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *Homiliâ 24. in Genesim, Scripturas, vt latentem in ijs thesaurum eruamus, iuxta hanc Domini doctrinam diligenter scrutandas esse pulchrè docet his verbis:* Diuinorum *Scripturas scrutandas esse.* eloquiorum natura in paucis verbis multas sententiarum adfert diuitias, & ineffabilem diligenter scrutari volentibus thesaurum largitur. Proinde obsecro, ne quid in Sacris litteris aut contemnatur, aut obiter prætereatur; etiamsi nomina recenseantur, vel historiæ narrentur, reconditum inuestigemus thesaurum. Nam & Christus dicebat, Scrutamini Scripturas: quia non vbiq; in superficie *Ioan. 5, 39.* Scripturæ mens Scripturæ inuenitur, sed opus est scrutinio, vt ne quod in profundo latet, nobis remaneat absconditum. Quòd si solâ naturæ appellatio, hoc nomen, Homo dico, tantum nobis vtilitatis argumentum heri fuit; quantum lucrum percipiemus, si attentâ ac vigili mente singula adierimus? Etenim misericordem habemus Dominum, & quando videt nos sollicitos, & magnum desiderium ad cognoscenda diuina eloquia habere, non permittit nos vllâ re indigere; sed statim illustrat mentem nostram, & suum feruorem largitur, & pro sapientiâ illâ suâ, mirâ industriâ omnem veram doctrinam animæ nostræ inserit. *Et Hom. 1. in Priorem ad Timotheum:* Porrò quod ait, Scrutamini Scripturas, non quærendo labores inferre voluit, sed potiùs arcere. Ait enim, Scrutamini Scripturas, hoc est, vt illarum per omnia diligentiam exactissimam discerent. scrutari namque iussit, non vt semper quæramus, sed vt inquirere desinamus.

Idem in Catenâ aureâ: Vel ideò dicit Scrutamini Scripturas, ostendens quòd per has testatus est Deus de eo; etenim in Iordane testatus est, & in monte: sed vocem quidem factam in monte non audierunt, factam autem in Iordane audierunt, sed non attenderunt. Proptereà mittit eos ad Scripturas, ostendens quoniam & Patris testimonium illic est. Non autem ad lectionem simplicem Scripturarum, sed scrutationem exquisitam eos mittebat: quia ea quæ de eo dicebantur in Scripturis, desuper obumbrātur; neque in superficie exprimebantur, sed velut quidam thesaurus recondebantur. Non dicit autem, In quibus habetis vitam æternam, sed, In quibus æstimatis vos habere; ostendens quoniam non capiebant magnum fructum ex Scripturis, solâ lectione æstimantes se saluari, cùm fide essent priuati.

VERS. 44. QVOMODO VOS POTESTIS CREDERE, &c.] S. AVGVSTINVS *l. 5. de Ciu. Dei c. 14. disputans de resecando amore laudis humanæ ait:* *Cupiditas gloriæ fidei inimica.* Huic igitur cupiditati meliùs resistitur sine dubitatione, quàm ceditur. Tantò enim quisque est Deo similior, quantò ab hac immunditiâ mundior. Quæ in hac vitâ etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam benè proficientes animos tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ.

tiæ. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor vel amor, vt Dominus diceret Ioan. 5. Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam quæ à solo Deo est non quærentes? Item de quibusdam qui in eum crediderunt, & verebantur palàm confiteri, ait Euangelista Ioan. 12. Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei. Quod sancti Apostoli non fecerunt, qui inter maledicta & opprobria nō sunt deterriti.

Damna vanæ gloriæ & respectus humani.

S. CHRYSOSTOMVS *pulchrè nobis huius popularis gloriæ damna describit Hom. 2 in Ioannem, explicans illa verba Ioan. 12.* Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur, *&c. vbi ait*: Nullo pacto fieri potest, vt is qui tanto studio sæculari gloriæ seruiat, diuinam vnquam assequatur. Intolerabilis quædam ebrietas est inanis gloria, ideoque quem suæ subiecit ditioni, is ægrè in sanitatem restituitur: & quam pestiferâ rabie infecit animam, à cælo abscindens terræ affigit, neque eam ampliùs sinit vt ad veram lucem dirigere possit intuitum, sed in huius sæculi sordibus semper eius persuasione deuoluitur, & dominos nobis tam potentes imponit, vt etiam sine iussu aliquo nos exsuperent, nobisque perpetuò dominentur, *&c.*

Plura vide in ipso Chrysostomo, citatâ Homiliâ, vbi ista fusè prosequitur.

IDEM *Hom. 27 in Ioannem sic habet:* Non minùs peccat gloriæ seruus, quàm fornicator, imò multò plura & grauiora committit. Gloriæ cupiditas in Gentilibus malorum omnium causa fuit. Hinc & Iudæi in perfidiâ manserunt, quos arguens Christus, inquit: Quomodo potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? Fugiamus igitur inanem gloriam, quæ ceteris est affectibus violentior. Hinc auaritia, hinc bella, hinc odia. Quam si abscinderimus, reliqua malitiæ membra interibunt, & nihil prohibuerit, quin terram vt cælum incolamus. *Vide eundem Hom. 28 in Ioannem, & 28. in Acta.*

S. LVCÆ CAPVT VI.

Matth. 12, 1. Marc. 2, 23

1. FACTVM est autem in Sabbato secundò primo, cùm transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas, & manducabāt confricantes manibus.

2. Quidam autem Pharisæorum, dicebant illis: Quid facitis quod non licet in Sabbatis?

CHRYSOSTOMVS Hom. 39. in Matth.

1. QVID est, Secundo-primo? quando nempe duplex erat feriatio, vti Sabbati Domini, & alterius festi subsequentis. Sabbatum enim quamque feriam vocant.

EPIPHANIVS Hæres. 30. fol. 138. Ioan. 5, 8. Ioan. 9, 9. *Sabbato Christus curat infirmos.*

2. In Sabbato siquidem quàmplurima Iesus perficere studet: neque solùm curat, sed & præcipit curatis in sabbato, tollere grabatum atque ambulare, & lutum macerans cæci oculis imponit. Vnde cognoscentes Apostoli ex ipsius conuictu ac disciplinâ abrogatum esse Sabbatum, vellunt spicas in Sabbato, easque atterunt ac manducant. Ioan. 9, 9. Erat autem, vt Euangelium habet, Sabbatum illud secundo-primum. Lex enim varia præfiniuit sabbata. Ac illud quidem quod septimo quoque die reuoluebatur, propriè erat Sabbatum. Sed aliud quoque est propter incidentia nouilunia ceterasque festiuitates, vti Tabernaculorum ac Paschæ dies, quando agnum immolant, & deinceps azymis vescuntur. Ad hac Ieiunant quotannis quoddam ieiunium, Magnum appellatum, nec non & alterum quod Paruum vocant. Quoties igitur dies isti in secundum post Sabbatum diem, vel tertium aut quartum incidunt, istud ipsum illorum instituto Sabbatum censetur. Quare secundùm Azymorum festum, ac definitum diem Sabbati, ipso Sabbato propriè dicto post Azymorum diem (quæ & ipsa Sabbatum censetur), inuenti sunt transeuntes per sata, & vellebant spicas, ac confricabant illas, hoc est, conterebant & comedebant, ostendentes dissolutum esse vinculum Sabbati, adueniente magno illo Sabbato, id est Christo, qui quiescere nos fecit à peccatis nostris. Cuius figura fuerat Noë, quem vt pater eius natum vidit, iuxta prophetiam imposuit illi nomen Noë, dicens, Quoniam iste requiescere nos faciet à peccatis nostris. Noë autem à peccatis quietos non fecit, sed in Christum prophetauit Lamech, qui per Noë significatur in veritate. Nam Noë Requies interpretatur, & Sebeth, quod ipsum etiam Quies & Sabbatum dicitur, id est Christus, in quo requieuit Pater, & sanctus illius Spiritus, & omnes viri sancti in ipso quieuerunt, desistentes à peccatis. Hic est magnum illud ac sempiternum Sabbatum, cuius figura erat paruum ac temporale Sabbatum, ad illius aduentum vsque in vsu adhibitum.

Sabbato vellunt spicas Apostoli. Gen. 5, 29. *Noë quid. Sebeth quid.*

ANNOTATIONES.

NVM. 1. *Quodnam sit Sabbatū secundo-primum.*

QVID est, Secundo-primo?] *Difficilis hic quæstio proponitur, quodnam videlicet sit hoc Sabbatum secundo-primum. Primò respondet ad hoc Chrysostomus hic Numero 1. ex Homiliâ 40. super Matthæum, Sabbatum δευτερόπρωτον siue secundo-primum dici,* Ὅταν διπλῆ ἡ ἀργία ᾖ, καὶ τοῦ σαββάτου τοῦ Κυρίου, καὶ ἑτέρας ἑορτῆς διαδεχομένης. Quando duplex erat feriatio, scilicet, Sabbati Domini, & alterius festi subsequentis. *v. g. Pascha, Neomenia, aut alterius.*

Secundo Theophylactus in cap. v. Lucæ dicit esse illud ante quod immediatè festum aliquod Feriâ sextâ præcesserit. sic enim ait: Πολλάκις οὖν συνέβη ἡ ἑορτὴ ἐν παρασκευῇ, καὶ ἐκάλουν τὴν παρασκευὴν σάββατον διὰ τὴν ἑορτήν. εἶτα τὸ κυρίως σάββατον ὠνόμαζον δευτερόπρωτον, ὡς δεύτερον ὂν προηγουμένης ἄλλης ἑορτῆς. *Id est:* Sæpè igitur occurrebat festum in Parasceue, & vocabant parasceuen Sabbatū propter festum: deinde quod

propriè est Sabbatum, nominabant secundò-primum, tamquam secundum existens respectu alterius festiuitatis præcedentis.

Tertiò, Isidorus Pelusiota lib. 3 epist. 110. ait: Δευτερόπρωτον εἴρηται, ἐπειδὴ δεύτερον μὲν ἦν τοῦ Πάσχα, πρῶτον δὲ τῶν ἀζύμων. Ἑσπέρας γὰρ θύοντες τὸ Πάσχα, τῇ ἑξῆς τὴν τῶν ἀζύμων ἐπανηγύριζον ἑορτήν, ἣν καὶ δευτερόπρωτον ἐκάλουν, διὰ τό, ὡς ἔφην, δευτέραν μὲν εἶναι τοῦ Πάσχα, πρώτην δὲ τῶν ἀζύμων. *Id est:* Secundo-primum dictum est, quia posterius quidem die Paschę, primum autem Azymorum. Vesperè enim Pascha immolantes, postridie Azymorum festum celebrabant, quod quidem etiam secundo-primum appellabant, propterea quòd, vt dixi, dies ille die Paschæ posterior esset, Azymorum autem primus. *quam sententiam probat & sequitur Baronius anno Christi 32. n. 11. Sed, vt benè notat Petauius, in hoc ab Isidori sensu ac verbis deficit, quòd dicat,* Σάββατον δευτερόπρωτον *illam fuisse diem qua post primam Azymorum mox sequitur, cùm Isidorus disertè dicat esse primam ipsam Azymorum, quod Sabbatum ideò vocatur, quia Iudæi Festa omnia Sabbati nomine complecti solent;* δευτερόπρωτον *verò propterea dicitur, quòd secunda sit à Paschate, & Azymorum prima.*

Quartò, Epiphanius hic Num. 2. ex libro eius de Ebioniis siue hæresi 30. ait esse Sabbatū propriè dictū quod incidit intra Octauam Pascha. Dicit enim: Μετὰ τὴν τῶν ἀζύμων γενομένην ἡμέραν καὶ ὁρισθεῖσαν ἡμέραν Σαββάτου τῷ σαββάτῳ φύσει, μετὰ τὴν ἡμέραν τῶν ἀζύμων εἰς σάββατον λελογισμένην, εὑρέθησαν διαβαίνοντες διὰ τῶν σπορίμων. *Id est,* Secundum Azymorum festum, definitumque Sabbati diem, eo Sabbato quod naturale est, & Azymorum diem sequitur, quæ & ipsa pro Sabbato censetur, inuenti sunt per sata transeuntes, &c. *At hæresi 51. videtur* Σάββατον δευτερόπρωτον *vocare Octauam Paschæ, idcircò fortè, quia illa eodem ritu quo prima dies Azymorū celebranda erat, vt præcipitur Leuitici 23, 36. vbi sanè, vt benè notat Petauius, perobscurè loquitur Epiphanius. Ibi enim cùm duplex Sabbati genus esse dixisset, alterum hebdomarium & antiquum, quod* πρῶτον *vocat; alterum legitimum siue festiuum, quod* δεύτερον *putat, cuiusmodi Azymorum dies fuit; paulò post addit,* δεύτερον *illud in septem reuolutum appellari* πρῶτον. *Vbi dubites meritò, vtrùm Azymorum diem septimum Sabbatum* δευτερόπρωτον *esse definiat, an festum ipsum Pentecostes. Ait enim:* Ἐγένετο ἐν σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, ἵνα δείξῃ σάββατον πρῶτον εἶναι τὸ ἀπ᾽ ἀρχῆς ἐκεῖθεν καὶ ῥηθὲν ὑπὸ Κυρίου ἐν τῇ κοσμοποιΐᾳ, κατὰ περίοδον ἀπὸ τότε ἥκει ἕως δεῦρο κατὰ ἑπτὰ ἡμέρας ἀνακυκλούμενον, τοῦτο εἶναι πρῶτον, δεύτερον δὲ σάββατον τὸ ἀπὸ νόμου διωρισμένον. *Id est.* Factum est in Sabbato secundoprimo, vt indicet primum esse Sabbatum illud quod initio præstitutum fuerat, de quo in mundi opificio locutus est Dominus, quodque ex illo tempore deinceps ad eam diem septenorum dierum circuitu ac reuolutione peruenerat; secundum verò, alterum illud lege constitutum. *Et paulò pòst subiungit:* Εἰς δὲ ἑπτὰ ἡμέρας πάλιν ἀνακυκλούμενον δεύτερον καλεῖται πρῶτον. At hoc ipsum secundùm septem dierum orbe reuoluto primum dicitur.

Quintò, Maldonatus ait hoc Sabbatum secundo-primum esse Pentecosten: Sabbatum verò primo-primum esse primum ac nobilissimum festum Pascha, reiectaque suprà dictam Epiphanij aliorumque sententiam, qui Sabbatum secundo-primum, diem aliquem Azymorum interpretantur, eo quòd tunc spica matura esse non possint. quod omnino verum existimo, maximè intelligendo de spicis triticeis; adeò vt mirer P. Petauium in Animaduersionibus ad Hæresim 30. Epiphanij, hanc rationem Maldonati tamquam falsam & Scripturæ contrariam reijcere, quia videlicet Leuitici 23. præcipitur secundâ Azymorum die manipulorum oblatio, quæ tamensi benè examinetur, optimè potest consistere cum sententiâ Maldonati. Nam spicas non necesse erat offerre maturas, quin imò Leuitici 2, 14. satis expressè insinuatur illas offerri adhuc virentes, & plerumque ex hordeo, quod citiùs maturescit quàm triticum. Hæc autem sunt verba Scripturæ: Si autem obtuleris munus primitiarum frugum tuarum *(adhuc scilicet in spicis existentium, vt ex sequentibus patet)* de spicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris. *Vbi benè notat Cornelius, oblationem illam manipulorum fuisse spicarum virentium, & quidem messis hordeaceæ, cuius manipulus offerebatur in Paschate secundo die Azymorum. Quare si diebus Azymorum spicæ messis hordeaceæ, quæ tunc offerebantur, adhuc virebant, optimè intulit Maldonatus, triticum, quod serius maturescit, nondum tunc temporis potuisse esse maturum. Etenim si in diebus Azymorum spicæ messis triticeæ maturæ fuissent, non vtique panum primitiæ in Pentecosten differri debuissent, cum ex spicis maturis triticum statim excuti potuisset, ex eoque panes primitiarum fieri. Et certè plebs quæ ante oblationem panum primitiarum sibi ex nouo tritico panem conficere non poterat, ad sex septimanas ab ijs conficiendis se continere vix potuisset. Ex quibus satis colligitur, Maldonati rationem non modo non falsam, sed verosimiliorem, & non tantùm Scripturæ non contrariam, sed omnino consonam videri: quanquam in eo quòd ipsum festum Pentecostes Sabbatum secundo primum vocet, mihi sententia ipsius non probetur, ob rationes inferiùs adferendas.*

Sextò, P. Dionysius Petauius in Animaduersionibus ad Epiphanij Hæresim 30. cum Iosepho Scaligero l. 6. de Emendatione temporum cap. 6. iuxta priorem Epiphanij sententiam, verosimillimum putant, Sabbatum illud, quod post primam Azymorum incidit, δευτερόπρωτον *dici, eò quòd videlicet primum sit* ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων, *quando nouarum frugum manipulum offerebant: à quo die deinceps septem hebdomadas computare iussi sunt, quarum Sabbata* ἀπὸ τῆς δευτέρας τῶν ἀζύμων, *id est, ab Omer cognominata sunt. velut si primum Sabbatum, quod proximè* τὴν δευτέραν τῶν ἀζύμων *sequitur, vocatur* δευτερόπρωτον, *secundum* δευτεροδεύτερον, *tertium* δευτερότριτον, *atque ita deinceps. Sic P. Petauius loco suprà citato: quæ sententia in hoc probatur mihi, quòd Sabbatum propriè dictum accipiat; non tamen in eo quòd Paschale fuisse putet.*

Verosimiliùs itaque hic Sabbatum non quoduis festum, sed tantùm propriè dictum, scilicet dies septima, videtur debere accipi. Primò, quia hoc propriè significat Sabbatum. Alia autem Festa vocantur potiùs Sabbata quàm Sabbatum. Secundò, quia S. Matthæus cap. 12. S. Marcus cap. 2 & S. Lucas hîc constanter vocant absolutè Sabbatum. Tertiò, quia sola die Sabbati tamquam sacratissimo vetitum erat Iudæis spicas vellere ac cibum præparare, Exodi cap. 36 v. 3. ceteris verò Festis id licebat, Exodi cap. 12. v. 16. Sabbatum ergo δευτερόπρωτον *siue secundo-primum probabiliùs erat illud quod incidebat in ipsum festum Pentecostes, aut infra hebdomadam festi Pentecostes. Dicitur autem secundo-primum, hoc est, secundo loco primum, siue secundum post Sabbatum primum quod incidebat infra hebdomadam Paschæ: illud enim Pascha Sabbatum nobilissimum erat, & primum, quia festū Paschæ*

erat

erat festum primi mensis, & celeberrimum, vnde vocatur ille Magnus dies Sabbati, Ioannis c. 19, 31.

Secundum verò festum erat Pentecoste; vnde & Sabbatū incidens in diem Pentecostes, aut proximum post Pentecosten, secundum inter Sabbata locum & dignitatem obtinebat. Patet hoc inde, Primò, quia Sabbatum Pascha vocatur Magnus ille dies Sabbati, id est Sabbatum maximum & primo-primum.

Secundò, quia hæc facta esse circa Pentecosten, patet ex eo quod segetes, quas hic vellunt Apostoli, matura sint; in Paschate autem, vt suprà ostensum est, nondum poterant esse matura, cùm ex Leuitici cap. 2. ostensum sit, secundâ Azymorum spicas virides offerri solitas, & quidem ex hordeo citiùs maturescente de cuius spicis adhuc virentibus torrebant igni, ex ijsque polentam faciebant, id est tostum far siue hordeum. Vnde benè infertur tunc spicas, tritici maximè, non potuisse maturas esse, sed sex septimanis pòst, circa festum videlicet Pentecostes, quando panes primitiarum offerre debebant, quam oblationem post spicarum ac tritici maturitatem ob causas suprà dictas non diu differri conueniebat. vnde colligitur tunc demum segetes fuisse maturas. Id ita esse, patet ex Iosepho lib. 3. Antiquitatum cap. 10. vbi ait: Ἑβδόμης ἑβδομάδος διαγεγονυίας μετὰ ταύτην τὴν θυσίαν (αὗται δ' εἰσὶν αἱ τῶν ἑβδομάδων ἡμέραι τεσσαράκοντα ἐννέα) τῇ πεντηκοστῇ προσάγουσιν ἄρτον. *qua verba Interpres obscurè ac confusè sic vertit:* Post Paschale sacrū elapsis septem septimanis est Pentecoste. *clarè autem & distinctè sic vertenda sunt:* Post hoc sacrificium (*spicarum scilicet virentium*) septimanâ septimâ elapsâ, (hi enim septem septimanarum dies sunt quadraginta nouem) est Pentecoste, quâ offerunt panem, &c. *Tunc enim primos panes nouarum frugum offerre iubebantur Leuitici 23.*

Tertiò, quia hoc Sabbatum propriè dictum, secundum dici debet respectu alicuius Sabbati primi etiam propriè dicti, non autem respectu Paschæ aut alterius festi. ergo cùm Sabbatū Paschæ fuerit primo-primum, Sabbatum Pentecostes erit secundo-primum. Nec refert solam diem quinquagesimam, non autem totam hebdomadam Pentecostes, iuxta legem Leu. 23. v. 15. festiuam esse. Hoc enim verum est, si præcisè legis obligationem spectes, non autem si religionem populi, qui ad imitationem Paschæ, similiter celebrabat hebdomadam Pentecostes, & maximè Sabbatum proximum post Pentecosten. Sicut enim octauam Paschæ celebrabat 22. primi mensis Nisan, id est Martij, sic etiam 13. die tertij mensis Siuan, id est Maij, celebrabat octauam Pentecostes, vt patet ex Kalendario Hebræo Genebrardi.

NVM. 2. Iuxta prophetiam imposuit illi nomen Noë, dicens: Quoniam iste requiescere nos faciet à peccatis nostris.] *Additur in impresso,* ἤτοι σκληρῶν ἔργων ἡμῶν, hoc est, laboriosis nostris operibus. *Hoc legitur in Septuag.* καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Νῶε, λέγων· Οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν. Et vocauit nomen eius Noë, dicens: Iste requiescere nos faciet ab operibus nostris.

VERS. 3. Et respondens Iesus ad eos, dixit: Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cùm esuriisset ipse, & qui cum illo erant:

[a] 1. Reg. 21. 6. 4. [a] quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cum ipso erant: quos non licet manducare [b] nisi tantùm sacerdotibus? [b] Leu. 24, 9 Exo. 29, 32

5. Et dicebat illis: Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

3. QVANDO Dominus pro seruis, hoc est pro discipulis sermonem instituit, seruos in medium adducit, Dauidem ac sacerdotes; quando verò pro semetipso, Patrem. Non enim solùm excusare volebat, sed & æqualitatem demonstrare. Quapropter non dixit, Operatus sum, nam & creatura operatur; ipse verò non erat creatura: sed Operor; nam & Pater operatur, essentiæ siquidem eiusdem cum illo erat ac potestatis. Idcircò non quasi creatura existat excusationem profert, sed sicut eius genuinum genimen. CHRYSOSTOMVS Hom. 40. in Matth.

4. Oportet quidem scire, quòd legale tabernaculum præ se tulerit speciem creationis. Quemadmodum enim Dominus Deus cælum terramque condens, medium expandit firmamentum, & ab inferioribus superiora distinxit: ita tabernaculum quoddam extrui iussit, in medio autem velum expandens quod diuidebat illud in loco figuræ huius in duas partes. Ac partem quidem illam quæ erat versus ostium, vocauit Sancta, quæ sacerdotibus præbebant ingressum; interiorem verò partem velaminis appellauit Sancta sanctorum, quæ nec tangi poterant nec frequētari: nam eò semel in anno duntaxat Pontifici licebat ingredi. Erant autem ibi effigies Cherubim, virtutes incorporeas repræsentantes. In medio verò illorum consistebat arca, continens: symbola diuinorum munerum. Nam tabulæ legem esse datam indicabant: sacerdotium, virga Aaronis germinans: manna verò deserti cibum, & panem non manufactum. Propitiatorium autem prophetiæ symbolum erat: nam inde oracula reddebantur. Igitur pars quidem illa veli interior præ se ferebat imaginem cælestium, exterior autem terrestrium, ideoque in eam Sacerdotes continenter ingrediebantur. Continebat autem illa candelabrum quidem, in parte meridionali septem habens lychnos impositos, qui numerum dierum septimanæ denotabant. A parte autem Septemtrionis erat mensa aurea, super quam Dominus apponi iussit duodecim panes, & phialas aureas thure plenas ac sale. In medio verò lucernæ ac mensæ positum erat thuribulum aureum. Hæc autem erant compositiones terrenorum fructuum ab hominibus oblatorum. Ante tabernaculum autem extrinsecus erat altare æneum, quod excipiebat oblationes. Hoc autem denotabat ista fuisse superflua, Deoque omnium minimè

THEODORETVS q. 60. in Exod.

Tabernaculum simile erat vniuerso.

Eius diuisio & significatio.

Propitiatorium quid.

Quæ in templo & extra templum essent.

mè grata; sed illa permisisse celebrari, vt consuleret Iudæorum infirmitati. Extra tabernaculum sacrificia fieri præcepit, quasi pars interior ijs non indigeret. Nos autem sacrificium interiora penetrans celebramus: Deo enim incensum ac lumen lucernarum offerimus, nec non mysticam sacrolanctæ mensæ consecrationem.

CYRILLVS *Panes propositionis quid insinuent.*

5. Per panes quidem, panis ille cælestis in sanctis Ecclesiæ mensis propositus clarè nobis demonstratur. Vasa verò mensæ, quæ mystico vsui seruiunt, diuinos thesauros manifestò præfigurarint.

NYSSENVS *Quid candelabrum.*

6. Magis propriè autem candelabrum adspectabilium astrorũ lumen insinuat, mensa verò terram; panum autem propositio rerum nobis è terrà necessariarum suppeditationem.

IOSEPHVS

7. Vel septem quidem lychni, Planetas innuebant. Duodecim verò panes, Zodiacũ, & annuum circulum; spiritualiter autem duodecim Apostolos; de quibus exinde dicetur, quando ad ipsos discipulos sermo noster peruenerit.

8. Si autem oportuerit id quod ab Apostolis re ipsâ gestum est etiam mysticè examinare, sciendum quòd qui discipulos Domini imitatur, non recuset propter Pharisæos iter Sabbato conficere per sata, ac spicas euellere: sed post actiuam vitam, iam factus passionũ expers, rationes colligit piè factorum, diuinà rerum cognitione enutritus.

ANNOTATIONES.

NVM. 4. L*ocvs hinc omnino similis suprà Cap. 1. Num. 8. allatus est ex Chrysostomo.*

NVM. 5. Per panes quidem, &c.] *Propositionis scilicet, siue propositos spiritualiter ante faciem Dei, puta ante arcam, & Sanctum sanctorũ. Vnde Hebræi & Septuaginta vocant illos* panes facierum, *erantque duodeni, hinc & inde seni dispositi, quibus videlicet protestabantur duodecim tribus se à Deo alì continuò, vnde etiam thus imponebant, Leuitici 24. 7. thus enim symbolum erat eos Domini esse, & Domino esse oblatos. Vicissim etiam Deus hac gratitudine oblationis, eorum meminisse, & quasi ante faciem suam semper habere ostendebat. Vide de ijs fusè Cornelium in Exo. 35.*

VERS. 6. Factum est autem & in alio Sabbato, vt intraret in synagogam, &

*Matth. 12. 10. Marc. 3. 1. doceret. " Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida.

7. Obseruabant autem Scribæ, & Pharisæi, si in sabbato curaret: vt inuenirent vnde accusarent eum.

8. Ipse verò sciebat cogitationes eorum: & ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit.

9. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo vos, si licet Sabbatis benefacere, an malè; animam saluam facere, an perdere?

10. Et circumspectis omnibus, dixit homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est manus eius.

11. Ipsi autem repleti sunt insipientiâ, & colloquebantur ad inuicem, quidnam facerent Iesu.

CHRYSOSTOMVS Hom. 41. in Matth. *Maleuolentia Iudæorũ & Pharisæorum erga Christum.*

9. RECTE Sabbato ingressus est [synagogam] quando omnes conuenerant, & disserebat cum illis quando feriabant. Tu verò considera viscera misericordiæ Domini. Constituit ipsum in medio, vt aspectu ipsos flecteret, vt hoc spectaculo fracti malignitatem abijcerent, & hominem reueriti à ferinâ immanitate cessarent. Illi verò intractabiles, imò potiùs hominum osores, malebant Christi gloriæ officere, quàm istum incolumem videre; vtrimque malignitatem ostendentes, tum Christo aduersando, tum etiam tantâ id peruicaciâ contendendo, vt aliorum quoque beneficia impedirent. Cęterùm circumspiciebat etiam illos Dominus cùm hæc rogabat, vt oculo quoque ipsos inflecteret. Verùm nec sic redditi sunt meliores; sed vt Matthæus ait, Egrediebantur & consultabant vt ipsum tollerent. Ipse autem inde recedebat. Matth. 12, 14.

MAXIMVS *Dei proprium est benefacere.*

10. Si autem oportuerit aliquid etiam mysticè de Sabbato dicere; sciendum quòd numquam à bonis Deus cesset, quorum neque principium habuit. Quemadmodum enim lucis proprium est illuminare, sic proprium Dei benefacere. Idcircò quidē quòd à lege secundùm tempus in generatione & corruptione rerum constitutio explicetur, Sabbatum per otium colitur, quandoquidem quæ in tempore condita sunt, tunc perfecta constiterint, & à naturali incremento assumendo cessarint. Ab Euangelio autem cùm rerum spiritalium constitutio introducatur, beneficiorum exhibitione Sabbatum illustratur, quantumuis indignentur ij qui nondum sciunt illud propter hominem esse, & quòd ipse homo dominus sit Sabbati.

In lege antiqua otio, in nouâ opere bono Sabbatum colitur.

VERS. 12. Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.

CYRILLVS *Christus nobis orandi normam præscripsit.*

11. OMNIA ad ædificationem nostram, ac fidelium vtilitatem operatus est Christus, & in spiritalis politiæ normam exemplárve quodammodò se suaque proponens, veros adoratores nos apparere voluit. Contemplemur igitur tamquam in imagine

&. ex-

& exemplari rerum à Christo gestarum, quanam ratione ad Deum nos nostras facere deceat orationes. Clàm videlicet, & secretò, ac nemine vidente precandum est. Hoc enim subindicat illud quòd in monte solus & quasi in otio Iesus orationi vacarit. idque ipsum nos docuit dicens: Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum. Putas enim liberasque ab ambitione manus attollere orantem decet; mente tanquam in montem ad diuinæ contemplationis sublimitatem sese erigente, & omnem tumultum euitante, abscedere verò omni sollicitudine mundanâ. Hoc autem non cum fastidio quodam tædióve aut pusillanimitate, sed intense potiùs ac diligenter, cum mirâ quadam perseuerantiâ faciendum est. Audiuisti enim quomodo non simplici ratione Christus orauerit, sed etiam in oratione pernoctauerit. Hæc autem cùm dicimus, verisimiliter non sustinebit nos veritatis inimicus: Ait enim: Orat & petit à Patre quæ non habet. quomodo ergo dicitis ipsum Patri consubstantialem, & æqualem per omnia, & in nullâ re inferiorem? Nam extra omnem controuersiam, quod minus est à maiori benedicitur; maior autem omnino est qui dat, quàm qui petit aliquid accipere. Verùm non illa, & quidem præ alijs doceant nos qui recta subuertunt, cuius rei egenum arbitrentur esse Filium. Quidnam autem tamquam non habēs rogauit accipere? Est enim lux vera, est vita secundum naturam, & viuificator, ac virtutum Dominus, sapientia & iustitia; creator ac conditor vniuersorum, super omnem creaturā, Rex vniuersorum, cæli terræque dispensator, dator omnis boni vnà cum Deo ac Patre. Hoc autem discere poteris ex S. Paulo quibusdā scribente, Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo. Supremis Thronis decoratur ac honoratur ab omni creaturâ rationali. Numquid igitur est omnium quæ Deo & Patri conueniunt dignitatum essentialiter heres? Etenim dixit ad ipsum, Quoniam omnia mea tua sunt, & tua mea, & honorificatus sum in illis. Qui igitur habet omnia quæ Deo & Patri sunt propria, cuius adhuc indigus sit? Si autem omnino deficiat in aliquo (quod ipsi verum astruunt) nihil prohibet dicere quòd & ipse Pater rerum aliquarum penuriâ laborarit. Si enim omnia Filij etiam Patris sint, Filio autem desit aliquid, talis vtique est & Pater: ipsius enim omnia sunt etiam Filij. Atqui est omnino perfectus Pater, nec vllo prorsus bonorum Deo conuenientium eget: igitur perfectus quoque Filius, quippe qui cuncta habeat quæ sunt Patris. Imago enim est & figura substantiæ eius. In figurâ autem apparet omnino prototypon, & in prototypo figura. Et hæc quidem ad illos. Aiunt autem qui futilibus Nestorij verbis adhærent, absurdum esse, Filium qui naturâ Deus est, orare; sed hoc homini potiùs assumpto secundum quod assumptus est conuenire, nempe quatenus est ex semine Dauid, ipse itaque erat qui orationi intendebat. Quid igitur ad hoc dicemus? Ignorauit vtique omnino incarnationis vnigeniti mysterium. Meminerit autem B. Euangelistę Ioannis dicentis, Et Verbum caro factum est. Et hoc est quod sapientissimus ille Paulus nobis clarè proposuit de ipso dicens: Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. Quamobrem ipsum diuinitus ex Deo & Patre, quatenus eius Verbum est, natum fuisse, semetipsum verò exinanisse ac fratrem fecisse nostrum, nobisque terrigenis per natiuitatem suam se in omnibus similem exhibuisse, sine peccato; excedit omnem modum humanitatis. Postquam enim pro magnâ suâ in nos benignitate & humanitate non dedignatus est humāna, nobis opera sua in benignitatis exemplar proposuit, vt quemadmodum dixit, vestigijs eius diligenter insisteremus.

12. Surge igitur & tu mediâ nocte, vide astrorum choream; altumque silentium, multam quietem. Obstupesce Domini dispensationem: purior tunc est anima, leuior subtiliorque ac clarior est. Quin & ipsæ profundæ tenebræ, multumque silentium possunt sufficienter ad compunctionem inducere. Si autem & cælum videris, astris quasi millenis quibusdam oculis interpunctum. Si consideraueris eos qui interdiu clamant, lasciuiunt, iniustè agunt, minantur, innumerâ mala inferunt, ibi tunc à mortuis nihil distare, condemnabis omnem humanam insolentiam. Somnus successit, & naturam redarguit, imago scilicet est consummationis. Si prospexeris in plateam, nullam vocem audies. Si introspexeris domum, videbis omnes quasi in sepulchris iacentes. Hæc omnia satis ad excitandam animam momenti habent. Tunc non interturbat vana gloria, omnibus scilicet dormientibus & non videntibus. Tunc non ignauia, non oscitantia imminet, quandoquidem animam tot ac tanta excitent. Post tales vigilias dulces somni, & reuelationes mirabiles, non sic ignis ferri sequestrat rubiginem, velut nocturna precatio æruginem peccatorum. Quamobrem ipse Christus pernoctauit in monte, nónne

vt

Marginal notes: *Orandum in secreto.* Matth. 6, 6. — *Christus æqualis Patri.* — Rom. 1, 7. — *[illegible] quæ sunt Patris, sunt & Filij.* — Heb. 1, 3. — Ioan. 1, 14. — Heb. 2, 16. — CHRYSOSTOMVS Hom. 44. ad populu. *Noctu in silentio orandum.* — *Nocturnæ orationis fructus.*

vt exemplar nobis fieret? Tunc respirant plantæ, in nocte dico. Tunc & animæ potissimùm rorem suscipiunt. Quæ interdiu sol adussit, eadem nox refrigerat. Quouis rore potiores sunt lacrymæ nocturnæ, & contra concupiscentias, ad quemuis ardorem atque inflammationem demittuntur, nec sinunt quidpiam illiusmodi pati. Si quis autem rore illo non perfruatur, per diem exuretur. Quapropter licet non multas noctu preces fundas, vnam fac sobrius, & sufficit, ostende quòd non solùm ad corpus nox pertinet, sed etiam ad animam.

ANNOTATIONES.

VERS. 12 EXIIT IN MONTEM ORARE] *Matth. 5, 1* ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος, Ascendit in montē. *Pro concordiâ nota, Christum ascendisse in montem vt oraret totâ nocte, vt habet D. Lucas hîc, vbi & mane facto elegit è discipulis suis duodecim Apostolos, vt habet D. Lucas infrà v. 13. & Marcus cap. 3, 13. Matthæus autem tametsi c. 5 ascensus in montem meminerit, electionem tamen Apostolorum reiecit in caput 10. quia necdum suam vocationem narrauerat. Meminit autem ascensus in montem, vt tam nouam quam veterem legem in monte cœpisse, atque ardua complectis demonstraret: quo facto, vt habet hîc S. Lucas vers. 17. Christus ad locum campestrem descendit, vbi stando sequentem orationem habuit, quæ partim ad discipulos, partim ad totam turbam dirigitur, quam vnà cum discipulis huic concioni interfuisse patet Matth. 5, 28 & hîc infrà, vnde hanc cum illâ concione eandem fuisse colligitur, tum maximè ex vtriusque argumento, initio, & fine. Vtrobique enim Euangelicæ prædicationis atque perfectionis summa proponitur. Non mirum autem est, S. Lucam hîc quatuor tantùm beatitudines recensere, Matthæum verò octo: nam vt S. AMBROSIVS hoc loco ait,* in istis octo illæ quatuor sunt, & in quatuor istis illæ octo. *Quin & alter alterum supplet.*

ᵃMatth. 10, 1. Marc 3, 13 VERS. 13. ᵃEt cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis (quos & Apostolos nominauit)

14. Simonem, quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum, & Ioannem, Philippum, & Bartholomæum,

15. Matthæum, & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem, qui vocatur Zelotes,

16. & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor.

17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæâ, & Ierusalem, & maritimâ, & Tyri, & Sidonis,

18. qui venerant vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis, curabantur.

19. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.

13. OBSERVA hîc modum ordinationis. Non enim in abscondito illud & secreto fecisse eum ait sapientissimus Euangelista, sed collectis potiùs quàm plurimis discipulis, & multitudine copiosa ex omni regione Iudææ, & maritimis Tyri & Sidonis. Hi autem erant idololatræ, vtrimque vtique claudicantes. Obseruantes quidem ex parte Iudæorum mores, idololatriæ tamen crimina non omnino deserentes. Facta igitur ordinatio hisce omnibus præsentibus, & tot ius orbis Doctores constituti sunt. Hoc vtique fecerunt, vt Iudæos quidem à cultu legali auocarent, cultores verò dæmonum ab errore gentilitatis ad veritatis cognitionem perducerent. Cùm autem sanctos Apostolos designasset, non minùs multa quàm mirabilia patrauit signa, dæmones increpãs, ab incurabilibus morbis liberans eos qui ad ipsum accedebant, & diuinâ se virtute prædictum ostendens, vt cognoscerent qui eò confluxerant Iudæi simul & Græci, illos Apostolicâ dignitate à Christo insignitos esse, non tamquam ab homine vulgari quopiam de grege nostro, sed potiùs Deo, vtpote Verbo incarnato, vt qui propriam hanc sibi gloriam vendicet. Virtus enim de ipso exibat, & sanabat omnes. Non enim ab altero virtutem mutuabat Christus, sed ipse cùm naturâ Deus esset, tametsi caro factus, suam virtutem ægrotantibus impertiens curabat omnes. Quòd si libet verò ex nominibus quoque Apostolicis loci huius interpretationem cognoscere; scito quòd Petrus quidem interpretetur Dissolués vel Agnoscens; Andreas verò, Decora potentia vel Respondens; Iacobus, Supplantator laboris; Ioãnes, Domini gratia; Matthæus, Donatus; Philippus, Os manuum, vel Orificium lampadis; Bartholomæus, Filius aquas suspendentis; Thomas, ᵃCaptus vel Geminus; Iacobus Alphæi, Supplantator doctrinæ vitæ; Iudas, Confessio; & Simon, Obedientia.

CYRILLVS — Ordinatio Apostolorum facta publicè. — Luc. 6, 19. — Interpretationes nominum Apostolorũ. — ᵃAbyss.

ANNOTATIONES.

NVM. 13 — Delectus Apostolorum

OBSERVA hîc modum ordinationis.] *Describit hîc vt Christus è discipulis elegerit duodecim in Apostolos, hoc est, legatos primarios, cum plenariâ auctoritate & potestate per totum orbem mittendos ad euangelizandum & fundandas Ecclesias. Alios enim septuaginta non Apostolos, sed discipulos vocauit, licet & hi subinde à veteribus Apostoli seu legati Christi, sed*

sed minori cum potestate, vocentur. Hos ergo duodecim hic ordinat & mittit Christus, vt officium, ad quod vocati erant, exequi incipiant, & in hoc sub se tyrocinium ponant. Nota autem, hic Christum elegisse duodecim, non plures aut pauciores, vt videlicet responderent duodecim Patriarchis. Sicut enim hi Patriarchæ Iudæorum, ita etiam Apostoli Christianorum sunt parentes. Ita passim veteres. RABANVS *autem in Catena D. Thomæ in Matthæi cap.* 10. Duodenarius, *inquit*, numerus, qui constat ex ternario & quaternario, designat eos per quatuor mundi climata fidem S. Trinitatis prædicaturos. Iste etiam numerus, *inquit*, per multas figuras in veteri Testamento præsignatus est; nimirum per duodecim filios Iacob, per duodecim Principes filiorum Israel, per duodecim fontes viuentes in Helim, per duodecim lapides in Ratiooali Aaron, per duodecim panes propositionis, per duodecim exploratores à Moyse missos, per duodecim lapides vnde factum est altare, per duodecim lapides sublatos de Iordane, per duodecim boues qui sustinebant mare æneum. In nouo etiam Testamento, per duodecim stellas in coronâ sponsæ, per duodecim fundamenta Ierusalem quæ vidit Ioannes, per duodecim portas. *Hæc Rabanus.*

Apostoli cur duodecim.

Nota autem, in Apostolorum enumeratione à Matthæo cap. 10. Petrum dici primum, non vocatione, quia Andreas ante ipsum vocatus fuit, vt patet Ioannis c. 1. sed excellentiâ & potestate, quia nimirum caput & superior erat ceterorum Apostolorum, qui auctoritate erant pares. Hoc autem ordine videntur vocati, quo etiam D. Ioannes Apocalypseos 21. singulis adaptat fundamentum cælestis Ierusalem. Primus enim lapis, qui ibidem iaspis vocatur, aptè S. Petrum ob eius fidei firmitatem ac sinceritatem significat. Secundus dictus sapphirus, qui cærulei cælestisque coloris est, Andream terrena omnia tam prospera, quàm aduersa calcantem denotat. Tertius chalcedonius pyropo colore non dissimilis, Iacobum refert charitate flagrantem. Quartus smaragdus, vtpote viridissimus, Ioannem semper virginem designat. Quintus sardonyx, qui & rubet sicut sardius, & candet vt onyx, candorem simul & charitatem Philippi denotat. Sextus sardius, qui ob igneum colorem feris est terrori, Bartholomæum signat ferocissimis dæmonibus terribilem. Septimus chrysolithus, qui coloris est marini, Matthæum, vtpote pœnitentem indicat. Octauus beryllus, lapis quippe Indicus, qui sexangulari formâ poliri solet, Thomam Indiæ Apostolum notat, multis nimirum aduersitatibus, & tentationibus in fide roboratum & expolitum. Nonus topazius, qui cæruleus est ac fuluus, insinuat fratrem Domini Iacobum, cælesti charitate omnes hostes supplantantem. Decimus chrysoprasus, qui guttas habet aureas, coloremque succo porri similem, Thadæum aureâ suâ sapientia in hæreticos acrem ostendit. Vndecimus hyacinthus, eius nominis & coloris floribus non absimilis, Simonem Chananæum cælestibus omnino ac suauissimis moribus floruisse demonstrat. Duodecimus amethystus, qui & violaceus est ac fulget, subinsinuat Matthiam humilem diuinâ fuisse sorte electum.

Ordo vocationis Apostolorum, & eorum symbola ex Apocalypsi 21.

VERS. 20. "Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat.

Matth. 5. 2.

CYRILLVS 14 Hos quidem lex præfigurauit, quin & Prophetæ prænuntiarunt. Scriptum siquidem in libro Moysaico: Et sumetis similaginem, & facietis eam duodecim panes, & imponetis eos duas positiones super mensam mundam ante Dominum, & imponetis super positionem thus mundum, & sal, & erunt in panem in commemoratione appositum Domino. Panis siquidem de cælo descendens, & vitam dans mundo, quisnam alius sit præter omnium Saluatorem Christum? Ad imitationem autem ipsius panes appellati quoque sunt beati discipuli, consortes facti panis nutrientis nos in vitam æternam. quin & ipsi quoque nutriunt scriptis suis eos qui sitiunt iustitiam. Quemadmodum autem Saluator erat lux vera, sic lucem quoque suos nominauit discipulos. Vos, enim inquit, estis lux mundi. Pari modo cùm ipse esset panis vitæ, concessit etiam discipulis vt in ordine panum cognoscerentur. Considera verò legis artificium. Imponetis, enim inquit, super panes thus & sal. Thus siquidem suaueolentiæ symbolum est; sal verò cognitionis ac prudentiæ. Vtrumque autem sanctis Apostolis cumprimis conuenit: suauis enim odor erat vita eorum. Dixerunt vtique: Quoniam Christi bonus odor sumus coram Deo. Erant autem insuper admodum prudentes.

Leu. 24.

Christus est panis vitæ.

Discipuli quoque panes & lux vocantur. Matth. 5, 14. Ioan. 6, 35

Thus & sal quid significent.

2. Cor. 2. 15.

ANNOTATIONES.

IN *loco isto Leu. 24. apud Septuaginta post* dnodecim panes, *apponitur* δύο δεκάτων ἔσται ὁ ἄρτος ὁ εἷς, de duabus decimis erit vnus panis. *Item post* δύο θέματα, duas positiones, ἓξ ἄρτους τὸ ἓν θέμα, sex panes vnam positionem. *Et vbi hic legitur*, καὶ ἔσονται εἰς ἄρτον εἰς ἀνάμνησιν προκείμενον τῷ Κυρίῳ, Et erunt in panem in rememoratione appositum Domino; *apud Septuaginta habetur*, καὶ ἔσονται εἰς ἄρτους εἰς ἀνάμνησιν προκείμενα τῷ Κυρίῳ, Et erunt in panes ad rememorationem apposita Domino. *Alij Codices & Cyrillus lib 9 de Adoratione*, καὶ ἔσονται οἱ ἄρτοι εἰς ἀνάμνησιν προκείμενοι τῷ Κυρίῳ, Et erunt panes in commemoratione appositi Domioo.

NVM. 14

VERS. 20. Beati pauperes: quia vestrum est regnum Dei.

15. QVISNAM vtique etiamnum est eiusmodi, qui & Verbi discipulus sit, & vnà cum ipso ascendat è terrâ à *terrenis humilibusque cogitationibus ad spiritalem montem altæ contemplationis, prospiciatque ex speculà illà quæ hoc concauo contentis inaspectabilia sunt. Qualia verò quantáve sint quæ è summo hoc monte aspiciantur, ipsum Deus Verbum edisserit, beatos dicens eos qui vnà secum ascenderunt, quasi digito quodam ostendens ex vnà quidem parte cælorum regnum, ex alterà verò ad satietatem bonorum omnium fruitionem: ad hæc purum gaudium per visum declaratum, ac mercedem multam quæ reposita est in cælis, & quæcumque alia ex hoc monte contemplari liceat, Verbo illa supernè digito

NYSSENVS de Beatitu.

* vulgaribus

Ad montem ascendendum contemplari volentes.

gito demonſtrante. Quandoquidem igitur
aſcenderit in montem Dominus, qui pro-
pter nos deſcenderat, vt nos ſecum adduce-
Iſa. 2, 3. ret, audiamus Iſaiam clamantem: Venite
& aſcendamus ad montem Domini. ſique
Iſa. 35, 3. peccato debilitati ſumus, Confortemur, vt
ſuadet Prophetia, manus remiſſas, & genua
diſſoluta. Si enim ad cacumen eius perue-
Iſa. 53, 4. nerimus, inueniemus eum qui omnem mor-
bum omnemque infirmitatem ſanat, qui
infirmitates noſtras ſuſcipit, & morbos por-
tat. Itaque nos etiam aſcendere propere-
mus, vt videamus bona illa quę ad cacumen
conſcendentibus Verbum oſtēdit, quorum
appellatio beatitudo eſt. Initium igitur do-
ctrinæ huius, noſtræ fiat contemplationis
principium.

IDEM. *Sine labore nihil.*
16. Si quis auri cupidus in litteras inci-
dat, theſaurum alicubi indicantes; locus au-
tem qui theſaurum continet, multum ſudo-
ris ac laboris oſtendat ijs qui eius rei cupidi-
tate trahuntur; numquid ad labores oblan-
gueſcet, & nullum laborem in hoc ſtudio
dulcedo diuitiarum faciet ipſum exantlare?
Non ita ſe res habet: ſed & amicos ad hoc
conuocabit, atque vndique ſibi accerſens
auxilium, multitudine manuum abſcondi-
tas ſibi diuitias comparabit. Etiamnum ita-
que theſaurum nobis indicat Scriptura: ſed
abſconditæ per obſcuritatē diuitiæ ſunt. Ac-
cedamus igitur ad opus huius theſauri, nec
deſiſtamus indagāte ſermone quod abſcon-
ditum eſt reuelare, vt in publicum addu-
ctum, ex æquo omnes theſaurum illum di-
uidamus, ac totum ſinguli poſſideamus.
Virtutis diuitiæ diſtributa non imminuuntur. Talis eſt enim virtutis diſtributio, vt & in
omnes illam amplectentes diuidatur, & in-
tegra ſingulis adſit, inter participantes non
imminuta. Etenim in terrenarum diuitia-
rum diſtributione, qui ſibi plus aſſumit, in-
iuriam facit ijs quibus partium contingit
æquatio: nam ſocij vtique partem minuit,
qui ſuam iuſto plus auget. Spiritales autem
diuitiæ idem efficiunt quod ſol, qui & cun-
ctis ſe videntibus impertit, totuſque ad
vnumquemque accedit. Quis igitur pauper
ille qui hic beatus nuncupatur? qui videlicet
nihil diabolicarum opum in ſuis ærarijs ha-
bet reconditum, ſed ſpiritalem vitam ducit,
cuiuſque ope bonorum theſaurum ſibi com-
parat paupertatem, cuius fructus eſt Dei
Quæ paupertas beata ſit. regnum. Laudata verò paupertas fuerit et-
iam voluntaria animi demiſſio. At nemo ar-
bitretur, nullo negotio nulloque labore fieri
poſſe, vt hoc humilitatis officium rectè præ-
ſtetur: immò contrà omnium, quę ex virtute
geruntur, hoc ipſum eſt vel difficillimum;
quoniam dormiente homine qui optima ſe-
mina acceperat, id quod principale eſt con-
tratij ſeminis ſuperbiæ zizanium, ab aduer-
ſario vitæ noſtræ ſparſum radices egit.
Quemadmodum enim ille ſeſe in terram
abiecit, eodem modo ad communem ruinæ
caſum miſeros mortales vnà ſecum præci-
pites impulit; naturæque noſtræ malum
aliud nullum eiuſmodi eſt, qualis eſt is, qui
nobis ingeneratur ſuperbiæ morbus. Bea-
tiſſimus igitur verè eſt, qui humilitatem
temporariam cum cælorum regno permu-
tat. Beatus verò & ille, qui terrenas diuitias
veluti onus quoddam excuſſit, vt ſublimis
per aërem ſurſum rapiatur, vt inquit Apo- 1. Theſſ. 4,
ſtolus, in nube vnà cum Deo cælos pene- 17.
trans.

17. Vtique non ſemper laudanda pau- BASILIVS
pertas eſt, ſed quę iuxta Euangelicū ſcopum in Pſal. 33.
liberâ voluntate ſuſcepta perficitur. Multi
enim ſunt pauperes quidem in ſubſtantiâ,
qui tamen voluntate auariſſimi exiſtunt,
quos non ſaluat paupertas, ſed voluntas *Sola paupertas voluntaria*
condemnat. Non igitur quiuis pauper om- *eſt beata.*
nino beatiſſimus, ſed qui omnibus mundi
theſauris mandatum Chriſti præfert. Hos
vtique Dominus beatos prædicat, dicens,
Beati pauperes ſpiritu; non qui pauperes ſunt
ſecundum facultatem, ſed qui ſpiritus pau-
pertatem prælegerunt. Nihil enim inuo-
luntariorum beatificabile eſt, eò quòd om-
nis virtus, præſertim verò hæc præ ceteris,
libero deſignetur arbitrio.

18. Ab humilitate autē incipit Chriſtus, CHRYSOSTOMVS
quia hæc eſt caput virtutis, tantam habens in Matth.
pulchritudinem, vt ipſum ad ſe Deum tra- Hom. 48.
xerit. Super quem, enim inquit, reſpiciet, niſi Iſa. 66, 3.
ſuper * mitem & quietum? Et: Oculi mei * humilem
ſuper mites terræ. Et: Iuxtà eſt Dominus ijs Pſal. 33, 19
qui tribulato ſunt corde. Hæc etiam eſt au-
reum altare, atque ara ſpiritalis: ſacrificium Pſal. 50, 19
enim Deo ſpiritus contribulatus. Hæc eſt
ſapiētiæ mater. Hanc ſi quis habuerit, etiam
reliqua obtinebit. Viſne videre faciem vir- *Virtutis deſcriptio.*
tutis? Obſerua igitur qualis ſit color eius,
quàm rubicundus, quàm floridus, quàm
gratioſus, & diſce vnde conſtet, vtique ex
verecundiâ atque erubeſcentiâ. Quamob-
rem quoque quidam dicebat: Ante vere- Eccleſ. 32,
cundiam præibit gratia. Quòd ſi nolueris 14.
etiam oculos virtutis contueri, conſidera
illos modeſtiâ moderationeque perquam
accuratè exornatos, quapropter tam pulchri
ſimul ac perſpicaces exiſtunt, vt etiā ipſum
Dominum conſpiciant. Beati, enim inquit, Matth. 5, 8
mundi corde, quoniam ipſi Deū videbunt.
Os autem eius ſapientia & intelligentia eſt:
cor autem Scripturarum peritia, & ſincero-
rum dogmatum conſeruatio & humanitas *Miſericordia quaſi*
ac benignitas. Non immeritò autem miſe- *cor virtutis eſt.*
ricordiam cor virtutis appellauerimus, quo-
niam

niam hæc est ex maximè necessarijs, & totum complectitur, & quemadmodum absque corde non viuitur, sic sine hac salus numquam obtinetur. etenim hæc vniuersa bona progignit. Ceterùm istud cor, nisi reliquis omnibus suppeditet spiritū, confestim extinguitur. Quemadmodum igitur & fons si latices inhibuerit, in seipso putrescit; eodem modo diuites cùm facultates suas penes se detinent. Idcircò etiam trito prouerbio dicimus: Multa diuitiarū putredo apud huiuscemodi est. Sunt & virtuti manus ac pedes bonorum operum exhibitio, est ipsa etiam anima, pietas. Est & ipsi pectus aureum, ac robur adamantinum fortitudo, per quam omnia facilè superentur, & pectus hoc inexpugnabile fit. Spiritus autem qui in capite cordeque existit, charitas est. Hisce virtutis effigies consummatur. Eiusmodi autem sunt eius membra, eiusmodi & caput, sine quâ quidcumque boni congregaueris, effluit ac perit.

Quænam sint virtutis manus ac pedes, quid ad pectus, &c.

Dorotheus.

19. Quapropter etiam quidam senior rectè dixit, quòd præ omnibus humilitate indigeamus.

Nyssenus Orat. 2. de Beatitud. Scala virtutum qualis sit.

20. Quemadmodum quidem qui per scalam quamdā ad sublimiora contendunt, cùm primum ascenderint gradum, per illum ad superiorem promouentur, ac rursum secundus ad tertium deducit ascendentem, hicque ad superiorem proximum, & ille ad insequentem; atque ita is qui conscendit, dum ab eo in quo consistit gradu sese ad superiorem effert, ad summum ascensus quem petit gradum peruenit. Eodem modo videtur mihi apud Matthæum, tamquam per gradus aliquos beatitudinum ordo dispositus, qui mutuâ quadam successione facilem præbeant sermonū ascensum. Cuius semen est spes hereditatis quæ iustis proposita est.

Eusebius

21. Secundus igitur, tertiusque deinde, vti & quartus, & qui sequuntur, ab ipso beati prædicantur. Nam docuit per rationem aliquam dictarum vitarum hoc impetrari, vt quis ad promissiones istas valeat aspirare; sic vt possit fieri, vt aliqui ad Dei regnum peruenerint, tametsi consilium Christi de paupertate spiritus non fuerint secuti, si modò reuocari fuerint ac sanati ab ijs per quæ ad mortem tendebant peccatis, ac pœnitentiæ confessionique ac vitæ temperanti semetipsos tradiderint, quò ad promissam terram pertingant, incolæque ac ciues fiant supernæ ciuitatis Dei, mites ac malorum tolerantes comprobati: & si esurierint in præsenti vitâ sitierintque iustitiam, saturitatem eius in promisso sæculo consequentur, quando nimirum purâ illâ atque essentiali virtute perfruentur, videntes ipsam Dei iustitiā subsistentem, ipsamque Dei sapientiam, vitamque æternam ac lucem animas illustrantem; quæ vtique omnia per infiras vnigenito Dei Verbo virtutes intelliguntur. Quòd si nonnulli fuerint misericordes & humani, commiserationem ac liberalitatem erga miseros exhibentes, paria suis factis recipient, per misericordiam ac benignitatem Dei misericordiam consecuti. Alius quoque odio fuerit secundùm repromissionem beatorum, eorum nempe qui corde, hoc est mente mundi sunt, ac rursus alius pacificorum. Quorum illi quidem primi præmium recipient puritatis visionem Dei, perpurgatis vtique illum animæ oculis conspicientes: secundi verò filij Dei fient, quippe qui opus suum similiter perficiant vt Filius Dei, qui pacificat omnia per semetipsum, & quæ in cælo sunt, & quæ super terram. Ceterùm qui quidem varijs in rebus se rectè gesserint, diuersos quoque in promisso Dei regno honores consequentur, vt qui ipsiusmet Dei Filij consilium sint secuti. Ac primum quidem recensentur pauperes spiritu: deinde verò post illos, generosi Dei martyres, de quibus posteà docuit dicens: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nam per hæc eos qui decertaturi sunt pro cælorum regno, vt generosos Dei duces, beatos prædicabat, necessariò etiam illis, vtpote fratribus prædictorum pauperum beatorum, præmia certaminum pollicitus est regnum cælorum. Ordine autem multo ac sequelâ his tradidit idem regnum post pauperes spiritu: oportet enim priùs nosse piè, omne tempus vitæ sine possessione ac philosophico more transegisse, deinde hoc modo ad finem Deo gratum peruenisse. Illi igitur priores transegerunt vitam omnis possessionis expertem, per totam vitam in virtutum certaminibus exercitati: posteriores verò propter eius testimoniū eiecti sunt, impugnati & odio habiti, contumelijs affecti, ac diabolicis mendacijs circumuenti, non aliam vtique ob causam, nisi propter Christi professionem. Etenim esurientes quidem ac flentes, & propter Christum contumeliâ affectos videre liceat apud Lucam: mites verò ac misericordes, & mundos corde atque pacificos, Matthæus nobis inquirendos proponit.

Esurientes iustitiam saturantur.

Misericordes misericordiam consequuntur.

Col. 1, 20.

Matth. 5, 10.

Luc. 6, 21.

Matth. 5, 4

Nyssenus Orat. 2. de Beatitudinib.

22. Si igitur quasi volucres facti mente eò peruolauerimus, & in testudinis cælestis dorso constiterimus, inueniemus ibi cælestem terram, quæ in hereditatem proposita est ijs qui cum virtute vitam transegerint, ita vt hæc ordinis ratio non videatur à beatitudinum aberrasse consequentiâ, primùm cælo, deinde terra nobis in promissionibus à

 Deo

Qualis terra sit mitibus promissa. Deo proposita, terrâ inqnam illâ, in qnâ via peccatorum ooo est trita, & quæ malitiæ vestigium in se non suscepit, quam non proscidit aratro iniquitatis qni zizaoia seminat, in quâ fons est in quatuor riuos diffluens, & vinea à Deo vniuersorum exculta. terra ista bonorum frugum fertilis est, in eâ lignum vitæ frondescit, & spiritualium munerum fontibus irrigatur. Hanc inquam terram hereditabunt mites, in qoibus ratiocinatio velun freoum quoddã impetus reprimens, noo finit animnm ad inordinata efferri, qui *Humiles euadunt tentationes.* vtique non iosolescit dum ab hnmilitate regitur. Siquidem contumelia atque ignominia, huiusce iracundiæ morbi irascentibus causa existit. Ignominiâ autem ille noo mouetur, qui sese * temperantiâ moderatur. Si ** animi demissione* quis enim ab humanâ fallaciâ vacuam habeat cogitationem, & naturæ suæ quam nactus vtilitatẽ consideret, vnde constitutionis suæ initium habeat, & ad quem finem ten*Considerato miseria humana quàm sit vilis.*dat, & breoem banc vitam citoque interituram, eamque naturæ inopiam, vt ad sui tuitionem consetuationemque sibi non sufficeret, nisi eius egestatem expleret animalium copia: adhæc, dolores, luctus, calamitates, variaque moiborum genera, quibus subiecta est vita humana, à quibus nemo naturâ liber & immunis est. Hæc si quis accuratè puro animi oculo cernat, haud facilè ad honorum defectus commouebitur & excandescet; quin imò è contra fallacem ducet esse honorem, quo ob rem quampiam à proximo afficietur: qnippe cùm oihil tale in naturâ nostiâ habeamns, quod possit cum dignitate & honore vllam habere communicationem, nisi solùm secundum animam, cuius honor noo constat ex ijs rebus quæ secundùm hunc mundũ expetuntur. Nam aut opũ gloria, aut geoeris ostentatio, aut sui præ ceteris elatio, aut quædã excellentiæ species, quibus ferè tebus humani complentur honores, hæc omnia tollunt atque planè dedecorant animæ dignitatẽ, ita vt nemo prudensaut ratione præditus sit, qui hoiusce modi re aliquâ animæ suæ puritatem copiat contaminare. Sic autem animo comparatum esse, nihil est aliud quàm io profundo quodam humilitatis habitu versari: quâ acquisitâ, nullus iracundiæ ad animam aditus patebit, quâ semotâ, in quiete tranquillitateque vitæ ratio constituitur, quæ noo est alia quàm ipsa mansuetudo, cuius finis beatitudo atque cælestis terræ hereditas est.

IDEM Orat. 5. de beatitud. *Scala Iacob.* 23. Fortasse verò tale quid est, quod per visionem quamdam Iacob per ænigma edoctus fuit, scalam videns à terrâ ad altitudinem cæli pertingentem, & Deum ipsi innixum, quale nimirum per beatitudines doctrina hîc facit, semper per sublimiores intelligentias per eam ascendentes extollens. Nam scalæ specie illam isti Patriarchæ formam viueodi præscriptam censeo, quæ virtuti congrueret, vt & ipse cognosceret, ac posteris traderet, non posse aliâ ratiooe quempiam io Deum erigi, nisi cootinuò superna spectet, ac continenti rerum sublimium desiderio teneatur, vt non satis illi sit, in ijs quæ iam rectè egerit permanere, verùm etiã in damno ponat si superiora noo assequatur. Atque hoc quidem loco beatitudinum, quæ inuicem sibi cohæreot, altitudo efficit vt ad Denm ipsum, qui verè beatus est, omniq́ue beatitudine firmatus, proximè accedamus. Prorsus autem vt sapienti per sapieotiam & per putitatem puro appropinquamus; ita beato quoque per viam beatitudinum conciliamur. Dei enim reuerà propria beatitudo est; quamobrem etiam eiusmodi scalæ Deum innixum esse Iacob narrauit. Igitur, participatio beatitudinum nihil est aliud quàm Diuinitatis communicatio, ad quam nos per prædicta Dominus adducit. Ac multis quidem diuinæ Scripturæ locis Dei potestas misericordis nomine à sanctis viris appellatur. Sic in Psalmis Dauid, *Per misericordiã Deo similes efficimur.* sic in prophetia suâ Ionas, in multis legis locis magnus Moyses Deum nominat. Si igitur misericors Deus à diuinitus inspiratâ Scripturâ nominetur, ad quid aliud te sermo inuitat, oisi vt tantùm non Deus efficiaris, tamquam formatus & insignitus propriâ formâ Deitatis? Beati, enim inquit, misericordes. Quo igitur pacto beatum non fit talem vocari atque esse hominẽ, qui ex actione Deus nominatur? Verùm æmulari charismata meliora etiam suadet diuinns Apostolus. *1. Cor. 12, 31.* Nobis autem propositum est, non vt in animum indocamus res bonas appetere (hoc enim sponte insitum est humanæ naturæ, vt ad bonum propensa sit) sed vt ne in eo quod honestum est, dijudicando fallamur. Nam in hac potissimùm parte errat vitæ nostræ ratio, quia non satis exactè cognoscere potest, quid oaturâ honestũ sit, quidve tale falsò putetur. *In veris bonis discernendis omnis difficultas.* Eteoim si vitæ nudum propositum esset virium, neque aliquâ esset honesti specie coloratum, numquam sanè ad illud sese genus hominum contulisset. Quare cognitione nobis opus est, vt propositæ sententiæ vim cognoscamus; cumque intelligentiæ ipsi insitæ verã cognouerimus pulchritudinem, ad eam nos conformemur. Nam vt cunctis hominibus de Deo à naturâ iosita est opinio; sed quoniam ignoratur is qui verus est Deus, idcircò peccatur in eo quod colitur. Quidam enim decepti, io creaturâ tale quidpiam inesse opinati sunt.

Eodem

Eodem modo hic nisi verâ intelligentiam perceperimus, non exiguâ in re nos damnum faciemus, si à veritate aberrabimus. Quid igitur misericordia est, in cuiúsve rei actione versatur? & quomodo beatus est is, qui inuicem accipit quod dat?

Ibidem. 24. Beati, enim inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Atque huius quidem dicti ea, quæ in promptu est sententia, mutuam charitatem præscribit, quoniam non aliter fieri potest, vt ad aliorum calamitates subleuandas quis impellatur, nisi ad eiusmodi motum misericordia eius animum emollierit: ex re enim quæ immanitati contraria est, cognoscitur *Mitis & misericors omnibus gratus.* misericordia. Vt igitur is qui ferus est atque immanis, difficilem se adeuntibus præbet; ita condolens & misericors, affectu quodammodò contemperatur cum eo qui indiget, cùm sese ad id accommodet quod sollicitus dolentis animus requirit. Nam in bonorum quidem partem venire omnes tam amici quàm inimici similiter appetunt; rebus autem aliorum aduersis communicare *Amicus verus in aduersitate cognoscitur.* velle, illorum tantùm hoc est proprium, qui dilectione agglutinantur: dilectionis autem additamentum, misericordia est. Quantus verò inde fructus huic vitæ afferatur, si quis sententiam beatitudinis in hanc partem acceperit, superuacaneum fuerit explicare, cùm vel admodum rudibus perspicua ea sint, quæ vitę ex hoc consilio rectè eueniant. Nam si, verbi causâ, omnibus eiuscemodi *Si omnibus misericordia affectus insitus, nulli aliquid deesset.* animi affectus erga inferiorem innatus esset, nihil amplius fuerit quod alijs præstet aut ijs inferius sit, neque contrarijs inter sese nominibus distincta esset vitæ ratio. Non hominem affligeret *penuria, non fenerator deprimeret, non ignominia molestiam illi afferret: omnia enim essent omnibus communia, æqualisque bonorum distributio in vitâ hominum constitueretur, si quod præstat vltrò ei adæquaretur cui deest. Hoc, inquam, si eueniret, nulla amplius reliqua esset inimicitiarum materia, cessaret inuidia, extinctum esset odium, exterminaretur iniuriarum tenax memoria, mendacium, fraus, bellum, quæ omnia ex plus habendi cupiditate nascuntur; virtutum verò pro ijs cætera succedit. Quid igitur beatius est, quàm ita vitam instituere, vt non amplius vectibus ac septis vitæ præsidium committatur, sed *Misericordia elogia.* mutuis sit officijs munitum? Est enim misericordia beneuolentiæ parês, amoris pignus, omnisque amicæ affectionis vinculum. Atque adeò quidem vtile, hoc quod in promptu consilium est. Verùm nos etiam intra velum aspicientes, sermonem pro virili prosequamur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Absoluta vtique & infinita hæc vox occasionem præbet aliquid amplius quàm ea quæ modò dicta sunt inquirendi; propterea quod non adiectum est, quales sint ij erga quos misericordiam exhibere conuenit; sed simpliciter dictum est, Beati misericordes. Forsitan enim præcipit vt nos nostri misereat, vtpote qui miserrima & commiseratione dignissima patimur. Quid enim hac captiuitate misera- *Miseria huius vita.* bilius, cùm pro paradisi delicijs, pestiferam huius vitæ regionem, laborumque plenam nacti simus? & pro illâ impatibilitate, infinitas perturbationum noxas retulerimus? proque cælesti illâ vitæ Angelicæ consuetudine, ad id damnati simus, vt cum terrenis bestijs simul viuamus, Angelicâ pariter atque expertè passionum vitâ cum pecuaria bestialique permutatâ. Quis vtique acerbus vitæ nostræ tyrannos, & furentes ferosque dominos facilè enumerauerit? Quotusquisque igitur est, qui si hanc miseram vitæ conditionem secum reputarit, non cum quadam commiseratione doleat his incommodis ac calamitatibus? Sed causa, quamobrem no- *Miserrimus qui suam non sentit miseriam.* stri misericordiâ ipsi minus afficimur, ea est, quoniam sensu caremus malorum. id quod accidere solet ijs qui furore correpti sunt, quibus insaniæ vis sensum eorum adimit, quæ ipsi patiuntur. Si quis igitur semetipsum agnouerit, tum qualis anteà fuit, tum qualis in præsentiâ ipse est, numquam hic sui misereri desinet. Hanc vero animi affectionem consequetur misericordia Dei. Quapropter beati, inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Ipsi, non Alij: in hoc enim explicatur sententia. quasi si quis diceret, bene cum eo agi, qui corporis valetudinem curat, quoniam in sanitate viuet, [simili] igitur ratione bonum est, & sui ipsius misereri & proximi: siquidem diuini iudicij æquitas, hominis aduersus inferiores propensam voluntatem in supernâ potestate demonstrat. quasi homo causis inferiorum iudicandis quodammodò iudicium de se ipse ferat: etenim eiuscemodi quidem est misericordia quæ beata dicitur.

25. Deinde verò Deus ijs spectandus *Nyssenus Orat. 6 de Beatitud.* propositus est, qui mundo sunt corde. Deus, inquam, quem nemo vidit vmquam, vt *Mundi corde Deum vident.* magnus ait Ioannes: quam sententiam Paulus sublimi mente ijs verbis confirmat: *Ioan. 1, 18.* Quem nullus hominum vidit, neque videre *1. Tim. 6, 16.* potest. sed Moyses similiter ipsum esse inaccessum pronuntiauit. Non enim est, inquit, *Exo. 33, 20.* qui videbit faciem Domini, & viuet. Atqui Deum videre, hoc profectò est vita sempiterna: idque ipsum fieri non posse, affirmant illæ fidei columnę, Ioannes, Paulus, & Moyses.

ses. Videsne vertiginem cum quâ vnà trahitur animus ad profunditatem eorum quæ in hac oratione considerantur? Deus vita est: qui eum non cernit, neque vitam spectat. Quòd verò cerni non possit, hoc qui diuino numine afflati sunt testantur. Quâ in re hominum posita spes est? At spem hanc quasi labentem sustentat Dominus. Cùm enim duplex insit huic de Deo videndo promissioni sententia, vna quidem de cognoscendâ naturâ illâ quæ in supernis vniuersitati præsidet, altera verò de contemperando se cum ipso per vitæ puritatem; primùm quidem illam contemplationis speciem impeditam esse, ac confici non posse, sanctorum voces declarant: secundùm verò per præsentem doctrinam humanæ naturæ Dominus promittit, dicens: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ex dictis vtique ostenditur, vt etiam Dominus verum dixerit, cùm Deum à mundis corde visum iri promisit, & diuino Spiritu afflati, non fuerint etiam mentiti, cùm Deum videri non posse affirmarunt.

Quomodo Deus videri possit, & quomodo non.

IDEM Orat. 7. de Beatitud.

26. Ceterùm quemadmodum sacri illius tabernaculi testimonij, quod populo Israëlitico lator legis eâ formâ ædificarat, quam in monte ei Dominus ostenderat; singula quidem omnia, tum sancta tum sacra erant, quæcumque interiori ambitu continebantur: eam verò intimam partem quæ Sancta sanctorum nominabatur, adire ingredique nullo modo licebat, indicante, vt opinor, hac amplificatiuâ nominis formatione, eam partem non pari cum ceteris cõditione participem sanctitatis esse; sed quantò res consecrata sanctaque illi præstat quæ vulgaris est ac profana, tantò illam partem ad quam ingredi nefas erat, ceteris locis sacris illi vicinis sanctiorem ac puriorem existere. Pari item ratione quæcumque de his beatæ vitæ rationibus superiùs nobis in monte demonstratis disseruit diuina oratio, ea quidem omnia & sacra & sancta sunt: quod verò iam ad contemplandum est nobis propositum, est inaccessum, ac reuerà Sanctum sanctorum; hominem nempe pacificum, filium Dei fieri. Quid enim est homo si cum naturà diuinâ comparetur? Cuius ego sanctorum vocem proferam, quâ extenuetur hominum conditio? Secundùm Abrahamum est terra & cinis: secundùm Isaiam, fœnum: secundùm Dauidem ne fœnum quidem, sed fœni simile. nam ille, Omnis caro, inquit, fœnum est: hic verò ait, Homo est quasi fœnũ: secundùm verò Ecclesiasten, Vanitas est; secundùm Paulum, miseria. Quibus enim nominibus Apostolus seipsum vocat, iisdem eum generis humani miseret. Hæc homo.

Sanctum sanctorum inaccessum.

Homo quibus in scripturâ comparetur.

Gen. 18, 27 Isa. 40, 6 Psal. 36, 2

Eccle. 1, 2. 1. Cor. 15.

Deus autem quid est? Quomodo id definiã, quod neque oculis cerni, neque auribus percipi, neque mente animóve comprehendi potest? quibus verbis eius naturam explicabo? quod huiusce boni exemplum in iis quæ nota sunt ac perspicua, inueniam? quæ verba fabricabo ad exponendum id, quod neque dici neque exprimi potest? Audiui ex diuinis litteris, magna quidem de cælesti naturâ prædicari; sed hæc quid ad ipsam naturam? Etenim quantum mente assequi potueram, tantum est verbis expressum, non quantum id planè est quod significatur. Nam sicut qui respirando aërem hauriunt, pro suâ quisque capacitate, alius quidem plus, alius autem minus aëris attrahit, non tamen qui multum in se aërem concipit, is totum in se redegit elementum; sed ex vniuerso quantum potuit, non autem totum recepit: sic diuinarum litterarum de Deo sermones, sublimes illi quidem sunt, magnique, & pro ingenij nostri ratione omnem superant magnitudinem, sed veram tamen magnitudinem non assequuntur. Quis cælum, inquit, palmo dimensus est, & manu aquam, & omnem terram pugillo? Animaduertis ampla & magnifica verba Prophetæ, qui inexplicabilem potentiam describit? sed quid hæc ad illud quod reuerà est? His enim magnificis verbis aliquam diuinæ actionis partem ostendit Prophetæ sermo, ipsam verò, vnde actio existit, vim, ne dicam naturam, vnde vis illa emanat, neque expressit Propheta, neque expressurus erat. Immò verò sermone redarguit eos, qui Deum quibusdam opinionibus, quasi adumbrando effingunt: idque quasi ex personâ Domini aiens: Cui me assimilastis, inquit Dominus? Huic tamen rei, quæ tanta est ac tam magna, quæ neque oculis cerni, neque auribus percipi, neque mente comprehendi possit; is qui nullo numero habetur homo, qui cinis, qui fœnum, qui vanitas est, conciliatur, atque ab eo qui rerum vniuersarum conditor est, in filiorum ordinem adsciscitur. Quæ gratiarum actio huic muneri æqualis inueniri potest? Naturæ suæ fines transilit homo: ex mortali immortalis, ex caduco perpetuus ac firmus, ex eo qui ad diem permanet, sempiternus; atque ex homine deniq; efficitur Deus. Nam qui dignus habitus est vt Dei Filius efficiatur, is Patris in se dignitatem omnino habebit, paternorumque bonorum omnium hereditatem cernet. Si enim eiusdem naturæ, cuius ipse est, homines participes facit atque affines, quid aliud hac affinitate contractâ pollicetur, quàm parem quemdam dignitatis gradum?

Deus quomodo describatur.

Isa. 40, 12.

Homini quanta dignitas communicetur à Deo.

27. Tantum est igitur hoc certaminis præ- IIDEM.

præmium, quod verò certaminis genus? Vult nempe vt primum plenus ipse sis bonorum quæ ex pace existunt, deinde illis tribuere qui eiusmodi re indigent. Beati, enim inquit, pacifici. Multorum morborum curationem exiguo remedio adfert hic sermo, per collectiuam hanc & vocem generalem comprehendens singula quæ amori contraria intelliguntur, vt sunt odium, ira, animi impetus, inuidia, iniuriarum tenax memoria, simulatio, * ciuilis calamitas, & alia eiusdemodi multa. Vides quantis & quàm grauibus morbis vna sola vox remedium adferat. Nam pax cuique ennumeratorum [malorum] ex æquo repugnat, suáque præsentiâ mali abolitionem præstat. Sicut igitur optimis suis odoribus vnguenta suauia viciuum aërem replent; sic præ copiâ quadam vult [Dominus] te pacis gratiâ abundare, vt vitæ tuæ ratio, alieni sit morbi remedium. Itaque is qui huiuscemodi turpitudinem vetat, optimo iure tum beatus, tum ob maximum beneficium honore dignus censeri debet. Nam si illi qui ab aliquâ corporis molestiâ hominem liberauerit, ob tale beneficium honos tribuatur, tantò magis illi qui ab hoc morbo animum vindicauerit, quantò corpori præstat animus. Qui enim genere coniunctos, pace beneuolentiáque conglutinat, nónne diuinæ prorsus potentiæ opus peragit, humanam quidem naturam excedens, bonorum verò pro ea communionem inducens? Idcircò vtique pacificum nominat Filiū Dei, quòd imitator existat veri Dei Filij, qui tanta vitæ humanæ bona largitur, & quod diuinæ operationis proprium est, vitæ suæ ratione exhibet. Hæc quidem à nobis in recensita à Matthæo beatitudines dicta sint. A Lucâ verò pauperes primi beati prædicantur, deinde illis subiungit.

Pacificum ei quātum vox sit.

* *bell.*

Pacis vis.

ANNOTATIONES.

NVM. 15 Ex alterâ verò ad satietatem honorum omnium fruitionem.] *In impresso tom. 1. fol. 762. habetur,* ἑτέρωθεν δὲ τὴν ἄνω γῆς τὴν κληρονομίαν, Ex alterâ verò parte supernæ terræ hereditatem. *Et ibidem pro,* Εἶτα τὴν χαρὰν εὐφροσύνην ἐνδεικνυμένην διὰ τοῦ γέλωτος, καὶ τὸν ἀποκείμενον πολὺν μισθὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὅσα ἄλλα πάρεστι βλέπειν, ἄνωθεν δακτυλοδεικνῦντος τοῦ Λόγου ἐκ τοῦ ὄρους. Ad hæc porum gaudium per risum declaratum ac mercedem multam quæ reposita est in cælis, & quæcumque alia ex hoc monte contemplari liceat, Verbo illa supernè digito demonstrante; *legitur in impresso,* Εἶτα ἔλεον, καὶ δικαιοσύνην, καὶ παράκλησιν, καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν τῶν ὅλων γινομένην συγγένειαν. καὶ τὸν ἐκ διωγμῶν καρπὸν, ὅ ἐστι τὸ σύνοικον Θεοῦ γενέσθαι· καὶ ὅσα ἄλλα πάρεστι πρὸς τούτοις βλέπειν ἄνωθεν ἐκ τοῦ ὄρους δακτυλοδεικνῦντος τοῦ Λόγου, ἐκ τῆς ὑψηλῆς σκοπιᾶς διὰ τῶν ἐλπίδων ἀποβλεπόμενον. Deinde misericordiam, & iustitiam, & consolationem, atque eam quæ cum Deo rerum vniuersarum existit cognationem, & fructum ex persecutionibus, quod est contubernalem Dei fieri: ac quæcumque alia præterea si quis ex sublimi speculâ per spem despiciat, supernè de monte digito monstrante Verbo in promptu est videre. *Et paulò pòst,* Ὁ δι' ἡμᾶς καταβὰς ἵν' ἡμᾶς ἑαυτῷ συναγάγῃ, *hæc non habentur in impresso Nysseno. Locus autem ille Isaiæ 53. v. 4. in Septuag. est,* Οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται. Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet. *in Vulgatâ:* Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

Nota autem hic, pauperes & ceteros beatos vocari beatitudine via seu spe, vtpote qui sint in rectâ viâ ad veram ac sempiternam beatitudinem. Singulæ autem beatitudines hic suos habent gradus, quorum aliqui sunt consilij, alij præcepti. vnde perfectis perfectè conueniunt, omnibus tamen iustis suo modo & gradu, adeoque nemo sine his saluabitur. Singulis etiam promittitur regnum cælorum, sed, vt ait S. Augustinus, alio atque alio nomine & proprietate operi congruâ, idque quasi per incrementa priorū, vt pulchrè S. Ambrosius hic in Luca cap. 6. Vnde in primâ & vltimâ beatitudine disertè exprimit regnum cælorum, quasi illud velit etiā in omnibus medijs intelligi. Ita S. Augustinus de Sermone in Monte, vbi septem primas beatitudines pulchrè adaptat septem donis Spiritus sancti. Timor enim Dei congruit humilibus, pietas mitibus, scientia lugentibus, fortitudo esurientibus & sitientibus, consilium misericordibus, intellectus mundis corde, sapientia pacificis.

VERS. 21. Beati, qui nunc esuritis: quia saturabimini.

28. SVBLIMIORI sensu, quemadmodum circa sensibilem hunc victum, pro ciborum diuersitate, comedentium sæpè appetitus diuiditur, & non rarò quis pro temperamenti quadam proprietate ad aliquod vitium propensus, similium etiam qualitate ciborum morbum nutrit; sin autem ad ea quæ salutaria sunt atque inutilia trahitur appetitus, integrâ planè valetudine vtetur, nutrimento bonam ei valetudinem conseruante. Eodem etiam modo in animi cibo. Alios enim apparentis, alios autem veri boni cupiditas tenet. Quapropter secundùm Matthæum beati prædicantur, qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Quænam est igitur illa iustitia? hoc enim primùm oratione explicandum arbitror, vt cùm eius pulchritudo perspecta fit, hoc pacto ad rei conspectæ formam nostra excitetur cupiditas; quoniam fieri non potest, vt eius rei quæ non apparet, cupiditate aliquis afficiatur, sed languescit quodammodo nostra natura, neque impellitur ad id quod planè ignorat, nisi vel aurium vel oculorum sensu id ipsum percipiat quod expetitur. Quare qui res eiusmodi indagarunt, hi quidem iustitiam esse dicunt habitum quemdam, qui pro dignitate cuique tribuit. Vt si cui distribuendæ pecuniæ potestas est, habitâ ratione æquitatis, participantium indigentiæ largitionem accommodet, hic

NYSSENVS Orat. 4. de Beat.

Appetitus verus & falsus.

Matth. 5.

Iustitia quid.

hic iustus appellatur. Atqui si quis iudicandi potestate præditus, neque gratiâ neque odio motus sententiam ferat, sed caussarum naturam secutus, eos qui supplicio digni sunt, damnet, innocentes verò planè absoluat, ac de ceteris item controuersijs verè statuat, is etiam iustus dicitur. Qui subiectis quoque populis tributum imperat, idque tale imponit, quod illorum facultatibus æquè conueniat. Pater item familias, & ciuitatis Princeps, & Gentiũ Rex, hi singuli si congruenter rationi rectéque suis subditis imperant, neque ex illâ potestate, irrationali quodam impetu mouentur, sed rectâ ratione illis ius dicunt, atque non pro illorum arbitratu sententiam ferunt; hæc omnia iustitiæ definitioni tribuunt ij, qui eiusmodi habitu id quod iustum est definiendo explicant. Ego verò dum diuinæ legum constitutionis altitudinem contemplor, hoc iustitiæ nomine aliquid amplius, quàm ea quæ commemorata sunt, intelligendum coniecto. Nam si ad omne hominum genus salutaris hic sermo pertinet, neque cuiusuis tamen est hominis in prædictis muneribus versari; siquidem paucorum est imperare, præesse, ius dicere, pecunijs abundare, aut alias res dispensare, multitudo verò maxima sit eorum qui subiecti aliorum imperio potestateque tenentur. Quo igitur modo acceperit aliquis iustitiam veram illam esse, quæ non omnibus æquè proposita sit? Si enim, vt externis disciplinis traditur, æqualitatis ratio est iustitiæ proposita; id autem quod præstat, inæqualitatem in se habet, non potest, quę tradita est, iustitiæ definitio vera putari: quoniam hæc inæquali vitæ conditione statim refellitur.

Iustus quis dicatur.

IBIDEM 29. Quare quæ iustitia illa est, quæ ad omnes pertinet, cuius appetitus communis propositus est omnibus qui ad Euangelij mensam spectant? siue diues aliquis sit, siue dominus, siue patritius, siue pecuniâ comparatus; cùm nullus fortunæ status, neque augeat, neque imminuat iustitiæ rationem. Multis igitur ac varijs rebus nobis ad vsum propositis, ad quæ natura humana appetendi vi trahitur, multâ nobis cognitione opus est, vt in cibis eiusmodi dijudicemus, qui esui apti sint, quive noceant: vt ne quod ab animo pro cibo capi videtur, mortem pro vitâ ac tabem [illegible] efficeret. Verbi gratiâ, si lapidem aut [illegible] quampiam quæ manducari non potest materiam, pani prætulerimus. Natura enim per famis affectionem, tantùm non vocem emittens, dicit, se nunc egere cibo, oportereque propterea rursus corpori id inferre, quod spiritus vis absumpserit. Tu verò naturam non exaudis; quoniam non ei das quod ipsa petit, vt eius inopiam subleues, vt quod deficit conuenienti quodam rursus tepleas additamento. Panis verò aut aliquis alius cibus est quem natura appetit, sed tu ad illa quæ naturæ extrinseca sunt appetitum conuertens, pretiosas mensas apparas, & aurum argentumque ptuponis, materias quæ comedi non possunt, nec quidquam ad naturæ necessitatem conferunt. Beatus igitur prædicandus est, qui esurit iustitiam, non partialem quidem illam, sed vniuersalem virtutem. Neque enim fieri potest, vt vna aliqua virtutis species ipsa per se sola virtus perfecta sit. Nam cum quo non aliquid vnà consideratur eorum quæ per bonum intelliguntur, in eo res contraria locum habeat omnino necesse est. Temperantiæ opposita est intemperantia, prudentiæ stultitia; & omni denique rei, quæ ad bonum spectate putatur, est aliquid omnino quod ei repugnare intelligitur. Quamobrem nisi cuncta simul cum iustitiâ intelligerentur, difficile sanè esset, quod reliquum est, id bonum esse. Non enim iustitiam aut imprudentem, aut audacem, aut intemperantem aliquis dixerit, aut aliud quidpiam eorum quæ ad vitium pertineant. Si igitur omnis rei pessimæ expers est iustitię ratio, omne in se bonum planè continet. Quod verò cumque de virtute intelligitur, id omne bonum est. Ergo virtus omnis hoc loco iustitiæ nomine demonstratur, quam qui esuriunt & sitiunt, eos hic sermo beatos prædicat, eùm eorum, quæ expetuntur, satietatem ipsis promittat. Quod autem dicitur eiusmodi est, nullas res, quæ ob voluptatem expetuntur, satietatem ijs afferre, qui illarum appetitione ducuntur; sed studium quod in voluptatibus ponitur, vt quodam loco per ænigma sapientia dicit, velut dolium perforatum: quo sedulò semper cùm infundant ij, qui eo studio tenentur, infinitum quidem atque inutilem ostendunt laborem; vtpote cùm in appetitionis profundũ aliquid semper infundant, quodque ad voluptatem pertineat, id assiduè adijciant, cupiditatem hi numquam explent. Solum vtique quod in virtute studium à nobis ponitur, id solidum est, ac planè firmum, & semper recentem illis sensum præbet, qui eius rationi conuenienter viuunt. Docet igitur Dominus, vt nihil eorum, in quibus opera luditur, appetamus; id quod ijs euenit, qui vmbræ suæ verticem cursu assequi contẽdunt; quorum cursus in infinitum fertur, cùm id quod illi persequuntur, æquè celeriter eo elabatur, quo insequentis cursus festinat. Sed cupiditatem ad eas res adiungamus, in quibus ipsis studium possessio fit studentis, & ex æquo vtraque inter sese augentur. Nam virtutis cupi-

Iustitia generalis est virtus.

Voluptas insaturabilis est.

Appetenda quæ iustitiam obtenta. cupiditatem possessio consequitur rei quæ expetitur; & bonum illud quod obtigit, immortale animo gaudium parit. Et quemadmodum in sensibili cibo (detur enim nobis vt arbitratu nostro aliquid exempli causâ dicamus, quod natura non habet) si nihil quod ad alendum capitur, tamquam superuacaneum abijceretur, sed id totum ad corporeæ proceritatis incrementum adijceretur, in maximam profectò corpora proceritatem excrescerent quotidiano nutrimento per sese adaugente magnitudinem: sic iustitia virtusque omnis illi adiuncta, quoniam veluti mentis esca comesta non eijcitur, altiùs per se tollit semper illos qui eâ præditi sunt, cùm continuâ sui adiectione illorum adaugeat magnitudinem.

Titus. 30. Si verò quispiam etiam esurire desideret, vtpote qui corpus suum subigat, abstinendo à cibis, & illud exercendo vt carnis restænet cupiditates, vt ante resurrectionem Angelicam æmuletur puritatem, poterit etiam eò peruenire, quò dictum est.

VERS. 21. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis.

CYRILLVS Beati flentes. 31 BEATOS prædicat flentes, aitque quòd ridebunt. Flere autem dicimus, non eos qui simpliciter ab oculis lacrymas mittunt (commune enim hoc est omnibus, tam fidelibus quàm infidelibus, si quid euenerit eorum quæ contristare solent) magis autem illos qui vitam carnalibus voluptatibus deditam consectantur ac persequuntur, in delicijs risuque versari dicimus. Verùm Saluator eos beatos esse asserit, qui deliciari ac carnaliter dissolui recusant, & tantùm non lacrymantur propter odium rerum mundanarum. Cùm iubeat igitur nos esse pauperes, illa etiam quæ paupertatem consequuntur, præmijs honorat. Talia autem sunt, rerum ad victum necessariarum penutia, & vultus deiectio propter afflictionem.

BASILIVS. Quæ sit lacrymarum origo. 32. Non ex iisdem vtique principijs lacrymæ & gaudium generantur; illæ siquidem existunt veluti ex plagâ quadam improuisi incursus, animam percutientis ac consternantis, ac spiritum circa præcordia comprimentis. *Gaudium quid.* Gaudiũ verò, est exultatio quædam animæ gaudentis his quæ ex sententiâ succedunt. Vnde etiam diuersa corpori accidunt: nam & tristitiâ affectis color subpallidus & liueus est, & corpus refrigeratum; in hilaritate verò constitutis, est florida admodum & rubore decorata corporis habitudo, animâ tantùm non subsiliente, & præ voluptate ad exteriora prorumpente.

NYSSENVS Hom. 2. in Ecclesiaste. 33. Hunc autem [risum] circumlationem quamdam atque insaniam Ecclesiastes nominat; quippe cùm nec sermo sit, neque factum certo scopo ac proposito susceptum. *Effusus risus reprehensibilis.* Oris autem indecora distractio, tremorque spiritus, & totius corporis concussio, & genarum diductio, dentiumque etiam molarium ac palati denudatio, & ceruicis locutio, vocisque præter rationem fractio quæ simul cum fractione spiritus intersecatur, quid hoc aliud fuerit quàm amentia? Propterea inquit: Risui dixi circumlationem: hoc est, *Eccle. 2, 2.* dixi risui quòd insaniat, & emotæ mentis sit, neque maneat intra constantiæ fines, vt qui sponte indecorè se gerat, & in motu animi formam peruertat, idque propter nullam vtilitatem.

NAZIANZENVS in Definitionibus. 34. Si verò rudiori modo risum, lætitiam, & tristitiam definire libeat; Risus genarum est æstus, hinc pectus micat. *Quid sit risus, lætitia, & tristitia.* Lætitia quædam mentis est diffusio. Tristitia cordis morsus & turbatio.

CHRYSOSTOMVS Hom. 6. in Matth. Christus & Apostoli non leguntur risisse. 35. Ac Dominum quidem liceat sæpè videre flentem, sed numquam ridentem, quin nec leuiter saltem subridendo gaudentem. Nullus certè hoc Euangelista memorauit. Quòd autem & Paulus fleuerit, & quidem per triennium noctes ac dies id fecerit, tum ipse de se, tum alij de ipso testantur. *Act. 20, 19* quòd verò riserit, nusquam dicitur. Non es tu Paulo melior & Petro, qui numquam fuerunt talem relaxationem consecuti. Si igitur illos sequi velis, cur contrariam quàm illi triuerunt viam ingrederis, remissionis inquã, non tribulationis. Illa via lata est, hæc arcta. Hanc ingredere quæ ad supernam ciuitatem perducit, in quâ ridebunt qui hîc fleuerunt.

BASILIVS in Psal. 29. Qui nunc flent, ridebũt postea. 36. Risum autem hic dicit, non eum qui per genas emittitur sonum, sed meram & impermixtam cuilibet tristitiæ alacritatem. Et Dauid, Ad vesperũ, inquit, demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *Psal. 29, 6.* Vespera sæculum hoc dicitur, in quo qui persanctè plorant, adueniente posteà matutino consolabuntur. Quicumque igitur dies sæculi huius in consummatione iam existentis, & ad occasum vergentis, in peccatis suis deplorandis transegerint; hi demum vero isto matutino aduenięte gaudebunt. Quoniam *Psal. 125, 5* qui seminant in lacrymis, in exultatione metent; nimirum in futuro illo sęculo. Cum iustis siquidem exultare ac congaudere nos diuinus sermo iubet, flere verò cum flentibus imperat. Quando itaque videbis fratrem præ commissorum pœnitudine delictorum lacrymas fundentem, huic conlugeto ac condole; sic fiet vt ex alienis proprium delictum emendes.

NYSSENVS Hom. 6. in Eccles. 37 Illud autem Ecclesiastæ, Tempus flendi & tempus ridendi, declaratur hac Euangelicâ

gelicâ voce quæ ex personâ Domini prolata est, quæ dicit, Beati qui nunc fletis, quia ridebitis. Nunc est flendi tempus, illud autem ridendi in spe repositum est. Præsens enim tristitia, mater nobis fiet speratæ lætitiæ. Quis autem non in mœrore ac fletu vitam consumpserit, si sui ipsius ipse sensum acceperit & sua cognouerit, quæ habuit, & perdidit, & quis ab initio fuerit, & quis præsens modò sit naturæ status. Tunc mors nó erat, morbus aberat, meum ac tuum, perniciosa verba, à vitâ primorum parentum exulabant. Quemadmodum enim communis sol, communis aër, & quod potissimum, communis Dei gratia est, communisque benedictio; ita etiam cuiuis ex æquo proposita erat bonorum omnium participatio. Auaritiæ morbus nondum cognoscebatur, nec potentioribus tenuiores inuidebant: nulla enim adhuc erat præeminentia, & innumera insuper aderant quæ verbis explicari non possunt, & modò tecensitis magnitudine procul antecellunt. Honor inquam, par Angelis apud Deum confidentia, cælestium bonorum contemplatio, quòd immortalitate beatæ illius naturæ insigniti sumus, & exhibeamus in nobis ipsis diuinam imaginem in animæ decore relucentem. Illis autem quæ successeruut qualia sunt? improbum videlicet examen passionum, & praua molestiarum caterua. Quidnam ex tantis vitæ huius malis primum quis recensuerit? Omnia inter se æqualis sunt dignitatis, omnia in malorum excellentiâ primas tenent, omnia præbent parem luctus occasionem. Quid enim quispiam in hac miseriâ potissimum deploret? vnde maximè naturam defleat? An vitæ breuitatem ac laborem, quòd à lacrymis incipiat, & in lacrymas desinat? miseriam infantiæ, senectutis deliria, inconstantiam iuuentutis, labores quibus matura ætas opprimitur, onus coniugij, solitudinem cælibatus, stirpis in liberorum orbitate interitum, diuitiarum inuidiam, paupertatis molestiam? Taceo multiplicem morborum differentiam, damna, mutilationes, putrefactiones, sensuum orbitates, à dæmonibus vexationes: quæcumque enim natura complectitur, illa homo quilibet potestate habet, cùm ea accidant naturæ. Præterea amoris insaniam, & fæculentas sordes, in quibus eiusmodi rabies volutatur. Non loquor de nutritioni coniunctâ per excretionem molestiâ, ne videar oratione omnino inuehi in vitam stercoris effectricem, ostendens talem esse nostram naturam: hisce & huiuscemodi omnibus prætermissis, illud vnum hominibus sensatis ac cordatis vel maximè deflendum dico, quòd instar vmbræ vitam nostram prçterlabi sentiamus, maneatque nos formidandum iudicium, & æstus ignis deuoraturi aduersarios [Dei.] Qui igitur hæc considerat, an non in cótinuo viuet planctu? Tempus ergo est hçc nunc animo voluendi. Ex eo enim quòd in luctu præsens hæc vita à nobis transigatur, verisimiliter proueniet, vt in eâ nihil peccemus. Hoc autem si rectè fiat, promissa lætitiæ gratia, in spe nobis erit reposita. Spes autem non confundit, vt Apostolus testatur. Rom. 5.

Initio orbis omnia erât communia & bona.

Vita huius calamitates.

ANNOTATIONES.

BEATI QVI NVNC FLETIS] *S. Matthæus habet πενθοῦντες, id est* lugentes, *sancto scilicet luctu, nam opponitur ridentibus, ac mundi gaudijs, quibus Christus paulò infrà væ intentat. Huius autem luctus diuersi sunt gradus. Primò enim hic beati dicuntur, qui aduersitates lugubres à Deo immissas aut permissas patienter tolerant. Deinde, beatiores, qui sua aut aliena peccata deflent, vti S. Basilius suprà Num. 36. & SS. Chrysostomus, Ambrosius, Hilarius, Hieronymus. Tertiò, beatissimi, qui præ dolore luctâ carnis, præque desiderio cælestis patriæ, & amore Dei ac Christi, lugent hoc suum in carne exilium. Ita Nyssenus hoc loco pulchrè docet.* VERS. 21.

Qui lugentes beati sint.

VERS. 22. Beati eritis cùm vos oderint homines, & cùm separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum, tamquam malum, propter Filium hominis.

23. Gaudete in illâ die, & exultate. Ecce enim merces vestra multa est in cælo: secundùm hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

38. ILLA siquidem quæ mensurari dinumerarique poterant, determinatè recensentur. Quod autem propter excellentiam quamdam omnem mensuram numerumque transcendit, indefinitè dicitur magnum ac multum, vtputa cùm dicimus multam esse Dei misericordiá, & magnum mysterium dispensationis Verbi Dei. DAMASCENVS.

39. Rursus Magnum aliquando quidem absolutam habet significationem, sicut magnum est cælum, & magna terra, magnumque mare. Aliquando verò ad aliquid aliud refertur, vt magnus equus & bos, in comparatione similium. Similiter & Multum interdum quidem ad aliud relationem habet, interdum verò per se dicitur. Sic arbitror multam fore mercedem repositam patientibus opprobria propter Christum, non tamquam comparatam ad ea quæ penes nos sunt, sed in se multam existentem, & tamquam à Deo donatam. BASIL. in Hexaëm. Hom. 6.

Magnum aliquando absolutè, aliquando comparatione sumitur.

40. Gaudium gestientis quędá animæ exultatio est, cùm quidpiá ex sententiâ euenit. IDEM.

41. Quam-

MAXIMVS. *Ea futura considerande.* 41. Quamquam mulctaris, afficiaris iniuriâ, ab aliquo persecutione sustineas, noli curare quod præsens est, sed quid futurum sit attende, & reperies quòd non in præsentiarum tantùm, verùm etiam in futuro sæculo multorum te bonorum merces maneat.

VERS. 24. Verumtamen væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram.

MAXIMVS 42. NON omnes hîc culpat diuites, sed illos qui moribus sunt auaris, & siue in opibus siue in diuersis miserationibus defraudant dona Dei.

BASILIVS *Va est verbū miseria.* 43 Illud Væ luctuosum planè est vocabulum, luctu autem ac fletu digni sunt qui diuitijs abutuntur, quia regnum Dei non hereditabunt.

CHRYSOSTOMVS. Quando igitur Væ illud pronuntiatum fuerit, omnis exemplo mulcta pœnaque aderit. Væ enim non leue quoddam verbum est, sed quod pœnam minatur inexplicabilem quæ comprehendi nequeat. Illis enim qui futurum supplicium effingere non poterunt, vocabulum hoc interminatur in sacris Scripturis.

ⁿAmos 6, 1 Eccli. 31, 8 Isa. 65, 12. VERS. 25. ⁿVæ vobis, qui saturi estis; quia esurietis. væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis & flebitis.

BASILIVS 17 Reg. fusè disp. *Inordinatus risus cauendus est, moderatus decet.* 44. ATQVE illud etiam quod à multis cõtemnitur, obseruatione dignum est. Nam impotenti & effuso risu corripi, signum est intemperantiæ, & quod animi motus non sint sedati. Etenim modicè rictum diducendo animi sui diffusionem leniter significare, non indecorum est; modò solùm indicetur quod scriptum est, Cordis Pro. 15, 13 læti facies floret. Verùm cachinnari voce, & ebullire inconsultò, non est viri probati aut sui compotis: hoc enim genus risus etiam Ecclesiastes reprobans, velut quod maximè Eccle. 2, 2. stabilitatem animæ subuertat, Risui, inquit, dixi circumlationem [esse] & : Sicut vox Eccle. 7, 7. spinarum sub ollâ, ita risus stultorum. Et: Eccli. 21, 23. Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Atque hoc ipsum etiam Dominus ostendit, qui quidem necessarios affectus suscepit, & qui virtutis testimonium habent, velut laborem, & erga calamitosos misericordiam, risu verò numquam vsus est, quantum ex Euangelicâ historiâ cognosci potest.

IDEM in 31 Quæst. breu. *Hic nunc qui videndi tempus.* 45. Cùm Dominus eos damnet qui nunc rident, manifestũ est quòd fideli numquam ridendi tempus sit, maximè in tantâ multitudine eorum qui per legis transgressionem, Dei honorem violant, & in peccato moriuntur, quorum granâ lugendum est & ingemiscendum.

ANNOTATIONES.

EBVLLIRE inconsultò.] *Græcè, ἀναβράττεσθαι ἀπερισκέπτως in impresso Basileensi tom. 2. fol. 446. legitur ἀναβράζεσθαι τὸ σῶμα*, corpore contra animi voluntatem subsultare. *Iis autem quæ hoc loco traduntur similia habet S. AMBROSIVS l. 1. Off. c. 23. vbi ait:* Non solùm profusos, sed omnes etiam iocos declinandos arbitror, plenum tamen suauitatis & gratiæ sermonem esse non indecorum. NVM. 44

VERS. 26. Væ cùm benedixerint vobis homines: secundùm hæc enim faciebãt pseudoprophetis patres eorum.

46. POSTQVAM beatos prædicauit eos qui pauperes sunt propter Deum, esuriuntque ac sitiunt, & iniuriâ afficiuntur; è diuerso miseros pronuntiat eos qui diuites sunt ac saturi, ridentque & humanos honores consectantur. Væ, enim inquit, cùm benedixerint vobis homines, hoc est, quando apud homines benè audire vultis, & honore illorum laudibúsque extolli. CHRYSOSTOMVS. *Fauor humanus prauus est.*

47. Aliàs quoque dicit Dominus, Luceat lux vestra coram hominibus, sed ad Dei gloriam. Festinate bonum facere, non autem propter honorem proprium, neque tamquam laudum amatores humanarum. tales enim infideles esse declarauit, dicens: Quî potestis credere, honorem ab inuicem accipientes?. MAXIMVS. Matth. 5, 16. Ioan. 5, 44.

48. Qui enim à linguis & à terrà bonam famam quærit, vitamque ad hoc componit, non sempiternâ tantum gloriâ priuabitur, verùm etiam pœnam quæ per væ significatur incurret. NISSENVS

VERS. 27. Sed vobis dico, qui auditis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.

28. Benedicite maledicentibus vobis, & orate pro calumniantibus vos.

49. SED quinam sunt inimici, quos iussi sumus diligere? & quomodo diligemus eos, beneficiáne tantùm ergà illos exhibendo, aut etiam ipso affectu? & an hoc fieri possit? Inimici proprium est nocere & insidiari. Omnis igitur quocumque modo lædens aliquem, inimicus dicitur, præsertim verò qui peccat. Nam quantum in ipso est, varijs modis nocet, & insidiatur ei cum quo versatur ac congreditur. Quando itaque homo animâ & corpore constat, secundùm animam quidem tales diligemus, illos increpando ac corrigendo, & quauis ratione ad con- BASILIVS Reg. breu. 176. *Quomodo inimici sint diligendi.*

conuersionem inducendo, secundùm corpus verò benefaciendo ipsis, vbi opus habẽt rebus ad vitam necessarijs. Quòd autem dilectio in affectu sit, omnibus manifestum est. Quòd autem fieri possit, ostendit Dominus, qui dilectionem Patris, ac suam obedientiam vsque ad mortem declarauit, pro inimicis, non pro amicis, vti testatur Apostolus, dicens: (Rom. 5, 8.) Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Et nos ad idem hoc adhortatur cùm dicit: (Ephes. 5, 1.) Estote ergo imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo. Non vtique illud, qui iustus ac bonus est, præcepisset, nisi etiam facultatem largitus esset, quam etiam in naturâ ipsâ necessariò insitam esse declarauit. Benè enim de se meritos etiam bestiæ naturaliter diligunt. Quid verò tantum benefacit amicus, quantum inimici? qui propinant nobis beatitudinem. Beati, enim inquit, cùm persecuti vos fuerint, & quæ sequuntur. (Matth. 5, 11.)

MAXIMVS 50. Qui ergo rogat pro ijs qui iniuriam faciunt, confringit dæmones; qui autem prioribus se opponit, à posterioribus vulneratur.

(“Matth. 5, 44. “1. Cor. 6, 7) VERS. 29.“ Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. “ Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.

BASILIVS in Isaiam cap. 1. *Principem non decet vindicta.*

51. Hoc certè rubore dignum est, quoniam ferè omnes contra hoc mandatum procedimus, præsertim verò potentes, vel Principes. Maximum enim crimen Principis est, procliuem esse ad vindictam, eoque animum intendere, vt eos à quibus molestiâ affecti sunt, consimili ratione retalient. Quomodo enim is alium docebit ne malum pro malo rependat, qui omnia ad vindictam confert, & ei à quo læsus est studet vicem rependere mœroris, minimè imitatus mansuetudinem Dauid, dicentis: (Psal. 7, 5.) Si reddidi retribuentibus mihi mala? nec memor istius Ieremiæ: (Thren. 3, 27.) Bonum est viro cùm portauerit iugum in iuuentute suâ, sedebit singulariter & silebit. Dabit percutienti se maxillam; saturabitur opprobrijs. Omnino vtique probrum est ita persequi retributionem, potissimùm verò quando quis sacro præditus principatu id facit, quem decebat ipso opere virtutis tolerantiæ populo suo doctorem existere. Quale enim spectaculũ? quàm eximiũ esset & admiratione dignum, ac propemodum naturam humanam excedens, si is qui multis est conuitijs lacessitus, ac fortè plagam in capite recepit, atque alia complura perpessus est, quæ & sermone atque opere extremã adferant ignominiam, ità tamen non efferuesceret, non ad vindictam prorumperet, sed animo [illegible]ato & ab ità libero sese erigens pro conuitiatore, rogaret, vt peccatum commissum illi condonaretur, ac in posterum conueniente Dei præsidio fretus, à procacitate cessaret. Nunc verò nos qui tenemus principatum, præter cetera vitia vel in hoc maximè peccamus, quòd retaliationem persequimur; nec satis nobis est par pari referre, quin etiam præter modum nos ipsi vlciscimur. Non solùm si passi fuerimus contumelias, verùm etiam si præstita nobis non sit reuerentia, exacerbamur, eos aduersarios reputantes qui nos minùs reueriti sunt quàm ipsi nos existimamus dignos.

52. Quandoquidem verò egregia veterum facta, memoriæ successione nobis tradita sunt, ex his nobis non omnino aliqua deerit vtilitas. (*IDEM de Patientiâ.*) Exempli causâ sit Pericles, (*Exempla patientia. Periclis.*) quem è foro quispiam conuitijs appetebat. Ille verò ad ea non attendebat, sicque totâ die persistebant, vnus quidem conuitiando, alter verò ea floccifaciendo. Deinde cùm iam aduesperasceret, & obortis tenebris vix discederet, cum lumine ipsum Pericles domum deduxit, ne Philosophiæ studium inquinaret. Rursus quidam Euclidi (*Euclidis.*) Megarensi iratus mortem minabatur, etiam iuratus. At ille contrà iurabat se illum placaturum, ac ne offenso animo sit effecturum. Quàm dignum est vt eiusmodi aliquod exemplum viri iram cohibentis nostram subeat memoriam! Rursus percutiebat quidam Sophronisci filium Socratem, in ipsam faciem (*Socratis.*) impetu facto. Hic verò nihil renitebatur, sed permittebat conuitiatori vt iram in se expleret, vsque dum facies plagis ac sanie cooperta esset. Vbi igitur ille cædendo destitit, Socrates quidem nihil aliud fecisse dicitur, sed fronti velut statuæ inscripsisse, Opificem ille faciebat, & eo modo se vindicasse. Hæc cùm ferè nostris rebus conducant, censeo prorsus imitatione digna. Nam illud exemplum Socratis isti præcepto affine est, quod percutienti maxillam alteram esse exhibendam docet, eaque ratione fumendam vindictam. Illud verò Periclis & Euclidis isti, quod se persequentes tolerare, atque æquo animo illorum iram ferre, inimicisque precari bona iubet, at non exacerbari. Quare qui hæc edoctus fuerit, is non ampliùs hisce, tamquam quæ fieri non possint, fidem derogabit.

VERS. 30. Omni autem petenti te, tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

Isidorvs l. 2 ep. 133. Exo. 21, 24. *Lex noua perfectior quàm antiqua.* 53. ILLVD quidem, Oculum pro oculo, & dentem pro dente, Iudæis à naturâ illâ mansuetissimâ lege præceptum puto; non vt veniam negarent, & acerbi existerent ijs à quibus iniuriam accepissent, vt existimant Manichæi, qui vetus Testamentum discerpunt, sed vt eadem quæ agunt perpeti metuentes, ab iniurijs abstinerent. Quamquam autem id & iustum esset, & rationi consentaneum; tamen diuina clementia ad lenitatem ac benignitatem spectans, homines ad eam excitans, per id quòd eum qui iniuriam intulit vlcisci sanxit, pœnæ formidine peccata repressit. Nisi enim sit qui lacessat, ne quidem erit qui vlciscatur. Quapropter considerent profundam Legislatoris sapientiam, nec acerbitatis austeritatisve illum temerè accusent. Luc. 6, 29. Illud enim, Si quis te percutit in maxillam, præbe & alteram, priori minimè aduersatur, sed dignius est atque perfectius, summæque philosophiæ meta. Illa enim vt ne quidem omnino quispiam faceret, lege sancita sunt. Nam vt æquo illa animo paterentur, haudquaquam audire sustinuissent homines erroris siti flagrantes: hæc autem de prompto animo tolerando dicta sunt. Porrò comparationis nota, ea quæ comparantur, in contrariam classem haudquaquam contrudit; verùm in ijs quæ eiusdem ordinis sunt, quid præstantius, quid inferius sit, ostendit. Bonum quidem est, nihil mali admittere, libenter autem perpeti, melius est: honestum coniugium, sed virginitas honestior: luna pulchra est, sed sol pulchrior. Quemadmodum igitur & pulchræ lunæ, & præstantioris solis, vnus idemque conditor est; sic antiquæ nouæque legis vnicus est legislator, qui sapienter & ad tempora accommodatè ac consentaneè leges tulit.

Idem epist. 145. 54. Cum duo sint genera vitiorum, alterum quod mente concipitur, & alterū quod opere perpetratur; hoc quod opere perpetratur, olim per Legem interdictum ac vindicatum est; illud autem quod in cogitatione consistit, per Euangelium inhibitum est, quod non opus tantum post admissionem punit; verùm id præcauet, ne ortum quidem vitium capiat. tum enim manui, nunc autem animæ lex lata est.

Idem l. 3. ep. 458. 55. Non absona, nec à Legis mandato aliena Lex Euangelica nobis tradidit. Nam cùm illa peccati euentum ac perpetrationem veter, hæc mali originem, iram videlicet cupiditatemque, ac iuramentum prohibuit, quòd facilius esset ab illis in actum prolapsus; quibus sublatis, nullus actioni locus patet. Atque illa quidem est abundantia iustitiæ legalis, hæc verò Euangelica sublimitas: illa enim actum punit, hæc verò nudum etiam propositum, exactum profundarum cogitationum ostendens indicium.

56. Cùm autem detestandus ille Marcion alium dicat esse iustum, quem conditorem nominat, alium verò bonum, Christum Iesum esse dicat: agedum, etiam de hoc paucis disseramus, ostendamusque Dominum nostrum Iesum Christum, & conditorem, & Saluatorem, & bonum ipsum & iustum. NAZIANZENVS. *Idem auctor est antiquæ legis & nouæ.* Cùm enim audiuisset scelerrimus ille legem denunciare oculum pro oculo, & dentem pro dente, combustionem pro combustione vulnus pro vulnere; Dominum verò præcipere, percutienti in maxillam, præbere & alteram, & volenti in iudicio contendere, & tunicam tollere, dimittere ei & pallium; suspicabatur homo stupidus, iustum quidem esse illum, hunc verò bonum: & non cognouit vt Euangelicarum legum exactio Moysaicâ legislatione sit terribilior. Siquidem illa Lex cædem vetat; sed Euangelica etiam ei qui fratrem suum stultum appellauerit, gehennam comminatur. Sic iterum vetus Lex adulterium cōdemnat; noua verò etiam turpem concupiscentiā, per lasciuum intuitum inductam, adulterium vocat. Ac illa quidem prohibet iuramentū iniquum, hæc verò iuramentum. Illa quidem eum qui vxorem auersabatur, ipsam repudiare iubebat; hæc verò adulterium vocat repudium illud quod non fit causâ fornicationis. Ad hæc autem, etiam de verbo otioso reddendam esse rationem, indixit & supplicium sempiternum, ac tenebras exteriores, & gehennam ignis, & alia huiuscemodi multa. Ex quibus comperietur, quòd is qui quidem ab illis iustus nominatur, sit etiam bonus, qui verò bonus censetur, etiam iustus existat. Etenim legem accuratiorem instituit, & pœnas grauiores comminatus est. Verùm ista dicere, manifesta est insania. Qui enim in Euangelijs præcipit inimicos diligere, etiam in antiquâ lege præcepit non despicere inimici pecus quod cecidit sub onere suo, sed subleuare, ac non meminisse inimicitiæ in tempore necessitatis. Ita rursus inimici bouem errantem reduci iubet, & reddere Domino suo. Qualem igitur isti dignam tantæ blasphemiæ pœnam pendant, qui tam bonum legislatorem, non tantùm non iustum, sed & prauum nominare audent? Nos verò vnicum agnoscimus, & antiqui & noui Testamenti auctorem, qui etiam per Ieremiam sic loquitur: Disponam, enim inquit, domui Israel testamentum nouum, non iuxta testamentum

Exo. 21, 24. Matth. 5, 39. Luc. 6, 29. Deut. 5, 17. Matth. 5, 22. *Perfectio legis nouæ præ antiqua.* Exo. 23, 5. Ier. 31, 32. quod in Septuag. est 38.

mentum quod disposui Patribus eorum: & per Isaiam: Testamentum æternum disponam eis, sancta Dauid fidelia. Sed & Dauid clamat: Constitue Domine legislatorem super eos. Si autem non credant Prophetis, audiant ipsummet legislatorem, vt legem antiquam non modò non euertat, verùm etiam confirmet. Nam eam subuertentis esset dicere: Dictum est antiquis, Non mœchaberis; ego verò dico vobis, Mœchare. Dictum est, Non occides; ego verò dico, Occide; quod Marcionistæ faciunt, qui hæc obijciunt. Dominus verò per ea quæ sancit manifestè docet, quòd non subuertat antiquam, sed exactiorem inducat disciplinam. Quemadmodum Grammaticus, qui discere quidem incipientibus prima tradit elementa litterarum, illis autem edoctis syllabarum proponit connexiones; alios verò nominum docet compositionem, alium denique lectionis consonantiam; non contrarias disciplinæ leges inducit, sed accommodatas cuique ætati profert institutiones. Ita Dominus Deus cuique generationi conuenientes leges dedit. Nam Adamo quidē de arbore legem posuit, Noëmo de esu carnium, circumcisionem verò Patriarchæ præcepit. Ceteras verò leges per Moysem magnum illum Prophetam conscripsit. In diuinis autem Euangelijs ab exilium rerum sanctione, tamquam quorumdam elementorum traditione cessans, leges tulit perfectissimas. Ac quemadmodum matres recens quidem natis infantibus vbera porrigūt, paulò verò pòst cibum dentibus comminutam, pueris deinde & iam adolescentibus solidum: sic vniuersi Deus, ijs quos iam erudiuit, perfectiora proponit documenta. Nos autem vetus Testamentum vt materna vbera pariter amplectimur, verùm lac non sumimus, (superfluum enim viris perfectis est lac nutricis. Ceterùm honorant etiam nutricem qui ab ea fuerunt educati. Sic vtique & nos circumcisionem quidem, ac sabbatum, & sacrificia, & lustrationes obseruare non sustinemus, sed aliam adhuc vtilitatem ex antiquo Testamento decerpimus: etenim religionem atque in Deum fidem, & proximi amorem, & temperantiam, ac iustitiam fortitudinemque accuratè edocet, & antiquorum hominum archetypa exemplaque nobis ad imitandum proponit.

Isa. 61, 8. Psal. 9, 21.

A rudioribus ad perfectiora proceditur.

VERS. 31. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

MAXIMVS ARCHIEP. 57. SI non velis mala pati, mala agere noli: hoc enim illud infallibiliter sequitur. Nam quod quisque seminat, hoc & metit. Qui igitur deditâ operâ mala seminat, eadem vel inuitus metet. Admirandum sanè est iustum Dei iudicium: sed nos, quia interstitium aliquod temporis inter sementem & messem intercedit, idcircò de retributione diffidimus.

VERS. 32. Et si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? nam & peccatores diligentes se diligunt.

33. Et si benefeceritis his qui vobis benè faciunt: quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt.

58. AMICITIAM trium horum existere ex aliquo Sapientum filij definiuerunt, ex voluptate, inquam, vsu, ac virtute; sed priores quidem causas duas mutabiles esse ac eiusdem rationis, nec quidquam in hominibus obtinere constantiæ. Simul atque enim voluptas cessat, etiam vsus perit, eiusque philtrum seu amoris vinculum vnà dissoluitur, vt etiam temporis locique distantia, hoc amore coniunctis; insidientur, talemque amicitiam instar densæ cuiusdam caliginis, obliuione obliterent. Haudquaquam tamen ea quæ ex virtute existit amicitia similiter obfuscatur. Hæc siquidem nullo casui obnoxia, nullâ tentatione violata, omni tempore & loco, eodem statu perseuerat. Nullà vtique occasione excidit, sed fortior potiùs illustriorque euadit oppugnata, vt non amicitiam tantùm, sed & charitatem veriùs illam appellaueris, quæ secundùm Apostolum numquam excidit. Beneuolentia siquidem origo amicitiæ est, vt visio appetentiæ, amicitia verò principium est ac fons charitatis; charitatis autem caput Lex & Prophetæ; atque ideò nonnulli amicitiam quidem in labijs ac nudis verbis sitā putant, charitatem verò absque opere ac veritate nullam existere in confesso est, vt nos docuit discipulus verę dilectionis, pręcipiés non verbo & linguâ diligere, sed opere ac veritate.

NICETAS DAVID. Amicitia illa sola firma est quæ in virtute fundatur.

1. Ioan. 3, 18.

VERS. 34 Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere: quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, vt recipiant æqualia.

59. QVI perniciosum illud fœnerandi inuentum, aliud esse furtum latrociniumque dixerit, à congruo nequaquam aberrauerit. Quid enim interest an clanculum & perfosso muro prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cæde tibi bonorum ipsius dominium vendices, an fœnoris necessitate acquiras quæ ad te non pertinent? O malum vocabulum! fœnus fit nomen latro-

NYSSENVS Hom. 4. in Ecclesiast. Vsura quantum sit malum.

trocinij! ô acerbas nuptias! ô amaram diramque copulam, quam natura quidem ignorauit, auarorum autem morbus inter animainnouauit! ô graues molestosque conceptus, ex quibus eiusmodi fœtus enascitur! Inter ea quæ sunt, animatum solùm discernitur per discrimen sexus masculini ac feminini. ijs dixit Deus creator: Crescite & multiplicamini, vt per mutuam ex se inter se generationem augerentur & multiplicarentur. Auri autem fœtus ex quibus existit nuptijs, & ex quánam perficitur cooceptione? Verùm qui tanti mali partitudinem à Prophetà didicerunt, vnde illud existat noscunt. Ecce, enim inquit, parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Hic est ille [partus] quem parturijt quidem auaritia, parit autem iniquitas, & obstetricatur inhumanitas. Qui enim semper celat opes, & iuratus affirmat se non habere, cùm viderit pressum necessitate; tunc eius crumena prægnans cernitur, tunc lucri desiderio sceleratum parturit fœtū, & spem mutui misero ostendit, quæ infortunio ingerit* aquam, quomodo is qui oleo extinguit flammam. Non enim calamitati per mutuum adfert remedium, sed eam magis auget: & quemadmodum in locis aridis & incultis terra suâ sponte producit spinas; ita etiam in calamitatibus eorum qui premuntur angustijs, auarorum fœnora luxuriant. Deinde manum porrigit cum pecuniâ, sicut arundo hamum escâ tectum. Hians autē iste misellus ad præsentem copiam, etiamsi quid occultum habebat repositum, cum attracto hamo simul euomit. Fœnoris eiusmodi futura beneficia. Et si quispiam alicuius quidem viaticum vi abstulerit, aut clam surripuerit, raptor, & fur, & eiuscemodi nominibus appellatur: qui autem in contractibus publicè in iustitiam admittit, & acerbitatem suam etiam adhibitis testibus notam facit, & pactis couuentis suam confirmat iniquitatem, benignus dicitur, & beneficus, & feruator, & optimis quibusque nominibus vocatur. Et quod ex ablatione quidem paratur lucrum, dicitur furtum; qui verò huiusmodi necessitate compulsum exspoliat debitorē, blando benignitatis vocabulo velat acerbitatem. miserorum enim damna sic nominant.

Gen. 1, 22. *Psal. 7, 15.* *Mens vsurariorum.* *• materiā.* *Vsura malitia benefica nomine tegitur.*

Basilivs 60. In multis autem Scripturæ locis peccatum hoc perstringitur. Nam & Ezechiel inter maxima mala recenset vsuram, & vltra sortem quid accipere; & lex palàm interdicit, Non fœnerabis fratri tuo, & proximo tuo. & rursus: Dolus super dolum, & vsura super vsuram. Dauid quoque tamquā characterem ac certam notam hominis perfecti id vsurpauit, dicens: Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Enimuerò inhumanitas est maxima, eum quidem qui rerum necessariarum penuriâ premitur, mutuū quærere ad vitæ subsidium, dantem verò sorte suâ non contentum esse, sed ex pauperis calamitatibus sibi ipsi prouentus atque opes excogitare. Clarè quidem præcepit nobis Dominus, dicens: Volenti mutuare à te ne auertaris. Auarus verò videns inopem necessitate coactum, ad genua sua supplicem prouolutum, ecquid non facientem quod humile sit? quid non loquentem? Non miseretur illius vtut præter decorem se supplicem exhibeat, non reputat naturam, non cedit precibus, sed flecti nescius perstat, & implacabilis negando perseuerat, iurans ac obtestans se penitus pecunijs carere, ac mendacio fidem per iuramentum faciens. Postquam verò is qui mutuum petit, vsurarum mentionem fecerit, & pignora nominauerit, tunc demisso supercilio arridet, & Videbimus, inquit, an aliqua nobis reposita sit pecunia. Est autem amici hominis depositum quoddam apud nos vnde quæstum ille facit. Verùm ille quidem graues ex ipso vsuras exigit; nos autem omnino remittemus aliquid, & pro minoribus vsuris dabimus. Talia fingens vbi libellis miserum obstrinxit, & ad vrgentis inopiæ cumulum, etiam libertatem viti abstulit, abscedit. Atque ille quidem vincitur, cedens necessitati: hic verò abit postquam libellis seipsum cōmuniuit. Quando verò pecuniæ iam diffluunt, tempus autem progressum vsuras secum adducit, non iam noctes illi requiem ferunt, non dies hilaris est, nun sol iucundus; sed ægrè fert vitam, odiu habet dies ad præstitutum tempus festinantes: timet menses velut vsurarum patres. Et siue dormiuerit, per insomnium videt fœnatorem (malum somnium!) capiti adstantem; siue vigilauerit, cogitatio ipsi ac cura de vsurâ est. Vtrisque calculus in digitis, illo vsurarum incremento gaudente, hoc calamitatum additamento ingemiscente. Canes quidpiam accipientes mansuefiunt, fœnerator verò etiam dum amplius accipit, irritatur. Non enim à latrando acquiescit, sed amplius exigit; si iuraueris, non credit: perscrutatur interna, commercia tua curiosè inquirit. Si domo progressus fueris, te ad se trahit, ac latus fodit: si intus te occultaueris, instat ad ostium, & fores pulsat, corā vxore pudefacit, coram amicis contumelia afficit, in foro strangulat, malus in festo occursus, vitam tibi non viuendam subornat. Noli itaque, ô homo, pecuniam fœnori accipere. At magna, inquit, est necessitas, & nullus alius pecuniarum prouentus. Quæ igitur vtilitas cōtingit ex hodiernâ dilatiōne? Rursus enim

Deut. 23, 19. *Psal. 14, 5.* *Matth. 5, 42.* *Immanitas vsurarij.*

veniet tibi paupertas tamquam bonus cursor, & eadem necessitas cum accessione aderit. Nam mutuum non penitus liberat, sed modicam difficultatis dilationem præbet. Hodie patiamur indigentiæ molestias, & ne in crastinum differamus. Iam consiliũ ineas vnde rependes ijs à quibus mutuum accipis. At res non sufficiet necessitati & solutioni. Si verò vsuras computaueris, vnde tibi tam multiplex pecuniæ summa colligetur, vt partim curare necessitatem, partim explere sortem, præter hæc fœnori suppeditare valeat? At non ex his quæ accipis reddes mutuum, sed aliunde. Spes igitur illas præstolare, nec vti pisces ad escam propera. Quemadmodum enim illi vnà cum cibo hamum vorant, sic & nos cum pecuniâ vndique transfigimur à fœnore. Nemo vulnere vulnus curat, nemo malis malo medetur, nec paupertas fœnore corrigitur. Diues es? ne sumas mutuum; pauper es? ne sumas mutuum: si enim diues es, mutuo non indiges; si verò nihil habes, mutuum non rependes. Ne committas vitam tuam seræ pœnitentiæ, ne quando beatos prædices dies ante vsuram. Hoc enim vno pauperes diuitibus præstamus, quòd securi sumus. Qui autem obstrictus est debitis, & pauper est, & curarum plenus. Aiunt, lepores simul parere, & educare, ac superfœtare. Et fœneratoribus pecuniæ simul ad vsuram dantur, & generantur ac subnascuntur. Nondum enim suscepisti in manus, & præsentis mensis lucrum à te exigitur: & hoc rursus ad vsuram datum, aliud malum educat, & illud alterum, atque sic malum in infinitum. Et propreteà quoque hæc auaritiæ species hanc appellationem reperit. Τόκος enim, id est partus, propter mali fecunditatem, vt arbitror, appellatur. vnde enim aliunde? Aut fortassis partus dicitur, propter partitudines ac molestias, quas animis eorum qui mutuum ad vsuram acceperunt, inducere solet. Quemadmodũ enim partus dolor parienti, sic præfinitum tempus debitori instat. Fœnus in fœnore, malorum parentum praua soboles. Hi autem vsurarum fœtus genimina viperarum rectè nominentur. Dicunt, viperas maternum ventrum perrodendo nasci; & vsuræ erosis ac consumptis debitorum ædibus generantur. Semina temporis progressu nascuntur, & animalia tempore perficiuntur: verùm vsura hodie generatur, & hodie parere incipit. Animalia quæ citò pariunt, citò parere cessant; verùm pecuniæ cùm ab auaritiâ celerrimè principium sumant, infinitam, semper vlteriùs progredientem, admittunt accessionem. Singula quæ augentur, vbi ad iustam ac sibi propriam magnitudinem peruenerint, augeri desinunt: verùm auarorum argentum omni tempore adaugetur. Animalia vbi suæ soboli cesserunt pariendi vices, non ampliùs imprægnantur; at fœneratorum pecuniæ & succedaneas statim pariunt, & veteres renouant. Ne tu experimentum capias monstrosæ huius bestiæ. Quomodo igitur, inquit, me enutriam? Habes manus, habes artem: labora pro mercede, ministri munus obi: multæ sunt victus parandi solertiæ, multæ occasiones. At impotens es ad laborandum: pete à possidentibus. At turpe est petere. Turpius sane est, aliquem eo quod mutuo accepit, priuari, nec liberum videre solem. Non omnino legem sancieos hæc dico, sed ostendens omnia tibi tolerabiliora esse, quàm fœnore iouolui. Audite diuites qualia pauperibus propter vestram inhumanitatem consulamus, vt videlicet malint constãter grauissima quæque perferre, quàm eas quæ ex fœnore existunt calamitates sustinere. Si autem crederetis Domino, quid fuisset his sermonibus opus? Quod vero est ipsius Domini consilium? Mutuum date his, à quibus non speratis vos recepturos esse. Et quale, inquit, hoc est mutuum, cui nulla retributionis spes adiuncta est? Considera vim dicti, & legislatoris humanitatem admiraberis. Quando in Domini gratiam pauperi daturus es aliquid, id ipsum & donum & mutuum est. Donum quidé, quòd nihil ab ipso speres recipere; mutuum verò, propter Domini munificentiam, qui pro ipso persoluit, qui rebus paruis per pauperem acceptis, magna pro ipsis reddet. Qui enim pauperis miseretur, Deo ad vsuram tradit. Non vis igitur vniuersorum Dominum obnoxium tibi habere ad persoluendum? Si quis in vrbe diues promitteret tibi pro alijs persoluturum esse, fideiussionem ipsius susciperes, Deum autem pro pauperibus se vadem offerentem non admittis.

Præstat penuriã pati quàm ad vsuram accipere.

Vsura cur Græcè τόκος dicta.

Mutuum gratis dandum.

Luc. 6, 34.

Matth. 5, 42.

61. Odio tibi sint cauponum mores. Ama homines, & non pecuniam. Insona aliquando gratissimis tibi vsuris vocem illam Ioannis Baptistæ: Genimina viperarum, discedite à me, perniciosi estis recipientibus, obstruitis vitæ viam, & * charitatis portas clauditis, & modicùm oblectantes aspectum, dolorem conciliatis sempiternum. Hæc dicens, valedic superfluæ rerum copiæ & vsuris, & volentem mutuare ne auerseris. Ob inopiam tibi fit supplex, vt ab eo egestatem depellas. At tu contrarium facis: opitulator vertitur in hostem, ferens afflicto mala, nudum exuens, vulneratumque denuò vulnerans, curas curis accumulans, doloresque doloribus addens. Nam qui pecuniam fœnori accipit, pignus paupertatis capit, specie benefi-

NYSSENVS in Vsurarios.

** regni*

Matth. 5, 42.

eij exitium domum reportans. Quemadmodum enim is qui febricitanti, præ ſiti nimiâ potum flagitanti, ex humanitate vinum porrigit, exhilarat quidem ægrum perbreui tempore, dum poculum exhaurit, non longè verò pòſt decuplo grauiorem febrim miſero parit: ſic & qui egeno fœnori pecuniam concedit, neceſſitatem illius non ſubleuat, ſed auget potiùs calamitatem. Ne vixeris igitur, ſpecie humanitatis, vitam inhumanam; neque eſto medicus qui petimat, propter diuitias quidem ſpeciem præ ſe ferens ſeruatoris, vti ipſe propter artem, ex animi autem propoſito ad alterius qui ſe tibi committit perniciem abutens. Otioſa & infatiabilis eſt vita vſurarij: neſcit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, ſed vno in loco conſidens, immanes domi ſuæ feras nutrit. Vult omnia ſibi ſine ſatione & inarata progigni; cui quidē aratrum eſt calamus, ager charta, ſemen atramentum, pluuia tempus, quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget & educat; falx illi eſt repetitio, area domus in quâ miſerorum fortunas ventilat. Omnia videt vt propria, imprecatur hominibus neceſſitates atque calamitates, vt coacti ad ipſum confugiant; odit eos qui rebus ſuis contenti viuunt, & quos ſibi cetnit non eſſe obæratos, pro hoſtibus habet. Aſſidet curiæ, vt inueniat aliquem afflictum; exactores ac procuratores ſuos ſemper ſequitur vt vultures caſtra: circumfert loculos, vt miſeris eſcam oſtendat, quò ei ob neceſſitatem inhiantes, deuorent ſimul vſuræ hamum. Dolet ob argentum domi repoſitum, quòd otioſum ſit atque infructuoſum. Imitatur colonos, qui ex aceruo frumenti ſemper ſemen petunt. Non relinquit miſerandum aurum intactum, ſed ex manu in manum transfert. Videas igitur opibus diuitijſque abundantem ſæpè domi ſuæ ne vnum nummum habere, ſed omnes ſpes eius in chartâ ſitas, omneſque fortunas in pactis, qui nihil habet, & omnia poſſidet; qui omnia largitur petentibus, non humanitatis, ſed cupiditatis gratiâ: eligit enim pauperiem ad aliquod tempus, vt pecunia inſtar laborioſi ſerui operans, cum mercede ad ipſum reuertatur. Vides vt ſpes futuri lucri exinaniat domum, efficiatque vt ad tempus inops ſit, cui alioqui multum auri ſuppetit. Huius verò quænam eſt cauſa? Scriptura in papyro cōſignata, & pactio afflicti: Reddam cum fœnore, teſtituam cum lucro ſortem. Et debitori quidem inopi creditur ob ſyngrapham, Deus autem qui diues eſt, licet multa polliceatur, non tamen auditur. Da, & ego reddam, clamat ſcribens in Euangelijs, publico totique terrarum orbi noto chirographo, quod quatuor Euangeliſtæ loco & vice vnius notarij ſcripſerunt, cuius teſtes, omnes Chriſtiani à temporibus partæ ſalutis extiterunt. Habes paradiſum pignus, dignum vtique quo fidenter nitaris. Quòd ſi & hîc aliquid quæris, totus mundus probi debitoris poſſeſſio eſt. Quid facis ô homo? moderatus & æquus eſto, ne iniuriâ afficeris Deum, neque eum habeas inferiori loco quàm trapezitas, quibus, ſi ſpondeant, abſque dubio credis. Da ſponſori immortali, crede chirographo, quod perdi, quod furripi & lacerari nequeat: ne exigas lucrum, ſed impende beneficium ſine ſpe quæſtus, videbiſque Deum non ſine additamento rependere gratiam. Et valdè quidem impudens fœnerator laborat vt ſortem duplicet, at Deus ſponte ſuâ ei qui fratrem ſuum non opprimit, centuplum reddit. Crede igitur Deo conſulenti, & vſuras peccato non obnoxias refetes Cur te, haud ſine ſcelere, curis implicas dies numerans, menſes computans, ſortem animo reuoluens, incrementū ſomnians, metuenſque diem præſtitutam, ne infructuoſa veniat, inſtar illius æſtatis quâ grando fruges contudit. Curioſè & anxiè inquirit fœnerator in omnes debitoris actiones & peregrinationes; & ſi fama exoriatur infauſtior, quòd debitor euētu aliquo inops ex opulento euaſerit, ſedet iunctis manibus, voluit chirographum, lamentatur in litteris illis aurum, efferens contractûs tabulas non ſecùs ac veſtem filij mortui, acerbioremque adhuc illarum aſpectu exſuſcitat dolorem. Huic igitur dicendum eſt, Deſiſte ô homo à periculosâ curâ: à paupere exigis reditus, & augmenta tuarum diuitiarum, ſimiliter facis ac ſi quis ex agro calore ingenti exſiccato vellet frumenti aceruum, aut vuarum multitudinem ex vineâ poſt immiſſam grādinem, vel liberorum prouentum ab infecundo ventre, vel lactis nutrimentum à feminis quæ non pepererunt accipere. Solus Deus adeò eſt omnipotens, vt ex rebus deſperatis ac depoſitis elicere poſſit emolumentum, quippe qui faciat ea quæ præter omnē ſpem ſint. Tu verò æris & auri, rerum parere inſolitarum, ne quære fœtum, neque coge paupertatem ea quæ diuitum ſunt præſtare: non enim ignoras quàm mutuum expetendi neceſſitas digna ſit miſericordiâ. Quapropter diuina quoque Scriptura, quæ nos ad omnem pietatem informat, vbique vſuras prohibet. Si fratri tuo mutuam dederis pecuniam, non vrgebis illum. Accedit, quòd ipſa gratia, quæ abundantiſſimus exiſtit fons bonitatis, remiſſionem debitorum lege ſancit his verbis: Non dabitis mutuum his à quibus ſperatis recipere. Et alibi ſub ſpecie parabolæ

Vſurarius non leuat ſed auget miſeriam inopum.

Quæ ſit agricultura vſurarij.

Deo fœnerandum.

Sollicitudo fœneratorum.

Vſura in Scripturis prohibita.

Matth. 18, 32. bolæ, durum & immitem seruum grauiter punit quòd conserui procidentis non fuerit misertus, neque remiserit centum denarios, exiguum videlicet debitum, qui decies mille talentorum condonationem fuerat consecutus. Saluator porrò noster, cùm discipulis suis modum orandi nihil superuacanei continentem præscriberet, hunc etiam adiecit precandi formulæ articulum, quasi qui maximè valeat ad exorandum Deum: Et di-
Matth 6, 12 mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quomodo igitur
Vsurarij preces & eleemosynæ non sunt Deo acceptæ. orabit fœnerator? quâ conscientiâ voti tui à Deo particeps fieri cupis, qui omnia accipis, & nihil dare didicisti? An nescis preces tuas nihil esse aliud quàm inhumanitatis tuæ repetitionem? Quid remisisti, quòd remissionem petis? cuius misertus es, quòd misericordiam imploras? Et si des eleëmosynam, vnde das? an non ex acerbis & inhumanis tuis exactionibus? Quòd si inops sciret vndénam largiaris eleëmosynam, vtique non acceptaret, refugiens videlicet gustare fraternas carnes. Ecquid respondebis accusatus incorrupto Iudici, quando tibi dicetur, Habuisti legem, Prophetas, Euangelicas præceptiones, omnes audiuisti simul ingeminantes vnâ voce charitatem & humanitatem. His quidem monentibus, Fratri tuo non fœ-
Psal. 14. 5. neraberis; illis verò, Qui pecuniam suam non dedit ad vsurâ; alijs autem, Si mutuum dederis fratri tuo, non vrgebis illum. At
Matth. 18, 32. Christus ait: Serue nequam, omne debitum illud remisi tibi, quia rogasti me, nónne & te oportebat misereri conserui tui, vt & ego tui misertus sum? Tunc infructuosâ pœnitentiâ duceris. Ergo, inquiunt, à mutuo dando supersedebimus, & quam vitam agent inopes & afflicti? Digna profectò moribus illorum oratio! Vt enim me perorante non exigendas esse vsuras, sic non sine murmure minantur egenis ad se venientibus occlusuros ianuam. Ego quidem primùm dandum & donandum esse prædico, deinde ad mutuum quoque exhortor, sed hoc sine fœnore: æquè enim obnoxius est pœnæ, qui non dat mutuum, & qui dat sub conditione vsuræ; cùm & illius inhumanitas, & huius cauponarius quæstus meritò condemnetur. Vterque enim cum Deo contēdit: vel enim, Non dabo, inquit, vel mutuum dans contractum faciam fœneratitium.

ANNOTATIONES.

NOTA *autem, hic Versu 27. Christum alludere ad illationem Pharisæorum, qui ex eo quod Leuitici 19. v. 18. præcipitur,* Diliges amicum tuum, *inde à contrario sensu inferebant, ergo odio habebis inimicum tuum, id est gentes, v. g. Chananæos, & similes. Insinuat itaque hic Christus, Primò, Legem veterem non præcepisse odium inimicorum, vti ipsi capiebant, sed potiùs amorem, vt patet Exodi 23. v. 4. hic enim amor est legis naturæ. Deinde indicat argumenti illius nullam esse consequentiam, præterquam quod ipsum antecedens, prout ipsi intelligebant, erat falsum. Nam* amicus *ibi non significat nobis beneuolum aut propinquum, sed omnem proximum. Patet hoc ex Chaldæo & Septuaginta. Hebræum autem* רע rea *non tantùm amicum propriè dictum significat, sed & per metaphoram Hebræis vsitatam transfertur ad eum qui nobiscum quauis ratione coniunctus est, siue quicum nobis intercedit quidpiam negotij. Talis autem est omnis homo. Nam vt minimum omnis homo alteri amicus & coniunctus est origine, in primo parente, communi creatione, & similitudine Dei; deinde, communi redemptione Christi; tertiò inter Catholicos insuper communi Ecclesiâ & Sacramentis, communi gratiâ & charitate, ordinatione & cursu ad vitam æternam. Ita S. Hieronymus & Theophylactus in Matthæi cap. 5. Præcipit autem hic Christus, vt quis inimicos non oderit, sed ijs communia amoris signa exhibeat. Consulit verò vt beneuole verbis & beneficijs peculiaribus eos præueniamus, vt qui sumus iam filij Dei per gratiam & adoptionem, simus etiam per imitationem.*

NVM. 53. *Hæc confer cum epist. 86. Isidori lib. 4. vbi etiam docet legem hanc talionis esse plenam humanitatis, ideoque latam* ἵνα τῷ φόβῳ τῦ παθεῖν τὸν μέλλοντα δρᾷν σωφρονίσῃ, καὶ κωλύσῃ τὴν κακίαν. Vt metu pœnæ eum qui iniquè aliquid acturus est corrigat, & inhibeat prauitatem. *Vide etiam de eodem argumento ep. 209. l. 4. Eamdem omnino, & ferè ijsdem verbis, loci huius explicationem adferunt Theophylactus & Euthymius in cap. 5. Matthæi, idemque argumentum præclarè ac copiosè Tertullianus tractat. l. 4. Aduersus Marcionem c. 16. &* THEODORATVS *in Leuiticum Qu. 34.* Cur, *inquit*, oculum pro oculo erui, & dentem pro dente, & quæcumque similia præcepit? Non hæc lege sanciuit vt ea paterentur, sed ne admitterent quæ prohibita sunt. Metus enim patiendi, libidinem agendi coërcet. *Nota autem, legem talionis iustam quidem fuisse, sed eius praxim sæpè iniustam, vtpote manantem non ex iustitiæ zelo, sed appetitu vindictæ, quo læsus apud Magistratum lædentem talionis reum peragebat. Christus verò legem supplet, talioni opponendo legem & consilium patientiæ, & animo vindictæ cupido opponendo legem mansuetudinis. Lex autem ista Christi de non resistendo malo, quæ habetur Matthæi 5. v. 30 & hoc loco Lucæ, non spectat Magistratum, sed priuatas personas, quibus tamen non omnino adimit ius talionis, quod est & iuris naturæ ac gentium, tum ad iustitiæ reparationem, tum ad conseruationem, multò minùs ne vim vi repellas, sed tantùm vindictæ cupiditatem, quam Christus hic vult reprimere, simul ac imprimere illis contrariam propensionem ad mansuetudinem atque patientiam, vt videlicet, nisi charitas proximi Dei gloria ac voluntas, animi proprij pax atque tranquillitas & prudentia, contrarium exigant, non resistas malo. Vide de his plura Catenam hoc loco & Numero 64.* *Lex talionis qualis.*

NVM. 54. Tunc enim manui, nunc autem animæ lex lata est.] *Idem, ijsdem ferè verbis, adfert lib. 1. epist. 79. & lib. 4. epist. 134. cui consentit etiam locus sequentis Numeri 55. ex lib. 1. Isidori epist. 458. & S.* BASILIVS *in Moral. Reg. 43. vbi ait:* Ὅτι ὁ νόμος τὰς πράξεις ἀπαγορεύει τὰς φαύλας, ὑπὸ τὸ Εὐαγγέλιον αὐτὰ τὰ κεκρυμμένα πάθη τῆς ψυχῆς. Quoniam sicut lex actus prauos vetat, ita Euangelium ipsa latentia animi vitia prohibet.

NVM.

Nvm. 56. *Locum hunc, qui Græcè inscribitur τῷ Θεολόγου (quo nomine Nazianzenus citari solet) περὶ Κρίσεως, nusquam in Operibus reperio. Errores autem Marcionis fusè docteque refutatos vide apud Tertullianum libris quinque contra eumdem, vti etiam apud Epiphanium, Theodoretum, & Damascenum. Illud autem Matth. 5. & Luc. 6.* Percutienti in maxillã, præbe ei & alteram; *consonum omnino est isti Threnorum 3. Δώσει τῷ παίοντι αὐτὸν σιαγόνα,* Dabit percutienti se maxillam. *quod, vt S Hieronymus in c. 5. Matth. cum Auctore hoc loco citato, obseruat, militat aduersus eos qui putant alterũ Deum legis, alterum Euangelij, quòd & hic & ibi mansuetudo doceatur.*

Nvm. 61. Modicùm oblectantes aspectum.] *In edito additur, καὶ τὴν ἀκοὴν περιηχοῦντες,* & auditum tinnitu perstringentes, *&c.*

Vers. 35. Verumtamen diligite inimicos vestros: benefacite, & mutuum date, nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa, & eritis filij Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Maximvs Quomodo possimus inimicos diligere.

62. At quomodo, inquit, eum qui me odit, & alieno à me animo est, possim diligere? Quid si etiam mihi inuideat, & calumnijs configat, & contra me dolos struat, & insidiosè circumuenire conetur, quomodo ipsum queam diligere? passione mæroris naturaliter nos cogente auersari eum qui nobis molestus accidit. Est quidem serpentibus atque efferatis animalibus, quæ naturæ tantùm impetu aguntur, id omnino impossibile, vt cùm possint, sese non vlciscãtur; verùm ij qui ad imaginem Dei ficti ac formati sunt, & ratione gubernantur, Deique cognitione præditi sunt, à quo leges acceperunt, omnino possunt se contristantes non auersari, & odientes diligere. Quapropter non vt impossibile id Dominus præcipit, sed vt hoc quod nimirum fieri possit. (alioquin vtique non puniuisset eius transgressorem.) Quin etiam nobis id ipsum Dominus ipse factis ipsis ostendit, ac discipuli eius omnia eò contulerunt pro amore proximi ad mortem vsque dimicantes. Verùm nos eò quòd simus rerum terrenarum amatores, ac voluptatibus dediti, & omnia potius legibus ipsis præferimus, idcircò odientes nos diligere non valemus, quin etiam amicos sæpenumerò auersamur, ipsis feris serpentibusque immaniores: atque hanc ob causam Christi vestigia sequi non valemus, neque scopum ipsius cognitione assequi possumus, quo ad id vires acquiramus. Fieri enim nullo modo potest, vt quis ex toto corde eum diligat, à quo molestijs afficitur, quantumuis mundanis rebus nuntium remisisse videatur, nisi vere scopum Domini assecutus sit; & secundùm illum contendat ambulare. Hic autem Domini scopus erat, vt ad mortem vsque Patri obtemperaret, tamquam homo pro nobis obseruans præceptum charitatis. Diabolum verò vlciscebatur pariter odio ab eo, per illos, qui ab ipso instigabantur, & sic voluntariè se vinci permittendo superauit eum qui iam de victoriâ sperabat, ac mundum ab eius dominatu vindicauit. Hac ratione Christus crucifixus est ex infirmitate, & per infirmitatem ipsam mortem mortificauit, ac destruxit eum qui habebat mortis imperium. Hoc quoque modo Paulus in semetipso infirmatus fuit, & in infirmitatibus suis gloriatus est. Huius autem victoriæ rationẽ edoctus, dixit, Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem, iubetque nos assumere armaturam Dei, vt inuisibilibus quibuscum nobis bellum est hostibus resistere valeamus. Factis autem ipsis dimicandi modum nobis ostendens, dixit: Castigo corpus meum. Et hac quidem luctâ cum dæmonibus qui in carne voluptates concitant, concertauit, per infirmitatem proprij corporis ipsos exterminans: ad illos autem qui ad odium pugnant, & per illud segniores ac improbos contra pios concitant, vt ab ipsis tentati eos oderint, & sic mandatũ dilectionis transgrediantur, rursus rationem huius luctæ factis ipsis exhibens, dixit: Maledicimur, & benedicimus; blasphemamur, & obsecramus. Hoc enim per contumelias, blasphemias, & persecutiones dæmones contendunt, vt (tali iniuriâ affectum) concitent ad odiendum cum qui conuiciatur, blasphematur atque persequitur, pro scopo habentes violationẽ dilectionis. Apostolus autem eorum technas minimè ignorans, calumniantibus benedixit, & persequentes sustinuit, & blasphemantes obsecratus est. Eos quidem qui ista moliebantur à dæmonibus liberando, bono verò Deo ipsos conciliando, dæmones talia machinantes eiusmodi pugnæ ratione vltus fuit, ad imitationem Saluatoris, vincens in bono malum. Et hoc modo etiam ceteri Apostoli vniuersum mundum à dæmonibus eximentes, Deo ipsos reconciliarunt, per subiectionem superantes eos qui præualere videbantur. Si igitur etiam nos scopum istum assecuti fuerimus, poterimus quoque diligere eos qui nos oderunt, quod alioquin impossibile est.

Quare nobis difficile sit inimicos diligere.

1. Cor. 13, 4.

Heb. 2, 14.

2. Cor. 12, 9.

Eph. 6, 12.

1. Cor. 9. 27.

1. Cor. 4, 12.

Rom. 12, 21.

Vers. 36. Estote ergo misericordes sicut & Pater vester misericors est.

63. Efficiamvr itaque misericordes, non quomodocumque, sed sicut Pater noster cælestis. Ipse & adulteros, & fornicarios, & maleficos nutrit. Et quid dico for-

Chrysostomvs ad Heb 22

Deus nutrit bonos & malos.

nicarios? quin imò omni flagitiorum genere coopertos. In tanto enim mundo necesse est tales esse quàm plurimos: verumtamen omnes nutrit, omnes instituit. Sic & nos quoque misericordiam exerceamus, si quis forte opis auxilijq́ue indigus fuerit. Verùm nunc adeò à ratione alieni facti sumus, vt prætexere etiam ac dicere non vereamur, Hic impostor est. Quid ais? vt panem accipiat, impostor est? Si quidem auri talenta quæreret aut argenti, aut vestes pretiosas, aut seruos, vel aliud quidpiam huiuscemodi, meritò quis ipsum diceret impostorem: si autem nihil horum, sed victum & amictum quæ Philosophiæ sunt, numquid hęc deceptoris sunt? Responde mihi.

VERS. 37. Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.

38. Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum." Eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.

"Math. 7, 2. Marc. 4, 24

39. Dicebat autem illis & similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueā cadunt?

40. " Non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.

"Math 10, 24. Ioan. 13, 16

MARCVS ARCHIEP. *Non iudicandus proximus.*

64. Si autem præter naturam agere dicas eum qui non iudicet, intellige quem reprehendas. Deus enim est qui præcipit, Nolite iudicare, & non iudicabimini; & Apostolus, Nolite ante tempus iudicare. & rursus, Tu quis es qui iudicas alienos? Certùm, non est qui leges hisce æquiores definiat, & ante tempus velit iudicare impios tamquam innocens, & eos qui Dei legem obseruare conantur iniquitatis insimulare, atque innocentiam appellet prauitatem. Quin igitur, inquiunt, Principes peccant dum iniquos vlciscuntur, & iniuriam passis ius seruant? Iudices, inquam, non peccant, sed qui alios traducunt, & Deo non satisfaciunt. Primùm quidem quia quidquid obijcitur, propriorum illis vitiorum obiectio exsistit, ipsos inducens ad pœnitentiam, & non ad vindictam. Deinde verò etiam id quod iniquè obijcitur, cùm sit delictum, oportebat dimittere delinquenti, cùm audias Dominum dicentē, Dimittite, & dimittemini. ne humanam reddendo talionem, peccatis quoque vestris venia denegetur. Nam, vt ait Apostolus, Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Non enim fideles ac pios cogunt improbos accusare, nec insontes cōdemnant quòd iniurijs affecti tribunalia non frequentant: sed vindictam exposcentibus eam præbent, illos verò qui propter Deum æquo sunt ac toleranti animo tamquam prudentiores & venerantur ac probant.

Math. 7, 1 1. Cor. 4, 5. Rom. 14, 3 Luc. 6, 37. Rom. 13, 3

ISIDORVS l. 1. ep. 119. *Non præueniendum est Dei iudicium.*

65. Si quidem tantâ rerum pręscientia polleas, vt ea quæ iudicio reseruantur cognoueris, meritò ante iudicium homines condemnas, cùm ex opinione tuâ cordis cognitor sis. Sin verò etiam tu, vt homo, pars quędam naturæ ad peccatum procliuioris existas, atq́ue ad examen omnino venturum te esse expectas, vt vitæ actæ rationes à te exigantur, ne Christi iudicium anteuertas, inuitans potiùs peccatores ad pœnitentiam, quàm impellens ad desperationem.

VERS. 41. " Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?

"Math. 7, 3.

42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo: & tunc perspicies, vt educas festucam de oculo fratris tui.

GEOMETRA. *Vnde iudicium vitietur.*

66. Nos itaque metipsos primum corrigamus, ac tum demum alios quoque delinquentes reprehendamus atque increpemus, sed & hoc humaniter. Sumuntur enim differentiæ cùm ab ipso iudicio, tum à iudicibus, tum etiam à personis quæ iudicantur, eiuscemodi. Prima quidem, si is qui iudicat ac reprehendit, id amicè atque amanter, at non acerbè aut cum odio peragat. Secunda verò, si ex communi eaq́ue iusta Reipublicæ lege id faciat. Tertia autem, si nullâ horum ratione habitâ, sed ex odio illud & diffamando perficiat. Vel etiam temerè, non cognito eo qui iudicatur. Vel quando seueritate in alios propriam turpitudinem tegere conatur, vt nimirum illa seuerè puniendo, non putaretur quoque eorumdem criminum reus. Sexta denique differentia est, si qui ipsimet rei peraguntur, alios iudicare instituant. tales enim nec amicitiam nec amorem pro excusatione habent.

NAZIANZENVS.

67. Non igitur iudicemus, quemadmodum qui suorum ipsorum benigni quidem sunt iudices, sed alienorum acerrimi exactores, qui cùm habeant vulnera, aliorum exprobrant cicatrices: qui offendicula improperant, & ipsi lapsus patiuntur: qui ipsimet cœno penitus inuoluti sunt, & aliorum næuos carpunt: qui ex trabibus cæcutiunt, & aliorum festucas proferunt, quę vix affligunt

dum

dum in oculo sunt, & eijci efflarique ex eo facillimè possunt.

Math. 7, 16. 12, 33. VERS. 43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum.

ISIDORVS l. 4. ep. 81. & l. 2. ep. 72. Math. 7, 18. 68. ILLVD autem, Non potest arbor mala bonos fructus facere, non tollit pœnitentiam, sed redarguit commorationem in consuetudine vitiorum. Nam dum mala est, non potest bonos fructus ferre, sed ad virtutem conuersa illos proferet. Etenim si de arbore fuerit Saluatori sermo, vincat eorum ratio: sin autem de hominibus agat, & tantùm pro exemplo vsus sit (quod enim illi natura, hoc nobis est liberum arbitrium) euertatur eorum opinio. Nam etsi arbor mala non possit ferre fructum bonũ, at ferre poterit. Neque enim idem sunt, non posse, & potestatem habiturum non esse. Verùm illud præsens tempus significat, in quo ignauus est ignauus: hoc autem futurum, in quo *Qui malus est, bonus fieri potest.* fieri potest, vt qui paulò antè improbus erat, probus efficiatur. Atque hoc cùm res ipsæ clamant, mutationẽ singulis diebus subeuntes; & Scripturæ ipsæ confirmant. Quonam (2. Reg. 12.) enim modo Dauid lapsus sese erexit? Quonam modo Paulus, cùm persecutor esset, (Act. 9, 22.) hanc culpam sarciuit, atque eius quem insectatus fuerat, præco institutus est? Quo pacto autem Petrus negationis maculam absterſit? (Math. 26, 75.) Quomodo oleaster in bonam oliuam insertus est? (Rom. 11, 17.) Quanam ratione Niniuitæ salutem consecuti sunt? (Ion. 3, 5.) Quomodo latro in paradisum admissus est? (Luc. 23, 43.) Verùm si omnes hominum conuersiones in medium adferre velim, earum multitudinem recensendo, deficiam.

CHRYSOSTOMVS in Matthæũ Hom. 43. 69. Sciendum quidem est, arborem ex fructu discerni, non verò fructum ex arbore. Nam licet arbor fructum proferat, fructus tamen arborem indicat.

ANNOTATIONES.

NVM. 68 *Arborem malam non posse bonos fructus facere, quomodo intelligendum.* ILLVD autem, Non potest arbor mala bonos fructus facere.] *Refert hoc S. Isidorus ad liberum arbitrium vel voluntatem, vti etiam S. Augustinus & Chrysostomus faciunt: propriè tamen hic S. Lucas, vti semetipsum satis explicat, agit de hypocritis, & S. Matthæus cap. 7. id refert ad falsos Doctores, qui sunt maximi hypocritæ. Abutuntur autem hoc loco hæretici:*

1. Manichæi, teste S. Hieronymo in cap. 7. Matthæi, qui hinc probabant duos Deos, vnum bonum, alterum malum.

2. Iouinianus hinc inferebat, ipsum hominem, quippe natum ex bono Deo, non posse peccare.

3. Pelagiani, non esse peccatum originale; quia ex bono coniugio id malum nasci non potest. Vide S. Augustinum lib. 2. de Nuptijs & concupiscentiâ, cap. 26.

4. Malos Sacerdotes non benè baptizare. Ita Donatistæ, teste S. Augustino lib. 3. contra Litteras Petiliani cap. 44.

5. Caluinistæ, non esse liberum arbitrium ad bona opera vel mala.

6. Ijdem, operibus nos non iustificari, sed tantùm iustos declarari; sicut arbor bona fructibus non fit bona, sed talis declaratur.

Verùm S. Isidorus hic tangit optimè rationem ob quam ista ac similes applicationes & interpretationes non valeant; quòd nempe arbor sit causa naturalis determinata ad fructum bonum vel malum, voluntas verò sit causa libera indeterminata ad bonum vel malum, vnde bona vel mala fit ex operatione.

VERS. 44. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur, neque enim de spinis colligunt ficus: neque de rubo vindemiant vuam.

70. ARBOR bona Spiritus sanctus est, arbor verò mala diabolus & serui eius. Apostolus, qui Spiritu sancto præditus est, fructus illius enumerat: qui verò aduersariam continet potestatem, ignominiæ scilicet, passiones, spinas ac tribulos fructificat. GEOMETRA. *Arbor bona & mala quæ.*

71. Pulchrum profectò est carni non condescendere, & passiones mentem non anteuertere. Neque enim, inquit, colligunt de spinis ficus, hoc est, ex passionibus virtutem; neque de rubo vuam, id est, de carne iucundam cognitionem. MAXIMVS

VERS. 45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: & malus homo de malo thesauro profert malum: Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.

72. RIVVLVS siquidem aquæ indicat proprium suum fontem, sermo autem ac naturæ habitus, cor vnde procedunt denotant, quippe cùm accuratè occultum cordis nostri affectum valeant enuntiare. BASILIVS. *Sermo index cordis est.*

73. Qui igitur moribus est probis, loquitur etiam quæ ipsum decent, qui verò prauus atque improbus est, eam quæ in profundo latet, spurcitiem eructabit. CYRILLVS

74. Naturali enim consequentiâ fit, vt cùm intus abundet nequitia, verba quoque foras effundantur peruersa. Vnde cùm audiueris hominem inhonesta proferentem, non tantam in eo putes latere malitiam, quanta verbis exprimitur, sed multò vberiorem fontem esse conijce. Quod enim foris profertur, minus est eo quod intus latet. Vero enim similiter hoc ita contingit. Lingua enim pudibunda sæpè non effundit omnem prauitatem: cor verò cùm neminem mortalium testem habeat (non magna enim illi cura est de Deo) intrepidè quæcumque vult CHRYSOSTOMVS in Math. Hom. 43. *Communitèr plus latet in corde, quàm sit in ore.*

mala

mala parturit. Quando autem magna intus vitiorum caterua congregata est, quodam strepitu ea quæ anteà occulta fuerant, foras prorumpunt. Idem quoque in rectè factis vsuuenit: maior enim eorum est virtus quàm verbis ostenditur. per quæ declarat existimandum esse, Iudæos peiores fuisse quàm verba significarent, & se meliorem quàm verbis explicaretur. Thesaurum autem ait, vt ostendat multitudinem.

VERS. 46. Quid autem vocatis me
"Matth. 7. 21. Rom. 2, 13. Iac. 1, 22. " Domine, Domine: & non facitis, quæ dico?

IBIDEM. 75. HIC quidem Iudæos potissimùm perstringere videtur; qui in dogmatibus suis omnia collocabant, & vitæ curam nullam gerebant: ostenditque quòd etiam qui fidem habeat, si vitam negligat, è cælo eijciatur, & quòd fides nihil valeat sine operibus.

Fides sine operibus nihil prodest.

VERS. 47. Omnis qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos: ostendam vobis cui similis sit:

48. similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, & posuit fundamentum super petram: inundatione autem factâ, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat super petram.

49. Qui autem audit, & non facit: similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento: in quam illisus est fluuius, & continuò cecidit: & facta est ruina domus illius magna.

CHRYSOSTOMVS. Matth. 7. 25. 76. SECVNDVM Matthæum autem, Descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti.

Non tentatio, sed negligentia est causa ruinæ.

Hinc clarum fit, quòd non malorum incursus, sed nostræ negligentiæ socordia subuertat salutem nostram. Etenim illic pluuia, & hîc pluuia; illic flumina, & hîc flumina; illic ventorum impetus, & hîc similiter. Et ille ædificator est, & hic; & eadem structura est, eædemque tentationes, sed non idem finis, cùm non sit idem fundamentum. Si enim natura tentationum, at non ædificantis imprudentia ruinam excitasset, domus vtique supra petram ædificata etiam cadere debuisset: nunc verò nihil ei tale accidit. Verùm ne putetis hæc de domo dicta esse; de animâ enim sermo est, quæ diuinos sermones, quos per auditum hausit, operibus ipsis vel exprimit, vel repellit. Flumina verò ventosque dixit parabola, non vt aquarum multitudinem nobis innuat, sed tentationum incursum vehementem.

77. Domus autem, religionis dogmata nominantur. Fundamentum eius poni super petram, hoc est in fide in Christum stabilire, vt inconcussa permaneat in pluuijs & ventis, & fluminum inundationibus. Constantiam enim in tentationibus, tam ab hominibus quàm desuper nobis immissis, per istiusmodi parabolæ sermones nobis Dominus insinuauit. BASILIVS.

S. LVCÆ CAPVT VII.

1. CVM autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Matt. 8, 5.

2. Centurionis autem cuiusdam seruus malè habens, erat moriturus: qui illi erat pretiosus.

3. Et cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, & saluaret seruum eius.

1. VIR enim per benignus erat, ac morum probitate conspicuus, & militum ductor, Capharnai incolis conterraneus. Huic accidit, vt quidam ex fidelissimis seruis in morbum incideret, & iam quasi animam agere videretur. Et audiuit, inquit, quæ de Iesu dicebantur, ac deinde mittit ad eum, nimirum tanquam à Deo, quæ humanam naturam potentiamque excedebant, petens. TITVS.

Centurio erat vir illustris & probus.

VERS. 4. At illi cùm venissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est vt hoc illi præstes.

5. diligit enim gentem nostram: & synagogam ipse ædificauit nobis.

2. CONSIDERA autem vt Iudæorum quidem seniores voluerint Iesum ad ipsam domum venire illius qui eum inuocabat, quasi non aliter potuisset erigere decùbentem, nisi ad illum accessisset. Hic verò [Centurio] credebat, quòd etiam absens posset id præstare. CYRILLVS.

VERS. 6. Iesus autem ibat cum illis. Et cùm iam non longè esset à domo, misit ad eum centurio amicos, dicens:
" Domine noli vexari: Non enim sum dignus vt sub tectum meum intres. "Matth. 8. 8.

7. propter quod & meipsum nō sum

dignum

dignum arbitratus, vt venirem ad te: sed dic verbo & sanabitur puer meus.

CHRYSOSTOMVS. *Centurionis fides.*

3. LAVDANDA vtique Centurionis fides atque humilitas est, nobisque prorsus imitanda. Non enim extollitur propter dignitatem, nec quòd honore præstaret beneficijs affici desiderat, nec suorum peccatorum obliuiscitur, sed se quidem ipse considerans, & in Domini intuens maiestatem, reueritus est ipsum suscipere, & verbis gratiam postulat, præsentiam Domini sui pertimescens.

VERS. 8. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites: & dico huic, vade, & vadit; & alij veni, & venit; & seruo meo, fac hoc, & facit.

9. Quo audito Iesus miratus est: & conuersus sequentibus se turbis, dixit: Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inueni.

CHRYSOSTOMVS Hom. 6. cõtra Anomæos de Incomprehensibili Dei naturâ. *Ad seruum dicitur Fac, ad æqualê, Faciamus.*

4. EST autem hîc notandum, quòd hoc verbum Fac, præcepti sit seruo iniuncti. Quamobrê Deus formaturus hominem & ad vnigenitum loquens, non dixit, Fac hominem, vt ne existimes seruile esse præceptum quod dicitur, sed Faciamus hominem, vt formâ consultoriorum verborum, dignitatis æqualitas detegeretur. Nam Deus interdum consiliarium habere, interdum verò non habere dicitur: non quòd secum ipsa Scriptura pugnet, sed occulta nobis & ineffabilia per vtrumque dogmata declaret. Quando enim significare vult Patrem nullius indigere, dicit eum non habere consiliarium. Quis enim, inquit, consiliarius eius fuit? Quando verò Vnigeniti gloriæ æqualitatem [ostendit,] admirabilem consiliarium vocat Filium Dei. Quòd autê hoc verbum Fac ad famulum proferatur, hinc fit perspicuum. Accessit ad Iesum Centurio pro paralytico seruo rogans. Ipse autem non audebat medicum in domum trahere, verùm ille officiosus & misericors sponte suâ pollicebatur, se illuc iturum, vt causam & occasionem illi daret quò virtutem suam nobis declararet. Præscius enim quid ille dicturus erat, pollicitus est se adfuturum, vt viri pietatem discas. Dicit enim, Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.

Rom. 11, 33. Cõsiliarius Dei Christus. Isa. 9, 6. Humilitas Centurionis. Matth. 8, 8.

NYSSENVS Hom. 10. in Cant. *Viri spirituales quasi imperatores sunt.*

5. Hæc autem Centurionis, affinia sunt illis quæ à sponsâ dicuntur in Canticis. Aspice verò Reginæ potestatem, ex mandatis eius, virtutem considerans, vt imperatoria quædam auctoritas, in ijs quæ ab ipsâ proferuntur, eluceat. Non enim precibus id quod vult efficit, sed secundùm veram illam promittentis vocem, qui dixit fidelem ac prudentem dispensatorem, factum esse Dominum omnium facultatum Domini sui. Hac acceptâ potestate, regiâ quadam ratione, prout sibi placitum est, duos ventos gubernat, Aquilonem quidem mandato suo à se segregans, Austrum verò benignè vocans, & vrgens vt ad se veniat. Sic autem habet contextus dictionis: Surge Aquilo, & veni Auster. Fortasse iam dictis affine quidpiam reperire liceat in verbis Centurionis, quæ ipsemet Deus Verbum admiratus fuit, vti Euangelista narrauit, dicens: Audiens autem Iesus miratus est, & prætulit fidei Israel, Centurionis vocem. Non enim mihi videtur conferre Centurionem cum populo Israëlitico, in ratione fidei, sed cum ipso Israële, qui in luctâ cum aduersario vix ope diuinâ euasit ne caderet, neque abijt penitus illæsus ab aduersario: læsus enim fuit in femore. Hic autem Centurio, de quo nunc sermo est, id quod alienum est Regiâ potestate pro imperio amandans, adsciscit quod sibi gratum est. Idcircò enim vir ille maximè mihi videtur dignus fuisse admiratione, quòd dicat se in militibus suæ potestati subiectis, pro auctoritate suâ liberè quem velit amandare, & accersere eum qui sibi sit gratus, & seruo quod conuenit imperare ministerium. Nam inest etiam quædam in Centurionis voce philosophia, quòd videlicet semel à se dimissum, reducat numquam, sed alterum in dimissi locum substituat. Nam cùm ei dixisset, Vade, & vadit; dicit se alium accersere, non eum quem amandauit; Scripturâ, vt opinor, docente tale dogma, quòd quæ sibi inuicem aduersantur, à naturâ ita comparata sint, vt non possint simul in vno & eodem loco consistere. Nulla est enim societas luci ad tenebras, ait Apostolus, sed tenebris depulsis, id quod earum loco cernitur, lucem esse necesse est. Sic & sublatis è medio vitijs in eorum locum virtus necessariò succedit. Hoc autem perfecto, prudentia carnis non ampliùs spiritui resistit (neque enim potest, mortificatâ iam eius resistendi facultate;) sed ad omne quod par est ministerium comparatur, spiritus potestati subdita, eiusque imperijs audiens ac subiecta. Expulso enim fugatoque illo auxiliario vitiorum milite, in eius locum virtutis succedit armiger, loricâ indutus iustitiæ, gladium spiritus manu gerens, armorum munitus tegumentis, nempe galeâ salutis, & scuto fidei, & omnem spiritalem armaturam in seipso circumferens. Tum metuit Dominum suum, mentem, inquam, seruus ille, corpus dico; prompteque dominatoris sui iussa capessit; quo fit, ministerio corporis, virtus rectè administretur.

Luc. 12, 44. Cant. 4, 16. Matth. 8, 10. Gen 32, 25. 2. Cor. 6, 14. Virtus succedit vitiis expulsis.

Hoc

Hóc enim indicat illud Centurionis dictũ: Er ſeruo meo dico, Fac hoc, & facit. Sic etiam ſponſa ſuum in paſſiones oſtendens imperium, iubet diſcedere ac fugere nequitiæ ſpiritum, dicens, Surge Aquilo; hoc enim nomine aduerſaria poteſtas denotatur, quippe quòd locus ille luce careat, ſemperque frigidus permaneat, numquam ſolaribus radijs illuſtratus aut calefactus. Quapropter Verbum etiam principem poteſtatis tenebrarum Aquilonem vocat, vt qui effector ſit hibernæ triſtitiæ, illius in quam hiemis, in quâ dicit Euangelium effugi pericula nullo modo poſſe: in illâ enim eorum qui virtute florent, pulchritudo marceſcit. Rectè igitur ſuâ auctoritate vox eum expellit Reginæ, acceſſit autem ventum meridianum, qui eſt calidus & ſemper lucidus, quem nominat Auſtrum, per quem torrens deliciarũ fluit, dicens, Et veni Auſter; nimirum vt flatu vehementi (quemadmodum Christi diſcipulis in cœnaculo contigiſſe audiuimus) illapſus in plantas animatas, moueat Dei plantationem ad aromatum productionem. Sed hæc in antiquo quidem Teſtamento ſponſa, in nouo autem Centurio.

Aquilo mala, Auſter verò bona portendit.

VERS. 10. Et reuerſi, qui miſſi fuerant, domum, inuenerunt ſeruum, qui languerat, ſanum.

CYRILLVS 6. SANCTVM vtique iudicium Dei, quo quidem Iſrael eius familiaritate excidit, in ipſius verò locum vocatæ ſunt Gentes, quæ magis præparatum habebant cor ad credendum in ipſum. Quod rurſus nobis confirmat diuinus ille Pſaltes, de ipſis dicẽs, Quoniam præparationem cordis eorum audiuit auris tua. alibi verò: Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum poſt hæc. Siquidem multis peccatis erant aggrauati, ſed ſimul feſtinauerunt ad ſuſcipiendas Christi inſtitutiones. De Iſraële verò Propheticus ſermo dicit: Expellet eos Deus, quoniam non audierunt eum, & erunt errantes in Gentibus.

Iſrael desertus à Deo, & gentes assumpta pro eo. — *Pſ. 10, 17.* — *Pſal. 15, 4.*

CHRYSOSTOMVS Hom. 27. in Matth. 7. Cùm autem non ſolus Matthæus Centurionis mentionẽ faciat, verùm etiam miraculum illud Lucas exponens, plura alia adiungat, quæ diſcrepantiam præ ſe ferre videantur, nobis etiam iſta neceſſariò diſſoluenda ſunt. Quid igitur dicit Lucas? Miſit ad eum ſeniores Iudæorum, rogans eum vt veniret. Matthæus verò ipſummet ad Christum iuiſſe ait. Et nonnulli quidem aſſerunt, quoniam non eſt idem ille, & hic, etſi in multis conueniant. De illo enim dicitur, Quia & ſynagogam noſtram conſtruxit, & gentem diligit: de hoc autem ipſe Ieſus adiecit, Neque in Iſraël tantam fidem inueni. Neque de illo dixit, multos venturos ab Oriente: vnde vero ſimile ſit Iudæum ipſum eſſe. Quomodo igitur, inquies, Matthæus ſcribit ipſum dixiſſe, Domine non ſum dignus vt ſub tectum meum intres, Lucas verò eum miſiſſe vt veniret? Lucas mihi quidem Iudaicam adulationem innuere videtur, & quòd homines calamitoſi frequenter mutent conſilium. Veroſimile enim eſt, Centurionem volentem abire, prohibitum eſſe à Iudæis blandientibus & dicentibus, quoniam nos abeuntes, eum adducemus. Conſidera igitur eorum etiam legationem adulationis eſſe plenam. Diligit enim, aiunt, gentem noſtram, & ſynagogam ipſe ædificauit. Neque ſciunt vnde virum cõmendent. Dictum enim oportebat, Voluit quidem ipſe venire, ac rogare, ſed nos prohibuimus, calamitatem eius conſiderantes, & cadauer domi repoſitum, & ſic fidei ipſius magnitudinem declarare. Verum hoc ſilent; nolebant enim præ inuidiâ fidem viri detegere, virtute cuius deprecatum venerant, ſed celare illam maluerunt, ne qui rogabatur, magnus eſſe videretur, vel certè ne fidem eius à quo miſſi fuerant id perfeciſſe prædicarent. Ad excæcandam enim hominum mentem plurimum valet inuidia. Verùm is qui occulta nouit, etiam inuitis ipſis illum deprædicauit. Vt autem hoc verum eſſe credas, ipſum Lucam audias illud declarantem. ait enim: Cùm iam non longè eſſet, miſit ad eum, dicens: Domine noli vexari, non enim ſum dignus vt ſub tectum meum intres. Nam quando ab eorum moleſtiâ liber fuit, tunc miſit, dicens: Ne æſtimes quòd propter deſidiam non veni, ſed quia me indignum reputaui, vt te in domum meam ſuſciperem. Quòd autem Matthæus ait, non per amicos, ſed per ſeipſum hoc eum dixiſſe, hoc nihil ad rem. Illud enim quæritur, an vterque [Euangeliſta] promptum viri animum repræſentarit, & quòd de Christo conuenientem opinionem habuerit. Veroſimile autem eſt, etiam ipſum, poſtquam miſerat amicos, aduenientem hæc ipſa dixiſſe. Si autem hoc non dixerit Lucas, neque illud Matthæus, non idcircò ſibi contradicunt, ſed potiùs complent quæ ab inuicem fuerant derelicta. Vide autem quomodo Lucas aliunde eius quoque fidem commendarit, dicens, quia moriturus erat puer. Verumtamen non eum hoc ad deſperationem adduxit, aut omni ſpe priuauit, ſed nihilo minùs ſuperſtitem fore ſperauit. Si autem quod Matthæus à Christo dictum referat, Non inueni tantam fidem in Iſrael, idcircò putes ſignificari ipſum non fuiſſe Iſraëlitam; Lucas verò conditam ab ipſo ſynagogam,

Concordia Lucæ cum Matthæo. — *Luc. 7, 3.* — *Matth. 8, 8* — *Luc. 7, 5.* — *Inuidia Iudæorum.* — *Luc. 7, 6.* — *Fides Centurionis.*

gam,

gam, neque etiam hæc inter se pugnant. Poterat enim, cùm Iudæus non esset, & Synagogam fabricasse, & gentem diligere. Tu autem noli eius verba simplici ratione scrutari, sed tibi ipsam etiam eius præfecturam propone. ac tum viri virtutem habebis

Principum fastus. perspectam. Tanta profectò esse Principum superbia solet, vt ne calamitatibus quidem

Ioan 4,46. victi condescēdant. Vnde iste Regulus apud Ioannem, trahens illum domum dicebat,

Humilitas Centurionis. Descende, moriturus enim est filius meus. At verò hic non ita, sed & illo, & ijs qui per tectum lectulum demiserunt, multò præstantior. Non enim præsentiam Christi corporalem quærit, neque ipsum ægrum duxit ad medicum, quod vtique non erat paruam de illo opinionem habentis; verùm Deo conuenientem concipiens cogitationē ait: Dic verbo solo. Nec statim initio dixit, vt Verbo diceret, sed ærumnam suam tantùm exposuit. Ex magnâ enim humilitate suâ non existimabat tam facilè Christum consensurum, & domum suâ petiturum fuisse. Quapropter cùm audisset ipsum dicentem, Ego veniam, & curabo eum, tunc ait: Dic verbo. Neque adeò dolor animum eius perturbauit, quin etiam in ipsâ calamitate philosopharetur: non enim salutem tantùm filij attendebat, quantum ne quid indecens committere videretur. Et quamuis ipse non vrsisset, sed Christus ipse promisisset, nihilominus verebatur, ne maiora quàm eius dignitas pateretur acciperet, ac rem magnam prorsus, ac suis viribus imparem subiret.

ANNOTATIONES.

NVM. 7. **N**OTA, *duas hic potissimùm obijci ἀντιλογίας. Prima est, quod Lucas non dicat Centurionem accessisse ad Christum, vt habet Matthæus, sed misisse ad eum primo Iudæos, deinde amicos suos. Ad quod respondetur, ex Matthæo supplendum esse, quòd vltimus ipse demum ad Christum iam vicinum accurrerit, siue ob morbi προξενίαν, aut etiam honoris causâ, vt insinuat S. Chrysostomus hoc loco, & Theophylactus atque Euthymius.*

Secunda est, quòd Lucas hic v. 3. dicat, ἐρωτῶν αὐτὸν ὅπως ἐλθὼν διασώσῃ τὸν δοῦλον αὐτοῦ, rogans eum vt veniret, & sanaret seruum eius: *Matthæus verò c. 8. dicat, eum rogare ne veniat. Ad quod respondetur,* τὸ ἐρωτῶν, *illud* rogans, *quatenus refertur ad* sanare, *pertinere ad Centurionem; quatenus verò refertur ad* venire, *pertinere ad Iudæos à Centurione submissos, qui minoris erant fidei & humilitatis quàm ipse Centurio. alioqui enim ipse Lucas sibi repugnaret, v. 3. collato cum 6. & 7.*

Sequitur autem hic in textu Versu 9. ὁ Ἰησοῦς ἐθαύμασεν αὐτὸν, *id est,* Iesus miratus est ipsum. *Vbi quæri solet, an in Christo verè fuerit admiratio. Pro cuius responsione suppono ex communi Theologorum sententiâ, vt suprà in Scholijs ad Cap. 2. N. 68 dixi) in Christo præter diuinam triplicem fuisse scientiam. Primam nempe beatificam, quâ cuncta cognoscebat in Verbo: secundam infusam quâ per species sibi inditas à primo conceptionis instanti, etiam omnia cognoscebat: tertiam experimentalem, quâ eadem per experientiam quotidie capiebat. Respondeo itaque, in Christo non fuisse admirationem propriè dictam atque absolutam, qualis in nobis est, aut quæ ex imo corde procedat; quia omnis eiusmodi vera admiratio est tantùm de aliquo nouo insolito atque incognito, Christo autem nihil erat ita nouum aut incognitum. Nam per scientiam infusam omnia anteà cognoscebat. Excitauit tamen Christus in se aliquem actum quasi superficialem & gestum admirationis, vt alios idem admirari doceret. Ita S. Augustinus lib. 1 de Genesi contra Manichæos cap. 8 & S. Thomas 3. parte q. 15. art. 8.*

VERS. 11. Et factum est: deinceps ibat in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius & turba copiosa.

12. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ: & hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illâ.

13. Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam, dixit illi: Noli flere.

15. Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt.) Et ait: Adolescens, tibi dico, surge.

8. **C**ONCINNE autem simul & gratiosè illud dictum arbitror, quoniam septem resurrectiōnes ante illam Domini contigerunt. Prima est illa Saraphtiæ filij, secunda pueri Somanitidis, tertia quæ per reliquias Elisæi facta est, quarta quæ in Naim, quinta filiæ Iairi, sexta Lazari, septima in passione Christi, multa enim corpora mortuorum tunc surrexerunt. Hisce subsecuta est illa quæ morte superior perseuerat; hac re videlicet significante, quòd communis resurrectio, quæ octauo sæculo futura est, non ampliùs morte rescindetur, sed indissolubilis erit ac sempiterna. Verùm hæc sufficiant. Ceterùm autem perspiciamus miraculum quod contigit in Naim. *MAXIMVS. Octo recensentur in Euangelijs resurrectiones.*

VERS. 15. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illū matri suæ.

9. **I**NDICIA sunt hæc veræ resurrectionis: corpus enim exanime loqui non potest, nec mulier reputasset domum defunctum filium & inanimatum. Quare arrham spei futuræ resurrectionis mortuorum accipiamus eos, qui in virtute Christi fuerunt resuscitati; iuuenem inquam hunc, & in Bethaniâ Lazarum, & Archisynagogi filiam. Verùm hi quidem post resurrectionem mortui sunt, Christus verò resurgens ex mortuis, *Rom. 6, 9.* *TITVS. Signa resurrectionis.*

iam non moritur: ipse enim nobis extitit principium resurrectionis, & primogenitus ex mortuis, & vita secundùm naturam. Sed, ô miraculum! dixit Surge, & sine omni morâ perficitur quod iubebatur. Diuina enim potestas est irrefragabilis: nulla mora, nulla orationum instantia [intercedit.] Non enim Saluator similis est Eliæ, deflenti filium Saraphthiæ; nec qualis Elisæus, qui corpus suum applicuit corpori defuncti; nec qualis Petrus, qui genua flexit, & pro Thabitâ rogauit: sed cum ipse sit qui vocat ea quæ non sunt tamquam ea quæ sunt, & qui mortuos haud secùs ac viuos alloqui potest, vocauit illum qui iam feretro efferebatur adolescentem, eúmque ad vitam reduxit, & luctum in gaudium cõmutauit, & sepulcralem lessum in nuptialem hymnum conuertit.

Christus non vti Propheta aliundè, sed propriâ virtute mortuos suscitat.

NILVS.

Per viduæ filium mysticè peccator intelligitur.

10. Tale quidem miraculum reipsâ contigit: si autem volueris etiam spiritaliter illud accipere, quò extra te, ô homo, & procul vagaris; te ipsum noueris esse filium viduæ, quæ videlicet viduata sit præsidio iustæ cogitationis, & fortis propositi: efferri autem ad sepulchrum à prauis animæ baiulis, affectionibus inquam carnalibus, & spurcissimis dæmonibus: quapropter cum lachrymis obsecra Christum Dominum, vt feretrum tangere dignetur, hoc est corpus multis obnoxium passionibus; & baiuli sistentur, hoc est, cessabunt à cursu vitiorum qui ducit ad mortem. Quiescentibus enim illis, & à progressu vitiorum inhibitis, admirabili modo mens humana resurget, & restituetur supernæ matri nostræ Ierusalem multùm gementi iam ac suspiranti. Vox enim, inquit, in Rhamâ, hoc est in sublimibus, audita est. Rhama namque Sublimitatem significat, vbi gemitus, fletus, eiulatúsque multus ob humanæ naturæ lapsum existit. Obserua verò consequentiam. Resedit, inquit, & cœpit loqui. Oportet enim priùs peccatorem resurgere quasi ex sepulchro peccati, atque operum mortuorum; deinde etiam alijs loqui: peccatori enim non licet eloqui iustificationes Dei, eò quòd loquendi careat confidentiâ, ob propria quæ ipsum impediunt delicta.

Matth. 2, 18.

Rhama quid.

Luc. 7, 15.

VERS. 16. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deũ, dicentes: [a]Quia Propheta magnus surrexit in nobis: & quia Deus visitauit plebem suã.

[a]Luc. 24, 19. Ioan. 4, 19.

17. Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo, & in omnem circà regionem.

BASILIVS de Non adhærendo rebus sæcularibus.

11. EIVSCEMODI quidem erat resurrectionis huius miraculum, atque ita cùm ad vitæ terminum adolescens peruenisset, ad vitæ rursus ostium reuersus est. Oportet igitur & nos, si quidem tutò propositam vitæ nostræ viam percurrere velimus, vigilantes semper circumquaque animæ oculos circumagere, & omnia quæ delectabilia sunt, suspecta habere, vtpote sub quibus communis hostis delitescat; expectans si quando obiectorum aspectu inescari, à rectâ viâ digrediamur, & ad ipsius insidias vltrò deflectamus. Et verendum sane est plurimùm, ne incautè ad illas accedentes, occultatum in primo gustu doli hamum deuoremus; deinde ab hoc ad horrendum latronis hospitium, ipsam videlicet mortem, imprudentes à voluptatibus pertrahamur. Quare necessarium vtileque omnibus est, fratres, vt quemadmodum viatores ac cursores succincti, & vndequaque animæ agilitatem ad hunc cursum comparãtes, numquam reuertentes ad vitę finem festinemus.

Via vitæ huius insidys circumdata.

Et nemo me noua nomina fingere opinetur, eò quòd humanam vitam modò viam appellauerim, cùm vbique in sacrâ Scriptura hominum in terris commorationem ita nominatam reperiam. & meritò. Quemadmodum enim qui institutum iter perficiunt, pedum gressus mutuâ contentione semper vlteriùs ad cursum alternantes facilè ad viæ finem procedunt; sic qui ad vitam à conditore producti sunt, statim in principio temporis articulis procedentes, & priorem semper posteriorem relinquentes, ad finem vitæ perueniunt? An non etiam vobis videtur præsens vita, continua quædam via porrecta esse, & iter ætatibus velut stationibus interstinctum? quod principium quidem profectionis vnicuique exhibet maternas parturitudines, cursus verò terminum submonstrat sepulcrorum scenas, & ad illas vniuersos ducit, alios citius, alios tardius: & alios quidẽm per omnia temporis interualla itinere confecto, alios verò neque in primis vitæ stationibus morâ factâ. Alias quidẽ igitur vias, quæ ex vrbe ad vrbem ducunt, declinare licet, & per ipsas non proficisci, si quis ita velit. Hæc verò tametsi nos cursum differre velimus, vi correptos ad destinatam à Domino metam trahit eos qui in ipsâ consistunt. nec fieri potest, dilectissimi, vt qui semel portam ad hanc vitam tendentem egressus, & hanc viam ingressus est, non etiam ad illius terminum perueniat. Verũ vnusquisque nostrûm postquam maternos effugit sinus, continuò temporis fluxu illigatus rapitur, à tergo semper diem quam vixit relinquens, & ad hesternam numquam, quantumuis velit, reuerti valens. Nos verò lætamur ad anteriora prouecti, & cùm ætates permutamus, quasi de

Vita hæc viæ comparatur.

Omnia simul transeunt cum tempore.

de augmento acquisito gaudemus, beatumque ducimus, si è puero quis in virum, & in senem è viro euaserit. Ignoramus autem profectò, quòd semper tantum de vitâ perdidimus, quantum viximus; & vitam consumi non sentimus, quamquam vitam semper ipsam ex præteritâ, ac eâ quæ præterfluxit, metiamur. neque cogitamus, quod vtique obscurum est, quantum temporis nobis ad cursum indulgere volet is qui nos ad hanc profectionem emisit. Neque diligenter considerare volumus, quæ onera nobis ad hunc cursum leuia sint, & cum collectoribus suis hinc transferri possint, quænam verò sint grauia, terræque affixa, neque permittuntur per angustam illam portam possessores suos sequi. Sed aliena quidem congregare nitimur, in vanum laborantes; quæ verò colligere oportuisset, relinquimus. Hoc sanè vel rudioribus notum puto, nihil scilicet eorum quæ in hac vitâ iucunda sunt, vere nostrum esse, sed æqualiter vt omnia videri quàm maximè aliena. Nostra verò sunt, anima, corpus, ac virtutes, quæ neque in terrâ afflictos nos deserunt, nisi violenter illas sponte nostrâ per prauorum actuum introductionem abigamus; & ad futuram vitam properantes præcurrunt, & possessores suos in ordinem referunt Angelorũ, & in perpetuum lucentibus conditoris sui oculis obuersantur. Cetera igitur omnia tamquam aliena & vilia & quæ nulli propria fieri possint, clausis pertranseunda sunt oculis, eorum verò quæ nostra sunt, magna inprimis ratio habenda est, vt quæ animæ corporisque connaturale fieri ornamentum possint.

Incertitudo humanæ vitæ.

Quænam vere nostra sint.

VERS. 18. Et nuntiauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his.

19. "Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *"Matth. 11. 2.*

20. Cùm autem venissent ad eum viri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te dicens: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus.

CHRYSOSTOMVS Hom. 37. in Matth. Cur Ioannes ad Christũ discipulos miserit.

12. NON ipse ambigebat, nec Christum ignorabat. Quî enim hoc posset fieri, cùm & in vtero exultarit, & antequam nasceretur eum prædicarit? qui primus ipsum ex signis cognouerat, ex Spiritu sancto didicerat, ex Patre audierat, & annuntiauerat vniuersis? Sed nec illud quisquam poterit dicere, cognouisse quidem ipsum, sed propter carcerem fuisse timidiorem: non enim hinc ipse sperabat libertatē; & etiamsi illam expectasset, non tamen profectò prodidisset pietatem, qui ad mortem erat præparatus, quippe qui in meditullio ciuitatis, in ipso foro, tamquam infantem, sæuissimum tyrannum increparit, audientibus vniuersis. Quòd si timidior fuerit, quomodo non est reueritus suos discipulos, cùm non ignoraret inuidiâ quadam illos in Christum commoueri? Nondum enim sciebant quisnã Christus esset. Cùm igitur pro vili eum homine reputarent, Ioannem autem plusquam hominem arbitrarentur, iniquo animo ferebāt videntes Iesum magis indies celebrari, Ioannem verò, quemadmodum ipse prædixerat, quotidie minoris æstimari. Quæ quidem inuidia impediebat, ac viam intercludebat, ne ad Christum accederent, ad quod vtique Ioannes donec eum ipsis erat illos hortabatur, verùm nec sic persuaserat. Ceterùm cùm iam mortem sibi imminere cerneret, maiorem ad hoc adhibuit diligentiam, alioquin enim verebatur ne perniciosæ materiam opinionis relinqueret, & à Christo separati manerent. Etenim si dixisset, Abite ad ipsum, ipse me melior est, vtique non credidissent, sed existimantes ipsum illa ex nimiâ humilitate proferre, magis adhuc ipsi adhæsissent, si autem siluisset, nihilo amplius perfecisset. Quid igitur faciat? expectar donec ab ipsis audiat quoniam miracula operatur, & nec sic persuasit, neque omnes mittit, sed duos aliquos quos nouerat fortè ceteris ad credendum proniores; vt interrogatio ipsa suspicione vacaret, ac rebus ipsis discerent, quantum inter ipsum & Iesum interesset.

VERS. 21. (In ipsâ autem horâ multos curauit à languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum.)

22. Et respondens, dixit illis: Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis: "Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur. *"Isa. 35. 5.*

23. & beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me.

13. SCIENS igitur vt Deus, quo animo misisset eos Ioannes, & rei dispensationem ac causam aduentus eorum [cognoscens] tunc temporis potissimùm vberiora patrauit miracula, plurimosque curauit, non vt ipsum doceret (quippe qui iam persuasus fuerat) sed eos qui ambigebant instrueret. Facti igitur fortè inspectores atque oculati *CYRILLVS Christus cur ea quæ de miraculis faciebat.*

testes, eius quæ ipsi inerat maiestatis,& multiplex miraculum potentiæ virtutisque eius secum ipsi considerantes, proponunt quæstionem tamquam ex personâ Ioannis, dicentes, si ipse sit qui venturus est. Vbi considera Saluatoris in dispensando prudentiam. Non enim explicitè dixit, Ego sum; sed ducit eos potiùs ad rerum à se gestarum certitudinem: vt congruâ ratione ipsius fidem suscipientes, ad eum qui eos miserat reuerterentur. Vnde non ad verba, sed ad mentem mittentis respondebat; Euntes, enim inquit, renuntiate Ioanni quæ audistis quidem per Prophetas, à me verò vidistis consummari. Ista enim dispensatoriè operatus fuit eo potissimùm tempore, quæ videlicet Prophetæ illum, quando ad nos venisset, perfecturum prædixerant. Quænam autem illa? cæcorũ illuminatio, mundatio leprosorum, auditio surdorum, mortuorum resuscitatio, & quæ sequuntur. quibus Deo conuenienter subiungit: Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me. Quid autem hæc dicens indicare voluit, nisi quòd, vti Dauid ait, palpebræ eius interrogent filios hominum, & quòd quæcumque versabantur in cordibus eorum, ab oculis eius effugere nequaquam possent. Ipsi enim erant qui scandalizabantur in ipso.

Isa. 35, 5. & 61, 1.

Psal. 10, 4.

VERS. 24. Et cùm discessissent nuntij Ioannis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?

25. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? Ecce qui in veste pretiosâ sunt, & delicijs, in domibus Regum sunt.

SYMEON. *Cur Christus Ioãnem laudaret post discessum discipulorum.*

14. VBI autem qui missi fuerant ad Baptistam rediuissent, voluit quoque Christus ijs quę circumstantem turbam perturbare animo poterant, medicinam adhibere. Nam quantum ad discipulos Ioannis, satis actum erat. Verosimile autem erat ipsos dubitare, num hæc à Ioanne, tamquam qui de Christo ambigeret, dicta sint, Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Vel certè num propter carcerem vinculaque metueret, an verò etiam priùs à se dicta retractaret. Hos itaque Christus instituens, quæ modò dicta sunt protulit, idque cùm iam discipuli Ioannis recessissent. Noluit enim coram illis Baptistæ laudes recensere, ne ea quæ dicebantur, adulatoriè magis quàm verè dicta censerentur.

CHRYSOSTOMVS Hom. 36. in Matth. & 29. in Ep. ad Heb.

15. Verùm etiam vos ipsi constantiæ eius testes estis. Cur enim desertis ciuitatibus, ad desertum omnes confluxistis? an vt miserum fortasse quempiam aut mutabilem virum videretis? Sed illud abhorret à ratione; illud enim diligentia ista non indicat. Verùm nec illud dici potest, quòd à seipso quidem mutabilis non fuerit sed constans, at quòd esset delicijs deditus, posteà mollior effectus sit. Quòd enim delicijs non indulserit, amictus, & eremus, carceresque declarant. Nam si delicijs se dedidisset, non eremum, non carceres, sed aulam Regiam frequentasset. Poterat enim profectò, si silere tantummodò voluisset, amplissimis honoribus perfrui. Nam si redarguentem se & vinctum adeò Herodes verebatur, multò potiori ratione tacentem non mulctasset. Quare qui gestis suis tantam ostendit constantiam, quomodo poterit in suspicionem incidere leuitatis? Tu verò hæc ad populi institutionem dicta intellige. Cùm enim verisimile esset, populum de Ioanne tamquam de mutabili quodam ac inconstante homuncione sentire; hanc inanem corrigens suspicionem, dicit: Quid existis videre? arundinem agitatam? *Luc. 7, 25.* vel hominem mollibus vestimentis indutũ? per vtrumque declarans, ipsum nec naturâ suâ inconstantem, nec vllis delicijs eneruatum esse. Molle namque vestimentum, etiam seueram animam dissoluit, diffundit, & frangit: & quamuis asperum ac robustum corpus sortita sit, per delicatam statim educationem eneruatur, atque emollitur. Corpore autem iam eneruato atque effeminato, animam eius quoque contagione affici necesse est. Plurimis enim in rebus animæ operationes, corporis affectionibus compatiuntur, atque consentiunt. Etenim in ægritudine aliter nos habemus, quòd morbo mollescimus, & iterùm cùm valemus nos habemus aliter. Et quemadmodum in chordis cùm molles sunt ac delicati, nec vti decet extenti, etiam ars deprauatur, coacta vitio seruire chordarum; sic etiam à corpore plurimas anima læsiones accipit, multasque necessitates. Vnde enim aliàs [illegible]m infirmas ac debiles esse mulieres existimatis? an ex sexus tantùm conditione? minimè verò, sed ex conuersatione potissimùm atque educatione: nam sub vmbraculis commoratio, desidia, lauacra, vnguenta, aromatum copia, stragulorum mollities, tales ipsas efficiunt. Quod vt intelligas, meis verbis attende. Ex eremo aliquod tibi arbustum sume, tempestatibus ac ventis conquassatum, atque in opaco illud aquosoq; loco transplanta: & inuenies illud indignũ eo statu ex quo illud primum transtulisti. Quòd autem hoc verum sit, [patet.] Mulieres quæ in agris educantur, ipsis etiam viris qui ciuitates incolunt, robore antecellunt, & multos eiusmodi

Educationis vis.

Sympathia animæ cum corpore.

Deliciæ eneruant hominem.

modi

modi ipsæ in luctâ prostrauerint. Non igitur delicijs corpus proluamus, nec lasciuum illud flaccidúmque reddamus. Cùm enim per mulras delicias corpus eneruatur, morbos progignit. Verùm id quod nutrit, sufficientia est; quod autem excedit necessitatem, indigestum putrescit. Sufficientia quippe, & nutrimentum, & voluptatem, & sanitatem confert; quod verò est amplius, id corruptio, & fastidium, ac morbus existit.

Morbi ex delicijs oriuntur.

VERS. 26. Sed quid existis videre? prophetam? Vtique dico vobis, & plusquam Prophetam.

27. "Hic est, de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

*Mal. 3, 1. Matth. 11, 10. Marc. 1, 2.

SYMEON. 16. Hoc nihil aliud quàm propinquitatem designat: apparuit enim hominibus prope Christi aduentum, quapropter & plusquam Prophetam ipsum esse existimandum est. Nam & hi qui in processionibus, à Regibus proximi procedunt, digniores profectò sunt ac familiariores.

VERS. 28. Dico enim vobis: maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptistâ nemo est.

CHRYSOSTOMVS Hom. 38. in Mat. & SYMEON. 17. Hoc est, Non peperit mulier hoc maiorem. Et sufficit quidem Domini vox, præbens testimonium præeminentiæ Ioannis inter homines, verumtamen reperiet, qui vult, etiã rebus ipsis veritatem consentientem, si mensam eius considerauerit, si vitam, si mentis excellentiam. Veluti enim qui cælitus descendisset degebat in terrâ, corpus tamquam rem omnino vilem & nullius pretij æstimabat, nullam ferè curam eius gerens, parum imò vix terram attingebat, sed mẽre semper erectus in cęlum, solíque Deo purissimo modo coniunctus erat, res humanas nihili pendebat; verùm etiam nunc per vitæ semitam ambulabat, lenis simul ac seuerus existens. Nam populo Iudæorum viriliter & feruẽter, Regi liberè, proprijs discipulis admodum benignè loquebatur. Nihil frustrà, vel leuiter, sed omnia conuenienter agebat. Quomodo vtique non omnibus maior fuerit, qui ita vixerit? Quid autẽ sibi vult illud quod subiungitur?

Præeminentia, virtutes, & ratio viuendi Ioannis Baptistæ.

VERS. 28. Qui autem minor est in regno Dei, maior est illo.

EPIPHANIVS Hæresi 41. confut. 8. 18. ERAT vtique Saluator secundũ suam in carne natiuitatem, Ioanne minor semestri spatio, verùm in regno maior, vtpote quatenus ipsius Deus.

19. Quid autem est, In regno cælorum? In spiritualibus quæ sub cælo sunt vniuersis. CHRYSOSTOMVS Hom. 38. in Matth.

20. Considera autem dicti huius accurationem. Maior, inquit, inter natos mulierũ, vt exciperet Virginem, & segregaret ab illis quæ naturaliter pariunt, illam quæ supernaturaliter peperit. TITVS.

21. Etsi enim etiam ex muliere natus sit Dominus, non tamen eo modo quo Ioannes: non enim erat merus homo, nec more hominum natus est, sed nouo quodam & admirabili partu. CHRYSOSTOMVS

22. Aliam quoque ob causam Ioannes maior est inter natos mulierum, quia ex ipso vtero materno prophetauit, & adhuc in tenebris delitescens, lumen quod adueneratnon ignorauit. Maior autem est Prophetis, quòd eum quoque qui prædicebatur in carne conspexerit, quem Patriarchæ omnes atque Prophetæ per somnia quidem ac visiones quoquo modo imaginari fuerant, reipsâ autem atque oculis perspicere minimè potuerunt.

ISIDORVS l. 1. ep. 33. *Cur Ioannes maior inter natos mulierum.*

23. Aduerte verò iterùm quantam in hisce Saluator dispensationem fecerit. Prolixum enim de beato Baptistâ sermonem instituit: illam enim suspicionem diluit, vnde verosimile erat ipsi aliquam iniustitiæ notam impingendam. Dicens autem, ipsum aliquid amplius habere ipsis Prophetis, eum profectò admiratione & amore dignissimum esse auditoribus declarauit. Deinde ipsum tamquam exemplar proponens, quod inter natos mulierum sit virtute præstantissimum; opponit illi alterum adhuc præstantiorem, hoc est eum qui iam recens ipsum regnum attigerat, & in filium Dei per Spiritum renatus erat. Regnum enim cælorum donum Spiritus esse dicimus, iuxta illud: Regnum cælorum intra vos est. Maior igitur est omnibus natis mulierum, qui Spiritus est regeneratione decoratus. Illi enim filij carnis adhuc appellantur, hi verò ad Deum vniuersorum Patrem referuntur, non ampliùs appellari filij mulierum, vti Ioannes ac præcessores eius, sed ex Deo nati, & diuinæ participes naturæ effecti. Etsi igitur minores sumus ijs qui in lege fuerunt, & iustitiam præstiterunt, secundùm vitæ inquam sanctitatem; attamen maiores per Christum facti sumus. Meminisse autem necesse est, quòd Baptista, tametsi tantus in virtute extiterit, nihilominùs manifestò fateatur, se opus habuisse sacro Baptismate, Ego enim, inquit, opus habeo à te baptizari. quod vtique non postulasset, nisi in eo maiorem quàm in lege iustitiam sitam esse cognouisset. Illud autem quod dicitur, à diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum rapi, non ita

CYRILLVS lib. 1. Thesauri c. 41.

Qui regeneratur in Spiritu sancto maior est natis mulierum.

Matth. 3, 14.

Matth. 11, 12.

intelligitur, quasi nemo anteà illud rapuerit: [quò enim olim Prophetarum spes migrauerit? quid verò tantus sanctorū chorus agat, si extra cælorum regnum commoretur?] sed quòd à tempore Ioannis ac deinceps donum Spiritus sancti; & per Baptismum in Deum regeneratio fide rapiatur.

ISIDORVS L.1.ep.68. 24. Qui ergo in lege perfectus est (vt erat Ioannes) omnino inferior est eo qui in Christi mortem baptizatus est. Hoc enim est regnum cælorum. Quoniam igitur Ioannes maior quidem erat omnibus natis ex mulieribus, caput autem ipsi, ante donatum cælorum regnum, præcisum fuit; ipse quidem secundum legis iustitiam irreprehensibilis erat, ijs verò qui spiritu vitæ in Christo perfecti fuerunt, inferior, prius è vitâ discesserat. Et iuxta hoc omnis qui minor est in Christianâ regeneratione, maior est eo qui in lege perfectus erat, quoniam lex nihil perfectum reddidit.

VERS. 29. Et omnis populus audiens & Publicani, iustificauerunt Deum, baptizati baptismo Ioannis.

30. Pharisæi autem, & legisperiti consilium Dei spreuerunt in semetipsis non baptizati ab eo.

EVSEBIVS 25. VTROSQVE autem hos innuit etiam quando in parabolâ dicit: Quid vo-
Matth. 21, 28. bis videtur? Homo quidam habebat duos filios: & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operare in vineâ meâ. Ille autem respondens, ait: Nolo. Posteà autem pœnitentiâ motus, abijt. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo Domine, & non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Dicunt ei: Primus. Hic enim duos ordines sermone proponens, vnum quidem Israëlitarum, alterum verò alienigenarum gentem per publicanos significatam; vtrosque duos filios vnius patris nominauit, quandoquidem ex vno Deo sint omnes Iudæi & Græci. Ac primos quidem
Deus primùm vocauit gentes. vocauit eos qui sunt ex gentibus; secundos verò illos qui sunt ex circumcisione, quippe cùm ante Israelem gentes extiterint, primis gentibus, Israelis nondum nomine inter homines existente, oracula Dei concessa fuerunt, visionesque diuinæ. Quando enim Enoch gentilis erat, vtpote incircumcisus, quòd Deo placeret, pro præmio recepit illam ex hominibus translationem. Et Noë quòd iustus esset in generatione suâ, meruit oraculis à Deo honorari, incircumcisus & ipse. Et Melchisedech qui antiquior erat populo ex circumcisione, sacerdos Dei altissimi appellatus fuit. Quin etiam Abraham & Isaac & Iacob ante Israelem vaticinijs claruerunt; & Iob manifestus Idumæus existens, ex filijs Esau oriundus, heroicis in Deum pietatis operibus eluxit. Reliqua verò gentiliū multitudo, naturæ legibus vineam excolere iussa fuit. Hæc autem erat diuini cultus institutio. At renuit & præcepto paterno contradixit, omni tempore idola colens. Verumtamen sub finem obedientiam præstitit. Iudæorum autem natio, quæ erat secundus filius, post prioris recusationem, vocata ad operationem per Moysen & Prophetas, verbis quidem promptitudinem præ se tulit, (dixit enim, Omnia faciemus & au- Matth. 21. 31.
diemus,) reipsâ autem omnia fecit contraria. Idcircò Dominus ex Principibus sacerdotum sciscitatur, Quis ex duobus fecit voluntatem Patris? Illis autem confitentibus quòd primus; quisnam esset iste primus declarat, dicens: Publicani, & meretrices, & omnis gentilium infidelium multitudo præcedent nos in * amore Dei. * regnum

ANNOTATIONES.

NON ipse erat ambigens, nec ignorans.] *An scilicet Iesus esset Messias, vti volunt Iustinus qu. 38. ad Orthodoxos, & Tertullianus lib. 4. contra Marcionem. Contrarium enim patet ex testimonio ipsius Ioannis, quod iampridem dederat Christo in Baptismo. Non etiam dubitauit num post mortem venturus esset in infernum, vti vult S. Hieronymus Tom. 9. super illud,* Tu es qui venturus es, *& S. Gregorius Hom. 6. in Euang. De hoc enim, vtpote in Scripturis clarissimo, Propheta Ioannes dubitare non poterat, & illud hic est impertinens. Sed, vti hoc loco docet Chrysostomus cum Hilario, Cyrillo, Theophylacto, & Euthymio, idcircò mittit Ioannes discipulos, quia videlicet morti vicinus eos hac de re dubitantes voluit instrui, & ad Christum traduci. Varias hic Patrum sententias citatas vide in Quadrigâ P. Serrarij cap. 56. & apud Toletum hic. Nota autē hic prudentiam S. Ioannis, quod iubeat discipulos nomine suo id interrogare: nam ex se alioqui non fuissent ausi hoc proponere. Aptè etiam Christus illorum quæstioni non verbo, sed factis respondet. Hæc enim miracula loquebantur ipsum esse Messiam; idque ex prædictione Isaiæ cap. 35. v. 5. & cap. 61. v. 18. Vbi nota, τὸ, πτωχοὶ εὐαγγελίζονται,* pauperes euangelizantur, *hic v. 22. non actiuè accipi, vt Theophylactus & Euthymius volunt in Matth. c. 11. quasi dicat, Pauperes Apostoli prædicant Euangelium; sed passiuè, vt explicat idem Isaias c. 61. v. 1. & dixi supra in scholijs ad Cap. 4. Num. 16. quasi dicat, Pauperibus, maximè spiritu, & humilibus ac mansuetis, vt in Isaiâ vertit noster Interpres, annuntiatur & promittitur gratia, & cetera Euangelij bona, vt regnum æternum, quod vt mirum & notam Messiæ posuit Isaias.* NVM. 12 *Ioannes cur discipulos miserit ad Christum, interrogatū an ipse esset Messias.*

NVM. 15. *ad Euangelij v. 24.* QVID EXISTIS VIDERE ARVNDINEM AGITATAM] *Vbi nota cū S. Gregorio Hom. 9. in Ezechielem, per arundinem accipi primò mentis instabilitatem; secundò cum Chrysostomo hîc & Cyrillo, inde consequentem prædicationis & doctrinæ inconstantiam; quam Christus hic omnino à*

Ioanne remouet. Nam ita enim erat illis obrepere eiusce-modi suspicio de Ioanne, quasi mutasset sententiam suam de Christo; cui suspicioni hoc modo occurrit Christus, quasi dicat: Ioannes non est arundo, vt leuitate, laudibus & vituperijs moueatur, non vestitur mollibus, vt ambitione aut lasciuiâ aliquid afferat, aut mutet, vt vosipsi creditis, qui talem Ioannem in desertum visuri exijstis, non exituri vtique nisi prophetam & fide ac admiratione dignum crederetis. Ita S. Chrysostomus hic, cum Theophylacto & Bedâ.

NVM. 16. Quapropter & plusquam Prophetam ipsum esse existimandum est.] *Petet hic posset, quomodo ergo Ioannis cap. 1 v. 21. Ioannes ipse neget se Prophetam. Ad quod respondeo, ipsum id negare de se ex nimiâ humilitate, sed vero tamen sensu, quia scilicet non venerat futura prædicturus vti alij Prophetæ, sed Christum præsentem ostensurus, sicut hîc etiam insinuat Simeon in Catenâ; adeoque Christus eum hoc loco vocat plusquam Prophetam, Primò, quia diuino Spiritu illuminatus Christum Christique œconomiam perfectiùs quàm aliquis Prophetarum agnouit. Secundò, ac maximè quia, vt Lucas hic, & Matthæi c. 11. testatur Angelus, fuit præcursor ipsius Christi, eumque coram populo ostendit. Ita Simeon hic, & Nazianzenus Oratione in Sancta lumina. Tertiò denique, quia, vt loquitur v. 28.* Ioannes maior *fuit* inter natos mulierum Propheta. *quod disertè S. Lucas addit, quia Prophetæ olim erant & habebantur sanctissimi, quare hic absolute Christi sententia mortalium omnium maximus fuisse indicatur, & infrà ex eius prærogatiuis Num. 17. latiùs patet.*

Præeminentia S. Ioannis Baptistæ.

Nota autem, præeminentiam Ioannis potissimum colligi, Primò, ex prærogatiuis, quarum prima fuit, in vtero sanctificari; secunda, ceteris excellentiùs prophetare; tertia, primum baptismum instituere; quarta, Christum baptizare & ostendere; quinta, prædicare regnum cælorum; sexta, plurimos conuertere ad Christum; septima, quod ipse solus Angelis comparatus, à Malachiâ multò antè promissus, & in Eliâ adumbratus fuerit. Ita S. Chrysostomus de S. Ioanne Baptistâ.

Secundò, Ex ratione conuersationis & meritorum. Ita etiam S. Chrysostomus hic, & S. Augustinus lib. 2. Contra aduersarium legis Prophetarum c. 5. & patet ex antecedentibus. Fuit enim Ioannes continuum quasi miraculum. Miraculo enim conceptus fuit, miraculo Christum in vtero adorauit, miraculo loquelam patri circumcisus reddidit, miraculo omnem penè vitam quasi Angelus in deserto transegit. vnde multi Iudæi verum Angelum eum esse putarunt, teste Eusebio lib. 9. Demonstrat. cap. 5.

Tertiò, ex testimonio Christi, dicentis, Maior inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptistâ nemo est, *intelligendo videlicet de hominibus veteris Testamenti, ac sæculi præcedentis. Vnde verosimilius est eum hîc non comparari cum B. Virgine, aut Apostolis, multò minùs cum Christo, qui fuit natus Virgini; sed cum Patriarchis & Prophetis. Vnde S. Lucas hîc expressè addidit τὸ* Propheta, *quòd nempe illi olim sanctissimi haberentur, vnde etiam quilibet* Sanctus Propheta *vocabatur. Adde quòd, vti S. Cyrillus infrà Num. 23. docet, & Isid. lib. 1. ep. 68. cultores legis ex muliere adhuc nati censeantur, Sancti verò & iusti noui Testamenti, non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sint. quare cum istis non confertur S. Ioannes.*

NVM. 24. Ergo qui in lege perfectus est, omnino inferior est est eo qui in mortem Christi baptizatus est.] *Id est, Qui minimus in Ecclesiâ est, ille ratione statu Ecclesiæ, & Euangelij naturâ, maior esse potest Ioanne Baptistâ, qui, vti & omnes alij veteres, gratiam suam à Christo & à nouo Testamento habuit. Verùm* Regnum cælorum *hic non pro Ecclesiâ, sed propriè capi potest, vt patet ex sequentibus, vbi dicitur illud vim pati. atque ita illud hic accepit S. Chrysostomus Hom. 38. in Matth. & Euseb. suprà Num 18. vti etiam Theophylactus & Euthymius. quasi dicat: Ego Christus, qui ætate & hominum opinione minor sum Ioanne, in prædicando regno cælorum illo sum maior. Aut simplicissimè, vti S. Hieronymus & Beda in Matthæum, & S. Augustinus lib. 2. contra Aduersarium legis cap 5. quasi dicat, Minimus beatus maior est, id est beatior, perfectior, & excellentior sancto Ioanne, ratione sublimioris status.*

Quo sensu qui minor est in Ecclesiâ, sit maior S. Ioanne.

IBIDEM. Hoc enim est regnum cælorum.] *Additur in Isidoro, quæ hîc omissa est, eius explicatio:* Δηλαδὴ τὸ συντεθνάναι Χριστῷ κατελθόντι σκυλεῦσαι τὸν θάνατον, καὶ συναναστῆναι αὐτῷ τὸ κατ᾽ ἐκείνου κράτος περιέχοντι. Nimirum cum Christo, qui spoliandæ mortis caussâ descendit, sepultum esse, atque vnà cum ipso victoriâ aduersus eam præbente resurrexisse.

VERS. 31. Ait autem Dominus: [u] cui ergo similes dicam homines generationis huius? & cui similes sunt? [u] Matth. 11. 16.

32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus ad inuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis, lamentauimus, & non plorastis.

CYRILLVS Ludus puerorum Hebræorum.

26. ERAT autem fortè quidam modus ludendi liberis Iudæorum vsitatus, qui erat huiuscemodi: Bipartiebatur puerorum caterua in duas classes, quæ quidem vitæ huius perturbationem, & rerum in eâ inæqualitatem ac turbulentam commutationem deridebant. Alij quidem canebant, alij verò lugebant. sed nec canentibus ac gaudentibus congaudebant lugentes, nec qui canebant flentibus se conformabant. Deinde sibi inuicem quodammodò improperabant incompassionem, siue difformitatem. Tale quid passam fuisse Iudæorum plebem vnà cum Principibus, Christus asseuerat.

VERS. 33. [x] Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque vinum bibens, & dicitis: Dæmonium habet. [x] Matth. 3, 4. Marc. 1, 6.

34. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens vinum; amicus Publicanorum, & peccatorum.

CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom. 38.

27. QVOD dicit est huiusmodi: Contrariâ venimus viâ, ego & Ioannes; ipse quidem à primâ ætate in ieiunio enutritus, ego verò accedens ad mensam publicanorum & comedens, & bibens. Si igitur ad-

 miran-

Vita Christi moderata. Ioannis rigida fuit.

mirandum ieiunium, oportebat obtemperare Ioanni, & dictis eius. Sin verò graue sit ieiunium, oportebat credere mihi, contrariam viam ingredienti, per vtramque enim ad regnum eratis peruenturi. Nunc verò laxiorem vitam elegistis, & non credidistis; Ioannes asperam egit vitam, & non attendistis: quam ergo reliquam habeatis excusationem?

TITVS.

28. Enimuerò non conueniebat Dominum ab huiuscemodi cibis abstinere, ne occasionem daret hæreticis qui dicunt creaturas esse malas, & panem ac vinum vituperant. Si enim, Domino comedente & bibente, illa vituperent; si non comedisset, probabiliorem vtique prætextum sumpturi erant, quò creaturas incusarent. Etenim neque Christus opus habebat exercitio, auctor enim erat sanctitatis, & ipsius naturæ Dominus.

EPIPHANIVS Hæresi 30. §. 19. Matth. 11, 18. *Quomodo intelligatur Ioannes non comedisse, & Dominus vini potator fuisse.*

29. Dicitur quidem à Matthæo, quòd venit Ioannes non manducans neque bibens. Non omnino, quasi Ioannes nihil cibi sumpserit, vel Saluator quidlibet manducauerit, atque adeò etiam prohibita, vt suspicari quis posset: sed Scriptura veritatis vim exprimit; vt edacem ipsum esse, ac vinipotorem, nihil aliud sit, quàm carnes comedere ac vinum bibere; & illud, non manducans neque bibens, idem sit ac Ioannem carnibus & vino vsum non fuisse, & locustas duntaxat & mel edisse. quin etiam aquam interim sumpsisse manifestum est. Quis autem non sciat Saluatorem post resurrectionem partem piscis assi acceptam comedisse? Luc. 24, 42

BASILIVS in Isa. 5. *Cantica quid significent.*

30. Quomodo autem accipiendum est illud, Cantauimus vobis tibijs, & non saltastis? Cantica omnia alacriorem videntur in se complecti rerum constitutionem. Quod in Exodo scribitur Canticum, triumphale carmen est; Canticum canticorum, est carmen nuptiale, opere dramatico pertextum. Hæc autem eadem cantio, pœnitenti quidem canticum est, permanenti verò in peccato lamentum fit & væ, quemadmodum in Ezechiele didicimus in eius libro scriptum carmen, & lamentum, & væ. Sermo autem Domini qui ad vitam æternam & ad cælestium bonorum fruitionem inuitat, melos erat, id numerosam concinnamque motionem, nec non ad efficacem virtutum operationem animas excitans. Ioannis autem prædicatio, quæ inobedientes illos ad pœnitentiam conuertebat, lamentum erat, quod tristitiam ad salutem stabilem operabatur. Iudæi autem propter cæcitatem cordis deprehensi sunt nullis verbis benignis ad vitam permoti, quin nec etiam asperioribus ad pœnitentiam adducti fuisse.

Ezech. 2. 9 *Iudæi nec Ioannis seueritate, nec Christi suauitate moti.* Luc 1, 17.

ANNOTATIONES.

IDEM ferè ijsdem verbis legitur apud Theophylactum in cap. 7. Lucæ. Vide etiam de eodem genere fusius S. Augustinum lib. 2. Quæst. Euang. c. 11. vbi etiam multa moralia ex hac sententiâ deducta apud S. Ambrosium lib. de Pœnitentiâ cap. 6. & Serm. 80. NVM. 26

NVM. 29. Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.] *Dicitur autem Marci 1. v. 6.* ἐσθίων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον, *id est*, comedens locustas & mel siluestre, *non autem pyra siluestria, vt vult Beza. Non etiam bellaria ex oleo & melle condita; hæc enim non* ἀκρίδες *sed* ἐγκρίδες *appellantur. Non etiam cancros marinos, qui Athenæo lib. 4.* Δειπνοσοφιστῶν, κάραβοι *aut* καρίδες *dicuntur, vt volunt Magdeburgenses & alij Nouantes. Primò, quia hi cancri lege erant prohibiti, Leuitici 11. Secundo, desertum hoc procul erat à mari, vnde non marinos, sed vt summum fluuiatiles potuisset habere, quamquam eos veriùs non comederit. Tertiò, quia hæ deliciæ non decebant Baptistam pœnitentem. Quartò quia Græcè non habetur in Euangelio* καρίδας *sed* ἀκρίδας: *quod licet aliqui cum Euthymio vertunt* herbas, *aut arborum frondiumque summitates, tamen omnes Græci cum Theocrito docent significare* locustas *siue insectum saltitans. Ita Origenes, Chrysostomus, & alij Patres apud Canisium in lib. de S. Ioanne Baptistâ Imò ipse Brentius in Matthæi c. 3. & fusè Stuckius lib. 2. Conuiualium cap. 9. Locustis autem Æthiopes, Lybios, Parthos, aliasque nationes per totum annum vesci solitas, imò sale, fumo, aut sole induratas in totum annum seruasse. atque etiam elixas vel tostas & in puluerem redactas comedisse, tradunt Plinius lib 6. cap. 3. Diodorus Siculus lib. 3. capite 3. S Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. vnde vt Iudæis Leuitici 11. inter escas licitas permittuntur. Nec id mirum, cùm, vt docet Stuckius suprà citato loco, Germani milites bombyces frixos edant, Itali mustellas, Hispani testudines, alij passim limaces & conchylia etiam cruda, quæ tamē ex putredine procreari scimus. Denique, quomodo locusta humanum sit alimentum, & quale, docet Hieronymus Mercurialis lib. 2. Variarum lectionum c. 20. Cibus ergo hic vilis locustarum, temperantiæ S. Ioannis & pœnitentiæ erat indicium; vti etiam mel siluestre, quod Rabanus putat fuisse folia candida arborum, quæ tenera erant, & trita manibus, saporem quasi mellitum exhibent. Faber autem putat esse mel quod Plinius lib. 11. cap. 16.* herizæum *vocat, ex hericâ nimirum, qui frutex autumni tempore flores, cùm reliquæ arbores & virgulta defloruerunt, estque id mel valdè insuaue & insipidum. Alij autem putant esse humorem ex arborum folijs collectum. Suidas denique ac Nouantes dicunt fuisse rorem qui ex arboribus colligitur, & manna dicitur. Verùm meliùs S. Chrysostomus, Theophylactus, & Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 5. docent esse mel ex agrestibus apibus, quæ in arboribus aut lapidum scissuris mellificant, quod mel amarum est & gustu insuaue.*

VERS. 35. Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.

31. HOc est, etiamsi vos persuasi non estis, attamen nihil vobis reliquum est, vnde me incusetis. Deus tametsi nihil ampliùs proficiat suâ erga vos curâ, partes tamen omnes suas explet, vt nos quidem impuden-

CHRYSOSTOMVS Hom. 38. in Matth.

pudenter agere volentibus, insulsæ vllam dubitationis vmbram relinquat.

VERS. 36. Rogabat autem ipsum quidam de Pharisæis vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

Matth. 26, 7. Marc. 14, 3. Ioan. 12, 3.

37.* Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti.

38. & stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.

NYSSENVS de Pœnitentiâ. Christus cum Pharisæis manducat.

32. VIR Pharisæus inuitat Dominum ad conuiuium, & contubernalem facit, & mensam communem apponit. Ipse verò nec inuitationem recusat, nec fugit hominem, etsi nec discipulus sit, nec in se credat, sed legis scripto deuinctus adhæreat, neque dum ad veritatis cognitionem oculos aperiat, at circa Prophetarum promissiones grauiter hallucinetur. Cur autem Lucas nobis hoc caput conscripsit? Num vt ea quæ in corpore existens Christus gessit, cognoscamus, & historiæ inutilis cognitionem percipiamus? An potiùs vtilem sensum & instructioni accommodatum hæc scripta continent vberrimum, dum documentis suis, quibus abundant, nos ad vitam nostram rectè constanterque instituendam erudiunt? Ego quidem ita rem se habere existimo, & vos similiter credere oportere. Plerique enim qui seipsos iustificant, sese diligunt, sibique complacent, & inani opinione tumidi, eos qui ad se accedunt, peccatores vocant; & antequam veri iudicij tempus adueniat, se tamquam agnos ab hœdis segregant; cælique fores sibi apertas intuentes, nec domum cum reliquâ multitudine, nec cibũ dignantur habere communem; atque omnes qui non per summam, sed per mediam vitæ semitam incedunt, detestantur. Lucas igitur, animorum magis quàm corporum medicus, præsentem hanc nobis non tam narrationem quàm appositam fastu ægrotantibus medicinam exhibuit, ostendẽs ipsum Deum ac Saluatorem nostrum, qui sine cõparatione purus atque integer est, solusque iustus, clementer admodum benigneque cum perditis atque damnatis versari, & cum ijs qui nondum puri sunt, viuere; non vt eorum malitiam contrahat, sed vt illis iustitiam suam impartiatur, ad modum operationis solis illius qui nobis apparet, (quantum videlicet ex re creatâ, Creatoris prouidentiam licet intelligere) scimus enim solem non planas solùm regiones illustrare, sed illas etiam quæ sunt antris cauernisque tortuosæ.

Homines sunt sui amantes.

Lucas animorum medicus est.

33. Sic meretrix diuino igne succensa, virginibus est facta celebrior. Postquã enim fuit per pœnitentiam calefacta, deinceps totam sese præ nimio Christi desiderio effudit, capillos dissoluens, & sanctos eius pedes suis lacrymis irrigans, ac proprijs illos crinibus abstergens, & vnguentum effundens. Atque hęc quidem omnia faciebat exteriùs: quæ vero in mente perfecta sunt, multò his erant feruentiora, quæ tantummodò Deus ipse cernebat. Idcircò autem vnusquisque nostrûm hoc audiens, congaudet illi, atque eius rebus præclarè gestis exhilaratur, ab omnique illam crimine decernit alienam. Si igitur nos maligni hanc ferimus sententiam, considera quantâ iam benigni Dei liberalitate potiatur, quantorumque bonorum, etiam ante Dei hæc dona, ex ipsâ pœnitentiâ fructum sibi congregarit. Quemadmodum enim post effusos imbres vehementes, aër purus ac serenus efficitur; ita etiam post lacrymas profusas tranquillitas ac serenitas sequitur, & quæ ex peccatis existunt tenebræ dissipantur. Et sicut ex aquâ & Spiritu, sic rursus ex lacrymis & confessione purgamur; modò ne ad ostentationem istud faciamus.

CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom. 6. Magdalena meretrix virginibus celebrior.

Fructus lacrymarum & pœnitentiæ.

34. Publicanus quoque ac Pharisæus necessariò memoriâ recensendi, vti & mulier quæ drachmam perdidit, & inuenit. Si quis autem ab initio vsque ad finem historias peruoluerit, repetiet quàm plurimos qui quidem priùs peccatis fuerint implicati, deinde verò ad optima quæque animum conuerterint. Dei enim proprium est, qui hoc solus habet eximium, vt à peccato remotus, omnia rectè gerat: homo autem qui generationi corruptionique obnoxius est, & tam multas admittit perturbationes, numquam innocens apparebit, præcisâ veniâ. Pœnitentia autem est dissolutio & abolitio præteritorum peccatorum quæ vel opere patrata sunt, vel secundùm affectum excogitata.

NYSSENVS de Pœnitentiâ. Homines omnes peccatis obnoxij, solus Deus impeccabilis.

VERS. 39. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum: quia peccatrix est.

40. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic.

41. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta.

42. Non

42. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque. Quis ergo eum plus diligit?

43. Respondens Simon, dixit: Æstimo is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti.

44. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.

46. Oleo caput meum non vnxisti: hæc autẽ vnguento vnxit pedes meos.

47. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

a Math. 9, 2. 48. Dixit autem ad illam: a Remittuntur tibi peccata.

49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?

50. Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit: Vade in pace.

CHRYSOSTOMVS. Hom. 12. in Ioannẽ. 35. DISCE igitur & tu, quòd etiam dum prauorum hominũ misereris, multa maneat retributio; quandoquidem etiam Dominus non tantùm iustis locutus sit, & immundos vitarit, verùm etiã Chananæam beneuolentiã magnã susceperit, vti & Samaritanam immundam illam & execrabilem, atque hanc meretricem propter quam increpatur & suscepit, & curauit, & pedes suos immundæ illius lacrymis irrigari permisit, docens nos peccatoribus condescendere ac condonare. hæc enim maxima humanitas est.

NYSSENVS de Pœnitentiã. *Peccatoris curandi exemplo Christi.* 36. Domini igitur misericordiam atque humanitatem imitemur, humiles & afflictos ita complectentes, vt non cum illis iacentibus consternamur; sed vt eos potiùs erigamus, tamquam periti quidam vrinatores, aquã suffocatos ad vitalem hunc aërem extrahentes. Admiror quidẽ ego eos, qui carne hac in perturbationes ac voluptates pronã circumdati sunt, atque indies & à somno & à ventre deprimuntur, neque à ceteris vexationibus liberi sunt, quas nos qui vnà eademque cum illis naturã præditi sumus, experimur; quomodo (inquam) illi sint duri iudices peccatorum, imbelles agonistæ, & inexorabiles legislatores, adeò vt diuinæ benignitatis spem auferant, vberemque misericordiæ fontem se obstruere existiment, & multã cum auctoritate Regni aditum ijs qui errarunt patefacere. Quod cum nihil aliud sit, quàm animis curationem quærentibus obijcere desperationem (cui enim curationis adempta spes est, morbi omnino seruus efficitur) ab omni Scripturarum promissione alienum est. Secundùm illas enim nihil adeò est graue, quod non curet indulgentia. Ecquis autem tam sit surdus qui verba Iob non audierit, clarã voce sic ad omnes clamantis: Quoniam nemo mundus à sorde, neque si vnius diei sit vita eius.

37. [Credebat enim] Christum habere potestatem dimittendi peccata. [Illud autem] Vade in pace, idem est quod Noli ampliùs peccare. Quando enim peccamus, Deum oppugnamus. TITVS.

38. Cùm verò quatuor Euangelistæ à muliere Dominum vnguento perunctum fuisse prædicauerint, quærendum vtrùm vna fuerit, an duæ. Ego quidem Euangelica scripta peruoluens diligenter, tres colligo fuisse mulieres, ex personarum qualitate, ex ipso modo agendi, ex differentiã temporum. Ioannes siquidem de Mariã sorore Lazari narrat, quòd sex diebus ante Pascha, in domo propriã Iesu pedes vnxerit. At Matthæus postquam Dominus dixerat, Scitis quia post biduum Pascha fiet, subdit quòd in Bethaniã in domo Simonis leprosi mulier fuderit vnguentum super caput Domini, non autem pedes vnxerit, vt Maria. Marcus autem consonans cum Matthæo, eodem modo omnia contigisse dicit. Lucas verò non circa tempus passionis, sed in medio Euãngelio hoc refert, vel etiam ante, Pharisæum nempe quemdã inuitasse Dominũ ad conuiuium, qui necdum ab hypocrisi fraudulẽtã, nec ab infidelitate liberatus erat. Nos igitur tres mulieres fuisse censemus. Aureæ verò ille linguę Pater binas asserit has mulieres fuisse: vnam quidẽ cuius à Ioanne, alterã verò cuius mentio fit à tribus; cui & magis credendum. Hic autem Pharisæus figurã continet Synagogæ Iudæorum, in quã primùm tamquã in domo propriã Dei Verbum commoratũ fuit, cùm per solam Palæstinam notum esset, & in tabernaculo testimonij appareret. In domum autem ingressa est mulier peccatrix, hoc est Ecclesia, quæ ex vniuersi orbis gentibus collecta est. Et sponte suã credidit in Christum, qui cum ingratis ac peruicacibus illis hominibus accumbebat. Admodum autem ad rem appositè dixit, Ecce mulier pecca-

SERVIVS. *Tres mulieres Christum vnxisse.* Ioan. 12, 3. Math. 26, 2. Luc. 7, 38. Hom. 61. & 81. in Math. & in Hom. de Muliere peccatrice, tom. 5. *Iuxta Chrysostomum duæ vnxerunt Christum. Pharisæus est figura Synagogæ. Mulier peccatrix est figura Ecclesiæ.*

peccatrix, vtpote non vni, sed omnibus peccatis adeoque fornicationi obnoxia. Scriptura enim sacra generatim omne peccatum, fornicationem appellare consueuit, præsertim verò translationem cultus diuini, quando is qui soli Deo debetur, inanimatis simulacris defertur. Attulit autem alabastrum vnguenti, hoc est, infucatam animi sinceritatem puritatemque, tamquam in vitreo quodam vasculo suauem quemdam ex omnibus commixtum virtutibus odorem continentem. Hoc enim est vnguentum spiritale. Et stans retrò, hoc est secundo post Synagogam ordine conte̅ta, osculatur eum, non frigidè aut otiosè, sed vnguento pedes eius vngens, ac per virtutum operationes illius vestigijs insistens. Vnde comparans eam cum Synagogâ, ad Pharisæum quasi in figurâ Christus dixit: Osculum mihi non dedisti. Quamuis enim Synagoga præcepta quædam obseruauerit, non tamen ex amore, sed ex timore potiùs seruili, mancipij instar hoc faciebat.

Alabastrũ quid mysticè.

39. Anima igitur perfectior, quæ ritè coluit Verbum Dei, confidentiam habet ad caput ipsum accedendi, (caput autem Christi Deus est) vt effundat vnguentum suum, & laudando Deum suauem excitet odorem: glorificatur enim Deus per suauem odorem vitæ iustorum. Mulier verò animaque imbecillior ad pedes & humiliori loco volutatur, cui nos vicini sumus: nondum enim pœnitentiam egimus pro peccatis nostris. Vbi nostræ lacrymæ? vbi fletus? vt ad Christi pedes accedere possimus? nam ad caput eius nondum pertingere valemus. Porrò desiderabile etiam est post peccata suauem pœnitentiæ odorem adferre, vt quis possit secunda esse quæ pedes vngat, verùm non caput, hoc est quæ non attingat illa quæ perfectiora sunt & sublimiora, sed extrema & vltima.

Geometra. Perfecti caput, pœnitentes verò Christi pedes vngunt.

ANNOTATIONES.

NVM. 32 SEIPSOS æstimantium.] *Græcè, ἑαυτοὺς δοκούντων. Fortè δικαιούντων*, iustificantium, *quod sensum reddit meliorem.*

NVM 33. Sic meretrix.] *Magdalena videlicet, sic passim vocata a Patribus, saltem quia priuatos habebat amasios. Ita S. Ambrosius, vt nempe maior esset Christi medici gloria. Vnde Ecclesia canit in eius Hymno:* Post fluxæ carnis scandala,
Fit de lebete phiala.

NVM 37. *Quæ inclusa parenthesi, hic deerant, sed suppleui ex Tito, vt habetur in Bibliothecâ Patrum Tom. 1. editionis Parisiensis.*

NVM 38. Cùm autem quatuor, &c.] *Hæc eadem aliquousque citantur à D. Thomâ in Catenâ nomine Græci anonymi. Quæritur autem hic, An sit eadem mulier quæ hic Lucæ 7. & Matthæi 26. & Ioannis 12. Christum lauit & vnxit. Tres hic diuersæ sunt sententiæ. Prima est S. Gregorij Homil. 33. in Euangelia, & S. Augustini l. 2. de Consensu c. 79. & S. Cypriani lib. de Duplici martyrio, & communior recentiorum, dicentium vnicam esse & eamdem.*

Diuersa sententia Patrum de mulieribus quæ vnxerunt Christum.

Secunda est S. Chrysostomi hoc eodem numero citati ex Homil. 61. & 81. in Matthæum, qui tenet fuisse duas.

Tertia Seruij hoc loco & Origenis, Theophylacti & Euthymij in cap. 26 Matthæi, asserentium fuisse tres, scilicet primam hic Luc. 7. secundam quæ biduo ante passionem Christum vnxit, Matth. 26. tertiam denique quæ sex diebus ante Pascha Christum vnxit, Ioannis 12. Vnde Iudocus Clichtonæus & Iacobus Faber libellos scripserunt de tribus Magdalenis. Verùm eos doctè refutat Roffensis libello de Vnicâ Magdalenâ, quæ sententia videtur iam Catholica & verior.

Primò, quia vnicam tantùm fuisse Magdalenam, vti hanc vocat Lucas capite sequenti vers. 2. sororem scilicet Marthæ & Lazari, quæ primò hic, secundò ante passionem vnxit Dominum, communis est Ecclesiæ sensus. vnde in Ecclesiastico Officio omnia illi tribuit Ecclesia quæ hic narrat D. Lucas.

Secundò, ex historijs & traditione Massiliensium & Prouincialium, apud quos hæc constans fama. Rursus ex monumenti illius inscriptione, quod ei S. Maximum vnum è septuaginta Discipulis erexisse ferunt, in quo omnia tam dicta vni & eidem hic tribuuntur.

Tertiò, Ioannis 11. v. 2. Maria soror Marthæ erat quæ vnxit pedes Iesu. quòd si quæ alia vnxisset, non satis ex vnctione eam designasset.

Quartò, accedit auctoritas Patrum pro primâ sententiâ suprà citatorum.

IBIDEM. Et stans retrò.] *Nota, veteres in toris siue lectulis conuiualibus quasi iacendo mensæ accubuisse, ita vt caput versus mensam, pedes versus exteriorem partem porrigerent, vt nimirum alijs in eodem lectulo discumbentibus cõmodior esset locus: quare potuit Magdalena pedes Christi exteriùs tangere ac lauare. Non videtur tamen torus tam altus fuisse, vt ipsa stans Christi pedes commodè posset attingere; quare existimo τὸ stans non tam explicare propriè situm corporis quem tenuerit in lauando, quàm eius præsentiam denotare, quòd videlicet primùm retro Christum steterit, ac deinde flexis genibus, aut alio corporis situ ad lauandum commodissimo, se pedum lotioni accinxerit. Post lotionem autem vnctionem adhibuit, quæ olim etiam in conuiuijs ad lautitiam erat vsitatissima, vt etiam insinuat Ecclesiastes c. 9. 8. fiebatque per mulieres, 2. Reg. 8, 13. quare tantò audentior ad hoc irruit Magdalena, maximè si idem hic fuerit Simon qui Matthæi 16. ei familiaris dicitur, vt nonnulli volunt. Plurima in hac Magdalenâ apparent admiranda. Primò, copia lacrymarum, quæ tanta fuit, vt ijs solis Christi pedes abluerit; de quarum vi pulchrè scribit S. Chrysostomus Sermone de Pœnitentiâ. Secundò, mira eius deuotio ac religio: cùm enim alij omnes sanitatis corporalis gratiâ ad Christũ accederent, hæc vna agit causã animæ suæ. Tertiò, mira fides, quâ contra Pharisæos rem inauditam credidit, scilicet hominem Christum posse remittere peccata. Quartò, sapientia, quâ non voce, sed corde atque intimis desiderijs & suspirijs Deo longè gratioribus veniam petebat. Quintò ac vltimò, magnitudo pœnitentiæ, quâ nobilis quasi impudens publico conuiuio irruit, se humi abiecit, in lacrymas prorumpit, & ad oscula pedum Christi, capillitium crispatum soluit, sordes inde tersit, & vnxit, ac totam deinde vitam pœnitentiæ consecrauit. Vide hac de re plura apud S. Chrysostomum Homil. 6. in Matthæum, & S. Gregorium Hom 34. in Euangelia.*

Nota

Nota autem, Christum hîc eleganter ac paradigmaticè subiungere parabolam de duobus debitoribus qui debebant fœneratori, per quos duos debitores gratiosè simul ac tacitè notat Simonem & Magdalenam. Nam statim tribus antithesibus hanc cum illo comparat, præfert, & absoluit. Magdalena igitur plus dilexit, quia plus se debere putauit, vt remissionem acciperet, Simon minùs dilexit, quia minùs suum debitum æstimabat, vnde etiam minus remissum.

Sed hîc quæritur, quomodo consentiat parabola cum re cui applicatur. Nam ex parabolâ in re ipsâ sic inferendum fuisset: Deinceps hæc mulier me plus diliget quàm tu Simon, quia plura ei remisi. Christus autem contrarium infert. Inuertit enim ordinem parabolæ, dicens: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Respondent hîc Nouantes, τὸ* quoniam *non significare causam rei, id est, remissionis, sed tantùm probationis. quasi dicat: Inde aduertes ei remissa esse peccata, quia hæc signa dilectionis, quasi grata ob remissionem peccatorum iam acceptam ostendit. Sed hoc est torquere Scripturam. Nam τὸ* quoniam *&* propter quod *clarè referuntur ad dilectionem, & ad lacrymas & vnctionem quæ præcesserunt, indicantque illa causam esse remissionis peccatorum. Alioquin enim τὸ* quoniam *non causam sed effectum significabit. Dico ergo, τὸ* quoniam *significare causam rei, siue remissionis peccatorum. Hoc enim clarè verba sonant, exigitque connexio Versus 57. cum tribus præcedentibus. Vnde rectè hinc Theologi cum S. Augustino Homiliâ 23. inter Quinquaginta, referunt actum contritionis, qui includit dilectionem Dei super omnia, remissionem peccatorum & iustificationem naturâ præcedere, sed ita vt eodem instanti temporis eamdem quasi vltima dispositio adducat. Quando ergo dicitur,* Quis eum plus diligit? *id est, quis eum plus diligere indicabitur? quasi dicat: Sicuti is, qui cùm plura deberet, plurium accepit remissionem, indicabitur hanc maiorem remissionem accepisse ex eo quòd plus creditorem dilexerit, plura ei signa beneuolentiæ & obsequia exhibuerit; ita etiam plura dimisi peccata ei, ob maiorem scilicet dilectionem, quàm tibi. Vnde congruè ad parabolam infero ac dico,* Remittuntur ei peccata, *&c. & consequenter iam non est ampliùs peccatrix, nec indigna meo contactu, vt tu æstimas.*

Vel secundò, si manis, diligit, *aut vt Græcè est,* ἀγαπήσει, *id est* diliget, *quasi dicat: Quis deinceps plus eum diliget? Dico tunc esse argumentum inuersum ab effectu ad causam necessariò connexam. q. d. Sicut ille debitor dilexit multùm creditorem, quia multùm ei remiserat; ita huic mulieri è contrario multa remitto, quia multùm me dilexit. Remissio enim debiti & amor creditoris connexa sunt: & sicut remissio parit amorem, ita amor parit remissionem. Prouocat enim amor debitoris amorem creditoris, & contrà, & vtrumque est cernere in Magdalenâ, quæ cùm fuerit perfectum exemplar pœnitentiæ, perfectam habuit contritionem, vt ex eius actibus colligitur. Itaque antequam Christus diceret* Remittuntur, *&c. iam vi contritionis erant ei peccata remissa. Dicit tamen Christus τὸ* remittuntur, *&c. eo sensu quo Sacerdos in confessione etiam verè contritis remittit peccata, quia scilicet quantum est ex parte suâ remittit. Potest enim idem peccatum sæpiùs remitti, si pœnitens in confessione sæpiùs eius remissionem petat. Vnde Christus ei tertiò remittit peccato. Quare etiam tota pœna restans ei videtur à Christo remissa.*

Hoc autem, Cui minùs dimittitur, minùs diligit, *intelligi debet secundum rationem & ordinem remissionis à Deo institutum, qui est, vt quandocumque vnum peccatum etiam per minimam contritionẽ dimittitur, dimittantur etiam omnia alia quo ad culpam, sed secundùm gradus dilectionis plus pœna minúsve, magis vel minùs diligenti dimittatur. Secundò etiam dici potest, quòd insinuet, quòd is qui nullo modo, vel tantum amore naturali diligit Deum, minùs diligat Deum, quàm qui ex charitate verâ ac supernaturali, ac proinde huic multa, id est omnia, illi verò minùs, id est nihil dimitti.*

S. LVCÆ CAPVT VIII.

1. Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & castella, prædicans, & euangelizans regnum Dei: & duodecim cum illo.

2. Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocatur Magdalene, de quâ septem dæmonia exierant.

3. Et Ioanna vxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis.

1. Deserit locum, ac loca subinde commutat. Quâ de causâ? Non solum vt plures aduentu suo lucretur, verùm etiá vt plura loca sanctificet. Modò siquidem in monte docet, modò verò in planis locis disserit, modò in nauiculam transit, modò tempestatem increpat. Quin hac etiam fortassis ratione somnum capit, vt somnum benedicat; fortassis etiam fatigatur, vt fatigationem sanctificet; fortassis etiam plorat, vt lacrymas laudabiles reddat. Ex locis in loca transit, qui nullo loci spatio continetur. Ac nunc quidem in Galilæam se confert, vt populus qui sedebat in tenebris, lucem magnam videat. In Iudæam migrat, quò illud nobis persuadeat, vt à littera exurgamus, ac Spiritum sequamur. Nec in populosis dumtaxat ciuitatibus lubens versabatur, verùm paruos quoque vicos circũ ambulat, atque omnibus omnia fit, vt omnes lucrifaciat, prædicatque cælestia, vt ad illa auditores deduceret.

Nazianzenus Orat. 31.

Cur Christus locum sæpè mutabat.

Christi somnus, labores, lacrymæ.

2. Hoc autem regnum Dei aliquibus quidem videtur sublimius & excelsius esse regno cælorum; quibusdam verò vnum & idem secundùm essentiam esse regnum Dei, & regnum cælorum, sed diuersimodè nominari: aliquando quidem à regnante Deo nominatum, aliquando verò à subditis Angelis & Sanctis (qui videlicet cæli dicuntur) appellatum.

Isidorus l. 3. ep. 16.

Quid cælorum, quid Dei regnum.

Vers.

VERS. 4. Cùm autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum: dixit per similitudinem.

CYRILLVS 3. Hic enim manifestè prædicat mysterium Vnigeniti in carne. Beatos namque dicit esse eos, qui isto tempore inhabitabant Sion, rationalem nempe, quæ est Ecclesia Dei viui. Habuimus autem & nos domesticos secundùm spiritum, sanctos sacrorum Antistites. Iustus quoque & irreprehensibilis est omnis iustitiæ remunerator. *Potestas iudiciaria Apostolorum.* Imperarunt autem cum iudicio siue auctoritate iudiciariâ principes illi sancti discipuli, quique post illos Ecclesiarum rectores extiterunt, *Psal. 44, 17.* de quibus sic canit Dauid: Constitues eos Principes super omnem terram. Erit autem, inquit, Rex iustus. Homo quidem ac frater noster, secundùm omnia illa quæ in terra habuit; in veritare verò Deus. *Ioan. 1, 14.* Nam Verbum caro factum est, secundùm Scripturam. Abscondet autem sermones suos: plurima siquidē Christus in parabolis *Christus in parabolis loquitur.* locutus est. Etenim abscondetur tamquam absorptus ab aquâ currēte, hoc est, capi non poterit insidijs insidiantium: sæpenumerò enim Iudæi insidiati sunt illi; ipse autem, vti *Luc 4, 30.* Euangelista dicit, per medium illorum ibat. Et sic aderat, scilicet curam gerens.

GEOMETRA in Prouerbia. 4. Iesus turbis quodammodò in parabolis loquitur, nec sine parabolis quidquam illis dicit. Quod etiamnum facit. *Quibus Christus in parabolis loquatur.* Nam turbæ non capiunt parabolarū interpretationem. Attende autem & hoc: Dimissis turbis, venit *Matth. 13, 36.* in domum suam, quod scitè additur. Nam turbæ huc cum illo intrare non poterant, sed illi tantùm qui à turbis differebant, qui erant discipuli eius, qui etiam confidentiam *Discipulis explicatur sensus parabolarum.* habebant intrandi in domum Iesu; ibi, non tamquam qui non sint foris, sed qui foris existendo intelligant, accedentes ad præceptorem, digni habentur qui internum parabolarum sensum perdiscant. Et quoniam capaces erant ad sequendum ipsum dum ingreditur in domum suam, idcircò rogatus, ad illud Edissere nobis parabolam, dixit ea quæ dixit. Non solùm autem egreditur domum suam Iesus, vt externis extraneus *Cur iuxta mare Iesus concionatur.* factus edisserat parabolam, verùm etiam iuxta mare considet, innuens quòd turbæ, & externi homines, à maris fluctibus & aquâ salsa non procul distent. Obserua autem, quòd ad Iesum domo egredientem, & iuxta mare sedentem, multæ turbæ confluxerint. Nequaquam autem multi, sed pauci discipuli *Pauci sequuntur Christum in domum suam.* qui arctam asperamque viam ambulant, & reperiunt semitam quæ ducit ad vitam, ad ipsum in domum eius intrant. Inquire igitur pro virili rationē conuenientem huic Euangelico dicto, ac sententiæ Iesu in nauem ingredientis, atque vniuersæ turbæ iuxta littus loquentis; in parabolis dico, quando verbum turbis non firmatum, neque stans, sed in aquâ maris existens loquitur, vectus eo quod in aquâ firmari poterat, & nauigium appellatur. Ne mireris autem quòd tales sententias sublimiùs elicuerimus, cùm externi ac turbæ non arbitrentur occultum quemdam plenumque spiritalis doctrinæ sensum contineri sub hac Euangelicâ explicatione. Etenim hoc erat gratiæ, Dei verbum opere ipso dispensantis. Ego autem etiam illud, Accedentes discipuli dixerunt ei, Quare in para- *Matth. 13, 10.* bolis loqueris eis? & illud, Dimissis turbis *Ibid. v. 36.* venit in domum suam, & accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes, Edissere nobis parabolam, profundiùs intelligere conabor. Turbæ siquidem, tametsi continuò audiebant parabolas, non eas tamen intelligebāt, quòd indigerent explicatione: discipuli verò videntes eum turbis, eò quòd foris essent, in parabolis loqui, dimissis turbis, Iesum sequuntur; scientesque se alibi parabolarum sensum perdiscere non posse, nisi in domum Iesu ingrederentur, ad illum etiam ingrediuntur. Et accedentes dicunt ipsi, Edissere nobis parabolam, qua nempe discere cupiebant. Atque huiuscemodi quidē est parabola. Quod autē sequitur est obscurus sermo.

5. Post hæc videndum, quænam sint dicta *DIDYMVS* sapientum, deinde quæ sint ænigmata, qualium sapientum dicta intelligat sapiens, atque eadem audiendo semetipso sapientior euadat. An fortè eorum tantùm qui secundum Deum & veritatem sapiunt? an verò non horum solùm, sed etiam eorum quos Deus capiet in astutiâ suâ? nam & hos sermo sapientes nominauit. Etenim cur dictus sapiens intelligat quidem sanctorum sapientum dicta, aliorum verò sapientum sermones non sufficiat intelligere? An intellectus eius erit imbecillior intellectu sapientum *Quæ sint sapientum dicta.* huius mundi, vt illorum dicta assequi non valeat? Et vide an non, instar oculi, eius sit tam obuias quàm non obuias cogitationes considerare, ne quo modo mendaciorum verisimilitudine decipiatur, sed decipientes liberet, cùm considerauerit aliorumque quoque sapientum dicta, si quando struant sophismata, & quo modo falsis illudant rationibus, & quâ ratione sophisma soluatur, ac deceptio elidatur. Sic enim etiam per suos Sapientes perdet Deus eam quæ ob fallaciam perdi meretur sapientiam sapientum, & reprobabit inanem scientiam eorum, qui non secundùm ipsum scientes sunt. Noli autem mirari, si modò non reperiatur verè *Pauci veri sapientes.* sapiens secundùm Deum, vel saltem valdè

sit rarus. Electa siquidem charismata plurimùm defecerunt, vt nulla planè vel rara admodum inueniantur. In libro autem Prouerbiorum tenebrosum sermonem, qualis est iste in Isaiâ, Væ terræ nauium alis, trans flumina Æthiopiæ: qui mittit in mari obsides, & epistolas biblinas super aquâ. Quodlibet autem horum explicare atque interpretando sermonis huius obscuritatem illustrare, non est præsentis temporis. Illud autem quod in Psalmis dicitur, [Quoniam] tacui, inueterauerunt ossa mea, sic aliquo modo possit explicari: Quandoquidem exclamaui, hymnos Deo totâ die concinens, nihil in me inueteratum est, quin potiùs renouatus sum. Vbi verò à diuinis sermonibus abstinui, præ torpore silens, veternus vsque ad intima ossa mea, quæ in me solidissima sunt atque firmissima, penetrauit. Hinc consecutum est, vt die ac nocte grauata fuerit super me manus tua. Et iustè quidem hæc passum configes me spinâ, quoniã succubui curis diuitiarum, ac voluptatum huius vitæ. Ænigma autem, vt opinor, est expositio rerum quasi gestarum, quæ factæ non sunt, neque fieri potuerunt, arcanum aliquod obscurè significantium, quale est illud quod exempli causâ adfertur in libris Iudicum: Euntia iuerunt ligna ad vngendum super se Regem. Quænam enim fuerint tria ligna fructifera, nempe ficus, vitis & olea, quæ detrectarunt regnare super ligna suo regimine indigna, & quis sit spinosus rhamnus, atque ignis ex illo egrediens ad deuorandas cedros Libani; hæc, inquam, intelligere sapientis est, & referre liceat ad Patrem, & Christum & Spiritum sanctũ. Quæ verò de rhamno, *&c.*

Isa.18,1.

Psal.31,3.

Ibid.v.4.

Quid sit ænigma.

Iud. 9,8.

6. Est autem etiam in libris Regum ænigma simile, vbi carduus qui in Libano, misit ad cedrum quæ in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo in vxorem. Ad hæc verò sciendum est, quòd parabola nostris oculis corporeis rerum sensibilium species quasdã simplici ratione subijciat, quò mentis obtutibus rerum spiritalium subtilitatem perfectiùs repræsentet. Quare qualem nobis hic sermo Saluatoris sensum aut intellectum insinuet, videamus.

4 Reg 14, 9.

ANNOTATIONES.

NVM. 1. DESERIT locum, ac loca commutat.] *Gracè,* Λείπει τόπον, ἐκ τόπων ἀμείβει. *In Nazianzeno Orat. 31. fol 496. duo priora verba non habentur, sed in hunc modum Orationem incipit:* Ο τοὺς ἁλιεῖς προσκαλούμενος Ἰησοῦς, καὶ αὐτὸς συγκρύνει, καὶ τόπους ἐκ τόπων ἀμείβει. τίνος ἕνεκεν; οὐ μόνον ἵνα κερδάνῃ πλείονας τῶν φιλοθέων, &c. Iesus, qui priùs piscatores elegerat, ipse quoque piscatur, ac loca subinde commutat: idque non eâ tantùm causâ, vt maiorem piorum hominum multitudinem elucretur, *&c. Sequitur autem in textu v. 7. quòd cum duodecim Apostolis secuta sint ipsum* καὶ γυναῖκές τινες αἳ ἦσαν τεθεραπευμέναι ἀπὸ πνευμάτων πονηρῶν καὶ ἀσθενειῶν. Μαρία ἡ καλουμένη Μαγδαληνή, ἀφ' ἧς δαιμόνια ἑπτὰ ἐξεληλύθει. Et mulieres aliquæ quæ erant curatæ à spiritibus malignis & infirmitatibus. Maria quæ vocatur Magdalene, de quâ septem dæmonia exierant. *Vbi quæri posset, quænam hæc fuerint dæmonia. Respondet S. Gregorius Hom. 33. in Euangelia, septem fuisse vitia capitalia. Verùm meliùs S. Ambrosius lib. de Salome cap. 5. & Euthymius hic respondent, fuisse propriè septem dæmones. Hi enim propriè dicuntur exire, & vt habet S. Marcus cap. 16. eijci, maximè quia hic præcessit de spiritibus malignis à Christo eiectis. Hinc videtur ergo Magdalena ob peccata sua à septem dæmonibus fuisse possessa, sed posteà à Christo liberata de peccatis pœnituisse, & veniâ impetratâ indiuulsè Christo adhæsisse. Ita Roffensis Martyr libro de Vnicâ Magdalenâ.*

NVM. 2. *Hæc epistola nonnihil succinctiùs legitur apud S. Isidorum lib. 3. ep. 206. In re autem nulla diuersitas, nisi quòd hic quædam verba repetita quædam addita sint, quæ quadratis inclusi.*

NVM. 4. Atque huiuscemodi quidem est parabola. Quod autem sequitur est obscurus sermo.] *Chrysostomus autem in Catenâ in Ieremiam vnde obscuritas sermonis oriatur, explicat, dicens:* Καθόλου τὸ ἀσάφεια γίνεται ἢ διὰ τὴν φύσιν τῶν ὑποκειμένων, ξένων ὄντων πρὸς ἀκοήν, ἢ παρὰ τοὺς ἀκούοντας ἢ ἀσυνέτως διακειμένους. Vniuersim enim obscuritas nascitur, vel propter eorum quæ scriptionis materia sunt naturam, dum noua & peregrina auribus accidunt, vel propter auditores, si recto sensu præditi non sint.

NVM. 5. In libro autem Prouerbiorum tenebrosum sermonem.] *Theodotion & Symmachus* problema *reddiderunt. Sermonem autem obscurum dicit idem hic Didymus in Catenâ in Prouerbia, aliud nihil esse quàm sermonem, qui & secundùm litteræ contextum, & secundùm intellectum, & secundùm phrasim quoque confusus est, vt in loco Isaiæ 18. hîc in textu allato,* οὐαὶ γῆς πλοίων πτέρυγες *(erat in textu m.s. loco* πτέρυγες, πτερύγων*) Symmachus legit,* ἦχος πτερωτός, sonitus âlatus. *Addit S. Hieronymus, Theodotionem dixisse* aues, *Aquilam* bis vmbram, *se autem* cymbalum. *In Commentario autem c. 19. dixit,* Væ terræ obumbranti alis. *sed lib. 7.* terræ nauium alarum. *Pro* ὅμηρα *verò legit Symmachus* πρεσβύτας, legatos.

IBIDEM. Ὅτι ἐσίγησα. Quoniam tacui.] *Theodotio,* ὅτι ἐκοπίασα, quoniam laboraui *Aquila,* ὅτι ἐκώφευσα, κατετρίβη τὰ ὀστᾶ μου ἐν βρυχήματί μου. Quoniam obmutui, attrita sunt ossa mea in rugitu meo.

VERS. 5. Exijt qui seminat seminare semen suum.

7. VALDE conueniẽter ac congruè Christus turbis & multitudini primam proposuit parabolam, non solùm eorum qui tunc aderant, verùm etiam illorum qui post venturi erant, in audiendi Dei verbo differentias diuinâ suâ præcognitione manifestans, causasque prædicens, cur aliqui diuinâ gratiâ excidunt. Primum autem quod in parabolâ hac occurrit, est seminans, & egressio ad eos qui foris sunt; deinde verò seminum casus, & eorumdem à diuersis agris diuersimoda acceptio. Hæc autem in se mysteria

EVTHYMIVS.

Parabola de satore.

ſteria regni continere teſtatur ipſe. Supernè ſiquidem venit ſeminans atque deſcendit, vti ipſemet docuit, dicens: Ego exiui à Patre, & venio. Exiuit autem de proprijs regni ſui cellis, ad nos, qui extranei facti ſumus ex quo Deus Adamum eiecit, & ablegauit ad lucum illum qui erat è regione paradiſi voluptatis. Cùm enim propter inobedientiam eiectus & iam paradiſi exul, quæ anteà in eo exiſtens, ſemina agriculturæ habuerat perdidit, non ſecùs ac filius ille refractarius qui à patre diſceſſit, & ſubſtantiam ſuam, quam acceperat, in alienâ regione dilapidauit. Verùm is qui optimi Patris benignitate exijt, ille eſt qui ſeminat, & exiuit ad nos iam extraneos factos, nec aliâ certè de causâ, quàm vt in nobis cæleſte ſemen ſeminaret. Solus autem exijt ad ſeminandum, eò quòd & ipſe ſolus omnium ſeminator eſſet. Multi ſiquidem exiuerant à cæleſti commoratione, & ad homines deſcenderant, non tamen vt ſeminarent; neque enim ſatores erant, ſed adminiſtratorij ſpiritus in miniſteriū miſſi. Moyſes etiam & Prophetæ qui poſt eum extiterunt, non inſeruerunt hominibus myſteria regni cælorum, ſed retrahendo inſipientes ab errore nequitiæ, & veluti infantes docendo, conabantur verbum idololatriæ curare, atque colebant quodammodò animas hominum, & in noualia redigebant. Solus autem omnium ſator Verbum Dei benignitate Patris exiuit euangelizatum noua ſemina, ſiue myſteria regni cælorum iſtis qui in cælo ſunt Dei miniſtris genus hominum adſciſcens. Ad hos igitur ſolos è paternis regnis egreſſus fuit. Eius igitur ſemen qui ſuſcipiunt, illi animas ſuas, cultorum, inſtar agrorum, ſermoni diuino exhibent, & per auditum cæleſte ſemen excipiunt.

Ioā.16,28 Homo exul paradiſi.

Solus Christus exiuit è cælo ad ſeminandū.

VERS. 5. Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres cæli comederunt illud.

6. Et aliud cecidit ſupra petram: & natum aruit, quia non habebat humorem.

7. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.

8. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

9. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc parabola.

10. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: " vt videntes non videant, & audientes non intelligant.

Iſa.6,9. Matth.13, 14. Marc.4,12 Ioā.12,40 Act.28,26. Rom.11,8

8. DIFFERT vtique perceptio quæ auribus hauritur, ab ipsâ auditione: quia auditio quidem intelligentiæ eſt, vti indicat Dominus, dum exſtimulat auditorem, vt intelligenter excipiat dictorum ſententiam. Qui habet, inquit, aures audiendi, audiat. Auribus verò aliquid percipere, eſt merum ſonum auribus indi. Eoque populus in Exodo ait: Omnia quæcumque dixerit Deus, faciemus & audiemus. tametſi conſentaneum magis fuerat, vt dicerent: Audiemus & faciemus. Atqui facere quidem eius eſt qui vel craſſiſſima ſit mente præditus, ceu ſunt, ſabbatum obſeruare corporaliter, à cibis vetitis abſtinere, die octauo circumcidi, & ter in anno in templo comparere. Horum autem rationibus dignoſcendis [ſpiritaliter] incumbere, viri eſt iam perfecti, atque in rerum intelligentiâ plurimum verſati.

BASILIVS in Iſaiam. Audire pertinet ad intellectū. Matth.11, 15. Exod.24,1.

9. Quòd ſi omnes qui inſtituuntur eiuſdem propoſiti ac voluntatis eſſent, non oportuiſſet eos diſcernere, aut ab inuicem diſtinguere. Verùm cùm omnes homines liberi arbitrij poteſtatem habeant, alij autem aliter atque aliter cùm ſe ipſis tum etiam cæleſti ſemento in animas immiſſo vtantur; veroſimiliter Dei Verbum, cognitione futura percipiens, talia de illis prædicit, qualia ſeminario ab ipſo facta inſinuat. Cæleſtium autem ſeminum in homines immiſſionem, caſum mirabiliter nominauit. Docetque duos eſſe gradus eorum qui ſemina recipiunt; primum quidē illorum qui digni facti ſunt vocatione cæleſti, ſed excidunt gratiâ propter negligentiam & torporem; ſecundum verò multiplicantium ſemen in bonis fructibus. Ponit autem tres differentias in quolibet gradu: nam qui corrumpunt ſemen, non ſimilem habent perditionis modum; & qui illud excolunt, & ab eo fructificant, non æqualem recipiunt copiam. Cauſæ inſuper cur ſemen pereat, diuinæ adiacent præcognitioni. Vel enim ob negligentiam ſocordiamque, quâ debitâ ſuas animas cuſtodiâ deſtitutas relinquunt, commiſſa ſibi ſalutis ſemina perdunt, illis nimirum ex memoriâ menteque euulſis ab inimicis, aut inſidiantibus, aut immundis ſpiritibus, prauiſque dæmonijs, quæ vicinum huic terræ aërem continuò peruolitant; vel ab hominibus ſubdolis ac ſeductoribus, verbiſve mendacibus, quæ cæli volucres appellat. Vel ſecundò per auaritiam, amoremque voluptatum, ac temporales curas, quas ſpinas vocat, ſemenque penitus ſuffocant. Vel tertium genus eorum eſt qui perſecutionum afflicta-

EVSEBIVS

Duo gradus ſuſcipientium Dei ſemin.

Cauſa cur ſemen pereat.

tionumque certamina minimè sustinent, & æstui in supradictâ parabolâ comparantur, reprehensi sunt quòd semen in illis non egerit profundas radices, sed superficie tenus & ad paruum tempus florere sit visum, & ipsi quoque plurimorum iudicio pro viris probis habiti fuerint; hos etiam vbi aliquamdiu latuerant, instans tempus messis reprobauit, quod quidem æstum prudenter admodum Saluator appellauit. Atque hæ quidem tres sunt quæ inter illos intercedunt differentiæ, ac reprobationis causæ, propter quas à regno Dei eiusque beatitudine excidere contingit eos qui diuinum semen perdiderunt. Aut enim per inutilem & superuacaneam, vt diximus, rerum temporalium curam, sub diuitijs voluptatibusque semen acceptum defodientes, comparantur seminibus à spinis suffocatis: aut etiam non profundâ illud mente suâ cõcipientes, ingruente afflictione citissimè extinguuntur: aut iuxta tertiam denique causam auctores perditionis sui seminis constituuntur, qui eo per auditionem suscepto, calcare volentibus, & ex animâ illud extirpare conantibus, imprudenter exponunt.

CHRYSOSTOMVS in Ioanne. *Terra præparanda ad sationem.* 10. Nemo via sit, nemo petra, nemo spinis obsitus. Faciamus nobis noualia. Sic enim & nos cum confidentiâ sementum mittemus, si viderimus in terram illud mundam, non lapidosam, non asperam cadere. Extremæ siquidem insaniæ est, semina in inutilem terram proijcere. Concedite nobis vt in terram bonam seminemus. Si quis spinas habeat, spiritali illas igne comburat. Si quis duro sit ac refractario corde, molle illud tractabileque efficiat, eodem denuò vtens igne. Si quis iuxta viam ab ingruentibus cuiis conculcetur, ad interna ingrediatur, ne insidiantibus præda fiat, vt turgescere & excrescere segetem nostram videamus.

NICETAS. *Quando corrumpant semen.* 11. Caue verò ne vnquam à volucribus cæli, à spiritibus inquam aërijs, diuinum semen auferatur, scilicet lucerna cordis tui exstinguatur; aut æstu solis, scilicet vrentibus passionibus, aut tentationibus occultis, vitalis humor exarescat; aut numquam quasi rhamnis quibusdam ac spinis, sic varijs curis ac corporis sollicitudinibus, diuinum illud timoris Domini, fideique semen suffocetur, & sterilitatem opprobriumque agricolæ adferat.

ISIDORVS l. 1. ep. 402. 12. Qui enim in medijs turbis versatur, ac cælestia nosse desiderat, illud ignorat, quòd quidquid in spinis seritur, ab ijsdem suffocetur.

EIVSDEM. 13. Cùm semen in terram incidit humore teporeque præditam moderato, vbi fuerit emollitum, meatibusque refertum, humum sibi propinquam complexum, inde quæ naturæ suæ accommodata sunt attrahit: tenuissimæ autem terræ particulæ in ipsos incidentes illabentesque meatus, molem ipsius efficiunt ampliorem, vt infernè quidem fibras agat atque radices, supernè verò emergat atque emicet, in culmos numero radicibus pares se attollens. Germen intereà dum continuò tep[illegible]it, ex humore quem per radices vi caloris ipsum è terrâ prolicientis exsugit, quantum moderatæ suæ alimoniæ satis sit, adsciscit sibi, quodque eius est reliquum, dispensat ac dispertitur in culmum, corticem, frumenti thecas, triticum, atque ipsas denique aristas, & ita sensim augescens ad suum quodque nascens peruenit statum. *Semen quomodo in terrâ ad fructum disponatur.*

NICETAS. *Auditum pertinet ad intellectũ.* 14. Accepimus auditum ad intellectum pertinere, hunc igitur ne obseramus. Tale enim quidpiam illi sæpenumerò accidit, quale in rebus visibilibus contingit. Nam vt apertis oculis non videmus, cùm animum non attendimus: sic vtique apertis auribus non audimus, quando cum attentione non auscultamus. Quapropter Saluator dicit, Qui habet aures audiendi, audiat.

ANNOTATIONES.

NVM 14. LOCVS *hic similis illi D. Basilij Numero 8. citatis, ad quem etiam spectat, vna cum Versiculo 8. qui hic explicatur. Illud autem,* Qui habet aures audiendi, audiat, *Hebraismus est. Nam cum Hebræi compositis careant, simplicia pro compositis vsurpant, vt hic audire pro obaudire vel obedire. q. d. qui habet aures, & mentem docilem ac obedientem. Solet autem Christus in re graui hac loquendi formulâ attentionem auditorum excitare, vti etiam facit Matthæi 13.*

Subiungit autem v. 10. Ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν, vt videntes non videant, & audientes non intelligant, *alludens ad Isaiæ cap. 6. v. 9.* Audite audientes, nolite intelligere. *id est, non intelligetis, neque voletis intelligere, vt explicat S. Paulus Actorum vltimo v. 26. Sensus enim non est, quòd Deus præcauere velit ne populus videat aut conuertatur, sed consequenter tantùm indicat fore, scilicet propter peccata populi, vt nec intelligat, nec sanari possit. Homines enim seipsos propriè obcæcant & obdurant, dum prauis affectibus adhærentes lumen diuinum nolunt recipere. Sic Iudæi, vt hoc loco indicatur, videntes Christi miracula auerterũt aures & oculos ab ijs agnoscendis. Deus autem tantùm excæcat & obdurat indirectè, scilicet gratiam suam subtrahendo in pœnam præteritis peccati, per quam intellectus illuminari & voluntas flecti debuerat; sicut sol recessu suo dicitur terram obtenebrare, non tenebras diffundendo, sed lumen auocando. Τὸ ἵνα itaque &* vt *hoc locò non causam, sed consecutionem & effectum significat, sicut etiam Marci 4. v. 12. & alijs locis accipiendum est.*

Hinc autem colligitur, Christum huic turbæ, maximè Pharisæorum & eis adhærentium, in parabolis locutum fuisse, non quia absolutè erant reprobi, vt vult Caluinus; sed quia indigni, eò quòd magis curiositatis & calumniandi quàm credendi causâ Christum accederent,

derent, quem clarissimè ac simpliciter hactenus concionantem audiuerant, vt patet ex Matthæi c. 12. v. 2. & 10. Non dubium tamen est, quin inter illos plurimi erant boni ac sinceri desiderij, quia tamen alijs erant permixti, hinc cum ijs non nisi parabolas audire illis datum est, vt scilicet in Christum saltem admirationem & reuerentiam conciperent, ac deinde secretò ipsum aut Apostolos accedentes parabolarum interpretationem acciperent. Imò vt inquit Chrysostomus in Matthæi cap. 13. omnibus etiam obstinatis Pharisæis ita loquebatur, vt ea scrutandi, intelligendi ac credendi desiderium in eis sincerum acueret, vt cæcitatem temporaneam passi, auidiùs verum lumen Christum requirerent. Quòd autem ista fuerit Christi intentio, patet ex eo quod subiungit v. 16. Οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας, καλύπτει αὐτὸν σκεύει. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, *significans vtique nolle se mysteria huius parabolæ, & similia abscondere. Imò velle vt discipuli illa, quorum auditores nondum capaces erant, suo tempore ijs explicarent, atque communicarent.*

CHRYSOSTOMVS in Hexaëmeron. 15. Christus autem innuens eos qui ad bteue tempus veritati attendunt, sed postmodum illam desetunt, comparauit illos seminibus in tettæ tantùm superficie leuitet tadicatis, quæ etiam citò corrumpi dixit. Qui autem viæ adiacent, hi sunt qui durum & inflexibile cot habent. Qui verò in spinis, hi sunt qui à delicijs ac curis suffocantur. Duo quippe vitia sibi inuicem aduersantia diuitiæ continent: *Diuitiæ sunt spinæ.* alterum quidem, quòd sollicitudinē accendant, & curis obfuscent, altetum verò, quòd possessotes delicijs molliores teddant. Illis enim senectutem citiùs adducunt, sensus obtundunt, obnubilant intellectum, mentem perspicacem excæcant, flaccidum cotpus teddunt, & lautam stetcotis officinam efficiunt, ita vt maximum malotum acetuum congetant, vnde continuæ conuulsiones, ac ctebra existant naufragia. Nihil enim adeò corpori inimicum & noxium est, vt deliciæ; nec quidquam illud adeò dissoluit, emollit & corrumpit, vt luxus. Ventet enim non ad tecipiendum dumtaxat cibum, sed illum moderatè sumendum factus est, *Crapula quantum sit malum.* quod vtique nimiâ cibi repletione grauatus, manifestè declatat, non teclamando tantùm, sed vindictam à nobis & extrema supplicia expetendo. Ac pedes quidem inprimis punit, quibus ad compotationes incontinentes deducimur; deinde manus quæ illi ministrant, ligat, pro eo quòd tot ac tales epulas adduxerint. Plerosque autem oris oculorumque distortione, ac capitis dolore discruciat. Et quemadmodum seruus dum illi, cui ferendo non est, onus imponitur, domino suo frequenter reluctatur impudentiùs, sic [plenior etiam, quàm par sit, venter] præter cetera membra, cerebrum plerumque vi inuadit, corrumpit ac vitiat. Hoc autem iustâ Dei dispensatione sic accidit, vt ex intempetantiâ tantum mali existetet, vt cùm sponte non philosophetis ac modetate viuas, vel inuitus tanti periculi atque incommodi metu tempetantiùs agere discas. Considera autem, Dominum pro humanitate suâ non vnam tantùm salutis viam constituisse, nec dixisse, Nisi centesimum fructum facias, excidisti; sed sexagesimum quoque ac trigesimum qui attuletit, saluum fore. *Deus fructum etiam paruum non temnit.* Quinam autem isti sint, dictum est in Matthæo. Hoc autem fecit, vt facilem nobis salutem tedderet. Si igitur vitginitatem inuiolatam custodire nescias, elige nuptias moderatas. Si non possis deserete possessiones, largire ex ijs quæ habes. Si nequeas tantum onus ferre, diuide cum Christo res tuas. Si non velis ipsi omnia dedicare, saltem mediam aut tertiam offer partem. Verùm parabolæ huius intetpretationem audiamus. Discipulis enim interrogantibus dixit:

VERS. 11. Est autem hæc patabola: semen est vetbum Dei.

12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne ctedentes salui fiant.

13. Nam qui supta pettam: qui cùm audietint cum gaudio suscipiunt vetbum: & hi tadices non habent: qui ad tempus ctedunt, & in tempote tentationis tecedunt.

14. Quod autem in spinas cecidit: hi sunt, qui audietunt, & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantut, & non tefetunt ftuctum.

15. Quod autem in bonam tettam: hi sunt qui cotde bono & optimo audientes vetbum tetinent, & ftuctum affetunt in patientiâ.

16. VERBO siquidem doctrinam suam in omnes disseminante, nonnulli quidem ptæpatant corda sua ad præceptiones eius suscipiendas, & hi sunt tamquam terra fertilis, suscipientes verbum, ac ptofundè illud radicantes, nec sub spinis illud suffocant, nec sine custodiâ telinquunt, ne captu facile sit diabolo; sed fructum ferunt trigesimum, & sexagesimum, atque centesimum. Sunt verò & alij qui omnino claudunt animam suam, ne suscipiant verbum, à quorum corde Verbum tollit malignus. BASILIVS in Isaiam. *Semen verbi custodiendum.*

17. Qui etiam aduersarius & diabolus vocatur, eò quòd Deum apud homines traducat, & nos apud Deum, ac denuò nos ipsos CHRYSOSTOMVS in Ep. ad Corinth.

 apud

Diabolus vnde sic dictus. apud inuicem. Quomodo hoc, vel quomodo illud? Aliquando siquidem Iobo apud
Iob 1,10. Deum dettaxit, dicens: Num gratis colit Iob Deum? nonnumquam verò Deo apud Iobum, dicens: Ignis descendit de cælo. & rutsum apud Adamum Deo, cùm dixit:
Gen. 3,5. Apetientur oculi vestri. & etiamnum multis hominibus imponit, dicens: Non est Deo cura de his quæ videntur, sed dæmonibus commisit. Apud multos quoque Iudæos Christum criminatus est, erronem illum atque impostotem nominans. Vetumtamen, vti sæpè diximus, qui pigri sunt ad audiendum, viæ compatantur, iofirmi verò petræ.

Idem in Hexaemeron. *Spinis qui comparantur.* 18. Spinis autem diuitiarum ac voluptatuoi amatotes. Sicut enim spinæ non permittunt oriri semen, sed densitate suâ suffocant immissum; sic sollicitudines vitæ præsentis semen spititale, postquam in animam immissum fuerit, fructificate non sinunt, sed suffocaotes illud instar spinarum, illud excrescere non permittunt. Et vt compendiosè dicam, illi quidem se geruot citca auditionem vetbi tamquam negligentes; hi verò tamquam imbelles ac molles. Alij denique vt illiberales voluptatis diuitiatumque serui ab honestate deficiunt.

ANNOTATIONES.

NVM. 17 LOCVM *hunc in Homiliâ 6. in Epistolam ad Corinthios, vti inscriptus erat, non repers, sed omnino similem, in Oratione 3. de Patientiâ Jobi vbi dicit,* Ὅτι διάβολος λέγεται, ἐπειδὴ καὶ Θεὸν πρὸς ἀνθρώπους διαβάλλει, *&c. Id est.* Diabolus dicitur eò quòd & Deom apud homines traducat, *&c.*

Isti parabola de seminibus omnino affinis est illa de Zizanijs; quare eam alteri immediatè subiungere libet.

SVPPLEMENTVM EX S. MATTHÆI CAP. XIII.

Mar. 4,26 VERS. 24. " Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.

25. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt.

26. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania.

27. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet zizania?

28. Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei, Vis, imus, & colligimus ea?

29. Et ait: Non, ne fortè colligẽtes zizania, eradicetis simul cũ eis & triticũ.

30. Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & tempore messis dicam messoribus. Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

FVSE *& pulchrè de parabolâ Zizaniorum vide Chrysologum Serm. 96. & 97.*

S. CHRYSOSTOMVS *in Catenâ aureâ,* In præcedeuti, *inquit,* parabolâ locutus est Dominus de his qui verbum Dei oon suscipiunt, hîc autẽ de his qui suscipiunt corruptiuum sermonem. Etenim hoc est diabolicæ machinatioois, veritati semper errorem iofette

S. AVGVSTINVS *Serm 39. de Sanctis*, Zizania, *inquit*, sunt peccatotes: inimicus, diabolos qui supetseminauit peccata. *Et l. Quæstionũ Euãgelicarum secundùm Matthæum, qu. 11. sic scribit:* Dicit autem, Cum dormirent homines; quia cùm negligentiùs agerent Præpositi Ecclesiæ, aut dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus, & superseminauit eos quos malos filios Dominus interpretatur. Sed rectè quæritur, vtrùm hæretici sint, aut malè viuentes Catholici. Possunt eoim dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem Euangelij semine, & Christi nomine procreati, prauis opinioóibus ad falsa dogmata cooueftuntur. Sed quòd dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari, qui vnius communionis sunt. *Per Zizania in medio tritici seminata quid intelligat Augustinus.* Verumtamen quoniam Dominus agruoi ipsum oon Ecclesiam, sed hunc muodum interpretatus est, benè iotelliguntur hæretici: quia noo societate vnius Ecclesiæ vel vnius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis: at illi qui in eadem fide mali sunt, palea potiùs quàm zizania deputantur; quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento radicemque communem. In illâ planè sagenâ, quâ concluduntur & mali & boni pisces, ooa absurdè mali Catholici iotelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat; aliud sagena, quæ vnius fidei vel vnius Ecclesiæ communionem videtur osteodere. Inter hæreticos & malos Catholicos hoc iutetest, quòd hæretici falsa credunt, illi autem vera credentes non viuoot ita vt credunt. Solet autem etiam quæri: schismatici quid ab hæreticis disteot. Et hoc inueniri, quòd schismaticos non fides diuetsa faciat, sed communioois disrupta societas. Sed vtrùm inter zizaoia oomerandi sint, dubitari potest, *&c.* *Hæretici à malis Catholicis qui differant: quomodo differant ab iisdem schismatici.*

IDEM *Sermone de Diuersis c. 3.* Hodie zizania alloquor. Sed ipsi sunt oues zizania. O Christiani mali, ô qui implendo premitis Ecclesiam malè viuendo: corrigite vos antequam messis adueniat. Non dicatis, Peccaui, & quid accidit mihi? Noo perdidit Deus potentiam, sed à te exigit pœnitentiam. Hoc dico malis, & tamen Christianis hoc dico zizanijs; io agro enim sunt: & fieri potest, vt qui hodie suot zizania, cras sint frumeotum, ideò & triticum alloquor, *&c.* *Mali Christiani etiam zizania.*

EPI-

Quo tempore zizania seminentur.

EPIPHANIVS *verò Hæresi 66. contra Manichæos ait:* Omnino non est diabolus causa & auctor seminatorum zizaniorum. Statim enim declarat dicens: Dum dormirent homines. & non dixit: Dum dormiret paterfamilias. Cùm enim nos obdormierimus à bonis operibus, cùm neglexerimus iustitiam, cùm mentem nostram non vigilantem habuerimus ad mandatum Dei, tunc seminamus peccata.

ORIGENES *similiter ad cap. 13. Matth.* Dormientibus, *inquit*, his qui non agunt iuxta Christi præceptum, dicentis: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem; diabolus obseruans superseminat quæ vocantur zizania, praua dogmata, *&c.*

BEDA *in eundem locum sic scribit:* Hæc quidem sententia cautos nos esse admonet, ne dum torpemus inertiâ, diabolus fœditatem vitiorum super semen bonæ voluntatis spargat.

Ex eo autē quod dicitur, Superseminauit zizania in medio tritici, *erudimur, dæmonem & hæreticum in disseminandis suis erroribus semper niti super aliquo vero, aut super aliquo loco Scripturæ, qui in speciem ipsis fauere videtur. Nam vt pulchrè ait* S. IRENÆVS,

Cur seminata zizania in medio tritici.

Vt facile est ex multitudine lapillorum pretiosorum, qui varijs coloribus constant, efficere imaginem Regis, aut aliter compositis & contextis efficere imaginem vulpis: ita hæreticus sententias Scripturæ sacræ, quæ imaginem veritatis reddunt, detortas & malè intellectas, ad repræsentandam effigiem falsitatis & erroris componere solet; ita vt videatur Scriptura asserere quod numquam asseruit. *Rectè proinde* PETRVS RAVENNAS *interpretatur illa verba*, Superseminauit zizania in medio tritici. Quia, *inquit*, diabolus hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes nequitiam, gratis serere consueuit, non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat; nec vt reos capiat, sed vt adimat innocentes.

Crescente fructu apparent zizania.

S. AVGVSTINVS *Expositione 2. in Psal. 29. quando Zizania appareant, docet, sic scribens:* Tormenta animi non sentit, qui non proficit; putat enim quia pax est: sed incipiat proficere, & tunc videbit in quâ pressurâ sit; quia cū creuisset herba, & fructū fecisset, tunc apparuerūt & zizania. Et qui apponit scientiam, apponit & dolorem. Proficiat, & videbit vbi sit; existat fructus, & apparebunt zizania.

IDEM *in Psal. 42.* Nostis, *inquit*, quia hoc genus hominum, hoc semen bonum, hoc frumentum Christi, inter zizania gemit; & hoc donec veniat tempus messis, & finis sæculi. Gemens ergo inter zizania, id est inter malos homines, inter dolosos & seductores, circumspiciens simul cum illis esse se tamquam in vno agro per totum mundum, vnam pluuiam excipere, pariter perflari, habere simul ista communia dona Dei, bonis malisque concessa

In hac mundi vita sunt mala bonis communia.

Matth. 5, 45. communiter ab illo qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Videns ergo semen Abrahæ, semen sanctum, quanta cum malis (à quibus quandoque separandum est) nunc habeat communia, æqualiter nasci, pariter mortalia ferre corpora, simul vti luce, fontibus, fructibus, prosperitatibus atque aduersitatibus sæculi, siue fame siue abundantiâ, siue pace siue bello, siue salute siue peste, videns quanta habeat communia cum malis, cum quibus tamen non habet causam communem, erupit in hanc vo-

Psal. 42, 1. cem: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sanctâ. Nunc interim in hac peregrinatione non discernis locum meum, quia simul cum zizanijs viuo vsque ad tempus messis. Nondum discernis pluuiam meam, nondum discernis lucem meam. Discerne causam meam. Distet inter eum qui in te credit, & eum qui in te non credit. Par infirmitas est, sed dispar conscientia; par labor, sed dispar desiderium. Ab homine iniquo & doloso erue me: quia vnus assumetur, & alter relinquetur.

Zizania vt non præiudicent tritico, etsi in eodem agro crescant.

Et libro contra Donatistas, Causa, *inquit*, & persona zizaniorum non præiudicat causæ & personæ tritici, quamuis in eodē agro eâdem pluuiâ simul vsque ad messem crescerent, quādo separari oporteret. Causa & persona paleæ non præiudicat frumento, quamuis in eadem areâ simul triturentur, donec nouissimâ ventilatione separentur: vt hœdi non præiudicant ouibus, quamuis communibus pascuis vtraque pecora permixta seruentur, donec à pastore summo in iudicio segregentur: vt causa & persona piscium malorum non præiudicat causæ piscium bonorum, quamuis intra eadem retia teneantur, in extremo littore separanda, hoc est in fine sæculi. Quibus parabolis in Ecclesiâ prænuntiatum est, vsque in finem sæculi bonos & malos simul habitaturos.

Boni vt malis & mali bonis prosint.

Sanctus quoque GREGORIVS *lib. 31. Moralium c. 9. sic ait:* Multos hypocritas sancta Ecclesia nunc tolerat, quos cùm tempus exigerit, tentatio aperta manifestat. Quia enim à bonis malisque hæc vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex vtrorumque numero visibiliter congregatur, sed Deo inuisibiliter iudicante discernitur, atque in exitu suo à reproborum societate separatur: modò verò esse in eâ, nec boni sine malis, nec mali sine bonis possunt. Hoc enim tempore coniuncta vtraque pars sibi necessariò congruit, vt & mali mutentur per exempla bonorum, & boni purgentur per tentamenta malorum.

Cur Deus malos non demetat.

S. ISIDORVS PELVSIOTA *lib. 1. Epist. 195.* Vis abeuntes colligamus zizania? aiunt Angelicæ virtutes, diuinæ voluntati beneuolo semper animo administram operam præbere cupientes; quoniam & segnitiem nostram, ac socordiam & ingentem Dei lenitatem conspiciunt. Verùm hoc facere prohibentur: ne vnà cum zizanijs euellatur & triticum, hoc est, ne rapiatur peccator ad vitæ emendationem spectans; ne vnà cum improbis parentum insontes liberi simul exscindantur, qui adhuc quidem sæpè in paternis lumbis sunt, verùm apud Deum, vtpote occulta cernentem, iam existunt.

Angeli ignorant futura.

Angelorum enim classes, vt conseruæ naturæ, & quæ nondum præsentia sunt, ignorant; Deus autem & intelligit, & persæpè istud fecit. Neque enim

Iob filius Esau.

Esau peccantem nondum editâ prole demessuit, ne vnà quoque Iobum euelleret, qui ex eo genus duxit. Nec item Matthæum portorijs exigendis operam dantem morte affecit, ne Euangelij prædicationem impediret. Nec libidini atque impudicitiæ studentes meretrices oppressit, ne pœnitentiæ exempla deessent. Nec Petri abiurationem vltus est, quoniam calentes ipsius lacrymas prospiciebat. Nec persequentem Paulum morte abscidit, ne orbis terrarum fines salute frustrarentur. Omnia ergo zizania, quæ messem exspectant, nec ad pœnitentiæ fructum sese conuertunt, magno igni præparantur, vt quæ sterilitate prorsus laborarint.

Ex ijs autem quæ sectis dicunt & faciunt, colligere

Seruorum Dei officiũ. *possumus seruorum Dei officium, qualitatem & dispositionem. Primò, vident zizania exorta: propterea enim adierunt Dominum, quia eis apparuerant. Sic & nos videamus in nobis & alijs, & quidem sat citò, defectus & peccata. Secundò, visis zizanijs Dominum statim gratiâ consilij accesserunt. Tertiò, iustissime mirantur. Quartò, dolent, tristantur, irascuntur & indignãtur. Illa enim* Nónne, *vnde cum admiratione tristitiam, iram & indignationem significant. Quintò, queruntur: accesserunt enim vt querelas suas deponerent. Sextò, scire desiderant vnde proueniant, credentes quòd non ex Deo. Diligenter inquiramus malorum causas, nec eas in Deum reijciamus. Septimò, sentiunt in se desiderium omnia mala tollendi. Octauò, dicentes,* Vis imus, *&c. petunt à Domino consilium, eiusque voluntatem quærunt, vt ei per omnia se conforment. Noster zelus & affectus dirigi debet secundùm Dei voluntatem, legem & doctrinam. Eam ergo quæramus per orationes, consulendo Scripturas, ordinationes, & Dei vicarios. Nonò denique hic etiam notanda est seruorum Dei prompta & perfecta obedientia, item magna & mirabilis potestas, cum facilitate coniuncta.*

Nimia diligentia sæpè noxia. S. AVGVSTINVS *Serm. 46. de Diuersis ad illud,* Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum; Quid, *inquit*, boni facitis? nónne messem meam vestrâ diligentiâ vastabitis? Nos homines sumus. Angeli messores sunt. Erimus quidem & nos, si cursum perfecerimus, æquales Angelis Dei: sed modò quando stomachabamur contra malos, adhuc homines sumus, & nos modò audire debemus, Quia qui se putat stare, caueat ne cadat. *1. Cor. 10, 12.* Putatis enim, fratres mei, quia ista zizania non ascendunt apsidas? Putatis quia deorsum sunt, & sursum non sunt? Vtinam hoc non simus! Mihi autem minimum est, vt à vobis iudicer. Dico sanè charitati vestræ, & in apsidis sunt frumenta, sunt zizania; & in populis sunt frumenta, sunt zizania. Boni tolerent malos: mali mutentur, & imitentur bonos. Omnes, si fieri potest, ad Deum pertineamus: omnes malitiam sæculi in illius misericordiâ euadamus.

BEDA *in cap. 13. Matthæi,* Hîc, *inquit*, nobis patientiæ exemplum præbetur, vt sicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit; sic in aliquâ nos læsione non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam recurramus. Hîc denique discretionis, & tolerandi malos habemus exemplum, ne si magis vlciscendo talionem malis reddamus, bonis præbeamus scandalum imitationis.

Quomodo vtrumque crescere permittendum. S. HIERONYMVS *quoque ad illud quod sequitur,* Sinite itaque crescere: Videtur illi præcepto esse contrarium, Auferte malum de medio vestrûm; & nequaquam societatem habendam cum his qui fratres nominantur, & sunt adulteri & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, & vsque ad messem tenenda est patientia, quomodo eijciendi sunt quidam de medio nostrûm? Inter triticum & zizania, quod nos appellamus lolium, quamdiu herba est, & nondum culmus peruenit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo aut nulla aut perdifficilis distantia. Præmonet ergo Dominus, ne vbi quod ambiguum est, citò sententiam proferamus; sed Deo iudici terminum reseruemus, vt cùm dies iudicij venerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de sanctorum cœtu eijciat.

AVCTOR IMPERFECTI *Hom. 13. in Matth.* Sicut vbicumque fuerit triticum, necesse est vt inueniantur illic & zizania: sic vbicumque fuerit bonum Dei, illic erit & scandalum inimici. *Triticum non est sine zizanijs.* Quid ergo? Ecce proposuisti facere eleëmosynam, sed adscendit super cor tuum velle hominibus apparere; numquid debes subtrahere manum tuam, vt ne des locum vanæ cogitationi, dicens apud te, Melius est non facere bonum, ne tantùm inueniar propter homines facere? Absit: sed perfice opus tuum, ne dum vis cogitationi vanæ resistere, perdas opus bonum. Veniat tibi in mentem, quod Dominus ait de tritico & zizanijs: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne eradicantes zizania simul eradicetis & triticum. *Triticum quid spiritualiter, & zizanium quid.* Triticum est enim voluntas bona, quam seminat Deus in homine; zizanium autem est cogitatio mala, quam diabolus seminauit super carnem. *Cur diabolus zizania in tritico seminet.* Cùm ergo omni voluntati bonæ adhæreat & desiderium malum, si volueris malam cogitationem tuam ad plenũ tollere, simul tollis & opus bonum. Nam & ipse diabolus eo consilio seminauit zizanium suum in tritico Dei, vt attrita zizania eius suffocent triticum Dei; aut si quis voluerit diaboli zizanium tollere, simul eradicet & triticum Dei. *A carne tentatum quando peccet.* Numquid & continens, aut virgo, mox vt concupierit, iam cecidit? Tantùm plenâ voluntate non concupiscat, vt velit implere concupiscentiam suam: si autem ex necessitate carnis concupiuit, & contradixit concupiscentiæ suæ, non peccauit: sed magis gloriosior est effectus, quia vicit, tamquam si non fuisset pulsatus. Quid ergo dicit Scriptura? Sine vt maturescant vtraque, id est, adimple opus tuum, & duc ad perfectum: & sic illa quidem vana cogitatio, quasi zizanium exsiccatur, id est soluitur, euacuatur & perit: bonum autem opus quasi triticum manet. *Sinere vtraque crescere, quid sit.* Nam sic intelliges, si ex voluntate tuâ fuerit illa vana concupiscentia, aut ex necessitate carnis. *Iudicium tentationis.* Si ex voluntate tuâ fuerit, doles si te facientem eleëmosynam tuam nullus aspexit: si autem gaudes posteà, quia eleëmosyna tua in silentio facta est, scito quia concupiscentia tua non fuit ex animo tuo, sed ex necessitate carnis; & ideò quasi zizanium aruit. Sic & continens concupiscentiam suam probare potest, si ex animo eius est quam concupiuit, si etiam postquam transierit concupiscentia, voluntatem habet peccandi, tunc ex voluntate eius est concupiscentia; si autem gaudet quia non præualuit aduersus eum concupiscentia, sed confusa recessit, intelligat quia zizanium fuit ex necessitate carnis natum, & non fuit animæ eius voluntas.

Messis quid. S. GREGORIVS *lib. 19. Moralium cap. 27.* Messio, *inquit*, sanctæ Ecclesiæ non inconuenienter accipitur, cùm perfectæ animæ corporibus abstractę, velut maturæ segetes à terrâ decisæ, ad cælestia horrea demigrant.

S. AVGVSTINVS *Sermone 39. de Sanctis:* Messis hæc est genus humanum in consummatione sæculi ad iudicium congregandum. *Quinam messores, fasciculi, &c.* Messores sunt Angeli, qui segregant iustos à peccatoribus. Ligate fasciculos, hoc est, rapaces cum rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, derisores cum derisoribus, similes cum similibus. Hi sunt fasciculi ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum, id est, mittite iustos in paradisum.

Con-

Consonat omnino hisce seminis illa parabola, quam sic describit

S. MARCVS CAP. IV.

VERS. 26. Et dicebat: Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram,

27. & dormiat, & exurgat nocte & die, & semen germinet, & increscat dum nescit ille.

28. Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ.

29. Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniā adest messis.

Quomodo semen gratiæ in nobis adolescat & crescat.

VEN. BEDA *ad hunc locū.* Semen, *inquit*, homo iactat in terrā, cùm cordi suo bonā intentionem inserit. Et postquam semen iactauerit, dormit: quia iam in spe boni operis quiescit. Nocte verò exurgit, quia inter aduersa & prospera proficit. Et semen germinat, & crescit dum ille nescit: quia & cùm adhuc metiri incrementa sua non valet, semel concepta virtus ad profectum ducitur; & vltrò terra fructificat, quia præueniente se gratiâ mens hominis spontanea ad fructum boni operis assurgit. Sed hæc eadem terra primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum producit in spicâ. Herbam quippe producere, est inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad spicam verò herba peruenit, cùm se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in spicâ fructificat, quando iam in tantum virtus proficit, vt esse robusti & perfecti operis possit. Et cùm se produxerit fructus statim mittit falcem, quoniam adest tempus messis. Omnipotens enim Deus producto fructu, mittit falcem, & messem suam desecat: quia cùm vnumquemque ad opera perfecta perduxerit, eius temporalem vitam per emissam sententiam incîdit, vt granum suum ad cælestia horrea perducat. Cùm ergo desideria bona concipimus, semen in terram mittimus; cùm verò operari recta incipimus, herba sumus; cùm autem ad perfectum boni operis crescimus, ad spicam peruenimus; cùm in eiusdem operationis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spicâ proferimus. Nullus itaque qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentum Dei ab herbâ incipit, vt granum fiat.

Virtutes paulatim ad perfectionem perduci.

S. GREGORIVS *lib. 22. Moralium cap. 20. ad hunc S. Marci locum ita scribit:* Ecce Veritatis voce, per qualitates frugum, distincta sunt incrementa meritorum. Ait enim, primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ. An non herba adhuc tunc fuerat Petrus, cùm ab ancillæ ore subitò vnius flatu sermonis inflexus est; iam quidē per deuotionem viridis, sed adhuc per infirmitatem tener? plenum verò frumentum in spicâ inuentus est, quando persequentibus Principibus resistebat, dicens: Obedire oportet magis Deo quàm hominibus. Plenum verò frumentum in spicâ inuentus est, quando in triturâ persecutionis tot verbera pertulit: & tamen nequaquam palearum more imminutus est, sed granum integrū mansit. Paulisper quippe in vnaquaque animâ, vt ita dicam, internæ gratiæ humor exuberat, vt herba in frugem crescat. Nemo ergo quemlibet proximum cùm adhuc herbam videt, de frumento desperet: ab herbarum quippe folijs, quæ huc illucque molliter defluunt, surgentium frugum grana solidantur.

Parabolis de seminibus atque Zizanijs subiungenda sunt parabola thesauri, margaritæ atque Sagenæ, quas immediatè post explicationem Zizaniorum describit

S. MATTHÆVS CAP. XIII.

VERS. 44. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui inuenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuersa quæ habet, & emit agrum illum.

Thesaurus absconditus verbū Dei.

SANCTVS AMAROSIVS *Serm. 2. in Psal. 118.* Thesaurus iste, eloquia Domini sunt, eloquia casta, argentum igne examinatū, quibus ip[illegible]m regnum acquiritur. Hunc ergo thesaurum sapientiæ & cognitionis absconditum in agro, in quo plantata sunt verba Scripturarum cælestium, cùm inuenerit homo, abscondit illum in corde suo, nec diuulgat eum; sciens, quia si diuolgauerit Babylonijs thesaurum Dei, magnam offensam contrahet, vt dicatur ei sermone Prophetico: De semine tuo accipient, & facient spadones in domo Regis. Isa. 39, 7.
Per quæ significatur, quia is qui prodiderit diuina mysteria, posteritatem animæ suæ seminariumque meritorum habere non possit. Caue ergo, ne diuitias tuas perfidis prodas, etsi amicitiam simulent: non illis aperias interiora domus tuæ, non referes thesauros Regios, quos Babylonij scire non debent, ne veniant & capiant posteros tuos, & seminarium virtutis abscindant. Hoc est quod etiam in Euangelio dicit Dominus: Nolite mittere margaritas vestras Matth. 7, 6
porcis. Ideò benè facit qui abscondit eloquia Domini in corde suo.

Thesaurus est cæleste desiderium, & quomodo custodiendum.

S. GRAGORIVS *in Catenâ aureâ:* Thesaurus in agro absconditus est cæleste desiderium; ager verò in quo thesaurus absconditus, est disciplina studij cælestis. Quem scilicet thesaurum cùm inuenit homo, abscondit, scilicet vt seruet; quia studium cælestis desiderij à malignis spiritibus custodiri non sufficit ei, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vitâ quasi via sumus quâ ad patriam pergimus: maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. deprædari ergo desiderant, qui thesaurum publicè portant in viâ. Hoc autem dico, non vt proximi nostri opera nostra non videāt, sed vt per hoc quod agimus, laudes exteriùs non quæramus. Cælorum autem regnum idcircò terrenis rebus simile dicitur, vt ex his quæ animus nouit, surgat ad incognita, vt per hoc quòd scit notum diligere, discat ignotum amare. Agrum verò venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cælestis custodiam calcat.

Thesaurus etiam est Christus.

S. HIERONYMVS *in Matth. cap. 13.* Thesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne

Christi

Christi videtur absconditus; aut sacræ Scripturæ, in quibus reposita est notitia Saluatoris: quem cùm quis in eis inuenerit, debet omnia istius mundi emolumenta contemnere, vt illum possit habere quem reperit. Quod autem sequitur, Quem cùm inuenerit homo, abscondit; idcircò dicitur, non quòd hoc de inuidiâ faciat, sed quòd timore seruantis & nolentis perdere, abscondit in corde suo, quem pristinis prætulit facultatibus.

S. PAVLINVS *S. Hieronymo consentiens, ait Ep.* 2. Deum in Christo vel Christum in Deo esse, non videt occupatus, & curarum terrestrium nube circumdatus. Verbum enim carnem factum, sapientiæ huius mundi stultitia est: & ideò placuit Deo ad confusionem sapientiæ, cuius superbiá non cognouit hic mundus sapientiam Dei, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et hic est ille thesaurus agri, pro quo obtinendo etiam ager comparandus est: quia videlicet salutis nostræ pretium in hoc est, vt Deum Dei Filium ad carnem saluandam, in carne venisse fateamur. Et hæc est illa profligatis emenda patrimonijs margarita. Sed non statim emitur, cùm eius pretium præparatur: quia plurimæ interueniunt ipsi commercio difficultates. Aut enim mare interiacet, aut prædo intercipit, aut cupidior præuenit, aut præfertur opulentior.

Thesaurum absconditum status Religionis.

S. BERNARDVS *Serm. 4 in Psal. 90. thesaurum hunc absconditum non male statui Religioso adaptat dicens:* Thesaurum regni cælorum qui inuenit homo, abscondit. Propter quod etiam corporaliter in claustris & in siluis abscondimur. Et si scire vultis quantum in hac absconsione lucramur, credo nullum hîc esse, qui si quartam partem eorum quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur vt sanctus, reputaretur vt Angelus. Nunc autem quotidie tamquam negligens arguitur, & increpatur. Paruúmne hoc lucrum ducitis, quòd non reputamini sancti antequam sitis? &c.

VERS. 45. Iterùm simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inuentâ autem vnâ pretiosâ margaritâ, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam.

Margarita est Euangelij prædicatio

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *ad hunc locum ait:* Euangelica prædicatio non solùm lucrū multiplex præbet vt thesaurus, sed & pretiosa est vt margarita. Vnde post parabolam de thesauro ponit parabolam de margaritâ. In prædicatione enim duo oportet adesse, scilicet ab huius vitæ negotijs separari, & vigilantem esse, quod negotiatio designat. Vna autem est veritas, & non partita, & propter hoc vna margarita dicitur inuenta. Et sicut qui margaritam habet, ipse quidem nouit quòd diues est, alijs verò non est cognitus, multoties eam manu detinens propter eius paruitatem: ita est in prædicatione Euangelij. Qui enim eam detinent, sciunt se diuites esse: infideles autem hunc thesaurum nescientes, diuitias nostras ignorant.

Margarita est cælestis vitæ dulcedo.

GLOSSA: Vel per margaritam pretiosam intelligitur cælestis vitæ dulcedo, quam inuentam, omnia vendens emit: quia qui cælestis vitæ dulcedinem in quantum possibilitas admittit perfectè cognouerit, ea quæ in terris amauerat libenter cuncta derelinquit. Deforme conspicitur quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.

S. HIERONYMVS *in cap. 13. Matth.* Bonæ, *inquit*, margaritæ quas quærit institor, sunt lex & Prophetæ. Audi Marcion, audi Manichæe. Bonæ margaritæ sunt lex & Prophetæ, & notitia veteris Testamenti. Vnum autem & pretiosissimum margaritum, scientia Saluatoris, & sacramentum passionis illius, & resurrectionis arcanum. Quod cùm inuenerit homo negotiator, similis Pauli Apostoli, omnia legis Prophetarumque mysteria, & obseruationes pristinas, in quibus inculpatè vixerat, quasi purgamenta contemnit & quisquilias, vt Christum lucrifaciat. Non quòd inuentio nouæ margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum, sed quòd comparatione eius omnis alia gemma vilior sit.

Margaritā pretiosissimum scientia Saluatoris.

S. BASILIVS *in Regulis fusè disputatis Interrogatione* 8. Planum est, pretiosam margaritam cæleste regnum significare hoc in loco. Quod regnum nos assequi posse Dominus negat, nisi omnia simul quę habemus, diuitias, gloriam, genus, & si quid sit aliud eorum quibus plerique ambitiosiùs inhiant, pro eo parando neglexerimus.

Margarita pretiosa est regnum cæleste.

S. AMBROSIVS *Serm. 6.* Margarita etiam Christus est Dominus, quam negotiator ille diues in Euangelio venditis omnibus rebus suis emere festinauit, & maluit omnes quas habebat sæculi gemmas amittere, tantùm vt vnam Christi emeret margaritam.

Margarita est etiam Christus Dominus.

SANCTVS ISIDORVS PELVSIOTA *libro 1. Epistola* 182. Is qui ingentis pretij margaritam quæsiuit, eamque omnibus suis facultatibus emit, nouus est Domini populus, qui paternam & substantiam & religionem contemnit, ac Dominum gloriæ quęrit. Margarita autem idcircò appellatur, quia Diuinitatis profundo copulatus est, iulisque piscatoribus atque ipsius interpretibus cognitus.

Qui margaritam emant.

S. AVGVSTINVS *lib. Quæstionum ex Matthæo cap. 13.* Quæstio est, *inquit*, cur à numero plurali ad singularem transierit, vt cùm quærat homo bonas margaritas, vnam inueniat pretiosam, quam venditis omnibus quæ habet emat. Aut ergo negotiator iste bonos homines quærens cum quibus vtiliter viuat, inuenit vnum præ omnibus sine peccato mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum. Aut præcepta iustitiæ quęrens, quibus seruatis cum hominibus rectè conuersetur, inuenit dilectionem proximi, in quo vno dicit Apostolus omnia contineri. Rom. 13, 10. Aut bonos intellectus homo quærit, & inuenit vnum illum quo cuncti continentur, In principio erat Verbum. Est Ioan. 1, 1. enim lucidum candore veritatis, & solidum firmitate æternitatis, & vndique sui simile pulchritudine Diuinitatis, qui Deus penetratâ carnis testudine intelligendus est, &c. Quodlibet autem horum trium sit, vel si aliquid aliud occurrere potuerit quod margaritæ vnius & pretiosæ nomine benè significetur, pretium eius est nos ipsi, qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostrâ liberatione contemptis quæ temporaliter possidentur. Venditis enim rebus nostris, nullum earum maius accipimus pretium quàm nos ipsos, quia talibus implicati nostri non eramus,

Margarita pretiosa pretium

eramus, vt rursus nos ipsos pro illâ margaritâ demus, non quia tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus.

VERS. 47. Iterùm simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.

48. quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.

49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum,

50. & mittent eos in caminũ ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.

51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.

52. Ait illis: Ideò omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ:* Postquam per prædictas parabolas Euangelicam prædicationem commendauerat, vt non confidamus in prædicatione solùm, neque quidem nobis æstimemus sufficere ad salutem, aliam parabolam terribilem subdit dicens: Iterùm simile est, *&c.*

Sagena est Euangelij doctrina.

S. HIERONYMVS *ibidem*, Impleto, *inquit*, Ieremiæ vaticinio, dicentis, Ecce ego mittam ad vos piscatores multos; postquam autem audierunt Petrus & Andreas, Iacobus & Ioannes, Sequimini me, faciam vos fieri piscatores hominum; contexuerunt sibi ex veteri & nouo Testamento sagenam Euangelicorum dogmatum, & miserunt eam in mare huius sæculi, quæ vsque hodie in medijs fluctibus tenditur, capiens de salsis & amaris gurgitibus quidquid inciderit, id est bonos homines & malos.

Ecclesia similis sagenæ.

S. GREGORIVS *lib* 33. *Moral.* cap. 22. Regnum cælorum vocatur Ecclesia, rursus dum mores Dominus ad superna subleuat, iam hæc ipsa in Domino per cælestem conuersationem regnat, quæ rectè etiam sagenæ missæ in mare comparatur, ex omni genere piscium congreganti, quia missa in hoc gentilitatis sæculum, nullum respicit; sed malos cum bonis, superbos cum humilibus, iracundos cum mitibus, & fatuos cum sapientibus cepit.

S. ISIDORVS *lib.* 1. *Epist.* 204 Quemadmodum sagena quæ in mare projicitur, varia piscium genera concludit: eodem modo sempiternum Christi regnum ex omnibus hominum nationibus multitudinem excipiens, pro fidei ratione salutem cuique constituit: non generis auctoritati, non dignitatis amplitudini, non sacerdotio, non regno hac appellatione indigno delicias tribuens: verùm moribus ac vitæ quæ ad puritatem propensa fuerit, atque ad virorum piscatorum prædam se contulerit.

IDEM *epist.* 205. Bona in vasa colliguntur, mala autem extra sagenam projiciuntur, nimirum cùm Domini Ecclesia excutietur: quandoquidem omnes Christi nomine consignati, atque in vnã compagem & commissuram copulati sunt. Et quidem in vasa, hoc est in supernas mansiones, colliguntur animi qui in veritate perstiterunt; extra regnum autem projiciuntur hæretici, rectæque doctrinæ aduersarij.

Eligere bonos in vasa & foras mittere quid.

S CYRILLVS *lib.* 3. *in Ioannem cap.* 40. Quòd autem collecta sunt bona, & in vasis deposita, id probos atque pios in cælestibus atrijs semper victuros significat: quòd autem inutilia foras eiecta dicuntur, id omnium bonorum iacturam facturos, & in iudicium casuros impios denotat. Cùm igitur dicit Christus, Quia eum qui venit ad me non ejiciam foras, ei asiutum ab æternis supplicijs integrâ venientem fide populum demonstrat.

Fletus & stridor in inferno.

S. BERNARDVS *Serm* 8. *in Psal.* 90. Fletus quidem ob ignem qui non extinguitur, stridor verò ob vermem qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis inuidiæ & obstinata malignitas extorquebit.

Inferni tormenta.

S. AVGVSTINVS *de Triplici habitaculo cap.* 2. Principalia duo sunt tormenta in inferno: frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis. Vnde in Euangelio legitur: illic erit fletus & stridor dentium. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore nascitur, stridor verò dentium ex frigore. Hinc etiam B. Iob c. 24. De aquis, inquit, niuium transibunt ad calorem nimium. De quibus duobus innumera pendent pœnarum genera, videlicet sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fœtoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna angustiæ, pœna tenebrarum, seueritas tortoris, præsentia dæmonum, ferocitas bestiarum, crudelitas ministrantium, dilaceratio immortalium vermiũ, vermis conscientiæ, ignitæ lacrymæ, suspiria, miseriæ, dolor sine remedio, vincula sine solutione, mors æterna, pœna sine fine, absentia Christi quoad visionem eius, quæ sola omnia suprà dicta superat, & omnibus pœnis intolerabilior est. Væ igitur illis perenne, qui subire hæc omnia mala etiam sine fine merentur, pro delectabili vnius horæ somno. Tanta etenim & talis est omnis huius mundi gloria, ad æternam comparata gloriam. Melius erit eis (quod dictum est de infelici Iudâ) non nasci, quàm malis suis meritis plagas inferni sustinere.

IDEM *de Spiritu & animâ*, Anima, *inquit*, immortalitate mortalis est, & mortalitate immortalis est. Quapropter miseris mors est sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; quia & mors semper viuet, & finis semper incipiet, & defectus deficere nesciet. Mors perimet, & non extinguet; dolor cruciabit, & pauoré non fugabit; flamma cõburet, sed tenebras non discutiet. erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pauor, in combustione dolor. Ita reprobi ignibus inferni traditi, in supplicijs dolorem sentient, & in doloris angustiâ pauore ferientur, & semper tolerabunt, & semper timebunt: quia sine fine semper cruciati, viuent sine spe veniæ & misericordiæ, quæ est miseria super miseriam. Si enim post tot millia annorũ, quot capillos habuerunt omnes quicumque fuerunt & erunt, pœnas suas finiri sperarẽt, multò leuiùs eas sustinerẽt: sed quia spem non habent, nec habebunt, desperatione deficient, & ad tormenta non sufficient. De his per Isaiam scriptum est: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, quia nec ipsi consumentur. *Isa.* 66, 24.

sumentur. Vermis conscientiã corrodet, ignis carnem comburet, quatenus qui auctori suo corde & corpore deliquerunt, corde simul & corpore puniantur, cùm anima à beatâ vitâ separata erit, & corpus æternis supplicijs subiacebit. Ibi metus & mœror, luctus & dolor. Tunc verè nihil lugere erit nisi flere, quia pœnitere tunc nulli poterit valere. Ibi erit tortor cædens, vermis corrodens, ignis consumens. Peccata detegentur, rei punientur, & hoc totum perennè. Quisquis enim ad tormenta ibit, iam non ampliùs exibit. Dolor combustionis eos foris cruciabit, pœna cæcitatis intus obscurabit. Videbunt autem illa teterrima monstra dæmoniorum, & laruales facies eorum. Videbunt etiam tormenta inferni, & in tormentis sequaces suos, quos inordinato amore contra Dei præcepta amauerunt, quatenus illorum interitus eos in augmentum damnationis suæ affligant. Deum autem non videbunt, quod est omnium miseriarum miserius, &c.

[a]Matth. 5, 15. Marc. 4, 21. VERS. 16.[a] Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, vt intrantes videant lumen.

[a]Matth. 10, 26. Marc. 4, 22. 17.[a] Non est enim occultum quod non manifestetur: nec absconditum, quod non cognoscatur, & in palàm veniat.

[a]Matth. 13, 12. 25, 29. 18.[a] Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi: & quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

EVSEBIVS. *Tempus omnia manifestat.* 19. TEMPVS enim est index omnium. Etsi itaque ad breue tempus detractio aduersus nos contumeliaque præualeant, tandem tamen aliquando diuturnitas temporis, & illustris quæ modò proposita est doctrinæ lux, quæ adhuc plurimos latent elucescere faciens, ipsos redarguet detractores. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim bonæ fuerit voluntatis, accipiet gratiam Spiritus, & sapientiæ, & intellectus, dignamque laborum suorum remunerationem. Qui verò illa non habet, etiam id quod videtur habere auferetur ab eo. *Quomodo habenti detur, & à non habente auferatur.* Matth. 13, 12. Quæ enim nobis vel à naturâ insita, vel per gratiam donata sunt, nisi continuâ attentione atque operosâ diligentiâ & assiduitate tueamur, ex illis ipsis damna pendemus, non modò nihil lucri facientes, verùm etiam ea quæ habere videbamur amittentes. Qui verò valet, & naturali præditus est acumine intelligendi, huic vetus sermo conceditur, & ea quæ ex rerum diuinarum auditione nascitur sapientia, naturalem quoque eius auget scientiam. Qui verò non habet, id est, illam quam ab initio creationis acceperat vitæ rationem non custodiuit, amenti fit similis, & dum malitiæ subijcitur, mente priuatur. Quemadmodum enim is qui oculos habet, si non videat, cæco similis est, & videtur esse oculis spoliatus: sic multi quoque huius verbi ignari existunt, eò quòd audire detrectantes, præ incuriâ verbum proijciant.

20. Qui autem volet lucernam perfectioribus Christi discipulis accommodare, persuadebit hoc nobis per ea quæ dicta sunt de Ioanne, Quoniam ipse erat lucerna ardens & lucens. Verùm lucerna quoque corporis nostri oculus est, ad mentem cuiusque relatus. Sed & illud, Sint vestræ lucernæ ardentes, ad omnes dicitur discipulos Iesu. Non oportet igitur lucernam rationalem in animâ accensam abscondere, sed imponere candelabro, cuius symbolum Moyses constituit in tabernaculo testimonij. Modo siquidem à fideli prudentique dispensatore frumenti mensuras conserui accipiunt. Verùm radios quoque lucernæ candelabro, hoc est Ecclesiæ vniuersæ superimpositæ conspiciant. Non autem sub lecto abscondunt lucernam vbi quispiam quiescit, nec alio quopiam sub vase. Hoc enim qui facit, intrantibus domũ minimè prospicit, quibus lucerna ponenda est. Qui autem vero lumine ac verbo lucente ac sapientiæ radijs mentem accendunt suam, quæ talem habeat naturam qualem illi creator iodiderat, cùm lucernã egeant vt obtineat animam eà mente præditam, quæ & in rebus prospiciendis perspicacissima sit, ac simul particeps eius qui dicit, Ego veni lux in mundum. Qui enim accendunt lucernam, & ponunt eam super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt, hortantur etiam eos, qui in domo lucernæ splendorem conspicantur, vt suum ipsi quoque candelabrum accendant. ORIGENIS. *Perfecti viri sunt lucerna.* Luc. 12, 35. *Lucerna non abscondenda.*

21. Vel forsan seipsum appellat Dominus lucernam lucentem cunctis inhabitantibus domum, id est mundum; vtpote qui secundùm naturam Deus existens, per dispensationem caro factus sit, adeoque tamquam lux existens secundùm essentiam, ad instar lucernæ modo incircumscripto, mediante animâ retinetur in testâ carnis, sicut per lychnium ignis in testâ lucernæ. Candelabrum verò sanctam vocat Ecclesiam, supra quam verbum diuinum per prædicationem effulgens, omnes qui in mundo tamquam in quadam domo versantur, illuminat radijs veritatis, mentes omnium diuinâ replens cognitione. Modium verò symbolicè vocauit Synagogam Iudæorum, siue corporalem legis cultum, qui crassitudine symbolorum quæ in litterâ erant, omnino incognitum continebat lumen quod est in intellectu siue sensu veræ cognitionis. Sub hoc modio Dei verbum MAXIMI. *Christus est lucerna mundi.* *Candelabrum est Ecclesia.* *Modium est synagoga.*

Verbū Dei non abscondendum. verbum abscondi non vult, cupiens in alto collocari, & maximè conspicuo Ecclesiæ loco. Cùm enim legis littera contineret vniuersa tamquam sub modio, priuata erat luce sempiternâ, quæ nullam spiritalem visionem concedebat ijs, qui sensum tamquam fucatum ac futilem explodere nitebantur. Ceterùm ponitur supra candelabrum, id est Ecclesiam, siue rationalem in spiritu cultum, vt omnes illuminet, docens vniuersos qui in mundo sunt, secundùm solam rationem vitam instituere. Non itaque diuinam lucernam, siue verbum quod illuminat, per meditationem operationemque accendentes, sub modio collocemus (ne condemnemur, vt qui incomprehensam sapientiæ virtutem litterâ circumscribamus) sed supra candelabrum, sanctam inquam Ecclesiam, quæ in considerationum veritatis sublimitate, diuinorum dogmatum lumen omnibus accensum subministrat. Verùm de his in Matthæo dictum, quare superuacaneum fuerit istis immorari.

"Matth. 12. 46. Marc. 3, 32

VERS. 19. "Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant adire eum præ turbâ.

20. Et nuntiatum est illi: Mater tua, & fratres tui stant foris, volentes te videre.

21. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, & faciunt.

Titus. Christus quomodo habeat fratres. 22. LABORE enim opus est ad audiendum. Si autem audieris de fratribus Domini, non naturam attende, sed disce benignitatem, & intellige gratiam. Nullus enim secundùm Diuinitatem Saluatoris frater est, vnigenitus enim est; sed benignitate suâ communicauit nobis in carne & sanguine, & factus est frater noster, cùm esset secundum naturam Dominus. Sermo autem Dei sermo erat & Filij: Patris enim ac Filij vna doctrina est in Prophetis & Euangelistis, per operationem sancti Spiritus. Dicit autem Saluator, sermonem suum etiam esse sermonem Dei, vt honorem in Patrem referret. Quemadmodum enim decebat Patrem generare Filium, sic etiam par erat Filium honorare Genitorem.

ISIDORVS l. 1. Ep. 159 23. Nus verò ne otiosè quæ dicta sunt audiamus, sed tamquam regulam quamdam obseruemus: nec vllum Dominus Euangelio impedimentum objiciatur, nec vlla animi distractio spiritalē sequatur eruditionem, nec tumultus vtilem interpellet disputationem. Neque enim Christus à matre fratribusque quæsitus, eorum vocationem admisit cùm doceendi munus auspicabatur; atque auditorum saluti operam dabat; ostendens *Spiritalia temporalibus praeponenda.* vtique, negotia spiritalia carnalibus esse præferenda. Sic etiam discipuli eius mensarum inspectionem ac curam, quamuis alioqui propter pauperes necessariam, repudiarunt.

ANNOTATIONES.

NVM. 2

AD *Versum* 19. Venerunt autem ad illum mater & fratres eius.] *Vbi quæritur, quinam in Euangelio vocentur fratres Domini. Respondebat spurcus Heluidius, fuisse eos qui ex eadem matre, scilicet B. Virgine, erant nati. Sed eum doctè simul & acriter refellit S. Hieronymus libro contra illum scripto. Secundò, Græci passim, & è Latinis Hilarius in Matth. & Ambrosius tom 4. lib. de Institutione Virginis c. 7. putant fuisse eos qui nati sint ex priori matrimonio Iosephi, antequam Mariam duceret. Sed quòd virgo Iosephus duxerit Mariam Virginem, docet Hieronymus libro contra Heluidium, S. Augustinus Serm. 14. de Natiuitate, & in 1. caput ad Galatas, Theodoretus, Beda, & alij, adeò vt Petrus Damianus epist 11. c. 4. dicat hanc esse Ecclesiæ fidem. Respondeo ergo, fratres hic significare consobrinos aut cognatos, phrasi Scripturæ. Sic Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, item Maria Salome, siue Zebedæi vxor, quæ mater erat Iacobi & Ioannis, vocantur sorores B. Virginis, hoc est consobrinæ. Nam B. Virginem vnicam fuisse prolem B. Annæ, docet S. Hippolytus apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. & ex eo Baronius in Apparatu. Erant ergo hi fratres cognati, aut verè fratres B. Annæ aut Ioachim.*

Quòd autem Versu 21. respondet Christus, Μήτηρ μου καὶ ἀδελφοί μου οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἀκούοντες, καὶ ποιοῦντες αὐτόν. *Id est*, Mater mea, & fratres mei hi sunt, qui Verbum Dei audiunt & faciunt; *non ita dictum est à Christo, quasi veram matrem suam negaret, fueritque phantasma ex phantasmate matre natus, vti voluerunt Marcion & Manes; nec etiam quasi eum suæ cognationis puduerit: sed quia vel importunè interpellabat eum nuntius, vti Chrysostomus in Matthæi 12. vel potiùs, vt S. Ambrosius hic in c. Lucæ 8. & Isidorus hic in Catenâ num 23. vt paternis se ministerijs ampliùs quàm maternis affectibus debere ostenderet, & spiritalem cognationem maternæ præferret, in quâ non est sexus, non ordo, sed omnes proximè contingunt Christum, quasi pater, soror, & frater.*

VERS. 22. "Factum est autem in vnâ dierum: & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnū. Et ascenderunt. "Matth. 8, 23. Marc. 4, 36

24. LVCAS vitans quæstionem quæ sibi fieri posset de temporis ordine, sic dixit, Et factum est in vnâ, &c. CHRYSOSTOMVS Hom 29. in Matth.

VERS. 23. Et nauigantibus illis, obdormiuit, & descendit procella venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur.

24. Accedentes autem suscitauerunt eum,

eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille surgens, increpauit ventum, & tempestatem aquæ, & cessauit: & facta est tranquillitas.

25. Dixit autem illis: Vbi est fides vestra? Qui timentes, mirati sunt ad inuicem, dicentes: Quis putas hic est, quia & ventis & mari imperat, & obediunt ei?

Christus cur permiserit Apostolos tentari.

25. TEMPESTAS quidem hęc futurarum, quæ discipulos inuasuræ erant, tentationum figura erat. Etenim sæpenumerò etiam posteà permisit illos in difficiliores ac molestiores rerum tempestates incidere, atque distulit, vt tentationibus generosè sustinendis orbis athletas exerceret, vngeretque illos in vtramque partem, vt & in rebus arduis essent insuperabiles, & in prosperis temperantes. Priora igitur quæ edidit signa magna quidem erant, verùm nec præsens hoc signum paruam continebat exercitationem, quippe non absimile isti antiquo quod in mari Rubro contigit.

CYRILLVS

26. Erat autem etiam figura eorum quæ postmodum discipulis erant euentura. Stagnum enim erat Iudæa, quam ascendit; turbo seu procella magna ibi ab insaniâ Iudæorum contra Christum suscitata est. Turbabantur autem discipuli ita vt fugerent: verùm quasi è somno Saluator surrexit, & iterùm pacati fuere discipuli. Adstans enim illis [Præceptor,] dixit: Pax vobis.

IDEM. *Mundus mari, Ecclesia naui comparata.*

27. Aliter verò etiam in figurâ maris mundus hic noster intelligibilis, Ecclesia verò per nauiculam possit intelligi, quæ sanctificatos pro nautis habeat, qui nempe quòd fidem susceperint, Christum sibi semper habent coniunctum. Ceterùm validâ quandoque tempestate concutitur, & innumerabiles seditionum fluctus sanctam hanc cymbam exagitant. Nam innumeræ quodammodò ebulliunt tentationes, quas nimirum immundorum spirituum sæuitia suscitat, ita vt ad mortis vsque periculum adducat. Atque adest quidem electis suis Christus, sed quia sæpenumerò permittit eos per dispensationem aliquid pati, videtur quodammodò dormitantem fingere. Ceterùm quando tempestas verè modum excedit, & nautæ eius impetum diutiùs sustinere non possunt, & res iam in summum discrimen adducta cernitur, iam tunc oportet clamare, tantùm non dicentes, Exurge, quare obdormis Domine? sine morâ siquidem exurget, atque omnem quidem timorem auferet, puniet autem eos qui nos tentant, & conuertet luctum in hilaritatem, tranquillam restituens serenitatem. Despiciet enim nequaquam eos qui in se confidunt.

CHRYSOSTOMVS in Ep. ad Hebræos. *Prospero vento victi comparatur qui à S. Spiritu gubernatur.*

28. Quemadmodum autem nauis quæ vento fertur, dum illo secundo constantique vtitur, nullum vel non promouendi vel submergendi est periculum, sed magnis promouens interuallis, nautis ac vectoribus honori est; illos siquidem quiete recreans, nec fatigari fluctibus sinens, hos verò omni metu liberans, & iucundissimum visu cursum prębens: sic etiam anima, diuino vsa Spiritu, cunctis decumanis rerum temporalium fluctibus procellisque altior, cælo tentat viam, nauium omnium celeritatem superans, vt quæ non vento propellitur, sed interno Paracleti spiritu impleta continens vela purgata omnino, omnem ex animo tarditatem torporemque exterminet. Quemadmodum autem ventus in laxum velum incidens, vim suam non exerit, ita nec Spiritus in molli animâ habitare sustinet, sed assiduâ instantiâ diligentiaque opus est, quibus continuò intendenda extendendaque nostra sunt opera. Sic inter orandum magnâ animi contentione opus est, vt in cælum animum intendamus non velis, sed attentione assiduâ. Quando eleemosynas facimus, magna similiter animi contentio adhibenda est, ne cura rei familiaris, liberorum præfectura, vxoris sollicitudo, inopiæ consideratio superueniens, liberalitatis velum laxet. Verùm si nos futurorũ spe continuò intenderimus, optimè profectò anima nostra spiritus virtutem recipiet.

Animus semper intendendus.

IDEM in Matth. Homil. 82. *Vita nostra pelago comparata.*

29. Conemur itaque quamlibet, quæ nos ætatibus singulis vrget, affectionem in contrariam commutare. Si enim per singulas vitæ nostræ particulas vtilissimos virtutis labores præteruehimur, vbique naufragia subeuntes, tandem portum attingentes spiritalibus mercibus destituti, extrema quæque sustinebimus. Præsens enim vita pelagus quoddam est perturbatum. Et sicut in mari hoc diuersi sinus diuersis tempestatibus agitantur: ac Ægeus propter ventos difficilis est, Tyrrhenum verò fretum propter angustias, Charybdis verò quæ Libyam respicit propter syrtes & breuia, Propontis verò quę iuxta Pontum Euxinum sita est, magnitudine fluctuum impetuque; Oceanus autem Hispanicus propter solitudinem & infrequentiam locique ignorationem, atque alia pars pelagi alijs de causis. Idem quoque vitæ nostræ vsuuenit. Ac primùm in eâ videre liceat pelagus quoddam puerilis ætatis, multis procellis agitatæ, cùm propter imprudentiam, tum propter flexibilitatem, tum quia nondum firmata est. Quapropter illi pædagogos magistrosque præficimus, defectum naturæ

Incommoda pueritia.

naturæ diligentiâ supplentes, sicut ibi arte gubernatoriâ. Post hanc ætatem adolescentiæ succedit mare: hic venti vehementiores, vt in Ægeo pelago, crescente in nobis concupiscentiâ: & vel hæc maximè ætas directione destituitur, non solùm quia magnis turbationũ fluctibus quatitur, verùm etiam quòd peccantes oon redarguuntur, cùm & pædagogus ac magister subtrahantur. Cùm igitur maiori turbine venti spirent, & gubernator sit imbecillior, considera tempestatis magnitudinem. Post hæc altera pars ætatis virilis illa instat, quam rerum vrget dispensatio. Tunc vxor, ouptiæ, prolis procreatio, familiæ gubernatio, & plurimæ curæ mentem obruunt, tuoc auaritia inuidiáque maximè vigeot. Si igitur vnamquamque partem ætatis cum naufragijs peragamus, quomodo hanc vitam trausibimus? quomodo æterna fugiemus supplicia? Nam si nihil sinceri atque integri in primâ ætate didicerimus, si iuuenes modestè noo vixerimus, nec auaritiam viri superauerimus; ad senectutem quasi in ætatis quamdam sentinam deuecti, animæ nauiculâ iam tempestatibus obrutâ, cùm fluctibus compagines defatiscant, in portum tandem deferemur, non spiritalibus mercibus, sed luto ac sordibus onusti: vnde diabolo quidem risum mouebimus, nobis verò perpetuam mœstitiam adsciscemus, intolerabili ac sempiterno cruciatu diuexati. Quod ne accidat, ipsi nos vndique colligamus, vniuersis passionibus resistentes.

Adolescentiæ pericula

Virilis ætatis sollicitudines.

MACAR. 30. Quòd si volueris magnum hoc latumque mare pernauigare; rectè inde à terrâ prospiciens, & ab vniuersis mentem abstrahens, ne ad terram iterùm, viæ ducem quærens, reuertaris, fac oculum habeas in cælum defixum. Ibi enim astra reperies, quorum nomina oumerumque cognouit cælestis ille gubernator. Inuenies ibi luminaria verè non errantia (Sanctos scilicet) obscuram vitæ noctem illuminantia: in quæ intuens, securè religionis nauem ad quietis portum diriges, ad Ierusalem inquam cælestem, Regiamque ciuitatem.

Cœlum spectandum in vita mari nauiganti.

VERS. 26. Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam.

27. Et cùm egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, [è ciuitate] qui habebat dęmonium iam à temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis.

CYRILLVS 31. APPVLIT Saluator ad terram Gergesinorũ vnà cum Apostolis sanctis, vbi illis occurrit homo quidam ab immundis spiritibus obsessus, mente ac ratione destitutus, nullâ in re absimilis mortuis ac sepultis, vel potiùs grauioribus adhuc pœnis subiectis. Quòd enim nudus defunctorum sepulcra frequentaret, dæmoniacę ferocitatis erat indicium. Permittit autem quosdam dispensatiuè Deus subesse dæmonibus, non tam vt illi mali quidpiam patiantur, quàm vt nos discantus per eos quales sint dæmones erga nos, vt renuamus eis subijci velle, & sic vno patiente ædificentur complures.

Dæmoniacorum mores.

ANNOTATIONES.

E CIVITATE]. *Græcè, ἐκ τῆς πόλεως, ab Interprete S. Luca omissum est in Latinâ editione Euangelij. Græcam sequuntur Syrus & Arabs.* VERS. 27

NVM. 31. Gergesinorum.] *Græcè Γεργεσινῶν. Matthei 8. vers. 28. legitur Γεργεσηνῶν ἢ Γερασηνῶν, apud S. Marcum cap. 5. & apud S. Lucam hic v. 26. Γαδαρηνῶν. Vnde putant aliqui eumdem locum variè ita dictum esse: verùm ex S. Hieronymo & Iosepho ostendit Adrichomius,* Gadaram *aliam esse à* Gerasâ *siue* Gergesâ, *ita vt tota regio ab vtralibet vrbe dicta sit* Gerasinorum *vel* Gadarenorum.

IBIDEM. Defunctorum sepulcra frequentaret.] *Vbi nota, Iudæos non habuisse sepulcra sua in ciuitatibus, ne contaminarentur, sed extra ciuitates in montibus & agris. Erant autem alta & lata quasi cubicula vel cameræ, ita vt multi ibidem sepeliri imò & ingredi possent, vt patet ex sepulcro Domini, Abrahæ, & aliorum. Hic autem dæmoniacus in sepulcra ista actus fuit, Primò, vt dæmon hac ratione maiorem sæuitiam in ipsum exerceret, & transeuntibus horrorem incuteret. Secundò, quia dæmon fœtidissimus Dei dispositione fœtidissima corpora induit, & incolit loca sibi similia, vt simul etiam significetur illum delectari hominum morte, & inter mortuos versari. Addit S. Chrysostomus in cap 8. Matthæi, & ex eo Theophylactus, dæmonem id facere solitum, vt hac ratione imponat hominibus defunctorum animas in dæmones commutari.*

VERS. 28. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum, & exclamans voce magnâ, dixit: Quid mihi, & tibi Iesu Fili Dei altissimi? obsecro te, ne me torqueas.

29. Præcipiebat enim spiritui immũdo vt exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus: & ruptis vinculis agebatur à dæmonia in deserta.

32. LEGIO siquidem aduersus potentiam Domini dęmonum conspirationem concitabat. Eo autem qui in omnes potestatem habet appropinquante, clamabat supereminentem adesse virtutem, neque abscondit veritatem, quoniam hic erat diuina natura, qui & futuris temporibus de peccatoribus erat supplicium sumpturus. IDEM.

Legio dæmonum à Domino victa.

V 2 VERS.

VERS.30. Interrogauit autem ipsum Iesus, dicens: Quod tibi est nomen? At iste dixit: Legio, quia intrauerant dæmonia multa in eum.

33. INTERROGAVIT ipsum Christus, ac præcepit dicere quodnam illi nomen esset. Fortassis igitur vt ignorans interrogauit, & vt vnus è nobis dicere petijt. Etenim quomodo non imprudentis sit simile quid dicere vel cogitare? omnia enim cognouit vt Deus, & corda scrutatur ac renes. Petijt autem dispensatiuè, vt & nos sciremus, copiosam dæmonum multitudinem etiam vnicam animam incolere. Nam cùm Dominus sciret multitudinem dæmonum illam animam inhabitare, qui verum ipsum videbant, vnicum tantùm hominem cernerent, vnamque solùm vocem proferri audirent, ait, Quod est tibi nomen? ne si ipse diceret, fides ei negaretur, verùm vt illi confiterentur, quoniam multi erant.

VERS.31. Et rogabant illum ne imperaret illis vt in abyssum irent.

CHRYSOSTOMVS Hom.29. in Matth. *Dæmones Christum metuunt.*

34. MATTHÆVS quidē ait illos dixisse, Venisti huc ante tempus torquere nos: ceteri verò illud etiam adiecerunt, quòd deprecabantur eum & adiurabant, ne vellet in abyssum eos mittere. Existimabant enim sibi iam impendere supplicium, timebantque tamquam iam nunc in tormenta prolapsuri. Nam cùm non possent negare quin peccassent, rogant nè ante tempus pœnas dent, quoniam comprehendebat illos in nequitià eorum & sceleribus quæ patrabant, & creaturam suam omni quo poterant modo subuertentes, atque affligentes; verebanturque ne propter excessum facinorum non expectaret statum tempus punitionis, quocircà deprecabantur ac rogabant eum.

MAXIMVS *Singulis peccatis propria supplicia respondent.*

35. Cùm Deus singula peccata nostra nouerit, pro ijs conuenientem nobis pœnam interminauit, propter calorem nempe carnis, gehennam ignis; dentium fremitum, propter risum insolentem; sitim atque intolerabilem siccitatem, propter delicias & ebrietatem; inquietæ conscientiæ vermem, propter peruersitatem atque obliquitatem. Adhæc odium, fraudem, simulationem, contumeliam, detractionem, mendacium, periurium, æternas tenebras, propter temporariam fraudem atque ignorantiam; immensam eam abyssi profunditatem, propter superbiam. Ideoque diabolo dęmonibusque abyssus ac tartarus atque exteriores tenebræ in sortem datę sunt; partim quidem eò quòd superbiuerint, & humilitatis sublimitatem contempserint; partim verò tamquam impostoribus & ignorantiæ auctoribus. Si quis autem fuerit omnium criminum reus, dicendum quoque omnibus eum suppliciorum generibus cruciatum iri, alio scilicet ex alio promanante, modò quidem tartari frigus, modò verò gehennæ ardores subeundo; tamquam ex periodo quadam frigore ardorem, ardoreque frigus excipiente.

ANNOTATIONES.

MATTHÆVS quidem ait illos dixisse, Venisti huc ante tempus torquere nos.] *Quia nimirū Christus suâ præsentiâ & efficaciâ ipsos cruciabat, & ad exitum ipsis molestum cogebat; tum etiam, vt hîc ait Chrysostomus, timebant ne in infernum ablegarentur. Vbi nota, veteres Patres passim dicere, dæmones ante diem iudicij non torqueri; quod intelligendum est, non ita torqueri vt relegati sint in inferno siue vllâ spe egrediendi & nocendi hominibus, quæ illis maxima est pœna quam hîc deprecantur. Nam quamuis ab inferno absint, æquè ab igne illo vruntur. Ignis enim ille, quia est instrumentum Dei supernaturale, vti in spiritus, ita in distantissima quaque agere potest. Multos autem dæmones non in inferno, sed in aëre hoc, & terrâ, aquâ, montibus, cauernis & siluis, vbi se Faunos Satyrosque vocant, vsque ad diem iudicij versari, docet S. Athanasius in Vitâ S. Antonij, & S. Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 33. Vnde pia Ecclesiæ obtinuit consuetudo, vt fideles in locis sacris sepelirentur, ad dæmones à mortuorum corporibus arcendos.* NVM. 34

VERS.32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum vt permitteret ijs in illos ingredi: & permisit illis.

33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos: & impetu abijt grex per pręceps in stagnum, & suffocatus est.

CHRYSOSTOMVS Hom.29. in Matth. *Cur Christus dæmones in porcos miserit.*

36. SI quis verò quæsiuerit, cur id quod petiuerant dæmones, Christus concesserit: respondero, quòd non fecerit illud quò ijs morem gereret, sed vt multa hinc dispensando doceret: Primum quidem, vt qui liberabuntur, intelligerent quantum nocerent qui illis insidiabantur. Secundum verò, vt discant omnes, ne in porcos quidem eos impetum facere audere, nisi ipse permittat. Tertium, quòd multò peiora ijs à dæmonibus inferrentur, quàm porcis illata sint, nisi ipsos Dei prouidentia refrænaret ac cohiberet, ne vlteriùs eorum impetus ferretur. Nos enim ampliùs oderunt brutis irrationalibus. Ad hæc, quòd non omnibus in genere dumtaxat Deus prouideat, verùm etiam vniuscuiusque curā gerat singularem. Sed ne quis fictam esse fabulam existimet, verùm dæmones verè expulsos credas, porcorum interitus efficit. Hanc igitur ob causam

sam vt in porcorum gregem abirent, concessit, vt omnes regionis istius incolæ virtutem eius cognoscerent. Vbi enim magnam famam adeptus erat, non multū sese ostentabat, vbi verò ipse ignotus erat, miracula elucescere faciebat, quibus eos ad Diuinitatis suæ cognitionem adduceret. Quòd verò ciuitatis istius incolæ fuerint insensati, euentus docuit. Oportuisset enim eos rogare illum, ac virtutem eius admirari: ipsi verò dimiserunt eum. Sed quam ob causam à dæmonibus interempti sunt porci? Dæmones semper conati sunt homines inducere ad animi deiectionem, & semper gaudent illorum perditione. Hoc vtique diabolus etiam aduersus Iob egit, quod & illi permisit Deus, non vt diabolo condescenderet, sed vt seruum suum redderet clariorem, & dæmoni omnem impudentiæ prætextum auferret, atque in caput ipsius omnia quæ aduersus iustum excogitarat converteret. Verùm enimuerò hìc quoque secùs planè quàm ipsi optauerant accidit. Nam & Christi virtus fuit illustri modo deprædicata, dæmonumque peruersitas, qua possessos liberauit, manifestò detecta fuit, constititque ne in porcos quidem, nisi factâ sibi à Deo potestate, quidquam posse. Concessit autem hoc illis Deus, vel vt incolas erudiret, vel vt ab ijs vindictam sumeret, vel certè redderet meliores.

Dæmonis studium malè facendi.

Intoaæ.

37. Si quis verò hæc voluerit etiam anagogicè accipere, nihil prohibet, talis siquidem est historia. Sciendum autem, homines illos qui porcorum ritu vitam instituunt, facilè à dæmonibus inuadi solere. Et quidem si homines sint qui talia patiuntur, euadere sæpè possunt, verùm si in porcos omnino degenerent, non modò à dæmonibus exagitabuntur, verùm etiam per præcipitia deferentur. Si lubet, dæmoniacis & auaris in medium adductis, alterum alteri cōparemus. Numquam dæmoniacus vestem induit, sed lapidibus semetipsum acerbissimè cædens, per aspera inuiaque loca à dæmone actus vagatur, & in præcipitia impellitur. Nónne hæc terribilia videntur? Verùm nihilo minùs tolerandum est quod auari moliuntur: multò enim melius est, nudum omnino esse, nullaque veste contegi, quàm raptà pecuniâ sibi vestes comparare. Quemadmodum igitur dæmoniaci nuditatem furor facit, sic horum amictus ab insaniâ existit, adeoque nuditate deterior est ac miserabilior. Quemnā enim magis insanire dixerimus, eúmne qui se ipse tantùm cædit, an eum qui tam in se quàm in obuios quosque debacchatur? non dubium est quin vltimum. Dæmoniaci igitur sese ipsos denudant, hi verò obuios quosque.

Porcorum ritu viuentes à dæmonibus agitantur.

Comparatio auari cum dæmoniaco.

Auarorum crudelitas.

Sed lacerant illi vestes. At quantò magis læsorum quilibet laceratum sibi potiùs indumentum vellet, quàm ereptam esse substantiam vniuersam? Atqui hominum facies non cruentant: imò verò hoc quoque rapaces faciunt, & ventri per famem maiores omnino dolores inferunt. Sed non mordent dentibus, at auaritiæ iaculis omni dente atrocioribus. Vter enim magis dolet, an qui dente semel ictus, remedio confestim visus est; an qui continuo paupertatis dente corroditur? Paupertas enim inuoluntaria, & fornace & belluâ quauis truculétior existit. Atqui non frequentant deserta vt dæmoniaci, verùm in ciuitatibus ista patrant quæ in desertis ipsi, vrbes ipsas deserta facientes: & non secùs ac in deserto nemine prohibente sic omnes expoliant. Sed non obuios quosque lapidibus impetunt. Hoc autem quantum est? facilius profectò fuerit à projectis sibi lapidibus cauere. At litteras ac stipulationes chartà & atramento in miseriam inopum confectas, ac mille vulnerum plenas, quis facilè euitauerit? Nunc verò qualia sibi ipsi inferant perpendamus. Nudi per ciuitatem ambulant, cùm illis nullum sit virtutis amiculum. Quòd si ea res turpis ijs non videatur, maioris hoc ipsum insaniæ est argumentum. Quæ autem est causa tantæ impudentiæ? quòd nempe inter múltos similiter nudos ipsi denudentur, quocirca non erubescunt, vti nec nos in balneis. Verùm si in magnâ Philosophorum multitudine versarentur, clariùs vtique suam ipsi perspicerent nuditatem. Satis itaque ex his patet, illos ipsis dæmoniacis esse nudiores. Quòd autem deserta etiam frequentent, nullus inficiabitur: lata enim illa spatiosáque semita deserto quouis est desertior. Licet enim multi per eam gradiantur, hominum certè nemo, sed serpentes tantùm ac scorpiones, lupi, echidnæ, aspidesque: hisce siquidem feris flagitiosi comparantur. Hæc igitur via non deserta tantùm, sed deserto asperior est: quod hinc patet, quia non acutissimi lapides, non durissimæ rupes, adeò eos qui cacumina montium conscendunt lacerant, quàm auaritia & rapina eorum animas qui aliena inuadunt. Quòd autem circa sepulcra versentur, vel potiùs ipsi sepulcra sint, hinc fit manifestum. Nam quid est sepulcrum, nisi lapis mortuorum corpora tegens? Quid igitur eorum corpora à lapidibus differunt? quin potiùs ijs miseriora sunt hæc. Non enim lapis est qui cadauer contegat, sed corpus, vel ipso magis insensatum lapide, quod mortuam animā circumferat. Quamobrem à vero non aberrauerit, qui illos sepulcra nominauerit; quemadmodum etiam ipse Dominus

Flagitiosi feris comparati.

Peccatores sepulcris comparati.

minus Iudæos appellauit ac subiunxit, dicens, Intrinsecus autem rapinâ & auaritiâ pleni sunt. Vultis iam tandem vobis ostendam quomodo lapidibus sua capita feriant? Vnde primùm incipiam, an à præsentibus, an à futuris? Sed futurorum non magnam habent rationem; itaque à præsentibus ordiamur. Quibus igitur lapidibus curæ non sint grauiores, quæ non capita feriunt, sed animam corrodunt? Non enim rebus partis delectantur, sed ijs potiùs aggrauantur, nec de suâ sibi securitate confidunt; nam trepidant, ne quæ rapinâ collegerunt, diffluant. In futuro autem die maximas eiusmodi homines pœnas daturos quis non videat? Qui enim dolo malo locupletati fuerint, in ignem immittendi sunt: & nequam ille seruus, qui conseruis substantiam Domini non distribuebat, horum quoque pars existit; vti & qui talentum suffodit, ac quinque virgines. Et modò quidem audient: Hiatus est magnus inter nos & vos; modò verò: Discedite à me maledicti in ignem æternum; modò etiam diuisi vbi est fletus & stridor dentium, sic vbique videre est illos esse expulsos, & nullo loco quiescentes in gehennam solùm detrudi. Quid igitur recta fides nobis profit, si hæc audiamus? Si, vbi est stridor dentium, vbi exteriores tenebrę, vbi est præparatus diabolo ignis, ibi separemur & eijciamur, & in hac vitâ inimicitijs, maledictis, calumnijs, periculis, curis insidijsque conficiamur, & ab ijs ipsis qui adulari videntur, odio habeamur? Etenim si pecunias despicere non valeas, quomodo concupiscentiam, furorem inanis gloriæ, excandescentiam iramque superabis? Nam multi complexionem corporis ad libidinem, impetum animi iramque plurimum conferre arbitrantur, quin & ipsas inter se complexiones opponere Medici consueuerunt. Et calidiorem quidem atque humidiorem, ad Venerem esse procliuem; sicciorem verò complexionem si minùs fuerit temperata, impetuosam esse, cholericam & iracundam. Verùm de auaritiâ numquam ex ijs quidpiam audiuit eiusmodi. Quamobrem à desidiâ dumtaxat animique stupore pestifera ista ægritudo existit. Sed hæc quidem moraliter dicta sint, cum dæmoniacis auaros conferendo.

Matth. 23, 26.

Peccatores à Deo quò depellātur.

NYSSENVS

Saul dæmoniacus à Dauide liberatus.

38. Si quis autem ex historiâ figuram inuenire voluerit, quę de Dauide ac Saule scripta sunt, consideret. Dæmones enim erant in Rege Saule: eos qui in Regem vnctus erat citharâ suâ exterminat, poësim suam in illos exercens: verùm ipse ab inexistentibus dæmonibus correptus, hastâ se armat contra eum, qui citharâ suâ dæmonum vires reprimebat. Sed paries pro Dauide plagam excipit, ipse vero incolumis euasit. Post hæc Saulis insidijs circumuentus in lecto quæritur, verùm non inuenitur, lectulo pro ipso sepulcralia & hepar capræ continente. Manifestum est autem, ad quid ænigma respiciat. Per Dauid nimirum Christus ex ipsius stirpe oriundus significatur, cuius cithara humanitas est. Cantio verò Verbum quod nobis per incarnationem apparuit, cuius opus est dæmonum abolitio, ne ab Ethnicis ampliùs dij habeantur. Populus autem Iudæorum tamquam alter Saul à dęmone obsessus, hastâ ipsum petit (hasta verò est lignum ferro armatum) sed murus pro ipso hastam excipit. Per murum autem terrenum eius habitaculū, corpus nimirum, intelligimus, quod in ligno crucis ferro transfixum cernimus, illæsâ tamen eius Diuinitate. Postmodum ipse quidem per ostium egreditur: ostium autem, eius in lucem regressum significat, quando semetipsum in tenebris & vmbrâ mortis sedentibus ostendit. Vacuum autem monumentum in eius lecto videtur: monumentum enim vacuum inuenerunt qui quærebant Dominum, tantùm autem in ipso erant quæ ad sepulturam spectabant. Siquidem verò inter viscera sanguinis, fons & officina hepar est: in cenotaphijs autem hepar neque sanguis deest, factâ humanæ naturæ resurrectione, quod opportunissimum est in mysterij per quod saluati sumus memoriam. Et hæc quidem de his. Petet autem fortassis nonnemo, vtrùm Gergesini fuerint Iudæi. Cùm enim Iudæis videatur porcus immūdus esse, eiusque esus lege vetitus sit, quomodo igitur apud ipsos porci reperiantur, & quare suffocentur, & cur hoc animal lege fuerit interdictum. Tenendum igitur, quòd terra Gadarenorum siuę Gergesinorum munda sit: hic autem Euangelista indicat in finibus illud ęsse Galilæę. Galilæa autem Gentium dicitur. Nihil itaque Gergesinos, cùm gentes essent, porcis vesci nouum est.

1. Reg. 19. Dauid Saulis insidias euasit.

Dauid figura Christi.

Gergesini & Gadareni qui populi.

THEODORETVS in Leu. q. 1. Cur Deus offerri sacrificia præceperit.

39. Sermo autem qui de mundis atque immundis est, hanc habet originem. Cum populus vbi longo tēpore in Ægypto commoratus fuerat, dæmonibus sacrificare doctus erat, concessit illis Deus vt sacrificia facerent, quò à dæmonum cultu ac seruitute liberarentur. Nam sibi immolari voluit illa, quæ apud Ægyptios pro dijs colebantur. Ex quadrupedibus quidem, vitulum, capram & ouem; è volatilibus autem, turturem & pullos columbarum. Atqui non ignoramus alia fuisse permulta (animalia) quæ pro dijs habebant Ægyptij, verùm ex his mansuetiora sacrificijs Deus addixit, reliqua

verò

verò appellauit immunda: vti hæc quidem execrari tamquam impura, oe pro dijs colerent; illa vero vt sacrificijs destinara, ne deos putarent, sed eum solum adorarent, cui conuenit isthæc offerri. Quomodo enim vir prudens vel immundum, quod execrando auersatur, Deum appellauerit? vel id quod vero Deo oblatum à se comeditur?

Quæ animantia immunda sint.

Immunda autem inter quadrupedia nominat illa quæ nec insectam habent vngulam, nec cibom suum rumioaot. Inter aoimalia siquidem nonnulla & vngulas diuisas habent, & cibum repetuot, vt boues atque oues; quædam verò neutrum habeot, velut equus, & asinus, ac feræ: alia aurem bisulca quidem sunt, sed cibum noo ruminanr, vt porcus: alia verò ruminant quidem, sed non sunt bisulca, vti camelus & lepus. Arbitror aurem, vngulæ diuisionem significare bonarum actionum ac contrariarum discretionem: prætereà viuendum esse non rantùm præsenti vitæ, sed etiam futuræ. Rumioans autem, diuinorum eloquiorum innuit meditationem: siquidem ioter homines quosdam reperire licet perfectos, qui diuinorum eloquiorum meditationem vnicè complectuntur, & quæ spectant ad virturem curant diligenter: quosdam autem imperfectos, qui diuina quidem eloquia voce tenus pronuntiant, sed cameli more vngulam noo satis dioidere possunt: alios denique, qui fidei ac bonorum operum sunt expertes. Ad litretam autem ista animalia, quæ apud Ægyptios pro dijs colebaotur, immolari præcepit ac comedi; porcum verò, qui proprius erat Ægyptiorum cibus, prohibuit.

Quid significent animalia ruminantia, & non ruminantia, & quæ vngulam diuidunt, & nō. Leu. 11, 3.

Chrysostomvs in Ep. ad Titum Homil. 3. Nihil naturâ suâ immundum præter peccatum.

40. Omnia quippe munda sunt, & nihil immundum Deus fecit. Nam nihil immundum prærer peccatum solum, hoc enim animam rangit, eamque coinquinar. Illud autem humani est propositi, adeò vt ex naturâ suâ nulla per se muoda sint vel immunda, sed ex vteotium voluotate arque proposito. Si igitur & sus munda est, cur ergo quasi immunda lege prohiberur? Non vtique per naturâ immunda erat; omnia quippe munda sunt: quaodoquidem nihil immundius fit pisce vbi humana corpora tetigerit, sed quia permissus est, mundus esse videtur. Rursus galliná nihil immuodius, vermes enim comedir. Nihil item ceruo, qui ab eo quòd serpentes comedat, ἔλαφος nominari dicitur. Sed omnia hæc comedebanrur. Cuius ergo rei gratiâ suem & alia quædam ex animantibus interdicit? Nooideò quòd immunda esseot hoc fecit, sed deliciarum partem maximam amputare conrendit. Cæterùm si qridem hoc dixisset, ooo vtique persuasisset, nunc autem immunditiæ eos terrore coërcuit. Quid item, si diligentiùs inquiramus, immundius vino? quid aquâ impurius, quâ maximè mundabantur? Morticinum non attingebant, & mortuo mundabantur: nam quod immolatum fuerat idcircò præstabat, quòd ex eo expiabantur. Adeò puetilis erat ista institutio. Considera verò vinum ipsum, nónne ex stercore constat? Quemadmodum enim ex humo vitis humorem attrahit, ita etiam ex stercore adiacente. Prorsúsque si diligentiùs discutere voluerimus, omnia immunda erunt. Nunc autem qui ea quæ immunda videntur non comedit, ipsemet immundus & infirmus est; qui verò illa comedit, nequaquam. Huiuscemodi quippe obseruantiam religionis, in ijs quæ animam coinquinant, ostendete oportet. Ista enim immunditiès ac fordes sunt; at horum nihil tale est: nam & hi qui os putidum habent, ea quæ offeruntur omnia putere arbitrantur. Illud autem vitiom est oris. Sed hæc de his dicta sufficiant. Quæ verò sequuntur attendamus.

Leu. 11, 7. Deut. 14, 8

E[illegible] quid.

Cur quæ naturâ mūda sunt, vt immunda prohibita sint.

Leu. 19. & 23.

Vers. 34. Quod vt viderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nuntiauerunt in ciuitatem, & in villas.

35. Exierunt autem videre quod factum est, & venerunt ad Iesum: & inuenerunt hominem sedentem, à quo dæmonia exierant, vestitum, ac sanâ mente, ad pedes eius, & timuerunt.

36. Nuntiauerunt autem illis & qui viderant, quomodo sanus factus esset à legione:

37. & rogauerunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum vt discederet ab ipsis: quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens nauim, reuersus est.

38. Et rogabat illum vir à quo dæmonia exierant, vt cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens:

39. Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

Chrysostomvs in Matthæū Hom. 29.

41. Tv verò clementiam eius considera. Nam cùm accepris tot beneficijs eum ingrati abigerenr, non repugnauit, sed cessit, & reliquit eum qui à dæmonio liberatus erat, & subulcos pro magistris ijs qui se declarauerant indignos ipsius doctrinâ, vt ab illis cognoscerent quæcumq; gesta erant, cumque discederet, metum illis reliquit recentem

centem

centem ac vigẽtem. Magnitudo enim damni atque iactura porcorum signi famam augebat, & res quæ acciderat animos illorum percellebat, & vndique miraculi nouitas prædicabatur ab his qui liberati erant, à porcorum dominis, & ab hominibus qui illos pauerant.

VERS.40. Factum est autem cùm rediisset Iesus, excepit illũ turba: erant enim omnes exspectantes eum.

Matth.9, 18. Marc.5, 22. 41. Et ecce venit vir, cui nomen Iairus, & ipse p̃tinceps synagogæ erat: & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum vt intraret in domum eius.

ASTERIVS. Homines tardi ad virtutem. 42. HVMANVM genus difficulter ad virtutem inducitur, & parui facit doctrinam verbalem. Quapropter etiam Saluator ipse hominibus ad mortalem vsque ac fragilem carnem condescendit. Vt igitur vidit Iudæos ad sermones obsurdescere, factis ipsos instituit, ac medicinæ medicinam accommodat, miraculisque miracula, & nondum creditam Diuinitatem suam variorum experimentis beneficiorum stabilem reddere ac firmam conatur.

CHRYSOSTOMVS Hom.32. in Matth. 43. Considera autem ipsius ruditatem. Duo enim à Christo postulat, vt veniat, & vt manum imponat, ignorans quoniam etiam absens sanare possit. Hoc enim si sciuisset, dixisset vtique sicut Centurio, Domine non sum dignus vt intres sub tectũ meum, sed tantùm dic verbo & sanabitur puer meus. Quid ergo Dominus? non despexit, Matth.9, 19. non reiecit, sed statim exaudiuit, & vt Matthæus ait, surgens secutus est eum. Aderat enim non vt iudicaret mundum, sed vt saluaret eum; vnde nec examinat dignitatem eius. Cur Deus curationem differat. Neque eò quòd ab Archisynagogis prodendus esset, curationem auersatur, vel tardiùs impertit; sed leniter ad opus venit, sciens quòd id quod perficiendum erat, maius erat futurum eo quod petebatur. Vocatus enim fuerat tamquam ad ægrotæ curationem: nouerat verò se suscitaturum iam mortuam, & inserturum terrenis firmã spem resurrectionis. Nec hoc ipsum quidem prædicit, nec maiorem facit quàm opus sit præcognitionis manifestationem, sed clementiam humilitatemque in hoc opere ostendit: benignè quidem, sequendo; humiliter autem, non manifestando quòd puellam reperturi essent mortuam, eamque iam defunctam resuscitaret. Vadit itaque, in eo magnam huic mundo præbens ad fidem viam. Nouerat autem & alterum quoque in viâ miraculum futurum circa mulierem sanguinis fluxu laborantem, non minùs vtique quàm demortuæ resuscitatio admirandum, quod pulchrè etiam Euangelistarum narratio recenset. Audi enim.

VERS.42. Quia vnica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur: & contigit, dum iret, à turbis comprimebatur.

43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiam suam, nec ab vllo potuit curari:

44. accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti eius: & confestim stetit fluxus sanguinis eius.

VICTOR. Efficacia virtutis Christi. 44. EXTEMPLO stetit fluxus sanguinis. Sicut enim si quis oculum lumini splendenti, vel igni ardenti accommodam materiam applicet, simul atque applicata sunt effectum sortiuntur; atque oculus quidem simul ac lumini expositus est illuminatur, & materia quæ facilè ex naturâ suâ ignem concipit, statim vt applicatur comburitur: sic etiam hæc per fidem fimbriam vestimenti tangens, extemplò remedium accepit.

45. Non autem latuit Dominum perpetratum miraculum, sed cùm cuncta Saluator cognosceret, quasi nesciret, interrogat, CYRILLVS Quis me tetigit? Non inscitè autem sancti Apostoli dicunt, Quoniam turbæ te comprimunt & affligunt, quod maximum erat indicium ipsum veram habere carnem, ac superbiam conculcare. Non enim eminus eum sequebantur, sed vndique ipsum comprimebant. Ipse verò id quod factum erat, in medium adducit, & perseuerabat dicere, Quoniam tetigit me aliquis: nam & ego noui virtutem de me exisse. ruditati certè audientium accommodatè respondens.

CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom.32. Hæmorrhoissa curatio. 46. Multis autem aliis de causis ipsam in medium adducit, nec finit delitescere: ac primò soluit femineum metum, ne remorsum conscientiæ pateretur, quasi gratiam surripuisset, adeoque cum anxietate viueret: secundò corrigit eam, quia latere putauerat: tertiò fidem eius omnibus exponit, vt & alii imitentur; proditque non minus miraculum restrictione sanguinis, dum ostendit sibi cuncta patere. Deinde Archisynagogum alioqui diffisurum, adeoque omnia corrupturum, per mulierem emendat, eam in medium adducendo. Vides mulierem Archisynagogo præstantiorem. Nonillum apprehendit, non detinuit, sed summis digitis tantùm tetigit; & cum vltimò venisset, primùm curata recessit. Et ille quidem medicum deducebat domum, huic

verò

verò solus tactus suffecit. Nam etsi ægritudine retardabatur, fide tamen erat alata.

VERS. 45. Et ait Iesus: Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

46. Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis. Nam ego noui virtutem de me exijsse.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, & procidit ante pedes eius: & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram omni populo: & quemadmodum confestim sanata sit.

48. At ipse dixit ei: Filia, fides tua saluam te fecit: vade in pace.

CHRYSOSTOMVS eadem. 47. CONSIDERA autem quomodo ipsam consoletur. Quòd enim perterrita esset, Confide dixit, & filiam appellat. Nam fides ipsam eius filiam fecerat, quin & encomium addit, dicens: Fides tua saluã te fecit.

ASTERIVS Statua hæmorrhoissæ. * Paneade 48. Nos verò sanatæ mulieris gratitudinem addiscamus. Cùm enim * Paraneadis esset ciuis, (hæc autem ciuitas est Palæstinæ, quæ nunc Philippi Cæsarea dicitur) statuâ æneâ benefactorem suum honorauit; hoc donum tantæ gratiæ non indignum existimans. Et statua illa longo tempore perdurauit, ad redarguendos eos, qui Euangelistas mendacij arguere audebant: nec quidquam vetuisset illam ad hæc vsque tempora perennare, & ostendere vtrumque, tam Dei miraculum, quàm mulieris gratum animum; nisi Maximinus ille, qui ante Constantinum Romanum rexit Imperium, vir idololatra atque impius, ac Christo in statuâ inuidens, æneam illius ciuitatis statuam sustulisset. Verùm rei gestæ memoriam abolere non potuit. Ecce enim statua quidem non apparet, sed Euangelium vbique terrarum miraculum proclamat ac prædicat, & hæmorrhoïssa ab Oriente vsque in Occidentem loquitur. Atque in vanum laborauit, qui materiam sensibilem sustulit. Æs enim erat: & dum apparebat, silebat, vt inanime miraculorum monumentum; sed fama opus cum verbo assumens, quotidie vrbes ac vicos percurrit, beneficum Dominum deprædicans.

EVSEBIVS Hist. Eccl. l.7.cap.14. 49. Ego verò non æquum duxerim rei huius historiam præterire, quæ apud posteros etiam memoriam meretur. Aiunt enim * Paneade hæmorrhoïssam ex * Paraneade oriundam esse, eiusdemque domum in eadem ciuitate ostendi, & ibidem admiranda Saluatoris in eam beneficij trophæa permanere. Stare quippe in sublimi lapide ad limina domus eius æneum simulachrum mulieris, flexis genibus, ac manibus supplicantis in morem protensis. Ex aduerso autem illius aliud erectum simulacrum viri, eiusdem materiæ, diploide decenter amictum, & manum mulieri porrigẽs, ad cuius pedes, in ipsâ basi, aliena species plantæ orta, quę vbi vsque ad ęneæ diploidis fimbriam excreuerat, medicina omnium infirmitatum esse ferebatur. De herbâ crescente ad statuam hæmorrhoissæ. Hanc autem statuam dicebant repræsentare Iesum, quam & Maximinus impietatis suæ subiectum impertinens fecit. Et hęc quidem de illâ dicta sint, nunc ad illa quæ sequuntur, sermonem extendamus.

ANNOTATIONES.

LOCVS hic Asterij à Photio adfertur in Bibliothecâ, inter alia eiusdem Auctoris fragmenta. Pro προπανεάδος ἐστὰ πόλεως, *ibidem legitur*, Πανεάδος ἐστὰ πατρίας: *pro* ἄγαλμα *habetur* τὸ ξόανον, *& supra pro* πεισάσαι, πεισ... *Illud autem* Φιλίππου νῦν λεγομένη Καισάρεια, *non habetur apud Photium in isto loco Asterij, vbi etiam pro* ᾗ δεῖ *legitur* ἀεὶ. NVM. 48

Nota, S. Ambrosium lib. 2. de Salome cap 5 existimare hanc mulierem fuisse Martham sororem Magdalenæ quæ in Bethaniâ habitabat. Sed meliùs Asterius hic cum Eusebio Numero sequenti citato, & Sozomeno l. 5. c. 21. dicunt illam fuisse incolam Cæsareâ Philippi, quæ vrbs priùs Dan, *postea* Paneas *dicta est.*

VERS. 49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli vexare illum.

50. Iesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantùm, & salua erit.

CHRYSOSTOMVS Hom. 32. in Matth. Christus Archisynagogi filiam suscitat. 54. OPORTVNE Dominus exspectabat [puellæ] mortem, & post eam venit, vt manifestum fieret resurrectionis miraculum; propter quod & tardiùs incedit, & mulierem pluribus alloquitur, vt interim permitteret mori filiam Archisynagogi, & huius rei nuntij aduenirent. Hoc vtique Lucas significat, dicens: Adhuc illo loquente venerunt aliqui de domo dicentes, Quia mortua est filia tua. mortem enim eius manifestari voluit, ne suspecta foret resurrectio. Similiter etiam in Lazaro ad primam, secundam & tertiam diem expectauit. Quòd autem Archisynagogus valdè rudis existeret, audi quid dicat illi Saluator: Noli timere, crede tantùm, & salua erit.

VERS 51. Et cùm venisset domum, non permisit intrare secũ quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, ac Ioannem, & patrem & matrem puellæ.

IBIDEM. 51. CVR non & ceteros discipulos assumpsit? Vt nempe maius illis desiderium

Cur Christus solum Petrũ cum Ioanne & Iacobo assumpserit secum. detium indeter, quodq́ue adhuc imperfectiores essent. Idcircò enim Petrum simul cum Zebedæi filijs honorat, vt alij eos imitarentur. Adhibuit autem parentes in testes, ne quis factam esse diceret resurrectionem.

VERS. 52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, nõ est mortua puella, sed dormit.

53. Et deridebant eum, scientes quòd mortua esset.

54. Ipse autem, tenens manum eius clamauit, dicens: Puella, surge.

55. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuò. Et iussit illi dare manducare.

56. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

IBIDEM. 52. TV verò non solùm resurrectionem considera, verùm etiam quòd præceperit nemini vt dicerent, & omnibus maximè docuerit ambitionis ac vanæ gloriæ contemptum. Adhæc etiã obserua, vt flentes excluserit à domo, & huiusmodi visione indignos declararit. Quòd si autem eos tunc excluserit, multò magis nunc. Tunc *Mors, somnus.* enim nondum patebat, in somnum mortem fuisse conuersam; nunc verò ipso Sole illud clarius est. Nemo igitur deinceps ploret, nemo iniuriam inferat victoriæ Christi, qui & mortem superauit, & eam in somnum conuertit. Atqui non suscitauit filiam tuam nunc, sed suscitabit illam aliquando maiori cum gloriâ. Dormit puella, non est mortua: quiescit, non est perdita. Quid igitur ploras? *Psal. 114, 7.* Conuertere anima mea in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit tibi. Benefi*Mors est beneficium.*cium Deus hanc rem vocat, & tu ploras? Diaboli certè malitiam hic fletus decet, non te qui coronanduses, & quiete donandus. Tranquillus enim portus mors est, vita verò *Gen. 3, 16.* malis referta est quàm plurimis. In doloribus enim, inquit, paries filios, & in sudore comedes panem tuũ, & in mundo tribulationem habebitis. Nihil autem huiusmodi de hac scribitur, sed omnino contrarium; *Isa. 35, 10.* quoniam aufugit dolor, tristitia, gemitus, *Matth. 8, 11.* & quòd recumbent in sinu Abrahæ, & quòd *Ezech. 40.* ibidem sit thalamus spiritalis, ac lampades fulgentes, & transitus ad cælum. Quid ergo discedentem confundis? cur facis vt alij mortem timeant? cur causam præbes vt multi accusent Deum, quasi magna nobis mala inuexerit? Imò verò, cur post mortem tuorum pauperes conuocas? cur presbyteros, vt pro eo orare velint, obsecras? Vt defunctus, inquies, requiem adipiscatur, vt propitium inueniat Iudicem. Hisce ergo de causis lamentaris? numquid tibi ipsi officis? Nam cùm ille ad portum abierit, tibi ipsi tempestates suscitas. Cõmitte mortuo sua, *Mortuum non esse deflendum.* quò maiorem inde recipiat gloriam, vt si quidem peccator discesserit, peccaris se liberet; sin verò iustus, vt præmij ac retributionis fiat augmentum. Maius enim eleëmosynâ ceterisq́ue virtutibus est, moderatè ferre detrimentum. Cogita Dei Filium pro re esse mortuum, & cùm contristaretur, atque in agoniâ versaretur, mortem non subterfugisse, sed illam vel quàm maximè tragicam sustinuisse. Atqui simul corpus deponens, rursus maiori illud cum gloriâ resumpsit, vt & tu hinc certam resurrectionis spem concipias. Hæc itaque si fide digna, & non fabulas esse putes, ne fleas. Quòd si fleueris, quâ ratione Gentili persuadebis te hæc credere? quomodo ipsi de resurrectione verba facies? Ne cogitaueris igitur, filium non ampliùs esse rediturum, sed te ad ipsum breui abiturum. Noli considerare ipsum huc denuò non reuersurum; verùm & hæc omnia quæ videntur, non permanere, sed transfiguranda esse ac reformanda, & tunc tuum te filium maiori cum gloriâ recepturum. Quòd si quidem peccator discesserit, simul & peccandi finem fecit. Nam si pœnitentiâ acturus fuisset, Deus, cui omnia patent, non antequam eam egisset, ipsum rapuisset. Sin iustus obierit, cum securitate bona possidet. Si concreditum tibi depositum reddideris, ne sis ergo sollicitus, cum in thesauro inuiolabili rem tuam collocaueris. Nunc filius quoque tuus omni rerum mutatione liberatus est. Si hic ad huc esset, fortè quidem probus, fortassis verò improbus fuisset. Hæc tecum ipse sapienter peruolue, vt magnum à Deo patientiæ præmium recipias.

53. Verùm hæc quidem miraculi huius historia est: sed expedit fortassis accuratiùs *GEOMETRA & CYRILLUS* illam altiusq́ue contemplari, vt simpliciores quidem ac rudiores hinc magna Dei opera admirentur, ædificant enim etiam corporaliter intellecta. Qui verò eò possumus transcendere, vt hæc in figurâ illis accidisse cognoscamus? (scripta enim sunt propter nos.) Rogantes Deum postulemus sermonem quo eadem explicare valeamus, quomodo nimirum Iesus, cùm principaliter iret ad filiam Archisynagogi, non ad hæmorrhoüsam, hanc tamen in viâ sibi occurrentem primam curauerit. Venerat enim Dei Filius primariò ad Iudæorum synagogam, & inuenerat illam ægrotantem ac moriturientem. Delicta enim Israel fecerant illam mori. Hæmorrhoüsa verò in viâ immunditie plena,

Hæmorrhoüsa Gentilium, & filia Archisynagogi Iudæorum antitypus. na, quæ non quando fecedebat tantùm fluxum patiebatur, sed continuo fluxu sanguinis laborabat, atque assiduè ægrotabat, hæc ante illam credidit Filio Dei. Atque illuc quidem ipse abit, hæc verò illac transeuntis vestimenti fimbriam tangere cupit. Lucas autem hìc aliquid addidit, cuius non meminit Matthæus, quòd nempe duodecim annorum fuerit filia Archisynagogi; hæmorrhoüsa verò totidem annis fluxu sanguinis laborarit. Ab initio itaque natiuitatis alterius hæc sanguinis fluxum passa fuit. Incolumis namque est ista, quanto tempore viuit synagoga, idemque terminus temporis interitus illius, & principium salutis huius exsistit. Duodecimo enim illa ætatis anno moritur, hæc verò postquam duodecim annos ægrotauerat, per fidem curatur, cùm nullâ Medicorum industriâ sanari potuisset. Multi namque Medici gentiles curare conati fuerant. Si consideraueris Philosophos nuntiantes veritatem, Medici sunt qui curare tentent: verùm hæc cuncta profundens, à nullo Medico sanari potuit; tetigit autem per fidem fimbriam Iesu, & sanata fuit. Si nostram nosipsi in Iesum Christum fidem cõsiderauerimus atque intellexerimus qualis sit Filius Dei, & quidpiam ipsius attigerimus; videbimus profectò, quòd eius comparatione, fimbriæ dumtaxat fimbriam attingamus: illius inquam, cuius fimbria nos sanat, facitque vt à Iesu audiamus, Filia, fides tua te saluã fecit. Et curati cùm fuerimus, & Archisynagogi quoque filia resurget, quando nimirum multitudo Gentium introierit, tunc omnis Israel saluabitur.

ASTERIVS 54. Vt clariùs dicam, hæmorrhoüsa est Ecclesia ex Gentibus: Christus autem vestimentum dicitur. Induire, enim inquit, Dominum Iesum. Fimbria verò Christi, hoc est sapientiæ, initium est sapientiæ. Initium autem sapientiæ timor Domini. Curatur igitur fluxus sanguinis animæ timorem Domini suscipientis. Per timorem enim Domini omnis declinat à malo.

MACARIVS. 55. Et simpliciter omnis anima habet incurabile vulnus peccati, fontem immundarum cogitationum atque affectuum. Exsiccatur autem ac deficit fons ille impuras exundans cogitationes, per virtutem solius Iesu.

ANNOTATIONES.

NVM. 52 NOTA, *locum hunc Chrysostomi, vti alia plura, compendiosiùs inseri. Significat autem hic flentes, & vt Matthæus cap. 9. refert,* tibicines *à Christo eiectos, qui nimirum in funere conducti erant vt triste quid modularentur, v.g lessum aut nanias, quibus luctum & lacrymas amicis & vicinis elicerent. Sic etiam Gentiles suos planctores ac planctrices habebant, quas Varro, Nonnius Marcellus, Festus, & alij* præficas *vocant, eò quòd planctui præficerentur. Sic etiam Ieremias cap. 9 v 17. iubet vocari* lamentatrices, vt assumant, *inquit,* super nos lamentum, deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis.

IBIDEM. *Sequitur paulò infrà:* καθεύδει τὸ παιδίον, οὐ τέθνηκε, Dormit puella, non est mortua. *Nota tamen ex versu 49. verè fuisse mortuam. Verùm negat hoc Christus, vt Chrysostomus hoc loco cum Hieronymo & Theophylacto obseruant. Primò, quia Deo & sibi cui omnia viuunt non erat mortua, & resuscitanda erat (vbi nota, quòd Scriptura passim mortuos dormientes appellet, tum vt horrorem & immodicum luctum mortis somni nomine leniat, tum ob spem resurrectionis.) Secundò magis propriè & pressiùs, quòd non esset mortua eo modo quo alij putabant, scilicet omnino, & absolutè, quasi ad vitam reuocari non posset, cum tamen secundùm extraordinariam Dei prouidentiam posset fieri, imò statim futurum esset. vnde non tam mortua quàm dormire videbatur. Simili modo loquendi ac sensu Christus Ioannis 11. versu 11. ait:* Lazarus amicus noster dormit; sed vado vt à somno excitem eum.

S. LVCÆ CAPVT IX.

1\. CONVOCATIS autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & vt languores curarent. Math. 10, 1. Mar. 3, 13.

2\. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos.

1\. SVBLIMIORI verò sensu dæmonia eiecerunt, hoc est passionum fugarunt energiam. Ægrotos curarunt, nimirum ad habitum pietatis illos qui eâ carebant reducentes, atque eos qui præ torpore languebant, verbo iudicij confirmantes. MAXIMVS.

VERS. 3. "Et ait ad illos: Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. "Math. 10, 9. Marc. 6, 8.

2\. CONSIDERA vt motum ipsorum curam gerat, & non minùs quàm signorum; declarans signa sine istis nullum habere momentum. Ne igitur, inquit, tuleritis pecuniam, & quæ recensita sunt. Plurima vtique per hoc rectè ordinauit: primò quidem insuspectos reddens discipulos; secundò, ab omni eos curâ liberans, vt prædicationi solùm vacare possint; tertiò, ducens eus proprian virtutem. Hoc vtique ipsis etiam posteà dicit, Numquid aliquid defuit vobis, quando misi vos nudos, & absque calceis? Sed forsan dicet aliquis, cetera quidem habere ratione; sed, non habere peram CHRYSOSTOMVS Hom 33. in Matth. *Apostoli nihil in viâ conferre possunt.*

in viâ, nec duas tunicas, nec baculum, cuius rei causâ præcepit? In omni scilicet perfe-ctione illos exercitatos volens. Et, vt ita loquar, ex hominibus eos Angelos faciebat, expediens à qualibet curâ vitæ, vt vnâ solâ curâ detinerentur doctrinæ.

CYRILLVS *Apostoli à fidelibus sustentandi.* 3. Sufficiet, inquit, qui ex sacra frequentantibus fructus existit; illi siquidem spiritalia recipientes vobis prospicient. In domo autem vnâ manere ipsos iussit, & ab illâ non discedere, vt neque hospitem suũ contristarent, neque ipsi gulositatis suspicionem incurrerent. Decebat enim eos, à quibus semel recepti fuerant, hoc dono non priuari, vti & ipsos sanctos Apostolos studia sua atque conatus in diuinâ prædicatione non interrumpere, cùm à plurimis inuitarentur, non vt ea quæ ad salutem necessaria sunt ab illis discerent, sed vt mensam ijs lautam & necessitatis terminos excedentem instruerent.

ANNOTATIONES.

NVM. 2. NE igitur, inquit, tuleritis pecuniam.] *Vbi nota, hoc Christi præceptum de non possidendis opibus datum Apostolis, Primò, vt omni sollicitudine expediti, toti à Dei prouidentiâ dependerent. Secundò, vt toti Euangelio vacarent. Tertiò, vt simplicitatis, sobrietatis, paupertatis atque contemptûs opum exemplo omnes ad Christum traherent. Non fuit autem hoc temporale præceptum, vt volunt nonnulli, sed perpetuum. Nam talia sunt & cetera quæ hic subeuntur, & rationes datæ perpetuo locum habuerunt. Nec vetatur hic tantùm præparatio opum in viaticum, vt verba Lucæ hic præ se ferre videntur; sed per viam intelligitur tota eorum peregrinatio & legatio, ac consequenter totius vitæ decursus, qui viæ nomine in Scripturis appellari solet. Quod colligitur ex Matthæi 10. v. 9. vbi vetat quidquam ipsos possidere. Subiungitur autem* in zonis, *id est crumenis quæ ad zonas, maximè ab itinerantibus, appendi solent. Vetat etiam habere* duas tunicas, *scilicet mutatorias, alioqui frigoris aut necessitatis causâ duabus simul indui non vetat. nam & Christus ipse duabus indutus fuit, Ioan. 19. v. 23. Ita S. Hieronymus in Matthæi cap. 10. vbi & additur,* neque calceamenta: *sed* calceatos sandalijs *eos iubet esse, vt Marcus habet cap. 6. v. 9 quæ nimirum plantam pedis tantùm tegebant, quibus verosimile est Christum fuisse vsum, vtpote in apertâ & calidâ regione Iudæa. Ita S. Augustinus libro 2 de Consensu Euangelistarum cap. 30. & Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi, cap. 11. vbi ait, Christianos olim etiam sine calceis incessisse: quod idem testatur Tertullianus lib. de Pallio, cap. 5. Alij autem repetunt τὸ* duo, *vt sicut duas tunicas, ita duo paria calceamentorum Christus vetet habere, quod idem dicunt de* virgâ, *quia nimirum S. Marcus cap 6. v. 18. dicit,* Et præcepit eis ne quid tollerent in viâ, nisi virgam tantùm *Verùm dicendum, S. Marcum loqui de virgâ vel baculo itinerantium cui innitebantur, hic enim est symbolum viatorum pauperum, de quo dicit Iacob Geneseos 32. v. 10* In baculo meo transiui Iordanem. *S. Lucas verò hic, vti Matthæus cap. 10. loquitur de virgâ defensoriâ vel vindicatoriâ, de quâ Isaiæ 10. v. 4. & 5. & Psal. 44. vers 7. Sub virgâ ergo hac Synecdochicè quæuis arma sunt accipienda, quæ vetantur circũferre.*

VERS. 4. Et in quamcumque domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis.

5. Et quicumque non receperint vos: "exeuntes de ciuitate illâ, etiam puluerem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. "Act. 13, 51.

CHRYSOSTOMVS Hom. 33. in Matth. *Discipuli cur puluerem excuterent.* 4. QVID autem sibi vult illud, Excutite puluerem? nimirum vt ostendant, vel quod nihil ab ipsi acceperint, vel vt hoc ijs existeret testimonium longi itineris propter illos emensi. Tu verò considera, quomodo omnibus eos priuans, omnia nihilominus ipsis concesserit, præcipiẽs vt in discipulorum ædibus morarentur, & nihil habentes ad eos ingrederentur. Hoc enim pacto omni curâ liberabantur, certique sibi persuadebant, eos propter solam illorum salutem aduenisse, & quòd nihil circumferrent, nihil etiam præter necessaria postulare, nec simpliciter ad omnes ingredi.

ANNOTATIONES.

EXCVTITE puluerem.] *Nempe tamquam impium, propter impios incolas: vt significetur eos esse quasi anathemata, nec Apostolos cum illis, vtpote execrationi ac maledictioni & æternæ damnationi obnoxijs, quidquam habere commune. Tum etiam, vt hic puluis testis sit, eos accusans in die iudicij. Ita fecerunt S. Paulus & Barnabas Actorum 13.* NVM. 4.

VERS. 6. Egressi autẽ circuibant per castella, euangelizãtes & curãtes vtique.

7. "Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo, & hæsitabat eò quòd diceretur "Matth. 14, 1. Marc. 6, 14

8. à quibusdam: Quia Ioannes resurrexit à mortuis: à quibusdam verò: Quia Elias apparuit: ab alijs autem: Quia Propheta vnus de antiquis surrexit.

IBIDEM. 5. NON otiosè vtique tempus Euangelista annotauit, sed vt tyranni, quâ reliquos despiciebat, superbiam omnes intelligant. Non enim a b ipsis statim primordijs, sed longo pòst tempore, quæ de Iesu erant, cognouit. Verè autem hunc Tetrarcham vocat: nam Rex Herodes huius pater, qui pueros in Bethlehem crudeliter occiderat, iam pridem exspirauerat. Ab hoc autem Christi præcursor Ioannes è medio sublatus fuit, qui vt vox Verbi, & lucerna luminis exstitit, atque in materno vtero subsultauit, ad inferos quoque, Herodis illuc furore demissus, præcucurrit, vt etiam ibi eum qui venturus erat prædicaret.

VERS. 9. Et ait Herodes: Ioannem ego decollaui: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum.

10. Et reuersi Apostoli, narrauerunt illi quæcumque fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ.

IBIDEM. *Passania multa fortes facit.* 6. TV etiam quantò grauiora pateris iustè viuens, tantò fortior euadis: quò enim pluris facimus philosophiam, eò magis nullius indigebimus; & quantò nullius eguerimus, tantò fortiores atque omnibus superiores euadimus. Talis erat Ioannes, quapropter etiam, cùm ipsum quidem nemo contristaret, ipse contristabat Herodem: cumque nihil haberet contra Regem, surrexit qui purpurâ indutus ac diademate, & mille phantasijs implicatus, tremit ac timet omnium egenum ac nudum, & ne capite quidem truncatum sine timore videre potuit. Quòd autem post eius obitum, metum adhuc habuerit virescentem, audi quid dicat: Hic est Ioannes quem ego sustuli. Illud autem verbum, Sustuli, non insultantis est, sed timorem mitigantis, atque animo perturbato persuadentis, vt recordaretur quoniam ipse ipsum occidisset. Tanta est virtutis vis, vt post mortem ipsis etiam viuentibus sit fortior.

VERS. 11. Quod cùm cognouissent turbæ, secutæ sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei, & eos, qui curâ indigebant, sanabat.

CYRILLVS 7. HI quidem postulantes à dæmonibus liberari, hi verò languorum remotionem, nec non quos eius oblectabat doctrina, illi diligenter adhærebant.

VERS. 12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dicebant
Matth. 14, 15. Marc. 6, 36 illi: "Dimitte turbas, vt euntes in castella villasque quæ circà sunt, diuertant, & inueniant escas: quia hîc in loco deserto sumus.

13. Ait autem ad illos: Vos date illis
Ioan. 6, 9. manducare. At illi dixerunt: "Non sunt nobis plus quàm quinque panes, & duo pisces: nisi fortè nos eamus, & emamus in omnem hanc turbam escas.

14. Erant autem ferè viri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos.

15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes.

16. Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus, respexit in cælum, & benedixit illis: & fregit, & distribuit discipulis suis, vt ponerent ante turbas.

17. Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

CHRYSOSTOMVS *Hom. 50. in Matth.* *Christus propriâ virtute miracula faciebat.* 8. RESPICIT in cælum: nam oportebat credere quoniam à Patre esset. In rebus autem minoris momenti hoc facit, in maioribus verò cum potestate omnia peragit, vt discas eum tum non aliunde potestatem accipere, sed vt Patri honorem exhiberet sic agere, simul etiam vt nos doceret, non nisi actis ciborum largitori gratijs, ad mensam accedendum esse. Non autem facit cibum ex eo quod non est, vt obstrueret os Manichæorum, asserentium creaturam ab illo esse alienam, & ostenderet quòd ipse sit qui fructus largitur, ac dicit, Germinet terra, Multiplicat autem & pisces; quod signum erat ipsum terræ ac maris habere potestatem. Cùm verò particulariter ægrotantibus miraculum exhibuisset, impertit etiam beneficium vniuersale, cibans omnes etiam non ægrotantes. Per discipulos autem distribuit, ipsos honorans, & ne obliuiscerentur transacti miraculi, ipsis manibus illorum illud testantibus. Iubet autem super fœno discumbere, ad philosophiam turbas instituens, fecitque non panem, sed fragmenta suppetere, vt has illorum panum reliquias esse declararet, quæ tantæ erant, vt earum pari numero essent cum discipulis cophini. *Gen. 1, 11.*

SEVERVS. *Cur & vbi Christus inferri recumbere comestures.* 9. Si autem etiam libet anagogicum sensum proferre; primùm quidem Dominus super viridi introductoriarum ac rudiorum intellectionum herbâ conuiuas reclinat; deinde verò quinque panes ipsis confringit, solidiores nempe diuinarum præceptionum sermones, qui quinque sensus perpurgant. Ad habitum autem iam perfectum promotis, vt qui sensuum organa habeant perpurgata, septem panes in cibum apponit, quæ est perfectissima doctrina, in se continens spiritum sapientiæ, & virtutis, & intelligentiæ, spiritum consilij, spiritum scientiæ, ac pietatis, spiritum timoris Dei, quemadmodum Isaias enumerauit. Numerus enim septenarius symbolū est perfectionis. Ideircò etiam

X Iesus

Iesus post quinque illos panes apposuit in mensa septem. Apponit verò etiam piscium edulium, quod maris est fructus. hoc, vt mihi quidem videtur, significante sermone, quod qui Euangelij panibus enutritus est, doctrinamque suscipit, in mari versabitur, hoc est, collaborabit Euangelio Christi, vt Paulus ait: & hinc falsas atque amaras sustinebit tentationes, quarum fructus suaues sunt sicut pisces, qui simul comesti, vt edulium, suauiorem panibus gustum conferunt retributionem, vti & Paulus dicere videtur. Omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris; posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet. Quòd verò mare significet ingruentiam tentationum, dilucidè clamat Psaltes. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.

2.Tim.1,8

Heb.12,11

Psal.68,3.

BASIL. & NYSSENVS. *Christi misericordia super turbas sequentes se.*

10. Vt igitur dictum est, hæc sunt exempla humanitatis ac commiserationis Christi. Siquidem in deserto præ penuriâ deficientibus, mensam abundantem suppeditat, duplici ratione, nempe & ipsâ rerum copiâ, & suppeditandi modo mirabilem. Tot autem hominum millia quæ ad se accedebant, ieiunos dimittere non cupit, sed manibus panem illis frangit. Sic per vtrumque, animam dico & corpus, vtrique coniuncta Diuinitas publicatur, cũ illo videlicet illud operâte, vti & cum motu voluntatis animæ inexistente. Et simpliciter vniuersa miracula consimili ratione perfecta reperies. Panem autem, misericordiâ commotus, accumbentibus tribuit; quia dispersi erant instar ouium pastore carentium. Et corporales quidem infirmitates sanat, vulnera nempe membrorum ac mutilationes curat: morbos quoque spiritales soluit, & indissolubilia vincula peccatorum, ac violentorum nexus contractuum, quos cum peccati patre diabolo contraxeramus. Iuxta anagogen autem, effundens super turbam quæ foris erat, lumen visitationis suæ, vidit eam, & cernens eos esse *indignos commiseratione, quòd talibus vinculis tenerentur, in hoc affectus sensit, qui alienus erat ab affectibus. Quid autem affectus senserit, si commiseratus fuerit, & non sit benignitas ipsius in commiserando? Etenim, vt sic dicam, permotus super illam, ægrotos illorum sanauit habentes varios & omniiuges ex malitiâ morbos, vtpote auaros, gloriæ cupidos, potatores, & si quis est mulieribus deditus. Non tamen putandum est, quoduis peccatum esse morbum, sed id quod in totâ computruit animâ. Tales enim videre est pecuniarum amatores, argento, & in huius cùm custodiam tum coaceruationem totos incumbentes; auidos verò laudum, gloriosis inhiantes. consectantur enim laudem à vulgo ac nauci hominibus. Ac simile est de reliquis, de quorum differentiâ operæ pretium fuerit è Scripturâ disserere. Ait autem Apostolus, Corinthijs, varijs peccatis laborantibus, scribens: Inter vos multi infirmi & imbecilles. Audi siquidem vt in his etiam vinculum nectar, & contextum faciat ex diuersis peccatis, iuxta quod alij quidem sunt infirmi, alij verò imbecilles, videlicet plus quàm infirmi, & alij præter vtrosque, qui dormiunt. Nam qui propter debiles animi vires procliues sunt ad labendum in quoduis peccatum, etiamsi non omnino fuerint obnoxij alicui peccato speciali, quemadmodum imbecilles, tantummodò sunt infirmi. Qui verò pro Deo, quem diligere debebât, totâ anima diligunt pecuniam, aut gloriam, aut mulieres, hi peiùs affecti sunt quàm infirmi, suntque imbecilles. Dormiunt autem, qui cùm deberent attendere atque aduigilare animæ suæ, id non faciunt, sed ex nimiâ negligentiâ, dormitant voluntate, & somnioculosi sunt cogitationibus: qui quidem somniantes carnem polluunt; hi verò, quia dormiunt, in visis inanibus versantur, & insomniorum simillimis: ea autem quæ superoè veniunt, quæque vera sunt, non recipientes, per inania simulacra falluntur, de quibus in Isaiâ dicitur illud, Et sicut somniat, qui sitit, quasi bibens, & cùm surrexerit adhuc sitit, & anima eius frustrà sperauit; sic erunt diuitiæ omnium gentium, quicumque militauerunt contra Ierusalem. Post hæc obserua, quòd cùm discipulis panes benedictionis esset traditurus vt eos turbis apponerent, ægrotos curauerit, vt sani effecti, panum benedictionis participes redderẽtur. Qui enim adhuc ægrotant, non possunt panes benedictionis Iesu accipere; verùm si quis, vt accidit, temere panem Domini aut calicem sumpserit, infirmus fit atque imbecillis, aut etiam, vt sic dicam, dormiens, ex grauedine quæ ex huius panis virtute progignitur. Vespere autem facto, (hoc est, in cõsummatione sæculi, de quo opportunè dici liceat illud quod positum est in Epistolâ Ioannis, Nouissima hora est;) videntes diuinæ legis ac verbi solitudinem in plerisque, & necdum scientes quid facturum esset Verbũ, dicunt ei illud, Hora præterijt, quasi præterijsset opportunum tempus legis ac Prophetarum. Fortassis autem hæc dicebant, quia decollatus erat Ioannes, & lex ac Prophetæ, quæ erant vsque ad Ioannem, cessabât. Præterijt, igitur inquiunt, hora, nec adest cibus, eò quòd tempus illius iam non ampliùs sit præsens, vt qui te in deserto secuti sunt, legi ac Prophetis seruiant. Adhæc dicunt, Dimitte turbas,

*f. dignos

1.Cor.11,30.

Isa.29,8.

Panis Christi cibus fortium est.

turbas,vt si minùs queant à ciuitatibus,certè à vicis ac locis vilioribus emant cibaria. Hæc quidem ipsi dicebant,desperantes,turbas inuenturas, eò quòd dimissa esset littera legis, ac prophetiæ cessassent, insignes ac nouos cibos. At Iesus,Vos quidem,inquit,opinamini,turbas, si à me discesserint, egentes cibatijs,ea in vicis inuenturas potiùs quàm apud me; verùm ego vobis patefaciam, quòd eo quo creditis illos egere, non egeant; neque enim opus habent vt discedant: eo verò quo existimatis eos non habere opus, hoc est me,quasi non possim eos alere,hoc iuxta vestram expectationē opus habent. Quoniam igitur vos docui, reddidique sufficientes ad animi cibum egentibus porrigendum, vos date ipsis ad comedendum. Habetis enim à me potestatem vobis traditam,turbis cibum subministrandi; cui si fuissetis intenti, intellexissetis vtique me multò magis illos alere posse,nec dixissetis, Dimitte turbas. Discipuli autem non negantes quidem se posse dare panes, sed arbitrantes omnino nimis paucos esse, neque sufficere pascendis ijs qui Iesum fuerant secuti, neque considerantes quòd Iesus acceptum quemque panem, id est verbum, quantum vult dilatet, efficiens vt omnibus sufficiat quoscumque pascere velit; aiunt, Non habemus hic nisi quinque panes, ac duos pisces. Innuentes fortassis, quinque panes esse sensibilia Scripturarum verba,& ob hoc numero respondētia quinque sensibus: duos verò pisces esse stabilem atque internum sermonem, quasi obsonia terum sensibiliū in Scripturis repositarum, vel fortassis etiam sermonem qui ad illos de Patre Filioque peruenerat. Et quousque quidem hi quinque panes cum duobus piscibus à discipulis non proferebantur, non poterant multos alere; postquam verò illos Saluator acceperat,ipsis benedixit,verbo atque benedictione illos multiplicans, deinde diuidens ac frangens dedit discipulis, tum sufficiebant, vt omnes ederent ac saturarentur, adeò vt quosdam ex ijs comedere non valuerint; tantum enim turbis superetat: quæ quidem apud turbas non erant, sed apud discipulos,valentes tollere quod supererat ex fragmentis, teponereque in cophinos, pares numero tribubus Israel, non dimidiatos, sed plenos fragmentorum viuentium panum. Erant autem qui comederant similes numero quinario vsque ad quinque sensus pertingentes, atque idcircò quinque millia, non puerorum aut feminarum, sed virorum. Sunt enim, vti autumo,& in sensibilibus edulijs discrimina: vtpote quædam sunt eorum qui euacuauerunt ea quæ sunt paruoli,quædam rursus sunt eorum qui paruuli sunt adhuc ac carnales in Christo. Si autem omnes de panibus comederint, plurimisve comedentibus, iuxtaque dignitatem ac vites participibus factis, alij quidem numero digni erant, ad similitudinem eorum qui in libro Numerorum recensentur viginti annos nati Israëlitæ, viri fuerint; qui verò non erant tali ratione ac numero digni, pueri erant ac mulieres. Cùm autem secundùm Isaiam omnis caro fœnum sit, nisi quis carnem eiusque prudentiam spiritui subiecerit, quod est super fœno reclinare, non potest de ijs quos Iesus benedicit, panibus participare. Cùm verò Marcus secundùm contubernia eos accubuisse dicat,& in partes centenos & quinquagenos, Lucas verò per conuiuia quinquagenos, existimo significari per conuiuia & contubernia,diuersos ordines ac nutritiones consimiles eorum qui petunt à Iesu cibum. Oportet autem eos,qui requieturi sunt in cibarijs Iesu, in numero aut ordine esse centenario, qui numerus sacer est, ac Deo propter vnionem consectatus;aut in ordine quinquagenario,qui numerus continet remissionem iuxta mysterium Iubilei, quod solet quinquagesimo quoque anno innouari; vel ob festum Pentecostes. Quemadmodum autē sunt sedes duodecim, quot sunt tribus Israel, sic & cophini duodecim nutrientes singulas tribus.

Quinque panes annũt quinque sensus.

Isa. 40,6.

Mar. 6,39. Turba per contubernia disposita.

Luc. 9,14.

ANNOTATIONES.

RESPICIT in cælū.] *Diuinam nimirum gratiam panibus imprecaturus. Nota hîc, Christum hac benedictione secundùm alios virtutem aliquam physicam, secundùm alios verò moralem panibus indidisse, per suam videlicet deputationem & ordinationem efficiendo vt multiplicarētur; vti etiam benedixit panem Matthæi 26. cùm illum consecrauit, & Geneseos 1. benedixit creaturis.* NVM. 8.

Notat autem S. Augustinus in Catenâ aureâ, pro consensu Euangelico, istis verbis, Non sunt nobis plus quàm quinque panes,& duo pisces, *&c. S. Lucam in vnam sententiam constrinxisse responsionem Philippi, dicentis Ioan 6. v 7.* Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. *& responsionem Andreæ ibidem dicentis:* Est puer vnus hîc qui habet quinque panes hordeaceos,& duos pisces. *Quod enim ait,* Nō sunt nobis plus quàm quinque panes & duo pisces, *ad Andreæ retulit responsionem: quod verò adiunxit,* Nisi fortè nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas, *videtur ad responsionem Philippi pertinere: nisi quòd de ducentis denarijs tacuit. quamquam & in ipsius Andreæ sententiâ hoc posset intelligi. Cùm enim dixisset,* Est puer vnus hîc qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, *adiunxit,* sed hæc quid inter tantos? *hoc est dicere,* nisi fortè nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas. *S. autem Cyrillus cum Theophylacto in Ioannis cap. 6. opinantur, Philippum præ alijs rogasse, quia ipse præ alijs docilis erat, at non ita acutus, & multa etiam manifesta rogare solitus.*

S. AVGVSTINVS *libro 2. de Consensu capite 47. ad hunc locum ait:* Lucas autem post narratum de quinque panibus miraculum, pergit in aliud, & ab ordine isto digreditur. Neque enim aliquid de nauiculâ illâ commemorat, & de viâ Domini super aquas. *Operæ itaque pretium fuerit id ex alijs Euangelistis adscribere, quod ita describit*

S. MATTHÆVS CAP. XIV.

Mat. 6, 45 Ioan. 6, 9. VERS 22. Et statim compulit Iesus discipulos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

Ioan. 6, 17 23. Et dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi.

24. nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus: erat enim contrarius ventus.

25. Quartâ autem vigiliâ noctis, venit ad eos ambulans super mare.

26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes: Quia phantasma est. Et præ timore clamauerunt.

27. Statimque Iesus locutus est eis, dicens: Habete fiduciam: ego sum, nolite timere.

SANCTVS AVGVSTINVS *lib. 4. de Consensu c. 10. obseruat, quod S. Ioannes cap. 6.* solus commemorat, quòd cùm vellent eum Regem facere, solus fugit in montem. Quâ in re nihil mihi aliud videtur animam rationalem commonere voluisse, nisi eo se nostræ menti rationique regnare, quo est in excelsis, nullâ cum hominibus communione naturæ; solus, quia vnicus Patri. Hoc autem mysterium deorsum repentes carnales homines fugit, quia valdè sublime est. Vnde illos & ipse fugit in montem: quia regnum eius terreno animo requirebant: vnde & alibi dicit: Regnum meum non est de hoc mundo. *(Ioã. 8, 16.)* Neque etiã hoc nisi Ioannes commemorat, volatu quodammodò æthereo supereminens terrenis, & gaudens luce Solis iustitiæ. Ab illo itidem monte post miraculum de quinque panibus factum, cum ijsdem tribus paululum remoratus, donec mare transissent, quando ambulanit super aquas.

Prælatura fugienda

S. GREGORIVS *Pastoralis curæ Parte 1. c. 3.* Hæc igitur breuiter diximus, vt quantum sit pondus regiminis monstraremus, ne temerare sacra regimina, quisquis his impar est, audeat; & per concupiscentiam culminis, ducatum suscipiat perditionis. Hinc enim piè Iacobus cap. 3. prohibet, dicens: Nolite plures magistri fieri, fratres mei. Hinc ipse Dei hominumque Mediator regnum percipere vitauit in terris, qui supernorũ quoque spirituum scientiam sensumque transcendens, ante sæcula regnat in cælis. Scriptum quippe est Ioan 6. Iesus ergo cùm cognouisset quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterùm in montem ipse solus. Quis enim principari hominibus tam sine culpâ potuisset, quàm is qui hos nimirum regeret, quos ipse creauerat? Sed quia idcircò in carne apparuit, vt non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, Rex fieri noluit; ad crucis verò patibulum sponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetijt; vt membra eius videlicet discerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare: quia & ista sæpè per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant: in istis se animus erigit, in illis autem etiam quando se erexerat, sternit: in istis homo se obliuiscitur, in illis verò ad sui memoriam nolens etiam coactusque reuocatur: in istis sæpè & anteacta bona depereunt, in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur. Nam plerumque aduersitatis magisterio sub disciplinâ cor premitur: quod si ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se priùs considerans fugerat, mox vt regni gubernacula suscepit, intumuit: honorari namque coram populo cupiens, dum reprehendi publicè noluit, ipsum qui in Regem se vnxerat, abscîdit. Sic Dauid Auctoris sui iudicio pænè in cunctis actibus placens, mox vt pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit, factusque est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu feminæ fuit eneruiter fluxus. Et qui malis antè nouerat piè parcere, in bonorum quoque nece pòst didicit sine obstaculo retractionis anhelare: priùs quippe ferire deprehensum persecutorem noluit, & pòst cum damno desudantis exercitus etiam deuotum militem extinxit. Quem profectò ab electorum numero culpa longiùs raperet, nisi hunc ad veniam flagella reuocassent.

Elationis mala, & tribulationis bona.

VICTOR *in caput 6. Marci benè aduertit, quòd Iesus,* antequam turbam dimitteret, discipulos nauim conscendere compulit. Compulit autem, quia se ab illo diuelli non facilè patiebantur, partim quidem propter animi studium quo in illum ferebantur; partim etiam, quia incerti hærebant quomodo nauigio destitutus ad illos peruenire posset. Neque enim expendebant, Dominum eâ potissimùm de causâ abitionem indixisse, quo super aquas paulò pòst eum gradientem cernentes, præsentis virtutem & magnitudinem accuratiùs perspicerent. Vbi ergo turbas, (quæ ideò, vt probabile fit, ad illum accedebant, quò vel benedictione illius potirentur, vel certè vt sanitatem ab illo consequerentur) dimisisset, abijt in montem ibidem precaturus. Precatur autem, quò & verum hominem per hoc se probet, & orationis operi impigrè insistendum esse doceat.

Discipuli ægrè patiuntur se à Christo diuelli.

THEOPHYLACTVS *in cap 6. Ioannis:* Dominus quidem ascendit montem solus, vt probet desiderium discipulorum, an inquirant eum. At illi expectabant vsque ad vesperam, sperantes venturum ipsum: & cùm non veniret, non tolerabant, sed desiderio quærendi illum accensi, conscendunt in nauim. Non enim temerè & fortè Euangelista tempus manifestauit, sed per hoc vehementem illorum charitatem declarauit, quòd neque vespera eos retinuerit. Permisit autem eos tempestate periclitari; vt factâ post tempestatem tranquillitate,

Deus cur permittat suos amicos periclitari.

mira-

miraculo magis lætarentur, & indelebilis memoria sui illorum pectoribus insideret. Adstiti autem illis cùm tempestas esset, & sermone timorem eijciens, & tranquillitatem in mari faciens, duplicem securitatem operatur, sedando tam animorum quàm maris turbationem. Porrò in nauem non ascendit, miraculum maius facere volens. Vide enim tria miracula: vnum, quòd ambularit super mare; secundum, quòd compescuerit fluctus; tertium, quòd statim nauim fecerit esse in terrâ in quam ibant, quamuis multum abesset à terrâ cùm assisteret ei Dominus. Igitur transierunt quidem Iudæi mare rubrum, duce Moyse; verùm ille vt seruus omnia faciebat & precabatur, at hic omni cum potestate: & illic flante vento cedebat aqua, vt quasi in aridâ daret transitum; hoc autem loco maius miraculum fit. Manens enim in suâ naturâ mare, in superficie suâ ferebat Dominum, vt impleretur Propheticum Psalmo 65. Qui ambulat super mare, vt super pauimentum. Multi autem & nunc sumus in spiritualibus tenebris, & periclitamur in spirituali mari submergi; sed excipiamus Christũ, & omnino à periculis saluabimur. Et quamuis sæpè tumultus exciteut nobis quidam, vel diaboli, vel homines tentantes nos, & per terrores molientes nos concutere; audiamus tamen Christum clamantem: Ne timeatis, ego sum, &c.

S. HIERONYMVS *in cap. 14. Matthæi*, Rectè, *inquit*, quasi inuiti & retractantes Apostoli à Domino recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent. Denique Domino in montis cacumine commorante statim ventus contrarius oritur, & turbat mare, & periclitantur Apostoli: & tamdiu imminens naufragium perseuerat, quamdiu Iesus veniat.

IDEM *in Esaiæ cap. 64.* Ventus autem in Scripturis tripliciter ponitur, aut in tentationum magnitudine, aut in peruersitate doctrinæ, aut simpliciter ventus, quo nubila congregantur, & aër in nubes cogitur. De tentationibus illud est Euangelicum. Venerunt flumina & flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & non potuerunt subuertere eam, quia supra petram stabilit erat mole fundata. De peruersitate doctrinæ, vt: Non circumferamur omni vento doctrinæ in malitiâ hominum. De vento simpliciter: Et non poterant nauigare, erat enim ventus contrarius. Non quò & hoc nõ possit sentiri tropologicè, sed quò præsenti sensui tantùm similitudinem præbeat.

Tria venti significata.

VICTOR ANTIOCHENVS *in cap. 6. Marci explicat quæ sit quarta vigilia noctis, dicens:* Scriptura sacra totam noctem in quatuor vigilias deducit, singulisque ex illis tres horas assignat. Per quartam itaque noctis vigiliam designat decimam, aut vndecimam, aut duodecimam noctis horam. Circa vuam ergo aliquam extribus illis visus est eis per mare incedens, gressumque ad illos intendens. Cùm ij autem spectaculo hoc supra modum conturbarentur, propterque rei nouitatem quod cernebatur, phantasma esse arbitrarentur, nec non præ pauoris magnitudine sublatâ voce vociferarẽtur, Dominus illos compellauit, dicens: Confidite, ego sum, nolite timere. Dominus Iesus non priùs suis se discipulis patefacit, quàm ipsi clamoris voces ad illum destinant, eiusdemque opem & fidem implorant. Hoc enim modo excitati illius præsentiam auidiùs complexi sunt. Quia ergo sublatâ voce ad illum clamabant, trepidantes & vociferantes eiusmodi oratione à concepto metu absoluit:

Noctis quatuor vigiliæ quomodo diuisæ.

Christus inuocatus suis se discipulis manifestat.

Confidite, ego sum, nolite timere. Neque enim eum propter admirabilem inusitatumque super aquas ingressum, tempusque noctis nimium, satis internoscere poterant. Quamobrem vt voce seipsum manifestaret, omnino necessarium videbatur.

THEOPHYLACTVS *in cap. 6. Ioannis:* Quod autem dicit, hunc habet sensum: Terribilia quidem prætereunt. Ego sum, ideò ne timeatis ea quæ prætereunt. Ego autem sum, hoc est, semper manens, & sum sicut Deus ille qui est. Itaque quia terribilia quidem temporalia sunt, & non verè sunt; Ego autem sum, hoc est maneo, & numquam prætereo, & verè sum; ne perdatis vestram in me fidem propter temporalia. Vide autem, obsecro, quomodo non statim ab initio periculi, sed in fortiore apparet Christus, & soluit metum. Sinit enim nos in medijs esse periculis, vt cùm certauerimus in tribulatione, & pressi fuerimus, probatiores fiamus, & vt cùm mouerimus omnem nostram virtutem & sapientiam, inuenerimusque eum infirmam, ad illum confugiamus solum, qui ex inexpectatis saluare poterit. Nam cùm humana mens fatigata fuerit, tunc diuina salus repentè subuenit ac parat nos, vt ad illum solum fugiamus qui saluare potest, & non nobis ipsis adscribamus salutem. Si volueritmus autem & nos in nauem nostram suscipere Christum, hoc est habitationem dare Christo in corde nostro, statim inueniemur in terrâ in quam abimus. Quæ autem terra illa? Omnino terra promissionis cælum, quæ est terra mitium, & eorum qui liberati à malitiâ, in pace viuunt.

Omnia prætereunt præter Deũ.

Deus sinit nos in periculis incidere, vt ad se confugiãus liberet.

IDEM *in cap. 14. Matthæi:* Non mox adstitit eis vt tempestates sedaret, docens non sta im petendam aduersitatum solutionem, sed ferendas forti ter. At circa quartam vigiliam. In quatuor enim partes noctem diuidunt custodes, iuxta militarem disciplinam, singulis per tres horas suam seruantibus custodiam. Dominus autem post nonam horam noctis, ambulans supra aquam, tanquã Deus adstitit. Illi autem rem tam raram ac insolitam spectantes, putabant spectrum esse. Neque enim à specie ipsum cognoscebãt, partim propter noctem, partim propter metum. Ille autem animans illos, primùm eis dixit: Ego sum qui omnia possum, fidite.

Non statim petenda solutio aduersitatum.

S. AVGVSTINVS *lib. 1. Euangelicarum quæstionum cap. 15.* Quòd dixerunt discipuli phantasma esse, significat id, quod dictũ est, Puta, inueniet fidem in terrâ? Quia quidam, qui celeriùs diabolo, de Christi aduentu dubitabunt. Quòd autem Petrus implorat à Domino auxilium ne mergatur, significat quibusdam tribulationibus etiam post vltimam persecutionem purgandam esse Ecclesiam, quod & Paulus significat, dicẽs: Saluos erit, sic tamen quasi per ignem. Quod sequitur, vt adorantes omnes qui in naui erant, dicerẽt, Verè Filius Dei es; significat claritatem eius tunc manifestam futuram per speciem iam videntibus, qui per fidem nunc ambulant.

VERS. 28. Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas.

29. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauiculâ, ambulabat super aquam vt veniret ad Iesum.

30. Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine, ſaluum me fac.

31. Et continuò Ieſus extendens manum, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare dubitaſti?

32. Et cùm aſcendiſſent in nauiculam, ceſſauit ventus.

33. Qui autem in nauiculâ erant, venerunt, & adorauerunt eum, dicentes: Verè Filius Dei es.

Marc. 6, 53. 34. Et cùm transfretaſſent, venerunt in terram Geneſar.

35. Et cùm cognouiſſent eum viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes.

36. Et rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent. Et quicumque tetigerunt, ſalui facti ſunt.

Petrus titubãs typus Eccleſiæ. SANCTVS AVGVSTINVS *Serm. 13. de Verbis Domini:* Euangelium quod recentiſſimè recitatum eſt de Domino Chriſto, qui ſuper aquam maris ambulauit, & de Apoſtolo Petro qui ambulans timendo titubauit, & diffidendo merſus, confitendo rurſus emerſit, admonet nos intelligere, mare præſens ſæculum eſſe, Petrum verò Apoſtolum Eccleſiæ vnicæ typum. Illum tamen videte Petrum, qui tunc erat figura veſtra: modò fidit, modò titubat, modò immortalem confitetur, modò timet ne moriatur. Proinde quia Eccleſia Chriſti habet firmos, habet & infirmos, nec ſine firmis poteſt eſſe, nec ſine infirmis; vnde dicit Apoſtolus: Debemus autem nos firmi, infirmorum onera ſuſtinere. In eo quòd dixit Petrus, Tu es Chriſtus Filius Dei viui, firmos ſignificat: in eo autem quòd trepidat & titubat, & Chriſtum pati non vult, mortem timendo, vitam non agnoſcendo, infirmos Eccleſiæ ſignificat. In illo ergo Apoſtolo, id eſt Petro, in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, vtrumque genus ſignificandum fuit, id eſt, firmi & infirmi; quia ſine vtroque non eſt Eccleſia. Hinc eſt ergo, & quod modò lectum eſt, Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Si tu es, iube me. Non enim poſſum hoc in me, ſed in te. Agnouit quid ſibi eſſet à ſe, quid ab illo, cuius voluntate credidit ſe poſſe, quod nulla infirmitas humana poſſit. Ergo ſi tu es, iube; quia cùm iuſſeris, fiet. Quod ergo non valeo præſumendo, tu potes iubendo. Et Dominus, Veni, inquit. Et ſine vllâ dubitatione Petrus ad verbum iubentis, ad præſentiam ſuſtentantis, ad præſentiã regentis ſine vllâ cunctatione deſiluit in aquas, & ambulare cœpit. Potuit quod Dominus, non in ſe, ſed in Domino. Quod nemo poteſt in Paulo, nemo in Petro, nemo in alio vllo Apoſtolorum, hoc poteſt in Domino. Ergo ambulauit Petrus ſuper aquas in iuſſu Domini, ſciens hoc ſe à ſe habere non poſſe. Fide valuit, quod humana infirmitas non valeret. Hi ſunt firmi Eccleſiæ: attendite, audite, intelligite, agite. Neque enim agendum eſt cum firmis aliàs, vt ſint infirmi; ſed agendum eſt cum infirmis, vt ſint firmi. Multos autem impedit à firmitate, præſũptio firmitatis. Nemo erit à Deo firmus, niſi qui ſe à ſeipſo ſentit infirmum. Pluuiam voluntariam ſegregans Deus hereditati ſuæ. Quid præceditis, qui quod dicturus ſum noſtis? temperetur velocitas, vt ſequatur tarditas. Hoc dixi, & hoc dico: audite, capite, facite. Nemo à Deo fit firmus, niſi qui ſe à ſeipſo ſentit infirmum. Pluuiam ergo voluntariam, ſicut Pſalmus dicit: voluntariam, non meritorum noſtrorum, ſed voluntariam ſegregans Deus hereditati ſuæ, etenim infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam: quia pluuiam voluntariam ſegregaſti, non attendens hominum merita, ſed tuam gratiam & miſericordiam. Infirmata eſt ergo ipſa hereditas, & agnouit ſe infirmam in ſe, vt firma eſſet in te. Non firmaretur, ſi non infirmaretur, vt abs te in te perficeretur. Videns ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, exclamauit: Domine, pereo, libera me. Præſumpſit de Domino, potuit de Domino. Titubauit vt homo, rediuit ad Dominum. Numquid enim Dominus deſeruit titubantem, quem audiuit inuocantẽ? Vbi eſt illud: Quis inuocauit Deum, & deſertus eſt ab eo? Vbi eſt illud: Et omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit? Continuò porrigens adiutorium dexteræ ſuæ, leuauit mergentem, increpauit diffidentem. Modicæ fidei quare dubitaſti? De me præſumpſiſti, de me dubitaſti? Attendite. Attendite ſæculum quaſi mare, ventus validus, & magna tempeſtas. Vnicuique ſua cupiditas tempeſtas eſt. Amas Deum, ambulas ſuper mare, ſub pedibus tuis eſt tumor ſæculi. Amas ſæculum, abſorbebit te. Amatores ſuos vorare nouit, non portare. Sed cùm fluctuat cupiditate cor tuum, vt vincas tuam cupiditatem, inuoca Chriſti Diuinitatem. Putaris tunc eſſe ventum contrarium, quando eſt huius ſæculi aduerſitas? Quando enim bella, quando tumultus, quando fames, quando peſtilentia, quando cuique hominũ, etiam ſingulo, euenit priuata calamitas, tunc putatur ventus aduerſus, ibi putatur inuocandus Deus. Quando autem temporali felicitate ſæculum arridet, quaſi non eſt ventus contrarius. Noli hinc interrogare temporis tranquillitatem, ſed interroga tuam cupiditatẽ. Vide ſi tranquillitas eſt in te, vide ſi non te ſubuertit ventus interior. Hoc vide. Magnę virtutis eſt cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipſa ſubuertat felicitas. Magnæ inquam virtutis eſt, cum felicitate luctari; magnæ felicitatis eſt, à felicitate non vinci. Diſce calcare ſæculum: memento fidere te in Chriſto. Et ſi motus eſt pes tuus, ſi titubas, ſi aliqua non ſuperas, ſi mergi incipis, dic: Domine, pereo, libera me. Dic, Domine pereo, ne peream. *Proſequitur hiſtoriam*

Multos impedit præſumptio propria.

Pſal. 67, 10

Felix infirmitas quâ in Deo firmamur.

Ioël 2, 32.

Sæculum mari comparatum.

S. IOANNES CAP. VI.

VERS. 22. Alterâ die, turba quæ ſtabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi niſi vna, & quia non introiſſet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauim, ſed ſoli diſcipuli eius abiiſſent.

23. Aliæ verò ſuperuenerunt naues à Tiberiade, iuxta locum vbi manduca-

ducauerant panem, gratias agente Domino.

24. Cùm ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Caphatnaum quærentes Iesum.

25. Et cùm inuenissent eum trans mate, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?

26. Respondit eis Iesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: quætitis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.

27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis.
Matth. 3. 17. 17. 5. Ioan. 1. 32. 3. 23. "Hunc enim Pater signauit Deus.

THEOPHYLACTVS *ad hunc locum*, Turbæ, *inquit*, inuento Domino non supplicant & rogant, vt discant quomodo transierit; neque quærunt de hoc signo, sed remissè dicunt, Quando huc venisti? Nam qui quærebant illum rapere & facere Regem, inuento eo nihil tale deliberant: sed abiecto miraculo, inquirunt magis frui mensâ aliâ, quali & priùs, propterea exprobrat eis Dominus. Quæritis enim me, inquit, eò quòd de panibus comedistis: & ideò mei tenemini desiderio, vt iterùm vobis mensam parem. Obserua autem, quòd quamuis redarguat eos, non tamen durâ vtitur reprehensione. Non enim dixit: O mancipia ventris, & gulosi! sed cum mansuetudine. Corrigere enim volens, arguit illos: simul autem & per hoc quòd detegit occulta cordis illorum, ad maiorem illos adducere volens fidem. Quòd autem emendatio illorum fuerit reprehensio, manifestum ex sequentibus. vtilissimam enim eis doctrinam facit.

Modestè Christus arguit.

S. GREGORIVS *lib. 23. Moral. cap. 26. ad illud Euangelij huius*, Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus meis, & saturati estis: Per eorum personam Dominus illos intra sanctam Ecclesiam detestatur, qui per sacros Ordines ad Dominum propinquantes, non in eisdem Ordinibus virtutum merita, sed subsidia vitæ præsentis exquirunt: nec cogitant quid viuendo imitari debeant, sed quæ compendia percipiendo satientur. Satiatos quippe de panibus Dominum sequi, est de sanctâ Ecclesiâ temporalia alimenta sumpsisse: & non pro signis est Dominum, sed pro panibus quærere, ad Religionis officium non pro augendis virtutibus, sed pro requirendis subsidijs inhiare. Rursum, per panem iucunditas humanæ delectationis accipitur. Vnde Ieremias Thren. 1. cùm synagogæ perditos mores defleret, dixit: Omnis populus eius gemens, & quærens panem. Dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam. Gemens enim populus quærit panem, dum praua hominum multitudo affligitur; quia non ad votum de præsentis vitæ iucunditate lætatur. *Vide eundem cap. 25. fusiùs.*

Propter panes Christum qui sequantur.

EVTHYMIVS *in cap. 6. Ioannis:* Operationem verò pereuntis cibi hoc in loco appellat eam, quæ necessaria non est, sed superfluam siue permanentem & continuam sollicitudinem cibi sensibilis. Nam quę necessaria est, non prohibetur. Ideò etiam Paulus in multis Epistolarum locis, non solùm permisit proprijs operari manibus, verùm etiam præcepit, dicens: Si quis non vult operari, nec edat. Sicut *2. Thess. 3. 10.* ergo de Matthâ dicens Christus, Martha, Martha, sollicita es ac tumultuaris circa multa, atqui vnum est necessarium; non prohibuit hospitalitatem, sed præposuit diuinorum sermonum auditionem; ita & nunc, dicens, Operamini non cibum qui perit, sed qui manet in vitam æternam; non præcepit tantùm operari cibum animæ, quamquam sit magis necessarius, sed admonuit corporalem cibum obiter curare, animæ verò toto studio. Operamini, inquit, toto animo, omni curâ, continuè. Non iam hoc, iam illud; sed hoc ampliùs, illud verò minùs. Ne autem iactare se videatur, rursum ad Patrem recurrit, dicens: Hunc enim Pater consignauit Deus. Consignauit, siue in hoc loco, appoluit, vt hunc cibum daret vobis, vel demonstrauit, suoque testimonio manifestauit. Nam & ostendere quoque dicitur signare, ac si videlicet suo testimonio signauerit verum esse Deum.

Quomodo cibus spiritalis quærendus sit, & quomodo temporalis.

VERS. 28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus vt operemur opera Dei?

29. Respondit Iesus, & dixit eis: "Hoc *1. Ioã. 3. 23.* est opus Dei, vt credatis in eum quem misit ille.

30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum vt videamus, & credamus tibi? quid operaris?

31. Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: "Panem de cælo dedit eis manducare. *Exod. 16. 14.*

32. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen *Num. 11. 7*
dico vobis: Non Moyses dedit vobis *Psal. 77. 24*
panem de cælo, sed Pater meus dat vo- *Sap. 16. 20*
bis panem de cælo verum.

33. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.

34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

35. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ: "qui venit ad me, non esu- *Eccli. 24. 29.*
riet: & qui credit in me, non sitiet vmquam.

36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.

ALCVINVS *in Catenâ aureâ*, Intellexerant, *inquit*, escam istam, quæ permanet in vitam æternam, esse opus Dei, & ideò interrogant quid facerent, vt istum cibum, id est, opus Dei operari possint.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem*: Hoc autem dicebant, non vt discant & faciant, sed ad cibi exhibitionem eum inducere volentes.

THEOPHYLACTVS *ibidem:* Christus verò quam-

uis cognosceret, quòd eis nihil prodesset, tamen propter communem vtilitatem respondit, & ostendit eis, imò omnibus hominibus, quod sit opus Dei.

S. CHRYSOSTOMVS *Serm. de Fide & lege natura*, Vides, *inquit*, quomodo fidem opus vocauit? Igitur quamprimùm credideris, simul & operibus ornatus eris. Non quòd desint opera, sed per seipsam fides plena est operibus bonis. Opera quidem erga homines & ex hominibus sunt, fides autem ex hominibus erga Deum.

Aliud est credere alicui, aliud credere in aliquem.

S. AVGVSTINVS *in Catenâ aureâ ad hunc locum citatus, rectè notat quòd non dicit*, vt credatis ei, *sed*, vt credatis in eum. Non enim continuò qui credit ei, credit in eum. Nam & dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Et nos credimus Paolo, sed non in Paulum. Credere ergo in eum, est credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & eius membris incorporari. Ipsa est fides quam de nobis exigit Deus, quæ per dilectionem operatur. Discernitur tamen ab operibus fides, sicut dicit Apostolus, iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Et sunt opera quæ videntur bona sine fide Christi, & non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona. Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti: & ideò noluit discernere ab opere fidem, sed ipsam fidem dixit esse opus Dei. Ipsa est enim fides quæ per dilectionem operatur. Nec dixit, Hoc est opus vestrum, sed, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum; vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Credere ergo in eum, est manducare cibum qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducasti. Quia ergo inuitabat eos ad fidem, illi adhuc quærebant signa quibus crederent. *Vide eundem S. Augustinum lib. 1. de Prædestinatione cap. 7.*

Fides est opus Dei.

Ad Versum 30. Nota, eos vidisse signum multiplicationis panum, sed illud extenuant, & poscunt mirabilius quasi dicant: Moyses dedit manna ex cælo plus quam sex millibus hominum per quadraginta annos, fac tu quid simile, si à Moyse nos vis ad te traducere.

EVTHYMIVS *ad hunc locum ait*: Quia putabant manna esse panem ab eo quod propriè cælum appellatur, eò quòd scriptum esset, Panem de cælo dedit eis, corrigit erroneam eorũ opinionem. Nam ibi Scriptura aërem impropriè vocauit cælum, quemadmodum etiam dicuntur volucres cæli, & rursum, Intonuit de cælo Dominus. Ait ergo: Non Moyses dedit tunc nationi vestræ panem qui propriè de cælo sit, sed Pater meus nunc dat vobis panem ab eo quod propriè cælum appellatur. Nam sicut Pater propriè dicitur cælestis, ita & Filius cælestis, & propriè panis, vtpote cor hominis confirmans. Siquidem ille panis figuratiuus erat, me, inquit, præfigurans, qui sum ipsa veritas. Quemadmodum enim ille desuper descendens, eos qui participabant, pascebat ac roborabat; ita & ego. Sed ille ab aëre, ego autem à vero cælo. Ille quidem corpora pascebat ac roborabat; ego verò animas. In sequentibus autem ponit generaliorem differentiam inter figuratiuum panem, & eum qui verus est.

Manna figura Eucharistiæ.

Differentia manna & Corporis Christi

Hic nota, Christum panem suum, id est seipsum, vel Corpus suum, vt explicat Vers. 35 51. & 56 opponere manna veteri in tribus. Primò, quod Moyses homo manna dederit, idque soli Israeli; panem verò suum det Pater, idque toti mundo. Secundò, quòd manna non erat verè panis de cælo, sed ex aëre tantùm verò descendens; panis verò suus propriè è summo cælorum descendat, ac proinde solus cælestis & verè diuinus sit, cuius manna tantùm erat typus. Tertiò, consequenter manna tantùm ad tempus corpus aluit; hic verò panis vitæ, id est vitalis ac viuificus, corpus & animam in æternum viuificabit. Ita Chrysostomus & Cyrillus ad hunc locum.

VERS. 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eijciam foras:
38. quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.
39. Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.
40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me: vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.
41. Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi,
42. & dicebant: [u] Nónne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo descendi?

[u] Matth. 13. 55.

OBSERVAT *hîc Beda, quod absolutè dicit*, omne; *vt ostenderet plenitudinem fidelium. Hi autem sunt quos Pater dat Filio, quando per occultam inspirationem facit eos credere in Filium. Innuit quoque hîc Christus, Iudæos ob suam incredulitatem sibi non esse datos, vt scilicet sui essent discipuli & filij, sed pro ijs multos alios omnis generis ætatis & sexus sibi esse dandos. Assurgit hîc insuper Christus ad secretum voluntatis & prædestinationis Dei. Vult enim docere fidem esse donum Dei. Dat ergo Filio Pater prædestinando & vocando ad fidem, ita vt alter liberè sequatur & credat, & hoc ipso veniat ad Christum. Hæc enim causa est actualis fidei. Ita ferè Chrysostomus & Cyrillus ad hunc locum. Loquitur autem Christus propriè de prædestinatione ad fidem & gratiam, non autem ad gloriam; hæc enim remota & nimis incognita nobis. Adde, quod S. Paulus de illâ ordinariè loquatur.*

ALCVINVS *in aureâ Catenâ hoc etiam sic explicat, dicens*: Quemcumque ergo Pater traxerit ad hoc vt credat in me, veniet per fidem ad me, vt mihi iungatur: & eum qui passibus fidei & bonæ operationis veniet ad me, non eiiciam foras, id est, in secreto puræ conscientiæ mecum morabitur, & tandem recipiam eum in æternam beatitudinem.

S. AVGVSTINVS *ibidem*: Quare non eiiciat foras, subiungit, dicens: Quia descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Propterea enim anima à Deo exijt, quia superbia erat. Superbiâ enim eiecti sumus, humi-

Christum factum subiectum, vt nostram superbiam curaret.

humilitate regredimur. Medicus enim quando ægritudinem discutit, si curet quod per aliquã causam factum est, & ipsam causam non curet, ad tempus videtur mederi; sed causâ manente, morbus repetitur. Vt ego causa omnium morborum curaretur, id est, superbia; descendit, & humilis factus est Filius Dei. Quid superbis homo? Filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum. Hæc est enim commeodatio humilitatis: Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas voluntatem Dei.

S.GREGORIVS *lib.35.Moral. cap.12.* Quia ad ostendendam virtutem obedientiæ, occasio opportuna se præbuit, libet hanc paulò vigilantiùs sollicitiusque discutere, & quanti sit meriti demonstrare. Sola namque virtus est obedientia, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Vnde & primus homo præceptum quod seruaret, accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternã beatitudinem sine labore perueniret. Hinc Samuel ait 1.Reg.13. Melior est obedientia quàm victimę, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Obedientia quippe victimis iure præponitur: quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò igitur quisq; Deum citiùs placat, quantò ante eius oculos repressâ arbitrij sui superbiâ, gladio præcepti se immolat. Quo contrà ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta sit virtus obedientiæ, demonstretur. Ex aduerso igitur meliùs ostenditur, quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi ariolandi peccatum est, repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere: sola est quæ fidei meritum possidet, sine quâ quisque infidelis esse conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur Prouerb.21. Vir obediens loquitur victorias. Vir quippe obediens victorias loquitur: quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc in Euangelio Veritas dicit: Eum qui venit ad me, non eijciam foras: quia de cælo descendi, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Quid enim si suam faceret, eos qui ad se veniunt, repulisset? Quis autem nesciat, quòd voluntas Filij à Patris voluntate non discrepet? Sed quoniam primus homo, quia suam facere voluntatem voluit, à paradisi gaudio exiuit; secundus ad redemptionem hominum veniens, dum voluntatem se Patris & non suam facere ostendit, permanere nos intus docuit. Cùm igitur non suam sed Patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt, foras non eiicit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subiicit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: Non possum ego à me ipso facere quidquam, sed sicut audio, iudico.

Obedientia laus.

VERS. 43. Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem:

44. nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

45. Est scriptum in Prophetis: "Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. "Isaiæ 54, 13.

46. Non quia Patrem vidit quisquam, "nisi is qui est à Deo, hic vidit Patrem. "Matt.11, 27.

47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam æternam.

48. Ego sum panis vitæ.

49. "Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. "Exod.16, 15.

50. Hic est panis de cælo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.

SANCTVS AVGVSTINVS *Serm.2. de Verbis Apostoli.* Non dixit, Duxerit, sed Traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? Crede, & venis; ama, & traheris. Ne arbitreris istam asperam molestamque violentiam: dulcis est, suauis est; ipsa suauitas te trahit. Nonne ouis trahitur, cùm esurienti herba monstratur? Et puto, quia nõ corpore impellitur, sed desiderio colligatur. Sic & tu veni ad Christum: noli longa itinera meditari: vbi credis, ibi venis. Ad illum enim qui vbique est, amando venitur, non nauigando. Sed quoniam etiam in tali itinere abundant fluctus, & tempestates diuersarum tentationum, in Crucifixum crede, vt fides tua lignum possit ascendere. Non mergẽris, sed ligno portaberis. Sic fic in huius sæculi fluctibus nauigabat ille, qui dicebat, Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. *Idem fusiùs docet Tract.26. in Ioannem.*

Quomodo ad Deum trahimur.

Collige hinc primò, idem esse, à Deo trahi, quod audire, docere, dari filium, discere: adeoque trahi *nõ significare coactionem aut necessitatem, nec opponi libero arbitrio, vt volunt haeretici: sic enim trahuntur ligna & saxa, homines autem trahit sua quemque voluptas, vt pulchrè loco citato S. Augustinus. Tractus ergo significat vim & suauem efficaciam gratia, connotando simul ægritudinem atque imbecillitatem hominis, vt vehementi gratiæ motu non tam duci quàm trahi indigeat.*

A Deo trahi quid significet.

Hoc loco Ioannis S. Augustinus & passim veteres contra Pelagianos vsi sunt pro necessitate gratiæ, exceptis quibusdam Græcis, qui Pelagium præcesserunt, vnde isti cum sale legendi sunt, dum aiunt, eos qui trahuntur, hoc ipso promoueri aliquâ præuiâ voluntate. Nam si hoc de primo tractu & nudâ voluntate sine gratiâ accipias, Pelagianum est; si in de vlteriori tractu, & voluntate à gratiâ præuentâ, Catholicum.

Nota itaque, quosdam quidem trahi inchoatè, siue quantum est ex parte Dei, qui licet venire possint ad Christum, tamen non veniunt, quia scilicet Deum trahentem sequi nolunt; alios verò, de quibus hîc agit Christus, trahi completè, id est pertrahi ad Christum, qui scilicet Deum trahentem sequuntur, & consequenter quibus Deus gratiam dedit eorum ingenio & moribus cõgruam, quam prauidebat eos liberè secuturos, & conuertendos; pro quali gratiâ nobis semper orandum insinuat hîc Christus, ac docet Augustinus. Licet enim non sit simpliciter necessaria ad conuersio-

nem,

nem, est tamen necessaria ex hypothesi præscientia Dei iam dictâ, estque gratia prædestinatorum propria, vt docet idem S. Augustinus lib. 1. de Prædestinatione sanctorum, cap. 8. vbi vide eum, si lubet, fusè hac de re discurrentem.

IDEM *cap. 14. sic intelligendus super illud*, Omnis qui audiuit à Patre meo, & didicit, venit ad me: Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur. Audiuit quidem & didicit sibi esse veniendum; sed facere non vult quod didicit. Prorsus non rectè dicitur de isto docendi modo, quo per gratiam docet Deus. Si enim, sicut Veritas loquitur, omnis qui didicit, venit; quisquis non venit, profectò nec didicit. Quis autem non videat, & venire quemquam, & non venire, arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit; non autem potest nisi adiutum esse, si venit; & sic adiutum, vt non solùm quid faciendum sit sciat, sed quod scierit, etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam ita docet, vt quod quisque didicerit, non tantùm cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto diuino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas, adiuuatur. Si enim solum posse nostrum hac gratiâ iuuaretur, ita diceret Dominus, Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, potest venire ad me. Non autem ita dixit, sed, Omnis, inquit, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.

Vt venire & non venire à libero pendet arbitrio.

Duplex modus docendi.

S. CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ:* Quia verò turbæ instabant cibum corporalem petentes, & eius cibi qui patribus eorum datus erat reminiscentes; vt ostendat quòd omnia illa figura erant huius veritatis præsentis, mentionem de cibo spiritali facit dicens: Ego sum panis vitæ. Panem quidem vitæ seipsum vocat, quoniam vitam nostram continet, & hanc & futuram.

S. AVGVSTINVS *ibidem:* Sed quia illi de mannâ superbiebant, subiungit, Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Ideò patres vestri, quia similes estis illorum, murmuratores patres murmuratorũ filiorum. Nam de nullâ re magis Deum offendisse ille populus dictus est, quàm contra Deum murmurando. Ideò autem mortui sunt, quia quod videbant, credebant; quod non videbant, non credebant, neque intelligebant.

VERS. 51. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.

52. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ.

53. Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

54. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

HOc *loco Christum agere de venerabili Eucharistiâ, patet*

Primò, quia vtraque species hîc tam clarè describitur, vt clarius non potuerit, scilicet cibus, potus, caro, sanguis, quæ in spiritali manducatione propriè dici & distingui non possunt. Nec enim debemus credere speciatim carnem, deinde sanguinem Christi. Sufficit enim credere confusè in totam Christi humanitatem.

Secundò, quia nusquam in Scripturâ efficacia & fructus Eucharistiæ, item præceptum illam sumendi vniuersale, tam clarè exprimitur, & ita inculcatur, vt hîc.

Tertiò, quia quod nostra Vulgata habet, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ; *Græca legit*, Ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστὶν, ἣν ἐγὼ δώσω ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. *id, est:* Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ, *& sic debet intelligi nostra lectio. quasi dicat: Dabo veram carnem meam in cruce quasi frumentum molendam & pinsendam, vt inde fiat panis Eucharistiæ frugifer & vitalis. Aut etiam, Dabo eam in Eucharistiâ, quæ est sacrificium incruentum. Nam propter vnionem hypostaticam, inquit Cyrillus, caro Christi habet vim viuificandi, vt magis patebit Versu 57.*

Hinc patet, in Eucharistiâ verè ac propriè carnem Christi, quæ pro nobis crucifixa est, esse & manducari, eiusque sanguinem bibi, non autem figuram illius. Nam figura illius erat manna sapidissimum, cui tamen longè suum hunc panem præfert. Et de verâ Christi carne intellexerunt Capharnaitæ & discipuli, nec eos, licet scandalizarentur, reprehendit Christus.

In venerabili Eucharistiâ manducatur caro Christi.

Quòd autem Versu 54. dicit Iesus, Nisi manducaueritis, *&c. patet ex formâ verborum, esse præceptum, ac proinde ad solos adultos propriè pertinere, licet mysticè ad paruulos extendi possit cum S. Augustino lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 20. & Innocentio epistolâ 1 ad Concilium Mileuitanum, scilicet quòd paruuli comedant Corpus Domini, id est, fiant participes corporis mystici, puta Ecclesiæ, per Baptismum.*

Præceptum communionis quos concernat.

Quòd verò additur, Et biberitis eius sanguinem, *non significatur, per hoc necesse esse communicare sub vtraque specie, vt hinc vrgent Bohemi. Contrarium enim habet vsus & definitio Ecclesiæ, optima Scripturæ interpres. Quin & Coniunctio Hebraico more accipi possit pro aut, vti Exodi 21, 15. Ezechielis 44, 22. Nam hîc Versu 51. & 58. de solo pane dicit, quòd qui eum manducat, viuet in æternum. Et ita explicat S. Paulus 1. ad Corinth. 11, 27. dicens:* Itaque qui manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, *&c.*

Non præcipitur omnibus communio sub vtraque specie.

Quòd autem hîc dicitur, sine Eucharistiâ non haberi vitam, non ita intelligendum, quod absolutè sine eius manducatione reali non possit haberi vita, (quia contrarium patet in recèns baptizatis) sed quia sine eâ, in illis qui eius capaces sunt, non possit diu foueri & retineri. Sic dicimus sine cibo hominem non posse viuere, scilicet diu; quod maximè verum est, cùm præceptum, quod hîc esse dixi, Dei vel Ecclesiæ ad hoc vrget.

VER. 56. "Caro enim mea, verè est cibus: & Sanguis meus, verè est potus." *1. Cor. 11, 27.*

57. qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

58. Sicut

58. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me.

59. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.

EVTHYMIVS *ad hunc locum*, Caro, *inquit*, Christi verus est cibus, siue aptissimus, vtpote animam, quæ propriissima hominis pars est, nutriens: & similiter de sanguine. Aut hoc dixit, confirmans quòd non ænigmaticè neque parabolicè loqueretur.

RVPERTVS *in illud Geneseos cap.* 2. Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum; In hoc, *inquit*, mira terræ paradisi dulcedo ostenditur; quia scilicet aquarum natura salsa est, sterilis, neque potui habilis, sicut in semetipso mare ostendit. Ascendens autem de abysso in illam quasi magni corporis terræ mammam, id est paradisi fontem, quodammodò lacteam assumit dulcedinem, & irrigat vniuersam superficiem terræ, vt

Ps.103,11.

iuxta Prophetam potent omnes bestiæ siluæ, & exspectēt onagri in siti suâ; imò vt dulcesceret omnis terra, ad nutriendam herbam virentem, lignumque pomiferum. *Hæc ille. Ita sanguis ex naturâ suâ non est potus, sicut nec caro humana cibus: at caro & sanguis sicut a pectore suauissimo Christi exeunt, tam apta sunt vt comedantur, vt ipsemet Christus dicat*, Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, *&c.*

Christus est viuus fons in animâ beatâ.

S. AMBROSIVS *ad eumdem locum Geneseos ait:* Est autem paradisus mysticè anima fecunda & fertilis in Eden plantata, id est, in voluptate quadam. Considera autem quæ habet anima ista subsidia. In eâ est fons ad irrigandum, id est, Dominus Iesus Christus fons vitæ æternæ, de quo scriptum est, Quoniam apud te est fons vitę Hic est fons qui dicit, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; qui etiam ait, Venite, & edite de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis. Hic est fons qui irrigat paradisum, hoc est virtutes animæ eminentissimo merito pullulantis. Ex animâ igitur quæ culta est, & non ex eâ quæ inculta est, fons iste procedit, vt irriget paradisum, hoc est quædam diuersarum frusteta virtutum.

Eucharistia grande conuiuium.

RVPERTVS *in illud Gen.* 21. Fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis Isaac: Illic profectò grande conuiuium, cùm destitutis lacteis, id est infantilibus ritibus, scilicet brutorum animalium sacrificijs, traducit Christus suos ad verum & vnicum sacrificium Corporis & Sanguinis sui. De hoc grandi conuiuio Propheta dicit,

Isa.25,6.

Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, & vindemiæ defæcatæ. Et quia per hoc conuiuium peccata soluuntur, subdit: & præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes. Et quia conuiuium istud, id est, lætitiæ est, addit: Et dicent in illâ die: Ecce Deus noster ille, expectauimus eum, & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum, & exultabimus & lætabimur.

S. AVGVSTINVS *ibidem ait:* Non quia à nutricis lacte subductus est puer, magnum conuiuium exhibuit Abraham; sed quia idoneus habitus est Isaac fortioris gratiæ cibo, & virtutis alimento, non adhuc vti Corinthij lacte potandus, sed epulis solidioribus mandatorum Dei, mentis suæ lacertos firmans.

Panis pinguis & diues, quibus communicetur.

S. AMBROSIVS *super illud Gen* 49. Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus: Secundùm spiritum Aser interpretatione Latinâ significat diuitias. Quis igitur diues, nisi vbi altitudo diuitiarum est sapientiæ & scientiæ? Quis diues, nisi Dominus Iesus, qui abundat semper, & numquam deficit? Pauper venit in hunc mundum, & omnibus abundauit, vniuersa repleuit. Quantus est in diuitijs, qui paupertate suâ omnes diuites fecit? sed pauper propter nos, diues cum Patre. Vnde Apostolus 2. ad Cor. 8. Qui cùm diues esset, propter nos egenus factus est, vt eius nos inopiâ diuites essemus. Cuius inopia ditat, sanat fimbria, fames satiat, mors viuificat, sepulcrum resuscitat. Hic ergo diues thesaurus, huius pinguis panis: quem qui manducauerit, esurire non poterit. Hunc panem dedit Apostolis, vt diuiderent populo credentium, hodieque dat nobis eum, quem ipse quoudie sacerdos consecrat verbis suis. Hic ergo panis factus est esca sanctorum. Ego, inquit, sum panis vitæ. Hic est panis qui de cælo descendit, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. Et ne quis putaret, quia de hac morte diceret, quæ per animæ & corporis separationem venit, & iure dubitet, cùm sciat sanctos Apostolos hac morte esse defunctos, addit: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Ac si dicat: Non de temporali vitâ, nec de ipsius vitæ morte dixi: quâ etiamsi quis mortuus fuerit, tamen si panem meum acceperit, non moritur peccatoris morte, quia panis hic remissio peccatorum est. Et præbebit delicias sapientiæ, gratiæ, virtutum, & verbi Dei; Regibus, id est, qui sensus proprios benè regunt; qui dominantur vitiorum suorum, qui castigant corpora sua, & animæ suæ in seruitutem subijciunt: vel vt ait Rupertus, eis qui seipsos studeut regere, vt sint digni mensâ regalis curiæ, delicias præbebit vitalis alimoniæ.

Eucharistia panis Regū.

Eucharistia panis filiorum.

S. MACARIVS *Hom.* 14. Quemadmodum si quis cùm multa bona, seruos ac filios possideat, cibis alijs seruos pascit, & alijs proprios filios se mine suo natus; quia filij sunt heredes patris, & cum eo manducât, vtpote patri suo propemodum æquales: ita Christus, qui verus est Dominus, omnia creauit, nutritque prauos & ingratos: sed filios, quos è semine suo genuit, & participes effecit gratiæ suæ, in quibus formatus est Dominus, peculiari refectione, alimēto, cibo & potu præter ceteros homines nutrit, largiturque se illis conuersantibus cum patre suo, sicut ait Dominus: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

Vbi nota; S. Ioannem delectari verbo manet, *& aliquando significare moram, aliquando continuam coniunctionem.*

Quomodo Christus in nobis maneat per Eucharistiam.

Mansio autem hæc fit, non tantùm per charitatem quæ datur in sacra Communione, per charitatem inquam illam virtutem Theologicam; sed etiam, & quidem magis propriè fit per ipsam Eucharistiam, per quam Christus nobis, & nos carni eius, ac consequenter personæ, Diuinitati & omnipotentiæ eius realiter commisce-

misceamur, sicut cera commiscetur ceræ, & fermentum pani. Inde in sacrâ Communione non tantùm Christiferi, vt in Catechismo suo Cyrillus ait, sed etiam concorporei & consanguinei Christi reipsâ efficimur.

Indicat quoque hic Christus duplex discrimen Eucharistiæ & cibi communis. Primò, quòd cibus communis in nobis non maneat, sed in substantiam nostram conuertatur: in Eucharistiâ verò caro Christi non transit in substantiam manducantis, sed permanet. Secundò, cibus communis vitam accipit à manducante: Eucharistia verò potiùs dat vitam manducanti, ratione cuius manducans dicitur in Christo manere.

VERS. 60. Hæc dixit in Synagogâ docens, in Capharnaum.

61. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?

62. Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?

*Ioan. 3, 13. 63. Si ergo videritis *Filium hominis ascendentem vbi erat priùs?

64. Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quidquã. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.

66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.

67. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant.

68. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?

69. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

*Matth. 16, 16. Marc. 8, 29. Luc. 9, 20. 70. *Et nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei.

71. Respondit eis Iesus: Nónne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus diabolus est?

72. Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm esset vnus ex duodecim.

Verbũ Dei aliter electis, aliter reprobis sapit.

SANCTVS BERNARDVS *Serm. 3. in Psal. 90.* Prædicante aliquando Saluatore, & sub mysterio edendi corporis sui ad communicandũ passionibus suis admonente discipulos, fuerunt qui dicerẽt, Durus est hic sermo. Abeuntibus autem illis, inquisiti Apostoli an & ipsi vellent abire; Domine, inquiũt, ad quem ibimus? verba vitæ æternę habes. Vidésne quàm diuersa videtur de verbo Dei sententia diuersorum? Valdè enim contraria sunt, Durus sermo, &, Verba vitæ. Idem cibus apponitur, sed non idem sapere videtur vtrisque. Nec verò cessat vsque hodie partis vtriusque successio: inuenire est etiam nunc in Ecclesiâ, quibus manifestum est, quia verba quæ Iesus loquitur, spiritus & vita sunt, ideòque sequuntur illum quocumque ierit. Alijs durus videtur sermo Iesu, nec possunt audire eum, ignorantes quòd diffusa sit gratia in labijs eius. Inde est quòd pergunt miseri miseram quærere consolationem. Non sic impij, non sic cùm insonuerit sermo durus, & verbum asperum, Ite maledicti, &c.

Verbũ Dei iudicatur durum à duritiá cordis.

GVERRICVS *Abbas super idem,* Esto, *inquit,* durus est, numquid non verus est? Lapis durus est, numquid non pretiosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? Si cor tibi pietate mollesceret, plus tibi soliditas veritatis quàm vanitas mendacij, vel oleum adulationis placeret. Durus est, aiebant, hic sermo, quia quasi lapis. Virtus erat probatio sapientiæ, ideòque non sunt demorati proijcere eam & retrò abire: nec ob aliud pretiosum & electum à Deo lapidem reprobauerunt, nisi quia durum putauerunt. Et erat quidem petra Christus, sed quæ conuerti poterat in stagna aquarum, vbi mollia & humilia, quibus influeret, inuenit corda fidelium.

Quid spiritus, quid caro.

Illud autem Versus 64. Spiritus est qui viuificat, *&c. rectè explicat* EVTHYMIVS *dicens:* Spiritum nunc vocat intellectum spiritalem eorum quæ dicta sunt. Similiter & carnem, intelligere ea carnaliter. Non enim de carne ipsius, quæ viuificat, nunc sermo est. Ait ergo: Hæc spiritaliter intelligere, vitam præbet, quam suprà dixi: carnaliter verò ea intelligere, non prodest quidquam. Spiritus & vita sunt, id est spiritalia & viuifica sunt. Oportet namque non simpliciter ea intueri, id enim est carnaliter intelligere; sed aliud quidpiam imaginari, & interioribus oculis ea aspicere tamquam mysteria; nam hoc est spiritaliter intelligere.

IDEM *ad Versum 71.* Nónne ego vos duodecim elegi? Hoc interrogatiuè legendum est. Et tamen vnus ex vobis, in nullo adiutus meâ electione, vtpote liberum habens arbitrium ad virtutem & vitium, diabolus est, siue diabolicus, & diaboli minister. Significat itaque, in voluntate ac electione hominis situm esse vt saluetur aut pereat.

Posset autem diabolus hic accipi, Primò prout Græcè sonat, Calumniator; quia Iudas opera Christi calumniatus est apud Principes Sacerdotum. Secundò potest respondere Hebræo satan, *quod est Aduersarius seu Hostis. Tertiò, diabolus, hoc est Proditor. sic enim diaboli nomen ἐπιτηχενσικῶς in Græco sumit Ecclesiastici cap 26, 6. Quartò denique propriè diabolus, hoc est homo diabolicus. Videtur autem hic Christus alludere ad casum diaboli, qui ex Angelo summo, in quem electus erat, se fecit diabolum: sic & Iudas ex Angelico Apostolorum officio excidens, se fecit diaboli socium & diabolum; vt discamus, etiamsi sanctissimo simus loco, semper timere casum.*

Nunc denuò ad textum S. Lucæ reuertamur.

VERS. 18. *Et factum est, cùm solus esset orans, erant cum illo & discipuli: & interrogauit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? *Matt. 16, 13. Marc. 8, 27

19. At illi responderunt, & dixerunt: Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò, quia vnus Propheta de prioribus surrexit.

20. Dixit autem illis: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Christum Dei.

21. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.

CHRYSOSTOMVS Hom 55. in Matth. *Petrus erat os & lingua Apostolorum.*

11. PETRVS autem inter omnes ad crucem feruentior, os Apostolorum est: omnibus enim silentibus ipse locutus est. Vbi verò rogauit Christus, Vos autem quem me esse dicitis? respondens dixit, Tu es Christus. Vos, inquit; & pro omnibus ipse locutus est. Quemadmodum enim os pro toto corpore loquitur, sic & lingua Apostolorum erat Petrus, & pro omnibus ipse respondit. Pater autem illi reuelauit, & animam ipsius conuertit. Idcircò etiam beatus nominatur, qui verè confessus est ipsum esse Filium.

ORIGENES.

12. Saluator autem hæc à discipulis sciscitatur, vt nos varias de ipso Iudæorum opiniones cognosceremus. Fortassis etiam idcircò, vt discipuli discant semper esse curiosi sermonum qui de ipso ab hominibus dicuntur. Quod nobis facientibus ad hoc conducit, vt maledictorum quidem occasiones modis omnibus auferamus, rectè verò dictorum causas adaugeamus. Cererùm Iudæi quidem, vt corde obuelati, falsas habebant opiniones de Iesu: sed Petrus tamquam non carnis aut sanguinis discipulus, dicit Iesum non esse vnum ex illis, sed, Tu, inquit, es Christus; & quod maius est, Filius Dei viui. Viuo enim ego, inquit Dominus, per excellentiam omnium viuentium; vtpote qui & solus habeat immortalitatem, & fons sit vitæ. Si dixerimus etiam nos quemadmodum Petrus, idem quod ille audiemus. Petra enim est, quisquis est Christi discipulus. Nam regni cælestis claues beatis omnibus sunt communes, & secundùm Ioannem, ligare quoque ac soluere. Quorum enim, inquit, remiseritis peccata, remittuntur; quorum verò retinueritis, retenta sunt. Portæ autem inferorum diuersæ sunt, scortatio, negatio, auaritia, ac cetera mala, Etiam sectæ peruersæ, portæ inferni existunt. quæ quoque appellantur portæ mortis, secundùm illud, Qui exaltat me ex portis mortis. Neque quispiam qui has non euaserit, & iam peruenerit ad portas Sion, omnes enarrabit laudes Domini. Portæ autem Sion sunt, temperantia, iustitia. Hæc, enim inquit, porta Domini, iusti intrabũt in eam.

Boni sermones fouendi, mali intertumpendi.

VERS. 22. "Dicens: Quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus, & principibus sacerdotum, & Scribis, & occidi, & tertiâ die resurgere. "Matth. 17, 23. Marc. 8, 31

BASILIVS in Isaiæ cap. 11. Matth. 24, 30.

13. HOC est signum de quo in Euangeliis dicitur, Videbunt signum filij hominis, id est Crucem. cuius gratiâ mundus iste crucifixus est Sanctis, & ipsi mundo. In quo Scriptura effectricem signi illius vim aperit: ideoque per crucem dispésatio Incarnationis adimpleta est, vt videlicet à quatuor terræ alis in vnum, qui ad salutem prouehendi essent, cœtum aggregarentur. Quadrifariàm enim crucis partes extenduntur, ita vt vnaquæque spectet quatuor partes mundi, siue vt quatuor istæ partes, per partes crucis dirigantur ad salutem. Idcircò mors per crucem prælata est, quòd ante ligneam istam crucem, altera quædam ratione perceptibilis toti mundo crux fuerit, nimirum quatuor partibus vniuersi in medio coëuntibus, virtuteque ab eodem medio ad extremas quatuor partes perueniente.

Figura crucis mysterium.

NYSSENVS in Catechetica.

14. Crux itaq; num aliquam etiam aliam profundiorem contineat rationem, viderint ij qui res arcanas nouerunt. Quod autem ad nos venit ex traditione, est eiusmodi. Quoniam in omnibus quæ à Domino dicta vel facta sunt, apparet Diuinitatis quædam mixtio cum humanitate; cùm vox quidem aut actio humanitus transeat, id autem quod ex occulto intelligitur, ostendat Diuinitatem; in hac etiam parte consequens fuerit, vt non aspiciatur vnum, alterum autem despiciatur; sed in morte quidem consideretur humanitas, in modo autem id quod diuinius est studiosè disquiratur: cùm proprium sit Diuinitatis, omnia peruadere, & naturâ suâ omnibus quæ existunt secundùm omnem partem coëxtendi. Non enim manserit quidpiam in essentiâ, nisi in eo quod est permaneat. Quod autem propriè est, diuina est natura: quam vt necessariò credamus esse in cunctis quæ sunt, nos cogit eorum quæ sunt permansio. Hoc per crucem docemur, cùm eius quadrifariàm figura diuisa sit, adeò vt ex medio in quo sibi ipsi coniungitur, numerentur quatuor protensiones: quoniam qui in eâ extensus fuit tempore dispensationis mortis, qui sibi vniuersum hoc colligat atque coaptat, diuersas rerum naturas ad vnam conspirationem & harmoniam per seadducit. In iis enim quæ sunt, vel sursum liquid intelligitur, vel deorsum, vel ad transuersos fines transit cogitatio. Si ergo consi-

consideres cælestium, aut terrestrium, aut vtrorumque vniuersi extremorum constitutionem, tuę considerationi semper occurrit Diuinitas, quæ in omni parte in contemplationem venit, & omnia continet in essentiâ. Quandoquidem igitur ad Deum vniuersa creatura spectet, & penes ipsum sit, & per illum sibi ipsi cohæreat ac coalescat, cùm superiora inferioribus, & obliqua sibi inuicem per ipsum coniungantur; oportebat nos non solùm auditione deduci ad Diuinitatis considerationem, sed etiam visum effici doctorem sublimiorum intelligentiarum. Hinc motus magnus ille Paulus, docebat populum Ephesinum, indens ipsis virtutem doctrinæ ad cognoscendum, quæ sit profunditas ac latitudo, altitudoque ac longitudo: vnamquamque enim crucis porrectionem proprio nomine appellat. Altitudinem quidem, id quod supereminet; profunditatem autem, id quod est subtus; latitudinem verò ac longitudinem, quæ sunt transuersim extensiones. Alibi autem hunc sensum clarius explicat, vt arbitror ad Philippenses, cùm dicit, quòd in nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium, & infernorum. Hic medium ac fastigium vnâ complectitur appellatione, vt qui quidquid inter cælestia & inferna intercedit, terrestre nominauerit. Hoc quidem didicimus de mysterio crucis.

Ephes. 3. 18. — *Crucis pro tensiones quid insinuent.* — *Phil. 2, 10.*

ISIDORVS l. 1. ep. 114. 15. Trium autem dierum ac noctium à Domino in sepulcro transactarum, hæc est explanatio. Nam scriptum est, Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Is igitur qui se Ionæ typum expressurum receperat, cùm eum exactè nosset (quippe qui etiam Ionæ aderat, & in profundum præcipitato, & è profundo eiecto) eum quoque sine dubio expleuit, tàto tempore in sepulcro commoratus, quanto in ceti Ionas. Quòd si & alteram quæras explicationem, hæc sit. Sexta horâ Parasceues in crucem actus est Dominus. ab hac horâ ad nonam vsque tenebræ extiterunt; hoc tu noctem cogita. Rursus à nonâ lux: hoc rursus pro die habe. nox rursum Parasceues: tum dies sabbati. Nox sabbati, Dominici diei diluculum, iuxta Euangelistam dicentem, Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati. Quòd si & tertiam intelligere postulas, ea est eiusmodi. In die Parasceues Dominus spiritum tradidit: en vna dies. Sabbatum totum in sepulcro exegit, posteà eius noctem lucescente Dominicâ e sepulcro surrexit: id quoque dies est. Siquidem à parte, vt nosti, totum intelligitur. Sic & nos defunctorum solemus memoriam celebrare. Quacumque enim diei horâ quis moriatur, postero dumtaxat die interiecto, altero pòst die tertianum ipsius diem agimus. Habes, vt arbitror, quæstionis solutionem. Quòd si perfectos dies requirant qui malitiose pugnant, respondendum, quòd Rex quoque, si admissâ eorum, qui in metallis ac vinculis sunt, supplicatione, hoc ipsis pollicitus fuisset, se post tertium diem ipsos missos facturum, ac præstitutum diem anteuertens, eos liberasset, per hanc celeritatem verum magis dixisset. Similiter itaque Dominus, citiùs quàm promiserat resurgens, ab omnibus merito adorabitur.

Matth. 12, 40. — *Christus vt triduo fuerit in sepulcro.* — *Matth. 28, 1.*

VERS. 23. [a]Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.

[a] Matth. 10, 38. 16, 24. Marc. 8, 34. Inf. 14, 27. 17, 33. Ioan. 12, 25

24. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam: nam qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam.

16. ABNEGATIO quidem sui ipsius, est omnimoda rerum transitoriarum obliuio, atque à propriis voluntatibus recessio. Desiderium verò mortem pro Christo oppetendi, & mortificatio membrorum quæ sunt super terram, & paratum esse ad quoduis periculum pro Christo subeundum, atque erga præsentem vitam non affici, hoc est tollere crucem suam. In hoc igitur consistit perfectio, vt quis passionibus careat, nec feruet affectum etiam erga ipsam vitam, etsi habeat mortis responsum, vt nequaquam in seipso confidat. Porrò hæc sumit exordium à rerum externarum abdicatione, vt puta possessionum vel inanis gloriæ, vel simpliciter ab affectu rerũ supernarum, quemadmodum exemplo suo nobis demonstrarunt sancti Domini discipuli: Iacobus quidem & Ioannes, relicto patre suo, ipsoque, de quo tota illorum victus ratio pendebat, nauigio. Matthæus verò, quando è telonio ipso surrexit, & Dominum secutus est, non lucra solum deserens, verùm etiam pericula contemnens quæ ipsi à Magistratu imminebant, quòd redemptorum à se vectigalium rationes, discedens, non confectas reliquisset. Quin & Paulo totus mundus crucifixus erat, ipseque vicissim mundo toti. Adeò qui vehementer Christum sequi desiderat, is de nullâ omnino vitæ huius re curare ampliùs potest.

BASILIVS in Reg. fusè disputatis, Interrog. 6 — *Col. 3, 4.* — *Abnegatio & mortificatio quid sint.*

ISAAC. 17. Quemadmodum qui iam nunc in crucem ascendere paratus est, animo suo mortis concipit cogitationem, & sic egreditur

Crux ob oculos semper habenda.

tur quasi nullam ampliùs vitæ huius partem habiturus: sic etiam qui hoc post Christum eundi dictum implere desiderat, semetipsum priùs abneget. Hæc enim crux est, prompta scilicet ad quamcumque tribulationem voluntas.

18. Qui enim in hoc mundo viuere desiderat, veram ille vitam perdet; qui verò se perditum it causà Christi, ibidem seipsum inueniet: hoc est, qui semel viam crucis ingressus, iterùm vitæ curam suscipit, hic se ipsum frustrabit spe illà, ob quam exiuit tribulari; quoniam hæc sollicitudo non sinit illum appropinquare diuinæ tribulationi: qui autem ex desiderio Christi in mente suà suam perdit animam, illæsam eam atque inculpatam conseruat in vitam æternam. Atque hoc est illud, Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet illam. Etenim in hac vità oportet animam suam abnegare. Animæ autem abnegatio est, nullà in re suæ voluntati obsequi velle, sed potius voluntatem suam facere propositum sermonem Dei.

19. Aliter autem semetipsum quis denegat, cùm priorem vitam suam malam per bonam ac dignam conuersionem relinquit. Ita qui solet esse prodigus, semetipsum abnegat moderatè viuendo; & qui quondam erat iniustus, abnegat se iniustum iustitiam exercendo. Et in similibus simpliciter omnis peccati desertio, sui est ipsius abnegatio, post Iesum ferentis propriam crucem baiulantem. Si quidem quis velit in præsenti vità per res sensitiuas animam suam saluam facere, hic perdet illam, beatitudinis ipsam terminis excludens: sin verò quis præsentem hanc vitam contemnens, pro veritate ad mortem vsque dimicauerit, pro Religione ac pietate illam neci tradens, quæ communiter mors dicitur; is propter Christum animam perdens, saluabit illam, aut potiùs eam lucrifaciet. Si itaque animam saluari beatum est, referendo ad salutem quæ in Deo est; debet etiam esse quædam bona perditio animæ, quę fit causà Christi. Videtur verò mihi non absimile abnegationi illud, perdere quemlibet debere animam suam peccatricem, vt recipiat illam in emendatione saluatam.

20. Considera autem quàm liberum Saluator sermonem faciat, vnumquemque propositi sui Dominum constituens, ac dicens, Si quis velit.

21. Diabolus quidem cùm verè habeat nihil, in securi & asciâ circumiens, portas se admittere nolentium infringit. Saluator verò adeo mitis est, vt doceat quidem, Si quis vult venire post me, &c, Si quis vult esse discipulus meus; accedens autem ad vnumquemque nemini vim inferat, sed pulset potiùs ac dicat, Aperi mihi soror mea sponsa: & cùm aperiunt quidem, intret; cùm verò eum negligunt, aut non volunt, illos quoque prætereat.

22. Quòd autem Christo in charitate placere, sine comparatione præstet mundi splendoribus atque delicijs, declarat dicens: CYRILLVS

VERS. 25. Quid enim proficit homo, si lucretur vniuersum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat?

23. IN superfluitate totus est mundus, eò quòd qui mundana curant, nihil eorum quæ necessaria sunt, faciant, sed vanis cogitationibus ebrij, inutilibus voluptatibus toti sint addicti. Quapropter ijs qui piè viuere volunt, superuacanea carnalium ac mundanarum rerum cogitatio, ab eius quod vtile atque necessarium est consecutione abducens. Siquidem illud verum est, Prudentia carnis inimica est Deo. Et qui sapit ea quæ mundi sunt, inimicus Dei constituitur. Superfluitatis igitur verè est sapere quę in mundo sunt, atque ipse adeò mũdus. Quid enim, inquit, prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? CYRILLVS in Glaphyris lib. 2. *Mundus in superuacaneis est totus.* Rom. 8, 7. Matth. 16, 26.

VERS. 26. "Nam qui me erubuerit, & meos sermones: hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate suâ, & Patris, & sanctorum Angelorum. "Matth. 10, 31. Mar. 8, 38. 2. Tim. 2, 12.

24. MVLTA autem secundùm hoc operatur vtilia ac necessaria, per hosce sermones. Primùm siquidem ostendit, planè atque omnino euenturum, vt qui illũ ac sermones eius erubescunt, paria recipiant. Quid igitur isti fiet, qui pro virili custodiuerit æquitatem? Etenim si Iudex pro quibusdam rubore suffunditur, vt qui quasi mercedem pro obsequio, ac præmium pro dilectione, atque coronam pro beneuolentiâ illis debeat; quomodo non dixerimus sine controuersiâ & omninò in sempiternis honoribus ac glorijs futuros, qui tam illustrium fuerint bonorum consortes? Deinde verò alijs timorem incutit. Descendet siquidem de cælo, non in paruo decore, qualiter nostram indutus vestem primùm ad nos venit, sed in maiestate Patris, Angelis stipantibus eùm. Nónne igitur omnino graue erit atque ærumnosum, tunc ob carentiam charitatis atque inertiam, à iudicante desuper Iudice, circumstantibus Angelorum ordinibus, reprobari? Magnum etiam profectò atque omni admiratione dignum est, & quotam CYRILLVS *Qui erubescit Christũ repellitur ab eo.*

tam felicitatis fruitionem afferens, quòd videlicet ipsi è transactis laboribus gaudium capiant, & gratam expectent sudorũ commutationem. Tales siquidem laudabuntur à Christo dicente, Venite benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum ab initio mundi. (Math. 25. 34.)

(ISIDORVS L. 3 ep. 166. *Christi secundus aduentus in gloriâ.*) 25. Etenim se in paternâ gloriâ venturum promisit, vt hæreticorum ora obstrueret, eorumque furorem ac rabiem extingueret. Non enim dixit, In tali gloriâ quali Pater (ne hinc rursus diuersitatis cuiuspiam alicui suspicio inijceretur;) sed vt rem accuratiùs exprimeret, in eâdem illâ venturum se esse affirmauit, ita vt vna omnino eademque existimari debeat. Porrò, quorum vna atque eadem gloria, multò magis vna eademque essentia est. Quòd si quis id non crediderit, perpendat id quod dicturus sum. Nam si, vbi eadem essentia non est, gloriæ discrimen reperitur, (alia enim solis gloria est, alia lunæ, alia stellarum, stella enim à stellâ differt in claritate;) quónam tandem pacto ea essentiæ ratione inter se dissidere queant, quorum vna & eadem gloria est?

(Math. 16 28. Mar. 9, 1.) VERS. 27. Dico autem vobis verè: sunt aliqui hîc stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.

(GEOMETRA.) 26. HÆc ad Petrum, Iacobum & Ioannem nonnulli referunt, qui cum Christo montis cacumen ascenderant: qui etiam mortem non gustarunt priusquam viderent Filium hominis venientem in regno suo, siue in gloriâ transfigurationis ipsius.

(CHRYSOSTOMVS Hom. 62. in Matth. *Cur coram Petro, Iacobo & Ioãne Christus transfiguratus.* Matth. 20, 22.) 27. Hi enim ceteris erant excellentiores. Et Petrus quidem, quòd valdè Christum diligeret, suam excellentiam demonstrabat; Ioannes verò, quia nimiùm diligebatur; ac Iacobus, cùm à responso quod dedit, Quoniam possumus bibere calicem hunc; tum ab his per quæ impleuit quæ dixerat. Cur autem non illicò eos adducit? ne ceteri humani quidpiam paterentur. Quocircà neque nomina dixit eorum qui ascensuri erant. Etenim valdè desiderassent etiam reliqui sequi, ad futuræ illius gloriæ specimen videndum: doluissent etiam forsitan tanquam neglecti. Prædicit autem, vt dociliores existerent ad hoc spectaculum, & vigilanti attentoque animo accederent.

(ORIGENES Tract. 3. in Matth. *Stationes amicorum Dei.*) 28. Si autem de istâ cum Christo statione, & de mortis gustatione curiositis quid dicere liceat; erant quidam stantes vbi erat Iesus, animo ipsi agglutinati, eratque illis statio similis Moysi. Etenim & ego, inquit Moyses, steti in monte quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & auditus sum; & tu igitur sta mecum. Pauci autem illique amici Dei pulchram habent statiõe, vt de seipso Baptista dicit: Amicus autem sponsi stans gaudio gaudet. Est igitur inter eos qui stant cum Verbo, ad alterutrum differentia standi. Propterea non omnes qui stabant apud Saluatorem, sed quidam ex eis qui quasi meliùs stabant, dicuntur non gustare mortem, donec videant Verbum Dei quod venit ad homines. adeoque Verbum illud quasi filius hominis in regno suo venire dicitur: non enim semper venit in regnu suo, vt in inchoantibus, qui etiam dixerunt ipsum non habere speciem neque decorem; perfectis autem secundùm Dauidem apparet speciosus præ filijs hominum. Regalis itaque quidam decor in Verbo apparuit ijs qui adstabant Iesu, & poterant eum sequi præcedentem atque ascendentem super excelsum suæ manifestationis montem: vt si qui sint instar Petri, qui constans est in fide, vel sicut filij tonitrui, hi non gustabunt mortem donec viderint filium hominis venientem in regno suo. Christus autem vita est: inimica verò eius mors, quæ per peccatum etiam aliter intelligitur, quorum alterum per ea quæ vnusquisque nostrûm agit, eligitur. Quemadmodum igitur Christus est panis viuus, sic & inimica eius mors, panis est mortuus. Omnis autem anima rationalis altero duorum nutritur. Quidam autem dumtaxat gustant eum, quidã verò ampliùs ex eo manducant. Et fortè qui raro ac modicùm peccant, tantummodò gustant mortem; qui verò virtutem spiritalem susceperunt, ne quidem gustant eam, sed viuo semper pane vescuntur. (*Qui dicantur gustare mortem.*) Consequens ergo erat, Petrum, cui inferorum portæ non præualebant, vt neque gustaret mortem: quoniam tum quis gustat vel manducat mortem, quando portæ mortis præualent aduersus eum. Sed & filijs tonitrui natis ex tonitru humani responsi impossibile erat gustare mortem, quæ procul est a matre eorum tonitru. Illud autem Donec significat hic omnino futurum quod declaratur, non autem est definitiuum temporis, quasi quando illud Donec transierit, tum demum futurum sit quod in eo fuerat significatum; vti & illud, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Non gustarunt itaque etiã ceteri Apostoli prædictam mortem spiritalem, postquam tantorum viderunt bonorum visionem. Cùm autem in Psalmis dicitur, Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem? (Psal. 88. *Quantum mali sit videre & gustare mortem.*) & alibi, Veniat mors super illos. item apud quemdam Prophetam, Absorbuit mors præualens. & in Apocalypsi, Mors & infernus quosdam sequuntur: haudquaquam ergo

go paruum malum est videre mortem; hoc verò maius, gustare mortem; pessimum verò est, si aliquem mors sequatur; nec sequatur solùm, sed etiam veniat super aliquem, & comprehendat quem sequebatur. Absorberi autē à morte, omnino mihi grauissimum videtur eorum quæ dicta sunt. Si autem instiretis peccantium differentijs, non facilè negliges, vti existimo, ea suscipere quæ de ijs tradita sunt in Scripturis per Spiritum sanctum. Quid autem manifestatur in visione filij hominis venientis in regno suo, vel in gloriâ suâ? Et quid significat [regnum] veniens in virtute, vt à Marco dictum est? siue

Marc. 9, 1. sic quòd illustrata sint corda nostra, siue quòd à quærentibus inueniatur, & in cogitationes nostras ingrediatur, clariùs explicabimus. Qui videt, inquam, & comprehendit

Qui videant se regnū Dei. eminentiam verbi soluentis quidem ac conuincentis aduersariorū persuasiones, Euangeliorum verò veritatem declarantis, videt filium hominis venientem in regno suo. Si autem viderit propriam euidentiam exhibentem, præter regnum, is etiam gloriam ipsius videt: & talis quidem cernit in se regnum Dei veniens in virtute; & qui hoc videt, in eo non regnat peccatum, nec tenetur sub dominatione peccati quod regnat in corpore mortali peccantium, sed est sub rege omnium Deo: cuius regnum virtute quidem in nobis est, operatione autem, vt Marcus ait, in solis perfectis.

Matth. 17, 1. Marc. 9, 2. VERS. 28. Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & ascendit in montem vt oraret.

29. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera: & vestitus eius albus & refulgens.

30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses & Elias,

31. visi in maiestate: & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.

32. Petrus verò, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes viderunt maiestatem eius, & duos viros, qui stabant cum illo.

CYRILLUS 29. NEVTIQVAM erat verosimile, supernâ virtute acceptâ discipulos tam citò & in humanas incidere infirmitates, & secum insuper quid simile cogitantes dicere, Quomodo negabit quis seipsum? vel quomodo aliquis perdens animam suam rursum inueniet eam? Quodnam verò illud patientibus præmium par erit? vel qualium erunt charismatū participes? Vt igitur eiuscemodi illis cogitationes eximeret, eosque quodammodò ad strenuitatem recuderet, futuræ illis cupiditatem gloriæ indens, ait: Dico vobis, sunt aliqui ex hic adstantibus qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. Regnum autem Dei vocat ipsam gloriæ visionem, in quâ apparebit etiam ipse eo tempore quo eius in terrâ gloria elucebit. Veniet enim in gloriâ Dei & Patris, non autem in abiectione nostrâ. Quomodo igitur eos qui promissionem acceperant, miraculi huius fecit spectatores? Ascendit in montem, tres electos secum habens discipulos: deinde transfiguratur in eminentem quamdam ac Deo conuenientem claritatem, vt ipsum etiam vestimentum lucis quosdam radios euibrarer, & fulguri esse simile videretur. Regnū Dei quid.

30. Sed quam ob causam aliqui duntaxat, & non omnes, ad hanc visionem vocati sunt? An non omnes discipuli & Apostoli? an non omnes similiter secuti sunt, & à Iesu curandorum morborum gratiâ nacti sunt? Et cur non omnes digni habiti sunt visione spectaculum quoduis superante? An non Dominus à personarum acceptione est alienus? Omnes quidem discipuli & Apostoli; at non omnes auaritiæ morbo cæcutientes, neque omnes inuidiæ glumâ oculorū aciem obsetatam habent, neque omnes proditores sunt desperationis laqueo transfixi, ac malum malo corrigentes. Omnes amici Christi; sed vnus tantùm auarus erat Iudas ille Iscariotes, qui solus diuinâ visione indignus erat. Tollatur, enim inquit, impius, vt non videat gloriam Domini: hic itaque solus à reliquis segregatus, vtpote furiosus ac inuidus ad maiorem fuisset insaniâ prouocatus. Oportebat autem omnes gloriæ fieri spectatores, qui passionis postmodum inspectores futuri erant. Idcircò [Apostolorum] Principes suæ gloriæ ac Diuinitatis testes adhibet. Tres autem numero, vt venerandum Trinitatis mysterium subindicaret: atque sub duobus ac tribus testibus stabit omne verbum. Hac ratione proditori quidem proditionis crimen occludit, relinquens etiam inferiùs reliquum Apostolorum chorum, ita vt nullum habeat excusationis prætextum, dicendo se ob eam causam ad Dominum vendendum impulsum fuisse, quòd hoc spectaculo caruisset: sed Matthæus quidem ac Marcus sexto die post factam discipulis promissionem, Lucas verò post octo dies transfigurationem exhibitam fuisse dicit. Neque verò in his verbis dissensio est: sed qui quidem sex dixerunt, subtractis extremis,

DAMASCENVS in Orat. de Transfiguratione.

Cur non omnes Apostoli viderit Christum transfigurari.

Y 3

tremis, primo, inquam & vltimo, quo id pollicitus fuit, & quo adimpleuit, medios computaruot; qui autem octo numerat, & hunc & illum isto numero conclusit. sic enim vsus erat istis hominibus oumerare.

CHRYSOSTOMVS. *Apostolis pra fulgore transfigurationis exanimes facti.*

31. Vidisti ipsum io monte splendeutem, ac radios emittentem & fulgura claritatis ac gloriæ ineffabilis, vt etiam discipuli tantum lumeo non sustinentes, in facies suas ceciderint, & sine voce iacuerint. Hoc ipsum quoque expecta in resutrectione, quando corpori gloriæ ipsius corpus nostrum erit coofotme. Quandoquidem autem continuò regni mentionem fecerit, ipsumque adhuc verbum obscutum sit audieutibus, idcircò dixit, Sunt quidam ex hîc adstantibus, qui oon gustabunt mottem donec videant Filium hominis venientem in gloriâ suâ: & ascendens in montem transfiguratus est ante discipulos, adapetiens ipsis futuram gloriam, & tamquam in ænigmate atque obscutè indicans quale futurum sit corpus nostrum. Sed tum quidem cum vestibus apparuit, io tesurrectione autem, non sic: non enim tunc corpus nostrum vestibus indigebit, neque tecto, neque tegumento, neque vlli aliâ te simili. Si enim Adam ante transgressionem oodus fuerit, & oon erubuerit vestibus quidem carens, sed vestitus gloriâ; potiori vtique tatione corpora oostra, quantò meliorem ac sublimiotem sortientur conditionem, nullo etiam horum opus habebunt: idcircò vtique etiam ipse resurgens vestimenta sua in sepulchro vtraque reliquit, nudo tesurgens corpore, gloriâ nempe ineffabili ac beatitudine pleno.

Post resurrectionem quales erimus.

GEOMETRA.

32. Sed talis quidem res ac miraculum est transfigurationis. Si autem oporteat etiam altiùs ascendentem verbum dicere, non temerè post sex dies Matcus & Matthæus aiuot Iesum cum discipulis montem ascendere. Sed cùm sex diebus, perfecto numero, totus absolutus sit mundus, is qui vniversas res mundi transcendit, (considerat autem illa dumtaxat quæ stabilia sunt & æterna,) hic post sex dies quoque à Iesu assumi significatur. Hæc enim qui ttanscendit, videt Iesum ante se transfiguratum, configuratum nemini. Videtur enim Verbum diuersis qoibus se exhibet, prout ipsum concedit, diuersas habere fotmas. Et his quidem non habet speciem, alijs verò pulchritudine sublimis est. Ab alijs quidem, qui non ascendunt per transcendentalia opera in sublimem sapientiæ montem, crudiùs intelligitur, & secundùm carnem cognoscitur; à perfectis verò theologicâ ratione, & in formâ Dei, & secundùm illorum cognitionem cōsideratur. Splendet autem facies eius sicut sol: filijs

Christus diuersimodè à diuersis videtur.

quippe lucis ac diei iustitiæ Sol apparens. Sed & vestimenta illius illis qui ab illo in montem sublimem adducti sunt, apparent alba sicut lux: quæ sunt verba & scripta Euangelica quæ Christus iodnit, & vt arbitror, per scripta Apostolorum manifestata sunt. Cùm igitur videris aliquem Iesu Diuinitatem accuratè cognoscere, & omnia Euangeliorum dicta explicare, ne tali dicere pigeat, vestimenta Iesu alba facta esse sicut lux. Illi autem qui sic Iesum viderit, apparuerint quoque Moyses, id est lex, & Elias, hoc est propheticus sermo, cum Iesu colloquentes. Hic autem videns Moysis gloriam, & intelligens spiritualem legem, tamquam vnam cum verbo Iesu, & absconsam in Prophetis per mysterium sapientiam; vidit Moysen & Eliam in gloriâ, quādo videt illos cum Iesu.

VERS. 33. Et factum est cùm discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hîc esse: & faciamus tria tabernacula, vnum Tibi, & vnum Moysi, & vnum Eliæ: nesciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt, intrantibus illis in nubem.

CYRILLVS. *Petrus vult in monte transfigurationis commorari.*

33. FORSAN verò existimans D. Petrus imminere tempus regni Dei, approbat quidem in monte commorationes, sed tria facienda tabernacula dicit, Christo vnum, alia verò Moysi & Eliæ. Sed oesciebat, ioquit, quid diceret: nondum enim aderat tempus consummationis sæculi, necdum etiam oportebat Sanctos promissæ spei participes fieri.

CHRYSOSTOMVS.

34. Vel fortè cùm Dominus dixisset Scribas sibi Ierosolymis insidias struere, viderat autem Petrus montem & solitudinem multumque recessum, cogitabat se multam à loco habere securitatem, & idcircò hoc ait, Bonum est nos hic esse. Aderat etiam Moyses, qui in caliginem ingressus, & Deo locotus fuerat; & Elias, qoi in montem ignem deduxerat: & nemo, inquit, sciet nos hîc esse. Hęc autem dicebat, postquam ab agone iam dicto, & ab ipsâ visione fuerat perturbatus. Euangelistæ vtique, qui hoc significant, simul & confusionem mentis ipsius, cum quâ hæc dicebat, ab agoniâ istâ contigisse declarant. Et Marcus quidem dixit, Non enim sciebat quid diceret, erat enim timore exterritus: Lucas verò subiunxit quòd nesciuerit quid diceret. Deinde ostendens quòd multo fuerat terrore deiectus tam ipse quàm reliqui, ait, Grauati erant somno, & euigilantes viderunt maiestatem eius. somnum hîc vo- Marc. 9, 6.

cans

cans multam vertiginem seu capitis grauedinem ab hac visione ipsis ingeneratam. Quemadmodum enim oculi ex nimio fulgore obtenebrantur, ita etiam tunc contigit: siquidem non nox erat, sed dies, & splendoris excellentia oculorum imbecillitatem aggrauabat.

ANNOTATIONES.

NVM. 29 sub finem. ASCENDIT in montem.] *Thabor videlicet, qui hoc nomine Christianis in honore est, & peregrinationibus celebris, teste S. Hieronymo Ep. 27. Vnde Beda de Locis sanctis c 17 docet, in memoriam illius mysterij, in Thabor tres Ecclesias ædificatas esse. Hunc autem montem, vt in textu est, ascendit Christus vt oraret, & inter orandum transfiguratus fuit: vt nimirum doceret fructũ orationis. Ita in huius restypum gloria Dei apparuit Moysi cum Deo colloquenti in monte Sinai, eique radios splendoris afflauit, Exodi 33 & 34. Sed Moysi ab externo, scilicet Deo, Christo autem ab internâ gloriâ animæ ac Diuinitate, hic splendor processit.*

Nota tamen, hanc Christi transfigurationem non ita factam esse, quasi Christus Apostolis ostenderit suam Diuinitatem; hæc enim oculis corporeis per omnem potentiam videri nequit, vti passim Patres & Theologi docent; & qui aliter loqui videntur, tantùm volunt Christum eis ostendisse gloriam externam corporis, quæ Diuinitatis erat index. Quòd autem hic Cyrillus dicat, Ἔπειτα μεταμορφοῦται πρὸς ἐξαίρετόν τινα καὶ θεοπρεπῆ λαμπρότητα, Deinde transformatur in eminentem quamdam & Deo conuenientem claritatem; *non ita accipiendum est quasi Christus mutauerit vultus sui essentiam, aut formam, imo nec figuram, vel alias qualitates; sed tantùm, vt rectè Euthymius, ingentem & quasi diuinum assumpsit splendorem instar solis, imò sole longè augustiorem. Et hoc est quod ait S. Lucas versu 29.* Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera. *Vbi nota, splendorem hunc non aëris, non etiam solis Apostolorum oculis, sed faciei Christi, imò membris & toti corpori realiter inhæsisse, vt disertè docet S. Hieronymus Epistolâ 61. Qui quidem splendor corpori Christi atque animæ eius, vtpote beatæ ac Deo vnitæ, fuit omni tempore debitus; sed vt pati posset Christus, toto reliquo vitæ tempore fuit in beatâ Christi animâ repressus ne ad corpus dimanaret, vti passim docent Patres. Vnde quando Epiphanius Hæresi 69. & Damascenus Sermone de Transfiguratione dicit, corpus Domini semper habuisse gloriam, licet Apostolis absconditam, tam verò illam ostendisse; intelligendi sunt, per gloriam velle significare vnionem hypostaticam, vt ex antecedentibus & consequentibus apud illos locis citatis patet.*

VERS. 29. ET VESTITVS EIVS ALBVS.] *Quia videlicet hic habitus & color symbolum est lætitiæ & gloriæ beatorum, Apocalypseos 4. vers. 4. Obseruat D. Thomas in 3. p. q. 45. a. 2. ad 3. candorem hunc vestium, Christi maximè, fuisse claritatem tantũ ac splendorem, & vt Caietanus ibidem addit, ex claritate corporis Christi promanantem.*

Causa denique huius transfigurationis probabiliter fuit, tum vt per hanc gloriam, ac testimonio Eliæ & Moysis, Diuinitatem suam Apostolis probaret: tum vt fidem & spem, animumque discipulorum & nostrum ad virtutes, ac cruces pro Euangelio subeundas, spe similis gloriæ in resurrectione adipiscendæ acueret.

VERS. 30. ET ECCE DVO VIRI LOQVEBANTVR CVM ILLO. ERANT AVTEM MOYSES ET ELIAS.] *Putant hîc aliqui cum S. Hilario in Matth. 17. hosce duos cum Christo apparuisse, vt futuri sui aduentus typum darent: existimant enim ante eum venturos Moysen & Eliam, quod colligunt ex Apocalypseos cap. 11, 3, 4. Verùm cùm ibidem non exprimantur, quoad Moysen saltem fundamentum non habet, cum Enoch cum Eliâ Christi aduentum præcessuros ex communi Patrum sententiâ tradatur, vt etiam patet ex Ecclesiastico cap. 44, 16.*

Dico ergo id factum Primò, Vt demonstraretur Christus esse Messias, vtque per Moysen ostenderetur lex, per Eliam Prophetæ, iam officio suo perfuncti, in Christum quasi nouum legislatorem à Moyse Prophetisque Deuteronomij 18, 15. promissum conspirare ac finiri. Ita S. Hieronymus cum Chrysostomo in Matthæi 17.

Secundò, Vt discipuli Moysis mansuetudinem, & Eliæ zelum spe similis gloriæ imitarentur. Ita Euthymius.

Tertiò, Quia hæc visio humanitatis Christi præsignata ac promissa erat Moysi Exodi 33, 23. vt vult Tertullianus lib. 4. Contra Marcionem cap. 22. quod in sensu litterali verum esse non potest, sed tantùm symbolico, vt Cornelius ibidem docet.

Nota tamen, hîc non Angelum apparuisse, sed verum Moysen, qui non aëreum, vt vult D. Thomas loco supra citato, cum Lyrano & Abulensi in Matth. 17. sed proprium corpus resumpsit. In hoc enim tanto testimonio omnia vera & solida esse decebat, idque tam Deo erat facile quàm contrarium. Ita S Augustinus lib. 3. de Mirabilibus Scripturæ c. 10. cum Origene & D. Hieronymo in Matth. c 17. qui etiam docent vnà cum Damasceno de Trãsfiguratione, Moysen & Eliam ex consortio Christi, eiusdem claritate ac gloriâ totos etiam afflatos fuisse. quod etiam insinuat S. Lucas hîc v. 31. cùm dicit illos visos in maiestate ac gloriâ.

Verùm hîc quæret aliquis, vnde Apostoli Eliam cognouerint. Ad quod dici potest Primò, illos potuisse ipsum cognoscere ex colloquio: nam vt hoc loco vers. 31. D. Lucas ait, inter alia dicebãt excessum *sine exitum* eius, quem completurus erat in Ierusalem, *quomodo videlicet, vt ipsi prædixerant, per mortem crucis in monte Caluariæ erat ex hac vitâ decessurus: idque factum, vt hac ratione crucis nouitatem, scandalum & horrorem Apostolis ac nobis adimerent. Fortè etiam Christus eos, aut ipsi se suo nomine appellabant.*

Secundò, potuisse agnoscere ex specie, quâ, si apud Iudæos in vsu non erat imagines pingi, certè describebantur in sacrâ Scripturâ & traditione, v. g. Elias cum zonâ pelliceâ, Moyses cum facie cornutâ. Imò quidam hîc ex Origene tradunt, apparuisse Moysen cum tabulis legis, Eliam cum curru igneo.

Tertiò denique, vel maximè, ex inspiratione diuinâ. Ita Tertullianus lib 4. Contra Marcionem c. 22. cum quibusdam alijs.

VERS. 34. FACTA EST NVBES.] *Addit S. Matthæus cap. 17, 5.* lucida. *Primò, quia nimirum nubes cælestis est, & impermia visu; vnde in câ aptissimè solitus erat Deus incomprehensibilem suam maiestatem quasi obtectam ostendere, vt patet Exodi 19, 9. & 24, 15. & 34, 5. Vnde & Christus cum maiestate iudicaturus veniet in nubibus cæli, vt habetur Matthæi 24, 30. Secundò, inquit Ambrosius hic, vt nubes hæc splendorem Christi, quem alioquin Apostoli ferre non potuissent, temperaret. Lucida autem erat, Primò, quia gloriæ Christi erat index, aut potiùs quia per*

eam maiestas Patris loquentis significabatur, 2. Petri 1. Secundo, ut S. Chrysostomus, Theophylactus, & Damascenus suprà citatis locis, ut significaretur differentia legis veteris & nouæ. In veteri enim Deus in nube caliginosâ apparebat, quia nimirum illa lex erat plena umbris ac terroribus: in nouâ verò apparet in nube lucidâ, quia scilicet lex noua veritatem adfert & amorem.

IBIDEM. ET TIMVERVNT, *scilicet discipuli,* INTRANTIBVS ILLIS IN NVBEM.] *Metuebant enim fortasse, ne e nube, ut olim e Sinâ Exodi 19 fulmina & tonitrua cieret. Aut etiam, quia vox è nube ipsos percellebat iubens Christum audiri, id est, ipsi quasi legislatori obedire. Alludit enim ad prophetiam Moysis de Christo Deuteronomij c. 18, 15. Vbi obiter nota, etiam sanctissimam Trinitatem significari, sicut & in Baptismo Christi, Spiritum sanctum scilicet in nube, Patrem in voce, & Filium in gloriâ.*

Pro Concordiâ verò Euangelistarum nota, hunc fuisse ordinem transfigurationis. Primum Christus in monte orauit, interim discipulis somno grauatis ac dormientibus transfiguratus est. Accessit deinde Moyses & Elias: mox Apostoli excitati viderunt gloriam Christi, item Moysen & Eliam, qui finito colloquio cum Christo, cum signum darent abitus, Petrus voluptate hac ebrius, ac condolens petijt tria fieri tabernacula. Exinde superuenit nubes quæ subduxit Moysen & Eliam, cum voce, quibus omnibus territi discipuli ceciderunt in terram. Denique à Christo corroborati, leuantes oculos solum viderunt Iesum.

VERS. 35. Et vox facta est de nube,
a 2. Pet. 1. 17. dicens: "Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.

36. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his quæ viderant.

Matth. 17. 14. Marc. 9. 17. 37. "Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.

38. Et ecce vir de turbâ exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia vnicus est mihi:

39. & ecce Spiritus apprehendit eum, & subitò clamat, & elidit, & dissipat eum cum spumâ, & vix discedit dilanians eum.

TITVS. 35. IPSVM audite. Sileat in posterum Moyses, sileant Prophetæ, illo præsente qui ab ijs prædictus est. Ipsum audite, quoniam oportet eum pati, & crucifigi, & contumeliâ affici, & morte hominibus communicare, & pro hominibus resurgere, atque omnem adimplere dispensationem.

CYRILLVS 36. Et dum fieret vox, inuentus est Iesus solus. Adstante Moyse & Eliâ, illum potiùs audire eos iubet, ne ab aliquibus calumniam veritas acciperet, dicentibus, quòd Moysen potiùs audire iussetit Pater, & non omnium nostrûm saluatorem Christum, necessariò Euangelista subdit, dicens, quòd dum vox fieret, inuentus sit Iesus solus. Ipsum igitur audite iussit: ipse enim est finis legis & Prophetarum. Quapropter etiam Iudæorum populo respondit, dicens: Si crederitis Moysi, & mihi crederitis, nam de me ipse scripsit. Discipuli autem maiori timore confundebantur, quòd Saluatorem suum ac Dominum cum Moyse & Eliâ in nube viderent.

Cur Iesus post transfigurationem inuentus sit solus.

BASILIVS 37. Quemadmodum fumus ab igne, sic nubes à luce causata est: sub quâ qui magnâ gloriâ perfruuntur, tamquam ab ipsâ nube illustrantur.

GEOMETRA 38. Illa autem vox quæ ex nube facta est, forte quidem Moysi & Eliæ dicit, Hic est; fortè autem discipulis, quâ voce auditâ, tantam illi gloriam non sustinentes, ceciderunt in faciem, humiliati sub potenti manu Dei; valdè timentes, quia sciebant quòd ad Moysen dictum erat, Non enim videbit homo faciem meam, & viuet. Attollentes autem oculos, solum viderunt Iesum. Existimo enim Moysen, id est legem, & Eliam, id est Prophetiam, cum Iesu hoc est Euangelio, quid vnum facta esse: non vt erant anteà tres permanserunt. Hæc autem intellige magis mysticè: nam circa litteræ exilitatem versantur Moyses & Elias, apparentes in gloriâ, & cum Iesu colloquentes, abierunt vnde aduenerant.

Vox de nube ad Christum.

IDEM. 39. Non autem vult Iesus quæ erant gloriæ suæ ante passionem promulgari: nam auditores hoc plurimùm offendisset, & maximè turbas, cùm vidissent ipsum adeò inhonoratum & crucifixum. Non igitur tamquam inuidentes illam celarunt, sed tamquam verentes vt crederentur. Quando igitur eam annuntiarunt? post ascensionem, post Spiritus sancti aduentum. tunc enim pleni confidentiâ, & Spiritu donati, etiam ab ipsis signis quasi vocem habuerunt, quæ illis suffragabatur, & quidquid tum proferebant, facile ab audientibus capiebatur.

Cur Iesus voluerit celari transfigurationem.

CHRYSOSTOMVS. Hom. in Matth. 57. 40. Verùm si nos quoque voluerimus, Christum vtique videbimus multò splendidiorem. Non enim hoc modo secundâ vice veniet. Nam tunc quidem parcens discipulis, tantum illis dumtaxat ostendit claritatis, quantum ferre poterant. Posteà verò veniet in ipsâ gloriâ Patris, non cum Moyse solo & Eliâ, sed cum innumero Angelorum exercitu, nullâ nube caput eius contegente, verùm etiam cælo ipso complicato. Quemadmodum enim, iudices cùm publicè sententiam pronuntiaturi sunt, statores velamina contrahunt, omnibus ipsos ostendentes: sic vtique ipsum etiam vniuersi

In quantâ gloriâ Christus venturus sit ad iudicium.

tunc

tunc conspicient sedentem, totumque genus humanum adstabit, atque ipse illis per semetipsum sententiam dicet, vel aduocans, vel repellens. Tunc iusti fulgebunt sicut sol, imò potius magis sole, non quòd lumen illorum soli tantùm sit futurum equale; sed sed quòd isto sidere nullum cognoscamus splendidius.

VER. 40. Et rogaui discipulos tuos vt eijcerent illum, & non potuerunt.

41. Respondens autem Iesus, dixit: O generatio infidelis, & peruersa, vsquequò ero apud vos, & patiar vos? Adduc huc filium tuum.

Isidem Hom. 58. 41. MANIFESTVM hinc est, quòd etiam discipuli infirmati fuerint, non tamē omnes: columnæ enim non aderant ibi. Ceterùm eos criminis absoluens, imputat illud potiùs isti homini, non ad personam illius tantùm sermonem dirigens, ne ipsum conturbaret, sed etiam ad omnes Iudæos. Verosimile enim est, multos fuisse scandalizatos. Dicens autem illud, Quousque vobiscum ero, ostendit desiderium discessus, & quòd non tam crucifigi quàm cum illis commorari sibi esset graue. Si autem lunaticum hunc puerum vocet Euangelista, ne turberis: patris enim dæmoniaci hæc vox Lunatici pessimi. est. Ita autem eos qui ista patiuntur appellat ex opinione multorum: dæmon enim secundùm lunarem mutationem, vt lunæ detrahat, aggreditur ac remittit homines istos, non quòd luna hoc operetur; absit: sed ipse hoc faciat, vt elementum istud traducat, quò nos crederemus non ipsum, sed lunam correptionis causam esse. Nihil enim mali à Domino, vt Ieremias ait, Ex ore Domini non egredientur mala. Qui enim Angelorum custodiâ indignos se præbent, & certas ob causas tentationibus traditi, detrimentum accipiunt à dæmonibus, qui illos quærunt, & à quibus possidentur, pro astrorum mutatione torquentur. Meritò autem pater dæmoniaci non videatur infidelis, sed laude dignus ac prudens: non enim dixit Saluatori, Fac hoc vel illud, sed Respice. Sufficit enim hoc ad sananda vniuersa.

ANNOTATIONES.

NOTA autem, hic epilepticos vocari lunaticos, quia pro mutatione lunæ hic morbus hominem exagitat ex augmento vel decremento humorum cerebri quibus dominatur luna. Nam maniaci & epileptici ex atrâ bile maximè illâ agitantur in plenilunio, quia tunc luna plus luminis & caloris adfert, sed debilioris quàm sit calor solis; adeoque atram bilem resoluit ac commouet, nec tamen consumit: epileptici verò ex pituitâ & crudis humoribus magis agitantur decrescente lunâ, & maximè in nouilunio; quia tunc luna minimum habet luminis ac caloris: pituita autem maximè augetur frigore, præsertim immoderato, de quo vide Valesium Sacra Philosophia cap. 71. Huius tamen hominis morbus non videtur fuisse naturalis, sed ex agitatione dæmonis. vnde S. Lucas hic, ver. 39. eum vocat dæmoniacum. Imo Origenes Tractatu 4. in Matth. Chrysostomus hic, & S. Hieronymus in cap. 17. Matth. docent epilepsiam etiam communem, non tam lunæ aut humoribus, quàm dæmoni tribuendam.

VER. 42. Et cùm accederet, elisit illum dæmonium, & dissipauit.

43. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius.

42. QVANDO reddidit ipsum patri. Nam amplius non erat patris, sed dæmonis occupantis, postquam verò iniustum possessorem expulit, proprij iterum patris factus est; munus autem Christi, qui etiam sanctis Apostolis dedit potestatem vt possent diuina signa patrare, & immundos spiritus increpare. Obstupuisse autem omnes ait Euangelista magnitudinem Dei. CYRILLVS

43. Hisce autem altiùs ascendendum est, & sciendum, quoniam qui patiuntur, aut qui patientium domestici sunt, cum plebe versentur, ad quos ab altioribus locis Iesus descendit, (in monte dispensatis ijs quæ supra illos erant) vt eos qui non poterant ascendere sursum propter infirmitates animarum suarum, curaret. Inquirendum autem est, in quibus infirmitatibus exstiterint qui credentes rogarunt ab illis curari, vel qui fimbriam vestimenti eius tangunt; in quibus autem ipsi, pro quibus alij rogant, vt Centurio pro puero suo, & Regulus pro filio, & Archisynagogus pro filia, & Chananæa, & qui nunc pro lunatico suo filio eius genibus aduoluitur; & quando à semetipso Saluator non rogatus sanat, vti paralyticum iuxta Probaticam. Istæ enim curationes ad inuicem comparatæ, multa illi qui audire potest, absconditæ Dei sapientiæ dogmata demonstrabunt de differentijs infirmitatum animæ, & de modo curationis earum. Sicut enim omnem morbum & languorem, quem in populo Christus priùs sanauit, recte referre liceat ad passiones animarum; sic hæ proportione quadam respondent claudis & surdis, & illa etiam de lunatico sunt examinanda: est enim hæc passio insita quidem horis quibusdam, pluribus verò abest, in quibus qui hoc patitur nihil differt a sano. Sic igitur & animæ quædam putentur fortasse benè quidem in temperantiâ valere, & ex ductu rationis viuere: aliquando verò passionibus succumbunt, deiectæ ab eo statu in quo consistere videbantur, ad sæculi

ORIGENES Tract. 4. in Matth.

Paralytici ac cæci spirituales.

li huius errorem ceterasque concupiscentias. Tales rectè spiritualiter lunaticos dixeris, vt- pore qui à spiritalibus nequitijs deturbati, in incendij ignem incidunt: interdum verò in aquam, quando nempe Rex vniuersorum qui in aquis sunt draconum, illos præcipitat ab animæ quà videbantur frui liberà respiratione, in profundum maris vitæ humanæ. Conferet huic nostræ explicationi, quod de viri iusti constantiâ dicit Ecclesiasticus in Sapientiâ: Interpretatio pij semper in sapientia; de peruersis verò: Stultus autem sicut luna mutatur. Et est videre, in talibus impetus quosdam quasi operum laudabilium surrepere, apud illos nempe homines qui nesciūt illorum inconstantiam, ita vt cum illis plenilunium vel quasi plenilunium esse videatur: verùm eos rursus minui manifestè cernas, quodque in illis esse lumen videbatur, non diurnum sed nocturnum fuisse lumen, quod adeò minuitur, vt quod anteà lumen existimabatur, iam ne lumen quidem appareat. Cum igitur omnis anima alicui Angelo commissa sit, hic fortè lunatici pater sit, qui quasi pro filio Iesum deprecetur, vt qui non poterat à passione liberari per verbum infirmius discipulorum. Fuerint verò etiam illud dæmonium mutum & surdum, impetus irrationales ad bonum apparens, qui à Verbo eiecti sunt: talia sunt quæ quis irrationali impulsu perficit, & ab inruentibus bona existimantur, quæ deinde faciat ex doctrinâ Christi secundùm rationem. Hæc passio autem curatu perdifficilis ac vehemens existit, eò quòd videantur rectè peregisse quæ non sunt recta. Sic vt in similibus magna quædam sit efficacia, adeò vt ista passio idcircò monti assimiletur, & vt transferatur à patiente, opus sit omni fide Medici. Omnis autem fides grano sinapis comparatur: quoniam contemnitur quidem fides ab hominibus, & res modica vilisque apparet; vbi verò terram bonam, hoc est animam bonam nacta fuerit, fit arbor magna, ita vt sine pennis quidem nemo, qui verò alis spiritalibus instructi sunt, ac cæli volucres existunt, sub huiuscemodi fidei ramis possint cōmorari.

Spiritaliter lunatici qui.

Eccl. 27, 12

Dæmonium mutū quid sit.

Vide: sinapi similitudinem.

VERS. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei: omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite vos in cordibus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est vt tradatur in manus hominum.

GEOMETRA.

A quibus, & quâ ratione Christus traditus.

44 A QVO autem tradendus est? Apostolus siquidem dicit à Deo Filium traditum esse. Qui etiam Filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, vt pro toto mundo pateretur, vt eius peccatum tolleret. Dices autē, ipsum etiam à diabolo traditum esse, à quo traduntur prædonibus iuga & muli Iob, deinde equitibus cameli, & oues igni, & spiritui deserti ipsius filiæ ac filij. Esto igitur, vt primùm à Patre traditus sit Filius in manus hominum: deinde à Iudâ, in quem post buccellam intrauit satanas, qui maiori cum potestate quàm Iudas tradidit ipsum. Sed Pater quidem proprio Filio non pepercit, ex nimio suo erga nos hmines amore atque benignitate, Iudas verò ex prauo proposito. Morti autem traditus, eum qui mortis & peccati habebat potestatem, id est diabolum, enervauit. Peccatum enim propriè mors est, iuxta illud, Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Ac Principes quidem adstabant Christo: nos verò illius morte adiuti dicamus illud, Disrumpamus vincula eorum. Configurati enim morti Christi, non ampliùs sub hostium nostrorum vinculis sumus: sed illi potiùs derideantur ab inhabitante in cælis Patre, & à Domino subsannantur. Resurgēs enim, nos quoque suæ reddidit resurrectioni conformes. Nam non ampliùs sedemus in tenebris & vmbrâ mortis, propter lumen quod nobis à Deo illuxit.

VERS. 45. At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.

45. NON simpliciter autem ignorabant discipuli vim horum verborū, verùm etiam audientes sciebant quoniam moriturus esset. Sed qualis hæc mors futura esset, & citò illam dissoluendam, & mille bona allaturam esse, nondum clarè intelligebant, neque etiam qualis esset illa resurrectio. sed hæc ignorabant, atque idcircò dolebant; nam magistrū suum valdè diligebant.

CHRYSOSTOMVS. Dolent discipuli ob Domini.

VERS. 46.[*] Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset.

Matth. 18, 1. Mar. 9, 33.

47. At Iesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum & statuit illum secus se,

48. & ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est.

46. VANÆ itaque affectus gloriæ sanctorum quorumdam Apostolorum inuasit. Disputare enim quisnam esset maior inter

CYRILLVS.

Primi motus supprimendi. ter illos, contentiosi est, & alijs præesse volentis. Verùm non permisit illos consentire isti cupiditati, aduigilante videlicet Domino, qui nouit saluos facere. Viderat enim in mente discipulorũ super hoc cogitationem exortam, veluti quamdam amaritudinis radicem, iuxta illud, Priùs quàm in altum tollatur, & quàm roboretur, ex radice eius peribit nequitia. Cum enim incipiunt in nobis passiones, vincuntur facilè; roboratæ verò difficulter extirpantur, nec mediocrem adferunt confusionem. Quomodo igitur affectum gloriæ Medicus animarum rescindit? Accepit, inquit, puerũ, & statuit illum secus se. Vtilitatis autem occasionem ex hac re sumpsit, atque ipsis Apostolis nobisque eorum posteris reliquit.

CHRYSOSTOMVS *Quo sensu paruuli esse debeamus.* 47. Paruulum autem ætate, & quidem meâ sententiâ valdè paruulum in medio statuit, ipso etiam aspectu ipsos adhortans ac suadens, vt tam humiles essent ac innocentes, & ostendens naturę opera per libertatem emendari posse. Eiuscemodi enim est infans, omni arrogantiâ & inanis gloriæ insaniâ, & liuore, ac contentione, omnibusque similibus passionibus liber, ac multas habens virtutes, vt humilitatem & tranquillitatem; ob nullam illarum effertur, adeoque duplici ornatur philosophiâ, quòd hæc possideat, & ob ista non insolescat.

49. Respondens autem Ioannes, dixit: Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum: quia non sequitur nobiscum.

50. Et ait ad illum Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.

ISIDORVS 48. BELLI autem tempore non commilitonem tantùm, sed etiam eum qui aduersarijs coniunctus videtur, amicũ quodammodò existima. Quapropter etiam diuinum oraculum clamat, Qui non est contra nos, pro nobis est. Vnde etiam aliqui qui cum ipso non erant, in nomine eius dæmonia eiecerunt; quandoquidem non propter eos tantùm qui signa faciunt, signa fiant, sed etiam propter alios, nonnumquam autem quoque propter indignos.

VERS. 51. Factum est autem dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Ierusalem.

CYRILLVS 49. HOC est, cùm immineret tempus quo decebat de reliquo Dominũ, toleratâ salubri passione, in cælum quidem ascendere, consedere verò Deo ac Patri; decreuit ascendere in Ierusalẽ. Hoc enim existimo significare illud, Firmauit faciem suam.

ANNOTATIONES.

DECREVIT ascendere in Ierusalem. Hoc enim existimo significare illud, Firmauit faciem suam.] *Quasi dicat, firmo ac constanti animo & vultu rectâ perrexit Ierosolymam, velut mortis duellum optans. Ita Theophylactus in hunc Lucæ locum. Vbi nota, ex antecedentibus & sequentibus videri, hanc profectionem Christi è Galilæâ in Iudæam, eamdem esse de quâ Matthæus cap. 19. Marcus 10. & Ioannes 7. Ex quo loco S. Ioannis patet eam contigisse in festo Scenopegiæ, quod incidebat in Septembrem, ac proinde cùm Christus mortuus sit in Martio, sequitur hæc contigisse sex circiter mensibus ante eius mortem, quibus Christus sæpiùs iuit in Ierusalem, & redijt prædicans in Iudæâ, & faciens miracula vt in Galilæâ fecerat, vt patet ex sequenti cap. vsque ad 19. quibus tamen capitibus quædam à S. Lucâ per recapitulationem interseruntur. Nam quædam hîc ponit quæ non in Iudæâ sed antè in Galilæâ contigerunt.*

VERS 52. Et misit nuntios ante conspectum suum: & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi.

53. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem.

54. Cùm vidissent autem discipuli eius Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?

55. Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis.

56. "Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt in aliud castellum. "Matth. 8, 19. Ioan. 3, 1.

50. MISIT nuntios qui illi comitibusque eius diuersorium præpararent. Illi verò cùm in vicum Samaritanorũ venissent, non fuerunt recepti; quamobrem indignabantur sancti discipuli, non tam sui ipsorum causâ, quàm quòd Saluatorem vniuersorum ac Dominum non honorassent. Deinde, potentiæ ipsi insitæ magnitudinem non ignorantes, dixerunt, Domine, vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos? Hoc autem dixerunt, nondum nouâ gratiâ confirmati, sed adhuc pro antiquâ consuetudine ad Eliam respicientes, qui bis quinquaginta cum eorum ducibus combussit. Hoc autem cùm dicerent, increpauit illos Christus, quòd persequentium se Samaritanorum impietatem sine misericordiâ iudicarent. Et non placuit hoc illis audientibus, CYRILLVS *Discipuli à Samaritanis non recepti.*

quòd

quod nondum participassent de mansuetudine ac spiritus benignitate.

TITVS. *Zelus Petri ob repulsam passam.* 51. Censebant autem illi, quòd iustiùs Samaritanos posset perdere, quàm bis quinquaginta Thesbites ille Propheta, quandoquidē isti bis quinquagiota eorum qui missi fuerant seruum duntaxat repulerant, Samaritani autem nunc Dominum non admittant. Verùm Dominus, cùm mansuetudine ac benignitate io nos sit incomparabili, eos increpat, quòd videntes eum non potentiâ ad punitionem, sed clementiâ mansuetudineque vtentem, conarentur ipsi ignem e cælo deducere.

ANNOTATIONES.

VERS. 53 ET NON RECEPERVNT EVM, QVIA FACIES EIVS ERAT EVNTIS (veliens, IN IERVSALEM] *Indicabat nimirum Christus se velle ire Ierosolymam, scilicet adorationis causâ; erat enim Festum scenopegia, vt dixi: Samaritani autem volebant non ibi, sed in suo templo adorandum esse. Vbi nota, celebrem & perpetuam fuisse quæstionem inter Samaritanos & Iudaos de adoratione, quam Iudai quidem contendebant fieri debere in Ierusalem, Samaritani verò volebant eam instituendam esse in monte Garizim, qui imminet vrbi Sichem, vbi tempore Alexandri Magni Sanaballat Prefectus Samaria vice Dary Regis Persarum ædificauit templum Ierosolymitano simile, eique præfecit Manassen fratrem Iaddi Pontificis à Iudais expulsum; eoque confluxerant multi Iudai profugi vel schismatici, maxime qui alienigenas vxores duxerant: vtebanturque hoc argumento, quòd locus ille iuxta Sichem celebratus esset adoratione Patriarcharum, vti Iacob, Genesios 30,20. Vide plura de hac re apud Iosephum lib. 11. Antiquitatum, cap. vltimo.*

VERS. 55. NESCITIS CVIVS SPIRITVS ESTIS.] *Quia nimirum putabant se spiritu Dei agi, cùm agerentur spiritu humano impatientiæ q.d. Vultis imitari Elia Zelum ac spiritum vindictæ, quo Quinquagenarios bis igne consumpsit 4. Reg. 1. Verùm nescitis hunc spiritum non esse Euangelicum, & maxime non esse mea persona: meus enim spiritus est mansuetudinis, tolerantia, beneficentia, ad saluandum, non ad perdendum.*

VERS. 57. Factum est autem: ambulantibus illis in viâ, dixit quidam ad illum: Sequar te quocumque ieris.

58. Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.

CYRILLVS 52. QVID igitur ad hæc dicemus? Non erat ille scopus eius, vti perspicuum fit attentè considerantibus. Quoniam primùm quidem plurima in accessu eius continetur inertia, & consequenter nimiâ impudentiâ plenus est. Non enim simpliciter Christum sequi petebat, vti & plurimi alij ex multitudine Iudæorum, sed magis insiliebat ad Apostolicas dignitates, ac talem ipse quærebat sequelam à sen etipso vocatus, cùm B. Paulus dicat, Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo. Heb. 5,4.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 53. Hæc autem non erant repellentis, sed malam eius opinionem increpantis, quoniam cupiebat ditari ex miraculis, & ad quæstum respiciebat, illum autem qui hunc præbebat, cum hac exspectatione sequi volebat. Quid enim, inquit, pecunias expectas collecturum te, sequendo me? An non vides, neque diuersorium mihi esse, quale vel aues habent?

IDEM in Ioannem. 54. Illud siquidem, quòd non habeat vbi caput reclinet, significat, illum non habere proprium diuersorium, non autem quòd in domo nō maneat. Hoc enim vult parabola.

CYRILLVS *Vulpes foueas habent.* 55. Siquidem magis obuius & simplicior dictorum sensus est eiusmodi, quòd nempe feræ ac volucres recessus habeant ac foueas, ego verò multitudinem declinare non valeo; non enim habeo vbi quiescam, & caput reclinem. Occulta autem & recondita dicti huius explicatio altiorem requirit considerationem. Vulpes enim & volatilia cæli; malignas & astutas aduersariasque potestates, videlicet dæmonum cohortes, appellauit; hoc enim in Scripturis sacris frequens est. De quibusdam enim beatus Psalmodes ait, Partes vulpium erunt. Ps. 62,11. In canticorum autem Cantico dicitur: Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Cant. 2,15 magnis videlicet fugientibus. Quin ipse quoque de Herode Christus sic loquitur: Dicite vulpi illi. Luc 13,32 De immissis quoque in terram seminibus dicit, quòd venerint volucres cæli, & comederint illa: non vtique hæc de volucribus sensitiuis ac visibilibus dicta dicimus, sed potiùs de spiritibus immundis ac prauis. Cùm itaque vulpes & volucres foueas & nidos in vobis suos habeant, quomodo ergo veniet Christus? vbi verò requiescat? qualis communicatio sit luci ad tenebras? Requiescit siquidem in ijs qui ipsum diligunt, vitat autem profanum.

NYSSENVS in Cantica. *Vulpes spirituales quæ & quomodo eyciendæ.* 56. Eijciendæ primùm sunt è specubus vulpes, ex cordibus inquam in quibus delitescunt, vt faciamus locum Filio Dei vbi caput reclinet suum, nullo vulpium genere in cordibus ampliùs delitescente, de quibus dicitur, Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Cant. 2,15 Quantum autem diuinæ magnitudinis miraculum hic sermo continet? quantam diuinæ virtutis excellentiam indicat? quomodo ille de quo talia dicuntur homicida, qui insidiatur tamquam leo in speluncâ suâ, qui draco ille magnus apostata, qui vt infernus dilatans os suum, qui rector huius mundanæ potestatis tenebrarum, qui habet orbis imperium, & comprehen-

prehendit vniuersum vt nidum, & tamquam oua derelicta eleuans eum: qui dicit se positurum thronum suum super dorsum nubium, & futurum se similem Altissimo, & quæcumque de eo in Iob Scriptura persequitur, quæ planè terribilia sunt, cuius latera quidem sunt ænea, ferrum autem fusile spina, intestina autem lapis smyrites: hic talis ac tantus Imperator legionum dæmonum, quomodo à verâ & diuinâ potestate nominatur tantùm patuola vulpes, vti & vniuersus qui subditus illi est exercitus omnes similiter vilipensi ab eo qui incitat venatores, Angelos Apostolósve, ad eos venandos, quibus dixit, Faciam vos fieri piscatores hominum? Non enim fecissent piscationem hominum, verbôrum sagenâ eorum qui salui fiunt animas irretitêtes, nisi priùs è speluncis belluas eiecissent, nempe paruulas vulpes. Non enim dixit, Venamini aprum ex siluâ, aut singularem ferum, aut rugientem leonem, aut draconem sibilantem: vim enim aliquam eorum qui reluctantur venatoribus Verbum per illa ostenderet: sed omnes, inquit, illæ terrestres potestates & rectores tenebrarum mundi huius & spiritus nequitiæ, cum quibus hominibus lucta est, sunt patuulæ vulpes, dolosæ atque imbelles, si cum nostris viribus conferantur.

57. Hisce itaque dolosis vulpeculis hominem deuictum videns, & prauis subiectum spiritibus, proprias Dominus facultates abiecit, ne cura rei tam vilis esset scandali causa credentibus, dum in illum intuentur, ne've herilis potestatis imbecillitatem condemnarent, quasi ad verâ virtutem discipulum instituere per se non sufficeret.

GEOMETRA. 58. Si itaque paratus fuisses, vti & ego, non habere vbi caput reclines, hic quidem ob meam doctrinam elegisses stabilem locum non habere, sed firmam spem regni cælestis, nullam quietem in præsenti exspectans, sed in futuro sæculo. Mei siquidem discipuli iustitiam exercentes, in hoc mundo tribulationem habebunt, mali autem atque versuti, vulpeculis & volucribus cæli comparati, in hac vitâ prosperitatem habebunt, dum alios decipiunt & decipiuntur.

VERS. 59. Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.

60. Dixitque ei Iesus: Sine vt mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnum Dei.

TITVS. 59. ADMIRABILIS est cordium occultorum iudex. Vnus siquidem petijt, & dimissus est; alteri verò dicit, Tu me sequere. Illi ostendit propositi operis difficultatem, quam audiens non sequitur, nec grauatè Dominus accipit excusationem: ostende enim pigro laborem, & fugiet. Signis quidem excitatus fuerat homo ille, sed debito erga illorum factorem amore carebat: eum itaque repulit, alter autem non vt hic spontaneus discipulus sequitur.

60. Neque dicimus, quòd pridem defunctum patrem sepelire voluerit; non enim prohibuisset hoc facere volentem Christus: sed sepelire dixit, pro vsque ad sepulturam de alimentis prouidere. Quid igitur ad ipsum Saluator? Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vadens, annuntia regnum Dei. Erant siquidem etiam alij domestici & propinqui qui patris illius curam gerebant, sed adhuc mortui, vti autumo, eò quòd necdum in Christum crederent, neque per Spiritum sanctum in vitam aliam regenerati adhuc essent. Illi, inquit, sepeliant mortuos suos, cùm & ipsi mentem habeant mortuam, neque annumerari possint ijs qui in Christo viuunt. CYRILLVS *Mortui à mortuis sepeliendi.*

61. Hic autem Iesus hominem inhibuit, non despiciens honorem quem genitoribus exhiberi præcipit, sed ostendens, nihil nobis magis necessarium esse oportere doctrinâ rerum cælestium. Quid enim magis necessarium fit, quàm patrem sepelire? quid facilius? neque verò in hoc multum temporis absumitur. Cùm autem dicit, Mortuos suos, ostendit hunc mortuum non fuisse suum, nam existimo defunctum hunc fuisse infidelem. Si verò admireris hunc adolescentem, quòd cùm rem tam honestam adeoque necessariam peteret, non sponte suâ abiuerit, sed Iesum consuluerit: illud multò mirabilius, quòd etiam postquam id sibi negatû esset permanserit. Si igitur tam breue tempus non liceat consumere, neque tutum sit tam paruo spatio spiritualia negotia intermittere; quánam pœnâ digni erunt, qui semper à doctrinâ Christi absunt? CHRYSOSTOMVS Hom. 28. in Matth. *Christum statim sequendum.*

62. Sublimiùs autem quando adolescenti pater moriebatur, & iam mortuus erat, tunc à Iesu vocatus est. Existima autem, quòd quemadmodum mundus Paulo crucifigebatur, & mortuus erat, commortua etiã illi essent mundana negotia, ita vt illa non ampliùs spectarit vt aspectabilia & temporalia: sic diabolus vnicuique etiã iusto mortuus est, qui ipsi viuebat peccatori. Omnis enim qui peccatum facit ex diabolo est natus. Omni autem peccatori & mundana spectanti viuit malus pater, illi verò cui mortuus est malus, dicitur à Christo, Sequere me. Forte autem sensus mysticus est eiusmodi, GEOMETRA.

modi, quòd oporteat nos odisse Patrem, vt simus digni filiatione Christi. Illud autem, Sine mortuos sepelire mortuos suos, tãtùm allegoricè dictum est. Sepeliunt siquidem mortui suos mortuos in semetipsis, sepulcra & monumenta eorum facti. Denique relinquit mortuum, & nequaquam ampliùs illum tangit vbi Christum audiuit: nouerat enim quod qui tangit mortuum, immundus fiat.

VER. 61. Et ait alter: Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his quæ domi sunt.

62. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.

MARCVS EREMITA 63. HÆc itaque sciens semper pro virili bonum operare, & in tempore maioris, ne conuertas te ad id quod est minus. Qui enim se vertit retrò, non aptus est regno Dei.

ATHANASIVS. 64. Verti autem, nihil est aliud, quàm mutare consilium, & denuò mundana sapere.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 65. Omnia autem bona opera tunc mercedem habent, quando ad finem vsque continuantur: sin verò interrumpantur, non paruum existit naufragium.

NILVS. 66. Quid autem lex indicat, quæ præcipit etiã, ingressus in templum, posteaquam vota persoluerit, non per eamdem portam egrediatur per quam ingressus fuerat, sed per oppositam, quò rectum iter faciat, & non vertatur retrò? An fortè continuam & rectã ad virtutem viam non esse dubitationum diuerticulis interrumpendam? assiduæ enim ad ea, à quibus discessimus, propensiones, propter consuetudinem nos retrahunt, & vigorem ad priora laxantes, progredi non sinunt, sed ad pristina mala redire compellunt. Magna enim est consuetudinis vis: ad se nos trahit, nec ad priorem virtutis habitum reuerti permittit. Ex consuetudine siquidem habitus, ex habitu natura proficiscitur. Naturam porrò mouere aut mutare difficillimum est: licet enim vi paulisper inclinetur, celeriter tamen ad seipsam recurrit.

Consuetudinis vis.

ANNOTATIONES.

VER. 63. NEMO MITTENS MANVM SVAM AD ARATRVM] *Q. d. Sicut volens arare, si retrò respiciat, ineptus est ad arandum (debet enim recta ante se aspicere, vt sulcos rectos ducat) ita qui se totum consecrauit regno Dei quod ego prædico, & operibus iustitiæ, perfectionis, abdicationisque rerum omnium promisso, si ad vana & temporalia, quæ dimisit, respiciat, ineptus est. Simile quid ait Apostolus 2. ad Timotheum 2, 4.*

Nota, Christum hoc apophthegmate perfectionis viam ostendere, & voluisse homini nimis sollicito, affectum, quem habebat erga suos nimium, eximere, & totum in suum obsequium transferre. Nam alioqui hanc renuntiationem pietatis causâ Eliseo permisit Elias 3. Regum 19, 20.

Hoc loco non incommodè quædam à S. Lucâ prætermissa ex alijs Euangelistis inseri posse videntur, vtpote quæ ab ijs qui Concordias scripserunt ante illam Septuaginta electionem, quam capite 10. S. Lucas describit, ferè præmittuntur. Inter quæ primum occurrit, quod de lotione manuum & impijs Pharisæorum traditionibus narratur.

SVPPLEMENTVM EX S. MARCI CAP. VII.

VERS. 1. Et conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis, venientes ab Ierosolymis.

2. " Et cùm vidissent quosdam ex discipulis eius, communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperauerunt. *Matt. 15. 2.*

3. Pharisæi enim, & omnes Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum:

4. & à foro nisi baptizentur, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare, baptismata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum:

5. & interrogabant eum Pharisæi, & Scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?

6. At ille respondens, dixit eis: Benè prophetauit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: " Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Isa. 29. 13*

7. in vanum autem me colũt, docentes doctrinas & præcepta hominum.

8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata vrceorum, & calicum: & alia similia his facitis multa.

VICTOR ANTIOCHENVS *ad hunc locum ait:* Cùm Euangelista accusationem, quam Scribæ & Pharisæi apud Christum Seruatorem cõtra discipulos illius instituerunt, explicare deliberatum haberet, narrationi huic commodè interserit, cuiusmodi seniorum traditiones exstiterint: atque tum demum, quid

quid in Apostolis calumniati fuerant, exponit. Cùm vidissent, &c. Non est hoc eo sensu accipiẽdum, quasi discipuli manus nullo modo lauerint; non ita enim res habet: verùm quia à Domino edocti erant, vt ea quæ ad explendam communẽm corporis necessitatem faciunt, pro rerum vsu, locique & temporis commoditate administrarent, soli autem virtutum studio ex animo incumberent; quo tempore cibus sumendus erat, de receptis apud Pharisæos lauationibus non magnoperè curabant. Hoc autem cùm Scribæ & Pharisæi animaduertissent, illos veluti vsitatarum traditionum transgressores apud Christum accusabant.

Hinc collige, Apostolos non fuisse tam rusticos vt se non lauarent, sed abstinuisse a lotione istâ religiosâ Judæorum, quam ex maiorum ritu & traditione superstitiosè obseruabant. Ritus autem erat, inquit Theophylactus, vt ad cubitum vsque lauarentur.

Occasio tam crebrarum lotionum apud Iudæos quæ.

Hic autem tam crebrarum lotionum vsus ex consuetudine, non verò ex lege adhibebatur. Eius tamen introductio & tam scrupulosa obseruatio ex lege Leuitici 11. originem & occasionem sumpsisse videtur, quia nimirum ibi lex statuit vt ex morticinorum animantium immundarum, leprosi, & rerum ceterarum ibidem expressarum contactu, immunditia siue irregularitas contraheretur, quàm lotionibus purgari iussit. Iudæi ergo ante cibum, imò in ipsâ mensâ, vt etiam patet Matthæi 15. & Ioannis 2. se lauabant, vt si forte inscij aliquo contactu irregularitatem contraxissent, eam abluerent. Sic lauabant calices & vasa, anxij scilicet ne si immunda essent, cibos, & consequenter comedentes pollueren. Vnde patet, Iudæorum istam consuetudinem nimis scrupulosam fuisse, & paruæ aut nullius potiùs pietatis vel vtilitatis. Hæc enim eos auocabat à curâ & lustratione animi, neque Deus tam anxiam lustrationem ab eis exigebat; imò potiùs vetasse videtur Deuteronomij 4, 2. Christus igitur Legi, & præsertim his friuolis traditionibus, finem impositurus, volensque ad animi lustrationem curam omnem dirigi, noluit hæc seruare, licet id expressè non respondeat, idque ad euitandam inuidiam. Itaque hic locus, licet eo abutantur, nihil fauet hæreticis contra traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas, quæ vtilissimæ sunt, spirituales, & ad perfectiùs legem Dei seruandam traditæ.

Christus se apud Pharisæos non excusat, sed ipsos redarguit.

S. CHRYSOSTOMVS *in cap. 15. Matthæi*, Mira, *inquit*, Pharisæorum Scribarumque stultitia. Dei Filium arguunt, quare traditiones hominum & præcepta non seruet: Christus autem non excusauit, sed confestim reaccusauit; demonstrans, quoniam eum qui magna peccat, pro paruis peccatis aliorum sollicitum esse non oportet. Vnde sequitur: At ille respondens dixit eis, &c. Non autem dicit quòd benè faciunt transgredientes, vt non det eis occasionem calumniæ; neque tamen vituperat quod ab Apostolis factum est, ne approbet eorum traditiones. Neque rursus accusat seniores, ne tamquam iniuriatorem ipsum repulissent; sed increpat eos qui aduenerant, tangens etiam seniores qui talem traditionem statuerant.

Comedentes panem cælestem lotos quomodo oporteat esse.

BEDA: Spiritalia enim Prophetarum verba carnaliter accipientes, quæ illi de cordis & operis castigatione præcipiebant, dicentes, Lauamini, mundi estote; &, Mundamini qui fertis vasa Domini, isti de corpore solo lauãdo seruabant. Superstitiosa ergo est hominum traditio, semel lotos, ob manducandum panem crebriùs lauare, & à foro nisi baptizentur non comedere. Sed necessarium est eos qui panem de cælo descendentem participare desiderãt, crebrò eleẽmosynis, lacrymis & alijs iustitiæ fructibus sua opera purgare. Necessarium quoque est, inquinamenta, quæ ex temporalibus negotiorum curis quisquam contraxerit, subsequenti bonarum cogitationum & actuum permundari instantiâ. Frustrà autem Iudæi lauant manus, & à foro baptizantur, quamdiu contemnunt fonte ablui Saluatoris: in vanum seruant baptisma vasorum, qui corporum suorum & cordium negligunt abluere sordes.

VER. 9. Et dicebat illis: Benè irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem vestram seruetis.

10. Moyses enim dixit: "Honora pa- Exod. 20, 12.
trem tuum, & matrem tuam. Et: "Qui Deut. 5, 16.
maledixerit patri, vel matri, morte mo- Ephes. 6, 2.
riatur. Exod. 21, 16.
11. Vos autem dicitis: Si dixerit ho- Leuit. 20, 9
mo patri, aut matri, Corban, (quod est Prou. 20, 20.
donum) quodcumque ex me, tibi profuerit:
12. & vltrà non dimittitis eum quidquam facere patri suo, aut matri,
13. rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis: & similia huiusmodi multa facitis.

Pharisæi vt Dei præcepta contemnentes suas traditiones statuerent.

SANCTVS IRENÆVS *lib. 4. cap. 44.* Christus ait ad eos qui accusabant eius discipulos, quasi non seruarent traditionem seniorum, Quare vos frustramini præceptum Domini propter traditionem vestram? Deus enim dixit: Honora patrem & matrem. &: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Et iterùm secundò ait illis: Et frustrati estis sermonem Dei propter traditionem vestram. manifestissimè Dominum & Deum Patrem confitens Christus eum qui in lege dixit, Honora patrem, & matrem, vt tibi benè sit. Verbum enim Dei confessus est legis præceptum verax Deus, & neminem alterum Deum appellauit, quàm suum Patrem.

Et cap. 25. Seniorum enim ipsorum traditio, quam ex lege obseruare fingebant, contraria erat legi quæ data est per Moysen. Propter hoc & Isaias ait: Caupones tui miscent vinum aquâ; ostendens quòd austero Dei præcepto miscerent seniores aquatam traditionem, id est aggredientes adulteram legem & contrariam legi; sicut & Dominus fecit manifestum, dicens eis: Quare vos transgredimini legem Dei propter traditionem vestram? Non solùm autem per præuaricationem frustrati sunt legem Dei, miscentes vinum aquâ; sed & etiam legem è contrario statuerunt, quæ vsque adhuc Pharisaica vocatur: in quâ quædam quidem auferunt, quædam verò addunt, quædam autem quemadmodum volunt interpretantur, quibus vtuntur singulariter Magistri eorum. Isa. 1, 22.

Honor quid sit, & in quibus consistat.

S. HIERONYMVS *in cap. 15 Matthæi.* Honor in Scripturis non tantùm in salutationibus & officijs deferendis, quantum in eleẽmosynis ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit Apostolus, viduas, quæ verè viduæ sunt. Hic honor 1. Tim. 5, 3

do-

donum intelligitur. Et in alio loco: Presbyteri duplici honore bonorandi, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ Dei. Et per hoc mandatum iubemur boui triturant os non claudere: & dignus sit operarius mercede suâ. Præceperat Dominus, vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentū considerans, vt filij honorarent, etiam in vitæ necessarijs administrandis, parentes suos. Hanc prouidentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subuertere, vt impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, vt si quis ea quæ parentibus offerenda sunt, Deo vouere voluerit, qui verus est Pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus; vel certè ipsi parentes quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ita fiebat, vt oblatio liberorū, sub occasione templi & Dei, in sacerdotum lucra cederet. Hæc pessima Pharisæorum traditio de aliâ veniebat occasione. Multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes sibi creditum reddere, delegabant sacerdotibus: vt exacta pecunia, ministerijs templi, & eorum vsibus deseruiret. Potest autem & hunc breuiter habere sensum: Munus quod ea me est, tibi proderit. Compellitis, inquit, filios, vt dicant parentibus suis, Quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumo cibos: tibique prodest, ô pater & mater; vt illi timentes accipere quod Deo mancipatum viderant, inopem magis velint vitam ducere, quàm comedere de consecratis.

EVTHYMIVS *ad eundem locum Matth. 15.* Seniores Iudæorum docuerant iuuenes, vt prætextu diuini cultus parentes contemnerent. Si quis enim parentum peteret à filio ouem, aut vitulū, aut aliud quidpiam, præcipiebant illis vt dicerent: Munus est Deo, quodcumque ex me in tuum vertitur commodum. hoc est, Deo consecratum est quodcumque à me lucrifacis: & ita docebant eos despicere parentes, ac legem transgredi. Ignominia siquidem est, legisque transgressio, filios resistere parentibus. Nam & ipsos parentes, Dei prætextu fraudabant re debitâ, & nec Deo illam offerebant. Hæc itaque rei narratio est. Nunc verò oportet & dicta interpretari. Vos autem dicitis, hoc est, Vos interpretamini, vos docetis deceptionem illam humanam; Quisquis dixerit patri vel matri, munus est Deo consecratum, quidquid ex me in tuum vertitur commodum, siue quidquid ex me lucrifacere cupis. Quidam autem per defectum interpretantur hoc dictum, dicentes: Deus quidem hæc vel illa præcepit; vos autem hæc reijcientes, dicitis: Quisquis dixerit patri vel matri, corban, siue munus est Deo quæsitum, quodcumque mei in tuum vertitur commodum, liberatus est. Hoc enim dicunt deficere, vtpote Iudæis notum ad quos dirigebat sermonem. Et non honorabit patrem suum, vel matrem suam. Et talis humo iam impudens effectus, deinceps non honorabit parentes suos.

Obligatio filiorum in parentes. VICTOR *in cap. 7. Marci.* E duobus legis præceptis parentum honorem secundùm Dei voluntatem vrget. Altero quidem mandante, vt id fiat, altero verò pœnam mortis irrogante, si oppositum fiat, adeoque præcepti huius obseruationem ad salutem apprimè necessariam ostendit. Iam cùm talis tantaque legis comminatio contra legis præuaricatores promulgata exter, Vos, inquit Christus Dominus, temerè, perniciosoque exemplo, Doctorum vestrorum traditiones secuti, diuinum mandatum fœdè præuaricamini. Etenim si quis ob dehonestatos paréntes, munus, hoc est illud Deo in sacrificium sese oblaturum promiserit, quod patri alioqui debebat, vos id iustum pronuntiatis. Vos, inquam, rem quā filij parentes alere & honorare omni iure obligantur, Deo offerre licitum asseritis: id quod aliud nihil est, quàm manifestaria diuinæ legis propter vestram traditionem euersio & abrogatio. *Iudæorum in parentes iniquitas.* Enimuerò cùm nefarium iuuenum ausum, insignemque temeritatem, & in parentes impietatem increpare debuissetis, nec non huiusmodi sacrificium tamquam horrendam quamdam abominationem repudiare, (neque enim Deus eo honore aut munere delectatur, quod in parentū iniuriam & calamitatem redundat;) adeò illud non facitis, vt vltrò quoque instigetis, tantamque iniustitiam palàm iustificetis. *Deus non recipit munus redundans in iniuriam parentum.* Christus proinde increpationem illam, quâ Deus eos per Prophetam increpabat qui Isaiæ ætate in viuis erant, nunc in Scribas & Pharisæos quoque conuenire demonstrat, vt qui eadem modò sentiant & faciant, quæ illi olim.

Impios autē illos Pharisæos atque Iudæos, eorumque modò prauos æmulatores quoscumque qui parentibus immorigeri sunt, nō immeritò ad ciconias propietate discenda mittere possimus, de quibus inter multa sic habet S. AMBROSIVS *l. 5. Hexaëmeron c. 16.* Quā verò rationabilium excedat pietatem auis huius clementia, consideranda. *Ciconiarū in parentes pietas.* Nam depositi patris artus, per longæuum senectutis plumarum tegmine alarumque remigio nudatos, circumstans soboles pennis proprijs fouet. Et quid dicam? collectitio cibo pascit, quando ipsa etiā reparat naturæ dispendia, vt hinc atque inde subleuantes senem, fulcro alarum suarum, ad volandum exerceant, & in pristinos vsus desueta iam reuocent pij patris membra. Quis nostrûm leuare ægrum non fastidiat patrem? Quis fessum senem suis humeris imponat, quod in ipsâ historiâ vix credibile habetur? Quis vt pius sit, non hoc seruulis mandat obsequium? At verò auibus non est graue, quod pietatis est plenum; non est onerosum, quod soluitur naturæ debito. Non recusant aues pascere patrem, quod etiam præscriptâ necessitate sub terrore pœnarū pleríque hominum recusarunt. Auas non scripta, sed nata lex stringit. Aues ad hoc munus nullo præcepto conueniunt, sed gratiæ naturalis officio. Aues non erubescunt reuerendi senis membra portare. Est enim victutia pietatis, quod eò vsque frequenti testificatione percrebuit, vt congruè mercedem remunerationis inuenerit. Nam Romanorum vsu PIA AVIS vocatur. Et quod via vno Imperatori consulto Senatus delatum dicitur, hoc istæ aues in commune meruerunt. Habent ergo aues istę decreta Patrum ad propriæ insigne clementiæ. Pios enim filios, patrum priùs oportuit iudicio prædicari.

IDEM *libro de Benedictionibus Patriarcharum c. 1. sic ait:* Primò mominium, quantam discimus parentibus referre reuerentiam, cùm legimus, quoniam qui benedicebatur à patre, benedictus erat: & qui maledicebatur, maledictus erat. *Deus dedit parentibus prærogatiuam benedicendi filios.* Ideò hanc parentibus gratiam donauit Deus, vt filiorum pietas prouocetur. Prærogatiua igitur parentum, disciplina est filiorum. Honora ergo patrem, vt benedicat te. Honoret plus patrem propter gratiam, ingratus propter timorem. Etsi pauper est, etsi non habet diuitiarū copias quas relinquat filijs, habet tamen vltimæ benedictionis hereditatem, quas sanctificationis opes successoribus largiatur. Et multò plus est,

est, beatum, quàm diuitem fieri. Vnde festinabat Ioseph sumere à patre benedictionem sibi & filijs suis.

Probi filij semper parentes honorant. *Et lib. 1. Officiorum cap. 17. sic ait, incipiens informare adolescentes per exempla Patriarcharum:* Est igitur bonorum adolescentum, timorem Dei habere, deferre parētibus honorem. Erat Isaac Deum timens, vtpote Abrahæ indoles, honorem deferens patri vsque eò, vt aduersus paternam voluntatem nec mortem recusaret. Ioseph quoque cùm somniasset, quia sol & luna & stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri.

ᵘMatth. 15 10. VERS. 14. ᵘEt aduocans iterùm turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite.

15. Nihil est extra hominē introiens in eum, quod possit eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant hominem.

16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

17. Et cùm introisset in domum à turbâ, interrogabant eum discipuli eius parabolam.

18. Et ait illis: Sic & vos imprudentes estis? Non intelligitis, quia omne extrinsecus introiens in hominum, non potest eum communicare:

19. quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas?

20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa communicant hominem.

ᵛGen. 6, 5. 28. ᵛAbintus enim de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,

22. furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

23. Omnia hæc mala abintus procedunt, & communicant hominem.

NOTA *hic contra hæreticos, isti Christi dicto*, Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare, *non repugnare, quòd ipsa intemperantia, inobedientia, aut scandalum in edendo inquinet comedentem, vt patet etiam in lege veteri, vbi multi cibi à Deo vetiti, Leuitici 11. Vult ergo Christus tantùm Pharisæorū opinionem refellere, qui putabant cibum pollutum ex se comedentem polluere; alioquin enim eum statim legis Leuitici 11. latæ reum peregissent. Sic S. Paulus sæpè contra Simonianos, Iudæos, ac futuros Manichæos docet, omnem creaturam Dei bonam esse. Itaque nihil hic habent hæretici contra præceptum Ecclesiasticum ieiunij.*

S. HIERONYMVS *ad cap. 15. Matth.* Verbum Communicat proprium Scripturarum est, & publico sermone non teritur. Populus Iudæorum partem Dei se iactitans, communes cibos vocat, quibus omnes vtuntur homines. Verbi gratiâ suillam carnem, ostreas, lepores, & istiusmodi animantia quæ vngulā non findunt, nec ruminant, nec squammosa in piscibus sunt. Vnde & in Actibus Apostolorum cap. 10. scriptum est, Quod Deus sanctificauit, tu commune ne dixeris. Commune ergo, quod ceteris hominibus patet, & quasi non est de parte Dei, pro immundo appellatur. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Opponat prudens Lector, & dicat: Si quod intrat in os, non coinquinat hominē, quare idolothytis non vescimur? & Apostolus scribit 1. Cor. 10. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum? Sciendum igitur, quòd ipsi quidem cibi, & Dei creatura per se omnis munda sit; sed idolorum ac dæmonum inuocatio ea faciat immunda. *De verbo communicat.* *Cibi communes qui dicantur.*

IDEM: Quod apertè dictum fuerat, & patebat auditui, Apostolus Petrus per parabolam dictum putat, & in re manifestâ mysticam quærit intelligentiam, corripiturque à Domino, quare parabolicè dictum putet, quod perspicuè locutus est. Ex quo animaduertimus, vitiosum esse auditorem, qui aut obscura manifestè, aut manifestè dicta obscurè velit intelligere. *Auditores vitiosi qui.* Omnia Euangeliorum loca apud hæreticos & peruersos plena sunt scandali. Et ex hac sententiâ quidam calumniantur, quòd Dominus physicæ disputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, & in secessum dirigi, cùm statim infusæ escę, per artus & venas ac medullas neruosque fundantur. Vnde & multos, qui vitio stomachi perpetem sustinebant vomitum, post cœnas & prandia statim euomere quod ingesserunt, & tamen corpulentos esse: quia ad primum tactum liquidior cibus & potus per membra fundantur. *Cibi non omnes mittantur in secessum.* Sed istiusmodi homines dum volunt alterius imperitiam reprehendere, ostendunt suā. Quamuis enim tennis humor, & liquens esca, tamen cùm in venis & artubus concocta fuerit & digesta, per occultos meatus corporis, quos Græci πόρους vocant, ad inferiora dilabitur, & in secessum vadit.

EVTHYMIVS *ad eundem locum Matth. 15.* Cùm Petrus inchoasset, alij quoque pariter interrogauerunt. Parabolam autem vocant Hebræi ænigma, & sermonem obscurum. Nam quia superiùs dixerat Christus, Quod egreditur de ore, hoc impurum reddit hominem; deinde, sicut refert Marcus, subiunxerat, Si quis habet aures ad audiēdum, audiat: visus est eis sermo obscurus, & ideò parabolam illum vocantes, de ipso interrogant. Marcus autem postquam dixit, Et in secessum egreditur, addit, Quod purgat omnes escas, hoc est, puras relinquit. Dictæ enim sordes in secessum egressæ, quia relinquunt quæ intus remanent alimenta, quæ videlicet natura retinuit.

S. AVGVSTINVS *lib. de Mendacio ad Consentium cap. 16.* Plerumque Scriptura cùm os dicit, conceptaculum ipsum cordis significat, vbi placet & decernitur quidquid etiam per vocem, cùm verum loquimur, enuntiatur. *Os duplex scilicet cordis & corporis.* Et esse quidem os cordis ex hoc iam intelligi potest, quòd vbi locutio est, ibi os non absurdè intelligitur. Nec rectè diceretur, Qui loquitur in corde suo, nisi & os in corde rectè intelligeretur. Manifestè etiam in Euangelio inuenimus os cordis, vt vno loco & corporis & cordis

cordis ora Dominus commemorasse inueniatur, vbi ait: Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, &c. Hic si vnum os, quod est corporis, intellexeris, quomodo intellecturus es, Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt; cùm & sputum & vomitus de ore procedat? Nisi fortè tunc quisque non coinquinatur, cùm edit aliquid immundum: coinquinatur autem, cùm id euomit. Quod si absurdissimum est, restat vt os cordis intelligamus à Domino expositum, cùm ait, Quæ procedunt de ore, de corde exeunt. Nam & furtum cùm possit, & sæpè ita fiat, in silentio corporalis vocis atque oris perpetrari, dementissimum est sic intelligere, vt tunc putemus quemquam peccato furti contaminari, cùm id fatetur aut indicat; cùm autem id tacitè committit, incoinquinatum arbitrari. At verò si ad os cordis quod dictum est referamus, nihil omnino peccati tacitè committi potest. Non enim committitur, nisi ex ore illo interiore procedat.

De ore cordis peccata prodeunt.

Hisce similia habet lib. de Continentiâ cap. 2. vbi ait: Habet os interius homo interior, & hoc discernit auris interior. De hoc ore quæ procedunt, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Deinde iam relicto oris nomine, quod potest & de corpore intelligi, apertiùs quid dicat ostendit: De corde enim exeunt, inquit, cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. hæc sunt quæ coinquinant hominem. Nihil est certè istorum malorum quæ perpetrari membris corporis possunt, quod cogitatio non antecedat mala, & coinquinet hominem, etiamsi aliquid impediat ne subsequantur opera flagitiosa, & facinorosa membrorum. Si enim quia potestas non datur, vacat manus ab hominis interfectione, numquid ideò mundum est à scelere cor homicidæ? Aut si rem surripere alienam non vt quis vult potest, numquid ideò in ipsâ voluntate fur non est? Aut si casta est quam vult adulterare non castus, ideò eam non est in corde mœchatus? Aut si meretrix non inueniatur in fornice, ideò qui eam quærit non fornicatur in mente? Aut si cupienti per mendacium lędere proximum, tempus vel locus desit, ideò falsum testimonium non ore interiore iam dixit? Aut si quispiam homines timens, non audeat linguâ carnis sonare blasphemiam, ideò non est huius criminis reus, qui dicit in corde suo Non est Deus? Ita cetera mala facta hominum, quæ nullus agit corporis motus, quæ nescit vllus corporis sensus, reos suos occultos habet, quos etiam solus inquinat in cogitatione consensus, id est interni oris verbum malignum. Dominus cùm dixisset, De corde enim exeunt cogitationes malæ, deinde quid pertineat ad cogitationes malas, adiunxit, Homicidia, adulteria, &c. Nec dixit omnia, sed quibusdam exempli gratiâ nominatis, & alia intelligenda commonuit. Quorum nihil est quod fieri possit, si mala cogitatio non præcesserit, quâ intus instituitur quod foris agitur, & ex ore cordis procedens, iam coinquinat hominem, etiamsi nullâ facultate permissâ, foris per membra corporis non agatur.

Nullus est sine passionibus.

S. Hieronymvs *Epist. ad Saluiam de Viduitate seruandâ:* Difficile est, quin potiùs impossibile, perturbationis initiis carere quempiam, quas significantiùs Græci προπαθείας vocant: nos vt verbum vertamus è verbo, Antepassiones possumus dicere, eò quòd incentiua vitiorum, omnium titillant animos, & quasi in meditullio nostrum iudicium sit, vel abiicere cogitata, vel recipere. Vnde & naturæ Dominus in Euangelio loquebatur: De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Ex quo perspicuum est, iuxta alterius libri testimonium, procliuius esse cor hominis à pueritiâ ad malum: & inter opera carnis & spiritus, quæ Apostolus enumerat, mediam animam fluctuare, nunc hæc nunc illa cupientem. Nam sine vitiis nemo nascitur: optimus ille est, qui minimis vrgetur. Velut si egregio inspersos reprehendas corpore næuos. Hoc est quod aliis verbis Propheta significat: Turbatus sum, & non sum locutus. & in eodem volumine: Irascimini, & nolite peccare. & illud Architæ Tarentini ad villicum negligentem: Iam te verberibus enecassem, nisi iratus essem. Ira enim viri iustitiam non operatur. Quod de vnâ perturbatione dictum est, referamus ad ceteras. Sicut irasci hominis est; & iram non perficere, Christiani: sic omnis caro concupiscit quidem ea quæ carnis sunt, & quibusdam illecebris ad mortiferas animam voluptates trahit, sed nostrum est voluptatis ardorem maiore Christi amore restringere, & lasciuiæ iumentum frænis inediæ subiugare, vt non libidinem, sed cibos quærat ac desideret, & sessorem Spiritum sanctum moderato atque composito portet incessu. Quorsum ista? Vt hominem esse te noueris, & passionibus humanis, nisi caueris, subiacere.

Ver. 24. [a] Et inde surgens abijt in fines Tyri & Sidonis: & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. [a] Matth. 15. 24.

25. Mulier enim statim vt audiuit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit, & procidit ad pedes eius.

26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum vt dæmonium eijceret de filiâ eius.

27. Qui dixit illi: Sine priùs saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.

28. At illa respondit, & dixit illi: Vtique Domine, nam & catelli comedunt sub mensâ de micis puerorum.

29. Et ait illi: Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium à filiâ tuâ.

30. Et cùm abijsset domum suam, inuenit puellam iacentem supra lectum, & dæmonium exijsse.

Christus non Iudæis solùm, sed & Gentes saluare venit.

Christvs hic, eò quòd Iudæi doctrinam eius præcedentem nollent recipere, conuertitur ad Gentes, scilicet in fines Tyri & Sidonis, exemplo suo quod posteà facerent Apostolos docens, quod & imitati sunt Act. 13.

Actor. 13,46. *qui sic habet:* Tunc constanter Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes. *Voluit tamen Christus hoc latere, vt notat hic Marcus, tum quietis causâ, vt vult Euthymius; tum vt fugeret honorem; denique ne grauiùs contra se Iudæos concitaret, quasi non esset Messias Iudæis promissus, qui ad Gentes diuerteret.*

Mulier Chananæa vnde esset. *Vocatur autem hæc mulier Chananæa, quia erat ex posteris Chanaan, qui Palæstinam & loca vicina, vt Phœniciam, occuparunt.* Chanaan autẽ (*vt habetur Gen.* 10,15.) genuit Sidonem primogenitum suum, *qui & Sidonis vrbis fuit conditor. Vocat hic illam etiam S. Marcus Syro-Phœnissam, quia videlicet erat ex eâ Phœnicia parte, quæ erat Syriæ contermina. Erant enim & alij Phœnices, vt Lydo-Phœnices, & Pœni siue Afri, qui Punicâ linguâ, Hebrææ vicinâ, teste S. Hieronymo & Augustino, vtebantur, quos ex Phœnicibus genus & nomen traxisse dubium non est.*

Humilitatis & pietatis exemplum. S. AVGVSTINVS *Serm.* 74. *de Tempore:* Chananæa ista mulier, quæ heri nobis lectione Euangelicâ commendata est, præbet nobis humilitatis exẽplum, & pietatis viam ab humilitate in alta surgere ostendit. Erat autem, sicuti patet, non de populo Israel, vnde Patriarchæ, vnde Prophetæ, vnde parentes Domini nostri Iesu Christi secundùm carnem, vnde ipsa Virgo Maria quæ peperit Christum. Non ergo ex isto populo erat hæc mulier, sed erat ex Gentibus. Nam, sicut audiuimus, secessit Dominus in partes Tyri & Sidonis, & inde mulier Chananæa de finibus illis egressa est. Petebat beneficium instantissimè curandæ filiæ suæ, quæ malè à dæmonio vexabatur. Tyrus & Sidon non erant ciuitates populi Israel, sed Gentium, *Cur Chananæa clamaret.* quamuis vicinæ illi populo. Clamabat ergo, auida impetrandi beneficij, fortiterque pulsabat, & dissimulabatur ab eo, non vt misericordia negaretur, *Christus cur dissimularet.* sed vt desiderium accenderetur: nec solùm vt desiderium accenderetur, sed sicut antè dixi, vt humilitas commendaretur. Clamabat ergo Domino non audiente, sed quod facturus erat, in silentio disponente.

Et Serm. 109. *de Tempore:* Mulier Chananæa (quæ est mater Gentilium) pro filiâ suâ, id est Ecclesiâ, Dominum deprecabatur. Quæ tamdiu postulauit, donec acciperet quod petebat.

CHRYSOLOGVS *Serm.* 100. Beatus Marcus cùm Syro-Phœnissæ mulieris commendat prudentiam, fidem refert, credulitatis extollit ardorem, sollicitis auditoribus non paruam generat quæstionem. Voluit, & non potuit. Velle, & non posse, non est diuinæ maiestatis: est infirmitatis humanæ. Scri-
Ps. 134,6. ptum est enim: Omnia quæcumque voluit, Do-
minus fecit in cælo & in terrâ, in mari, & in omni-
Rom. 9,19 bus abyssis. Et Apostolus: Voluntati eius quis resistit? Succumbit necessitati, quæ non libera & absoluta voluntas. Leprosus dicit ad Dominum: Si *Vt Christus voluerit, quod non potuit.* vis, potes me mundare. Euangelista dicit, Voluit, & non potuit. Quid ait B. Marcus? Numquid extollenda ita est mulieris fides, vt inclinetur Domini possibilitas & voluntas? Aut est tanta sagacitas fidei, vt nolente Deo diuinum valeat inuestigare secretum? Sed quid sit Voluit, & quid Nõ potuit, euidentiùs inquiramus. Promissionis suæ memor Christus, Israelitici populi primùm venerat ad salutem, vt quod Abrahæ promiserat & semini eius Dauid, eiusque posteris, fidele redderet persolutum; sed quia indignos se suâ perfidiâ præstiterunt, obtinuit, rapuit, traxit fides Gentium, quod infidelitas spreuit & perdidit Iudæorum. Audi ipsum dicentem: Non sum missus nisi ad oues perditas domus Israel. Sed oues luporum contagione iam rabidæ, & ipsis bestiis propriâ feritate sæuiores, laniare & violare suum semper voluerunt pastorem: atque ideò velle suum Christus implere non poterat, non impossibilitate suâ, sed nequitiâ perditorum; & quod aliis detulerat, aliis conferre cogebatur, dicente ipso: Regnum cælorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Vim fecit fides Gentium vt raperet hereditatem Patris. Ipsam hereditatem totam diriperet filiorum, sicut euidentiùs præsenti lectione monstratur.

S. CHRYSOSTOMVS *Homiliâ* 74. *ad populum Antiochenum:* Quid ergo debes orans dicere? *Quid à Christo petendum.* Quod Chananæa. Sicut enim illa dicebat: Miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur; ita & dic tu: Miserere mei, anima mea malè à dæmonio vexatur. Magnus enim dæmon, peccatum: dæmo- *Anima est filia Chananææ, dæmon verò est peccatũ.* nium habens misericordiam inuenit, odio peccans habetur. Miserere mei, breue verbum, & clementiæ pelagus continet. Nam vbi misericordia, ibi sunt omnia bona. Siue sis extra Ecclesiam, clama dicens: Miserere mei; etsi non moueris labia, sed mente clamans. Nam & tacentes Deus exaudit. *Vide eumdem S. Chrysostomum pulchrè & fusè de hac Chananæâ in Homiliâ de Profectu Euangel. & Hom.* 44. *in Genesim, & Homiliâ* 53. *in Matthæum, quæ ferè tota est de ipsâ.*

S. AVGVSTINVS *Serm.* 74. *de Tempore, ad illa verba,* Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt *Quomodo solùm ad Israel Christus missus sit.* domus Israel; Illis enim exhibuit præsentiam suam, pro illis in se sæuientibus crucifixus orabat. Hanc præsentiam Christus Iudæis exhibuit. Hoc ergo ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel, vt illis præsentiam sui corporis exhiberet, non vt oues, quas habebat in Gentibus, contemneret & præteriret. Ad Gentes enim ipse non venit, sed discipulos misit. Et illic completum est quod Propheta dixit, Populus quem non cog- Ps. 17,45.
nouí, seruiuit mihi.

CHRYSOLOGVS *Serm.* 100. Non dixit, Non est bonum mittere canibus; sed, Non est bonum tollere filijs, & mittere canibus: quia dare panem canibus, etsi humanitatis non est, humanæ tamen est rationis. Canis dormientibus dominis nocte, & custos & peruigil, prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, vt curam releuet & sollicitudinem seruulorum. Verumtamen quomodo tulit panem filijs, quibus toties & taliter obtulit, tribuit, ingessit? sed illi oblatum conculcare ad scelus, non ad vitam sumere sunt conati.: & tamen comminutum & conculcatum à filijs canis totâ fide, toto desiderio lambere festinauit. Meritò autem quæ se *Humilitas Chananææ exaltatur.* canem confessa est, in hominem commutatur; & iustè conuertuntur in canes, qui se filios esse noluerunt. Meritò adoptatur in filiam, leuatur, honoratur ad mensam, quæ se sub mensâ laudabili & prouidâ humilitate deiecit. Iustè toto nunc epulatur micas ex pane, quæ suis meritis se intellexit & confessa est vix mereri. Et quid plura? hinc est quòd propter iustitiam suam Dominus nec Iudæis dare potuit, nec Gentibus denegare.

VICTOR *in cap.* 7. *Marci:* Sed neque Chananæa quoque canis appellationem grauiter tulit, verùm in tali ordine constituta, beneficium quæsiuit, opu-

lentæque illius gratiæ, quâ Israelitæ potiebantur, partem aliquam impetrare studuit. Quemadmodum canes quoque micarum, quæ de puerorum manibus in terram feruntur, participes euadere solent. Admirabilis hæc mulier: duro responso à Christo accepto, tantum abest vt ægrè indignabundeque id ferat, vt voces non multâ tantùm fide, sed magnâ quoque reuerentiâ & sapientiâ plenas depromat. Nam quòd à Domino inter canes se censeri patienter fert, id summæ vtique reuerentiæ & pietatis argumentum erat: at verò minimam virtutis illius partem (hoc enim micæ nomine significatur) ad præstandam integram filiæ sanitatem sat esse certò arbitrari, id excellentis fidei opus erat: demum, ex illato probro, familiaris cuiusdam necessitudinis occasionem arripere, edereque responsum vsque adeò admirabile, id eximiæ prudentiæ, admirandæque sapientiæ indicium erat. Eequid enim ait illa? Vtique Domine: nam & catelli. Quasi dicat: Magni beneficij loco duco, vel in canum ordine haberi, dummodò abs te, veluti aliena non excludat, sed de mensâ Dominicâ cibum capiam; si non panem, certè micas temerè de mensâ cadentes. Tantæ enim Dominicæ mensæ sunt opes, vt abundè mihi sat sit, si iustorum tuorum micis frui liceat.

Fides, reuerentia, sapientia Chananææ.

Cùm illa quæ sunt de curato cæco & muto, deque turbis in deserto miraculose pastis, satis exactè à diuo Lucâ superius tradita sint; transeamus ad ea quæ de Iesu die festo Scenopegiæ in templo docente S. Ioannes in hæc verba describit:

SVPPLEMENTVM EX S. IOANNIS CAP. VII.

VER. 14. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat.

15. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit?

16. Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me.

17. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrinâ, vtrùm ex Deo sit, an ego à meipso loquar.

10. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.

19. [a] Nónne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem?

[a] Exod. 24, 3. Ioan. 5, 18.

20. Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes: quis te quærit interficere?

SANCTVS AVGVSTINVS *Tract. 28. in Ioannem:* Die festo mediante, id est, cùm iam illius diei festi tot dies præterijssent, quot remansissent. Ipsam enim festiuitatem, quantum intelligendum est diebus plurimis celebrabant.

Sed quæret quispiam, cur Christus non primo, sed demum tertio aut quarto festiuitatis die ascenderit in templum. Respondent S. Augustinus & Beda, quòd ante latuerit Christus, voluisse esse exemplo humanæ infirmitati; quod postea prodierit, fuisse potestatis diuinæ.

Cur Christus non primo die ad Festum uenerit.

S. Chrysostomus cum suis & Leontius dicunt, distulisse Christum, vt primus contra se inflammata Iudæorum ira deferuesceret.

Theophylactus ait id factum, vt maius audiendi sui expectatione desiderium ijs iniiceret.

Aut etiam dici posset, id factum esse vt liberiores haberet auditores: primis enim diebus occupabantur in Festo, vt in tabernaculis ceterisque rebus ad Festum pertinentibus comparandis ac disponendis.

S. CHRYSOSTOMVS *in Catenâ aureâ ad illud vers.* 14. Et docebat, *sic ait:* Quid autem docebat, non dixit Euangelista, sed quòd mirabiliter docebat, hoc solùm ostendit; tanta enim erat virtus docentis, vt qui dixerant, Seducit turbas, transmutati mirarentur.

S. AVGVSTINVS *ibidem:* Omnes quidem, quantum arbitror, admirabantur, sed non omnes conuertebantur. Et vnde admiratio? quia multi nouerant vbi natus, quemadmodum fuerat educatus. Numquam eum viderant litteras discentem, audiebant tamen de litteris disputantem, legis testimonia proferentem, quæ nemo posset proferre nisi legisset; nemo legere, nisi litteras didicisset, & ideò mirabantur.

Iudæi Christi doctrinam admirabantur, sed non conuertebantur.

S CHRYSOSTOMVS *ibidem:* Ab hac autem quæstione cognoscere debebant, quoniam hæc scientia humanitus non erat in eo, sed quia diuinitus. Sed hoc ipsi nolebant reuelare, sed in solâ admiratione stabant. Dominus autem hoc ipsum reuelauit, cùm respondit, Mea doctrina non est mea, &c.

S. AVGVSTINVS *Tract. 29. in Ioannem:* Hæc est profunditas prima. Videtur enim paucis verbis quasi contraria locutus. Non enim ait, Ista doctrina non est mea, sed, Mea doctrina non est mea. Si non tua, quomodo tua? si tua, quomodo non tua? tu enim dicis vtrumque, &, Mea doctrina, &, Non mea. Nam si dixisset, Ista doctrina non est mea, nulla esset quæstio. Nunc vero, fratres, primùm intendite quęstionem, & sic ordine exspectate solutionem. Nam qui non videt quæstionem quæ proponitur, quomodo intelliget quod exponitur? Hoc est ergo in quęstione, quòd ait, Mea, Non mea. Breuiter ergo dico charitati vestræ. Hoc videtur mihi dixisse Dominus Iesus Christus, Mea doctrina non est mea, ac si diceret: Ego non sum à meipso. Quamuis enim Filium Patri dicamus & credamus æqualem, nec vllam in eis esse naturæ vel substantiæ distantiam, nec inter generantem atque generatum aliquod interfuisse temporis interuallum; tamen hoc seruato & custodito, ista dicimus, quòd ille Pater est, ille Filius. Pater autem non est, si non habeat Filium; & Filius non est, si non habeat Patrem. Sed tamen Filius Deus de Patre, Pater autem Deus, sed non de Filio. Pater Filij, non Deus de Filio; ille autem Filius Patris, & Deus de Patre. Dominus enim Christus dicitur lumen ex lumine. Lumen ergo quod non ex lumine, & lumen æquale quod ex lumine, simul vnum lumen, non duo lumina.

Quomodo Christi doctrina non est Christi.

IDEM *in Catenâ aureâ:* Quæ est ergo doctrina Patris,

Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus est doctrina Patris, si Verbum Patris est. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed est alicuius, & suam doctrinam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum. Quid est tam tuum quàm tu, & quid tam non tuũ quàm tu, si alicuius es quod es?

Vel aliter: Secundùm aliud suam dixit, secundùm aliud non suam. Secundùm formam Dei suam, secundùm formam serui non suam. Si quis autem hoc parum intellexerit, audiat consilium quod Dominus consequenter dat, dicens: Si quis voluerit voluntatem eius facere, *&c.* hoc est, credere in eum. Ipse enim suprà dixit, Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quem ipse misit. Quis autem nesciat, hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus eius? Cognoscere autem, hoc est intelligere. Ergo noli quærere intelligere vt credas, sed crede vt intelligas; quia nisi credideritis, non intelligetis.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem:* Vel hoc ita dicit, ac si dicat: Auferte iram & inuidiam, & odium quod sine causâ in me habetis, & nihil erit quod prohibeat vos cognoscere, quoniam Dei verba sunt quæ loquor. Deinde aliud inducit argumentum insolubile, ab his quæ sunt in consuetudine hominum nos erudiens. Vnde sequitur: Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. quasi dicat: Qui aliquam propriam vult instituere doctrinam, propter nihil aliud hoc vult, quàm vt gloriã acquirat. Si verò ego gloriam eius qui misit me quæro, eius gratiâ aliena vellem vos docere? Et hoc est quod subdit: Qui autem quærit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. q. d. Verax sum, quia doctrina mea continet veritatem. Iniustitia in me non est, quia alterius gloriam non vsurpo.

S. BERNARDVS *pulchrè, quomodo in solo Deo securi gloriemur, nos docet his verbis:* Securus glorior, si de gloriâ conditoris nihil mihi vsurpo. Securus planè, quia non iam contra Dominum, sed in Domino. Et certè gloriari in solo Deo, non nisi à solo Deo. Nec parua ista gloria: quippe tam vera quàm de veritate, & in veritate: tam rara, vt vix paucitas perfectorum perfectè glorietur in eâ. Sapiens itaque gloriator probabit opus suum, & ad lumen veritatis diligenter examinabit, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in ore alterius. Stultus sum si fiscellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, & cœpero eam mendicare abs te, cùm habere voluero. Nónne in tuo arbitrio est improbare me vel probare cùm volueris? Si retineo penes me, ipse eam mihi non seruo, imò nec mihi eam credo: ipsi potiùs repono seruandam, qui potens est depositum meum seruare in illum diem, cautus in custodiendo, fidelis in restituendo. Nemo ergo laudari velit in hac vitâ; quia hîc quidquid fauoris captamus, Deo furamur. Tibi ergo vnde gloria, putride puluis? tibi vnde? de vitæ sanctitate? Sed Spiritus est qui sanctificat, non tuus, sed Dei. An blanditur popularis fauor, quòd verbum bonum & benè deprompseris? sed Deus dedit os & sapientiam. Quid enim lingua tua, nisi calamus scribæ? & hoc ipsum munus accepisti. Omnis ergo de bonis nostris referatur ad Deum laus: idque non fictè, vt ab hypocritis; nec solâ consuetudine, vt à sæcularibus; sed nec quadam necessitate, vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos, sinceritate fidâ, deuotione sollicitâ, hilaritate gratâ, sed non dissolutâ. Immolantes itaque hostiam laudis, & reddentes Altissimo vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantiâ iungere sensui vsum, affectum vsui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati: quò interdum liberis purgatæ mentis passibus procedamus, & excedamus per inusitatas quasdam affectiones spirituales lætitias, in iubilei amœnitatibus, in lumine Dei, in suauitate, in Spiritu sancto.

Verè sapiẽs tantum in Domino gloriatur.

Quomodo sit in Deo gloriandum.

VERS. 21. Respondit Iesus, & dixit eis: Vnũ opus feci, & omnes miramini.

22. Propterea [n] Moyses dedit vobis circumcisionem: (non quia ex Moyse est, [n] sed ex patribus) & in Sabbato circumciditis hominem. [n] Leu. 12, 3 [n] Gen. 17, 10.

23. Si circumcisionem accipit homo in Sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in Sabbato?

24. [n] Nolite iudicare secundùm faciem, sed iustum iudicium iudicate. [n] Deut. 1, 16.

25. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymis: Nónne hic est, quem quærunt interficere?

26. Et ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid verè cognouerunt Principes quia hic est Christus?

27. Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit.

28. Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis.

29. Ego scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit.

30. Quærebant ergo eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius.

31. De turbâ autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cùm venerit, numquid plura signa faciet, quàm quæ hic facit?

VNVM OPVS FECI.] *Quod scilicet narrauit S. Ioannes cap. 5. v. 18. videlicet paralytici in Sabbato curatio. Vnde sumpserunt Iudæi occasionem Christum criminandi.* VERS. 21

S. CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ*: Duas criminationes Iudæi contra Christum inducebant: vnam, quòd Sabbatum solueret; aliam, quòd Patrem suum dicebat Deũ, æqualem seipsum faciens Deo. Hoc igitur priùs confirmauit, dum ostendit quòd non est Deo contrarius, sed eadem illi docet. De reliquo ad Sabbati solutionem instat, dicens:

De quibus Christum criminarentur Iudæi.

Nónne

Nónne Moyses dedit vobis legem,&c. Ac si diceret: Lex dicit, Non occides; vos autem occiditis. & hoc est quod subditur, Quid me quæritis interficere? Ac si diceret, Etsi ego dissoluo legem, hominem sanans; transgressio fuit, sed in salutem. Vos autem transgredimini in malum, vnde non debeo à vobis de solutione legis diiudicari.

Versu 20.

VERS 24. NOLITE IVDICARE SECVNDVM FACIEM.] *Hoc est, secundùm externam apparentiam. q.d. Idcircò me accusatis, quia me contemnitis vt hominem vilem præ Moyse. Quod si sincerè rem ipsam examinaretis ac iudicaretis me cum Moyse absolueretis; vel si me condemnare velletis, & Moysen deberetis: ego enim sanaui totum hominem sabbato, Moyses verò per circumcisionem vulnerare iubet in sabbato, maximè cùm finis mihi æquè pius propositus sit ac Moysi, immò magis, scilicet fides & redemptio totius mundi.*

Moraliter. Monentur hoc loco Iudices non ferre sententiam secundùm faciem, id est inspiciendo Nobilitatem, diuitias, munera, amicitiam, &c. vti pulchrè docet S. BASILIVS *Serm. 21. inter Varios, ita scribēs:* Adsunt tibi ob oculos fratrum differentiæ, hic pauper, ille diues; hic hospes, alius domesticus. Si iudicauens, ne inæqualia videas, ne videas diuitem sublimem, pauperem humilem. Natura namque vna est, homo hic, & ille, vna in vtrisque necessitas. Noli in distribuendis honoribus respectus habere inæquales. Est enim diues sæpè mendax, rapax, libidinosus; pauper verò iustus. Non igitur tantùm faciem spectabis, sed occultá penitiotaque considera: eum bonora qui pretiosa possidet. Quid quæso ab externis probas homines, præcordia verò mentemq; minimè curas? Bel exterius quidem æs habuit, lutum verò sub ære fulgente absconditum. Si illustres in vitâ videris, considetas æs esse apparens, intus cœnosa omnia. Contrà verò quidam intus aurum habent exteriùs testâ circumdatum, hoc est thesaurum in vasis fictilibus absconditum. Hic castus, ille libidinosus. Vter horum ditior, qui castitatem seruat, an qui aurum ex iniuriâ possidet? Certè qui castus. Igitur respice æqualia ac plana, suum cuique tribuens honorem.

Iudices non possunt secundùm faciem iudicare.

Vt autem Iudex secundùm faciem non iudicet, nec sit προσωπολήπτης, id est personarum acceptor, praditus esse debet potentiâ & fortitudine, ne potentiorum & diuitum vultum timeat. Alioqui Ecclesiastici 7,6. dicitur: Noli quærere fieri Iudex, nisi valeas irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tuâ. *Imitandus est Iudicibus Iob, qui de se sic testatur c. 29, 17.* Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. *Deinde adesse debet Iudici timor Dei, qui animam eius exstimulet ad accuratè inuestigandam perspiciendamque causæ veritatem: quod se fecisse eodem loco versu 16. Iob affirmat:* Causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam. *Verùm inprimis veritatem amare, & auaritiam odisse Iudicem oportet. Nam si auaritiæ studet, verendum est, ne munera menti tenebras offundant, & iudicium peruertant. Ælianus lib. 14. de Variâ historiâ c. 34. sic scribit de amore Iudicum erga veritatem:* In Iudicibus apud Ægyptios Princeps erat sententiæ, maximus natu. Eum omnium hominum esse iustissimum & sincerissimum oportebat, qui circa collum imaginem ex sapphiro gemmâ confectam gestabat, quæ vocabatur Veritas. Ego verò Iudicem non tam in lapide sculptam circumferre, quàm in animo menteque insitam & infixam habere velim.

Qualis esse, & quomodo Iudex se gerere debeat.

Ægyptiorum mos in constituendis Iudicibus.

Has omnes Iudicum proprietates vnâ sententiâ complexus est Iethro Exod. 18, 21. Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, &c. qui iudicent populum. *Opportunè sanè monet hic Regius noster (cuius hæc sunt) & Barradas, ista omnia imitanda esse Confessariis, vt qui animarum Iudices sunt in foro interiori. Est illis necessaria fortitudo, ne quemquam iniustè absoluant, nec potentium peccata dissimulent: & quà (si quando opus est) restitui quæ iniustè ablata sunt, imperent. Viribus etiam valeat Confessarius, ad extrahendas ex dæmonum faucibus animas, vt ipse dicere possit:* Conterebam molas iniqui, & de dentibus auferebam prædam. *Debet Confessarius insuper Dei timore esse ornatus, vt eius qui confitetur conscientiam diligenter excutiat, & ad peccati prauitatem ac turpitudinem detestandam pœnitentis animum excitet ac promoueat. Videat absoluendus ne sit an ligandus, qui peccata confitetur, ad quod necessaria est in Confessario scientia cum Dei timore coniuncta. Nam si hic absit, quamuis doctus sit, oscitanter hæc & negligenter præstabit. Vt verò gratis det quod gratis accepit, auaritiæ pestem omnino fugiat, quæ multò detestabilior est in Sacerdote, quàm in externi fori Iudice.*

Qualis debeat esse Confessarius.

S. AVGVSTINVS *Tract. 30. in Ioannem:* Hoc vitium, fratres, quod Dominus notauit hoc loco, euadere in hoc sæculo, magni laboris est, non personaliter iudicare, sed rectum iudicium retinere. Admonuit quidem Dominus Iudæos, sed monuit & nos: illos conuicit, nos instruxit; illos redarguit, nos exacuit.

Difficile est rectè iudicare.

VERS. 27. CHRISTVS AVTEM CVM VENERIT, NEMO SCIT VNDE SIT.] *Id est, quibus parentibus ortus sit. Nam Christum fore Bethlehemitem, ex semine David, confitentur vers. 42. Vbi nota, hæc esse verba vulgi imperiti, putantis, quando Christus veniret, repente ignotis progenitoribus mundo appariturum. Videntur ad hoc inducti Primò ex typo Christi, scilicet Melchisedech, qui fuit sine patre & sine matre. Secundò, ex loco Isaiæ 53.* Generationem eius quis enarrabit? *cùm hic & alibi de diuinâ generatione loquatur; illi autem humanam intelligebant, vti docet S. Augustinus Tract. 31. in Ioannem, vbi vide eumdem fusè.*

VERS. 28. ET ME SCITIS.] *Scilicet secundùm humanitatem. nam reuera Iudæi nesciebant eius Diuinitatem. Vnde eis statim obiicit:* Est verus, id est verax, fidelis Pater, qui misit me, quem vos nescitis, *scilicet meum esse Patrem, me misisse. Rursum,* Nescitis, *scilicet practicè, id est, non ei obeditis, non eum amatis. Ita Theophylactus. Adde, quod reuera etiam ignorabant Iudæi humanam Christi generationem, quia putabant eum esse filium Ioseph, non autem conceptum de Spiritu sancto.*

VERS. 32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt Principes & Pharisæi ministros, vt apprehenderent eum.
33. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui me misit.
34. [a]Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire.

[a] Ioan. 13, 33.

35. Dixe-

35. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia non inueniemus eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes?

36. Quis est hic sermo quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis: & vbi ego sum, vos non potestis venire?

*Leu. 23, 37. 37. In nouissimo autem * die magno festiuitatis, stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.

*Deut. 18, 15. Ioel. 2, 28. Act. 2, 17. 38. * Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.

39. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

Ver. 37. IN NOVISSIMO AVTEM DIE MAGNO.] *Nota, hunc diem fuisse diem cœtus siue collectæ, octauum & vltimum festum tabernaculorum, ita dictus quòd eo collectus populus tabernaculum adibat gratias agens Deo, eique se commendans domum inde remeabat. Voluit ergo hic Christus populo abeunti aculeum infigere, vt idem faciat concionator.*

S. AMBROSIVS *Ser. 19. in Ps. 118.* Iesus Dominus clamabat, Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; & voce verè magnâ clamabat, qui vocabat homines ad regnum cælorum; ad illum venerabilem potum

Quæ oranda petenda. quo vitæ æternæ fructus infunditur. Et tu cùm oras, magna ora, id est ea ora quæ æterna sunt, non caduca. Ora quæ diuina sunt atque cælestia, vt sis sicut Angeli in cælo. Noli orare pro pecuniâ, quia ærugo est: noli pro auro, quia metallum est: noli pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad Deum non peruenit: non audit Deus nisi quod dignum suis ducit esse beneficijs, sed audit piam vocem plenam deuotionis & gratiæ.

Per aquam Dei sapientia hic intelligitur. *Pulchrè autem hic Regius ita moralizatur: Quoniam in aquâ seminaria quadam virtus nascentis mundi initio eminuit;* (super aquam enim, *inquit Ambrosius Luc. 22.* ante ipsos mundi natales spiritus ferebatur,) *ideò aptè Dei Filio conuenit, qui tamquam diuina quædam aqua existens, seminarium continet omnium rerum virtutem, teste Ioanne qui ait,* Omnia per ipsum facta sunt. *Quòd si Verbum vt Dei sapientiam consideres, illi etiam rectè tribues aquæ nomen: est enim sapientia illa Filij Dei expurgatæ mentis potus, vt in Ecclesiastico dicitur,* Et aqua sapientiæ salutaris. *Postremò, si hoc ipsum Verbum, hanc Dei sapientiam, spectes vt nostra carnis veste circumdatam, nobis similem factam, ne tu verè dixeris aquam esse, & fontem patentem domus Dauid, ad quam hauriendam & bibendam inuitat nos Sapiens, dicens in Cantico,* Venite, & inebriamini charissimi. *Nec mirum quod inebriet: aqua enim illa diuini Verbi & æternæ Sapientiæ in sanguinem, vt aqua illa fluminis Numerorum 4. quodammodò versa est, cùm Verbum caro factum est. ita effecta, simul est nobis potus inebrians, quem continenter stillat vitis illa quæ ait,* Ego sum vitis, & Pater meus agricola est. *Ab hac enim vite virtutem quamdam nobis salubrem quasi imbibens aqua hæc, magis nobis attemperatus & accommodatus potus efficitur, & quasi in vinum vertitur, vt inebriare iam possit. Rursùm verò, quoniam sordes abluere, refrigerare, sitim extinguere potest, aqua esse non desinit. Aqua igitur & vinum est, cùm vtriusque habeat proprietates. Et verò se vt verè aquam & vinum ostenderet Verbum caro factum, aquam triplicem, cùm apud nos ageret, emisit in vitis morem, quâ de re non minùs piè quàm eruditè sic scribit*

S. BERNARDVS *de S. Clemente:* Accipe triplicem aquam, quam tibi Saluator apponit. Plorat super *Triplex* Lazarum & super ciuitatem Ierusalem, & hæc est *Saluatoris* aqua prima. Sudauit imminente iam passionis ho- *aqua, &* râ, & hæc est aqua secunda, non ab oculis tantùm, *qui sint* sed à toto corpore manans. hæc autem rubea est, *eius effectus.* sanguinei coloris, sicut scriptum est Luc. 22. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Iam verò tertia est aqua, quam & prædiximus de latere eius vnà cum sanguine emanasse. Et tu ergo primam quidem habes, si rigas lacrymis tuis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si in sudore vultus tui vesceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum castigas, ac restinguis concupiscentiæ flammam. est autem sanguinei coloris, siue propter laborem, seu etiam propter ipsum quem extinguit cõcupiscentiæ ignem. Iam verò si proficere potes vsque ad deuotionis gratiam, potabeiis aquâ sapientiæ salutaris, & spiritus Christi super mel dulcis fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Et memento, hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis, & sine molestiâ fluit. Oportuit enim iam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratiâ delectari. Ergo vt breuiter repetam, prima quidem præteritis delictis abluit conscientiam; secunda, vt futura caueas, extinguit concupiscentiam; tertia, si ad eam peruenire merueris, potat animam sitientem.

Quoniam igitur Christus fons est viuentium aqua- *Quænam* *rum vberrimus, ideircò Isaias cap. 12, 3. visus est ma-* *sint aquæ* *gnam nobis lætitiæ causam aperire voluisse, cùm de ijs* *quæ ex fon-* *salutaribus aquis, quas Iesus, hoc est Salnator, daturus* *tibus Sal-* *erat credentibus, ita vaticinatus est:* Haurietis aquas *uatoris* cum gaudio de fontibus Saluatoris. *Aquas verò* *hauriuntur.* *Saluatoris nominat, tum Baptismatis vndam, quâ in spem vitæ æternæ regenerantur animæ: tum doctrinam Euangelicam, tum septem sanctæ Matris Ecclesiæ Sacramenta, quæ de Christi in cruce dormientis latere fluxerunt; denique gratiam & septem sancti Spiritus dona, quibus æstuantes animæ, & scelerum conscientiâ afflictæ debilitatæque recreantur. Reficit enim summo gaudio Spiritus sanctus hominum corda, & fœdis cupiditatibus inflammata refrigerat, accendit verò, omnem vini suauitatem exsuperans, cælestium rerum incredibili amore. Ad has aquas stans Iesus & clamans inuotabat, cùm diceret:* Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. *Qui merces venales offerunt, voce præconis clamare solent, non tam aliorum quàm propria commoda spectantes: at Christus non sua sed nostræ salutis cupidus, suo ipse ore clamans, ac diuinâ illâ voce nos alliciens,* Si quis sitit, veniat, *inquit*, ad me, & bibat. *Non alio pretio stat tanta res: venire dumtaxat & bibere*

bert iubemur. Sic idem Isaias cap. 55. multò ante prædixerat: Omnes sitientes venite ad aquas, properate, emite absque commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum, & non in panibus? laborem, & non in saturitate? *Nec verendum est, ne vmquam defectura sit hæc aqua, quamuis plurimi ad bibendum confluant: proinde enim fontibus gratiam & dona Spiritus sancti, quæ per Christum habemus, comparauit Isaias loco iam citato, non torrentibus: fontes siquidem iuges sunt, torrens contrà facilè deficit & arescit. Propterea de hac aquâ dixit Christus Ioannis 4, 13.* Omnis qui bibit ex hac aquâ, sitiet iterùm: sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *quasi dicat: Fons aquæ semper fluens, numquam exarescens, numquam deficiens: dona enim Spiritus sancti numquam, quod ad se attinet, cessant, quoadusque in ipsum mare influant, hoc est in cælestem illam patriam, vbi Sancti beatam viuent & æternam vitam.*

Fontes Saluatoris iugiter fluũt.

Quatuor aquæ vsus.

Hæc igitur omnia bona nobis à Christo manant, qui est fons inexhaustus: fons inquam, vnde lauamur: Dilexit *enim* nos, & lauit nos à peccatis. *Verumtamen non iste solus aquarum vsus: neque enim tantùm sordes abluunt, sed & sitim extinguunt, hortosque & plantas irrigant; quæ si desint, exarescent inprimis plantationes, aut minùs crescent, præ siccitate. Est & quartus aquarum vsus, cibos decoquere. Hos effectus aquarum numerat.*

Quatuor fontes nobis à Christo patefacti, & eorum effectus salutares.

S. BERNARDVS *Serm. 1. de Natiuitate Domini:* Ad hos efficiendos quatuor nobis fontes in se aperuit Christus in hac vitâ, fontem misericordiæ, ad abluendas culpas; fontem sapientiæ, ad expellendas ignorantiæ tenebras, & expleudam salutaris sapientiæ sitim, vel certè refrigerandam: fontem gratiæ, ad irrigandas animas: denique fontem charitatis ardentis, ad inflammanda & decoquenda pectora nostra, & affectus cordis nostri digerendos & maturandos ad zelum animatum concipiendum. Ex hoc enim charitatis fonte hæ aquæ ebulliunt. Propter hos quatuor fontes factus est nobis Christus ipse paradisus voluptatis in Ecclesiâ Dei, vt paradisum recipiamus, quem amisimus, quatuor fontium irrigatione amœnissimum. Fortasse etiam propter quatuor fontes hos quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc viuens in cruce, & quintum, qui est fons vitæ, post hoc sæculum repromisit, ad quem sitiebat Propheta cùm diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Propter quintum fortè, cùm iam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Viuebat adhuc quando foderunt ei manus & pedes, vt nobis adhuc viuentibus quatuor fontes ex seipso proferret. Quintum pertulit vulnus cùm iam exspirasset, vt in se nihilominùs quintum nobis fontem post obitum aperiret.

De ventre credentium quæ flumina fluant.

VERS. 38. FLVMINA DE VENTRE EIVS FLVENT.] ELIAS CRETENSIS *ad Orationem 4. Nazianzeni:* In dictis verbis, *inquit,* κοιλία siue aluus cordis significationẽ habet, hoc est illius partis animi, quæ & intelligit, & ratiocinatur. De hac promanaturam ait aquam viuam, hoc est doctrinam spiritualem, quæ auditorum animos irriget. Et quidem adeò longæuam, & non marcescentem fidei vim esse, demonstrat in his verbis, vt non illorum modò qui tum credebant, corda rigando efficere fertilia, sed aliorum etiam pectora velut mundare possit bonum illud diuinitus datum, instar fluminei cuiusdam riui. Nam cuiuis certè patet, Saluatorem appellasse amnes promanaturos de aluo credentium, gratiam illam quæ per doctrinam Spiritus percipi potest.

Venter pro mente accipitur in Scripturâ.

S. GREGORIVS *Hom. 10. in Ezechielem:* In sacro eloquio nonnumquã venter pro mente poni consueuit. Vnde & per Ieremiam dicitur, Ventrem meum doleo. Quod quia de spiritali, & non corporeo ventre dixerat, adiunxit: Sensus cordis mei conturbati sunt. Neque enim ad salutem populi pertinebat, si Propheta ventrem corporeum se dolere prædicaret: sed ventrem doluit, qui mentis afflictionem sensit. Sed cur exemplum Prophetæ proferimus, cùm testimonium Domini apertius habeamus? Et necesse est, vt cùm per semetipsam Veritas loquitur, Propheta taceat: quia lucerna claritatem non habet in sole. Ait enim: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Quia enim de mente fidelium sanctæ prædicationes defluunt, quasi de ventre credentium aquæ viuæ flumina decurrunt.

Aqua viua, doctrina Saluatoris.

S. HIERONYMVS *Zachariæ 14.* Aquam autem viuam rectè à nobis doctrinam Saluatoris expositam, sciet ille qui biberit, & qui Saluatorem audierit prædicantem: Si quis biberit ex aquâ quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ viuentis, & salientis in vitam æternam. Et rursum: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, de ventre eius egredientur flumina aquæ viuentis. Sicut enim qui biberit de doctrinâ eius, habebit in se fontem viuentem; sic qui crediderit in eo, iuxta id quod Scripturarum vocibus continetur, flumina aquæ viuentis egredientur de ventre illius.

Quando Apostoli Spiritum sanctum acceperint.

IDEM *epist. ad Hedibiam quæst. 9.* Ego autem audacter, & totâ libertate pronuntio, ex eo tempore quo Apostoli Domino crediderunt, semper eos habuisse Spiritum sanctum, nec potuisse signa facere absque Spiritus sancti gratiâ, sed pro modulo atque mensurâ. Vnde Saluator clamabat in templo, dicens: Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Et qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autẽ dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Et in eodem loco infert, Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. non quòd non esset Spiritus sanctus, dicente Domino Saluatore, Si autem ego in Spiritu sancto eijcio dæmonia; sed quia erat in Domino, necdum totus in Apostolis morabatur. Quamobrem terrentur ad passionem eius, & negant, & Christum se nescire iurant. Postquam autem baptizantur in Spiritu sancto, & infunditur in eos Spiritus sancti gratia, tunc liberè loquuntur ad Principes Iudæorum, Obedire magis Deo oportet quàm hominibus; mortuos suscitant, inter flagella lætantur, fundunt sanguinem pro Christo, & supplicijs suis coronantur. Nondum ergo erat Spiritus in Apostolis, nec de ventre eorum fluebant gratiæ spiritales, quia Dominus necdum erat glorificatus. Quæ sit autem gloria, ipse in Euãgelio loquitur: Pater, glorifica me gloriâ, quam apud te habui, priusquam mundus esset. Gloria Saluatoris, patibulum triumphantis est. Crucifigitur vt homo, glorificatur vt Deus. Denique sol fugit, luna mutatur in sanguinem, terra motu insolito contremiscit, aperiuntur inferi, mortui ambulant, saxa rumpuntur. Hæc est gloria de quâ loquebatur in Psalmo, Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.

Quæ sit gloria Christi.

Cur autem ante Christi glorificationem id est ascensum in cælum, Spiritus sanctus non fuerit datus, rationem

Cur ante Christi mortem Spiritum sanctum non sit datus.

tionis duplicem reddit S. Leo Serm. 2. de Pentecoste. Primò, ut hac donatio Spiritus sancti intelligeretur esse fructus passionis Christi, & esse effectum ascensionis seu triumphi. Secundò, quia discipuli ante illam ascensionem non erant capaces tanti spiritualis doni. omnes enim carnaliter agebant & sentiebant de Christo.

VERS. 40. Ex illâ ergo turbâ cùm audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est verè Propheta.

41. Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Numquid à Galilæâ venit Christus?

Mich. 5, 2. Matth. 2, 6. 42. Nónne Scriptura dicit: Quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?

43. Dissensio itaque facta est in turbâ propter eum.

44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum: sed nemo misit super eum manus.

45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?

46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo.

47. Responderunt ergo eis Pharisæi: Numquid & vos seducti estis?

48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis?

49. sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.

Ioan. 3, 2. 50. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui vnus erat ex ipsis:

Deut. 17, 8. 19, 15. 51. Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi priùs audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?

52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galilæus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæâ propheta non surgit.

53. Et reuersi sunt vnusquisque in domum suam.

BEDA *ad hunc locum*: Cùm Dominus inuitasset credentes in se ad potandū Spiritum sanctum, nata est de illo in turbâ dissensio.

ALCVINVS *in aureâ Catenâ*: Iam isti sitim illam spiritualiter haurire cœperant, iam sitim infidelitatis deposuerant: alij in suæ infidelitatis ariditate permanebant, de quibus subditur, Quidam autem, &c. Nouerant enim quid de Christo prædixissent Prophetę, sed ignorabāt omnia in ipso completa fuisse: & qui nouerāt in Nazareth nutritum, natiuitatis locū non attendebant, nec prophetiam, quam legerant, in eo completam credebant.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem*: Sed esto, locum natiuitatis ignorabant, num etiam genus ignorabant? quoniam ex domo & familiâ Dauid natus erat. Quare igitur dicebant, Nónne ex semine Dauid venit Christus? Sed & hoc obumbrare volebant per educationem in Nazareth, omnia malitiosè loquentes. Vnde non accedunt ad Christum quærentes, Quomodo Scripturæ dicunt quòd à Bethlehem oportet venire Christum, tu autem ex Galilæâ venisti? sed omnia malitiosè loquuntur. Et quia non diligenter attendebant his quæ dicebantur, neque discendi gratiâ, propter hoc nihil eis Christus respondit: Nathanaëlem autē dicentem, A Nazareth potest aliquid boni esse? laudauit vt verè Israëlitam, qui veritatis erat inquisitor, & omnia vetera diligenter edoctus. *Scribarum obstinatio cōtra Christum.*

In ministris autem quorum hîc Vers. 46. meminit Euangelista, tria commendat D. THOMAS *sic scribens*: Redduntur commendabiles ministri ex tribus. Primò, ex admirationis causâ, quia non propter miracula, sed propter doctrinam Christi mirabantur, (Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo:) ex quo propinquiores efficiuntur veritati, & recedunt à consuetudine Iudæorū, qui signa quærebant. Secundò, ex conuersionis facilitate, quia ad pauca verba Christi capti sunt, & allecti ad eius amorē. Tertiò, ex animi securitate, quia Pharisæis, qui Christo aduersabantur, talia dicunt de Christo. *Ministrorū in Christum pietas & fides.*

EVTHYMIVS *ad cap. 7. Ioan.* Non solùm, *inquit*, prudentiam eorum admirari dignum est, sed & loquendi libertatem. Neque enim dicunt, Dimisimus illū ne fieret dissensio in populo, neque aliam fingunt excusationem, sed ipsam dicunt veritatem, & Christi prædicant sapientiam.

THEOPHYLACTVS *addit, quòd* neque curauerunt iram Pharisæorum, neque quia vt serui missi fuerant, quæ placita erant Principibus dixerunt, sed testabantur veritati. Obserua igitur, nos ministros imitari oportere, & non obedire in ijs quæ Deo sunt aduersa, sicut & Saüli non est obtemperatum, cùm adstantes iussisset contra legem Sacerdotes interimi sicut 1. Reg. 22. legimus. *Dominis iniqua iubentibus minimè obtemperandum.*

Hi ministri videntur significati per ministros à Saüle missos, vt Danidem adducerent. Non modo enim id non fecerunt; verum vbi ad locum venerunt, incidentes in chorum Prophetarum, nudati sunt, & cœperunt prophetare, 1. Reg. 19, 20. Rursum significati sunt per quinquaginta illos milites ad Eliam missos, quos ille igne de cælo lapso combussit 3. Reg. 18. Hoc idem suo modo accidit ministris ad Christum missis. Hos enim ipse meliore igne charitatis suæ comburere voluit, quo factum est, vt nihil attentare ausi fuerint contra illum. Fecit nunc hîc Christus, quod olim Eliseus, qui venientes ad se latrunculos Syriæ missos à Rege Benadad vt eum caperent, ipsos cepit, & prandio opiparè excepit, & tandem liberos ad suos abire permisit. In eumdem modum Dominus Iesus hos ministros vt se caperent venientes, verbo prædicationis suæ comprehendit, & cælestium verborum conuiuio exceptos remisit ad Principes & Pharisæos, vt testarentur apud illos quis ipse esset, & iam quasi Christi ministri Pharisæos & Principes alligarent. Simile quod accidit & Saülo, qui plenus minarum & cædis deferebat litteras, vt ligaret Damasci quotquot Christi fidem profiterentur: verùm cælesti luce perfusus, & diuino igne de cælo tactus, efficacitateque verborum Christi prostra- *Ministri à Pharisæis missi quibus similes fuerint.*

tus in terram, vinctus victusque est à Christo; & demum minister eius effectus, alios per totum orbem salutariter vinctos ad Christum adducere cœpit, non sine ingenti eorum stupore qui prius illum nouerant.

VERS. 49. MALEDICTI SVNT.] *Rupertus censet Principes & Pharisæos ibi alludere ad locum Deuteronomij* 27, 26. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius. *quasi dicat: Qui à lege Moysis transeunt ad hunc Iesum.*

VERS. 52. NVMQVID ET TV GALILÆVS ES?] *Græcè est,* ἐκ τῆς Γαλιλαίας, *id est,* ex Galilæâ: *quasi dicat: Numquid tu ob communem patriam fautor es Iesu Galilæi?*

IBIDEM. NON SVRGIT.] *Græcè,* οὐκ ἐγήγερται *id est,* non fuit suscitatus, non resurrexit, *scilicet ex Galilæâ Propheta. Ubi nota Primò, hoc responsum Pharisæorum esse falsum, vt patet in Deborâ Prophetissâ, quæ fuit ex Nephthalim vel Zabulon, ac consequenter ex Galilæâ, vt patet Iudicum 4. 5. Secundò, fuisse temerarium; quia etiamsi anteà non fuisset quisquam inde Propheta, iam tamen esse poterat. Idem enim si quis dicat de primis Prophetis, falsò dicet. Tertiò, etiam fuisse stultum & absurdum. nam Nicodemus non dicebat Iesum esse Prophetam, sed tantùm inauditum non esse damnandum.*

SVPPLEMENTVM EX S. IOANNIS CAP. VIII.

VERS. 1. Iesus autem perrexit in montem Oliueti:

2. & diluculo iterùm venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.

3. Adducunt autem Scribæ & Pharisæi, mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio,

4. & dixerunt ei: Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.

a Leuit. 20, 10. 5. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

6. Hoc autem dicebant tentantes eum, vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ.

7. Cùm ergo perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: b Deut. 17, 7. Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.

8. Et iterùm se inclinans scribebat in terrâ.

9. Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.

10. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit?

11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo: Vade, & iam ampliùs noli peccare.

HISTORIAM *hanc adulteræ non legit Syrus & aliqui Interpretes Græci, legunt tamen Latini; & ex Trid. sess. 4. patet esse Canonicam. Lex autem Leuitici 20, 10. tantùm iussit adulteras occidi, Iudæi verò ex traditione & explicatione Doctorum iubebant lapidari. Sic enim Susannam eduxerunt vt lapidarent, Danielis 13, 62. Lex etiam in simili casu sponsam fornicatam iubebat lapidari, Deuteronomij 22, 24. Vnde Scribæ multò iustiùs hanc pœnam ad vxorem adulterantem extenderunt, quippe quod simplicem fornicationem malitiâ multum excedit, vt docet*

S. CHRYSOSTOMVS *Homil. 62. in Ioannem:* Nullam veniam consequitur qui captâ vxore, post istud carnis remedium alienæ iniuriatur. Hoc iam lasciuia est. Quòd si ab vxore suâ multi ieiunij & orationis tempore abstinent; qui suâ contentus non est, sed alienam introducit, quantum sibi mali accumulat? Si suam repudiare, & alij vacare non licet; quantum ille accusandus est, qui suæ aliam addit? Nemo igitur hunc morbum animo sibi insidere permittat, sed radicitus euellat. Hoc enim adeò apud Deum scelestum videtur, vt si vxor ab idololatrâ viro ipso nolente discedat, puniatur; si ab adultero, minimè. Graue hoc malum, & immortale afferens supplicium, & in hac vitâ innumera secum mala trahit, &c. *Vide eumdem Homil. 18. in Epistol. ad Corinth. & de libello repudij Serm. 24. in Epist. ad Romanos, &c.* Adulterij quantũ sit malum.

Eleganter sanè nobis luxuriæ damna describit EVSEBIVS *in Epistolâ ad Damasum de morte Hieronymi, in hac verba:* Ensis diaboli, luxuria. Heu! quot Damna illa interficit rhomphæa? Non est aliquod pecca- luxuriæ. tum, quo toties diabolus victor existat. Fugite luxuriam. Nam sicut virginitas hominem æquat Angelis, imò plus eum facit quàm Angelum; ita luxuria hominem quasi bestificat, &, vt ita dicam, multò peiorem bestiâ ipsum facit. De nullo alio peccato legitur, Deum dixisse se pœnitere fecisse hominem. Hæc huiusmodi facit opera. Corpus debilitat, & quasi semper ipsum morte destruit, famam denigrat, marsupia euacuat, furta instruit, homicidia causat, memoriam hebetat, cor aufert, oculos vtriusq; hominis cæcat, & præ ceteris iram Dei prouocat. Pro nullo alio reatu tam manifestam iustitiam exercuit Deus sine misericordiâ, quàm pro isto. Propter hoc namque legitur peccatum Deum mundo induxisse diluuium, Sodomam & Gomorrham combussisse, & multos alios homines interemisse. Hoc rete diaboli: si quis hoc capitur, non citò soluitur. In isto tam graui prælio nullus potest vincere, nisi fugiat. Nemo potest firmiter perdurare, nisi carnem domet. Hoc prælium non sustinetur nisi in abstinentiâ & ieiunio. Vinum nocet, sed vultus centuplo magis mulierum. Mulier diaboli sagitta est, quâ in luxuriam homo contrahitur. Nullus in hoc confidat viuens. Si sanctus es, nec tamen securus es. Mulier viri pretiosam animam rapit. Numquid abscondere Prou. 6, 27. potest

potest homo ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? aut ambulare super prunas, vt non comburantur plantæ eius? Homo & mulier, ignis & palea, & diabolus numquam insufflare cessat vt accendatur. Huius prælij numquam fiet victor, nisi fugiens. Vir mulieris cuncta spernat munuscula, & blanda verba, si non vult luxuriæ capi laqueis. Plurimi sanctissimi iam, ceciderunt hoc vitio propter suam securitatem. Hæc & alia multa moribundus iam iam dixit Hieronymus discipulis suis, vt viriliter agerent contra immanissimum hostem.

S. HIERONYMVS *in Epistolâ Valerij ad Ruffinum sic ait:* Sol hominum Salomon, thesaurus deliciarum Dei, sapientiæ singulare domicilium, crasso tenebratum fuscatus atramento, lucem animę suæ, gloriam domus suæ, odorem famæ suæ, amisit amore mulieris. Et postremò curuatus corā Baalim, ex Ecclesiaste Domini mutatus est in membrum Zabuli; vt adhuc grauiori videretur detrudi præcipitio, quàm Phœbus in casu Phaëtontis, qui de Apolline Iouis factus est pastor Admeti. Amice, si non es sapientior Salomone (quod nemo est) non es maior quàm qui potest fascinari à feminâ: oculos tuos aperi, & vide. Optima femina, quæ rarior est phœnice, amari non potest sine amaritudine metus & sollicitudinis, & frequentis infortunij. Malæ autem, quarum tam copiosa sunt examina, vt nullus sit expers malignitatis earum, cùm amantur, amarè puniunt, & afflictioni vacant vsque ad diuisionem corporis ac spiritus, *&c.*

Amor feminarum in fine quàm amarus.

ORIGENES *Hom. 20. in cap. 25 Num.* Est execrabilis corporis fornicatio; multò tamen magis execrabilis est generalis illa fornicatio, in quâ omne genus peccati pariter continetur. Generalis autem fornicatio dicitur, cùm anima, quæ in consortium Dei adscita est, & matrimonio eius quodammodò sociata, ab aduersario eius corrumpitur. Est ergo Christus Dominus sponsus & vir animæ mundæ. Dum igitur anima adhæret sponso suo, & audit verbum eius, & ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit: & sicut ille dixit, De timore tuo, Domine, in vtero concepi & parturiui, & spiritum salutis tuæ feci super terram. Si ergo sic de Christo concepit anima, fecit filios, pro quibus dicatur ad eam, quia salua erit per filiorum procreationem, si permanserit in fide & sanctitate. Vbi concubitus factus fuerit animæ cum verbo Dei, & vbi complexus ad inuicem dederint, inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia orietur, inde iustitia, inde patientia, inde mansuetudo, & charitas, atque virtutum omnium proles veneranda succedet. Quòd si infelix anima diuini verbi dereliquerit sancta connubia, & in adulterinos se complexus diaboli tradiderit, generabit sine dubio etiam inde filios, sed illos de quibus scriptum est, Filij autem adulterorum imperfecti erunt, & ex iniquo concubitu semen exterminabitur. Omnia ergo peccata filij sunt adulterij, & filij fornicationis. Numquam est ergo quando non pariat anima, sed illa quidem benedicta generatio est, quæ de verbo Dei concepta generatur: si autem, vt diximus, ex contrario spiritu concipiat, certum est, quia pariat filios iræ, aptos in interitum. *De adulterij malo ac remedio vide fusè Vincentium Regnum in Elucidatione Euangelij lib. 5. cap. 15.*

Adulterium spirituale quantum sit malum

S. Augustinus Serm. 47. de Verbis Domini, cum Euthymio, Ruperto & Bedâ ad hunc locum, aiunt, Ex eo quòd Christus passim peccatores admittebat, putasse Scribas quod adulteram hanc absolueret, vt sic accusarent eum tamquam legi contrarium: sin verò eam cum lege damnaret, traducerent eum quasi immitem, qui volebat summè videri clemens. Itaque Christus digito scribebat in terrâ, *quod vario modo explicant Interpretes.*

EVTHYMIVS *ad hunc locum Ioan. 8. ait:* Iesus deorsum inclinatus digito scribebat in terrâ, quod frequenter facere solent qui respondere nolunt importuna indignaque rogantibus: cognitâ enim eorum machinatione, fingebat se in terrâ scribere, nec his attendere quæ dicebant.

An & quid Christus scripserit in terrâ.

Alij censent ipsum verò in terrâ scripsisse. Quomodo autem Christus in terrâ scripserit, cum fuerit in templo lapidibus strato, non satis etiam conueniunt Doctores. Verosimilius hic videtur, non tam ipsis lapidibus characteres suo digito insculpsisse, quàm in superficie pauimente, vti solet, pulueribus obsitâ eosdem delineasse. Satis etiam verosimile est, Christum scripsisse aliquid quod Scribis & Pharisæis ruborem incuteret, aut peccati argueret. Imò S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, & S. Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 2. putant Christum hic scripsisse accusantium peccata, quasi diceret, Vos accusatis mulierem adulteram, ego vos maiorum scelerum accuso. Anagogicè significabat Christus, vt ait S. Hieronymus, eos scribendos esse in terrâ, & non in cælo, id est futuros reprobos. Ita etiam S. Augustinus lib. 4. de Consensu c. 10. apud quem vide plura. Cum autem Scribæ hoc factum Christi & scripturam non satis intelligerent, Christus statim tam verbis expressit, dicens: Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.

S. AVGVSTINVS *Serm. 47. de Verbis Domini:* Audistis Doctores legis legis custodem, sed nondum intellexistis legislatorem. Quid vobis aliud significat cùm digito scribit in terrâ? Digito enim Dei lex scripta est; sed propter duros in lapide scripta est: nunc iam Dominus in terrâ scribebat, quia fructum quærebat. Quid respondit Veritas? Non dicit, Non lapidetur, ne contra legem dicere videretur; absit autem vt diceret, Lapidetur. venit enim non perdere quod inuenerat, sed quærere quod perierat. Quid ergo respondit? Qui sine peccato est vestrûm, prior in illam lapidem mittat. Audistis ergo? impleatur lex, lapidetur adultera; sed numquid in illâ puniendâ lex implenda est à puniendis? Ergo aut istam dimittite, aut simul eum illâ pœnâ legis excipite. quasi dicat: Puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus: impleatur lex, sed non à præuaricatoribus legis. Consideret se vnusquisque priùs, & sic in illam lapidem mittat, *&c.*

Qualis esse debeat qui alterum iudicet.

BEDA *ad cap. 8. Ioannis,* Per inclinationem, *inquit,* Iesu, humilitas; per digitum, qui articulorum compositione flexibilis est, subtilitas discretionis exprimitur. Porrò per terram, cor humanum, quod vel bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus, ostenditur. Postulatus ergo Dominus iudicare de peccatrice, non statim dat iudicium, sed priùs se inclinans deorsum, digito scribit in terrâ, ac sic demum cùm obnixè rogatur iudicat: nos videlicet typicè instituens, vt cùm quælibet proximorum errata conspicimus, non hæc antè reprehendendo iudicemus, quàm ad conscientiam nostram humiliter reuersi, digito eam discretionis solerter exsculpamus, & quod in eâ conditori placeat, quidve displiceat, sedulâ examinatione

Gal. 6, 1. natione dirimamus, iuxta illud Apostoli: Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Christus autem cùm ait adulteræ, Nec ego te condemnabo, *videtur eam absoluisse tam a culpâ quàm à pœnâ, vt colligitur ex verbo* Vade, *scilicet quasi secura de remisso tibi a me peccato. sed ita tectè loquitur, ne Pharisæi habeant quod carpant.*

S. AVGVSTINVS *lib. de Verâ & falsâ pœnitentiâ cap.* 13. Dixit enim Dominus: Vade, & ampliùs iam noli peccare. Non dixit, Ne pecces; sed nec voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruabitur, nisi dolor continuè in pœnitentiâ custodiatur? Hinc semper doleat, & de dolore gaudeat, & de doloris pœnitentiâ, si contigerit, semper doleat. Et non sit satis quòd doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat.

Qualis debeat esse pœnitentiæ dolor.

VER. 12. Iterùm ergo locutus est eis
*Ioan. 1, 5. Iesus, dicens: *Ego sum lux mundi: qui
sequitur me, non ambulat in tenebris,
sed habebit lumen vitæ.
13. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de
teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum.
14. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si
ego testimonium perhibeo de meipso,
verum est testimonium meum: quia
scio vnde veni, & quò vado: vos autem
nescitis vnde venio, aut quò vado.
15. Vos secundùm carnem iudicatis: Ego non iudico quemquam:
16. & si iudico ego, iudicium meum
verum est, quia solus non sum: sed ego,
& qui misit me, Pater.
17. Et in lege vestrâ scriptum est,
*Deut. 17, 6. 19, 15. Matt. 18, 16. 2. Cor. 13, 1. Hebr. 10, 28. *quia duorum hominum testimonium verum est.
18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.
19. Dicebant ergo ei: Vbi est Pater
tuus? Respondit Iesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.
20. Hæc verba locutus est Iesus in
gazophylacio, docens in templo: &
nemo apprehendit eum, quia necdum
venerat hora eius.

SANCTVS AMBROSIVS *Epist.* 11. *libri* 3. *ad hunc locum Ioannis.* Ego sum lux mundi, *sic ait:* Non vtique lux visibilis, sed animarum, quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prudentiæ, & vt prædicatur in Euangelio, incorporeæ virtutis, inflammans vapore secreta mentium animorumque penetralia. Si quis igitur incola esse cœperit illius ciuitatis supernæ, incola videlicet conuersatione ac moribus, non discedat ab eâ, non exeat, non reflectat vestigium; non corporis dico, sed mentis vestigium. Non reuertatur retrò. Retrò luxuria, retrò impuritas est, *&c. Vide S. Augustinum in Lectionibus ad Euangelium Sabbati post Dominicam 4. Quadragesimæ.*

Qualis lux sit Christus.

ELIAS CRETENSIS *ad Orationem quartam Nazianzeni,* Mundi, *inquit,* se lucem appellat, significans hac voce gloriam in Diuinitate inexcelsam; propterea quòd splendore cognitionis illustret eos, quibus oculi animi purgantur, quotque occupatos ab ignorationis caligine, suâ luce perfundat. Nam si ignoratio & peccatum caligo est; sequetur, cognitionem diuinamque vitam, esse lucem. Quod ait, Ego sum; hoc verbum Sum coæternitatem eius denotat. Non dixit autem, In me lux illa est, sed, Ego lux illa sum; ne quis Christum in duos filios diuidat post assumptæ humanæ naturæ administrationem: nam vnus est Dominus Iesus Christus, vt inquit Apostolus, tam ante carnem, quàm post carnem assumptam. Vtque rem breuiter rursus exponam, de bono Patre, bonus Filius; de luce ingenitâ, lux æterna emicuit.

Cur Christus se mundi lucem dicat.

Item ad Orationem 10. Lucem ipse in Euangelijs se appellat. Ego sum, ait, lux mundi. Quæ quidem appellatio tribuitur illi propterea, quòd tenebras ignorationis abigat, & lucem diuinæ cognitionis splendere faciat in ijs, qui ad eum nutu quasi quodam inclinant.

ORIGENES *Homiliâ* 1. *in Genesim ait:* Sicut sol & luna illuminant corpora nostra, ita & à Christo & Ecclesiâ illuminantur mentes nostræ; ita tamen illuminamur, si non simus mentibus cæci. Nam sicut sol & luna corporalibus oculis cæcos quamuis illustrent, illi tamen recipere lumen non possunt; ita & Christus mentibus nostris lucem suam præstat, sed ita demum nos illuminabit, si nequaquam cæcitas mentis nos impediat. Quod etiam si accidat, primò oportet eos qui cæci sunt sequi Christum, dicentes & clamantes, Miserere nobis Fili Dauid, vt etiam visum ab ipso recipientes, possint deinceps & lucis eius splendore radiari. Verùm non æqualiter omnes qui vident, illuminantur à Christo, sed singuli secundùm eam mensuram illuminantur, quâ vim luminis recipere valent. Et sicut non æqualiter oculi corporis nostri illuminantur à sole, sed quantò quis in loca altiora conscenderit, & ortus eius editioris speculæ intuitione fuerit contemplatus, tantò amplius & splendoris eius vim percipiet: ita etiam mens nostra quantò altiùs & excelsiùs appropinquauerit Christo, & se viciniorem splendori lucis eius obiecerit, tantò magnificentiùs & clariùs eius lumine radiabitur, sicut & ipse ait per Prophetam: *Appropinquate mihi, & appropinquabo vobis, dicit Dominus. Et iterùm dicit: Deus approximans ego sum, & non Deus de longè.

Quomodo Christus nos illuminet.

Lucem non omnes æqualiter à Christo participât.

ANASTASIVS SINAITA *Commentario in Hexaëmeron pulchre Christum ita soli comparat, dicens:* Ne nos lateat, quòd ex omnibus luminaribus sol compositus, vt qui constet ex duobus generibus, in typum Christi; nempe ex illâ primâ cælesti & antiquâ luce, & igne qui posteà factus est, *&c.* Et intellige hæc nobis subministrare lucem, nempe Verbi Diuinitatem. Erat enim & pridem in principio

Christus soli lucis comparatur.

pio lux vera, quæ illuminat omnem hominem, rursus autem sanguinolentam, & candentem nostram carnem. Lux enim in sole ignem accepit, hoc est, Verbum illuminans factū est caro. Adam enim induit Dominus, & accinxit: Adam enim interpretatur Candens & Sanguinolentus: quandoquidem pueri communicarunt carni & sanguini; ex quibus etiam super terram Christus, nempe sol compositus, apparuit. Et ideò etiam soror eius vna, nempe Ecclesia, dicit in Canticis: Patruelis meus albus & flauus; nempe Deus & Adam; albus propter Diuinitatem, flauus propter humanitatem. Qualem etiam videmus compositum solem albū & flauum, ad imaginem Christi, qui est Sol iustitiæ, de quo

Malach. 4, 2. dicit Deus per Malachiam Prophetam: Orietur ijs qui Deum timent Sol iustitiæ, vt appareat ijs qui sedent in tenebris, & in vmbrâ mortis. Hic est enim Sol, qui dicit: Ego lux veni in mundum. Rursus inuenimus lunę & stellis lumen suppeditari à sole, vt docent qui maximè sunt in externâ versati Philosophiâ; re nobis significante, quòd à Christo, qui cadit sub intelligentiam, illustrantur Ecclesia, & Sanctorum luminaria. Ipse enim est lux, de quâ dicunt Ecclesia & iusti, Ex eius ignis plenitudine nos omnes accepimus; quibus etiam dicit ex aduerso, Vos estis lux mundi.

Ceterùm vt hanc puram cælestemq́ue lucem intueamur, abluendi sunt mentis nostræ oculi, vt pulch[...]sam solis exemplo faciendum esse monet S. AMBROSIVS *lib. 4. Hexaëmeron cap.* 1. Matutinos quoque solis ortus si quis spectare desiderat, emundet oculos suos, ne quid pulueris, ne quid purgamentorum oculis eius insideat, quo intuentis hebetetur obtutus, néve aliqua caligo nebulosa corporeos visus spectantis obducat: nobis in lectione exoriendus est sol qui antè non fuerat. Primum iam diem sine sole transiuimus, secundum sine sole transegimus, tertium sine sole confecimus; quarto die iubet Deus fieri luminaria solem & lunam, & stellas. Sol incipit. Emunda oculos mentis, ô homo, animiq́ue interiores obtutus, ne qua festuca peccati, aciem tui perstringat ingenij, & puri cordis turbet aspectū. Emunda aurē, vt vase sincero Scripturæ diuinæ nitida fluēta suscipias, ne qua ingrediatur cōtagio, &c.

Mentis oculi quomodo purgandi vt Solem iustitiæ intueantur.

IBIDEM *Vers.* 12. QVI SEQVITVR ME, NON AMBVLAT IN TENEBRIS.] S. CHRYSOSTOMVS *Homiliâ de Eruditione disciplinæ ait:* Sequitur Christum qui insistit mandatis eius, qui per viam doctrinæ eius ambulat, qui per vestigia, & per vias eius currit, qui imitatur illa quæ Christus fecit & docuit, sicut & Petrus Apostolus suadet & præcipit dicens:

Quisnam Christum sequatur.

1. Pet. 2, 21 Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.

IBIDEM. SED HABEBIT LVMEN VITÆ.] *S. Augustinus & Beda intelligunt lumen gloriæ. q. d. Ad beatitudinem peruenies. Recentiores, vt Vincentius Regius, & alij, intelligunt,* Habebit, *id est,* habet, *ipso facto scilicet, lumen fidei, quod eum ducat ad lumen & vitam æternam. Vel,* lumen vitæ, *id est lumen viuificans, quod est fides cum charitate & gratiâ coniuncta, & animam viuificans.*

VERS. 15. VOS SECVNDVM CARNEM IVDICATIS.] *Q. d. Vos non nisi ex sensibus, scilicet secundùm id quod in me videtis, me hominem vilem, infimum, humilem, pauperem iudicatis; non Meßiam, non Deum qui intus latet. Ita S. Augustinus cum Theophylacto ad hunc locum.*

EGO NON IVDICO.] S. AMBROSIVS *lib. 5. Ep. 20.* Ego, *inquit,* non iudico, id est, Ego vniuersorum redemptio, ego peccantium remissio, vos non iudico, quia me non recepistis. Non iudico, qui libenter indulgeo. Ego non iudico, qui deleo iniquitates, & memor non ero. Ego non iudico, qui malo vitam quàm mortem peccatoris. Ego non iudico, quia non damno, sed iustifico confitentes. Moyses vos accusat, ille vos arguit, in quem speratis: ille accusat vos, quia iudicandi non habet potestatem, quæ eius debetur auctori. Ille ergo, in quem speratis, accusat: iste, in quem sperare noluistis, absoluit. Magna, Iudæi, imprudentia. Meritò accusantur in criminibus suis, quia accusatorem elegerunt, & bonum iudicem refutarunt, ideoq́ue deest illis absolutio, pœna non deest.

Nota autem, τὸ iudico *hîc non incommodè significare posse, quemuis actum iudicialem exercere, vnde magis hîc pro* testari *sumitur, quàm propriè pro sententiam iudiciariam proferre. Patet ex sequentibus. q. d. Nō est necesse vt ego de me aut de alio testimonium perhibeam: sunt enim alij qui hoc faciant. Si tamen faciam, vti facio (Versu 18.) verißimum erit hoc testimonium, quia solus non sum. Ita etiam S. Ambrosius epistolâ suprà citatâ. Vide etiam fusè superiùs Cap. 3. Ioannis vers. 16.*

VERS. 21. Dixit ergo iterùm eis Iesus: Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire.

22. Dicebant ergo Iudæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quò ego vado, vos non potestis venire?

23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mūdo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Dicebāt ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principiū, qui & loquor vobis.

26. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed qui me misit verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.

27. Et non cognouerunt quia Patrem eius dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Iesus: Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, & à meipso facio nihil, "sed sicut docuit me Pater, hæc "Rom. 3, 4 loquor:

29. & qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.

DVO *hîc magna mala minatur Iudæis Deus. Primum, quod eum non inuenient, quod maximum*

est malum. Peccata enim, dum continuantur, inclinationes, & bonam propensionẽ naturæ, si non interimant, vt minimùm ita debilitant, vt peccator difficulter ad se redeat, vt Deum quærat sicut oportet. Nam vt ait

Peccatoris vires spirituales & etiam naturales ad bonum debilitantur.

S. HIERONYMVS *in cap. 20. Iob*: Si quæ virtutes sunt animi in impio homine naturales, ab adolescentiâ eius vitijs inolescunt, & resoluuntur ac defluunt, vt nihil in eis solidum & forte maneat; & ideò in carnis eius puluere dormiant, quia repugnantibus vitijs atque vincentibus, rigorem bonæ suæ naturæ amittent, *&c.*

Causas autem cur Deus etiam quandoque quæsitus non inueniatur, assignat S. BERNARDVS *Serm. 75. in Cantica, dicens*: Is sponsus, quid est quòd non inuenitur quæsitus, cùm requiratur tam studiosè & impigrè, nunc quidem in lectulo, nunc verò in ciuitate, aut etiam in plateis vel vicis; ipse autem di-
Matth. 7,7 cat: Quærite, & inuenietis; & qui quærit, inuenit.
Thren. 3, 25. Propheta quoque loquitur ad eum: Bonus es Domine animæ quærenti te. & sanctus Isaias: Quæ-
Isa. 55,6. rite Dominum dum inueniri potest. Sed attendite, tres esse causas, quæ quærentes frustrati solent, cùm aut videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non vbi oportet. Si enim omne tempus aptum est ad quærendum, cur dicit Propheta, (quod iam memoraui,) Quærite Dominum dum inueniri potest? Erit absque dubio cùm inueniri non poterit, & ideò addit, Vt inuocetur dum prope est; quia futurum est, iam non propè futurum. A quo enim tunc non requiretur? Mihi, inquit, curuabitur omne genu. Nec tamen inuenietur ab impijs, quos vltores angeli arcebunt profectò, & tollent ne videant gloriam Dei. Ceterùm nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis: tempus planè quærendi & inuocandi, quando plerumque & antequam inuocetur adesse sentitur. Audi denique quid pollicetur. Antequam me inuoceris, inquit,
Isa. 6,24. dicam, Ecce adsum. Nec latuit benignitas hæc & facilitas temporis, quod nunc est, illum qui in Psalmo loquitur: Desiderium pauperum exaudiuit
Psal. 9,17. Dominus, præparationem cordis eorum audiuit
Gal. 6,10. auris tua. Quòd si per bona opera quæritur Deus, ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Tùnc aliud ad quærendum Deum, ad operandum quod bonum est, reperturus es tibi tempus in sæculis venturis, præter hoc quod constituit tibi Deus, in quo recordetur tui? Et ideò dies salutis, quam Deus operatus est in medio terræ. Ergo nunc tempus acceptabile & aptum ad quærendum, in quo planè qui quærit, inuenit, si tamen vbi & vti oportet quærit. Et hæc vna causa quæ impedire potest ne inueniatur sponsus à quærentibus se, cùm non quærunt in tempore opportuno. Sed ne illa quidem eum tepidè, aut negligenter seu perfunctoriè quærit: nam corde ardenti & omnino infatigabiliter quærit, planè vt decet. Restat, vt de tertiâ
Cant. 3,1. videamus, ne videlicet vbi non decet quærat. In lectulo meo quæsiui quem diligit anima mea. Lectulum dixit suum, quia omne quod infirmũ est Dei, non de proprio inesse illi manifestum est, sed de nostro. Ex nobis assumpsit quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. Mea est mortalitas nati, mea infirmitas paruuli. In lectulo meo quæsiui. Quid? In tuo quærebas, qui se iam in sua receperat? Iam cælum tumulo commutauit & stabulo, & tu illum in tuo adhuc lectulo quæris? Quid quæris in lecto fortem, in lectulo magnum, clarificatum in stabulo? Introiuit in potentias Domini, decorem induit & fortitudinem: & ecce sedet super Cherubim, aut sedet iudicans, aut stat adiuuans, & tu quæris iacentem?

Quia itaque Iudæi sceleribus oppressi, nec operibus, nec sicut oportebat Deum erant quæsituri, hoc primum malum edicit ipsis Christus, quòd eum non inuenirent. Alterum vero longè pessimum & terribilissimum, quod hoc consequitur, est illud: Et in peccato vestro moriemini. *Licet autem hic locus hunc sensum propriè patiatur, videlicet, Propter scelera vestra Romani vos interficient, & propter odium quo me prosecuti estis, quoque alii me occidetis, vrbs vestra funditus euertetur: conuenientiùs tamen de morte æternâ verba hæc accipienda videntur. Hoc enim tamquam supremum omnium malum illos manebat, vt in peccato suo morerentur. Acris sane & stupenda comminatio, cui similis alia fortè in toto Euangelio non reperitur, quâ propriam indignationem in Iudæos Dominus manifestauerit. Nec mirandum id sane erit ei, qui diligenter considerauerit iustam indignationis causam, & Iudæorum insensibilitatem atque stultitiam, in quâ inimici sibi ipsis efficiebantur. Deprehensa fuerat mulier in adulterio, quam Domino obtulerant, & post multa, summa Dei bonitas dixit illi*: Nemo te condemnauit? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo. Vade, & iam ampliùs noli peccare. *Non poterat factum excogitari vel dictum, quo magis moueri deberent perdita Iudæorũ conscientia [...] ipsum diligendum. Nam hæc summa hominis [...] solet felicitas, si ægrotanti ipsi Medicus adsit, qui morbis omnibus, quantumuis desperatis, valeat mederi. Nam vt ait* S. AVGVSTINVS *Serm. 12. de Tempore*, Venit Dominus carne, carnis vitia mundaturus: venit medicina in terram, vnde curaret interiores oculos nostros, quos exterior nostra excæcauerat terra: vt eis sanatis, qui fuimus anteà tenebræ, lux efficiamur in Domino. Ad hoc sponsus processit de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam, speciosus vt sponsus, fortis vt gigas, amabilis & terribilis, seuerus & serenus; pulcher bonis, asper malis, *&c.*

Christus venit nostra vulnera curaturus.

Cùm igitur Christus venisset in mundum nostra vulnera curaturus, idcircò tam acriter indignatur & tam iustè contra Iudæos, quia nimirum ipsi, quando adulteram absoluit à peccato, id in eo reprehendebant propter quod venerat, videlicet auferre peccata mundi, & animarum malis prouidere. Quare suâ obstinatâ voluntate tam longè facti sunt a salute, vt audirent, In peccato vestro moriemini. *Quibus verbis tertiò hoc Capite repetitis, manifestè Iudæorum occæcatio & reprobatio declaratur, & minatur etiam illis qui præ consuetudine peccandi omnem pietatis sensum extinxerunt, vt pulchrè* S. HIERONYMVS *ad cap. 3. Lamentationum Ieremiæ, explicans illa verba*, Confregit ad numerum dentes meos; Dentes, *inquit*, interiores sensus accipi solent, quę singula quæ cogitant quasi manducant & comminuunt, atque ad ventrem memoriæ transmittunt: quos Propheta ad numerum fractos dicit, quia iuxta mensuram vniuscuiusque peccati intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus; & secundùm quod quisque egit exteriùs, in eo obstupescit quod interiùs atque in inuisibilibus intelligere potuit. Vnde rectè scriptum est, Om- Ier. 31,30.
nis homo qui comederit vuam acerbam, obstupescent dentes eius. Quid namque vua acerba, nisi peccatum est? vua quippe acerba est fructus ante tempus. Quisquis enim præsenti vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur vuam acerbam

Peccator obduratur & occæcatur.

Peccatum est vua acerba.

bam comedit, dentes eius obstupescunt: quia qui præsentis mundi delectatione pascitur, interni eius sensus ligantur, vt iam spiritualia mandere, id est, intelligere nequeat; quia vnde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt: & dum peccato anima pascitur, panem iustitiæ edere non valet; quoniam ligati dentes ea peccati consuetudine, iustum quod intus sapit edere nequaquam possunt.

IDEM *explicans illa verba Iob.* 38, 30. In similitudinem lapidis aquæ durantur, & super faciem abyssi constringitur, *sic ait*: De his mihi dicere videtur, qui nimio obliuionis Dei frigore obriguerunt, & instar lapidum solidi & nimiùm duri effecti sunt, qui super faciem abyssi constringuntur. In abysso profundissimam obscuritatem mentis puto intelligendam, quæ ita obtusione infidelitatis nimiæ operatur, & constringatur quodam gelu impietatis, vt saxo similis fiat, ita vt tali mente non sit ad Deum vllus aditus respirandi, secundùm il-
Rom. 11, 8 lud quod Apostolus de Iudæis dicit, Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt non audiant vsque in hodiernum diem.

Peccato siquidem obnoxius non considerat illius damna, vt cui nec admonitiones prosunt, nec mina terrent, vti apto exemplo declarat

Obduratis nulla prosunt monitiones.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 39. in Genesim, dicens:* Quemadmodum incurabilia vulnera, neque austeris medicamentis cedunt; ita & anima semel captiuata, si se peccato cuipiam obnoxiam fecerit, considerare non vult quæ sibi sunt vtilia: etiamsi quis innumera inculcet illius auribus, nihil proficiet, sed quasi mortuæ essent aures, nullam ex admonitione suscipit vtilitatem, non quia non potest, sed quia non vult, &c.

At quando in peccato quis iacet, nec à peccato surgit, specialem experitur difficultatem ad resurgendum, sicut scriptum est Threnorum 3, 33. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem supra me, *vt homo vix possit euadere, sicut pulchrè docet S. Gregorius lib. 26. Moralium, cap. 24. explicans verba illa Psal.* 68, Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. *Peccatores siquidem derelinquit Deus, ab ipsis prius derelictus, ac eorum peccatis prouocatus, vti eleganter ostendit* S. HIERONYMVS *lib. 13. in cap. 50. Isaiæ, ad ista verba,* Quis est hic liber repudij matris vestræ, quâ dimisi eã? *vbi* loquitur ad populum Iudæorum super Sion, quæ priùs dixe-
Isa. 49, 14. rat, Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei: Putatis meâ duritiâ matrem vestram terrenam Ierusalem esse proiectam, & quòd ego mentis rigidæ, dederim ei libellum repudij, & non potiùs quod verum est intelligatis, illam suo à me vitio recessisse? Dicente enim me ad eam, Quiescite iniquè agere, discite bonum facere, audire me noluit, sed vertit contra me scapulam recedentem. Vnde locutus sum filijs eius, Væ illis, quoniam recesserunt à me. Sed forsitan libellum repudij ostendere non potestis, & aliquis creditor meus exigens pecuniam me non habente quod redderem, vos in debiti compensationem suscipit. Hoc est dicere: Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos. Non est ita. Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram, quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret. id est, Ego ostendam vobis quamobrem matrem cum filijs dereliquerim. Scelera vestra atque peccata vos dæmonibus vendiderunt, vt præsentis sæculi voluptatibus irretiti, & vos parentem, & illa coniugem derelinqueret. Vnde adulteram matrem vestram vltrà tenere non potui, sed volentem abire, permisi. Vt autem sciatis non à me repudiatam matrem vestram, sed voluntate propriâ recessisse; post multa beneficia humanum corpus assumpsi, & nequaquam per Prophetas, sed præsens locutus sum. Veni, & non erat vir. Omnes enim viri & hominis imaginem relinquentes, bestiarum & serpentium sumpsere imagines. Vocaui, & non erat qui audiret; vnde relictus priùs, dereliqui vos.

VERS. 23. VOS DE DEORSVM ESTIS.] *Iudæi siquidem de deorsum & de hoc mundo erant, quoniam inferiora & terrena sapiebant. Christus vero de sursum & de cælo, quem sola cælestia delectabant, de quo & dixerat S. Paulus* 1. Cor. 15, 47. Primus homo de terrâ terrenus; secundus homo de cælo cælestis. qualis terrenus, tales & terreni; qualis cælestis, tales & cælestes. *Hac igitur, vt mihi videtur, ratione adductus est Dominus, vt diceret Iudæos de deorsum & de mundo esse, ipsum vero de supernis, vt terrenum amorem ac gustum, omnium malorum in ipsis causam fuisse ostenderet, eamdemque impedimento esse quò minus dona cælestia reciperent. Bona enim terrena nisi contemnas, ad cælestia animus non attollitur, vti benè docet*

S. CHRYSOSTOMVS *lib. 2. de Compunctione cordis sic scribens:* Nemo potest eorum qui delectantur præsentibus & caducis, cælestia ac spiritalia contueri. Nam & apud homines hic mos est, vt tunc thesauros suos & reconditas diuitias patefaciant filijs suis, cùm eos iam adultos viderint, & puerilis lasciuiæ vitia respuisse. donec enim his dediti sunt, non possunt eis parentum secreta committi. Ita & anima, nisi priùs didicerit terrena contemnere, cælestia mirari non potest; & econtrà, donec terrena miratur, necessariò cælestia spernit ac despicit. 4. Reg. 6, 15.
Sicut Eliseus donec terrena contempsit, non vidit montem curribus igneis atque equis flammeis plenum, armatorum turmas, & castra cælestis exercitus.

Non recipit cælestia, nisi qui spernit terrena

ORIGENES *lib. 9. in Epist. ad Rom explicans locum Pauli,* Nolite conformari huic sæculo, *ait*: In his verbis ostendit, esse quamdam formam huius sæculi, & aliam sæculi futuri: & si qui sunt qui amant præsens sæculum, & ea quæ sunt in hoc mundo, secundùm formam præsentis sæculi aptantur; qui verò non respiciunt ea quæ videntur, sed æterna, transformantur & renouantur ad futuri sæculi formam; & inde fit vt non agnoscat eos hic mundus, sed odio habeat. Hoc illi dicto simile est, sicut por- 1. Cor. 15, 49
tauimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis. Vide ne fortè cùm venerit ira in cor tuum, conformem te facias huic sæculo; similiter & concupiscentiæ mala, & auaritia, & cetera quibus præsens sæculum delectatur, formam tibi præsentis sæculi imponant. Si verò è contrario mansuetudo, patientia, lenitas, ceteræque virtutes habitent in sensu tuo, conformem te futuri sæculi facient, & ita pulchram animæ tuæ speciem reddent, vt Verbum Dei quod despondit eam sibi in misericordiâ & fide, dicat: Tota formosa es, amica mea. Qui amat mundum, huic sæculo conformatur in malum proprium; & qui diligit Deum, illi conformis fit amando, & hic renouatus est in nouitate sensus sui.

Quis sit Deo conformis, & quis sæculo.

Deus desertus peccatorum ab ipso prior desertus.

VER. 26. MVLTA HABEO DE VOBIS LOQVI, &c.] *Ac si diceret: Multa quidem in vobis reprehendere possem, & in multis vos condemnare, sed omissis aliis hoc tantùm dicam in confutationem vestræ infidelitatis, videlicet quòd Pater qui misit me, verax est, & hæc quæ audiui ab ipso, loquor in mundo; ac proinde quæ ego prædico, vera sunt. Hoc vtique magnum malum,*
Quantum malum sit non credere veritati. *Christo veritatem dicenti non credere, nec illi obtemperare. Hoc inquam peccatum magnum est, & præcedentium peccatorum effectus, & multorum quæ inde sequuntur causa, & etiam peccati pœna, vt docet*

S. AVGVSTINVS *l. 5. cõtra Iulianum Pelagianum, qui explicans quâ ratione homines in suorum peccatorum pœnam hac plectuntur maximâ, vt non audiant*
Isa. 19, 14. *veritatem, sic ait:* An non est peccatum, & pœna peccati, vbi legitur: Dominus miscuit illis spiritum erroris, & seduxerunt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? Non est peccatũ,
Isa. 63, 17. & pœna peccati, vbi Deo dicit Propheta: Quid errare fecisti nos Domine à viâ tuâ: indurasti corda nostra, vt nõ timeremus te? Non est peccatum,
Isaiæ 64, 5. & pœna peccati, vbi rursus Deo dicitur: Ecce tu iratus es, & peccauimus, propterea errauimus, & facti sumus velut immundi omnes? Non est peccatum, & pœna peccati, vbi legitur de gentibus
Ios. 11, 20 quas debellauit Iosue, quia per Dominum factum est confortari cor eorum vt obuiàm irent ad bellum ad Israel, vt exterminarentur? Non est peccatum, & pœna peccati, quòd non audiuit Roboam Rex plebem benè monentem; quoniam, sicut Scri-
3. Reg. 12, 15. ptura loquitur, Erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum, quod de illo locutus est in
2. Paral. 25, 20. manu Prophetæ? Non est peccatum, & pœna peccati, in eo quod scriptum est, Amasiam Regem Iuda noluisse audire Ioas Regem Israel benè monentem ne procederet ad bellandum? sic enim legitur: Et non audiuit Amasias, quoniam à Deo erat vt traderetur in manu, quoniam quæsierunt Deum Edom? Et multa alia commemorare possemus, in quibus liquidò appareat, occulto Dei iudicio fieri peruersitatem cordis, vt nõ audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, & non credere veritati, peccatum vtique est, idemque pœna est alterius peccati. Vnde est illud quod 2. ad Thessalonicenses 2, 10. scribit Apostolus: Pro eo quòd dilectionem veritatis non receperunt vt salui fierent, ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Vt seduceretur Achab, & in prælio periret, vidit Michæas Dominum sedẽtem in throno, & exerci-
3. Reg. 22, 19. tus cæli coram eo, & dixit Dominus: Quis seducet Achab, & ascendet, & cadet in Ramoth Galaad? Et dixit spiritus quidam: Ego seducam eum. Et dixit Dominus ad eum: In quo? Et dixit: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omniũ Prophetarum eius. Et dixit: Seduces, & præualebis; exi, & fac sic.

VERS. 30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum.

31. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderunt ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis:

32. & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.

33. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vmquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis?

34. Respondit eis Iesus: Amen, amen dico vobis: "quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati: "Rom. 6. 15. 2. Pet. 2, 19

35. seruus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.

36. si ergo vos filius liberauerit, verè liberi eritis.

37. Scio quia filij Abrahæ estis: sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor: & vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis.

39. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.

40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit.

41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati: vnum patrem habemus Deum.

42. Dixit ergo eis Iesus: Si Deus Pater vester esset: diligeretis vtique me. ego enim ex eo processi, & veni: neque enim à meipso veni, sed ille me misit.

43. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.

44. " Vos ex patre diabolo estis: & "Ioan. 3, 8.
desideria patris vestri vultis facere. ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: quia non est veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mẽdax est, & pater eius.

45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi.

SANCTVS AVGVSTINVS *Ser. 48. de Verbis Domini, ad illud v. 31.* Si manseritis in sermone meo, *aut:* Si manseritis in verbo meo, nõ vtiq; in meo qui modò loquor, sed in eius qui modò in Euangelio loquebatur. Si manseritis in verbo meo, inquit, verè discipuli mei estis. Ad discipulum parum est accedere, sed manere. Non ergo ait, Si audieritis verbum meum, aut, Si accesseritis ad verbum meum, aut, Si laudaueritis verbum meum: sed vi- *Quid sit in verbo Christi manere.*
dete

dere quid dixerit: Si manseritis in verbo meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Quid dicimus, fratres? Manere in verbo Dei, labor est, an non est? Si labor est, attende magnum præmium. Si labor non est, gratis accipis præmium. Maneamus ergo in eo qui manet in nobis. Nos, si non manserimus in illo, cadimus. Ille autem, si in nobis non manserit, non ideò domum perdidit. Nouit ille manere in se, qui numquam deserit se. Absit autem ab homine, vt maneat in se, qui perdidit se. Ergo nos in illo manemus indigentiâ, ipse in nobis manet misericordiâ. Iam ergo si propositum est quid facere debeamus, quid accepturi sumus, videamus. Indixit enim opus, & promisit mercedem. Quod est opus? Si manseritis in verbo meo. Breue opus. Verbo breue, magnum opere, Si manseritis. Quid est, Si manseritis? Si in petrâ ædificaueritis. O quàm magnum est, fratres, hoc! Supra petram ædificare, quàm magnum est! Venerunt flumina, & flauerunt venti: descenderunt imbres, & impegerunt in domum illam, & non cecidit. fundata enim erat supra petram. Quid est ergo, in verbo Dei manere, nisi nullis tentationibus cedere? Præmium quod est? Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Compatimini nobis, qui vocem meam sentitis obtusam: adiuuate me tranquillitate. O præmium, Cognoscetis veritatem! Fortè aliquis diceret, Et quid mihi prodest cognoscere veritatem? Et veritas liberabit vos. Si non delectat veritas, delectet libertas. In consuetudine Latinæ linguæ Liberari duobus modis dicitur, & maximè in eo consueuimus audire hoc verbum, vt quicumque liberatur, intelligatur periculum euadere, molestiis carere. Liberari autem propriè dicitur liberum fieri: quomodo saluari, saluum fieri; sanari, sanum fieri; sic liberari, liberum fieri. Ideò dixi, Si non delectat veritas, delectet libertas. Hoc in Græcâ linguâ euidentiùs sonat, nec potest aliter intelligi. Et vt noueritis quia aliter intelligi non potest, loquente Domino responderunt Iudæi: Nos nemini seruiuimus vmquam. Quomodo dicis, Veritas liberabit vos? id est, Veritas liberos vos faciet? Quomodo dicis nobis, qui nemini vmquam seruiuimus? Quos vides, inquiunt, non habere seruitutis necessitatem, quomodo eis pollicetis libertatem? Audierunt quod debuerunt, sed non fecerunt quod debuerunt. Quid audierunt? quia dixit, Veritas liberabit vos. Attendistis vos, quia non seruistis homini, & dixistis, Nemini seruiuimus vmquam. Omnis, Iudæus & Græcus, diues & pauper, honoratus & priuatus, Imperator & mendicus, omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Omnis, inquit, qui facit peccatum, seruus est peccati. Si agnoscant homines seruitutem, videbunt vnde accipiant libertatem. Ingenuus est aliquis, captiuatur à barbaris, ex ingenuo factus est seruus. Audit homo miserator: considerat se habere pecuniam, fit redemptor, pergit ad barbaros, dat pecuniam, redimit hominem. Planè reddidit libertatem, si abstulit iniquitatem. Sed quia abstulit iniquitatem? homo homini? Ille qui seruiebat apud barbaros, à redemptore suo redemptus est. Et multum interest inter redemptorem & redemptum, tamen sub dominâ iniquitate fortè conserui sunt. Interrogo redemptum, Habes peccatum? Habeo, inquit. Interrogo redemptorem; Habeo, inquit. Ergo nec tu te iactes redemptum, nec tu te extollas redemptorem: sed fugite ambo ad verum liberatorem. Parum est, quia sub peccato sunt, serui dicti sunt, & mortui dicuntur. Quod timet homo ne faciat illi captiuitas, iam fecit illi iniquitas. Quid enim, quia videtur viuere? numquid ideò errauit ille qui dixit, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos? Ergo mortui omnes sub peccato; serui mortui, seruiendo mortui, moriendo serui. Quis ergo liberat à morte, & à seruitute, nisi in mortuis liber? Quis est in mortuis liber, nisi inter peccatores sine peccato? Ergo, fratres, qui credimus in Christum, maneamus in verbo eius. Si enim mãserimus in verbo eius, veri discipuli eius sumus. Non enim soli illi duodecim, sed omnes qui manemus in verbo eius, verè discipuli eius sumus, & cognoscemus veritatem, & veritas liberabit nos, id est, Christus Filius Dei, qui dixit, Ego sum veritas, liberos nos faciet, hoc est, liberabit nos, non à barbaris, sed à diabolo; non à corporis captiuitate, sed ab animæ iniquitate. Solus est qui sic liberat. Nemo se liberum dicat, ne seruus remaneat. Non remanebit in seruitute anima nostra, quia quotidie dimittuntur debita nostra.

Liberari duobus modis dicitur.

Matth. 8, 22.

Ioan. 14, 6.

S. GREGORIVS *lib. 4. Moralium cap. 42. ad hunc locum,* Omnis qui peccat, seruus est peccati: Quia nimirum quisquis se prauo desiderio subiicit, iniquitatis dominio dudum libera mentis colla supponit. Sed huic dominio contradicimus, cùm iniquitati, quæ nos ceperat, reluctamur; cùm consuetudini violenter resistimus, & desideria peruersa calcantes, contra hunc ius nobis libertatis ingenitæ vendicamus; cùm culpam pœnitendo percutimus, & maculas sordium fletibus lauamus. Plerumque autem iam mens quidẽ quod se peruersè egisse meminit, deplorat. Iam prauè acta non solùm deserit, sed amarissimis etiam pœnis punit; & tamen dum eorum quæ egit reminiscitur, grauiter iudicij pauore tenetur. Iam se perfectè conuertit, sed adhuc se perfectè in securitatẽ non erigit: quia dum quanta sit districtio extremi examinis pensat, inter spem formidinemque sollicita trepidat; quia iustus Iudex veniens, quid de perpetratis reputet, quid relaxet, ignorat. Nam quàm praua commiserit, meminit; sed an commissa dignè fleuerit, nescit; ac ne culpæ immanitas modũ pœnitentiæ transeat, metuit. Et plerumque culpam iam veritas relaxat; sed mens afflicta, adhuc de veniâ dum valdè sibi est sollicita, formidat. Seruus ergo hic iam fugit dominum, sed liber non est; quia peccatum suum homo iam corrigendo & pœnitendo deserit, sed tamen adhuc districtum Iudicem de eius retributione pertimescit. Ibi ergo seruus à domino liber erit, vbi iam de peccati veniâ dubietas non erit. Ibi iam securam mentem culpæ suæ memoria non addicit, vbi non sub reatu animus trepidat, sed de eius indulgentiâ liber exultat. Sed si nullâ ibi homo peccati sui memoriâ tangitur, ereptum se vnde gratulatur? Aut quomodo largitori gratias refert de veniâ quã accepit, si interueniente obliuione transactæ nequitiæ pœnæ se esse debitorem nescit? Neque enim neglectè prætereundum est quod Psalmista ait, Misericordias tuas Domine in æternum cantabo. Quomodo enim misericordias in æternum cantat, qui se fuisse miserum ignorat? Et si miseriæ transactæ non meminit, vnde largitori misericordiæ laudes reddit? Sed rursus quærendum est, Quomodo electorum mens perfecta esse in beatitudine poterit, si hanc inter gaudia, memoria sui

Peccator est seruus peccati.

Quomodo nos vindicemus ex seruitute peccati.

Psal. 88, 2.

Quomodo Beati sine dolore meminerint indultorũ peccatorũ.

ſui reatus tangit? Aut quomodo perfectæ lucis elareſcit gloria, quam reducta ad animum obumbrat culpa? Sed ſciendum eſt, quia ſicut ſæpè nunc triſtium læti reminiſcimur, ita tunc tranſactæ nequitiæ ſine læſione noſtræ beatitudinis recordamur. Plerumque enim incolumitatis tempore ad memoriam dolores præteritos ſine dolore reducimus: & quò ægros nos recolimus, eò nos incolumes plus amamus. Erit ergo & in illâ beatitudine culpę memoria, non quæ mentem polluat, ſed quæ nos arctiùs lætitiæ aſtringat: vt dum doloris ſui animus ſine dolore reminiſcitur, & debitorem ſe medico veriùs intelligat; & eò magis acceptam ſalutem diligat, quò moleſtiæ meminit quam euaſit. In illâ itaque lætitiâ, ſic tunc ſine tædio mala noſtra conſpicimus, ſicut nunc in luce poſiti ſine vllâ cordis caligine animo tenebras videmus: quia etſi obſcurum eſt quod mente cernimus, de iudicio eſt hoc luminis, non de paſſione cæcitatis. Et in æternum ergo laudes miſericordiæ largitori noſtro referimus, & nequaquam miſeriâ conſcientię grauamur: quia dum mala noſtra ſine aliquo mentis malore ſpicimus, & numquã erit quod corda laudantium de tranſactis iniquitatibus polluat, & ſemper erit quod hæc ad laudem liberatoris accendat. Quia autem ſic tibi conuerſi peccatoris animus culpæ ſuæ memoriâ tangitur, vt tamen nulla eiuſdem memoriæ confuſione deprimatur; congruè ſubiungitur: Et ſeruus liber à domino ſuo.

Seruitus naturalis qua.

S. AVGVSTINVS *Quæſtionum ſuper Geneſim libro I cap. 153. ſic ait:* Commendatur in Patriarchis quòd pecorum nutritores erant à pueritiâ ſuâ, & à parentibus ſuis. Et meritò: nam hæc eſt ſine vllâ dubitatione iuſta ſeruitus, & iuſta dominatio, cùm pecora homini ſeruiũt, & homo pecoribus dominatur. Sic enim dictum eſt cùm crearetur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & habeat poteſtatem piſcium maris, & volatilium cæli, & omnium pecorum quæ ſunt ſuper terram. Vbi inſinuatur, rationem debere dominari irrationabili vitæ. Seruum autẽ hominem, homini vel iniquitas vel aduerſitas dominari fecit. Iniquitas quidem, ſicut dictum eſt, Maledictus Chanaan, erit ſeruus fratribus ſuis. Aduerſitas verò, ſicut accidit ipſi Ioſeph, vt venditus à fratribus ſeruus alienigenæ fieret. Itaque primos ſeruos, quibus hoc nomen in Latinâ linguâ inditũ eſt, bella fecerunt: qui enim homo ab homine ſuperatus, iure belli poſſet occidi, quia ſeruatus, eſt ſeruus appellatus: inde & mancipia, quia manu capta ſunt. Eſt enim ordo naturalis in hominibus, vt ſeruiant feminæ viris, & filij parentibus: quia & illic iuſtitia eſt hæc, vt infirmior ratio ſeruiat fortiori. Hæc igitur in dominationibus & ſeruitutibus clara iuſtitia eſt, vt qui excellunt ratione, excellãt dominatione. Quod cùm in hoc ſæculo per iniquitatem hominum perturbatur, vel per naturarum carnalium diuerſitatem, ferunt iuſti temporalem peruerſitatem; in finem habituri ordinatiſſimam, & ſempiternam felicitatem.

Gen. 9, 25. Vnde ſit hominum ſeruitus.
Gen. 37, 28 Serui vnde dicti. Vnde mancipia.

Iniqui domini non ſunt liberi, quia affectibus & paſſionibus ſuis ſeruiunt.

IDEM *lib. 19. de Ciuitate Dei cap. 15. ad illud quod dicit Dominus,* Omnis qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: Ac per hoc multi quidem religioſi dominis iniquis, non tamen liberis ſeruiunt. Quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Et vtique felicius ſeruitur homini, quàm libidini, cùm ſæuiſſimo dominatu vaſtet corda mortalium, vt alia omittam, libido ipſa dominandi. Hominibus autem illo pacis ordine, quo alij alijs ſubiecti ſunt, ſicut prodeſt humilitas ſeruientibus, ita nocet ſuperbia dominantibus. Nullus autem naturâ in quâ priùs Deus hominem condidit, ſeruus eſt hominis aut peccati. Verùm & pœnalis ſeruitus eâ lege ordinatur, quâ naturalem ordinem conſeruari iubet, perturbari vetat: quia ſi contra eam legem non eſt factum, nihil eſſet pœnali ſeruitute coërcendum.

Differentia ſerui peccantis & filij.

IOIOTA *lib. 2. Contemplationis cap. 21. ad illud verſ. 35.* Seruus non manet in domo, &c. Nam ſeruus offendens dominum non flagellatur, ſed è domo expellitur, & odio habet dominum ſuum, eumque quantum poteſt fugit: filius autẽ patrem offendens flagellatur à patre, ſed ex domo non expellitur, nec habet patrem ſuum odio, nec ab eo fugit, & idcircò dicitur, quòd filius manet in domo in æternum.

VERS. 41. NOS EX FORNICATIONE NON SVMVS.] *Scilicet ſpirituali, qualis eſt idolorum ac dæmonum cultus. Ita enim hic fornicationem ſumi, patet ex præcedente & antecedente antitheſi. quaſi dicat: Nos non ſumus Gentes, filij idololatrarum vel dæmonis. vnicum enim Deum Patrem colimus, vti & Abraham pater noſter. Alludit hîc ad Oſea cap. 1, 2.*

VERS. 43. NON POTESTIS AVDIRE SERMONEM MEVM.] *Id eſt, Non vultis audire, quia ſcilicet affixi eſtis paſſionibus veſtris.*

VERS. 44. EX PATRE DIABOLO ESTIS.] *Scilicet imitando, non naſcendo, inquit S. Auguſtinus ad hunc locum; &, vt S. Ambroſius lib. 4. in Lucam, ſucceſſione non carnis, ſed criminis.*

Diabolus homicida, & qui eius filij.

S. AVGVSTINVS *lib. 2. contra Litteras Petiliani cap. 13 ad illud,* Homicida erat: Quærimus autem vnde fuerit diabolus homicida ab initio, & inuenimus quòd primum hominem occiderit, non gladium ſtringendo, aut aliquam vim corporaliter infringendo; ſed perſuadendo peccatum, & à paradiſi felicitate deijciendo. Quod tunc paradiſus, hoc nunc Eccleſia. Diaboli ergo filij ſunt, qui homines ab Eccleſiâ ſeducendo interficiunt.

IBIDEM. ET IN VERITATE NON STETIT.] *Id eſt, In rectitudine & integritate naturæ, in quâ conditus erat. Creatus enim erat in gratiâ, vt rectè hinc docent Theologi. Aliter etiam in veritate, id eſt, in officio ſuo, in eo quod rectum erat & iuſtum quod decebat Angelum. Hoc enim paſſim ſignificat Veritas in Scripturis. vnde conſequenter Angelus à veritate excidit, & hinc veritas in eo non eſt, quia mentitur & auctor mendacij eſt. Ita S. Auguſtinus libro 10. de Ciuitate Dei, cap. 14.*

Diabolus pater mendacij.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 5. in Marcum,* Pater, *inquit,* mendax eſt, & veritatem non loquitur: ſicut & pater eius, qui eſt pater Iudæorum, vtique diabolus, ab initio mendax eſt. Et quis eſt pater diaboli? Vide quid dicat: Pater enim veſter mendax eſt, ab initio mendacium loquitur. Et pater eſt ipſius mendacij, non quòd diabolus alium patrem habeat, ſed quòd mendacij pater diabolus eſt, proptereà dicit, Mendax eſt, & ab initio mundi veritatem non loquitur. Hoc eſt, Mendacium loquitur, & eſt pater eius, hoc eſt, ipſius mendacij.

VERS. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?

47. [a] Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. [a] Ioã. 4, 6.

dit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

48. Responderũt ergo Iudæ, & dixerunt ei: Nónne benè dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes?

49. Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me.

50. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat, & iudicet.

51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.

52. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmoniũ habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.

53. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & Prophetæ mortui sunt. Quem teipsũ facis?

54. Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est,

55. & non cognouistis eum: ego autem noui eum. Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.

56. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.

57. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?

58. Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.

59. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

Iudices, Superiores & Doctores debent esse inculpata vita.

QVEMADMODVM *Dauid 1. Reg. 20, 1 cùm sibi à Saule insidias strui non ignoraret, ita Ionathan allocutus est*: Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam? *declarans suam innocentiam, & quòd sine causâ Saul illum persequeretur: ita Christus nunc de Iudæis queritur, quòd sine causâ illi necem machinarentur, dicens*: Quis ex vobis arguet me de peccato? *ostendendo simul suam vitam inculpatam esse, & doctrinam omni reprehensione vacare.*

Docentur hic omnes Iudices, Superiores atque Doctores ita vitam instituere, vt merito vsurpare possint istam Christi sententiam, atque ijs quos ex officio corrigunt, securè dicant, Quis ex vobis arguet me de peccato? *Cùm enim munus eorum sit facinorosos homines propter peccata punire, reprehendere, coërcere; intolerabile sanè malum est, si ipsi Magistratus, si Dei ministri, si Iudices ipsi, ita se improbè ac stultè gerant, vt facinorosorum hominum peccata, quæ corrigere debent & emendare, in ipsis cernantur. Hinc est quod Numerorum 25. præcepit Deus, vt Iudices qui palàm peccauerant, etiam publicè in crucem agerentur, vt eorum cruciatu & ignominiâ eos à scelere auerteret, quibus illi pessimo exemplo fuerant. Sic enim legimus ibidem versu 4. dixisse Dominum*: Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. *Hinc est quòd Samuel populum reprehensurus, priùs fidelem se ac iustum Iudicem fuisse ostendere voluit, suarum rerum atque factorum omnium iudicium populo permittens. Sic enim 1. Regum 12, 2. locutum esse Samuelem legimus*: Conuersatus coram vobis ab adolescentiâ meâ vsque ad hanc diem, ecce præstò sum. Loquimini de me corã Domino, & coram Christo eius, vtrùm bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi. *Quid verò diuus Paulus, an non & ipse Actorum 20. ostendit se magno semper studio cauisse, ne vllam aliquâ culpâ, vel malo aliquo exemplo, alios quibus præerat in culpam aliquam incitaret? Audi quid aeat ibi vers. 18.* Vos scitis à primâ die, quâ ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lacrymis. *& mox subdit*: Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui. *Quare ea debet esse Prælatorum ac Iudicum vita, ita innocens, ita à vitijs omnibus abhorrens, vt cæteris virtutis forma sit, & liberè à suis quærere possit*, Quis ex vobis arguet me de peccato? *Vide plura apud P. Vincentium Regium lib. 5. Elucidationum cap. 16. in digressione morali octauâ, vnde & hæc sunt.*

VERS. 47. QVI EX DEO EST, VERBA DEI AVDIT.] S. GREGORIVS *Hom. 18. in Euangelia sic ait*: Hi profectò verba Dei non audiunt, qui ea exercere opere contemnunt. Vnum ex signis prædestinationis, & quidem magnum est, verba Dei aure cordis audire. Interroget ergo vnusquisque semetipsum, vtrùm verba Dei, vti decet, audiat, necne; & intelligere poterit, an inter prædestinatos sit, an non. Suauis & iucunda est vnicuique patriæ recordatio, & libenter audimus eos, qui de ijs narrant quæ in patriâ geruntur, & auet quisque de charissimis parentibus, de germanis fratribus, de cæteris amicis & ciuibus suis narrantem aliquid audire; tantum est patriæ desiderium. Quare de Israëlitis narrat Scriptura diuina in Babylonicâ captiuitate positis, nihil illis dulce, nihil suaue videri potuisse, præter dilectæ patriæ recordationẽ & memoriam. Super flumina, inquiunt, Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. &c. Ergo hac vnâ maximè re, verè cælestis Ierusalem ciues nos esse declarabimus, si verba cælestia libenter audiamus, si illius patriæ recordatione lætemur, si de ciuibus eius vrbis, si de optimis parentibus Christo Domino ac Deiparâ narrantes, grato excipiamus pectore, si illuc magnis itineribus contendere conemur. Hinc vtique maxima piæ animæ dulcedo accidit, Psalmistâ dicente: Quàm dulcia
faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo! Psal. 118, 103.

Verba Dei libenter audire, signum prædestinationis est.

S.Hi-

Verbi Dei in animâ dulcedo.

S. HILARIVS *ad hunc locum.* Mel, *inquit*, in ore, etiam in faucibus dulce est. Extra regionem enim oris corporalium saporum nullus est sensus; sed Dei eloquia in faucibus dulcia sunt, in animam scilicet defluentia, & in intima penetralia, non in ore modò sibi placentia, sed illic dulcia, vbi cognitionis & prudentiæ & intelligentiæ sensus est, & ideò eloquia in faucibus, in ore mel dulce est. Sed vt mel per ægritudinem æstuum que febrium ea quæ acciderint oris amara mitificat; ita animæ nostræ amaritudines, & tristes cupiditatum insalutarium febres, infusa Dei eloquia mitificant, si modò non ore contineant, sed faucibus deuorentur.

Verbum Dei illuminat animam.

IDEM *super illud*, Lucerna pedibus meis verbum tuum, *sic ait:* Vt enim quis nocte egressus lucernam antefert, & quò pedem inferat contuetur, atque ad singulos gressus lumine præeunte sollicitus est; ita vnusquisque nostrûm manens in se verbum Dei in omnes operum processus tamquam lucernam prætendit. Omnis enim doctrina cælestis dux nobis ad iter vitæ est; quæ lucernæ modo in hac nocte sæculi præferenda est, cùm agimus, aut cogitamus, aut loquimur, vt in eâ omnem progressum cuiuscumque operationis ponamus.

Et in Psal. 140. Vt autem lumen, ex oleo luminis habet causam: ita vt lucem spiritalis gloriæ retineamus, doctrina atque operatio præstat vt caput nostrum, sedes scilicet prudentiæ, vitæ, & omnium sensuum, oleo operationis doctrinæque pinguescat.

Sicut autem, vt diximus, signum prædestinationis est, verba Dei libenter audire, ita è diuerso signum reprobationis est, verba Dei contemnere. Vnde subiungitur: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. *Hinc etiamsi aliquando verba Dei auribus exterioribus hauriant, nullum tamen inde fructum colligunt, sed sæpè deteriores euadunt. Sicut enim in æstate cùm arens tellus, si fortè imber de cælo decidat, solent cadentes guttæ in ranas vel serpentes quosdam & fœda animalia conuerti; sic Dei verbum, quod inundantis*

Verbum Dei iniquis vermis efficitur.

pluuiæ instar soles in benè cultâ terrâ pulcherrimos flores ac suauissimos fructus proferre, in istorum animis, tamquam in ineptâ & infecundâ terrâ, venenosa quædam monstra producit, sicut cernere est in Pharisæis & Iudæis, in quorum corda arida, & odio atque inuidiâ exasperata, pluuia illa cælestis diuini verbi vel ipso Filij Dei ore disseminati descendens, quasi in serpentes, hoc est in mortifera & venenosa vitia, conuertebatur; vti etiam in cap. 16. Exodi pulchre docet

ORIGENES *his verbis:* Sed dicet aliquis: Si manna verbum Dei esse dicis, quomodo vermes facit? Non te hîc turbet auditus. Audi Prophetam ex personâ Domini dicentem, Ego autem sum vermis, & nõ homo. Sicut enim ipse est qui fit alijs in ruinam, alijs autem in resurrectionem: ita & ipse est qui nunc manna fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus verò vermis efficitur. Ipse est ergo sermo Dei, qui iniquorum mentes arguit, & correptionum spiculis peccatorum conscientias terebrat. Ipse est qui & ignis efficitur in cordibus illorum quibus adaperit Scripturas, iuxta illud, Nunne cor nostrum ardens erat in nobis, cùm aperiret Scripturas? & alijs ipse ignis est, qui conflagrat spinas de terrâ malâ, id est, qui malignas cogitationes in corde consumit. Et ideò peccatoribus quidem nec vermis arguens iniquè moritur, nec ignis exurens aliquando restinguitur: iustis autem & fidelibus permanet dulcis & suauis, iuxta illud: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Non ergo aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo Dei. sic enim & ipse dicit: Nisi venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Post susceptum ergo verbum Dei si quis peccet, efficitur ei ipsum vermis qui eius semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris eius rodat. *Vide eundem Hom. 3. in cap. 3. Num.*

VERS. 48. NONNE BENE DICIMVS, QVIA SAMARITANVS ES TV?] *Origenes hic notat, Iudæos per contemptum Christum vocare Samaritanum, non origine, sed moribus, quia nimirum videbatur illis legem adulterare vnà cum traditionibus, quod Samaritani schismatici faciebant.*

Christus in re propriâ modestus, in diuinâ gloriâ tuendâ acer.

Aduerte autem, vt Christus, cùm per contemptum Samaritanus vocatur, & per blasphemiam dæmonium habere dicitur, non iracunde respondeat, non operosè se defendat; sed simplici tantùm negatione à se contumeliam depulit, qui alioquin inter docendum, & vitia hominum reprehendendum, pro gloriâ Dei vehemens erat ac acer: nos vtique hoc facto suo docens, vt quoties agitur de gloriâ Dei, vehementes simus & acres; quoties verò nos ipsi contumelijs lacessimur, cum omni mansuetudine atque modestiâ nosmetipsos purgemus. Hinc Christus modeste subiungit

VERS. 50. EGO AVTEM NON QVÆRO GLORIAM MEAM.] *Hæc dicit, ne videretur quasi dolere se ab eis inhonoratum, & ne gloriæ cupidus putaretur. Attamen, inquit, quamuis ego vt homo gloriam meam non quæram, nec vlciscar eos qui ignominiâ me afficiunt; est tamen qui gloriam meam quærat, & non solùm quærat, sed etiam iudicet, vindicando me de his qui me ignominiâ afficiunt. Ita S. Chrysostomus hunc locum explicat. Quasi dicat: Est Deus Pater qui vindicet eos qui gloriam meam non quærunt. Nota autem, hunc loco non repugnare quod cap. 5. Ioannis versu 22. dicitur,* Pater non iudicat quemquam. *Nam ibi loquitur Christus de iudicio vniuersali, hic verò agitur de priuato & quotidiano iudicio, quo solet Pater iniurias Filio & iustis omnibus factas persequi & vindicare.*

Quod iudicium Patri, quod verò Filio relictum sit.

S. GREGORIVS *Hom. 18. in Euangelia*, Considerans, *inquit*, Christi patientiam & mansuetudinem, quid aliud nisi superbia nostra confunditur, quæ si exagitata vel leuiter fuerit, atrociores iniurias reddit quàm acceperit; facit mala quæ potest, minatur & quæ facere non potest. Ecce iniuriam suscipiens Dominus non irascitur, non contumeliosa verba respondet: qui si eisdem ista dicentibus respondere voluisset, Dæmonium vos habetis, verum profectò diceret, qui nisi impleti essent dæmonio, tam peruersa de Deo loqui non possent. Sed acceptâ iniuriâ, etiam quod verum erat dicere Veritas noluit, ne non dixisse veritatem, sed prouocatus contumeliam reddidisse videretur. Ex quâ re quid nobis innuitur, nisi vt eo tempore, quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala taceamus, ne ministerium iustæ correptionis in arma vertamus furoris? Sed quia quisquis Dei zelo vtitur, sæpè à prauis hominibus dehonestatur, in semetipso nobis Dominus patientiæ præbuit exemplum.

Exempla Christi quomodo contumeliæ ferendæ sint.

IDEM *loco citato*, Sicut bonis, *inquit*, necesse est vt meliores etiam per cõtumelias existant, ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt. Nam acceptâ prædicatione iterùm dicunt, Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Quia enim æternæ morti inhæserant, & eamdem mortem cui inhæserant non videbant, dum solam mortem carnis adspice-

Reprobi etiam de beneficio peiores fiunt.

ſpicerent, in veritatis ſermone caligabant, dicentes: Abraham mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt; & tu dicis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum. Vnde & ipſi veritati eumdem Abraham & Prophetas quaſi venerantes præferunt. Sed apertâ nobis ratione oſtenditur, quia qui Deum neſciunt, Dei quoque famulos falsò venerantur.

Quis ſit dies Domini quam vidit Abraham. VERS. 56. ABRAHAM PATER VESTER EXVLTAVIT VT VIDERET DIEM MEVM.] *Dies autem quomodo hîc ſumatur, ſatis obſcurum eſt. Græci Patres intelligunt diem paſſionis, quem nimirum vidit præfiguratum in filio ſuo Iſaac. Ita S. Chryſoſtomus Hom. 54. in Ioannē, Theophylactus, Euthymius ibid. quos & ſequitur ex Latinis S. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo, cap. 8. quam expoſitionem ſic illuſtrat*

D. PROSPER *lib. 1. prædicto, cap. 17.* Diem, *inquit*, paſſionis Filij Dei vidit Abraham in ſuo filio figuratum, quòd vnico filio non pepercit, quòd veluti ad aram crucis triduo cum inſonti victimâ conualuit, quòd patiens ac ſine voce ſimilis agno coram tondente ſe filius patri, vt percuteret, pia colla præbuit; quòd aries cornibus in vepre detentus, ſpinis coronatum Chriſtum oſtendens, pro Iſaac immolandus apparuit; quòd ideò Iſaac immolatus non eſt, quia reſurrectio Filio Dei reſeruata eſt. Hæc omnis credens Abraham videre meruit per figuram. *Hæc Proſper.*

S. Hieronymus verò in cap 8. Danielis, & S. Gregorius Hom. 18. cenſent eſſe diem quo myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis reuelatum eſt Abrahæ, Geneſis 18. S. verò Auguſtinus tenet eſſe diem incarnationis ac natiuitatis Chriſti. Hanc ſententiam tamquam vero ſimiliorem ſequuntur paſſim recentiores: pro quâ nota, dici poſſe, Abrahamum hunc diem vidiſſe non tantùm in figurâ & per fidem Geneſeos 22, 10. neque etiam tantùm propheticâ reuelatione, quaſi futurorum, Geneſeos 22, 18. vt Chryſoſtomus, Leontius & Haymo in aureâ Catenâ ſentiunt: ſed vidiſſe Abrahamum hunc diem præſentem in Limbo exiſtens, oculis nimirum mentis, ſiue per reuelationem & cognitionem abſtractiuam, ſiue potiùs per intuitiuam. Hoc enim propriè eſt videre, quomodo ſcilicet Angeli in cælo vident quæ in terris & in inferno aguntur. Ita enim videre cupiebat Abraham; & hoc Abrahæ patri Chriſti, cui promiſſio de Chriſto eſt facta, ob tot eius merita quodammodò debebatur, vt illi id beneficium ex priuilegio concederetur *Abraham quomodo viderit diē Domini.*

VERS. 59. TVLERVNT ERGO LAPIDES.] S. GREGORIVS *ad hunc locum Hom. 18. in Euangelia*, Sed ſuſtinere, *inquit*, iſta æternitatis verba mentes infidelium non valentes, ad lapides currunt: & quem intelligere non poterant, obruere quærebant. Quid autem contra furorem lapidantium Dominus fecerit, oſtenditur, cùm protinus ſubinfertur: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Mirum valdè eſt, fratres chariſſimi, cur perſecutores ſuos Dominus ſe abſcondendo declinauerit, qui ſi Diuinitatis ſuæ potentiam exercere voluiſſet, tacito nutu mentis in ſuis eos ictibus ligaret, aut in pœnam ſubitæ mortis obrueret. Sed quia pati venerat, exercere iudicium nolebat. Certè ſub ipſo paſſionis tempore & quantum poterat oſtendit, & tamen hoc ad quod venerat pertulit. Nam cùm perſecutoribus ſuis ſe quærentibus diceret, Ego ſum, ſolâ hac voce eorum ſuperbiam perculit, & omnes in terram ſtrauit. Qui ergo & hoc loco potuit manus lapidantium, non ſe abſcondendo euadere, cur abſcondit ſe, niſi quòd homo inter homines factus Redemptor noſter, alia nobis verbo loquitur, alia exemplo? Quid autem nobis hoc exemplo loquitur, niſi vt etiam cùm reſiſtere poſſumus, iram ſuperbientium humiliter declinemus? Vnde & per Paulum dicitur: Date locum iræ. Quantâ humilitate iram proximi ferre debeat, perpendat homo, ſi furores iraſcentium, abſcondendo ſe, declinauit Deus. Nemo ergo ſe contra acceptas contumelias erigat: nemo conuitiis conuitium reddat. Imitatione etenim Dei, glorioſius eſt iniuriam tacendo fugere, quàm reſpondendo ſuperare. Sed contra hoc ſuperbia dicit in corde: Turpe eſt, vt acceptâ iniuriâ taceas. quiſquis conſpicit quia contumeliam accipis, & taces; non putat quia patientiam exhibes, ſed crimina agnoſcis. Sed vnde vox iſta in corde noſtro contra patientiam naſcitur, niſi quia in imis cogitationem fiximus, & dum in terrâ gloriam quærimus, placere ei, qui nos de cælo conſpicit, non curamus? Acceptâ ergo contumeliâ, meditemur in opere vocem Dei: Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet. *Rom. 12, 19.*

Hoc autem quod de Domino ſcriptum eſt, Abſcondit ſe, intelligi & aliter poteſt. Multa quippe Iudæis prædicauerat, ſed prædicationis eius verba deridebant. Deteriores quoque ex prædicatione facti ſunt, qui vſque ad faciendos lapides peruenerunt. Et quid abſcondendo ſe Dominus ſignificat, niſi quòd eis ipſa veritas abſconditur, qui eius verba ſequi contemnunt? Eam quippe, quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. Et quàm multi ſunt hodie, qui Iudæorum duritiem deteſtantur, quia prædicationem Domini audire noluerunt? & tamen quales illos arguunt fuiſſe ad fidem, tales ipſi ſunt ad operationem. Præcepta Domini audiunt, miracula cognoſcunt, ſed conuerti à ſuis prauitatibus renuunt. Ecce vocat, & redire nolumus: ecce ſuſtinet, & eius patientiam diſſimulamus. Dum ergo tempus habemus, fratres, prauitatem ſuam vnuſquiſque deſerat, Dei patientiam pertimeſcat: ne quem nunc tranquillum deſpicit, iratum poſtmodum nequaquam euadere poſſit.

EX S. IOANNIS CAP. IX.

VERS. 1. Et prætериens Ieſus vidit
hominem cæcum à natiuitate:
2. & interrogauerunt eum diſcipuli
eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?
3. Reſpondit Ieſus: Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.
4. Me oportet operari opera eius,
qui miſit me, donec dies eſt: venit nox,
quando nemo poteſt operari.
5. quamdiu ſum in mundo, lux ſum
mundi.
6. Hæc cùm dixiſſet, expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit
lutum ſuper oculos eius,

7. & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lauit, & venit videns.

8. Itaque vicini, & qui viderant eum priùs quia mendicus erat, dicebant: Nónne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est.

9. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille verò dicebat: Quia ego sum.

10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi?

11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit: & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & laua. Et abij, laui, & video.

12. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio.

13. Adducunt eum ad Pharisæos, qui cæcus fuerat.

14. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius.

15. Iterùm ergo interrogabant eum Pharisæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video.

16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.

17. Dicunt ergo cæco iterùm: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est.

18. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat:

19. & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?

20. Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est:

21. quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus: ipsum interrogate: ætatem habet, ipse de se loquatur.

22. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

23. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

24. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. nos scimus quia hic homo peccator est.

25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cæcus cùm essem, modò video.

26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos?

27. Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis: quid iterùm vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri?

28. Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus.

29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit.

30. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos:

31. scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.

32. A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati.

33. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.

34. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

35. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cùm inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei?

36. Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, vt credam in eum?

37. Et

37. Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est.

38. Ait ille ait: Credo Domine. Et procidens adorauit eum.

39. Et dixit Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant.

40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus?

41. Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. nunc verò dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

SANCTVS AMBROSIVS *Epist. 73. l. 9.* Prætereuntem Dominus Iesus vidit à generatione cæcum. Ergo ne nos præterire debemus, quem prætereundum Dominus non putauit, præsertim cùm à generatione cæcus fuerit; quod non otiosè est positum. Est enim cæcitas quæ plerúmque vi ægritudinis aciem obducit oculorum, eadem que temporis spatio mitigatur. Est cæcitas quæ humorum infusione generatur; ea quoque, vitio plerumque sublato, medicinæ arte depellitur: vt cognoscas, quia quòd iste sanatur qui à generatione suâ cæcus est, non artis est, sed potestatis. Donauit enim Dominus sanitatem, non medicinam exercuit. Eos enim sanauit Dominus Iesus, quos nemo curaret.

Varia cæcitas.

Docet nos hic exemplo suo Christus, vt pauperes non prætereamus sine auxilio. Quare si proximi tui corpori non vales per eleëmosynam subuenire, mentem illius refice. Ad quam spiritalem eleemosynam hortatur D. GREGORIVS *Hom. 6. in Euangelia, dicens:* Vnusquisque vestrûm, in quantum sufficit, si à prauitate proximum reuocat, si exhortari ad benè operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denuntiat, cùm sanctæ denuntiationis verba impendit, profectò Angelus existit. Huius altitudinem nominis, si vultis, potestis mereri.

Pauperibus subueniendum.

Spiritalis eleemosyna nos Angelis æquat.

Ergo ex sententiâ D. Gregorij, spiritalis eleëmosyna ad Angelorum nos gradum euehit. Quod si dicas paucate scire, nec habere quo alijs prosis, audi quid idem S. GREGORIVS *dicat.* Scitis quòd in tabernaculo non solùm phialæ, præcipiente Domino, sed etiam cyathi facti sunt. Per phialas quippe doctrina exuberans, per cyathos verò parua atque angusta designatur scientia. In Dei ergo tabernaculo, id est in Ecclesiâ positi, si per doctrinam sapientiæ ministrare phialas minimè potestis, in quantum pro diuinâ largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date. Nemo ergo dicat, Admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum: quantû potes exhibe, ne malè seruatum talentum quod acceperas, in tormentis pendere exigaris. Neque enim plusquam vnum talentum acceperat, qui hoc abscondere magis studuit quàm erogare.

Exod. 37, 1

Exemplo igitur sit nobis Saluator, vt prætereuntes diligenter intueamur pauperes. Nam quos tangit pauperum amor, & tenet ille pietatis affectus, delectat profectò aspectus ipse ærumnarum, & cæcos vident, & mutis ipsis nihilque petentibus respondent, adsunt, subueniunt. At qui neque misereri neque mollescere volunt ad aliorum ærumnas, omnem naturæ sensum abnegantes, tantum abest vt cæcos videant, quin etiam oculos viduæ & miserorum frustrà expectare faciant.

Nunc quæ sit mentis cæcitas, & quo remedio curanda sit, ex eodem S. GREGORIO *Parte 1. Curæ pastoralis cap. 11. perdiscamus, vbi ait:* Lippus est, cuius ingenium ad agnitionem veritatis emicat, sed hoc tamen carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente infirmatæ palpebræ crassescunt: quæ quia crebrâ infusione attenuantur, & acies pupillæ vitiatur. Sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed vsu prauorum actuum caligant. Lippus itaque est, cuius sensum natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit: cui benè per Angelum dicitur, Collyrio inunge oculos tuos vt videas. Collyrio enim oculos inungimus vt videamus, cùm ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis purgamus. Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, quoniam arrogantiâ sapientiæ excæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt, albuginem verò habens nihil videt: quia si quis stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem integræ claritatis apprehendit: sin autem candorem sibi vel iustitiæ vel sapientiæ attribuit, lucem à se supernæ cognitionis excludit. de quibus dicit Apostolus: Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.

Quæ sit mentis cæcitas, & quo remedio curanda.

S. AMBROSIVS *aliter,* Per collyrium, *inquit,* quod caligine ab oculis detergit, & lacrymas educit, pœnitentiam & compunctioné cordis intelligere debemus: hæc namque caliginem ignorantiæ à mente nostrâ discutit, eiusque oculos ad videndum quę sit retributio bonorum, & pœna malorum, exacuit.

Collyrium spiritale est compunctio cordis.

THOMAS ANGLVS *hanc S. Ambrosij interpretationem secutus, sic eam confirmat:* Quemadmodum collyrium turbat oculum, & humoré ex eo malum fluere facit, & clarum ei visum reddit; ita & cordis compunctio atque contritio priùs turbat animum per tristitiam & dolorem, & sic noxium euacuit humorem peccati, cuius signum aliquando est resolutio in lacrymas, per quod interni animæ oculi mundantur atque clarescunt.

RVPERTVS *in Apocalypsim ait:* Collyrium quo vitia & morbi oculorum purgantur atque sanantur, humilitatis virtutem significat. Hæc enim paruulos adiuuat, vt ea quæ sapientibus & prudentibus abscondita sunt diuinarum rerum mysteria, illis à Deo reuelentur. Rectè igitur Episcopo isti Loadicési dicitur: Collyrio inunge oculos tuos vt videas, id est, cor tuum humilitate purifica, vt paupertaté tuam videas, & veras diuitias bonitatis Dei cognoscas.

Collyrium etiam humilitas.

Sed nihil potentius atque efficacius ad sanandos & illuminandos mentis nostræ oculos est, frequente atque attentâ passionis Christi meditatione. Valesius de Sacrâ Philosophiâ cap. 42. docet, ad abstergendas inueteratas oculorum albugines nihil magis celebrari quàm fel, præsertim Callionymi piscis. Hic piscis significatus per piscem illum, quem è Tyri flumine Tobias extraxit, quemque Valesius verosimiliter Callionymum fuisse putat, Christum aptè repræsentat, cuius nomen [illegible] pulcherrimum est, quod sonat nomen Callionymi. Sicut ergo Tobiæ 6. iussit Angelus, vt Tobias tres huius piscis partes reseruaret, cor, fel, & iecur; ita hæc tria nobis ex Christo reponenda sunt ad meditandum. Cor, est dilectionis immensitas; iecur, amoris perfecta decoctio;

Passionis Christi consideratio sanat mentis cæcitatem.

ctio; fel, passionis amaritudo. Cor ergo, iecur, & fel tam salutaris piscis sibi referuant eum Tobiâ, qui dilectionem, quâ Christus in finem dilexit nos, & amaritudinem quam tolerauit, in memoriâ frequenter reuocant, iuxta illud Threnorū 3, 19. Recordare paupertatis & trãsgressioois meæ, ablynthij & fellis. *Hinc enim fiet, vt sicut Tobias pater felle piscis oculis admoto visum recepit, ita & qui cacitate mentis laborant, passionis Christi diligenti & accuratâ memoriâ tamquam collyrio mentis aspectum recuperent. Rectè enim monet Apostolus ad Hebraos 12, 3.* Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom 55. in Joannem, ad illud vers. 4.* Me oportet operari dum dies est: Quid hoc significat? quam habet consequentiam? Sanè magnam. Tale enim est quod ait, Donec dies est: Dum licet hominibus in me credere, dum hęc durat vita, laborandum est. Venit nox, hoc est, futurum tempus, quãdo nemo potest operari. Non dixit, Quando non potero operari, sed, Nemo potest operari; id est, quando non est ampliùs fides, neque labores, neque pœnitentia. Quòd enim opus fidem appellet, dicunt ei: Quid faciemus vt operemur opera Dei? Respondet: Hoc est opus Dei, vt credatis in eum quē ille misit. Quomodo ergo hoc opus nemo potest tunc operari? quoniam fides non est: sed velint nolint, omnes acquiescent veritati. Verùm ne quis ad ambitionem hæc referret, eorum gratiâ omnia facere profitetur, qui in hac tantùm vitâ habent credēdi potestatem, & non ampliùs ibi quidquam sibi possunt proficere. Ideò neque accedentem ad se cæcum curauit. Nam quòd curari meretetur, & si vidisset, credidisset & procurrisset ad Iesum; neque si præsentem à quoquam audisset, accedere neglexisset; ex sequentibus constat, ex eius videlicet fortitudine & fide. Poterat enim secum cogitare ac dicere: Quid hoc? lutum fecit, & liniuit oculos meos, & dixit, Vade, lauare; non potuit me priùs curare, & inde ad Siloam mittere? Sæpenumerò illic me laui, & multi mecum, & nihil profeci. Si quid posset, coràm ostendisset, quemadmodum & Naaman aduersus Eliseum dicebat. Iussus enim lauare in Iordane, non credidit, cùm magna esset tunc Elisei opinio. Cæcus autem non diffidit verbis Iesu, neque contradixit, neque quidquam cogitauit huiusmodi, Quid lutum illinire oportuit? hoc potiùs cæcū redderet. quis vnquam hoc pacto curatus est? Nihil tale reputauit. Ecce fides firma & prompta. Venit nox, quod indicat, post crucem impios sibi curæ futuros, & multos alliciendos. Adhuc dies est, post quem penitus eos abscindit, vt statim significauit.

Opus Dei est fides.

Cæci fides.

Vbi nota S. Chrysostomum, vti & alijs adhuc eiusdem Homiliæ locis, diem intelligere præsens saeculum meritis deputatum, noctem vero saeculum futurum. Verùm quia Christus de se tantùm hîc loquitur, meliùs videntur id accipere S. Augustinus, Beda, & Cyrillus in aureâ Catenâ, vt dies significet tempus vitæ quo Christus corporaliter præsens in hoc mundo versabatur; nox verò sit mors eius & tempus absentiæ. quasi dicat: Sicut homines nocte operari non possunt, ita ego post mortem nihil operabor eorum quæ nunc pro salute & redemptione hominum operor.

VERS. 6. FECIT LVTVM EX SPVTO.] *Videtur autem Christus ad cæcum hunc illuminandum luto vsus esse, vt manifestiùs ostenderet, eum se non naturaliter sed supernaturaliter sanare; quia lutum alioqui per se natum est oculos potiùs exæcare, quam sanare. Mysticè autem id factum est, vt ostenderet se illum esse qui olim hominem è luto plasmauerat: ac proinde se omnium esse Dominum, etiam sabbath. Ita Leontius & Theophylactus.*

Cur Christus sit vsus luto ad cæcum illuminandum.

Moraliter itaque per hoc lutum naturam ipsam hominis morti obnoxiam, & de puluere seu limo formatam, aptè intelligimus. Hæc ergo terra, hic puluis quem proycit ventus à facie terræ, si solus per se spectetur, ad obcæcandos potiùs oculos valet, quam ad eorum tenebras expellendas. Etenim si humana natura, quam ventus vanitatis & fastus ceu puluerem huc illuc proycit ac rapit, attollatur, perspicacissimam quantumuis oculorum aciem opprimet, & in miseram rediget cæcitatem. Ceterùm idem puluis, si non hominum vento supra se rapiatur, sed Christi saliuâ, id est Christi sapientiâ, quæ Dei timorem gignit & amorem, aspergatur, in efficacissimum medicamentum euadit, ad repellendam inhærentem animo caliginem multò saluberrimum. Rectè autem diuina sapientia, quæ à capite descendit, id est à Patre, saliuâ significatur. Nam & gustatui inseruit saliua & sermoni; quorum vtrumque sapientiæ munus est, & diuina sapere, & diuina eloqui. Hæc verò nullius vnquam sicut Christi propria fuerunt, postquam sibi carnem assumpsit, id est saliuam terræ admiscens, quod est Verbum carnem factum esse.

VERS. 7. LAVA IN NATATORIA SILOE.] *S. Hieronymus in Locis Hebraicis notat, Siloë fontem esse ad radicem montis Sion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, & per terrarum antra & concaua saxi durissimi cum magno impetu veniat. Ex hoc ergo fonte, maximè cùm interruptis vicibus fluat, sitque in eâ regione aquarum penuria, deriuabatur aqua fluens silentio & sine strepitu, vt habet Isaias c. 8, 6. in* κολυμβήθραν, *id est natatoriam vel piscinam, vt noster vertit cap. 5 & inde in hortos aqua deriuabatur: indeque hoc modo emissis & deriuatis aquis dictus est Siloë, id est* Missus. *Vide Adrichomium de hoc loco in Descriptione Terræ sanctæ. Christus autem misit hunc cæcum ad Siloe, quia Siloë erat typus Christi, qui à Patre in mundum erat missus ad eum illuminandum. Ita Chrysostomus & Irenæus l 4. c. 19. Christus enim procedit à Patre silentio & sine strepitu, id est, cum inuisibili processione & immutabili; & homo factus ad nos missus, omnes gratiarum riuos in fideles deriuauit.*

Siloë quid.

Siloë typus Christi.

Erat etiam Siloe typus Baptismi, quo spiritualiter illuminamur. Vnde Baptismus etiam Græcè φωτισμὸς, *id est* illuminatio *dicitur, ad Hebraeos 6, 4. Ita Rupertus, Beda, Ambrosius Epist 75. & alij.*

Typus Baptismi.

IBIDEM. ABIIT ERGO, ET LAVIT, ET VENIT VIDENS.] *S. Cyrillus in Catenâ Græcâ notauit discrimen quoddam inter hunc cæcum, & alios. Nam hunc nec clamantem nec petentem, oculorum aspectu donauit Christus, ceteros verò non nisi rogantes, non nisi ad se clamantes curauit: quia numerū in Iudæorum, ille Gentium populum significauit. Ergo quoniam Iudæi eius habebant ex lege notitiam, noluit illos curare, siue animo siue corpore, nisi petentes rogantesque: at Gentiles, quoniam omnino cæci erant, qui petere ab eo, quem non cognoscebant, sanitatem non poterant, sponte atque vltrò sanauit, sponte atque vltrò Euangelium salutemque obtulit. Sanè quòd saliuâ curauerit hunc cæcum, indicat non posse Gentes lumen gratiæ recipere, nisi suæ fierent carnis participes.*

VERS. 8 ALII DICEBANT: QVIA HIC EST. ALII AVTEM: NEQVAQVAM.] *Ostenditur hic efficacia gratiæ*

Dei,

Dei, quæ cũ fulgore suo quẽpiam illuminat & exornat, ita immutat, vt non idẽ ipse qui anteà erat, jam ampliùs esse videatur, sed ita in alterum mutatus appareat, ita diuersus à reliquo hominũ cœtu, vt admirentur ceteri, & vix eumdem esse iam opinentur. Hoc euenturum Sauli, prædixit Samuel, postquam illum in Regem inunctum ab se dimisit. Mutaberis, *inquit*, in virum alterũ. *Id quod egregiè* D. GREGORIVS *explicat lib. 4. in libri 1. Regum cap. 4. vbi ait:* Amor electæ mentis quid est aliud, quàm immutatio vetustatis? Tepidus erat quis, sed repentè, visitatus à Spiritu, feruens efficitur. In virum alium mutatur, qui compunctionis gratiam per aduenientem Spiritum suscipit, quam anteà non habebat. Repentè, raptus in virtute superuenientis Spiritus, esse carnalis desinit, potenter sæculi curas abijcit, & in æternorum contemplatione mirâ puritate consurgit. Miratur se tunc esse quod non erat; miratur se tunc non fuisse quod est.

VERS. 24. DA GLORIAM DEO.] *Modus hic erat obtestandi & adiurandi apud Hebræos; quasi dicas: Dic veritatem ad Dei gloriam. Sic Iosue 7, 19. Quòd etiam per Confessionis Sacramentum detur gloria Deo, docet* S. AVGVSTINVS *in Psalmum 94. sic scribens:* Numquid & hoc non pertinet ad laudem

Per Confessionem datur gloria Deo. Dei, quando confiteris peccata tua? Immò verò maximè pertinet ad laudem Dei. Quia tantò plus laudatur medicus, quantò plus desperabatur ægrotus. Confitere itaque peccata tua, quò magis desperabas de te propter iniquitates tuas. Tantò enim melior laus est ignoscentis, quantò maior exaggeratio est peccata confitentis. Non ergo putemus nos recessisse à laude cantici, si iam hîc confessionem intelligimus, quâ confitemur peccata nostra. Et hoc ad laudem cantici pertinet; quia cùm peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus. *Eòdem spectant quæ dicit*

Idem S. AVGVSTINVS *in Psal. 95.* Pulchritudinem, *inquit*, amas? Vis esse pulcher? confitere. Non dixit, Pulchritudo & confessio: sed, Confessio & pulchritudo. Fœdus eras? confitere, vt sis pulcher. Peccator eras? confitere, vt sis iustus. Fœdare te potuisti, formosum te facere non potes. Qualis autem est sponsus noster, qui fœdam amauit vt pulchram faceret? Quomodo, ait aliquis, fœdam amauit? Non veni, inquit, vocare iustos, sed peccatores. Quos vocas peccatores? Vt remaneant peccatores? Non, inquit. Et quomodo non erunt peccatores? Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Confitentur enim peccata sua, vomunt mala quæ auidè vorauerunt. Non redeunt ad vomitum suum, sicut canis immundus, & erit confessio & pulchritudo. *Sic S. Augustinus: ex quibus non est difficile intelligere, ex Confessione magnam Deo gloriam dari.*

Quomodo Deus peccatores non audiat. VERS. 31. PECCATORES DEVS NON AVDIT.] *Scilicet ordinariè, vt patet ex varijs Scripturæ locis; peccantes inquam, & in peccato perseuerantes. Licet enim aliquando contrarium contingat, id tamen rarum. Vel vt Theophylactus & Euthymius ad hunc locum dicunt, Deus non sic peccatores exaudit, vt per eos ad declarandam eorum sanctitatem miracula faciat; de hac enim re hîc agebatur. Denique S. Augustinus lib. 5. contra Donatistas ait, cæcum hunc catechumenum hæc dixisse generaliter, cùm generaliter non sit verum: quia necdum satis erat instructus. Donatistæ enim abutebantur hoc loco, vt probarent Baptismum hæreticorum esse irritum.*

EX S. IOANNIS CAP. X.

VERS. 1. Amen, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.

2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium.

3. Huic ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas.

4. Et cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius.

5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum.

6. Hoc prouerbium dixit eis Iesus. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis.

7. Dixit ergo eis iterùm Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium.

8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oues.

9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.

10. Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.

OCCASIO *huius parabolæ siue prouerbij fuit, quòd Pharisæi cæcum ob Christi fidem synagogâ eiecerant, quasi ex ouili suo, & consequenter significabant Christum non esse Messiam, sed pseudoprophetam, & in ipsum credentes errare, & esse apostatas.* *Occasio & scopus parabolæ.* *Scopus igitur Christi est, docere contrarium, scilicet adeò se non esse pseudoprophetam, vt potiùs omnes alij, qui per ipsum tamquam verum ostium in ouile non intrant, sint seductores; illi verò sint legitimi pastores & prophetæ, qui per ipsum intrant. Quod attinet ad sensum parabolæ. Primò, ouile est Ecclesia: secundò, Dominus est Pater: tertiò, ostium est Christus, vel fides in Christum, qui clausus est Scripturis legis & Prophetarum velut foribus & postibus: quartò, ostiarius est Spiritus sanctus: quintò, oues sunt non soli prædestinati & electi ad gloriam, vt vult S. Augustinus, sed quiuis fideles & discipuli Christi, siue omnes qui sunt in Ecclesiâ: sextò, veri pastores sunt Prælati, qui per Christum quasi per ostium intrant: septimò, his ostiarius, scilicet Spiritus sanctus, aperit ianuam; quia fides ipsa, per quam ingrediuntur, donum est Spiritus sancti, & Spiritus sanctus veram eis potestatem impertit, vt quæ fecerint rata sint: octauò, & hi educunt oues ad pascua, scilicet doctrina sana ac gratia, & præeunt eis exem-* *Explicatio breuis & applicatio parabolæ pastoris.*

 plo,

ple, & nominatim eas vocant, quia sigillatim vniuscuiusque curam gerunt, vnumquemque hortantur & compellunt: non, qui per ostium, id est Christum, non intrat, sed per murum transilit, vel per fenestram aut maceriam erumpit, fur est & latro, omnium scilicet. Tales fuerunt Iudas Galilaus, & Theodas, Actorum 5. & similes qui se finxerunt esse Messiam, aut quod Messia erat professi sunt. Tales etiam iam esse incipiebant Scribæ & Pharisæi.

Sex veri pastoris proprietates

Obserua autem, quod Christus hic in Euangelio assignet sex veri pastoris certissimas notas & proprietates; quarum prima est, quòd intret per ostium; secunda est, quòd vero pastori ostium ab ostiario referetur; tertia proprietas ea est, quòd oues eius vocem agnoscāt. Oues, *inquit*, vocem eius audiunt: *quarta, quòd pastor proprias oues vocat nominatim; quinta, quòd etiam educit eas; sexta denique, quòd etiam cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit.*

Per quod ostium intretur in ouile.

S. AVGVSTINVS *Tractatu 45. in Ioannem*. Quicumque, *inquit*, vult intrare ad ouile, per ostium intret, Christum verum prædicet, Christi gloriam quærat, non suam. Nam multi quærendo gloriam suam, oues Christi sparserunt potiùs quam congregauerunt. Humilis est enim ianua Christus Dominus: qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse, vt sano corpore possit intrare: qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere; qui autem per maceriam ascendit, ideò exaltatur vt cadat.

Christus quomodo pastor & quomodo sit ostium.

S. GREGORIVS NAZIANZENVS *explicans quomodo Christus ostium, & quomodo pastor sit, ait:* Dicitur ostium, vt introductor; pastor, vt qui loco herbido stabulet, ad aquam requietis pastum præbeat, inde viæ dux sit, aduersus belluas propugnet, reflectat id quod errat, amissum reducat, fractum obliget, languore correptum corroboret, validū custodiat, per sermones pastoritiæ scientiæ ad caulam suam colligat. *In quæ Nazianzeni verba* ELIAS CRETENSIS *hæc notat:* Ostium vocatur, vt qui eos, quotquot præclarè totam virtutum viam absoluerunt, per actionis inculpatum curriculum ad cognitionem introducat, mirificeque lucentes sapientiæ thesauros ostendat. Pulsemus igitur, & portæ aperientur nobis. Deum nemo cognouit nisi Filius, & cui Filius reuelauerit. Præterea Dominus seipsum & ostium & viam vocat, quòd ipse prior virtutum in actione versatus, nos quoque docuerit, adeoque auctor eiusmodi [illegible] operum fuerit. Appellat & pastorem sese, cùm ait, Ego sum præclarus ille pastor, qui vitam pro ipsis ouibus ponit. Vocatur autem pastor, vt qui loco herbido stabulet, & requietis ad aquas pastum præbeat. Locus autem ille graminosus est Ecclesia: gramen sunt fideles ipsi virtute florentes; vel etiam ipsa Christianorum fides, quæ semper virescit. nam fides Ethnica & consenuit & emarcuit. Vel denique per gramen hoc intelligi possunt religiosa pietatis dogmata, quę & alunt animum & pinguefaciunt. Per aquam requietis, accipimus viua sacræ Scripturæ oracula, non modò potum suppeditantia, sed etiam alentia cunctos, qui sitim quamdam & famem illius aquę sentiunt. Pater hoc vel ex eo, quòd requietis aqua dicitur: nam qui & comedit & bibit, is requiescit. Appellat aquam quietis ipsum etiam Baptismum, vt qui sordes abstergat, molestoque peccati nos onere leuet. Sunt autem hæc verba Dauidis vatis, qui ait: Dominus me pascit, ac nihil mihi deerit. In loco herbido me stabulauit, ad requietis aquam mihi pastum præbuit. *Subdit verò post:* Talis est præclarus ille pastor qui vitam pro ouibus ponit. Cui longè dissimiles sunt scelerati pastores, falsoque nomen hoc vsurpantes, aduersus quos Deus per Ieremiam vatem clamans ait: O pastores, en ipsi lac deuoraris, lanā ad vestitum vsurpatis, oues meas non pascitis, languore correptum non corroborastis, fractum non obligastis, errans non reflexistis, amissum non quæsiuistis, validum labore obruistis. *Et posteà:* Est autem vinculum illud quo pastor fracta obligat, oratio conglutinans ad distractionem spectantia. *Hactenus Elias.*

D. quoque GREGORIVS *Ep. 47. l. 7. exemplo Iacob Gen. 31. qualis esse debeat bonus pastor ostendit.* Certè, *ait*, beatū Iacob, qui pro vxoribus suis diu seruierat, dixisse meminimus: Viginti annos fui tecum, oues tuę & capreæ tuæ steriles non fuerunt: arietes tui gregis non comedi, nec captū à bestiâ ostendit tibi. Ego damnum omne reddebam; quidquid furto perierat, à me exigebas; die noctuque æstu vrebar & gelu; fugiebatque somnus ab oculis meis. Si igitur sic laborat & vigilat, qui pascit oues Laban, quanto labore quantisque vigilijs debet intendere qui pascit oues Dei? *Lege eumdem Epistolâ 40. lib. 9.*

VERS. 11. Ego sum pastor bonus.
"Bonus pastor animam suam dat pro "Isa. 40, 11 Ezech. 34. 23. 37, 24.
ouibus suis.
12. Mercenarius autem, & qui non
est pastor, cuius non sunt oues propriæ,
videt lupum venientem, & dimittit
oues, & fugit, & lupus rapit, & disper-
git oues:
13. mercenarius autem fugit, quia
mercenarius est, & non pertinet ad eum
de ouibus.
14. Ego sum pastor bonus: & cogno-
sco meas, & cognoscunt me meæ.
15. "Sicut nouit me Pater, & ego "Matth. 11, 27.
agnosco Patrem: & animam meam po- Luc. 10, 22.
no pro ouibus meis.
16. Et alias oues habeo, quæ non sunt
ex hoc ouili: & illas oportet me addu-
cere, & vocem meam audient, & fiet
vnum ouile, & vnus pastor
17. Propterea me diligit Pater: "quia "Isa. 53, 7.
ego pono animam meam, vt iterùm
sumam eam.
18. Nemo tollit eam à me: sed ego
pono eam à meipso, & potestatem ha-
beo ponendi eam: & potestatem habeo
iterùm sumendi eam: Hoc mandatum
accepi à Patre meo.
19. Dissensio iterùm facta est inter
Iudæos propter sermones hos.
20. Dicebant autem multi ex ipsis:

Dæmo-

Dæmonium habet, & insanit: quid cum auditis? Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Conditiones veri pastoris. DESCRIBIT *hic Christus boni pastoris officium, ad quod munus ritè obeundum, sex potissimum habeat conditiones. Prima conditio sit, Amor ouium, & amor etiam veri & proprij domini ouium. Cùm enim multa molestiæ in pascendis ouibus deuorandæ sint, amore cumprimis, qui omnia reddit facilia, opus est, vti pulchrè docet* CHRYSOLOGVS *Serm.* 40. *dum ait:* Fortem faciat vis amoris: quia nil durum, nil amarum, nil graue, nil lethale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mors amorem præualeat superare perfectum? Amor impenetrabilis est lorica, respuit iacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet: si amor est, vincit omnia. Sed quæramus vtrùm sit ouibus commoda mors ista pastoris, quæ destituit oues, quæ lupis tradit inerme pecus, quæ sic earum gregem ferinis morsibus derelinquit, direptioni dat, & morti exponit, sicut ipsius pastoris Christi probatur ex morte. Ex quo namque posuit ipse animam suam pro ouibus suis, seque Iudaico furore permisit occidi, oues eius Gentilium velut prædonum diripiuntur incursu: mactandæ in carceribus velut latronum clauduntur antris, à persecutoribus quasi sæuientibus lupis sine cessatione laniantur; ab hæreticis quasi ab extraneis canibus rabido dente carpuntur. Hoc Apostolorum peremptus probat chorus, hoc Martyrum toto orbe diffusus clamat sanguis, hoc Christianorum membra data bestijs, cõsumpta ignibus, demersa fluminibus, patenter demonstrant: quod vtique totum sicut mors intulit, ita vita potuit prohibere pastoris. Ideò pro te pastor amorem morte probat, quia cùm videat ouibus imminere discrimen, cùm gregem defensare non possit, mauult mori, antequam mali de suis ouibus quid videat.

Prima est, Amor ouium.

Secunda est, Diligentia & cura gregis. *Secunda conditio in bono pastore requisita, est perpetua & singularis Cura ac diligentia in pascendis, regendis ac custodiendis ouibus. Res enim est multis laboribus exposita, boni pastoris vita; quod probè cognouerat Iacob, cùm numeraret pastoritia vitæ labores, Geneseos cap.* 31, 40. *dicens:* Die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. *Hinc itaque discant ceteri qui præsunt Ecclesiæ, hoc munus eorum exigere, non vt quieti se tradant, sed operi vacent; non voluptatem sectentur, sed laborem; non gaudia quærant, sed dolores; non socordiæ se dedant, sed impigram curam adhibeant. Hinc illud nunquam satis laudatũ elogium, quod D. Gregorio tribuitur, nimirum pôtestatem Prælati non honorem, sed onus æstimari debere. Hanc autem Pastoris sollicitudinem & curam non vulgarem esse debere, ex hoc satis ostenditur, quòd, vti fecit ac iussit Christus, ad mortem illi laborandum sit, & paratus esse debeat, si ita opus sit, mortem oppetere pro ouibus suis; vt etiam benè monet* S. CHRYSOSTOMVS *Hom.* 19 *in Epist. ad Rom.* Non est, *inquit*, boni pastoris quiescere, & non circumquaque percurrere, innumerisque etiam mortibus pro ouibus se exponere. An ignoras gregis huius dignitatem? An illius gratiâ Dominus tuus innumera non fecit? an non postremò & sanguinem suum effudit? tu verò requiem quæris? *Et paulò pòst ait:* Bonus pastor, & talis qualem Christus vult, cum innumeris componi potest Martyribus: siquidem Martyr semel propter ipsum moritur, hic verò millies propter gregem, si modò talis sit pastor qualem esse oportet. Talis enim pastor singulis diebus mori potest. *Hisce consentit*

S. GREGORIVS *Hom.* 14. *in Euangelia, vbi ait:* Primum nobis pastoribus est, exteriora nostra misericorditer pro ouibus impendere; postremò verò, si necesse sit, etiam mortem nostram pro iisdem ouibus ministrare.

Tertia est, Industria & prouidentia. *Tertia boni pastoris conditio requirit Industriam & prouidentiam quærendi & comparandi ea quæ ouibus necessaria vel vtilia sunt. Debet enim pastor primùm panem habere in perâ, hoc est sacram Scripturam in altâ mentis cognitione tamquam in perâ repositam, iuxta illud Malachiæ* 2, 7. Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius. *Et Oseæ* 4. 6. *repellit Sacerdotem istâ scientiâ carentem, dicens:* Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. *Secundò, pastoris est baculum gestare ad delinquentium correctionem, quod S. Paulus præcipit Timotheo Epist.* 1. *cap.* 5, 20. Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant. *&* 2. *ad Tim.* 4. Argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ & doctrinâ. *Tertiò, fistulam quoque habeat, vt suauibus verbis oues mulceat, & afflictas atque iacentes consoletur. Quartò, fidelibus quoque non careat canibus, quos contra lupos immittat, si quando fortassis in oues irruant. Sunt enim lupi hæretici, qui non pascere, sed perdere ac mactare oues veniunt. Canes verò sunt Ecclesiæ Doctores & Concionatores, qui suo latratu, sacris nimirum concionibus, testimonijs Scripturarum, validis argumentationibus hos tartareos lupos terrent ac fugant. De his Concionatoribus ac Doctoribus ita pulchrè* S. GREGORIVS *in Iob, sub initium capitis* 30. Canes gregis, *inquit*, id est Ecclesiæ Doctores sancti vocantur, qui dum pro Domino suo diurnis nocturnisque vigilijs intenti clamauerunt, magnos vt ita dixerim latratus prædicationis dederunt. *Quintò, debet sibilo vti: quod tunc prudenter facit, cùm seorsum ad se vocatum signo dato monet aliquem magnâ charitatis significatione, vt occultum aliquod vitium emendet ac tollat. Sic enim saluo honore ouium sæpè delicta commodiùs corriguntur, dum nullo, si opus non sit, iniecto rubore faciliùs oues suos ipsæ morbos agnoscũt. Sextò exuuio vel pelle ouiũ amiciat sese pastor oportet: quod tunc præstabit, cùm se libenter ad earum paupertatem & humilitatem dimiserit, cum illis familiariter & libenter egerit, earumque in se vulnera, morbos, ægritudines, calamitates, & commiserando & adiuuando expresserit. Debet & se immaculati Agni pelle vestire, hoc est Christi Domini virtutibus ornare, vt libenter Christi modestiam, patientiam, charitatem imitando, oues ad sese alliciat.*

Quibus instrumentis pastor instructus esse debeat.

Quarta est, Animi fortitudo. *Quarta verò in bono pastore requisita conditio est, Animi fortitudo, quâ pericula & aduersa cuncta quæ ouibus accidere solent, propulset, præsertim vt ex aduerso ascendat, & occurrat, & quasi se opponat iræ Dei tamquam murum pro ouibus. Ita Aaronem fecisse scribit* S. HIERONYMVS *Epist.* 12. *ad Gaudentium.* Legimus, *inquit*, Aaron Pontificem isse obuiàm furentibus flammis, & accenso thuribulo Dei iram cohibuisse. Stetit inter vitam & mortem sacerdos magnus, neque vltra vestigia eius ignis procedere ausus est.

Quinta. Fidelitas, & assidua pastoris præsentia. *Quinta est Fidelitas erga dominum ouium, quâ nullâ ratione committat vt fraudetur ille vtilitatibus atque emolumentis, quæ par est vt ex ouibus capiat. Ad quam rem permagni refert assidua pastoris præsentia; vt enim prouerbio dicitur,* Oculus domini saginat equum. *Cui accommoda duo refert exempla Aristoteles Oeconomicorum cap. 6. alterum Persæ cuiusdam, alterum Libyci. Persa enim, inquit, rogatus quid equum maximè pinguem faceret: Oculus domini, respondit. Libycus verò rogatus quod stercus maximum agro foret optimum: Domini, inquit, vestigia. Subdit verò mox Aristoteles: Sunt igitur inspicienda negotia diligenter viro, inspicienda etiam ab vxore, prout inter eos distincta sunt cura. Quare si præsens cura & ipse quasi obtutus oculorum necessaria sunt rei familiari, si id opportuna; quantò magis hæc erunt necessaria Ecclesiæ Dei, in quâ non de terrenis bonis agitur, sed de animarum salute, quæ sine pastoris præsentiâ facile pereat necesse est? Hoc monet* Episcopi *nomen, hoc vox* pastoris *postulat. Eum enim qui pascit* pastor *significat, vt* Episcopus *speculatorem. Quomodo igitur hæc præstabit munera, quomodo suo nomini vmquam consentanea faciet, nisi ipse suâ vrgeat præsentiâ, ipse oculis inspiciat quæ facere opus sit, ipse manum admoueat, pascua porrigat, medicinam faciat saletur, denique occurrenti lupo vel leoni ipse primus aduersetur?*

Deus de manu pastorum requirit oues suas *Aduerte autem, vbi sit quæsiturum dicat Deus oues.* Ecce, *inquit*, ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum. *Audisne in manu pastorum quærendas esse oues illis commissas? quæ quomodo sint in manu eius inueniendæ, qui earum curam ad aliorum manus transtulit, non video. Insinuat ergo Deus in manu Prælatorum gregem esse debere, illorum manibus esse portandum, pro illis strenuè laborandum. Quòd si cum reperturus in manu pastoris oues venerit, loco earum non illas sed earum pecuniam, argentum aurum, vestes pretiosásque ab illis detractas, & tantùm non furto sublatas in eorum manibus inuenerit, quid dicturus est? quibus suppliciis affecturus tam nullam in pastore suo fidem? abiectam clarissimarum ouium salutem? & quod vix sine lacrymis dici queat, etiam in vnguibus, in ore, in faucibus tartarei leonis positas deprehenderit? In manu item requiret Deus oues suas, non sub pedibus. Neque enim oues, quod quidam faciunt, contemnenda, vel pedibus proterenda ac conculcanda sunt, sed tamquam pretiosum monile pro pectore, & ne quid illis aduersi contingat, in manibus gestanda sunt. Adhæc de manu pastorum requiret oues, quia videlicet sigillatim pastorum opera excutiet Deus, & explorabit omnia. Manus enim aptè opera indicant: nihil enim ita magis perdit gregem Dei, quàm pessima malorum operum pastoris exempla. Exquiret sanè Deus, an ob commodum suum peccata ouium dissimulauerit pastor, an ad pascua eduxerit, an morbosis medicinam fecerit, an furtim a lupis sublatas reduxerit ad caulas. Perpendant ergo Prælati, quàm horrendum sit incidere in manus Dei viuentis, qui tanto amore oues suas prosecutus est, vt non dubitauerit pro illis innumeros exantlare labores, & tandem acerbissimam ignominiosissimamq; mortem subire.*

Ante oues ire, propriû est pastoris. *Sexta denique & vltima pastori necessaria conditio est, vt, sicut superiùs versu 4. dictum est, cùm* proprias oues emiserit, ante eas vadat. *Ante oues enim ire, proprium est pastoris munus. Hoc autem nihil est aliud, quàm ouibus omnibus virtutum ornamenta præstare, omnibus verò vitiis carere, vt* S. GREGORIVS *ait Parte 1. Pastoralis c. 1.* Tantû debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris. *Quod et ipsum egregiè docet* S. CHRYSOSTOMVS *lib. 2. de Sacerdotio, sic scribens.* Quantâ inter se differentiâ, homines rationis vsum habentes, & bruta ratione carentia dissident, tantum sanè discrimen inter eum qui pascit, atque eos qui pascuntur esse velim.

VERS. 12. MERCENARIVS AVTEM, &c.] *Pulchrè nobis mercenarium describit* PETRVS *Abbas Cellensis lib. de Panibus cap. 16. qui habetur in Bibliothecâ Patrum, sic scribens:* Mercenarius est, qui Deo non pro Deo seruit. Mercenarius est, qui occasione, non veritate Christum annuntiat. Mercenarius est, qui quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi, quærit. Huius panis est sapientia carnis, seu commoditas temporalis. *Et posteà:* Heliab cognatus Moysi, mercenarium significat: in Numeris enim legitur: Rogauit Moyses hunc Heliab (Hobab) vt eos duceret per desertum, dicens: Veni nobiscum vt benefaciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israeli. Cumque ille respondisset: Non vadam, sed reuertar ad terram meam de quâ natus sum; Noli, inquit Moyses, relinquere nos: tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster: cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus quas Dominus daturus est nobis, dabimus tibi. *Mercenarius quis.* *Num. 10, 29.* *Mox subdit mercenariorum spiritualium plura genera, sic scribens:* Aspirant pleriq; ad Prælationem, non vt alios ducant, sed vt seducant; non vt viam ostendant, sed vt offendiculum ponant: hi malitiâ pleni sunt. Pleriqueque quidem ostendunt semitam, sed sedentes præmonent facienda, nihil tamen facientes: hos possidet pigra negligentia. Alij lucrû temporale tantummodò, neglectâ commissorum salute, in sublimatione culminis sui cupiunt: hos trahit auaritia. Alij bona docent, & aliquando honesta comparant, sed non benè, sed non castè, quia non pro Deo hoc faciunt, sed pro vanâ gloriâ.

Hisce non dissimilia habet S. GREGORIVS *Homil. 14 in Euangelia, dicens:* Non pastor sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oues Dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quærit: terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensâ ab hominibus reuerentiâ lætatur. *Et subdit:* Istæ sunt enim mercedes mercenarij, vt pro eo ipso quòd in regimine laborat, hîc quod quærit inueniat, vt ab hereditate Regis in posterum alienus existat. Vtrùm verò pastor sit an mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis desit. Tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis custodiam sicut venit pastor, sic etiam mercenarius stat: sed lupus veniens indicat, quo quisque animo super gregis custodiam stabat. Lupus etenim super oues venit, cùm quilibet iniustus & raptor, fideles quosque atq; humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur, & non erat, relinquit oues, & fugit: qui dum sibi periculum ab eo ingeri metuit, resistere eius iniustitiæ non præsumit. Fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium: fugit, quia iniustitiam vidit, & tacuit: fugit, quia se sub silentio abscondit. Quibus benè per Prophetam dicitur: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini. Ex aduerso quippe ascendere

dere est, quibuslibet potestatibus prauè agentibus, rationis liberâ voce contraire: & in die Domini pro domo Israel in prælio stamus, ac murum opponimus, si fideles innocentes contra peruersorum iniustitiam, ex iustitiæ auctoritate vindicamus. Quod quia mercenarius non facit, cùm venientem lupum viderit, fugit. Sed est alius lupus, qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat, malignus videlicet spiritus, qui caulas fidelium insidians circuit, & mortes animarum quærit. De quo lupo mox subditur: Et lupus rapit, & dispergit oues. Lupus venit, & mercenarius fugit, quia malignus spiritus mentes fidelium in tentatione dilaniat, & is qui locum pastoris tenet, curam sollicitudinis non habet. Animæ pereunt, & ipse de terrenis commodis lætatur. Lupus rapit & dispergit oues, cùm alium ad luxuriam pertrahit, alium ad auaritiam accendit, alium in superbiam erigit, alium per iracundiam diuidit: hunc inuidiâ stimulat, illum fallaciâ supplantat. Quasi ergo lupus gregem dissipat, cùm fidelium populum diabolus per tentationes necat. Sed contra hæc mercenarius nullo zelo accenditur, nullo feruore dilectionis excitatur: quia dum sola exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur. Vnde & mox adiungitur: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Sola enim causa est vt mercenarius fugiat, quia mercenarius est; ac si apertè diceretur, Stare in periculo ouium non potest, qui in eo quòd ouibus præest, non oues diligit, sed lucrum terrenum quærit. Dum enim honorem amplectitur, dum temporalibus commodis lætatur, opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat.

S. LVCÆ CAPVT X.

VERS. 1. POST hæc autem designauit Dominus & alios septuaginta: & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipse venturus.

GEOMETRA. Marci. 6, 7.

1. SED Lucas quidem hæc dicit de septuaginta, Marcus verò ait, quòd vocauit duodecim, & misit eos binos, & dabat illis potestatem spirituum immundorum. Illud autem, binos prædicare verbo voluntates Dei, videtur antiquum, ipsi Moysi & Aaroni vsitatum in eductione populi ex Ægypto. Eduxit enim Israelem Deus in manu Moysi & Aaron: & Iesus filius Naue, & Caleb filius Iephonæ, simul concordantes, populum à duodecim exploratoribus offensum placauerunt: & Eldad & Modad, vterque prophetarunt in tabernaculo consentientes: sed & posteà Paulus & Barnabas missi sunt ad Gentes, & exemplat tales erant consentientium duorum super terram. Adapta autem his illud, Frater qui adiuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. & illud: Duo meliores sunt vno. Illud autem, duodecim Apostolos binos & binos ordinatos esse, ostendit clarè Matthæus in catalogo, combinatos illos recensens. Quemadmodum enim agricola, iugum boum habens, terram colit: sic Dominus Apostolos misit combinatos, cum illis colens terram in veritate audientium atque credentium.

Bini mittebantur Apostoli. Num. 14, 6. Prou. 18, 19. Matt. 10, 21.

MACARIVS & BASILIVS in Asceticis.

2. Simul autem declarauit, quòd quantumuis sufficientes sint præpositi in spiritualibus gratijs, pulchrior tamen sit coëxercitatio, quæ charitate coagulata est, & proprij amoris elationisque passionem non patitur dominari.

ANNOTATIONES.

VERS. 1. SEPTVAGINTA.] *Numero videlicet rotundo, non habitâ ratione paruæ excessus. Nam Romana editio habet*, Septuaginta duo.

NVM. 1. Illud autem, binos, *&c.*] *Fere ijsdem verbis in Catenâ D. Thomæ adfertur nomine Origenis, cuius verba sunt hæc:* Quòd enim bini famularentur Dei verbo, antiquum esse videtur. Eduxit enim Deus Israel de Ægypto per manus Moysi & Aaron. Iosue quoque & Caleph concordantes pacauerunt prouocatum à duodecim exploratoribus, populum. *Nota autem, quòd sicut Moyses sui Principatus delegit duodecim velut Principes aut Patres duodecim tribuum Israel; deinde crescente populo & Principatu, ex singulis tribubus elegit sex, hoc est vniuersim septuaginta duos veluti populi senatores, ita & Christus cuique quasi tribui voluit suum Apostolum & sex discipulos dare. Vnde etiam patet sacerdotum discrimen in gradu & officio. Nam hi septuaginta non erant pares Apostolis, cùm ex ijs Matthias euectus fuerit ad Apostolatum, teste Clemente Alexandrino apud Eusebium lib. 1. Histor. cap. 14. Itaque Episcopi successerunt Apostolis, sacerdotes verò septuaginta discipulis. Ita Anacletus ep. 2. S. Hieron. ad Marcellam. Numerus autem iste mysticè fuit præsignatus in septuaginta duobus Consiliarijs Moysi, & Sanedrim, item in septuaginta duobus Interpretibus, vti etiam in septuaginta palmis iuxta duodecim fontes in Elim, Exod. 15, 27. & Num. 33. Quæ pulchrè Apostolis ac discipulis applicat* CYRILLVS *in Catenâ aureâ ad hunc locum.* In Numeris enim, *inquit*, scriptum est de filijs Israel quòd venerunt in Elim, quod interpretatur Ascensus, & erant ibi duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ. Conuolantes enim ad augmentum spirituale, reperiemus duodecim fontes, scilicet sacros Apostolos, à quibus haurimus salutis scientiam sicut à fontibus Saluatoris, & septuaginta palmas, hos scilicet qui nunc destinati sunt à Christo. Est enim palma arbor bonæ medullæ, benè radicata & fertilis, & semper nascens in aquis, alta simul, & frondes porrigens sursum, *&c.*

Per duodecim Principes tribuum Apostoli, & per 70. consiliarios discipuli Christi præsignati.

VERS. 2. Et dicebat illis: "Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.

" Matth. 9, 37.

CHRYSOSTOMVS.

3. DIC mihi qualis sit hæc messis, & cur doctrina illa sic appellata sit, cùm messis

Euangelii qualis messis sit, & cur sic dictum.

messis finis operum ac laborum existat. Vbi enim semen in terræ sulcos iniectum humorem imbiberit, quo deinde imbutum atque tumescens, vicinæ terræ adrepserit, ac vndequaque sese explicans profundas radices agens, paulatim sese exerendo ostenderit, ac sensim, cùm à sole tum à pluuiâ atque astris nutrimenta sumens, naturâ terræ acceperit incrementa, ac primùm quidem viridis herba extiterit, teneraque folia emiserit, spicam deinde immaturam protulerit, quæ ab aëre circumstante sensim aucta ac confirmata, in calamum aristasque excrescens, vberem fructum reddiderit; tum demum agricola falcem acuens manipulos colligit, fructumque decerpens domi recondit, ita vt messis totius agriculturæ laborisque finis esse intelligatur. Quomodo ergo (dic amabò) messem vocat, rebus tantùm prima exordia capientibus? Impietas enim vbique terrarum præualebat, & idola colebantur, eorumque altaria victimarum nidore ac fumo nigricabat. Inhonorabatur Christus, & profunda nox cuncta inuoluebat, atroxque tempestas, insani maris fluctibus cuncta submergens; immanes inquam spiritus hominum vitam infestabant, passiones, omnibus iam subuersis, tyrannicè dominabantur; vbique mollities & adulteria, vbique auarities & furta, bellaque ac cædes, terrâ marique sanguis, demergentium ac ibidem cædes patrantium. Bella erant continua, & pugnæ cædesque ciuiles; cædes inquam cædium omnium crudelissimæ: nam & infantes idolis immolabantur, nec naturæ ipsius aut cognationis ratio vlla habebatur. Vbique præcipitia, & scopuli, saxaque ac syrtes, nec vllus inter homines gubernator suppetebat, vel potiùs pauci admodum inter Iudæos superesant Rectores, sed qui illos audiret erat nemo. Quin & ipsimet dissidêtes sese inuicem perditum ibant, ac in mare præcipitabant. Omnia enim, vt ita dicam, quæ sub sole sunt dæmonibus litabant, atque illis impostoribus debacchantium ritu sacrificabant, & prouinciæ, & ciuitates, & eremi, & terra & mare, & Barbarus & Græcus, & montes & prata, & colles; sola gens Iudæorum, quæ pietatem colere videbatur, Prophetas habebat, atque exigua quædam diuinæ cognitionis semina, quæ & ipsa temporum iniurijs dispersa ferè effusaque erant. Magistri verò ac præceptores gentis illius acerbi erant peccatorum accusatores & iudices, tantumque aberant vt alios docerent atque ad pietatem manuducerent, quin & ipsis potiùs scandali occasionem præberent. quod indicans Propheta dixit: Per vos blasphematur nomen meum inter gentes. Quî igitur, mundo tot malis inuoluto, feminibusque nondum iactis, (vbique enim spinæ, tribulique, ac prauæ herbæ pullulabant) nondum agro perpurgato, aut aratro scisso, sulcisque nondum ductis, messis fit mentio? ac illam quidem amplam dicit. aut cur, inquam, rebus sic stantibus, Euangelium messem nominat? Erat autem illos vbique terrarum missurus, nouerat que fore vt percellerentur turbarenturque, excusationem prætexentes, atque intra se dicentes, fieri non posse vt pauci, ijque ignari atque illiterati, pauperes, ignoti, nudi, vnicam tantùm tunicam possidentes, calceis carentes, nõ zonam, non baculum, ne obolum quidem conferentes, rebus ita constitutis, vniuersum orbem peragrarêt, eumq; ab antiquâ consuetudine reuocarent, nouâq; subinferrent doctrinam, & peregrinam inducerent institutionem. [Quasi dicerent:] Quando spinas euulserimus? quando semina seuerimus? quãdo mentem intellectum q; eorum excoluerimus? quando reddarut sementum? Quis verò nos non discerpserit? quis nos nõ dederit præcipites? quis os nostrũ aperire, quis eloqui, quis consesserit coram tam multis comparere? Quomodo tyrannorum iras, seditiones plebis, Philosophorum acumina, Oratorum apparatum, tyrannicas anticipationes ac præceptiones, insolitarum robur consuetudinum, insidias dæmonum technasque dissoluere, animasque morbis innumeris correptas curare possimus? Quâ ratione nos qui numero sumus exiguo, vniuersum orbem instituere atque emendare valeamus? ignari doctos, nudi armatos, subditi Magistratus? qui vnicam tantum possidemus linguam, innumeris linguis & idiomatis loqui, cum barbaris & peregrinâ linguâ vtentibus congredi? Quis denique nos sustineat, quorum vocem nec intelligere nec audire valeat? Ne hæc atque his similia animo voluentes turbarentur, Euangelium appellauit messem. Quasi dicat: Omnia iam matura sunt, omnia præparata, ad expeditam vos mitto fructuum collectionem, vno eodemque die & serere poteritis & metere. Quare sicut agricola ad messem egrediens gaudet ac lætatur exultans, nullam laborum difficultatumque rationem habens, sed suli intentus lucro ad annui laboris fructum lætus accutrit, nec quidquam ipsum prohibet aut impedimento est, non futuri temporis incertitudo, non pluuiæ, non grandines, non calores, non denique infestus locustarum exercitus (iam enim ad messem expeditus nihil tale suspectum habet) quò minùs gaudens & exultans ad messis sese labores accingat. Sic & vos,

Ante prædicationem Euangelij, impietas tenebat principatũ.

Isa. 52, 5.

Nudi & indocti Apostoli mittuntur, vt orbem conuertant.

Spes fructus lenit molestiam laboris.

vos, inquit, ratione multò potiori, maximâ cum promptitudine ac voluptate, vniuersum terrarum orbem peragrare necesse est. Messis enim est præsens negotium, est inquam messis, quæ labores faciliores efficiat, & præparata vobis atque albicantia præbeat frumenta; verbis tantummodò non clamoribus opus est: commodate mihi linguam, & videbitis fructum maturum, qui ad cælestia horrea inducatur. Eapropter eos postcà mittens dixit, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Ipse enim erat qui difficilia reddebat facilia. quod ipsum etiam Propheta significauit, dicens: Quoniam ego præcedam ante faciem tuam, & montes complanabo. Hoc & Apostolis accidit.

Matth. 28, 20.

BASILIVS in Isaiæ cap. 1.

Messi rationali idoneis opus est ministris.

4. Hinc discimus, messem esse quamdam vsu præditam rationis, cui conficiundæ, opportunis opus sit & accommodis instrumentis; aratro, ad euellendas ab radice spinas; seminibus vitalibus, quæ animabus ratione præditis, per verbum sapientiæ inserantur; falce, quæ vim congregandi habeat, & adstrictiuam communionis. Tales enim sunt falces, siquidem in vnum cogunt dispersa, & in vnum eumdemq; manipulum spicas adstringunt. De hac itaque messe dictum est: Leuate oculos vestros, quia regiones albæ sunt. Nemo igitur bella promouens, idoneus est & accommodus messi huic. Quin etiam suos discipulos ad hanc conficiendam messem emisit, de quibus ait: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Itaque istiusmodi messoribus, quòd in cordibus suis nullum retineant conciendi belli instrumentum, potestatem dedit inserendi pacem domibus quas essent ingressuri.

Ioan. 4, 35.

Luc. 10, 2.

EVSEBIVS & THEOPHANES.

Septuaginta discipuli, quot et idem sunt nationes.

5. Septuaginta autem fecit discipulos, quot dicuntur in orbe esse nationes. Hoc & Moysis scriptum declarat, catalogum texens eorum qui post diluuium nati sunt ex filiis Noë, quibus oriundus tradit omnes illos septuaginta, qui veri totius vniuersi progenitores fuerunt.

Matth, 10, 16.

VERS. 3. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos.

CHRYSOSTOMVS in Matth.

Apostoli lupos in oues mutant.

6. HINC virtus Christi maximè patet, quòd lupi superentur ab ouibus: quæ cùm in medio luporum sint, & hinc atque illinc morsibus luporum lacerentur, non modò non deficiant, sed lupus in naturam ouium transmutetur. Maius certè atque admirabilius est, mentem atque animum aduersariorum commutare, quàm gladio ipsos superare.

GREGOR. NAZIANZENVS Orat. 19.

Prudentia cum simplicitate coniungenda.

7. Suadet autem, vt serpentis ad malum prudentiam, cum columbæ ad bonum simplicitate coniungentes, nec prudentiam in versutam improbitatem, nec simplicitatem in stoliditatem degenerare sinant; verùm ex ambabus vnam virtutis speciem efficiant, numeris omnibus absolutam.

ANNOTATIONES.

VERS. 3.

ECCE EGO MITTO VOS SICVT AGNOS IN MEDIO LVPORVM.] *Beda tomo 5. in hunc locum specialiter lupos vocat Scribas & Pharisæos, qui sunt clerici Iudæorum.* AMBROSIVS *autem tom. 5. l. 7. in Lucam,* Vel lupis, *inquit*, sunt hæretici comparandi. Lupi enim bestiæ sunt, quæ insidiantur ouilibus, & circa pastorales versantur casas. Habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam pastorum explorant: ouium guttur inuadunt vt citò strangulent, feri, rapaces, naturâ corporis rigidiores, vt se facilè non possint inflectere: impetu quodam suo feruntur, & ideò sæpè deluduntur. Si quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere: si autem homo priùs eos viderit, exagitari memorantur. Sic hæretici insidiantur ouilibus Christi, fremunt circa caulas nocturno tempore; semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi nebulis prauæ interpretationis obducunt: stabula tamen Christi intrare non audent, & ideò non sanantur, sicut curatus est ille in stabulo, qui incidit in latrones. Explorant pastoris absentiam, quia præsentibus pastoribus oues Christi incursare non possunt. Quadam etiam mentis intentione duri & rigidi, nequaquam solent à suo errore deflectere: quos Scripturæ verus interpres Christus illudit, vt in vanum suos effundant impetus, & nocere non possint. Qui si quem versutâ disputationis suæ circumscriptione præueniunt, faciunt obmutescere. Mutus est enim, qui verbum Dei non eadem quâ est gloriâ confitetur. Caue igitur ne tibi vocem tollat hæreticus, si prior eum non ipse deprehenderis, serpit enim, dum latet, eius perfidia: si autem commenta impietatis eius agnoueris, iacturam piæ vocis timere non poteris. Guttur inuadunt, vitalibus vulnus affigunt, dum animam petunt. *Hæc pulchrè Ambrosius.*

Scribæ & Pharisæi & hæretici lupis comparati.

VERS. 4. [a] Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta. [a] Marc. 6, 8

TITVS.

Apostolicis viris non cibo, sed verbi Dei cura incũbit.

8. PRAEDICIT autem illis persecutionem, vt sustineant cum tentatione coniuncta fœdera. Deinde, Ne portaueritis, inquit, sacculum, hoc est, ne oneretis argento humerum: sufficit enim vobis vt omnino nullam habeatis sermonis sollicitudine mentem. Neque in sacculo panis fiduciam habueritis; sed in eum, qui vos mittit, alimenti curam reiicite.

VERS. 4. Et neminem per viam salutaueritis. [b] 4. Regum 4, 29.

TITVS.

9. NE hoc colloquio incidente, fiat prædicationis impedimentum, & excusatio

ſatio tarditatis. Nullus vos itaque dæmonis dolus malus auellat.

GREGOR. NAZIANZENVS. *Prædicatores debent eſſe liberi à rebus temporalibus.*

10. Pauperes autem verbi præcones faciens, illis ſolam fidem dat comitem, nudis, ære deſtitutis, perá carentibus, excalceatis & egenis, myſterium noui Teſtamenti commeodans, ne quidem virgam in manibus habere permittens, aut affabiles eſſe; & hoc ad verbi gloriam, ne in iis plus poſſe blanditiæ, néve verbis alienis vacare viderentur.

ANNOTATIONES.

VERS. 4. ET neminé per viam ſalutaueritis.] *Nota, idipſũ 4. Reg. 4, 29. Eliſeum iuſſiſſe Giezi puero ſuo, dum miſit illum cum baculo, vt eiuſdem impoſitione mortuus puer matri viuus reſtitueretur.* Quod idcircò (*inquit* CYRILLVS *in aureá Catená*) vt recto tramite ad opus procederent, non alternantes benedictionibus benedictiones: damnum enim eſt, fruſtrà tempus expendere prædicationibus competens.

Officioſa & otioſa ſalutationes circumatoribus vitãda.

Non ergo (*in hunc locum inquit* AMBROSIVS) hîc Dominus prohibuit, quòd beneuolentiæ diſpliceret officium, ſed quòd perſequendæ deuotionis intentio plus placeret. *Pulchre moraliter S.* GREGORIVS *Hom. 17. in Euangel.* Omnis, *inquit*, qui ſalutat in viâ, ex occaſione ſalutat itineris, non ex ſtudio optandæ ſalutis. Qui igitur non amore æternæ patriæ, ſed præmiorum ambitu ſalutem audientibus prędicat, quaſi in itinere ſalutat, quia ex occaſione, & non ex intentione ſalutem audientibus exoptat.

VERS. 5. In quamcumque domum intraueritis, primùm dicite: Pax huic domui.

CHRYSOSTOMVS.

11. NIHIL paci par eſt aut æquale, quapropter & nos vbiq; pacem poſcimus: in Eccleſiis, in precationibus, in Supplicationibus, in pręfationibus ac denuntiationibus, ſemel, iterum, tertioq; ac ſæpiùs eamdem Prælatus Eccleſiæ impertitur, dicens, Pax vobis.

Quid ſignificet pacis dictio.

Et quare illud? quia videlicet ipſa bonorum omnium mater exiſtit, atque gaudij argumentum. Quamobrem etiam Chriſtus Apoſtolis externorum domos intrantibus, inſtar ſymboli bonorum proferre pacis verbum iuſſit. Intrantes, enim inquit, in domos, dicite, Pax vobis. illâ ſiquidem abſente, vana ſunt omnia. Sed & Chriſtus diſcipulis dixit, Pacem relinquo vobis, eam charitati coniungeos. Nec Eccleſiæ Prælatus ſimpliciter dicit Pax vobis, ſed, Pax omnibus.

Pax ad omnes habenda.

Quid enim profuerit ſi cum vno quidem pacem habeas, cum alio vero bellum & diſſenſionem? Nam ne corpori quidem quibuſdam elementis aut humoribus quieſcentibus ac recte conſtitutis, aliis verò diſſidentibus ac malè affectis, ſua ſanitas conſtare poteſt vmquam; ſed omnium rectâ conſtitutione ac conſenſione paceque opus eſt: & niſi omnia quieſcant, ſuiſque ſeſe limitibus contineant, ſubuertuntur vniuerſa. Et in mente noſtrâ niſi omnes conquieſcãt cogitationes, pax non erit. Tantum autem bonum pax eſt, vt pacifici, paciſque conciliatores, filij Dei appellentur.

Pacifici dicuntur filij Dei.

Nec immeritò, quandoquidem & ipſe Dei Filius in hoc venerit vt pacificet quæ ſunt in cælo & in terrâ. Quòd ſi itaq; pacificatores ſint filij Dei, innouatores filij ſũt diaboli, cùm Chriſti corpus diuellant & diſtrahant, magis ipſis militibus qui illud lanceis cõciderunt, vel Iudæis qui id clauis confixerunt: quod malum hoc minus eſt, quòd membra illa diſcerpta iterùm coaluerint, hęc verò diſtracta niſi hic coaleſcant, non ampliùs coaleſcent, ſed à toto corpore maneant ſegregata. Quando igitur cum fratre pugnare volueris, cogita te dimicare cum membris Chriſti, adeoque furorẽ cohibe, quandoquidem intrans in Eccleſiam Prælatus coofeſtim dicat, Pax omnibus. Sic etiam cùm benedicit, cùm oſculari iubet, cùm ſacrificium cõſummatum eſt, cùm impertit benedictionem, iterùm Gratia, inquit, vobis & pax. Quomodo igitur non abſurdum ſit, eos qui toties pacem habere iubentur, pugnare inter ſeſe ac diſſidere? qui [inquam] pacem ab inuicem accipientes viciſſim ac reddentes, pacis largitori aduerſamur? Pacem ſpiritui tuo optas, & illam eiicis. Eheu! quæ ſunt ſolemnia Eccleſiæ [& diſtinctiua ſigna] vmbræ tantùm ſactæ ſunt rerum, & non veritas. Proh dolor! verbis tenus ſolum manent ſymbola exercitus huius, & hoc ipſũ ignoratur, quare pax omnibus dicatur. Propterea verò ignoramus, quia tantùm verborum quamdam eſſe formulam arbitramur, nec ipſam mente reponimus.

Non perſona, ſed eſſe dignitas in ſacerdote ſpectãda.

Non enim ego pacem do, ſed ille qui per nos loqui dignatur Chriſtus. Tametſi igitur aliis temporibus vacui gratiâ ſimus, ſed non modò, idque propter vos. Si enim in quibuſdam operata eſt, & quidem [non] in vanum, gratiâ Dei per diſpenſationem in Iſraelitarum vtilitatem, manifeſtum eſt, quòd nec in nobis operari renuet, ſed eumdem per vos effectum conſequetur. Nemo itaque prætexat me vilem eſſe & nullius pretij hominẽ; ſum etenim talis. Sed ſolet plerumque Deus etiam huiuſcemodi hominibus aſſiſtere propter multos. Quod vt intelligas, Caino loqui dignatus eſt propter Abel, diabolo propter Iobum, Pharaoni propter Ioſephum, Nabuchodonoſori propter Danielem, Baltaſſari propter eumdem. Quin & Magi reuelationem acceperunt, & Caiphas, tametſi Chriſticida eſſet, adeoque indignus, prophetauit propter ſacerdotij dignitatem, propter quam & Aaron à leprâ præſeruatus dicitur. Nam dic, amabò, cauſam, cur vtriſque obloquen-

loquentibus sola Maria tabe corripitur, nec illud admiraris. Si enim in foro externo de Magistratu aliquis, tametsi de pluribus sceleribus accusetur, ad iudicium minimè rapitur, nisi anteà deposuerit Magistratum, ne ipsimet dignitati quam gessit opprobrio existat: multò magis in spiritualibus per aliquem qui spiritalem gerat Magistratum, gratia Dei operatur, cùm eam ipse contemnat & perdat. Verùm vbi deposuerit dignitaté, vel in hac vel in futurâ vitâ eò grauiora luet supplicia. Non hęc propter nos dicta arbitremini. Christi gratia est quę etiam in indignis operatur: non dico propter nos, sed propter vos. Audite quid Christus dicat. Si domus, inquit (id est inhabitatores eius) digna fuerit, veniat super eam pax vestra. Quomodo autem digna fiat? Si, inquit, vos susceperint. Sin verò non audiuerint sermones vestros, tolerabilius erit Sodomæ quàm ciuitati isti. Quid igitur profuerit, si nos quidem susceperitis, verbis verò nostris aures obstruxeritis? quid, inquam, lucri id vobis adferat, cùm dictis nostris curari debeatis? Hæc est gloria nostra, & admirabilis curatio, quæ & nobis prosit & vobis. Audi Paulum dicentem: Nesciebam, fratres, quia Princeps est sacerdotum. & Christus de Pharisæis, Omnia, inquit, quæ dixerint vobis custodite & facite. Non me contemnis, sed sacerdotium: quando illo me videris exutum, tunc despice, tum nec ego sustineo mandare. Donec verò in throno considemus, donec primum consessum obtinemus, & dignitatem & potestatem; tametsi indigni illis simus, ne despexeris. Si enim Moysis cathedra tantâ fuerit in veneratione habenda, vti audiuisti, multò magis Christi thronus: illum enim & nos conscendimus, de illo verba facimus, de quo & ipse Christus. Nobis ille reconciliationis imposuit administrationem. Legati, quales illi cumque sint, maximo sunt in honore habendi propter ipsam legationis dignitatem. Vide vt per mediam transeant barbarorum regionem, soli inter hostes tot ac tantos. Cùm itaque legationis lex ac status tantum valeat, vt ipsos honore simul afficiat ac securitate; nos quoque legem legationis suscipimus, & ad Deum accedimus: diuina siquidem Episcopatus est dignitas. Ad vos venimus legatione fungentes, & orantes vt bellum dissoluatur, dicimusque, Pax vobis. Quibus autem de rebus legationem instituimus ad vos? Non vt ciuitates donentur ijs pro quibus intercedimus, aut certa frumenti modia, non mancipia, non aurum; sed regnum cælorum, vita æterna, Christi coniunctus & coniunctio, ceteraque bona, quibus ne explicandis quidem sufficimus. Dum in hac carne versamur, honorari cupimus, non propter nos, absit, (nouimus enim imperfectum nostrum) sed propter vos, vt vobis prosimus; ne negligenter ijs quæ dicuntur attendatis. Nónne videtis legatos quomodo illis cuncta circumfluant? Nos Dei ad homines legati sumus. Quòd autem tamquam legati petimus hoc, non nos, sed ipsemet Episcopatus postulat. Non hic vel ille, sed Episcopus. Nemo me, sed ipsam dignitatem attendat.

Christi gratia etiā per indignos ministros operatur.

Act. 23, 5.
Matth. 23, 2.

VERS. 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos reuertetur.

12. NON enim fortè dubitis appellationé, sed vos quidem præferetis verbum, res auté pacis requiescet vbi dignum fuerit; sin secùs, ad vos reuertetur: non enim temerè proijcitur, sed meo iudicio mittitur. Si quis autem non sit dignus, non estis delusi, nec verborum vestrorum gratia perijt, sed ad vos reuertitur. Quoniam verò non estis constituti iudices eorum qui sunt digni vel indigni, edite & bibite quæ vobis ab illis proponuntur. Dimittite autem mihi eorum qui vos recipiunt examen: nisi vobis quoque sit notum nó esse ibi filium pacis, tunc enim fortassis retrocedere debetis. Quamdiu autem illud ignoratis, edite & bibite quæ apud illos sunt, & ego eorum iudex ero. TITVS.

Bona prædicatio numquam est infructuosa.

VERS. 7. In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quę apud illos sunt: "dignus est enim operarius mercede suâ. Nolite transire de domo in domum.

"Matth. 10, 10.
Deut. 24, 14.
1. Tim. 5, 18.

13. QVANDOQVIDEM verò omnium ipsis rerum possessionem addixerat, consequenter omnia quoque ipsis ad victum necessaria abundanter adfutura declarat, subiungendo: Dignus est operarius mercede suâ. Vel secundùm Matthæum, cibo suo. Hoc autem dixit, iubens in solo cibo seu victu necessario communicare cum illis, qui eum parati essent suppeditare. Tantum verò vt secum cibi asportarent concessit, quantum satis sit homini diurno labore sibi victum comparanti, ita vt non licuerit illis vllam pro beneficijs mercedé exigere, sed pro Euangelij prædicatione atque opere, proque corporis labore, qui in tantis ad quæ mittebantur itineribus erat exantlandus, solum victum necessarium accipere: & ne in illo quidem cum quibuslibet communicare, aut à suppeditare volentibus eum temerè acceptare, sed eos tantùm qui digni essent, eius sumptione honorare. quibus insuper maxi- EVSEBIVS

Matth. 10, 10.

Apostoli solo victu necessario contenti.

mam pro victu neceſſario reddere præcepit retributionem, pacem annunciando, ac Deum illis conciliando.

VERS. 8 Et in quamcumque ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis:

9. & curate infirmos, qui in illâ ſunt, & dicite illis: Appropinquauit in vos regnum Dei.

10. In quamcumque autem ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite:

Act. 13. 51. 11. *Etiam puluerem, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtrâ, extergimus in vos: tamen hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei.

GEOMETRA. 14. PECCATORVM ſiquidē veſtrorum puluis meritò ad vos reuertitur. Simpliciùs verò vult puluerem excuti, vel vt hac ratione oſtendant ſe nihil ab illis accepiſſe, vel in teſtimonium longi itineris propter illos emenſi. Obſerua autem, ciuitates illas quæ nec Apoſtolos nec ſalutarem illorum doctrinam ſuſceperunt, latas habuiſſe plateas, ſecundùm illud: Lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt qui intrant per eam.

Cur puluerem excuſſerint Apoſtoli. — Matth. 7. 13.

TITVS. 15. Appropinquauit vobis, ſicut Iudicis præſentia furibus & maleficis. Non enim proderit vobis hæc excuſatio: Non dimiſimus eos vt iudices; ſed ſicut diſcipuli ac miniſtri legiſlatoris.

VERS. 12. Dico vobis, quia Sodomis in die illâ remiſſiùs erit, quàm illi ciuitati.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 16. SI, inquit, iniurioſa ſit in vos ciuitas, prima quidem eius punitio erit, quòd pace non perfruetur; quæ non ſalutatio alicuius eſt, ſed benedictio. Secunda verò, quòd Sodomorum ſuſtinebit ſupplicia, quin imò grauiora; quandoquidem ad Sodomitas Apoſtoli non ſint miſſi. Quare cùm vos Apoſtolos non ſuſcipitis, peiores illis eſtis.

Apoſtolos repellentiū ſupplicia.

ANNOTATIONES.

NVM. 16 SODOMORVM ſuſtinebit ſupplicia, &c.] *Quæritur hic, quomodo id verum ſit, cùm Sodomia grauiſſimum ſit peccatum contra naturam, & clamans in cælum? Ad quod reſpondeo cum Chryſoſtomo hic, Sodomiam quidem inter grauiſſima eſſe, ſed in ſpecie libidinis, ſiue contra legem naturalem continentia tantum; hi autem longè grauiùs peccabant peccato infidelitatis, inobedientiæ, inhoſpitalitatis, & contumaciæ ac rebellionis in Deum, contra legem naturalem ac diuinam poſitiuam, & contra gratiam eis tam clarè ac li-beral iter oblatam, & miraculis confirmatam. Ita etiam Theophylactus ac Beda in hunc locum.*

Quantum ſit peccatū Apoſtolos & concionatores non ſuſcipere.

VERS. 13. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quia factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere, ſedentes pœniterent. *Matth. 11. 21.*

14. Verumtamen Tyro & Sidoni remiſſiùs erit in iudicio quàm vobis.

17. LOCA illa Iudæorum erant, Tyrus verò & Sidon Græcorum. Indicat autem Dominus, quòd ſi in Gentibus virtutes tales, id eſt ſigna facta eſſent, faciliùs illi credidiſſent. TITVS.

18. Metum autem incutit dicendo, grauiora incredulos Iudæos, quàm Tyrios atque Sodomitas expectare ſupplicia: ita vt ipſos vbique incitet partim vt miſeros lugendo, partim etiam terrendo. Hæc autem etiam nos audiamus. Non enim infidelibus ſolùm, ſed nobis etiam grauiorem pœnam quàm Sodomitis conſtituit; niſi aduenas & peregrinos ad nos venientes ſuſceperimus, eum etiam puluerem excutere iuſſerit. CHRYSOSTOMVS in Matth. cap. 11.

Qui peregrinos repellunt quâ pœnâ digni ſint.

VERS. 15. Et tu Capharnaum vſque ad cælum exaltata, vſque ad infernum demergêris.

19 CVM autem plurima ſigna feciſſet Chriſtus in Capharnaum, vel potiùs quòd eum incolam habuiſſet, videbatur ſuper alias ciuitates exaltata, ſed propter incredulitatem cecidit in ruinam execrandam, ita vt honori anteà ſuſcepto proportionatum iudicium ſuſtinuerit. IDEM.

VERS. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autē me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. *Matth. 10. 40. Ioã. 13. 20.*

20. HAEC quidem ſufficiebant ad eos, qui ipſos curaturi erant, ſuſcipiendos inducere: attamen & aliam quoque mercedem proponit, quæ æqualis ſit ac ſi Patrem & Filium ſuſciperent. CHRYSOSTOMVS in Matth. c. 10.

VERS. 17. Reuerſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo.

18. Et ait illis: Videbam ſatanam ſicut fulgur de cælo cadentem.

21. CERTE, inquit, non ego hoc ignoraui: CYRILLVS. nam meo fauore armati ſatanam ſuperaſtis. Vidi ipſum tamquam fulgur de cælo cadentem: hoc eſt, à celſitudine ad terram

Nam Christo exorto dæmonum prosternitur. rem vsque deiectum, ex honore ad ignominiam, ex magnâ potentiâ ad extremam infirmitatem, idque verissimum est. Nam ante aduentum Saluatoris diuino affectus honore ab omnibus adorabatur, vbique habebat templa, altaria, sacrificia: postquam verò è cælo descendit Verbum Dei, cecidit ipse sicut fulgur. Qui enim omnes deceptos, habebat adoratores, eorum qui eum adorabant pedibus subijcitur.

Infra. Ezech. 28, 15. De hoc & Ezechiel lamentando dicit: Tu signaculum similitudinis in paradiso Dei fuisti. Et paulo pòst: Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. Non extrinsecus inducta, sed nata est in te malitia, & per peccatum tuum vulneratus es, & in terram proieci te.

ANNOTATIONES.

NVM. 21 POST *illud Ezechielis* 28, 15. Signaculum similitudinis, *apud Theodoretum additur* πλήρης σοφίας, *& apud S. Hieronymum* plenus sapientiâ. *In Septuaginta legitur* καὶ στέφανος κάλλους, & corona decoris: *& pro,* ἐν τῷ παραδείσῳ, *habetur* ἐν τῇ τρυφῇ τοῦ παραδείσου, in delicijs paradisi, *& pro,* ἄχρις οὗ εὑρέθη ἀδικία ἐν σοί, *in Septuag. est,* ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας σὺ ἐκτίσθης, ἕως εὑρέθη τὰ ἀδικήματα ἐν σοί, à die quâ creatus es, donec inuentæ sunt iniquitates in te. *Pro* ἄμωμος *Aquila habet* τέλειος perfectus: *& pro* διὰ τῆς ἁμαρτίας σου ἐτραυματίσθης, *in Septuaginta legitur,* καὶ ἥμαρτες καὶ ἐτραυματίσθης. *Id est, loco eius,* Propter *vel* per peccatum tuum vulneratus es. *habetur,* Et peccasti, & vulneratus es.

Nota autem, Cyrillum hic sub initium, vti & Nazianzenum Oratione 4. de Theologiâ, & Homiliâ Quod Deus non sit auctor malorum, cum quibusdam alijs putare, apud S. Lucam hoc loco agi de casu Luciferi, quo de cælo scilicet aëreo, aut gloriâ & potestate suâ per Christi incarnationem excidit. Sed hoc magis mysticum videtur quam litterale. Nam ad litteram agit de primo casu Luciferi. Ita Cyprianus lib. de Ieiunio Christi, cum S. Hieronymo in hunc locũ, & alijs. Imò S. Cyrillus sub finem, locum Ezechielis, qui de primo casu Luciferi agit, adferens, priorem sensum satis ostendit tantùm esse mysticum, vt verus sensus litteralis sit, quasi dicat, Non rem nouam adfertis mihi; iam enim olim videbam satanam coram me, & à me cælo deiici. Cauete igitur ne in superbiam elati cadatis vt Lucifer.

GREGOR. NAZIANZENVS. 22. Ille idem hic quidem dicitur tamquam fulgur de cælo cadere, propter antiquum splendorem suum: apud Isaiam verò dicitur instar serpentis fugere, propter abiectionem & vilitatem eius posteram, quâ humi repit.

ATHANASIVS in Passionem. 23. Ideò Dominus illusit serpenti, & infernus deuastatus est, profligatoque mortis imperio omnes resurgunt: neque iam deinceps diabolus aduersus nos insurgit. Cecidit enim, & planè iam super pectore & ventre prouoluitur: resurrexit enim Dominus, & homines didicerunt aspernari diuitias cor-

Diabolus honore & diuitijs priuatus est. porales, quippe qui verbo & scientiâ ditescant. Ille autẽ draco qui se diuitem gloriabatur, denudatus est, & iam pauper omnia sua spolia amisit. Qui cum olim medius inter Cherubinos versabatur, omnique lapide pretioso redimitus, sardio, iaspide, achate fulgebat, nunc in papyro & arundine & ruderibus dormit, vt in Iob de eo refertur.

24. Ab Isaiâ dæmonium potestas, quippe tenebris cognata, vespertilio appellatur. Est enim vespertilio animal nocturnæ caliginis appetens, versans in tenebris, solis splendorem non ferens, in desertis locis libenter conuersatur. Sic & dæmones, nempe vastitatis opifices, veram lucem auersantur. Vespertilio & volatile animal est, nec tamen pennis præteruolat, sed membranulâ carneâ per aërem volaturit. Istiusmodi sunt & dæmones: incorporei quidem sunt, sed nullo Dei desiderio alati volant; ast materialium rerum affixi desiderijs, eis intabescentes carnis instar concretionis obdurnerunt. *BASILIVS in Isa. c. 2. Dæmon vespertilioni comparatur.*

Vespertilio animalculum est & volatile, & quadrupes: pedum alioqui firmitate non satis tutò fulcitur, & infirmi est volatûs. Eiusmodi sunt & dæmones: neque enim Angeli, neque homines sunt; illorum siquidem dignitatem perdiderunt, neque hominum naturam consecuti sunt. Dentes habet vespertilio, non item alites aliæ. Dæmones etiam expetendæ vindictæ appetentiores sunt, quod non faciunt Angeli. Vespertilio etiam nequaquam aliarum auium ritu gignit oua, sed animalcula parit viua ipso partus initio. Tales sunt & dæmones. Actutùm & quàm ocyssimè malignas suas operationes perficiunt.

VERS. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.

25. IN terrâ siquidem sunt mala: reptilis enim fera serpens, rependo supra pectus & ventrem graditur, terram comedit, & nullâ re cælesti vescens, sed humi reptans, ad id semper aspicit quod calcatur, obseruans calcaneum gressus hominis, ac venenum immittens illis qui amiserunt potestatem calcandi super serpentes & scorpiones: eorum iam non ampliùs clanculùm calcaneum obseruat, vt eius fert condemnatio, sed palàm insurgit & caput extollit, quòd condemnatum est vt conculcetur. *GREGOR. NYSSENVS in Eccles. Serpentis indoles.*

Et hac de causâ quæ est ex voluptate affectio serpens nominatur à Scripturâ, cuius hæc est natura, vt si caput subeat muri compagem, vniuersus qui ponè est tractus

 simul

Voluptas & peccatum serpenti comparantur.

simul ingrediatur. Eiusmodi est quod dico. Facit natura, vt sit hominibus necessaria habitatio: sed per hunc vsum voluptas subiens per animæ compagem, conuertit vsum in quamdam immoderatam & sumptuosam ornamentorum magnificentiam, & traduxit studium ad quædam vineta, & piscinas, & hortos. Tandem serpens adrepit voluptas: posteà autem superbia in verticem assurgit, arrogantiaque & fastu circumuoluitur, in contribules ambiens & sibi vindicans imperium. Post hæc secum attrahit pecuniæ cupiditatem, quam necessariò sequitur intemperantia, quæ est pars vltima, & caudæ instar istius feritatis quæ est ex voluptate. Sed quomodo non potest serpens attrahi ab extremâ parte spinæ dorsi, nempe à caudà, cum squamæ naturaliter resistant ijs qui attrahunt: ita non licet ab vltimo incipere expellere ex animâ vlcus voluptatis, nisi malo primum ingressum intercluseris.

Initia vitiorum obseruanda & cauenda.

Quamobrem caput eius obseruari iubet Præceptor virtutis, initium vitij caput nominans: quo non admisso, id quod restat, est irritum & inefficax. Qui enim est omnino hostili & infesto animo aduersus voluptatem, non subijcietur singularibus vitij insultibus. Qui autem vitij initium admisit, totam in se simul admisit feram.

VERS. 20. *Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subijciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.*

CHRYSOSTOMVS in Actoru cap. 19. Hom. 41.

26. OMNINO autem formidarunt dæmones, & timuerunt sanctos illos. At forsitan quis cupiat in hac esse potestate, ne possint dæmones contrà ipsum obtinere, & beatos dicat sanctos illos quòd tantam habuerint potestatem. Sed audiat Christum dicentem: Nolite gaudere quòd dæmonia vobis subijciuntur, quoniam sciebat, omnes homines in hoc maxime velle gloriâ gaudere. Si enim Deo placere quæris, & quod communiter prodest appetis, hæc aliâ maior est via. Non est ita magnum, à dæmone liberari, vt eripi à peccato. Dæmon non prohibet regnum cælorum assequi, sed cooperatur vel inuitus (cooperatur autem, faciens habentem se continentiorem;) peccatum autem eijcit. Ab hoc itaque seipsum aut proximum liberare, maioris beneficij est.

Maius est, peccatum expellere quàm dæmonem.

BASILIVS in Isaiam.

27. Verè beatus ille qui scriptus est in libro isto: ille siquidem liber viuentium est, in quo scribuntur nomina discipulorum Christi. Quidam autem sunt qui scribuntur quidem non in vitâ, tamen secundùm Ieremiam defuncti scribuntur, vt iuxta illud duplex quædam descriptio intelligatur, horum quidem ad vitam, illorum verò ad perditionem. Sed & sæpe hæc scriptura motatur, quando videlicet aut à virtute in peccatum delabimur, aut vicissim à peccato ad virtutem conuertimur. Quòd enim dicitur, Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur, vt & illud, dele me de libro tuo: intelligitur de his qui iam digni habiti sunt in libro Dei conscribi.

Liber vitæ & mortis.

Psal 68, 29

ANNOTATIONES.

VERE beatus ille qui scriptus est in libro isto, &c.] *Nota hic, scribi in cælis, idem esse quod scribi in libro vitæ. Liber autem vitæ, est distincta Dei præscientia ac prædestinatio, seu memoria in quâ quasi in libro sigillatim scripti sunt omnes destinati & electi ad vitam æternam. Sicuti autem duplex est præscientia & prædestinatio, ita duplex est liber vitæ. Primus completus, quo absolutè ab æterno descripti sunt electi ad gloriam; hic infallibilis est & immutabilis. Secundus est inchoatus, quo quis describitur secundùm præsentem iustitiam & Dei destinationem, etiamsi postea suâ culpâ inde excidat & reprobetur. Sic Apostolus ad Philippenses 4. salutat fideles quorum nomina sunt scripta in libro vitæ. Nec enim aliud vult dicere, quam quod ad Ephesios 2. dicit:* Vos estis ciues Sanctorum, & domestici Dei. *Sic etiam orat Ecclesia in Collectâ Quadragesimæ, quæ tribuitur S. Augustino,* vt omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat. *Sic etiam hoc loco Lucæ accipitur. Nam non velle Christum hic Apostolos certos facere de suâ electione ad gloriam, colligitur ex eo, quod Versu 18. metum damnationis eis iniciat, dicens,* Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem.

NVM. 27. *Quid sit liber vitæ, & quotuplex.*

MAXIMVS

28. SVBLIMIVS autem Dominus significat, quòd non sufficiat animæ ad lætitiam spiritualem, subiectio passionum, nisi etiam virtutes possideat impletione mandatorum. Nolite, enim inquit, gaudere quod vobis dæmonia subijciantur, id est opera passionum; sed quià nomina vestra scripta sunt in cælis, per gratiam virtutum, quâ & in filios Dei adoptamur, & in locum passionis expertem transcribimur.

IDEM.

29. Beatus igitur qui serpentes & scorpiones calcare potest, hoc est, qui principium & finem peccati penitus delet.

GREGORIVS NYSSENVS.

30. Hinnulus ceruorum secundùm vocem cantici angues naturæ suæ proprietate absumit, cui Apostolos comparat dicens: Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones.

BASILIVS in Psal. 28.

31. Cùm omnia venenum eiaculantia, iniquis & aduersis virtutibus comparentur; necessarium est, vt si quando audiamus nomen cerui in diuinis libris, id verbi in optimam trahamus similitudinem. Quemadmodum sanè & aquila dicitur sancta, quòd arrecto incedat ac sublimi animo, & à terrâ longiùs

Animalia quo sensu sancta dicantur.

longiùs distante. Sicut & ouis, quia mansueta, ac sua dispertit in commune; aries, quòd ceteris prælit; & columba propter innocentiam dicuntur sancta: ita & ceruus, quòd improbitati & nequitiæ aduersetur.

Matth. 11. 25. VER. 21. "In ipsâ horâ exultauit Spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.

CYRILLVS 32. EXVLTAVIT in Spiritu sancto, hoc est in beneficijs & virtutibus Spiritus sancti, Benè sciens à se missos plurimis profuisse, & præ ceteris ipsâ experientiâ gloriam eius cognouisse, animus eius lætitia implebatur. Erat enim exultandum, quoniam bonus, hominumque amantissimus Deus, omnes saluari volens, errantium conuersionem exultationis gaudijque occasionem fecerat.

EIVSDEM. *Verbum Confiteor quid significet in Scripturâ.* 33. Illud autem, Confiteor tibi Pater, dicit more hominum, pro, Gratiam agnosco, quare laudo te, gratias ago tibi. Solet enim diuinitus inspirata Scriptura confessionis nomen secundùm talem aliquem modum
Psal. 98. 3. sumere. Scriptum est enim: Confiteantur Domine nomini tuo magno. & iterùm:
Psal. 9. 2. Confitebor tibi Domine in toto corde meo. Verùm ecce, inquiunt qui peruersâ sunt mente, obsequium defert Patri, quomodo ergo non illo minor est? Ad hoc respondent aliquis qui rectè sentit, idipsum pro veritatis doctrinâ facere. Quid enim prohibet, ô viri optimi, eiusdem essentiæ Filium, Patrem suum & suscipere & laudare viuentem, per quem existunt vniuersa quæ sub cælo sunt? Ne autem existimetis ipsum propter confessionem minorem esse Patre, ecce quod sequitur. Dominum enim cæli & terræ vocat Patrem: ipse autem cùm omnino sit Filius Dei totius vniuersi Domini, quomodo Pater sine ipso sit vniuerso dominetur, & super omnia sit? Non itaque tamquam minor, erat alterius naturæ, sed tamquam Deus ex Deo æquali gloriâ coronatus, & per omnia ipsi essentialiter æqualis.

ANNOTATIONES.

NVM. 33. *Quomodo & a quibus sapientibus Deus sua mysteria absconderit.* CONFITEOR tibi Pater.] *Pro* εὐχαριστῶ, *id est* gratias ago. *Ita etiam Chrysostomus Hom. 39. in Matthæum:* Ἐξομολογοῦμαί σοι ἐνταῦθα τὸ εὐχαριστῶ, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν. Confiteor tibi, *inquit*, hîc est Gratias ago, quia abscondisti hæc à sapientibus & intelligentibus. *Vbi illud explicans interrogat:* Quid igitur? Num in perditione lætatur, & in eo quòd hæc ipsi non didicerint? Nequaquam. Sed illa optima salutis via, vt qui respuunt, ac nolunt suscipere quæ dicuntur, non cogantur: vt cùm per vocationem non sint redditi meliores, sed exciderint, eamque contempserint, eiectis [saltem] eius desiderium incidat. Sic enim & qui audiebant, futuri erant diligentiores: quibus quidem ista reuelata esse gaudio dignum est, quòd autem ab alijs abscondita sint, non lætitiâ sed lacrymis dignissimum erat: quod vtique facit dum deflet ciuitatem. Non igitur idcircò gaudet, sed quia videlicet illa quæ sapientes non cognouerint, cognouerint isti. Sicut quando Paulus ait: Gratias ago Deo meo *Rom. 6. 17*
quoniam fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in quam traditi estis formam doctrinæ. Non ergo Paulus idcircò gaudet quòd fuissent serui peccati, sed cùm fuissent eiuscemodi, à peccatis liberati sunt. *Pulchrè autem* BEDA *in hunc locum* Gratias igitur, *inquit*, agit quòd Apostolis quasi paruulis aduentus sui aperuit Sacramenta, quæ ignorauerunt Scribæ & Pharisæi, qui sibi sapientes videntur, & in conspectu suo prudentes. *Nam vt bene* THEOPHYLACTVS *hic*, Ipsi quidem apparebant intelligentes ac sapientes, sed non erant. Abscondita igitur sunt mysteria ab his qui putant se esse sapientes & intelligentes, sed minimè sunt. Nam si essent, eis reuelata fuissent. *Vnde (inquit* BEDA *suprà citatus)* sapientibus & prudentibus non insipientes & hebetes, sed paruulos, id est humiles opposuit, vt probaret se tumorem damnare, non acumen.

34. Cùm autem Filius sit, & Deum habeat Patrem, cuius ipse est propria soboles, simul tamen Dominum vocat Patrem, dicens, Dominus creauit me: non quia seruus, sed quia serui speciem assumpserat. Alioqui par erat, qui erat Verbum ex Patre, vt Deum Patrem suum appellaret. Ceterùm, ita cùm venisset ad opus Patris absoluendum, & speciem serui accepisset, conueniens erat vt Patrem suum Dominum vocaret. eamque differentiam ipse docuit, cum pulcherrimâ interpunctione dicens, Confiteor tibi Pater; deinde, Domine cæli & terræ. Vbi illum & Patrem suum dixit, & rerum creatarum Dominum; vt liquidò constaret, eum idcircò quòd creaturam induisset, Patrem suum Dominum appellare. Quin & in oratione Dauidis eamdem differentiam Spiritus sanctus demonstrat, dum inquit: Da imperium tuum puero tuo, & saluum fac filium ancillæ tuæ. Alius siquidem est naturalis & verus Filius Dei, alij autem filij ancillæ, in quibus consistit mortalis naturæ ratio: ideoque ille quidem habet, vt Filius, paternam fortitudinem, isti contrà salutis indigi sunt. Meritò igitur, quia nos serui, cùm talis effectus erat quales nos eramus, Dominum Patrem appellat: atque id studio humani generis ita fecit, quò nobis ex naturâ seruis, vbi suscepissemus Spiritum filij, fiducia esset eum qui naturalis Dominus noster erat, Patrem ex gratiâ nominare. Ceterùm quemadmodum nos, cùm Dominum nostrum Patrem vocamus, non inficiamur nostram naturalem

ATHANASIVS *Contra Arianos Serm. 3.*

Psal. 85. 6. *Christus assumpsit formam serui, vt nobis communicaret conditionem filij.*

 serui-

seruitutem; (quippe qui eius opera simus; ipse enim fecit nos,& non ipsi nos;) ita cùm Filius,serui specie susceptâ, has voces edit, Dominus creauit me; inficiari non debent Diuinitatis in illo æternitatem, aut eum in principio Verbum fuisse,omniaque per eum orta esse,& in ipso vniuersa creata esse. Illud autem, Dominus creauit me, non substantiam Verbi,sed humanitatẽ declarat. Nam cùm ait, eum ad opera creatum esse; in eo videtur non substantiam eius voluisse significare,sed illius circa opera dispensationem, quæ existentiâ posterior est. Quæ enim fiunt & conduntur, primariò essendi existendique causâ in rerum naturam proueniunt,secundariò deinde vt aliquid faciant quod verbum præceperit. Adam enim creatus est, non primùm vt operaretur, sed vt homo existeret: posteà autem mandatum operandi accepit. Et Noë creatus est, non ob arcam;nec Moyses vt teneret imperium. Eadem ratione hoc quoque intelligendum est. Vides enim eum creari non vt esset in rerum naturâ; in principio enim erat Verbum; sed ad opera mitti, & ad eorum dispensationem destinari, quia ad hoc ipso opus erat. Et per Isaiam Prophetam simile quiddam ostendere cupiens, in hæc verba erupit: Et nunc ita dicit Dominus, qui formauit me ex vtero seruum sibi, vt congregem Iacob [& Israel ad eum.] Et in Psalmis: Cõstituisti eum super opera manuum tuarum. non super ea quæ nondum erant, sed quæ iam erant & emendatione indigebant. Nam illud verbum Creauit,nec non illud,Formauit & Constituit,cùm sint eiusdem intellectûs, non initium ortûs ipsius, aut creabilem eius substantiam denotant; sed nostram ex eius beneficio renouationẽ. Ac veluti si filius seruis per suimet negligentiam amissis, & apud hostem detentis, necessariò illuc à patre mittitur vt eos suâ manu assertos, ad patrem reducat,isque in eo itinere seruili schemate se induat, cultuque se dissimulet,ne ipso agnito, plagiarij fugam capessant; atque ita prohibeatur, quò minùs ad eos descendat qui in locis subterraneis suppressi conduntur;atque si tum ab eo quæras, cur eâ specie & habitu vti voluisset, isque responderet, patrem suum se ita deformasse, & adornasse ad opera sua: non ille quidem ex suis verbis intelligi vellet se seruum aut opus esse, aut tum primùm natalem initiumque sui habuisse,sed hæc omnia suscepisse, quò Patris mandata commodiùs impleret. Eodem modo Dominus noster indutus humanâ carne,& habitu inuentus vt homo,si interrogaretur ab iis qui cum admiratione eius habitum cultumque viderent, probè responderit: Dominus creauit me initium viarum suarum,ad opera sua.

Quis sẽsus loci illius. Dominus creauit me.

Ioan. 1, 1.

Isa. 49, 5.

Psal. 8, 7.

35. Euangelium Marcionis, Gratias ago tibi,habet,Domine cæli; non autem,Et terræ,neque, Pater. Refutatur autem ex eo quòd infrà habeat,Certè Pater. Gratias itaque egit Domino cæli, etsi supprimas, Terræ,& tollas, Pater, ô Marcion, ne Patrem ipsius demonstres, Christo eum nominante conditorem. Manent siquidem viua veritatis membra. Nam cùm tamquam in reliquiario per obliuionem reliqueris illâ verba,Certè Pater,manifestum est,Dominum proprio Patri gratias agere,ipsumque cæli & terræ Dominum appellare; magnaque tui veritatis viam non considerantis insania est.

IDEM.

36. Hinc autẽ intelliges, quomodo sapientes,docti & in oculis suis prudentes Pharisæi,Dei iustitiam ignorantes,& suam volentes constituere, Dei iustitiæ non sint subiecti; vti nec Græcorum sapientes: non enim erant digni, ob mentis tumorem. Paruuli autem, & ob inscitiam infantes, magnum illud & supereminens bonum cognouerunt præ sapientibus,quibus, quòd sibi sapere viderentur, tumor inerat. Simplicitati verò humilitas, & ad pietatem promptitudo; cùm paruulos dicat edoctos à Verbo, & per Spiritum sanctum mysteriorum reuelatione honoratos.

ANEPIGRAPHVS.

Rom. 10, 3

Regnum Dei cur absconditũ sapiẽtibus, & reuelatũ paruulis.

37. Diuina enim lex cupit quidem nos esse perfectos, sed per ascensum & progressionem ad perfectionem contendere: primumq; lac bibere, sicut modò geniti infantes, quo ad salutem crescamus. Illud quoque his quæ dico consentire reperio: Nolite pueri effici sensibus, sed malitiâ paruuli estote, sensibus autem perfecti estote. Fieri enim nequit, vt ij qui non abstergunt malitiam, & infantes adhuc sunt propter inscitiam, sensibus perfecti fiant, aut in virum perfectum vno quasi volatu euadant.

BASILIVS.

Sensim ad perfectionẽ venitur.

1. Cor. 14, 20.

38. Infantes nos ac paruulos Verbum appellat,qui sapientibus qui sunt in mundo, aptiores sumus ad salutem: qui sapientes seipsos existimantes, superbiâ inflati sunt. Propterea quæ absconsa sunt à sapientibus & intelligentibus huius quod nunc est sæculi,reuelata sunt infantibus.

CLEMENS Pædag. l. 1. cap. 6.

VERS. 21. Etiam Pater: quoniam sic placuit ante te.

39. HOc est, Sic tibi placuit. Deinde, quoniam dixit, Confiteor tibi Pater, quoniam reuelasti ea paruulis, ne putaretur hac reuelandi potestate ipse Christus esse priuatus,ideò sic gratias agit, & conuersus ad discipulos dixit:

CHRYSOSTOMVS in Matth.

VERS. 22.

Vers. 22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

Athanasius in hanc sententiam.

40. Non intelligentes istud sectatores hæreseos Arianæ, Eusebius ceterique eius gregarij, impie in Dominum agût. Aiunt enim, Si omnia illi tradita sunt, (sub hac voce, Omnia, imperium naturæ intelligentes) fuit igitur quando non habebat hęc omnia: si autem non habebat, non est ex Patre: si enim ex Patre fuisset, habuisset hęc omnia, vtpote qui ex Patre esset minime indigus vt illa acciperet. At ex illo ipso dicto multò magis illorum insania refutabitur. Non enim dominatus in res creatas, aut imperium naturæ, istis vocibus innuitur; sed significatio nonnulla dispensationis denotatur. Si enim cùm hæc diceret, tum illi ista tradita fuissent, nulla tum temporis per Verbum creatio esse potuisset. vbi ergo illud de Verbo dictum, Omnia in eo cõstituta sunt? Sin autem eodem tempore quo creabantur, data sunt illi omnia, non opus fuit traditione, siquidem omnia per eum facta sunt: & superfluum erat tradi illa domino quorum ipse opifex erat, quippe qui inter creandum ea in suâ potestate ac dominio retinebat. Quòd si post creationem tradita sunt illi, vide (quæso) rei absurditatem. Si enim tradita sunt, Paterque gubernaculis decessit quò Filius rerum imperium acciperet, in periculum venimus, ne in quorumdam fabulas præcipitemur: nimirum eum qui tradidit, à traditione imperio defunctũ esse. Aut si habente Filio, habet & Pater, non opportuna fuit hæc formula verborum, Tradita mihi sunt omnia: sed dicendum erat, Assumptus sum vt socius & particeps, sicut à Paulo Siluanus in societatem receptus fuit. Ceterùm illud multò magis absurdum. Non enim indigus est Deus, neque per necessitatem assumpsit Filium in opitulatorem, sed quia Pater Verbi est, ideò omnia per eum facit, & non tradit illi res creatas, sed per eum & in eo res creatas procurat; adeò vt ne passerculus quidem sine Patre in terram cadat, neque herba suo cultu induatur citra Deum, & operante Patre operatur & Filius vsque in præsens. Quapropter impiorum sententia vana & futilis est. Neque enim vt sentiunt, res ita se habet; sed sub iis verbis dispensatio rerum per carnem gerendarum significatur. Postquam enim peccarat, & lapsus erat homo, eiusque lapsu, perturbatis omnibus, mors inualuerat ab Adam vsque ad Moysen, terraque execrationi data erat, infernus apertus, paradisus clausus, cælum infensum, & tandem corrupto & interempto homine insiluerat diabolus contra nos; tum demum Deus hominum amator, nolens perire hominem, ad suam imaginem conditum, in hæc verba locutus est: Quem emittam? & quis proficiscetur? Omnibus obticentibus, locutus est Filius: Ecce ego, mitte me. Tunc illi respondit Pater: Vade, dedítque illi hominem, vt ipsum Verbum caro fieret, carnemque assumptam in omnibus instauraret. Tradita enim sunt illi vt medico, qui sanaret morsum serpentis; & vt vitæ, quò excitaret mortuum; & vt luci, quò illuminaret tenebras; & vt rationi, quò redintegraret vim rationalem. Postquam igitur tradita illi sunt omnia, & factus est homo, correcta sunt omnia & perfecta: terra pro maledictione benedictionem obtinuit, paradisus reseratus est, infernus se metu contraxit, monumenta aperta sunt resurgentibus mortuis, portæ cæli eleuatæ sunt, vt intraret ille ex Edom. Ceterùm quâ ratione sibi omnia tradita essent, indicare volens Saluator ipse, vt Matthæus ait, subintulit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Datum enim est mihi, vt fatigatos reficiam, & mortuos viuificem. Consentit cum istis etiam illud dictum Ioannis, Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius. Dedit enim, vt quemadmodum per eum facta sunt, ita in eo omnia refici possent. Non enim vt ex paupere diues fieret, neque vt qui non haberet potestatem acciperet, assumpsit omnia; absit: sed quò omnia, vtpote Saluator, instauraret. Debebat enim exordium creaturæ per eum fieri, vt esse posset; & instaurationem in eo fieri, vt corrigeretur.

Hæc verba, omnia mihi tradita sunt, quem sensum habeant.

Ioan. 1, 3.

Decretum incarnationis Christi

Matth. 11, 28.

Ioan. 3, 35.

ANNOTATIONES.

Svper illud v. 22. Omnia mihi tradita svnt a patre meo.] *Fusè hic disputat Athanasius, contra Arrianos, qui inde volebant inferre, Christum vel Verbum aliquando illa non habuisse: quos ibidem pulchrè refutat, & eorum argumenta retorquet. Sensus itaque illius sententiæ est*, Omnia *scilicet quæ Patris sunt, nempe diuina eius natura ac potestas, vt vult Hilarius in Matthæi cap. 11. Vel potiùs* omnia, *id est omnium rerum, sed præsertim hominum, potestas, gubernatio ac dispensatio mihi data est vt Filio Dei per æternam generationem, & vti homini per hypostaticam vnionem.* Beda *autem ad hunc locum:* Dicit omnia sibi tradita, non mundi elementa, sed hi quibus paruulis spiritu sacramenta fidei Pater reuelauit, & de quorum salute cùm hîc loqueretur exultauit. Nvm. 40

Quo sensu Christo omnia tradita sint à Patre.

41. His verbis, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, non dissimilia sunt hæc, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. Atque propterea datur illi omnis potestas, vt pacificet per crucem suam, & quæ Geometra.

Matth. 28, 18.

Christo tradita sunt omnia, quia ipse traditus pro omnibus.

in terrâ sunt, & quæ in cælo. Nondum tamen omnia pacificauit, vt manifestum fit ex eo quod adhuc à malitiâ existit bello; sed posteà futura est omnino perfecta pax. Iure autem meritissimo omnia tradidit illi Pater, quandoquidem & ipse Filius traditus sit
1.Ioã.2,2. pro omnibus, qui est saluator omnium sæculorum, maximè fidelium, & propitiatio est pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. Est autem traditus in quantum factus est
Phil.2,10. homo, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Amē.

VERS. 22. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 11. Hom. 39. Matth. 11, 27.

42. QVID, inquit, miramini, si omniū ego sum Dominus, qui & aliud quid multò maius possideo, quòd Patrem nouerim, quòd eiusdem cum eo substantiæ sim? Id enim occultiùs significatur ex eo quòd sic solum se nouisse Patrem dicat. Quando enim ait, Nemo cognoscit Patrem nisi Filius, non hoc dicit quasi omnes Deū ignorent, sed quòd non cognoscatur ab alio eâ cognitione quâ ipse cognoscit. Quod pariter de Filio quoque dicendum est: non enim de ignoto quodam Deo, cuius nulla vmquam habita sit cognitio, hæc dicit, vt Marcion asserit, sed exquisitam perfectamque cognitionem hîc intelligit.

Quo sensu nemo cognoscat Patrem nisi Filius.

ANNOTATIONES.

NVM. 42. AD v. 22. NEMO SCIT QVIS SIT FILIVS, NISI PATER, *& contrà.*] Benè notat hîc S. Chrysostomus tantùm: Christum ibi loqui de quidditatiuâ cognitione, non autem de imperfectâ, qualem & homines de Deo habent. Nota autem, τὸ *nisi* non excludere Spiritum sanctum: nam regula Theologica est, particulas exclusiuas additas vni personæ in essentialibus attributis, alias personas non excludere, sed tantùm creaturas, ceu id quod est alterius essentiæ.

ATHANASIVS.

43. Solus nouit Filius quis sit Pater, cùm in Patre existat, & in se habeat Patrem, vtpote ipsius imago: & consequenter omnia quæ sunt Patris, in eo tamquam in imagine existunt. Sigillum enim est eiusdem figuræ, in se Patrem ostendens. Sermo viuus, verus, & nemo cognoscit Patrem nisi Filius. Quomodo igitur impij ista audeant garrire, cùm & homines sint, & quæ in terrâ sunt nequeant explicare? Sed quid dico quæ in terrâ sunt? imò quæ in ipsis sunt nobis exponant, videantque num satis exploratè inuestigare queant suam ipsorum naturam. Audaces profectò & proterui sunt, qui eam non tremunt gloriam, in quam Angeli proni inclinatique aspicere desiderant, cùm illis longè & naturâ & ordine sint sublimiores. Quid enim Cherubinis & Seraphinis propinquius? illi hanc maiestatem non obtuentur, aut se in pedibus erectos tenent, sed illis, vti & faciebus, obuelatis, gloriam maiestatemque Dei numquam cessantibus labijs extollunt, nihil aliud quàm diuinam ineffabilemque naturam triplici sanctitatis titulo glorificantes. Neque vllus sanctorum Prophetarum nobis nuntiauit, Angelos illos prima vice exclamando Sanctus, maximè voce vsos esse, secundâ vice non æque magnâ, tertiâ denique adhuc submissiori: & primam quidem sanctificationem propriam esse atque legitimam, secundam autem inferioris notæ, tertiamque adhuc deterioris. Apage, valeat exsecrabilium hominū dementia. Vndecumque enim laudabilis, Trinitas, vna est, & indiuisibilis, atque figurâ exprimi nescia. Componitur autem incommixtè, sicut & vnitas diuiditur indiuisè. Hoc ipso enim quo amplissima ista animantia tertiò Sanctus proferunt, tres perfectas personas ostendunt; sicuti & dicendo Dominus, vnam declarant substantiam. Qui igitur vnigenitum Dei Filium diminuunt, in Deum blasphemant, de eius perfectione peruersè sentientes, eumque inabsolutum criminantur, maximæque se pœnæ reos constituunt. Qui enim in vllam personarum blasphemat, neque in hoc sæculo habebit remissionem, neque in futuro.

Dei maiestas.

VERS. 23. Et conuersus ad discipulos suos, dixit: "Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. "Matth. 13, 16.

24. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.

CHRYSOSTOMVS in Ioan.

44. VERVM omnes amici Dei Christum etiam ante incarnationem cognouerunt: & Patriarcham eius aduentum præuidisse, ipse Christus nominatim testatur: Quoniam Abraham diem meum vidit, & gauisus est. Et de Dauid, Iudæos arguens, inquit: Quomodo Dauid in spiritu Dominum ipsum vocat? Petrus autem omnes Prophetas à Samuele eum cognouisse, & eius aduentum multò antè prædixisse, testatur. Abrahamo autem, Isaaco & Iacobo, & apparuit, & locutus est. Quomodo ergo dicit quòd multi Prophetæ cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt? Numquid non fuerunt eius cognitionis participes? Fuerunt sanè; quod ex hoc ipso dicto, ex quo nonnulli

Ioan. 8, 56.
Matth. 22, 43.

nulli eâ cognitione Prophetas priuatos fuisse arbitrati sunt, conabor facere manifestum. Multi, inquit, cupierunt videre quæ vos videtis. Nouerunt ergo ipsum ad homines venturum, & quæ fecit facturum. Nisi enim nouissent, nullum eius videndi desiderium habuissent. Nemo enim quod ignorat, cupere potest. *Ignoti nulla cupido.* Nouerunt igitur Dei Filium, ipsumque ad humanum genus descensurum. Sed quænam sunt, quæ neque viderunt, neque audiuerunt? Ea quæ nunc vos & videtis & auditis: siquidem & vocem illius audierunt, & ipsum viderunt, non tamen in carne, neque cum hominibus conuersantem, neque cum ipsis tam familiariter libereque loquentem. Quod significauit, cùm non simpliciter dixit, Cupierunt videre me. sed quid? quæ vos videtis: neque Audite me. sed quid? quæ vos auditis. Itaque licet non ipsius aduentum in carne viderint, nouerant tamen ipsum futurum, quem cupiebant, & in quem credebant, & non videntes ipsum in carne, vti nec Abraham vidit corâm diem meum, & gauisus est. Insuper & multi Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt. Illi enim non viderunt neque audiuerunt, sicuti vos ipsam eius carnem & ipsa signa ante oculos videtis.

Matth. 22, 35. Marc. 12, 28. VERS. 25. "Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, & dicens: Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?

Cyrillus 45. VERVM incitat me rursum cacoëthes in sermonem legisperiti. Poterat enim dicere, Quid faciendo saluabor, vel placebo Deo, & mercedem ab ipso recipiā? Sed hoc omittit, & potiùs vsus est vocibus ipsius Saluatoris, vt eum risui haberet. Cum enim omnium Saluator solitus esset his, qui ad illum frequentes accedebant, loqui de vitâ æternâ, Legisperitus, quasi vnus ex ijs fuisset, vsus est eius verbis. At si verè discendi cupidus fuisses, ô Legisperite, audiuisses ab ipso quæ ad vitam conducunt æternam: sed quoniam maleuolè tentas, nihil aliud audies nisi quæ per Moysen edita sunt.

VERS. 26. At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis?

Deut. 6, 5 27. Ille respondens dixit: " Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ: & proximum tuum sicut teipsum.

28. Dixitque illi: Rectè respondisti: hoc fac & viues.

46. QVIS sermo condignè dona Dei explicare possit, quæ tam sunt multa, vt numero comprehendi nequeant, tamque magna & talia, vt vnum illorum abondè nos queat datori ad omnem gratiarū actionem debitores constituere. *Basilius in Regulis fusius disputatis.* Reliqua transibo, quæ etiamsi in seipsis magnitudine & gratiâ sunt eximia, à maioribus tamen velut à solis radijs stellæ obscurata, de gratiâ suâ nonnihil amittunt. Neque enim vacat, vt potiora relinquentes, ex minoribus benefactoris bonitatem metiamur. *Beneficiorū Dei non est numerus.* Omittimus igitur solis ortus, lunæ periodos, temperiem aëris, anni tempestatū vicissitudines, aquam cùm ex nubibus tum ex terrâ, ipsum mare, vniuersam terram, & quæ ex terrâ nascuntur, quæque in aquis, quæ in aëre degunt, innumeram animantium differentiam, & quæcumque ad vitæ nostræ sustentationem ordinata sunt. Illud verò transire ne volentibus quidem possibile est, & eam gratiam obticere omnino non potest, qui sanâ mente & ratione saltem præditus fuerit, multò minùs condignè de illâ loqui: quod videlicet cùm Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam fecisset, suique cognitione donauisset, & ratione præter omnia animalia honorasset, & in paradisi venustate inimitabili deliciari præbuisset, omniumque terum terrestrium principem constituisset, post ista, serpentis fraude circumuentum, & peccato factum obnoxium, perque peccatum morti, & quæ mortem consequuntur, non tamen despexit, sed primùm lege muniuit, Angelorum illi custodiam & præsidium deputauit, Prophetas misit, qui & de malitiâ illum reprehenderent, & virtutem docerent: malitiæ motus additis comminationibus amputauit; alacritatem ad ea quæ bona sunt, per promissa excitauit, & vtriusque viæ finem in varijs sæpenumerò personis, ad aliorum admonitionem, præoccupando monstrauit; & in istis ac consimilibus omnibus, adhuc inobedientiæ immorantes, non est auersatus. Neque enim bonitate Domini destituti sumus. Neque dilectionem suam erga nos abscidit, licet nullo bonorum istorum sensu præditi, in benefactorem contumeliosi fuerimus: sed reuocati sumus ex morte, & denuò ab ipso Domino nostro Iesu Christo viuificati, in quo & modus diuinæ beneficentiæ plus habet admirationis. Cum enim in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, *Phil. 2, 6.* sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: & languores nostros ipse tulit, & *Isa. 53, 4.* dolores

dolores nostros ipse portauit, & vulneratus est propter ioiquitates nostras, vt liuore illius sanaremur. Gal. 3, 13. Et redemit nos de maledicto, factus pro nobis maledictum. Et ignominiosissimam mortem sustinuit, vt nos ad gloriosam viram reduceret. Nec suffecit nos mortuos viuificasse, sed & Diuinitatis largitus est dignitarem, æternamque parauit recreationem, omnem humanum intellectum lætitiæ magnirudioe superantem. Adeò autem bonus est, vt nihil exigat retributionis, sed saris habeat, si saltem diligatur pro his quæ largitus est. Quæ omnia quoties mente reuoluo (vt id quod mihi accidit edicam) in horrorem quemdam & mentis excessum incido: metuens ne quo pacto per aoimi socordiam & negligentiam, aut occupationem circa res vanas, ex charitate Dei delapsus, probrum Christo adferam. Qui enim nobis iam imponens, & animas nostras perdendi causâ impetens, & probri studio inuadens, mundanis nos illecebris in beoefactoris obliuionem ioducere conatur; olim oostram coram Deo negligentiam traducet, & de oostrà defectione gloriabitur, quòd videlicet, cùm nos ipse oeque creauerit, neque pro nobis mortem subierit, spretis tamen contemptisque Dei præceptis, sibi habuerit obsequentes. Hoc opprobrium, illaque inimici iactantia, ipsis inferni pœnis mihi intolerabiliora videntur: nos inquam aduersatio Christi materiam extitisse iactantiæ, & occasionē insultandi illi qui pro oobis mortuus est & resurrexit; cui etiam vel hanc ob causam ampliùs, sicut sctiptum est, debitores sumus.

BASILIVS in Psal. 44. 47. Non est cuiusuis àd charitatis vsque prouehi perfectionem, & dilectum posse cognoscere, sed eius qui veterem hominem exutus, indutus est oouum. *Amor Dei liberum ab amore creaturarum animum requirit.* Qui enim amat pecuniam, & circa corruptibilem corporum pulchritudinem occupatur, & præsentem gloriolam nimis magni æstimat, potentiâ amandi io ea quæ non conueniebat insumptâ, ad istius verissimè dilecti contemplationem omnioò cæcutit. Ideò dicitur, Diliges Dominum Deum tuum ex totâ animâ tuâ. Hoc autem, Ex torâ, diuisionem in aliâ nullam admittit. Quantum enim dilectionis in hæc inferiora insumpseris, tantum oecessariò de toto demis: ideoque pauci ex omnibus amici Dei appellati sunt, sicut Moyses & Ioannes; quia viri perfecti est, verè dilectum nosse.

IDEM in Isaiam. 48. Impossibile est autem, ex toto corde amare, & particulam eius aliquam ad aliud applicare. Quemadmodum enim è poculo, liquore aliquo repleto, quantum foras effluit, tantumdem de plenirudine discedere necesse est; sic & anima quantum amore euacuata fuerit circa illa quæ non conuenit, tantum necesse est, vt amoris erga Deum indiga sit.

49. Sed quid sibi vult illud, Diliges Deum ex toto corde, & animâ, & meote tuâ? MAXIMVS Potentiarum animæ, alia quidem est nutritiua & auctrix, alia verò imaginatiua & impultrix, alia denique intellectiua. *Tres animæ potentiæ Deo consecrandæ.* Ac prioris quidem solius vegetantia, vt stirpes; secuodæ verò bruta animantia; tertiæ verò, simul & ambarum priorum, homines sunt participes. Ac priores quidem duæ potentiæ corruptioni obnoxiæ, tertia expers corruptionis & immortalis ostenditur. Cùm igitur homo secundùm nutritiuam auctricemque poteotiam stirpibus ac plantis, secundùm phantasticam ac impultricem brutis, secundùm rationem verò intellectiuamque virtutem ipsis Angelis communicet; poscitur ab illo vt omnes virtutes sibi coocessas pro virili suâ in Dei concitet dilectionem: maxime autem tertiam amoris diuini lex exigit, vt sedet in nobis triplicem illam ad res mundanas inclinationem & propensionem, ad diuitias nempe, honores, ac voluptates; in quibus & ipse Christus tentatus fuit. Hæc eoim reliquorum sunt capita & origines vitiorum, & reliquis passionibus tenaciùs adhærent. Infinitorum siquidem malorum causæ existunt. Nam ventris seruitus, diuitiarumque iosana cupiditas, ac vanæ studium gloriæ, tres sunt diaboli execrabiles filiæ.

50. Nihil enim ita naturæ nostræ pro- BASILIVS in Reg. fusius disputatis, Interrog. 3. prium est, vt mutuam ioter oos habere consuetudinem, & mutuâ operá indigere, & quod cognatuoi est diligere. Quorum igitur nobis Dominus semina prior iodidit, horum competenter & fructus repetit, dicens: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. Ioan. 13, 34. Et vt ad mandati huius implerionem animas nostras excitaret, demonstrationis loco, qoò ipsius discipuli esse ooscamur, non miracula exegit, & potrenta faciendi virtutem, *Dilectionis proximi obligatio.* (quamquam & horum in Spiritu sancto largitus est operationem:) sed in hoc, inquit, cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilexeritis inuicem, sicut ego dilexi vos. Ibidem. Vicissim autē eum qui proximum diligat, dilectionē quoque erga Deum adimplere, vtpote qui eius io se gratiā receperit. Propterea & Moyses, fidelis Dooiini seruus, Exod. 32, 32. tantam erga fratres charitatem ostendit, vt & deleri voluerit ex libro Dei, in quem erat conscriptus, nisi peccatum populo remissum fuisset, Paulus verò anathema fieri à Christo Rom. 9, 3. pro fratribus suis cognatis secundùm carnem petere ausus est, seque ipsum pro omnium salute redemprionis pretium ad imitationem Domini offerre voluit, cùm tamen sciret, impossibile esse vt à Deo abalienetur,

qui

qui propter ipsius dilectionem, gratiam Dei, vt maximum illius seruet mandatum, amittere non dubitat, & quod huius rei gratiâ multò quàm dederit plura sit recepturus. Attamen ad hanc vsque dilectionis erga proximum mensuram Sanctos peruenisse, satis ex iam dictis liquet.

CYRILLVS 53. Verùm Legisperito quæ in lege sancita sunt recitanti, qui omnia probe nouit Christus, eius malitiam & peruersam reprehendens scientiam, increpando respondit: Hoc fac, & viues. Aberrauitq; Legisperitus [vt dicunt] à ianuâ, atque deceptionis retia confracta sunt, ita vt meritò de ipso illud Ieremiæ dici possit: Venabatur, & captus est.

ANNOTATIONES.

NVM. 49 *AD Vers. 27.* DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE TVO. &c.] *Nota contra hæreticos, cuiuis homini possibile esse hoc præceptum. Non enim hîc præcipitur totus vel summus amor Dei extẽsiuè aut intensiuè (licet S. Patres Num 46. 47. 48. &c. locis citatis id vrgere videantur, qui ad idmeritò omnes incitãt, & summa proponunt, vt impetrent media:) sed tantum comparatiuè, finaliter scilicet, & appretiatiuè.* Toto corde *videlicet, ita vt nullam partem amoris tui des idolo, aut rei cuipiam contrariæ. Secundò, vt velis generatim Deum esse finem omnium tuarum actionum, cogitationum & amorum, Deumque vt summum bonum & finem vltimum rebus omnibus præferas, ac consequenter vt totum cor, id est voluntatem, applices ad omnia eius præcepta totaliter adimplenda, eique per omnia obediẽdum. Omisit autem Christus præceptum dilectionis sui ipsius, quia hoc omnibus est insitũ & naturale, vt si habeas charitatẽ, illam primò in te exerceas.*

Quomodo debeamus Deum diligere ex toto corde

NVM 49 *Nota, huic loco Maximi omnino similem Nysseno tribui in Catenâ aureâ, cuius hæc sunt verba:* In tria autem quædam animæ vis discernitur. Hæc enim est augmentatiua solùm & nutritiua, quæ etiam in plantis reperitur. Alia est quæ sensualiter disponitur, quæ saluatur in naturâ irrationalium animalium. Perfecta autem vis animæ est rationalis, quæ in naturâ humanâ conspicitur. Dicendo ergo cor, substantiam corporalem significauit, scilicet nutritiuam: dicendo verò animam, mediocrem, id est, sensitiuam: dicendo verò mentem, altiorem naturam, id est intellectiuam & consideratiuam potentiam.

NVM. 50 *Ad Vers. 27.* ET PROXIMVM TVVM SICVT TEIPSVM.] *Vbi nota, Christum non dicere* æquè ac teipsum, *quia ordo charitatis habet vt magis nos quàm proximum diligamus; sed* sicut, *id est similí modo & proportionaliter, vt videlicet, sicut quisque bonum ac sibi benè fieri cupit, nec volet sibi malum & malè fieri, ita & faciat proximo suo. sic enim explicatur Matthæi 7, 12. vnde S. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 7. exponit* Id sicut, *id est, eo modo quo te diligis, scilicet sanctè, iustè, & verè.*

Quomodo proximus diligendus.

VERS. 29. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?

ISIDORVS L. 4. ep. 113. 52. QVIS verò est, inquit Legisperitus, quis est proximus meus? Proximum ille duntaxat esse putabat iustum iusto, sublimem sublimi, quoad virtutem inquam: non enim substantiâ, quæ vna eademque est, proximum æstimabat; sed aut dignitatibus, aut actionibus. Quamobrem etiam volens seipsum iustificare, hoc est iustum demonstrare, quàm sublimis videlicet esset secundùm virtutem, aut magnus, quòd esset Magister, ait: Ecquis est meus proximus? quasi diceret: Ostende mihi aliquem qui tam sit magnus. Saluator autem, tamquam is qui hominem fecisset (pusillum enim & magnum ipse fecit) non actionibus neque dignitatibus, sed naturâ definiuit proximum. Quare illum maximè arbitrare proximum, qui tui maximè indigeat, & sponte tuâ ad auxilium ei ferendum accede.

Proximus est omnis.

Sap. 6, 8

ANNOTATIONES.

SVb finem: Illum maximè arbitrare proximum, qui tui maximè indigeat.] *Ita etiam Theophylactus in hunc locum, & passim Patres. Sed hic nonnullus fortè posset obiicere versum 37. tamquam huic* proximi *acceptioni non satis consentientem, eò quòd sibi dicatur proximus* ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος, *id est* qui fecit misericordiam. *vnde inferunt, proximum esse qui benefacit, non autem qui indiget. Ita Sacerdos & Leuita non erant proximi Samaritano, nec consequenter hostes nostri hoc sensu nobis erunt proximi. Verùm respondeo, istam Legisperiti responsionem quadrare suæ interrogationi,* Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuisse. *quasi dicat Christus, Quis tibi videtur hic se gessisse vt proximum, vel functus est officio proximi, ita vt æstimarit illum hominem miserum, & ex inimicâ gente, proximum suum? nam hæc correlatiua sunt, teste S. Augustino. Proximus enim proximi est proximus. Quare, vt rectè* S. AVGVSTINVS *de Verbis Domini,* Christus illi ex vno designat exemplum quod imitaretur, non speculando in lege, sed opere faciendo. *Maximè autem voluit eum docere, non amicum, non Iudæum, vt volebant Scribæ, sed omnes omnino homines, & maximè miseros, atque etiam inimicos, habendos esse proximos. Et hic vnus est sensus ac scopus huius parabolæ.* NVM. 52

Quis nobis proximus æstimandus sit.

VERS. 30. Suscipiens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.

31. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eâdem viâ: & viso illo præteriuit.

32. Similiter & Leuita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit.

33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordiâ motus est.

34. Et

34. Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit.

35. Et alterâ die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcumque supererogaueris, ego cùm rediero reddam tibi.

36. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?

37. At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

ASTERIVS 53. SALVATOR quidem noster sic propriam dilexit creaturam, non tantùm sicut seipsum, sed etiam magis quàm se. Nobis verò quod minus est præcepit, vt videlicet proximum diligeremus sicut nosipsos, hyperbolem aufferens, ne nimis graue nobis ac difficile redderet præceptum. Vt autem Dominus charitatis legem exemplo aliquo faceret clariorem, misericordiæ quoddam opus illustre, quod tunc temporis forte cótigerat, in medium adducit atque ob oculos ponit, Legisperitum docens, illum esse nobis proximum, qui in carne hac passibili constitutus auxilio indiget & commiseratione. Quod autem contigerat, erat tale: *Parabola Samaritani explicatio.* Quidam iter agens descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones: à quibus ablatis iis quæ habebat, exutus etiam vestimentis, ac vulneribus confossus, iam morti appropinquans volutabatur in plateâ animam agens. Spectaculum sanè commiserationе plenum oculos habenti misericordes. Huius autem euentum rei Dominus Iudæis retulit, & quàm illis in hac lacrymarum valle versantes insani, & ad res vanas ac futiles conuersi essent, ostendit di- *Ioan. 8, 23.* cens: Vos de deorsum estis, ego autem de sursum sum. ex solis Sursum & Deorsum nominibus, boni maliquе differentiam insinuans. Similiter hic dicens Descendit, id eodem sensu protulit: bonum enim naturâ suâ sursum tendit, malum verò seu vitium quem irretiuit, deorsum humi repentem detinet; sicut benè dixit Salomon, Pedes *Prou. 5, 5.* eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.

IDEM. 54. Cùm itaque sit Adam is qui descendit a sublimi illa ac beatâ viuendi ratione, in reptantem hanc humi vitam declinans, quis est sacerdos & Leuita? Illi sunt secundùm theoriam Moyses & Aaron, qui vtrique parabolæ velamento inuoluti, plurimorum oculos fugiunt. Hi siquidem hominem, id est vniuersum genus humanum virtute ac religione destitutum atque nudatum, & vitiis contrariis vulneratum offendentes, inspexerunt quidem, sed sanitati restituere minimè valuerunt. At Samaritanus (cuius nomen Iudæis inuisum erat) bonorum omnium thesaurum adferens, præstitit curationem: qui est Saluator noster, sub infami Samaritani nomine occultatus, & iacenti [vulnerato] fontes aperiens salutis. *Christus verus est Samaritanus.* Sermo autem Euangelicus Saluatorem hoc loco appellat Samaritanum; Iudæorum, qui illum hoc nomine vocauerant, stultitiam confundens, quòd eum Samaritanum, qui præ Leuitis ac sacerdotibus misericordia motus, huic ægro ac vulnerato attulerat sanitatem, iniuriis onerarint.

55. Quid autem est iumentum, quo semiuiuum ac animam agentem ad hospitium Saluator deduxit, nisi caro in quâ ad nos venire dignatus est, quæ fuit quasi vehiculum quoddam aut diuini Verbi iumentum, in quâ & per quam omnia sustinens ac tolerans, pro plenâ morbi depulsione ad hospitium, id est Ecclesiam, vbi perfecta vulnerum curatio consummatur, deducit. IDEM.

56. Cùm cecidisset Adam, & à facie Dei mortuus esset, luxit qui fecit eum Pater, & Angelorum virtutes omnes, omnesq; creaturæ simul luxerunt casum eius. Eum enim, qui datus erat illis Rex, seruum videbant factum esse aduersariæ & prauæ potestatis, & secundùm animam tenebris indutum passionum, & redactum sub imperium Principis tenebrarum. Hic itaque vulneratus, & factus est semimortuus. Hoc verbum Semimortuus significat, quòd solam sui cognitionem habuerit, de reliquo manens nudus; vel quòd coniunctus sit spiritui ex mediâ parte, hoc est, quòd solùm mãserit mortuus à Deo. *MACARIVS Hom. 30.* *Adam cum posteris per peccatum vulneratus.* Ceterùm tu, quando audis de illo à latronibus vulnerato, ne dimittas mẽtem tuam velut in montem tamquam de illo solo cogitans; sed intus in animâ tecum habita, quia tu quoque eadem gestas vulnera: omnes enim illius vulnerati & fœtidi filij sumus. Quâ igitur affectione ille laborauit, eâdem laborant omnes qui ex eius sunt semine. Non est vulnus, non est cicatrix, non est plaga, quæ saniem emittat: sed adeò incurabili vulnere natura fauciata est, vt à solo Domino curari potuerit. Ecce enim, inquit, qui tollit peccata mundi. Proptereà ipse per se Dominus venit, quia nemo ex veteribus, neque lex ipsa, nec Prophetæ, plagam hanc magnam sanare potuerunt, sed ipse solus curauit humanũ genus.

57. Moy-

ELAGRIVS

57. Moyses quidem ab [externo] actu peccati hominem abducit, verum Iesus eum suscipiens, & secundina, hoc est quod mente ac cogitatione perficitur peccatum, penitus exscindit. Propterea forcassis Sacerdos læsum non curauit, sed Samaritanus semimortuum, qui non dicit sicut sermo Propheticus, Non est malagma imponere, neque oleum, neque alligaturas. Ipsum autem ex proposito venisse, patet ex eo, quòd secum fascias attulerit cum vino & oleo, quæ vulneribus curandis conducunt. Viuentium igitur Angeli, mortuorum verò dæmones. Sed homines ægrorum rationem habent, ad quos Christus vt medicus venit, eaque propter Saluator appellatur. Cùm enim humana natura ęgra dicitur, Medicus nominatur; cùm ouis, pastor; hominum verò Rex. Tria autem ad curationem concurrunt, Medicus nempe, vulnus, & patiens: qui vbi sumpto pharmaco non sanatur, id accidit vel propter Medici imperitiam negligentiámve, vel ob medicinæ ineptitudinem & inefficaciam, vel propter ipsius ægroti inordinationem. Spiritualis verò Medicus passionibus congruentia semper præscribit medicamenta, sed ob solam inordinatam viuendi rationem ægrotus non curatur.

Isai. 1, 6.

Cur accidat ægrum non sanari.

CYRILLVS

58. Hic etiam illud de stabulario intelligi posset hoc modo, vt eius typum gerant Apostoli & illorum successores, doctores & pastores. Ijs enim Christus Dominus ad cælos ascensurus, obtulit duos denarios, mandatum dans vt diligentem curam ægro impendant, certoque promittens, vbi redierit, se ad totum cumulate refusurum, quodcumque supererogatum fuerit. Ceterùm per duos denarios duo Testamenta designat, [Vetus] nimirum quod per legem Moysis & Prophetas; & Nouum, quod per Euangelia & Apostolicas traditiones datum est. Vtrumque enim Dei est, & vtrumque, vt legitima numismata solent, vnam eamdemque Regis vnius imaginem & inscriptionem præ se fert; & eumdem per diuina eloquia, regni characterem cordibus nostris imprimit inducitque. Cùm ergo in illis vnus idemque Spiritus locutus sit, tingatur Manes & cum illo Marcion impijssimus, vtrque diuersis illa dijs diuidentes. Vnius enim eiusdem Regis sunt duo denarij, & à Christo præfecto hospitalis ob vnam eamdemque causam similiter dati. Quos & sanctarum Pastores Ecclesiarum accipientes, ac non sine labore ac sudore doctrinis suis dilatantes, & domi consumentes, vel potiùs consumendo augentes (eius enim naturæ est argétum spirituale quod est verbum doctrinæ, vt expensum non minuatur, sed augeatur,) Domino ad vltimum diem reuertenti singuli dicturi sunt: Domine, duos denarios tradidisti mihi, ecce expendens illos de domo in domum, lucratus sum alios duos, quibus gregem tuum auxi. Quibus Dominus responsurus est: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Dnmini tui.

Quid in hac parabolâ significet stabularius & duo denarij.

VICTOR.

59. Non ignoro, nonnullos propositam parabolam sic interpretari, vt per hominem hunc Adam intelligatur, aut quiuis alius, cùm indefinite dixerit, Homo quidam descendebat; descensum nominans, liberi nostri arbitrij ad mala impetum. Ierusalem verò, sublimem & cælestem viuendi rationem: Iericho autem, vitam mundanam & passionibus prauis deditam. Hic itaque incidit in latrones, id est in spiritus immundos, qui ipsum virtutum tunicâ & immortalitatis vestimentis spoliantes, abierunt semiuiuo relicto. Sacerdoti autem descensus visque erat peccatum, quia iacenti non commiserebatur. Similiter & Leuitæ. Samaritanus autem quidam non descendens, sed iter faciens, ad ipsum accessit, (ille autem erat cui dixerant Iudęi, Samaritanus es tu:) nam neque Sacerdos, neque Leuita suppetias iacenti ferre voluerant, (omnes enim in peccato erant) sed solus Dominus, qui in omnibus nobis assimilatus est absque peccato, & cum iniquis reputatus est tamquam verus Samaritanus, qui interpretatur Custos. Hic autem est non dormitans neque dormiens dum custodit Israel, proprio iumento vulneratum imposuit, suis illum humeris suscipiens. Videns enim eum, misericordiâ motus est, & appropinquans alligauit vulnera eius, tollens peccata mundi, curansque omnem infirmitatem & languorem, quibus hic semimortuus oppressus iacebat, (fortior quippe lege ac Prophetis;) & infudit oleum sanctificationis, & doctrinam adhortationis, vt vulnerum saniem & pituitam cohiberet ac tolleret; vinum insuper stipticum seu adstringens, sermonem scilicet reprehensionis, deduxitque illum in Ecclesiam quæ omnes suscipit fideles. Ibi diligens habita est eius cura ab Apostolis, Euangelistis, eorumque successoribus & Ecclesiæ Doctoribus. Et altera die, id est post resurrectionem, protulit duos denarios, vetus scilicet nouumque Testamentum, eiusdem vniuersorum Regis charactere insignitos, (tam hoc enim quam illud, vnius est & eiusdem Dei,) & dedit stabulario, quod nomen Sacerdotibus & Doctoribus competit. Supererogat autem aliquis, cùm ex dictis denarijs, doctrinæ argu-

Explicatio parabolæ Samaritani.

Samaritanus quis.

Hebr. 4, 15

Psal. 120, 4

Denarij qui.

menta desumit, declarans & explicans illa verbis proprijs, concionibusque amplificans, nihil illorum relinquendo aut prætereundo, sed omnem intellectum captiuum deducendo in obsequium Christi. Dat autem stabulario mercedem in reditu, hoc est in secundo suo aduentu, quando vnicuique
Matth. 16, 27. reddet secundum opera eius. Hoc etiam, si velis, intelligas de humanâ dictum naturâ, vt ex sublimi illâ, quâ in paradiso fruebatur, vitâ ad miseram hanc & passionibus obnoxiam viuendi rationem descendens, in dæmones inciderit, ac immortalitatis exuta indumento, temporales has exceperit calamitates, vt & in sudore victum debeat comparare, & spinis tribulisque infestetur. Semiuiua autem erat, quòd non ex integro adhuc aut omnino Christum negasset. Et lex quidem, quippe infirma, nihil illi attulit subsidij; Christus verò indutus carnem ad nos venit, & tribus hisce, videlicet prædicationibus, gratijs suis ac donis factis, fideique mysterio, animæ nostræ passiones vulneraque curauit, ac proprio suo corpore excepit, & per se ipse nostri curam gessit, ac deinde Apostolis tradidit eorumque successoribus, quibus etiam se iustitiæ coronam largiturum promisit. Suos itaque nos cupit esse imitatores, & parem proximo misericordiam exhibere. Docet quemque debere sibi proximum existimare eum qui auxilio indiget. Hoc enim est quod præsenti parabolâ docetur.

ANNOTATIONES.

A*LLEGORICE autem S. Ambrosius in Luca cap. 10. & S. Augustinus Serm. 26. de Verbis Domini, & alij Patres hic in Catenâ citati, sic hanc parabolam applicant, vt homo sit Adam; Ierusalem, status pacis ac innocẽtiæ; Iericho quod luna interpretatur, status peccati; latrones, dæmones; Sacerdos & Leuita, lex vetus; Samaritanus, Christus; equus, eius humanitas; stabulum, Ecclesia; vinum, Sanguis Christi; oleum, misericordia; stabularius, S. Petrus & eius vicarij.*

VERS. 38. Factum est autem, dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam:

39. & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius.

40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergò illi, vt me adiuuet.

41. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.

42. Porrò vnum est necessarium. Maira optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.

60. AD illud itaque, Vnũ est necessarium, GEOMETRA. [refertur] Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ad illud verò, Pauca necessaria sunt, adijcies, Non furaberis, Non dices falsum testimonium, & si quod prætereà mandatum sit simile. Accipies autem *Quid per Martham & Mariam intelligatur.* Martham pro operatione, Mariam verò pro contemplatione. Ac illam quidem pro Iudæorum hanc verò pro eà quæ ex Gentibus est Ecclesiâ. Vel Martham quoque capies pro credentibus ex circumcisione, & Iudaicæ legis obseruatoribus; Mariam autem pro fidelibus liberis ad ipsos Christi pedes assidentibus. Multam autem inter hos reperies differentiam: Martha siquidem circa corporalia multa distrahitur, Maria vero soli vacans contemplationi, spiritualibus intendit.

ANNOTATIONES.

PORRO VNVM EST NECESSARIVM.] *Vel ad verbum*, vno autem opus est. *Vbi quæri solet, Quidnam hoc sit. Respondent hæretici, Lutherus, Brentius, Bulingerus, & similis farinæ homines, illud* vnum *esse fidem, vel audire Euangelium, illique credere, quia videlicet hoc tantum hic fecit Magdalena Versu* 39. Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. *Verùm præter fidem etiam requiri opera, patet ex Matthæi 19, 17 tum ex ipsâ Magdalenâ hic, quæ ita audiebat, vt auditis obediret per opera charitatis & pœnitentiæ, vt patet cap. 7. Lucæ, & ex totâ eius vitâ.* VERS 42

Quidnam sit illud vnum quod necessarium Christus dicit.

Secundò simpliciùs ac meliùs S. BASILIVS *in Regulis fusiùs disputatis, interrogatione* 10. Nequaquã, *inquit*, Dominus Marthæ illud laudi tribuit, quòd in apparatione rerum multarum occuparetur; sed Sollicita es, inquit, & turbatis circa plurima. Porrò paucis opus est, vel vno potiùs. Ac paucis quidem, quod pertinet ad apparatum, vno verò, nempe fine ipso, vt videlicet necessitati fiat satis.

Tertiò denique, & magis appositè ad sequentia, vnum, *id est, vna Dei & salutis cognitio, studium & amor, cui quasi parti ac sorti suæ tota affixa est Maria. Ita S. Augustinus, Beda in Lucam, S. Gregorius. Vel, vt alij,* vnum, *id est vltimus finis, & summum bonum, quò mens nostra dirigenda, & à quo non est distrahendo. Hæc autem pars non auferetur à Mariâ, quia scilicet hoc studium & contemplatio spiritalis est, & æternus mentis cibus. Occupatio verò Marthæ temporalis, quia circa cibum corporis. Nam, vt rectè Geometra hic in Catenâ, & passim Patres, Martha mysticè gerit typum vitæ actiuæ, Maria autem contemplatiuæ, quam Christus alteri præfert.*

S. LV-

S. LVCÆ CAPVT XI.

1. Et factum est: cùm esset in quodam loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos.

Titvs. 1. Cvm nouam viuendi rationem vidisset discipuli, nouam formam orationis postulauerût. Tametsi enim plures orationes continerentur in veteri Testamento, videntes tamen, conuersationem Saluatoris, omnium tam Prophetarum quàm iustorum viuendi rationem longè superare, ab ipso orationis formulam petierunt. Ac rectè quidem illam à Iesu petunt, quò prudenter Deum Patrem alloqui possint. (nemo enim potest loqui de Patre, nisi qui ex ipso est.) Vt si quis dixerit, Ne contra Deum peccemus, aliqua quærentes pro alijs, vel Deo assistentes in oratione, non eo modo quo par est, doce nos orare.

Nyssenvs de Oratione. 2. Orandi nobis doctrinam diuinus sermo tradit, per quam discipulis se dignis, orandi scientiam studiosè ac seriò requirentibus, quomodo diuinum auditum conciliare per verba orationis conueniat, exponit. Quænam autem sit illa doctrina, apud Matth. 6,7 Matthæum, Orantes, inquit, nolite multum loqui, sicut Gétiles. Ac sentétia quidem doctrinæ fortitan per sese perspicua est, vtpote nudis verbis nobis exposita, nec vllam subtiliorem desiderans considerationem, præterquam quòd operæ pretium est quærere, Quid sit battologia. quid significet verbum Battologiæ, vt intellectâ sententiâ, vitemus id quod vetitum est & interdictum. Videtur ergo mihi castigare tumorem mentis, eorumque qui sese vanis cupiditatibus immergût, ambitionem compescere, & idcircò peregrinam & nouam hanc dictionem excogitasse, ad eorum, qui vanarum pariter & inutilium rerum cupiditatibus diffluunt, amentiam redarguendam. Nam cordatus, doctus & prudens, & vtilitatem sibi propositam habens sermo, propriè sermo dicitur: at qui per inanem voluptatem, cupiditatibus vanis quasi superfúditur, non ampliùs λόγος, id est, sermo, sed βαττολογία est, (quasi dicas, linguæ volubilitas, & vanus sermo) vt aliquis Græcè meliùs explicans, dixerit, mentis efferuescentia atque effutitio, hoc est deliramenta & nugæ, aut si quod aliud sit eiusdem significationis vocabulum. Quid igitur nobis sermo consulit? Ne idem patiamur orationum tempore, quod infantes aut delirantes in mente pati solent. Quemadmodum enim qui mente sunt imbecilli, non cogitant, vt sibi aliquid obueniat ex sententiâ, sed quasdam sibi pro arbitrio fingunt felicitates, thesauros, & nuptias, & regna, magnasque ipsorum appellationibus cognominatas ciuitates sibi proponentes, quæcumque eis vanitas suggesserit cogitationum, in ijs se versari mente suâ imaginantur. Vt igitur in rebus mundi is qui non cogitat ea per quæ sibi deliberanti aliquid contingat boni, sed vanis cupiditatibus nequidquam immoratur, stultus quidem ac miser est, in hæc insomnia insumens occasionem deliberationis aliquid agendi quod ex vsu sit: ita qui tempore orationis in ea quæ animæ conducunt intentus non est, sed vitiosis & perturbatis animi sui motibus Deum obsequi postulat, nugator quidam reuerà atque blaterator est, quippe qui oret, vt Deus suarum ineptiarum & vanitatum adiutor ac minister fiat; ac, quod omnium grauissimum est, ad quàm maximè contrarios motus diuinum Numen sibi moueri concupiscit, in feritatem & humanitatem Dei partiens efficacitatem. Quem enim propitium sibi ac mitem esse desiderat, eum asperum & immitem inimicis fieri rogat.

Vt stulti sibi aureos fingunt montes, sic qui inania petunt in oratione.

ANNOTATIONES.

Circa *medium:* Battologia est, &c. mentis efferuescentia atq; effutitio, hoc est deliramenta & nugæ.] *Suidas ait hoc nomen desumptum ἀπὸ Βάττου τινὸς μακροὺς καὶ πολυστίχους ὕμνους ποιοῦντος, ταυτολογίας ἐχόντας. id est*, à Batto quodam, qui prolixos & multis versibus refertos hymnos fecit, qui crebram rerum earumdem repetitionem habebant. *Βαττολογία quoque apud Matthæum cap. 6. sumitur pro πολυλογία seu multiloquio. Nam, vt ibidem benè Glossa, damnat, inquit, Christus multiloquium orationis veniens de infidelitate; inde sequitur*, sicut Ethnici faciunt. *Gentilibus enim erat necessaria verborum multiplicitas, propter dæmones qui nescirent quid illi peterent nisi illorum verbis instructi. Vnde* Avgvstinvs *de Sermone Domini in monte*, Reuerà, *inquit*, omne multiloquium à Gentilibus venit, qui exercendæ linguæ potiùs, quàm mundando animo dant operam, & hoc studij genus etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur. Nvm. 2.

Βαττολογία quid sit.

Vers. 2. Et ait illis: Cùm oratis, dicite: " Pater noster qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. "Matt. 6, 9.

Geometra. 3. Existimo autem neminem Deum vocare Patrem, qui nô sit adoptionis spiritu repletus. Et filius honorans Patrem, dicit illi, Pater; obseruans simul & mandatum illud quod dicit: Diligite inimicos vestros: Matt. 6, 44 orate pro persequentibus vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est.

 4. Vete-

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Rom. Hom. 14. 4. Veteres certè nusquam reperimus Patrem vocasse Deum. Nos autem omnes ita precari iussi sumus, & hanc primam vocem edimus, post admirabiles illas parturigines, post nouam ac mirificam extendi legem. Alioqui vt demus illos aliquando Deum ita vocauisse, tamen id illi à propriâ cogitatione fecerunt; cùm qui in gratiâ viuunt, à spiritali efficientiâ moti idem agant.

TITVS. 5. Vt Deum possimus vocare Patrem, concessit nobis ipse Filius, seruis ac mancipijs filiorum impertiens dignitatem, per suam nobiscum & nostram cum ipso similitudinem. *Christus nostram carnem induit, ut nobis Spiritus suum impertiret.* Ipse enim nobis secundùm carnem, nos verò illi per virtutem Spiritus sancti assimilati sumus. Patrem autem appellantes Deum, vocamus illum Patrem qui est in cælis, patentibus quos hic in terris habemus, illum præferentes, intelligentesque natiuitatem illam ex Deo, non humanam esse aliquam generationem, sed aliam longè diuersam, quæ videlicet fiat per receptionem Spiritus sancti, cuius virtute regeneramur, alij ex alijs effecti, priori vitâ moribusque reformatis, ijsque quodammodò mortui, nouam ex ipso vitam moresque nouos concipimus. Inuocatio autem seu appellatio Patris, id est principij, (principium enim filij pater est) præstatur nobis per Filium, per quem in Patris cognitionem deuenimus, ipso teste Filio dicente: Qui videt me, videt & Patrem meum. Ita vt sine Filio, hæc Patris inuocatio fieri non posset, tametsi sui ipse nos inuocationem necdum docuisset, quemadmodum posteà indicauit dicés: Vsque modò non petistis quidquam in nomine meo: petite, & accipietis. Quidquid igitur est in rerum natura, obtinebimus, si Filij verbis postulauerimus Deum Patrem, dicentes, Pater Domini nostri Iesu Christi; siquidem ipse verus est pater omnium qui vnigeniti eius Filij adepti sunt similitudinem, id est Spiritum sanctum, qui plurimos Dei filios dictos ad veram vnigeniti ac naturalis Filij similitudinem conformat, & priorem, secundùm quam à Deo ab initio creati eramus, imaginem in nobis renouat. Proptereà siquidem ad nos nostraque Dei Filius descendit, vt suam nobis similitudinem communicaret per natiuitatem, vitam, & mortem; atque hac ratione nos resurrectionis quoque participes redderet, cuius se etiam exemplum præbuit, quò regeneratì atque à mortuis resuscitati possimus Deum, qui nos regenerat, vocare Patrem.

Ioã. 16, 24

NYSSENVS de Orat. *Quid opus sit ad perfectionem acquirendam.* 6. Si quis enim Dei insignia, quoad fieri potest, in sese expresserit, sine labore suaque sponte à terrenâ vitâ ad cælestem locum transferetur. Non enim loci interuallo diuinum Numen ab humano distat genere, vt aliquâ machinâ nobis atque excogitato artificio sit opus, quò hæc grauis atque terrena caruncula ad incorporeã habitationem traducatur: sed virtute, & à vitio intelligibiliter separatâ in solâ hominis libertate situm est, vt ad quodcumque cupiditate inclinatus fuerit, in eo versetur.

ANNOTATIONES.

PATER NOSTER.] *Nota autem, vt benè obseruat Glossa, Christum hic non præcipere, vt hisce omnino verbis oremus, sed tantum docere res quæ à Deo petendæ sunt, & quo ordine, quâ verborum breuitate petendæ sint. Meritò tamen Ecclesia ipsis Christi verbis vtitur: nam hæc Oratio res omnes petendas complectitur. Vnde Tertullianus & Cyprianus lib. de Oratione vocant eam Euangelij breuiarium. S. Augustinus epist. 131. & post eum Theologi, distinguunt illam in septem Petitiones, quarum tres primæ spectant honorem Dei, qui primùm & ante omnia quærendus est, quippe qui finis sit omnium creaturarum, & nostram consequenter voluit beatitudinem, mediaque ad illam: quatuor enim vltimæ Petitiones nostram spectant vtilitatem.* VERS. 2. *Oratio Dominica quomodo præcepta, & quid contineat.*

NVM. 4. Veteres certè nusquam reperimus Patrem vocasse Deum.] *Idem etiam docet* S. AVGVSTINVS *de Sermone Domini in monte, dicens:* Multa quidem dicta sunt in laudem Dei, numquam tamen inuenitur præceptum populo Israel, vt diceret Pater noster, sed est eis insinuatus vt Dominus tamquam seruis, non filijs. Sed de populo Christiano Apostolus dicit, quòd Spiritum adoptionis accepit, in quo clamamus, Abba Pater: quod non est meritorum nostrorum, sed gratiæ, quam in oratione ponimus cùm dicimus, Pater; quo nomine & charitas excitatur. Quid enim charius debet esse filijs quàm pater, &c. *Soli Christiani vocant Deum Patrem.*

NYSSENVS *Quomodo nomen Dei sanctificetur.* 7. Sanctificetur nomen tuũ. Humana natura ad boni alicuius acquisitionem perinfirma est, ideoque nihil eorum quæ affectamus nobis potest contingere, nisi diuinum auxilium, bonum in nobis conficiat. Bonorum autem omnium est caput, si Dei nomen per meam vitam glorificetur, vt videant homines bona nostra opera, & glorificent Patrem qui in cælis est. Verumenimuerò nomen Dei semper sanctum est, nec quidquam dominationis eius potestatem effugit. Cùm itaque omnium rerum potiatur, & quod ad sanctificationem attinet, non opus habeat adiectione, quippe cui nihil desit, & per omnia perfectus sit; quid sibi vult hoc votum? Vtique qui in oratione dicit, Sanctificetur nomen tuæ dominationis, quod à me inuocatur, vi verborum hoc orat: Auxilij tui præsidio fiam irreprehensibilis, inculpatus, iustus, pius, abstinens ab omni prauo facinore. Hæc & similia breuis hæc petitio còntinet. Matth. 5, 16.

ANNOTATIONES.

SANCTIFICETVR nomen tuum.] Id est, *inquit* S. AMBROSIVS *hic cum S. Cypriano de Oratione,* NVM. 7.

san-

Quomodo nomen Dei sanctificandum. sanctificatio tua in nobis permaneat. *Sed clariùs S. Chrysostomus in cap. 6. Matthæi Homiliâ 20. cum Theophylacto in hunc locum, ἀντὶ τοῦ δοξασθήτω, pro* honorificetur. *quasi dicatur: Da vt non idolorum vel dæmonum, sed tuum nomen habeatur sanctum ab hominibus, vt videlicet nihil putent nomine tuo, id est, teipso Deo trino & vno, tuâque iustitiâ, sapientiâ, bonitate, potentiâ, cæterisque attributis esse sanctius, augustius, diuiniusque; ac proinde nihil magis reuerendum, colendum, ac glorificandum; quodque perpetuò tum mente, tum linguâ, tum vitâ, omnes celebrent. ὥσπερ γὰρ, inquit* THEOPHYLACTVS *ibidem, τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ βλασφημεῖται διὰ τοὺς κακοὺς, οὕτω δοξάζεται διὰ τοὺς ἀγαθὸν βίον ἔχοντας.* Quemadmodum enim nomen Dei blasphematur propter improbos, sic glorificatur propter eos qui probam vitam ducunt.

NYSSENVS 8. Adueniat regnum tuum. Caput autem omnis boni est, viuificæ potestati subditum esse. Quoniam igitur humana natura à boni iudicio fraude inducta aberrauit, & ad contrarium nostrum arbitrium inclinauit, & omne malum hominum vitam inuasit, atque in suam redegit potestatem, (innumeris vijs morte naturæ immixtâ; omnis enim malitiæ forma, tamquam via quædam & aditus morti aduersum nos existit;) idcircò *Quomodo oremus regnum Dei.* rectè precamur vt regnum Dei nobis adueniat. Non enim aliter prauam corruptionis potestatem exuere potenmus, nisi viuifica virtus eius vice in nobis imperium susceperit. Ipsâ autẽ adueniente, quæ nunc regnant passiones, sicut deficit fumus, ita deficient; & vt liquescit cera, ita peribunt. Neque enim fumus refusus in aërem, signum aliquod suæ relinquit naturæ; neque cera, quę in igne fuit, amplius reperitur: sed & hęc cum flammam suo nutrimento aluerit, in vaporem & aërem transfunditur; & fumus ad plenam abolitionem redigitur. Ita si super nos regnum Dei venerit, omnia quæ nunc dominantur, ad interitum redigentur. Non enim tenebræ præsentiam lucis sustinent, neque morbus sanitate superueniente consistit, neque vim suam passiones exercent, impatibilitate præsente. Deserta mors est, è medio excessit corruptio, cùm vita in nobis regnat, & incorruptibilitas imperium tenet.

ANNOTATIONES.

NVM. 8. ADVENIAT regnum tuum.] *Vbi nota, quadruplex esse regnum Dei. Primum est, dominium Dei in omnes creaturas. Secundum est, regnum Dei per fidem & gratiam in animis fidelium. Tertium est, regnum Dei per gloriam in Beatis. Quartum regnum Dei perfectissimum est, per quod Deus demisso diaboli ac impiorum regno, morte peccatoque destructis, solus perfectè tum amicis tum inimicis suis reprobis dominabitur, quod fiet in resurrectione generali. Ita S. Chrysostomus in cap 6. Matthæi, &* THEOPHYLACTVS *hoc loco*, Idcircò enim, *inquit*, peccator quidem deprecatur regnum Dei, nolens illud venire propter iudicia quæ timerent: iustus verò econtrà citò illud *Regnũ Dei quadruplex* venire rogat, vt à tentationibus quæ hîc sunt, liberetur, & quiescat.

9. Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terrâ. TITVS. In cælo voluntas Dei ab Angelicis potestatibus semper perficitur. Oramus itaque terrestria cælestibus conformari, & vniuersam creaturam ad concursum voluntatis Dei præparari, atque ita ad beatitudinem perduci sempiternam.

ANNOTATIONES.

IN cælo voluntas Dei, &c. semper perficitur.] *Nota, S. Cyprianum de Oratione Dominicâ, & Tertullianum per* cælum *intelligere spiritum, per terram carnem. Idem Cyprianus per* cælum *accipit iustos, per* terram *impios. S. Augustinus de Sermone Domini in monte per* cælum *accipit Christum, per* terram *Ecclesiam. Verùm hæc mystica sunt, littera autem est plana quam hîc Titus in Catenâ explicat.* NVM. 9. *Cælum & terra mysticè quid.*

Obserua autem, Christum hîc loqui non de voluntate Dei efficaci & beneplaciti, quæ semper impletur, nec potest non impleri: sed de voluntate Dei optatiuâ & imperatiuâ, quæ à Theologis signi *dicitur. quasi dicat: Da Domine gratiam, vt ita alacriter, integrè & concorditer per omnia tam in agendo quam in petendo, tuis iussis & desiderijs obediant homines, sicuti Angeli & Sancti in cælo obediunt. Ita S. Chrysostomus in Matthæi 6. Alludere videtur Christus ad Psal. 102, 20.* *Quam voluntatem Dei petamus fieri.*

VERS. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

10. PANIS animarum est diuina virtus, TITVS. adferens futuram vitam perennem; sicut panis ex terrâ prodiens, vitam temporalem conseruat. Cùm autem supersubstantialem dixisset, diuinum, qui aduenit, & futurus est, significat: quem nobis hodie præstari requirimus, poscentes quoddam eius principium ac gustum, quando spiritus in *Panis quotidianus quid sit.* nobis inhabitans virtutem operatur quæ superat omnem virtutem humanam, puta castitatem, humilitatem, contemptum diuitiarum, magnanimitatem, despicientiam honoris ac ipsiusmet vitæ, fidem firmam ac stabilem super omnia indubitatam, spem futurorum tamquam præsentium, amorem cęlestem, ita vt in terrâ versantes sint quasi non ambulantes in terrâ. Tribuit etiam sapientiam occulta Dei cognoscentem, & prophetiam, & virtutem dæmonum violentiam infringendi, & morbos prout expedit abigendi. Non enim panis ille diuinus datur ad pręsentis vitæ voluptatem, vt omnia semper & vbique quæ nobis molesta accidunt auferat, sed vacuitas dolorum in futurũ reseruatur, nunc autem ad virtutis exercitationem conducentes sæpè curationes conceduntur. Atque hic modo est panis illius fructus, secundùm quod & Paulus dicit, eum qui gustat verbum Dei, virtutem acquirere in vitam futuram.

ANNOTATIONES.

NVM. 10 **A**D *illud,* QVOTIDIANVM, *Græcè* τὸν ἐπιούσιον.] *Nota, vocabulum hoc diuersimodè diuersos interpretari. Erasmus vertit* crastinum, *alij* aduenientem. *Sed melius alij* substantialem *ex S. Basilio in Regulis breuioribus infrà Numero* 23. *citato ex Interrogatione* 252. Ἐπιούσιον, *inquit,* τουτέστι τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα. Hoc est, ad quotidianam vitam substantiæ nostræ vtilem. *Eodem modo illud explicat Theophylactus in capite* 11. *Lucæ. nimirum* τὸν ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν, καὶ τῇ συστάσει τῆς ζωῆς συμβαλλόμενον. *Id est,* Qui substantiæ ac sustentationi vitæ nostræ conducit. *Simili ratione illud Chrysostomus & Euthymius explicant. Unde & Syrus vertit* panem indigentiæ nostræ, *quem Latini* cibarium. *Vetus interpres in Lucam clarè* quotidianum *vertit, vt simul excludatur sollicitudo crastini. Interpres autem Matthæi* 6. *& S. Hieronymus in Commentarijs ibidem, verterunt* supersubstantialem *vel* super substantiã, *quasi super aut ad substantiam nostram aduenientem, conuenientem, & necessarium, id est frugalem, & non delicatum. Hinc collige, per panem hunc supersubstantialẽ siue quotidianum, cum S. Chrysostomo, Auctore Imperfecti, S. Basilio, & Theophylacto suprà, Primò accipi panem corporeum, secundò & maximè, quærendum panem cælestem & spiritualem, qualis est panis verbi Dei & Eucharistiæ. Ita in Catenâ Titus hic cum S. Augustino de Sermone Domini in monte, S. Hieronymo in Matth.* 6. *Tertulliano & Cypriano de Oratione Dominicâ. Et hoc etiam innuere videtur Interpres Matthæi per vocem* supersubstantialem, *quod interpretatur S. Hieronymus* eximium, præcipuum.

Quid per panem quotidianum intelligatur

Sub pane autem per Synecdochen Hebraicè accipitur quidquid victui, vestitui, & vitæ tum corporis tum animæ est necessarium, quod petimus hic dari, vel si datum nobis sit, conseruari ac custodiri.

VERS. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis.

NYSSENVS de Orat. 11. **Q**VID igitur sermo docet? Vt primùm per opera fiduciam sumamus, atque ita obliuionem præteritorum petamus peccatorum. Hæc enim nobiscum præsenti voce loquitur, vt videlicet qui ad benefactorem accedit, benefactor fit; qui ad bonum, bonus; qui ad iustum, iustus; patiens item ac lenis, qui ad lenem & patientem accessurus est; atque ita in ceteris, & si quid aliud circa Numen diuinum cernitur, ad vnumquodque animi sui proposito sese assimilans, sic sibi orationis conficiat confidentiam. Ipse, inquit, tibi sis iudex, ipse te tuâ sententiâ absolue ac serua. Remitti tibi à Deo debita desideras: tu dimitte, & Deus sententiam tulerit. Nam iudicio de proximo, quod in tuâ potestate est, qualecumque fuerit, sententia par erit: quæ enim apud te statueris, hæc tibi per diuinum iudicium confirmabuntur.

Vita proba præstat orãdi fiduciã.

MAXIMVS 12. Differt autem εὐχὴ, id est votum, à προσευχὴ, id est precatione: nam hæc petitio est earum rerum quas Deus largiri solet hominibus ad salutem; votum verò, promissio est eorum bonorum, quæ Euangelicis consilijs suadentur, ab ipsis hominibus facta Deo. Indifferenter tamen aliquando εὐχὴ seu votum pro petitione, προσευχὴ verò seu precatio pro promissione sumitur. Vt illud: Non iterabis seu duplicabis sermonem in oratione tuâ. pro, ne sæpè promittas aut voueas; sed si quid vouisti, ne moreris reddere. Multò enim melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.

Εὐχὴ & προσευχὴ quid differant.

Eccles 7. 11.

13. Oratio dicitur virtus, & est mater virtutum; gignit enim illas per coniunctionem cum Deo; & quidquid facimus sine oratione, imperfectum est. Atque oratio quidem assidua amicitiæ diuinæ signum est perseueranti, neglectus verò illius, & vacillatio, voluptatum amoris argumentum.

MARCVS ARCHIEP. *Sine oratione, nemo perfectus.*

14. Illud autem Patris nomen proprium ex substantiâ eius Filium propriè declarat. Non tamen ob hoc quòd Dominus Patrem suum etiam Patrem nostrum à nobis concesserit appellari, æquum est vt nos ipsos Filio secundùm naturam adæquemus. Nam solùm propter ipsum dicitur Pater noster. Postquam enim Verbum Dei nostrum corpus gestauit, & in nobis habitauit, consequenter etiam propter Verbum quod in nobis est, Deus Pater noster appellatur.

ATHANASIVS in Decretis Synodi Nicænæ.

15. Et caput nostræ fidei eò tendere ac referri voluit. Iussit enim nos baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: sic enim initiati, verè etiam nos in filios Dei adoptamur. Et Patris nomen pronuntiãtes, agnoscimus etiam ex hoc nomine quod in Patre est Verbum. Arriani autem vbi reperrerunt hanc in Scripturis non vsitatam dictionem? & quâ mente Deum ingenitum dicunt? Audio enim hoc vocabulum diuersas habere significationes. Nam dicitur & illud ingenitum, quod nondum est, sed esse potest: & rursum, quod neque iam est, neque esse potest: tertiò autem, quod iam quidem est, & tamen non est factum, neque initium existendi habuit, sed quod æternum est & incorruptibile. Fortassis duas priores significationes prætererint, & vt absurda prætermiserint, ad tertiam igitur progrediuntur, & secundùm eam ingenitum appellant. Ceterùm cùm hoc dicunt, nihilominùs impij habendi sunt. Si enim quod initium existendi non habet, & quod neque factum aut creatum, sed æternum est, ingenitum velint, & contrario modo se habere Verbum Dei pronuntiarint; quis non videat vafriciem Theomachorum? siquidem omnia secundùm patrem suum diabolum faciunt. Vt enim ille sub alienis vestibus fraudem molitur,

IBIDEM.

Ingenitum quatruplicter aliquid dicatur.

tur, ita & ipsi vocabulum Ingeniti excogitarunt, vt sub specie benedicendi Dei, dissimulanter aduersus Dominum blasphemias suas tegant, easque sub hoc inuolucro alijs insinuent: ignatiinterim, eum qui dehonestat Filium, Patrem quoque dehonestare. Si autem illis cura Dei honorandi fuisset, oportuerat Deum Patrem potiùs quàm ingenitum appellare. Hoc enim vocabulum opera, quæ ex Dei voluntate producta sunt, innuit: nomen verò Patris proprium eius ex substantiâ genimen declarat.

CYRILLVS

16. Quod sibi vult illud, Sãctificetur nomen tuum? Non hoc dicimus, quasi ex hac diuini nominis inuocatione aliquid ipsi Deo sanctitatis posset accedere. Quis enim Deo maior sanctiórve, vt quidquam ipsi superaddere ad sanctitatem possit? Est enim extra controuersiam, inferiorem à superiore recipere benedictionem. Nos autẽ potiùs, quorquot Deum inuocamus, dum in animum inducimus ac credimus Deum naturâ suâ sanctum esse, imò sanctum sanctorum, tum inquam in animis nostris timorem eius excitantes, rectam culpæque expertem vitam agimus, vt hac ratione sancti effecti propiùs ad sanctum Deum accedere valeamus. Scriptum

Leu. 19, 2. est enim: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. & ad Moysem sacrorum Antistitem

Leu. 10, 3. dictum est: Sanctificabor in ijs, qui appropinquant mihi. Sit itaque, inquit, in nobis nomen sanctum tuum, (hoc enim Sanctificetur significat) nec à nobis tantùm, sed etiam à toto mundo inuocetur. Considera enim vt ab ijs, quibus veritatis lux nondum affulsit, sed adhuc in tenẽbris infidelitatis delitescũt, Dei vsque nomen contemnatur, quòd nec sanctum illis aut adoratione dignum videatur: vbi verò veritatis lumen aspexerint, & quasi è nocte ac tenebris fuerint suscitati, vixdum quale illud quantúmque sit cognoscentes, statim sanctum illud esse sanctorum confitentur. Quod vt ita se habere intelligas, dixit quidam sanctorum Prophetarum:

Is. 8, 14. Dominum ipsum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester: & si in eo confisus fueris, erit vobis in sanctificationem.

CHRYSOSTOMVS in Epist. 1. ad Cor. c. 6.

17. Quando autem iam nihil corporeum, neque crassum aut terrenum circa nos fuerit, sed tantùm corpore simpliciter induti fuerimus, & totus principatus fuerit animæ ac spiritus, tunc Deus glorificabitur. Quamobrem & in oratione iubemur dicere, Sanctificetur nomen tuum, id est, glorificetur. Ita enim glorificant etiam cæli, non vocem emittentes, sed per aspectum habiti in admiratione, & gloriam referentes in opificem. Ita nos quoque ipsum glorificemus, imò verò etiam plus quàm illi: non enim cælum, dies & nox ita Deum glorificat vt sancta anima. Quomodo enim cæli pulchritudinem quisquam intuens, dicit, Gloria tibi Deus, quòd tale opus creaueris: ita etiam aspiciens virtutem viri, quando contumelijs affectus benè precatur, quando maledictis appetitus laudat, quando contumelijs affectus orat pro ijs qui faciunt iniuriam, quando sibi insidias struentes ac bellum mouentes afficit beneficijs. Hæc enim, & quæ sunt huiuscemodi, multò magis Deum glorificabunt.

GEOMETRA.

18. Adueniat regnum tuum. Vt aboleatur omnis principatus, & potestas, & vis, insuper & omne regnum mundi, & quod regnat in mortalibus nostris corporibus peccatum, in omnibus autẽ illis regnet Deus. quasi dicat:

CHRYSOSTOMVS.

19. Præsta nobis Domine conuersationem imitari cælestem, vt quæcumque tu vis, nos etiam velimus. Confirma voluntatem laborantem, & cupientem quidem facere quæ tua sunt, sed corporis infirmitate prohibitã. Porrige manum ijs qui currere conantur, sed claudicare coguntur. Prompta quidem est anima, sed eam aggrauat caro. Agilis illa est ad cælestia, sed deprimit hæc ad terrena. Verùm si tuum adsit auxilium, etiam poterit illa quæ valdè impossibilia videntur.

ISIDORVS epist. 281. *Christus docet nos nõ terrena petere sed spiritalia.*

20. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Oratio, quam Dominus discipulos suos docuit, nihil terrenum habet, sed omnia cælestia, & ad animæ vtilitatem tendentia. Non enim imperium, non opes & copias, non pulchritudinem, non robur, non aliud quidquam ex his quæ citò flaccescunt postulare docet. Nam à quibus, etiam cùm præsto sunt, abstinere iubemur; ijs, cùm absunt, vt fruamur postulare superuacaneum est. Quin hoc et am ipsum quod patuum esse, atque in sensum cadere videtur, potissimùm de diuino sermone (qui animum corporis expertem alit, atque in ipsius essentiam quodammodò miscetur, & manat: vnde etiam Supersubstantialis panis dictus est, substantiæ nimirum vocabulo, animæ potiùs quàm corpori congruente) intelligendum esse, doctis viris placuit. Atque vt etiam de quotidiano pane, qui ad tuendum & conseruandum corpus accommodus est, dictum esse demus, ipse quoque, si modum species, spiritualis efficitur. Etenim nihil præter panem requirere, spiritualis proculdubio, ac præclaræ & philosophicæ mẽtis fuerit. Quæ cùm ita sint, ea, quæ edocti sumus, postulemus: ac non ea quæ facilè extinguuntur. Ingentis enim miseriæ atque amentiæ fuerit, hæc petere, quæ etiam cùm habemus excutere iussi sumus.

CHRYSOSTOMVS in Psal. Hom. 147.

21. Alia enim omnia de cælo, & eius regno, & de perfectã vitæ institutione, & de libe-

liberatione à peccatis nobis dicuntur: de sensilibus vnam iubemur dicere dictionem. Qualem autem illam? Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, & nihil amplius.

ATHANASIVS de Incarnatione. 22. Et Dominus quando de seipso dicit, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit; alibi Spiritum sanctum appellat panem cælestem, dicens, Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. Docuit enim nus, vt posceremus in precibus nostris in hoc sæculo panem supersubstantialem, hoc est futurum, cuius primitias habemus, quia in communionem corporis Dominici admissi sumus, quemadmodum ipse dixit, Panis quem ego dabo, pro mundi vitâ est. Spiritus enim viuificans est caro Domini, quoniam ex Spiritu viuificante concepta est. Quod enim ex spiritu nascitur, spiritus est.

Ioan. 6,51. Ioan. 3,6.

BASILIVS in Breuio. reg. 252. 23. Panem quotidianum, hoc est, qui ad quotidianam vitæ sustentationem substantiæ nostræ conducit, non sibi ipsi adscribit, sed a Deo suppliciter petit, & necessitatem naturæ ipsi exponit. Nam aliquem sibi de crastino sollicitum esse, & suæ tantùm necessitati prospicere, proprij amoris vitium est: sollicitum autem esse & operari, vt secundùm mandatum Domini infirmis succurratur, Christum proximumque diligentis indicium est. Neque etiam voluptas debet edendi finis constitui, sed vitæ necessitas, repudiatâ voluptatis intemperantiâ. voluptatibus enim seruire, nihil aliud est, quàm ventrem sibi Deum constituere.

GEOMETRA. 24. Quotidiana autem nobis incumbit necessitas. Vera enim vita nostra est instauranda, vt secundùm Deum viuat homo interior.

BASILIVS. 25. Similiter etiam vita corporalis. Exhalato enim cibi nutrimento, & humore corporis diminuto, esurimus sitimusque, & defectum iterùm instauramus.

VERS. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & ipsi dimittimus omni debenti nobis.

MAXIMVS 26. QVAMOBREM erga inuicem leni simus animo, & tolerabit Deus peccata nostra: ne reddamus malum pro malo, neque recipiemus secundùm delicta nostra. Remissionem siquidem peccatorum condonando fratribus inuenimus, & misericordia Domini in eleemosynâ proximis exhibitâ latet. Propterea dixit Dominus, Dimittite, & dimittetur vobis. &, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. &, Quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis. Ecce largitus est tibi Dominus salutis modum, & dedit nobis potestatem filios Dei fieri, & in voluntate nostrâ constituta est nostra salus.

Lucæ 6,37. Ioan. 1,12.

VERS. 4. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.

CYRILLVS. 27. DVPLEX est autem tentationum genus. Vel enim tétatur aliquis quod alij opinioni suę aducrsentur, vel quòd contumeliam ab iis patiatur. Oportet, inquam, oportet eos qui cum tantis malis conflictantur, si quidem nondum in illa inciderint, rogare ac dicere, Et ne nos inducas in tentationem. Vbi verò inciderit tentatio, generosè resiste, carnem puni, mentemque freno coërce, Deique implora auxilium: adiuuabit enim extemplò Saluator omnium, & Dominus victoriam largietur.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 28. Et ne nos, inquit, inducas in tentationem. Hoc est, in periculum & insidias: iubens non insilire in pericula, aut in illa nos ipsos præcipitare, sed sustinere quidem cùm incidunt, atque omnem ostendere fortitudinem; non autem insolescere, aut priores in pericula fiuit incurrere: vt simul & humilitatem doceret, & ab inanis gloriæ nos culpâ liberaret. Hoc & reipsâ docet, dicens: Pater, transeat calix: sicque & tentationes abegit, nobisque suam contra eas fortitudinem ostendit.

MAXIMVS 29. Sed quomodo Dominus quidem deprecandam docet tentationem, Iacobus verò dicit, Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis? Dominus siquidè proprios suos discipulos quomodo orandum sit docens, nos iussit tentationes deprecari, dum præcipit vt petamus, Et ne nos inducas in tentationem; id est, ne permittas voluptuosarum & spontanearum tentationum nos experientiam capere: magnus autem Iacobus docet, pro veritate certantes non remitti tentationibus inuoluntariis & causatiuis laborum, dicens, Omne gaudium existimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis. Quòd enim de inuoluntariis & laborum causatiuis agat, apertè ostenditur ex eo quod hoc loco subiungit Dominus, dicens: Sed libera nos à malo. Ibi autem probatio tribulationis, de quâ agit Iacobus, in nobis patientiam operatur, patientia autem opus perfectû habet.

Iac. 1,2. Quæ tentationes bonæ sint.

MARCVS ARCHIEP. 30. Fuga tentationem per patientiam & orationem: hæc autem illi opponens, superior euadit. Tentatione incidente, noli quærere cur aut per quem acciderit, sed quomodo illam cum gratiarum actione, & sine vllâ iniuriarum memoriâ sustineas. Sicut enim opus quod Dei causâ fit, virtus dicitur; ita tribulatio quæ præter expectationem acci-

Quomodo Deus homines tentet.

accidit, tentatio nominatur. Tentauit enim Deus Abraham, id est, propter maius commodum afflixit, non vt cognosceret qualis esset (nouerat enim ipsum,qui nouit omnia priusquam fiant) sed vt occasionem illi præberet perfectæ fidei exercendæ. Omnis siquidem tribulatio, voluntatis motum arguit, an ad dextram an verò ad sinistram deflectat. Incidens itaq; afflictio tentatio appellatur. Omnis verò euentus nundinis comparatur: qui illâ rectè vti, ac cum eâ negotiari nouit, lucri plurimum facit; nesciens verò vti, damnum refert.

ANNOTATIONES.

NVM. 50 ET ne nos, inquit, inducas.] *Non impellendo. vt vult Caluinus. sed permittendo induci. Ita Patres & Catholici passim. Petimus itaque Primò, non induci in tentationem, ita videlicet vt tentatione non superemur. Deinde, vt tentatio nobis non obueniat. Licet enim in Vitis Patrum nonnullos Sanctos legamus optasse tentationes, quasi materiam augendæ virtutis ac meritorum, ex magnâ nempe animi fortitudine ac spe in Deum; tamen ordinariè tutius est illas fugere & deprecari. Monemur ergo hîc infirmitatis nostræ, & vt ob eam nos tentationibus non ingeramus, sed illas, quantum fieri potest, arceamus & deprecemur. Ita Chrysostomus hîc in Catenâ, & S. Augustinus lib. de Bono perseuerantiæ cap. 6. & alij. Subiungitur autem eodem versu, quo & Oratio concluditur,* Sed libera nos à malo. *quod malum S. Augustinus de Sermone Christi in monte, respondet esse* tentationem, *Chrysostomus verò in cap. 6. Matthæi,* diabolum, *quippe qui præses est & auctor tentationum. Generaliùs denique S. Cyprianus de Oratione Dominicâ intelligit* omne malum, *quod scilicet vel ad peccatum trahit, vel virtutis ac perfectionis est impedimentum: & sic clariùs liquet, hanc Petitionem à præcedenti distingui. Matthæi autem sexto capite in Græcis codicibus additur,* Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. *id est,* Quoniam tuum est regnum, & potestas, & gloria in sæcula, Amen, *& ita ibidem legũt Syrus, Chrysostomus, & Euthymius, quod audè sequuntur Nouantes. Videtur autem hoc Græci addidisse piâ & solemni consuetudine, sicuti & Salutationi Angelicæ quidam addũt,* ὅτι σὺ ἔτεκες τὸν Σωτῆρα ἡμῶν, Quia tu peperisti saluatorem nostrum. *Et Psalmis addunt,* Δόξα Πατρὶ καὶ Υἱῷ καὶ ἁγίῳ Πνεύματι Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto *Nam Latini etiam prisci, vt Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, imò quidam Græci codices, vt Vaticanus, & nonnulli alij, non legunt hæc.*

Quo sensu petamus ne inducamur in tentationem.

VERS. 5. Et ait ad illos: Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes,

6. quoniam amicus meus venit de viâ ad me, & non habeo quod ponam ante illum,

7. & ille deintus respondens dicat: Noli mihi molestus esse; iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & date tibi.

8. Et si ille perseuerauerit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

31. PER modum parabolæ manifestat, negligẽtiam in orationibus damnosam esse, vtilissimam verò in iis esse patientiã. Agedum igitur, quæ in formâ parabolæ proponuntur, ad veritatem transferamus. Assiduus precationi insistas. Accede ad bonum Deum, & quidem frequenter: & si videris differri gratiæ largitionem, ne putes idcircò te frustratum expectationibus tuis, neque propositam spem deponas, insulsè aliquid istiusmodi animo pertractans: En sæpenumerò iam accessi, lacrymatus sum, obtestatus sum, nec exauditus sum; nam nihil eorum quæ petij, vmquam hactenus consecutus sum. Sed illud potiùs tecum cogita, vniuersorum Dominum, qui supra nos est, quid è re nostrâ sit, probè nosse. Adde, te ea frequenter petere, quæ modulum tuum excedunt. Nouit autem qui dat, largitioni tempus opportunum. Nobis igitur orationi impigrè incumbendum, in eaque constanter perseuerandum, etiam petitionibus iteratis. Quod enim citra sudorem obtingit, vel ex parato subministratur, id, vt non contemnatur, certè minoris plerumque fit. CYRILLVS

Oratio debet esse constans.

32. Illud autem, Quis vestrûm, ad discipulos dicitur; illud verò, Habebit amicum, de Deo intelligitur, qui sanctis, sicut Moysi & Abrahæ, amicus est. Per mediam autem noctem præsentis fortè vitæ tempus significatur, quando deuastator in omnem huius mundi Ægyptij domum, postes Christi Sanguine illitas non habentem, ingreditur. Petit autem discipulus ab amico tres panes, volens diuinæ Triados cognitione atque scientiâ amicum suum ali, qui de viâ ad se diuerterat, iuxta illud, Sine me nihil potestis facere. Sed quomodo respondit deintus, dicens, Noli mihi molestus esse? Non quòd petitiones precesque nostræ vmquam Deo molestæ accidant, quotiescumque laboribus difficultatibusque grauati eas Saluatori exhibemus; quia ipse fert infirmitates nostras, & dolores nostros portat. Sicut nec dormit Deus, neque dormitat. Sed & alibi irasci dicitur peccatoribus, vti hîc molestiam pati ab eo qui hîc illam facessere scribitur. ORIGENES.

Quis amicus, & tres panes quos petit.

Ioan. 15, 5.

Isa. 53, 4.

33. Dominus domûs est Saluator noster Iesus Christus, qui omnes diligit, omnium- SEVERVS.

que

que etiam eorũ qui in ipsum necdũ credunt, salutem sitit. Qui autem tres panes media nocte petit, est is qui serò ad fidem venit. Per tres enim panes, fides in sanctissimã Trinitatem designatur. Per amicũ qui de viâ hospitij causâ diuertit, Angelũ qui circa finem vitæ accedit, vt nos secũ assumat, haud incommode accipere possumus. Amant enim nos ipsi quoque, deque salute nostrâ lætitiæ materiam hauriunt. Notum est enim illud

Luc. 15. 7, 10. Christi, Gaudium est in cælo coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente. Ait itaque qui omnes saluari cupit, se aliquos, tametsi fide neglectâ totum vitæ tempus inutiliter triuerint, modò tamen sub extremum vitæ peccatorum contritione elicitâ, ad fidem fuerint conuersi, & quasi nocte intempestiuâ ostium pulsauerint, exauditurum, non propter iustitiam, sed propter illorum improbitatem atque impudentiam, (improbitatẽ verò hic nominat perseuerantiam & constantiam in orando,) & panes fidei præbiturum, hoc est, cognitionem & communicationem sanctissimę Trinitatis. Pueri autem qui in cubili, sunt fideles qui corde simplici credunt Euangelio, & summâ cum Domino quiete perfruuntur.

ᵃMatth. 7, 7. 21, 22. Marc. 11, 34. Ioã. 14, 13. Iacob. 1, 5.

VERS. 9. ᵃEt ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis.

10. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur.

CHRYSOSTOMVS in Matth. cap. 7.

34. NON solùm itaque oportet virtutibus studere, sed etiam supernum aduocare præsidium: propterea siquidem per Petere orationem significauit, per Quærere assiduitatem, per Pulsare in accessu feruorem. Et vt ostendat, quòd licet non statim aperiatur ostium, exspectare oporteat, (si enim perseuerauetis in petendo, accipies omnia;) proptereà clausa est ianua, vt ad pulsandum inducaris: idcircò non statim annuit, vt diutiùs inquiras.

Quæ sit differentia inter Petere, Quærere & Pulsare.

SEVERVS.

35. Virtutis siquidem initium est, petere notam fieri viam veritatis. Secundus verò gradus est, quærere qualiter oporteat transire per viam. Tertius gradus est, vt cùm virtutes attigerit, pulset ad ostium, vt intret spatiosam cognoscitiuã operationem. Quæ omnia orando quis acquirit. Vel per hoc quòd dicit Pulsate, forsitan insinuat petitionem cum actione: pulsat enim aliquis manu dexterâ; boni autem operis symbolum est manus dextera. Vel Petere quidem est orare; Quærere verò per bona opera agere orationi condigna, & non tantum orare, sed & ostium pulsare. Pulsare autem, est coëxtendere preces nostras Dei longanimitate, & illi immorari, nec desistere.

ANNOTATIONES.

AD illud v. 9. PETITE ET DABITVR VOBIS,] *Scilicet quæ hactenus dicta sunt, quæque difficilia videtur, & in Oratione Dominicâ petenda præscribuntur. nam eò hæc referuntur. Nota autẽ ex S. Augustino l. 1. Retractationum cap. 19. petere, quærere, & pulsare, idem significare, scilicet instantissimam petitionem. Nam* petere *propriè significat fiduciam in oratione necessariam;* quærere, *diligentiam; &* pulsare, *perseuerantiam. Omnis autem qui ita petit accipit, si videlicet petat quod oportet, & quomodo oportet, & nisi magis expediat non accipere.* NVM. 34

Quid sit Petere, Quærere, & Pulsare.

VERS. 11. ᵇQuis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpentem dabit illi? ᵇMatth. 7, 9.

12. Aut si petierit ouum: numquid porriget illi scorpionem?

13. Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se?

CYRILLVS

36. PATER, inquit, liberorum effectus, præ nimio in illos amore, semper ijs consulere ac prodesse desideras. Quare si quid postulauerint, non statim negligis, sed gaudens concedis, sciens vtilia ijs plurimum prodesse alimenta: si quando tamen infans, vel ob ætatis aut cerebri imbecillitatem non satis discernere visa noscens, lapidem ad manducandum petierit, nequaquam, inquit, ipsi porrigis, sed potiùs rei noxiæ eximis cupiditatem (eadem est ratio de serpente & scorpione, pisce atque ouo.) Si ergo, inquit, vos cùm sitis mali, id est cùm habeatis mentem malitiæ capacem, nec (vti Deus) in bono vniformem; nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester cælestis, de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? id est, gratiam spiritalem, quam qui receperit, ter beatus erit. Hanc itaque accipere si desideras, lætus accede & postula. Annuet vtique, cùm virtutis sit amans qui in cælis est Pater.

Parentes liberis vtilia porrigunt.

37. Tu autem attende, si panis quidem sit animæ cibus in cognitione, sine quo non contingit saluari: puta perspicàx ratio vitæ debitæ. Piscis autem est amor disciplinæ, puta mundi constitutionem cognoscere, elementorum effectum, & quæcumque consequenter disserit sapientia. Itaque nec vice panis Deus propinat lapidem, quem volebat diabolus à Christo manducari; nec vice piscis serpentem, quem comedunt Æthiopes, ORIGENES.

indigni

indigni pisces comedere, secundùm illud
Psal.73,14. Psalmistæ: Tu confregisti capita draconis in aquis: dedisti eum escam populis Æthiopum. Neque simpliciter pro cibo nutritiuo & vtili, dat incomestibilia & nociua.

"Matth.9,32.12.22. Marc.3,22. VERS.14. "Et erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum.

Titus. Quid sit dæmonium mutum.

38. MVTVM autem vel surdum dicit dæmonium, quod hanc ingerit passionem, vt non audiatur verbum Dei. Nam dæmones auferentes aptitudinem humani affectus, obtundunt animæ nostræ auditum: idcircò venit Christus, vt & eijciat dæmonium, & audiamus verbum veritatis; non enim solus ille dæmoniacus erat mutus, sed mutorum omnium erat exemplum. Vnum autem sanauit, vt vniuersalem prægustationem faciat humanæ salutis. Sic etiam quando vnus cæcus natus curatur, omnes spiritaliter instruimur: & quãdo vnus paralyticus incedit, omnes per spem currimus. Mundus autem vnà cum vno per fidem in ænigmate decurrit veritatis cursum. Verùm mali beneficium curationis præstigijs & incantationibus adscripserunt, propriæ suspicionis discipuli existentes.

ANNOTATIONES.

NVM. 38 AD illud v.14. ET ILLVD ERAT MVTVM.] *Matthæi autem cap.12.vers.22. dicitur τυφλὸς καὶ κωφὸς, id est* cæcus & mutus. *Vnde supplendus est ex Matthæo Lucas. Hæc autem cæcitas non erat à naturâ aut morbo, sed à dæmone, oculorum & aurium vsum impediente. quod ex eo patet, quia eiecto dæmone, statim visûs & auditûs vsum recepit. Vnde S. Lucas non tam hominem, quam dæmonium ipsum mutum dixit, vt quod loquelam hominis impediebat.*

VERS.14. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ.

15. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

CHRYSOSTOMVS in Ep. ad Heb. Homil.28.

Christus à Iudæis calumniis affectus.

39. VT summatim dicam, tota Saluatoris vita plena fuit contumelijs. Iosanus enim vocatus fuit, & seductor, & præstigiator. Præstigiarum enim & magicæ artis eum accusabant, dicentes, In Beelzebub eijcit dæmonia; & quòd insaniret, & haberet dæmonium, & turbas seduceret. Et hæc à Iudæis audiebat, cùm eos beneficijs afficeret, miracula faceret, Dei opera ostẽderet. Nam si quidem nihil faciens hæc audiret, nihil adeò esset mirum: quòd autem docens quæ pertinent ad veritatem, audiret se vocari seductorem; & dæmones eijciens, dæmonium habere diceretur; & quæcumque erant contraria euertens, præstigiator vocaretur; quomodo non omnem excedat admirationem? De his enim eum assiduè accusabant.

VERS.16. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo.

40. ALII verò paribus stimulati liuoris aculeis, petebant ab eo cæleste videre portentum, tantùm non clamantes: Quamuis ab homine dæmonium eieceris, non tamen hoc est diuinæ operationis argumentum; nondum enim vidimus aliquid prioribus simile miraculis. Exhibe aliquod miraculum supernè, quod careat dubitatione. Moyses traduxit populum per medium maris. Percussit virga petram, & ipsam fluuiorum matrem ostendit, & fluxerunt fontes de saxo durissimo. Iosue similiter successor eius solem retardauit in Gabaon: stitit Iordanem, & habeoas eius vndis iniecit: tu verò nihil horum ostendisti. Quærere enim prodigia de cælo innuit, quòd huiusmodi cogitationibus tunc temporis afficiebantur erga Christum. Sed quid ad hæc Christus? CYRILLVS

VERS.17. Ipse autem vt vidit cogitationes eorũ, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet.

18. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia.

41 PRIMO quidem se Deum esse manifestat, ex eo quòd cognoscat occultos illorum susurros (cogitationes enim illorum intellexerat.) Quia autem impudens erat talis illorum suspicio, ideò etiam multorum timore perterriti, non præsumpserunt criminationes suas in publicum proferre, sed mente secum assiduè versabant. CYRILLVS

VERS.19. Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij vestri in quo eijciunt? Ideò ipsi iudices vestri erunt.

42. ET hic iterùm, Si is se diuisus est satanas, inquit, imbecillior factus est & perditus. Quomodo ergo poterit alium eijcere? Et hæc quidem prima solutio est. Secunda verò illa, quæ de discipulis dicitur, vide quàm mitis sit. Non enim dixit, Discipuli mei, volens illorum animos mitigare (visa enim suisset adulatio;) sed, Filij vestri. CHRYSOSTOMVS in Matth. c.12.

ANNOTATIONES.

AD illud verſ.19. FILII VESTRI, &c.] *Nota, S. Chrysostomum hoc loco in Catenâ cum S. Hilario* NVM.42.

lario & Hieronymo in cap. 12. Matthæi per filios accipere Apostolos & discipulos, quòd nempe essent filij Iudæorum? Verùm probabilius existimo, intelligendos exorcistas Iudæos, quorum artem à Salomone traditam narrat Iosephus lib 8. Antiquitatis cap. 2. de quibus etiam fit mentio Actorum cap. 19, 13.

VERS. 20. Porrò si in digito Dei eijcio dæmonia: profectò peruenit in vos regnum Dei.

CYRILLVS 43 CVM itaque dictum vestrum, inquit, minime sit verum, sed euanidum potius & mendacium, ac speciem habens calumniæ; manifestum est quòd in digito Dei eijcio dæmonia. Digitum hîc Dei Spiritum sanctum nominat; Brachium siquidem ipse Dei & Patris appellatur, quòd omnia per ipsum operetur, sicut & Filius similiter operatur in Spiritu. Quemadmodum igitur digitus manui adhæret, non tamquam diuersus ab illâ, sed vt illi naturaliter insitus; sic & Spiritus sanctus, tametsi & ex Deo Patre procedat, consubstantialiter connexus est Filio, & per eum omnia Filius operatur. Et nunc quidem dispensatiuè vt homo, In digito, inquit, Dei eijcio dæmonia: nam si dixisset, In spiritu meo eijcio dæmonia, non sustinuissent vtique Iudæi, ipsum vt stultum & impudentem reijcientes.

Filius cur Dei brachium, & Spiritus sanctus Dei digitus appelletur.

IDEM Thesauri lib. 13. c. 2. 44. Digitum Dei Spiritum sanctum nominat, quia modo quodam ex substantiâ Dei emanat, & naturaliter inde dependet, sicut ex humanâ manu digitus. Brachium enim & dexteram Dei, Filium Dei Scripturæ vocant. Saluauit enim, inquit, dextera eius, & brachium sanctum eius. Et rursus: Domine, sublime est brachium tuum, & nesciuerunt. Quemadmodum igitur brachium toti corpori naturaliter coaptatur, omniaque facit quæ menti videntur; sic Filium quidem Dei, ex ipso & in ipso Patre naturaliter esse intelligimus; ex Filio autem naturaliter & essentialiter Spiritum sanctum, sicut ex Patre prouenire credimus. Nō est igitur aliud Spiritus à Deitatis essentiâ, sed ex ipsâ & in ipsâ naturaliter, sicut & digitus in manu, & manus in corpore. Eiusdem enim substantiæ digitus cum manu, & manus cum corpore est. Deus igitur est Spiritus sanctus, in quo & tabulæ olim conscriptæ sunt. Scriptum est enim, quoniam exaratæ erant digito Dei, sed quomodo, calamóne & atramento? Nequaquam, sed Spiritu sancto, & virtute Dei.

Psal. 97, 1.

Isa. 53, 1.

CYRILLVS Si itaque ego homo, inquit, existens, in Spiritu diuino eijcio dæmones; ditata est humana natura in me, & aduenit regnum Dei. Honorata est siquidem conterendo satanam, & immundis spiritibus imperando, & ideò conuenienter dicit, Peruenit in vos regnum Dei.

TITVS. 46. Cùm enim in Exodo Magi permissione Dei plurima mirabilia fecissent, vbi Moyses aduenerat, non potuerunt Magi ipsius miranda opera æmulari aut imitari: vnde illa suas vires excedere videntes, coacti sunt fateri, & dicere, Digitus Dei hic est. Dominus itaque ad Moysaicam legem & historiam illam respiciens, hæc dicit. *Exod 8, 19*

ANNOTATIONES.

AD illud *Vers.* 20 PERVENIT IN VOS REGNVM DEI] *Quasi dicat, Ergo verum est, & Spiritus sanctus miraculosè suo concursu testatur, iam compleri ac verificari quod ego & Ioannes caput prædicationis nostræ posuimus, scilicet,* Appropinquauit regnum cælorum, *cum videatis dæmonis regnum passim per me & verbis & factis, in corporibus & animabus hominum destrui, sicque inchoari regnum Dei per gratiam, quod perficietur in cælis, vbi Deus cum Sanctis regnat per gloriam.* NVM. 45

VERS. 21. Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet.

22. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.

CYRILLVS in Glaphyris. 47. ANTEQVAM autem liget ac vinciat fortem, id est diabolum, aufert per fidem in se, omnia arma eius, id est, omnes qui sub illo militabant, & in armis iniustitiæ ac peccatorum confidebant.

CHRYSOSTOMVS in Matt. 12. 48. Primam itaque hanc posuit solutionem, quòd siue sit patuum, siue magnum quod secum ipsum dissidet, pessumdetur. Non igitur potest dici quòd per hoc confirmatus sit satanas, cùm potiùs per hoc dissolutus sit. Quomodo enim alium possit eijcere, qui per hoc imbecillior factus est, quòd diuisus sit? Secundam verò hanc, quòd discipuli, qui in nomine ipsius dæmones fugant, minimè reprehendantur. Tertiam autem hanc, quòd videlicet nemo satanam possit eijcere, nisi priùs ipsum superauerit. Quid igitur ex his cōficitur? Quia adeò, inquit, absum ne socio atque coadiutore diabolo vtar, vt etiam cum ipso bellum geram, & victum vinciam. Cuius rei signum est, quòd vasa eius diripiam, id est, fugo dæmones, eorumque opera dissoluo. Fortem autem vocat, non quòd talis sit, sed vt ostendat, eius tyrannidem, quàm anteà exercebat, à nostrâ negligentiâ & ignauiâ partam esse.

AN-

ANNOTATIONES.

NVM. 47 AD *Verſ.* 21. CVM FORTIS ARMATVS, &c.] *Nota, fortem armatum, hic eſſe diabolum; domus ſiue atrium, eſt mundus; vaſa, hoc eſt ſupellex diaboli, ſunt animæ & corpora peccatorum.*

VERS. 3. Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.

CHRYSOSTOMVS. 49. ECCE quartam ſolutionem. Nam ego, inquit, deſidero omnes adducere ad Deum, dæmon verò contraria molitur. Quomodo igitur qui mecum non colligit, ſed mea diſpergit, adeò mihi aſſentiret, vt vellet mecum dæmonia eijcere?

ANNOTATIONES.

NVM. 49 AD *Verſ.* 23. QVI NON EST MECVM, CONTRA ME EST.] *S. Hieronymus in Matthæi cap.* 12. *cum Silano & Euthymio hic diabolum intelligunt. Sed meliùs generatim, vt ſonat, accipias cum Chryſoſtomo hic in Catenâ. quaſi dicat, Tales vos eſtis Phariſæi, qui cùm primi, vtpote doctiores mei ſubditi, me Chriſtum, doctorem ac Magiſtrum veſtrum deberetis recipere & mecum eſſe, clanculùm tamen mihi aduerſamini, palàm autem diſſimulatis, quaſi iudices inquiſituri de meâ doctrinâ. Vbi nota, hunc locum non pugnare cum iſto Lucæ cap.* 9. 50. *vbi ait Chriſtus,* Qui non eſt aduerſum, vos pro vobis eſt. *Loquitur enim ibi de eo qui in re & doctrinâ cum iis conſentit, licet id explicitè non profiteatur, vt ibidem patet; hic contrà de eo qui diſſentit, licet diſſimulet.*

VERS. 24. Cùm immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem: & non inueniens dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui.

25. Et cùm venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam.

26. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus.

ANONYMVS. 50. QVID autem ſibi vult quòd malus ſpiritus in locis inaquoſis requiem quæſierit, & non inuenerit. Inaquoſi primùm loci erant Gentes, verùm nunc repletæ ſunt aquis diuinis, nec ampliùs ipſi requiem præbent. Reuertitur itaque ad primum ſuum hoſpitium, ad Iudæos nempe: quos vt reperit nihil ampliùs diuini in ſe habentes, ſed deſertos omnino, & vacuos, ad inhabitandum ſibi idoneos, in iis cum omni ſuâ poteſtate ſibi habitaculum fecit. Hoc enim videtur inſinuare, cùm ait, ſeptem alios ſecum ſpiritus accepiſſe.

51. Hæc non ad illum ſolùm, verùm etiam ad nos ipſos dicta eſſe credamus. Nam diuinâ luce illuminati, & à primâ delictorum malitiâ erepti, ſi rurſus in eamdem malitiam relabamur, grauior ſine dubio nos poſteriorum peccatorum punitio manebit. Ideò Chriſtus quoque paralyticum admonebat, dicens: Sanus iam factus es, noli ergo ampliùs peccare, ne quid peius tibi eueniat. Sed quid, inquies, peius illi accidere poterat, qui triginta & octo annos ægrotus iacuerat? Multa profectò grauiora. Vtinam autem tot tantaque nobis non accidant, quot quantaque pati poſſumus! Non enim ſuppliciorum copia deeſt Deo: nam ſecundùm magnam miſericordiam eius, ita & ira eius. CHRYSOSTOMVS in Matth. cap. 11. *Relapſus in malum peſſimus.* Ioan. 5, 14

VERS. 27. Factum eſt autem, cùm hæc diceret: extollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus venter, qui te portauit; & vbera, quæ ſuxiſti.

28. At ille dixit: Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

52. NE mireris autem ſi Chriſtus Virginis fructus, non beata prædicauerit feminea vbera; neque illa ſuperbi aut contumacis fuiſſe verba exiſtima. Nam quantum matrem revereretur ſimul ac honoraret, teſtatur Lucas, referens quàm ſubditus erat parentibus; & Ioannes, quantam paſſionis tempore matris curam habuerit. Hæc itaque conſiderans, cùm audieris mulierem illam dicentem, Beatus venter qui te portauit; deinde ipſum reſpondentem, Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud; hoc diſpenſatoriè dictum exiſtima, non quòd matrem negligeret, ſed nihil ei vtilitatis matris nomen allaturum oſtenderet, niſi bonitate & fide præſtaret. Si itaque Mariæ nihil ſine virtute, materna gratia erat profutura, cùm tamen Chriſtum peperiſſet; longè minùs nobis prodeſſe poterit patris, fratris, matris, filiique bonitas, ſi procul ab eorumdem virtute diſtemus. Nam ſi id per ſe Matri profuturum erat, profuiſſet etiam Iudæis, quippe Chriſti ſecundùm carnem conſanguineis; profuiſſet ciuitati in quâ natus eſt, profuiſſet fratribus. Atqui dum fratres ſeipſos neglexerunt, nihil illis profuit nomen propinquitatis, ſed cum reliquo mundo damnati ſunt. Tunc autem admirationi eſſe cœperunt, quando virtute propriâ claruerunt. Patria verò nihil inde conſecuta cecidit, & incendio abſumpta eſt, conciues miſerè intertempti periere, conſanguinei ſecundùm CHRYSOSTOMVS Hom. 2?. in Ioann. Luc. 2, 51. *Propinquorum virtus, ſi nos eâ careamus, non proderit.*

carnem, deficiente virtutis patrocinio nihil consecuti sunt ad salutem.

ANNOTATIONES.

NVM 52. **A**D *illud Vers.* 28. QVINIMO BEATI QVI AVDIVNT VERBVM DEI, *&c.*] *Vbi nota, μενοῦνγε idem esse ac* imò verò, *aut vt Erasmus & Iansenius,* certè. *Non ergo, vt vult Caluinus, negat Christus matrem suam esse beatam, sed tantùm ait beatiores qui verbum Dei audiunt. Nam vt ait D. Augustinus & S. Chrysostomus hic in Catenâ, beatior fuit B. Virgo, quòd Christum mente, quam quod ventre conceperit: hoc enim gratia gratis data, illud verò gratia gratum facientis erat.*

VERS. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: "Generatio hæc generatio nequam est: signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.

a Matth. 12, 39.

30. Nam sicut fuit Ionas signum Niniuitis: ita erit & filius hominis generationi isti.

BASILIVS in Isaiam. 53. **S**IGNVM est res manifesta, occultæ alicuius rei explicationem in se continens. Sicut signum Ionæ, ad inferos descensum, & Christi ab inferis resurrectionem proponit.

NYSSENVS in Oratione 1. in Pascha. 54. Numera mihi vniuersas ætates hominum, quæ intercesserunt à primo introitu malorum, vsque ad resolutionem & abolitionem eorum, quot in quaque ætate homines, quot millibus numerentur; non potest iniri numerus multitudinis eorum, quorum vnà cum succedentibus ætatibus nequitia propagabatur: omnino enim in infinitum pergebat, donec ad extremum mali progressa, vniuersam inuasit hominum naturam, ita vniuersim dicente Prophetâ, omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt; nec quidquam erat in rebus humanis, quod non esset nequitiæ instrumentum. An igitur Dominus paruum eximiæ suæ virtutis specimen edidit, qui tantum mali cumulum, à constitutione mundi vsque ad passionis Dominicę dispensationem coggestum, sine difficultate, triduo deiecit? Solus quippe simplex & incomprehẽsibilis vitæ accessus, lucisq́; aduentus, iis qui in tenebris & vmbrâ mortis sedebant, omnimodam tenebrarum discussionem mortisq́; euanescentiam produxit. Iam dictis adhuc aliud quid adiiciam. Malum ex serpente trahit originem, draconis astu & dolo victa est mulier, vir autem à muliere; per tres natum est malum. Quorsum hæc commemoro? Licet boni aliquem, per mali ordinem considerare. Tria hæc mali receptacula intueor: primum quidem, in quo initio conflatum est; alterum, in quod transmanauit; tertium autem, in quo posteà natum est. Idcircò etiam tribus diebus morbus profligatur, cuique eorum qui malitiâ laborauerant generi, vno die ad curationem attributo. Neque miteris si temporum interuallis bonorum acquisitio distribuitur. Etenim in primâ mundi constitutione non deerat virtuti diuinæ facultas, vniuersa quæ sunt temporis momento absoluendi. Verumtamen ad rerum opificium vniuersatum, assumit quoque interualla temporum, vt hæc quidem creaturæ pars primo absolueretur die, alia verò secundo, ac sic deinceps res perfectæ sunt vniuersæ, Deo creaturam vniuersam certo dierum numero condente atque concinnante. Similiter & hic pro arcanâ atque ineffabili sapientiæ eius ratione, tribus diebus ex rebus vniuersis malum expellitur, ex viris scilicet, mulieribus, atque serpentibus, in quibus primum vitij naturam ortum habuit.

Mali origo.

55. Quemadmodum enim Ionas triduo fuit in ventre ceti, sic & Dominus in corde terræ, vt aboleret ex illâ magnam in malitiâ mentem, vtque tenebræ illuminarentur, ac mors vitæ subijceretur, & malitia extremi hostis, morte destructâ, in interitum rueret. IDEM.

ANNOTATIONES.

AD *Vers.* 29. GENERATIO HÆC NEQVAM EST.] *Matthæus cap. 12, 39. addit,* & adultera, *id est, degener à fide & moribus Patriarcharum. Sic enim Hebræi vocant filios alienos, vel potiùs alieni, scilicet patris, id est spurios & degeneres. Sequitur,* SIGNVM QVÆRIT. *Vbi petes, cùm Christus tot signa fecerit, quale hic quasi nouum signum quærant. Respondeo, illos, vt hic suprà ex Vers. 16. patet, quærere signum de cælo. vt v.g. cum Eliâ ignem de cælo descendere, vel cum Samuele tonitrua, fulgura, & imbres dimittere. Ita S. Hieronymus in Matt. 12. & Cyrillus suprà Numero 40. Vbi nota, eos tacitè Christi miracula, vtpote in terrâ facta, quasi dæmonis præstigias perstringere. & tentare Christum vt eum calumnientur. Vnde benè Christus vtpote indignis respondet, se non daturum aliud signum, quàm quod assignatur Ioannis 2, 19. scilicet signum resurrectionis, quod est signum Ionæ, quia nimirum in Ionâ præfiguratum. Hoc enim clarè ostendit quisnam sit Christus, cur mortuus, cur crucifixus, in quo ipsi scandalizantur; in hoc ostendens, se mortis ac peccati domitorem esse atque Messiam. Adfert autem hoc signum Christus, vt eos simul arguat velut per signum condemnationis eorum. sic enim aliud signum ostentationis dolosè petentes oportuit retundi. Adde, quòd simul illos exemplo Niniuitarũ ad pœnitentiam inuitet. De hoc autem Ionæ signo pulchrè Eusebius Emissenus Homiliâ 2. de Paschate, & S. Augustinus epist. 49.* NVM. 53

Quale signum petant à Christo Iudæi.

VERS. 31. "Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus *3. Reg. 10, 1. 2. Par. 9, 1.*

nibus terræ audire sapientiam Salomonis. & ecce plus quàm Salomon hic.

NYSSENVS in Cantica, Orat. 7. *Regina Austri ad Salomonem adueniens quid significet.* 56. ARCANVM illud de Æthiopicâ muliere mysterium, quo nimirum pacto, relicto Æthiopum regno, tantoque itineris interuallo distantibus terris peragratis, ad Salomonem mota sapientiæ ipsius famâ festinarit, magnique pretij lapillis, auro, fragrantibus aromatis, Regem illum exceperit, manifestum est intelligenti quónam spectet. Quis enim ignorat, Ecclesiam ex Gentibus collectam, priusquam Ecclesiæ nomine censeretur, ob simulacrorum cultum fuisse nigram, & magno ignorationis interuallo, à veri Dei agnitione abfuisse? verùm postquam pacificus illuxit Christus, tum Israelitis ad lucem illam oculos claudentibus veniunt Gentes, quique longè erant dissiti, propiùs accedunt, & munera Christo deferunt, nimirum pietatis aromata, aurum agnitionis Dei, & magni pretij lapillos, qui sunt diuinorum obseruationes præceptorum.

VER. 32. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ionæ, & ecce plus quàm Ionas hic. *Ionæ. 3. 5.*

GREGORIVS NAZIANZENVS in Apologetico. *Cur Ionas subterfugeris prædicationem exercendi munere.* 57. NON ergo potentem Dei manum, quam alijs comminabatur, Ionas ignorabat; nec hoc in animum inducebat, fore vt diuinum Numen prorsus effugeret (absit à nobis hæc persuasio:) verùm quia Israelis prolapsionem perspiciebat, gratiamque Propheticam ad Gentes migrare sentiebat, idcircò prædicationem defugit, atque imperata facere cunctatur, ac gaudij speculâ relictâ (nam Ioppe apud Hebræos hoc significat) id est vereri fastigio ac dignitate, in mœroris pelagus se proijcit. Ac propterea tempestate iactatur, & dormit, & naufragium patitur, & è somno excitatur, & sorte capitur, & fugam fatetur, atque à ceto absorbetur quidem, sed non absumitur, verùm Dei opem illic implorat, simulque cum Christo (res mira!) die tertio educitur.

ATHANASIVS de Passione. 58. Timebat enim Ionas ne vanus apud eos haberetur, ac propheticus sermo in posterum fide careret, ideo videlicet in mœrore erat, ne refutaretur à Domino, eaque res omnibus Niniuitis comperta foret, non quidem quòd falsa essent in verbis Prophetæ, sed quòd Deus misericors esset, ideoque ipsis venia concederetur. Obseruandum enim, in verbo Adhuc Dei mansuetudinem latere, eamque consuetudinem esse Scripturæ, Deum, vbi longanimitatem suam ostendere concupiscit, eam per hoc verbum Adhuc solere significare, vt cùm dicit per Isaiâ, Quid adhuc facere debui vineæ meæ, quod non fecerim? per Ieremiam verò, Propterea, inquit, adhuc contendam vobiscum in iudicio: verbo autem Adhuc designat suam bonitatem & tolerantiam. Verùm vbi iam non vlteriùs longanimitatem, sed iram præsentem hominum facta prouocant, ibi ad istum modum verba concipit, Non ampliùs feram, inquiens, peccata vestra: atque ita per hoc verbum Adhuc, quod hîc positum est, clarè significat suam erga Niniuitas mansuetudinem, & verborum veritatem. Impossibile enim erat Deû vaniloquû esse. *Isa. 5. 4.* *Ier. 2. 9.*

METHODIVS PATRIARCHA. *Quid per Ionam & cete insinuetur.* 59. Magnum quoque continet mysterium quæ de Iona historia est. Per cete siquidem tempus potest intelligi, quod numquam subsistit, sed semper labitur, longis breuioribusque interstitijs cuncta consumens. Fugiens verò Ionas à facie Dei, ipse est primus ille homo qui Dei transgressus mandatum, amissâ immortalitate, ac cum Deo conuersandi confidentiâ, nudus coram eo comparere subterfugit. Nauis autem, quâ conscensâ, tempestate iactatus est, est breuis hæc præsens vita, difficulter virtutem admittens, in quam à viâ deflectẽtes, & à felici illâ & periculorum experte vitâ exulantes, in turbulentam hanc & instabilem, tamquam à continente, nauem conscendimus. Quod enim continens ad nauem, hoc præsens hæc est ad immortalem vitam comparata. Tempestas autem ac turbines nauem vndique conquassantes, tentationes sunt, quæ in hoc mundo tamquam in æstuoso ac turbulento mari quietum nos vitæ cursum tenere, & in malis nostris nos obdormiscere non sinunt. Ionæ autem in mare præcipitatio, Protoplasti à vitâ in mortem lapsum designat, qui vbi à iustitiâ ad peccatum deflexit, illam accepit sententiam: Terra es, & in terram reuertêris. Ipsius autem à ceti absumptio, significat ineuitabilem illam nostri quæ à tempore fit consumptionem & depastionem: venter enim quo deuoratus iam Ionas fuit absconsus, terra est, vniuersalis illa receptrix, omnia quæ à tempore consumpta sunt continens. Quemadmodum igitur Ionas in ventre cetis, tres dies ac totidem noctes commoratus, rursum sanus inde atque integer euasit: sic & omnes tribus hisce præsentis æui decursibus in terrâ confectis, principio, inquã, medio, & fine, quibus omne hoc tempus constat, post mundi consummationem resurgemus. In vniuersum enim

ſes Aaronem & vnà cum eo Leuitas aquâ abluit, lege per typicum qui in vmbrâ fiebat baptiſmum innuente, ſactificium legale non continere aut conferre perfectam ſanctitatem, ſed veram emundationem diuino atque ſacto opus eſſe Baptiſmate. Aliâ verò ratione nobis indicat ſacrum & electum à Deo genus, quod ſumus nos, ad ſanctimoniam & ſordium depoſitionem à Saluatore omnium ſacroſancto Baptiſmi Sacramento initiari. Conſideratè verò, nequaquam præceptum eſſe vt ciborum ſumptioni baptiſma præmitteretur. Quid igitur miratus, aut quam ob cauſam ſcandalizatus es, ô Phariſæe? Quid autem Dominus? Ex occaſione ipſum inceperat. Audi enim:

VERS. 39. Et ait Dominus ad illum: "Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ, & iniquitate. Matth.23, 25.

40. Stulti, nónne qui fecit quod deforis eſt, etiam id, quod de intus eſt, fecit?

Cyrillus 64 OSTENDIT autem quòd mundos & totos oporteat eſſe ſincerè miniſtrantes Deo, non ſolùm à ſpurcitiâ corporali, imò ab eâ quæ latet intrinſecus in mente: ſicuti vaſis quibus ſeruitur in menſis, bonum eſt & extrinſecus & intrinſecus carere contagiis. Qui enim, inquit, fecit quod deforis eſt, etiam quod deintus eſt, fecit. hoc eſt, Is qui corpus creauit, etiam animam cōdidit. Cùm igitur vnius ſimus virtutum amatoris Dei creaturæ, vniformiter nos conuenit eſſe mundos, ſed non qualiter Scribæ ſolent & Phariſæi, qui quòd non tam vt eſſent, quàm vt viderentur mundi, laborarent, ipſius Domini voce ſepulchris dealbatis cōparantur, quæ deforis quidem ſpecioſa videntur, intrinſecus autem ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni immunditiâ. Non vtique tales Chriſtus nos eſſe cupit, ſed ſanctos & impollutos animâ & corpore, vti
Iac.4,8. rectè S. Iacobus dixit, Emundate manus, peccatores: & purificate corda, duplices ani-
Iſa.1,16. mo. Sed & Iſaias in perſonâ Dei loquitur: Lauamini, mundi eſtote: auferte mala ex animabus veſtris, ab oculis meis.

ANNOTATIONES.

NVM.64 AD Verſ. 39. QVOD DEFORIS EST CALICIS.] *Nota, hic per metaphoram hominem vocari calicem, quod autem foris eſt, ſiue partem exteriorem calicis, vocari corpus & externa quæque; quod verò intus eſt, ſiue interiorem partem calicis, vocari animam, vel conſcientiam, quâ mundatâ, opera etiam externa quæ inde manant, & bonitatem & malitiam ſuam hauriunt, ſimiliter mundantur, adeoq; omnia ei munda ſunt. Sic ſæpè Apoſtolus diſtinguit hominem exteriorem ab interiori, de quo vide Cornelium in cap. 7. Epiſt. ad Romanos, verſ. 22.*

VERS. 41. Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.

65. QVID igitur? An omnium quis per eleemoſynâ, quæcumq; peccauerit, mundationem accipit? & ſic intelligendum eſt illud, Date eleemoſynâ, & omnia munda vobis erunt? Ipſa eorum quæ præmiſſa ſunt conſequentia & ſeries declarat quid ſit dictum. Cùm enim præmiſiſſet, Quod deforis eſt calicis & catini, mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ & iniquitate; ita ſubiecit: Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda vobis erunt. Omnia videlicet quæ per rapinam & auaritiæ ſtudium peccamus, & malè agimus. Exprimit autem hoc & Zachæus, cùm dicit: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ita quæcumque talia peccata ſunt, quæ dilui, & pro quibus plura rependi queant, hoc pacto mundantur. Hoc pacto, inquam, non quòd per ſe iſta ad mundationem ſufficiant, cùm principaliter opus ſit miſericordiâ Dei, & Sanguine Chriſti, in quo & aliorum omnium redemptionem habemus, ſi in vnoquoque dignos pœnitentiæ fructus fecerimus.

Baſilius in Regulis breuiorib. — *Eleēmoſyna quomodo deleat peccata.* — Luc.19,8.

ANNOTATIONES.

AD illud Verſ. 41. VERVMTAMEN QVOD SVPEREST, DATE ELEEMOSYNAM.] *Ex iis nempe quæ adſunt aut ſuperſunt vobis, & necdum conſumpta ſunt. q.d. quod habetis & poteſtis dare. Ita Syrus & Euthymius.* Καλῶς δὲ (*inquit* THEOPHYLACTUS) εἶπε, Τὰ ἐνόντα, καὶ οὐκ εἶπεν, Ὄντα, διότι τὰ χρήματα ἔνεισιν ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ φιλοχρηματοῦ, καὶ ἐγκάθηνται αὐτῇ. Διὸ καὶ Δαβὶδ φησί, μὴ προστίθεσθε τὴν καρδίαν τῷ πλούτῳ, τουτέστι, μὴ προσηλοῦσθε αὐτῷ καὶ συνδεῖσθε. *id eſt:* Pulchrè autem dixit, Quæ inſunt, & non dixit, Quæ ſunt, quia diuitiæ inſunt in corde amantis illas, eique inſident. Propter quod & Dauid ait, Diuitiis nolite cor apponere, hoc eſt nolite iis affigi aut alligari. NVM.65

Quod autem ſubiungitur, Et ecce omnia munda vobis ſunt, *id eſt, Tam interna, vt anima; & externa, vt corpus, quæ vos lauari cupitis, magis lauantur & mundantur per eleemoſynam debito modo factam, ſcilicet ex propriis & non ex alienis bonis. Nam per eleemoſynam remittuntur peccata venialia & pœna mortalium, quin imò per eamdem homo diſponitur ad remiſſionem mortalium, quam etiam confert contritioni coniuncta.* *Eleēmoſyna vt mundet peccata.*

Notat autem benè S. Augustinus Enchiridij c. 75. quosdam hoc loco abusos vt flagitiosè viuerent, putantes si facerent eleemosynas, se mundos ac saluos fore.

VERS. 42. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

CYRILLVS 66. QVAE autem maximè curare oportebat, tamquam nullius momenti negligebant, videlicet iudicium & dilectionem Dei: illa verò sola præcepta accuratius à populis subiectis iubebant obseruari, quæ illis fecundorum redituum causæ existebát. Vnde nec minima olerum postponebant, debitum autem Deo dilectionis officium non exhibebant, & iudicij quoque iustam censuram negligebant.

CHRYSOSTOMVS in Matth. cap. 23. 67. Deinde, vt ostenderet, nullum damnum ex contemptu corporalium mundationum sequi, culices eas, vtpote exigui nulliusq; momenti, vocauit: acerba verò supplicia his imminere qui animæ mundationem despiciunt, quæ mundatio virtute conficitur, camelum, quia magna, appellauit.

"Infrà 20, 45. Marc. 12, 38. Matth. 23, 6. VERS. 43. " Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro.

44. Væ vobis, quia estis vt monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes suprà, nesciunt.

CHRYSOSTOMVS. 68. MIHI verò lacrymæ erumpunt, quando primas cathedrarum sessiones & salutationes audio, & in mentem venit, quot mala in Ecclesiam Dei inuexerint. Multi etiam nunc sunt sepulchris dealbatis similes, qui se magnopere deforis exornant, intus autem omni sunt iniquitate plenissimi. Multa namque ratio inpræsentiarum exterioris ornatûs habetur, magnaque cura, animæ verò decus & purgatio penitus negligitur. Nam si conscientiam singulorum cernere possemus, multos ibi vermes, multam sauiem, atque intolerabilem comperiremus fœtorem: cupiditates dico à ratione alienas, atque improbas, quæ vermes spurcitiâ multum excedunt.

Simulata pietas.

IDEM. 69. Sed Pharisæos quidem tales fuisse, nō adeò graue est: sed nos, qui templa Dei per gratiâ effecti sumus, sepulchra rursum fœtidissima factos esse. Illud siquidem extremæ fuerit miseriæ, si membra Christi in sepulchrum immundissimū transformauerimus.

VERS. 45. Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam contumeliam nobis facis.

46. At ille ait: Et vobis Legisperitis væ " quia oneratis homines oneribus, quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas. "Matth. 23, 4.

70. ETIAMNVM existunt multi tales acerbi peccatorum iudices, imbelles agonistæ, & inexorabiles legislatores, ita vt me typho atq; arrogantiâ illorum penè suffocatum, non rarò in illos dicere contigerit verba illa Euangelica: Trabes quæ in oculis vestris sunt non videtis, & festucam ex aliorum oculis eiicitis; & onera grauia aliis alligantes, obambulatis vt austeri iudices, & baiuli imbelles, sedulam exactamque quam ab incipientibus & tyronibus seuerè exigitis vitæ rationem, ne experiri semel aut attingere volentes. NYSSENVS Matth. 7, 3. Matth. 23, 4.

VERS. 47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos.

48. Profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.

71. NON quia ædificant, nec quia patres suos accusant, Væ illis dixit; sed quoniam ita facientes, & ita dicentes, patres suos se condemnare simulabant, cùm ipsi peiora committerent. Nam quòd simulatione patres reprehenderent, subaperit dicens, Quòd cōsentitis operibus Patrum vestrorum. Intentionem enim ac propositum eorum arguit, quo ædificabant: non enim vt honorarent occisos, sed vt cæde illorum, vires suorum ostenderent, timentes ne si vetustate sepulchra caderent, tanti facinoris atque audaciæ memoria interiret. Sic igitur sepulchra Prophetarum quasi trophæum constituentes, præclaris constructionibus ædificabant, audaciam patrum ostentantes. Quæ namque inpræsentiarum audetis, inquit, ea facilè hac voluntate monumenta vos ędificare ostenditur, etiamsi verbis contrarium asseratis, patres vestros condemnantes. CHRYSOSTOMVS in Matth. cap. 23.

ANNOTATIONES.

NON quia ædificant, &c.] *Notat hîc benè sanctus Chrysostomus, Christum non carpere ædificationem sepulchrorum, maximè iustorum hominum; hoc enim laude dignum est: sed quia videlicet hoc facientes, non tamen a nece aliorum iustorum abstinerent, sed istis longe sanctiores occiderent, aut ad cædem designa-*

ſignarent, v.g. Chriſtum. Ita etiam hoc explicant Origenes & Euthymius hic.

VERS. 49. Propterea & ſapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas, & Apoſtolos, & ex illis occident, & perſequentur:

50. vt inquiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi à generatione iſtâ,

*Gen. 4, 8. 2. Par. 24, 22.

51. *à ſanguine Abel, vſque ad ſanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

NYSSENVS de Nativ.

72. ILLVD de Zachariâ beati Ioannis patre conſequenter intelligendum eſt, quem, vt habetur ex traditionibus, Iudæi occiderunt inter templum & altare, propter eius prophetandi accurationem, vel potiùs ob Deiparæ Virginis, & magni Dei ex ipsâ nati manifeſtationem, quippe quem & Regem & Principem & Dominum eſſe gentis ſuæ diceret, eiuſque matrem poſt ineffabilem illam ex Spiritu ſancto conceptionem intaminatâ conſeruaſſe virginitatem, adeoque in templo à choro virginum, qui erat medius locus inter templum & altare, minime ſegregandam, etſi viro iunctum: virginem enim eſſe, eumdemque illi pro more virginum locum eſſe tribuendum. Quòd itaque hæc prædicaret, ad iram auditores excitati ſunt, & armatâ manu in ipſum irruerunt, metuentes ne qui iuxta eius prophetiam Rex erat naſciturus, illis imperaret, ac ſeruitutis iugum imponeret.

GEOMETRA.

Herodis crudelitas & ambitio.

73. Poſtquam verò Herodes à Magis deluſus erat, animo bella cædeſque volutabat. Tanta autem machinabatur mala; vt domeſtica etiam bella foueret, vxorem liberoſque ad cædem deſignans: cuius facinoris patrandi opportunitatem nactus, vxorem cumprimis trucidauit, liberos verò cùm occidere per Cæſarem non liceret, illis ad tempus pepercit, tantiſper iram comprimens, donec Romam nauigaſſet, vbi acceptâ tanti ſceleris perficiendi poteſtate, filios ſuffocauit. Domeſticorum verò ſanguine ſaturatus, in externos bella conuertit, ſemper principatui timens, memor Magorum & pueri Regis. Atque vbi ſe manifeſtò deluſum vidit, (ô inſaniam & furorem!) in infantes innocentes iram conuertit, & communi omnes clade inuoluit, mittens eos qui in Bethleem vniuerſam, eheu! ætatem immaturam demeterent: tantam in puſillos ac recèns natos infantes crudelitatem exercens, tam atroces illis cruciatus inferens, vt quis benigno ac clementi pectore præditus commiſeratione poſſit affici, ſi vel rebus inanimatis aut teneris pulchriſque ramuſculis multò minora videret irrogari. Verùm haud quidquam ipſe animo commouebatur, quippe qui ne propriis quidem filiis, regni heredibus, propter regnum pepercerat. Tum itaque Ieſus quidem in Ægyptum fugit, Ioannes verò ille magnus debebat fortè etiã hic præponi & præcurrere nouum & magnum ſacrificium cum ſuis çqualibus: ſed Deus, qui quæſitus ipſe fugæ conſuluerat, cùm omnium, tum illius cuſtos fuit. Nam & Eliſabetham vnà cum filio ex mediis cædibus eripuit, quæ fugata, etiam in deſertum abiit, & filium expoſuit. Quæ ibi acciderunt, ineffabilia, magna, & incomprehenſibilia ſunt. Quemadmodũ enim Chriſti, qui in Scripturis Sol, Rex, & ſponſus dicitur, conceptio & natiuitas; ſic & Ioannis, qui lucerna, amicus, & miles nominatur, conuerſatio viuendique ratio prorſus extitit admirabilis. Quapropter Eliſabethâ eiuſque filio fruſtrati ſatellites, in Zachariam ſuam iram conuerterunt, tum propter dicta, tum propter Deiparam poſtquã Saluatorem genuiſſet. Illa ſiquidem cùm orationem factura in loco virginum conſtitiſſet, iis qui eam matrem nouerant prohibere volentibus, dixit Zacharias, eam, quippe adhuc virginem, eo eſſe loco digniſſimam. Tamquam itaque manifeſtè legem violantem eum occiderunt inter templum & altare, miniſtrantem & Deo ſacrificantem, ſanguinem ſanguine commiſcentes.

ANNOTATIONES.

AD Verſ. 52. A SANGVINE ABEL, &c.] *Vbi nota Primò, Deum regnis, vrbibus, & priuatis hominibus peccatorum certam ſtatuiſſe menſuram, antequam ea perfectè puniat: ſed mox vbi completa fuerit, tunc omnia ſimul pleniſſimè punire. Ita exſpectauit necem ſuam & Apoſtolorum, antequam euerteret peccatricem Ieruſalem, & Iudæam. Secundò, Patrem & filium cenſeri vnum ciuili æſtimatione, vnde parentum merita vel demerita redundant in filios. Tertiò, Tunc tamen filios non grauiùs puniri quam peccata propria mereantur, ſed quia parentes malos imitantur, itaque cumulum peccatorum à Deo punitioni deſignatum implent, vt eius ira tota in eos deſæuiat, quæ non deſæuiſſet, ſi parentum adhuc cumulum conficiendum præceſſiſſent, ideoque dicuntur luere etiam pœnas peccatorum parentum, quia Deus ad vtroſque reſpicit. Vide plura de hoc apud Cornelium in Exodi cap. 20.* NVM. 72. *Deus impletâ menſurâ peccatorum punire ſolet.*

Sed hîc quærat nonnemo, quorſum peccatum Cain, quod commiſit Abelem occidendo, ad Iudæos pertineat, cum non Cain ſed Seth eorum pater fuerit. Ad quod reſpondeo, Cainum, licet non naturali generatione, tamen facto & exemplo ſuo prauo, quod ipſi ſecuti ſunt, Iudæorum quaſi patrem extitiſſe, eo nempe modo quo diabolus impiorum pater dicitur. Cum itaque Iu- *Iudæi quo ſenſu dicãtur filij Cain.*

ANNOTATIONES.

NVM. 1. *Fermentum aliud bonũ, aliud malum.*

FERMENTVM aliquando quidem laudatur.] *Vt Matthæi c. 13, 33. vbi pro bonâ doctrinâ sumitur.* Quandoque verò reprehéditur.] *Vt hoc loco Lucæ, & Matthæi cap. 16 ac Marci 8. vbi Christus fermentum Pharisæorum, & Sadducæorum, & fermentum Herodis cauere præcipit, id est, prauam eorum doctrinam, politicum agendi modum, & hypocrisim, vt hîc S. Lucas accipit.* Pharisæorum siquidem doctrina omnia (*vt ait* ARIAS *in Marci cap* 8.) in exteriori pietatis ab ijsdem compositâ specie præcipuè versabatur; huius finis populo magis quàm Deo probati erat. Herodis verò doctrina omnis mundana erat, humanæque prudentiæ rationibus innitebatur: tantum religionis res curabat, quantum ad Regni potentiæ, ac politicæ, vt dicitur, vitæ administrationem facere intelligebat. In vtraque parte veræ pietatis virtus desiderabatur. Porrò Sadducæorum fermentum non tam acerbũ mordaxque, vt Pharisæorum, quàm mucidum putridumque erat, vtpote ab incorruptâ Dei veritate prorsus alienum. Negabant enim illi carnis resurrectionem, Matthæi 22, 23. & Actorũ 23, 8. Sadducæi dicunt, non esse resurrectionẽ, neque Angelum, neque spiritũ. Negabant etiam animæ immortalitatem, vti testatur Iosephus lib. 18. Antiq. cap 2. vbi, vti & lib. 2. de Bello Iudaico cap. 7. videre liceat illorum mores descriptos, istis similes qui dicunt: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Sap. 2 Isa. 22, 13 1. ad Corinthios 15, 32. Contra hæc fermenti genera, Pharisæorum inquam, ac Sadducæorum, suaui doctrinâ panem vitæ & intellectus, Eccli. 15, 23. azymum sinceritatis & veritatis, 1. ad Cor. 5, 8. ex aduerso Christus promulgabat.

Quale fuerit Pharisæorum Herodis & Sadducæorum fermentum.

*Matth. 10, 26. Marc. 4, 22.

VERS. 2. *Nihil autem opertum quod non reueletur: neque absconditum quod non sciatur.

CHRYSOSTOMVS in Matth. cap. 10.

IMPOSSIBILE enim est abscondi res veras, ó discipuli, etsi nunc aliqui præstigiatores & seductores vos vocent. Tempus enim quod omnia declarat ac detegit, & illorum erga vos ementita verba redarguet, & virtutem vestram patefaciet. Deinde etiam opportunè de libertate prædicationis differit, subdens:

VERS. 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 10.

3. HOc est, Quæ vobis in paruo angulo Palæstinæ dixi, illa capite aperto, & cum libertate, & sine vllo metu, orbi vniuerso prædicate.

ANNOTATIONES.

VERS. 3. *Quid sit in tectis prædicare.*

PRÆDICABITVR IN TECTIS.] *Beda in hunc locum notat, id iuxta morem Prouinciæ Palæstinæ dictum esse, vbi solent in tectis residere. Non enim tecta nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate facta sunt æqualia. Vnde Deuteronomij 22. Lex præcepit, vt qui nouam domum ædificaret, murum tecti poneret in gyro, ne funderetur ibi sanguis innoxius, labente aliquo & in præceps ruente. Et in templi constructione 3. Reg. 6. v. 9. legimus:* Et ædificauit domum, & consummauit eam: texit quoque domum laquearibus cedrinis. Et ædificauit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis. *Ergo* prædicabitur in tectis, *id est, cunctis audientibus palã dicetur.* THEOPHYLACTVS *autem id explicat hoc modo, quasi dicat Christus:* O Pharisæi, quæ in tenebris, hoc est in tenebricosis vestris cordibus meditando machinati estis, illaqueare me conantes, in lumine audientur & cognoscentur. Ego enim lux sum, nec potestis me latere, sed in me luce quidquid tenebræ vestræ machinantur, notum fiet; & quod mutuis susurris vestris auribus instillastis, ita mihi auditu facile fuit, ac si in tectis prædicatum fuisset. Hæc etiam ita possent accipi, vt lux sit Euangeliũ; alta verò tecta, excelsæ Apostolorum animæ; quidquid verò clanculùm Pharisæi machinati sunt, diuulgata sunt postmodum & audita in Euangelij luce, stante in Apostolorum animis magno illo præcone Spiritu sancto.

VERS. 4. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent ampliùs quid faciant.

5. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. ita dico vobis, hunc timete.

CYRILLVS *Timendus est Deus, & non homines.*

4. QVALE igitur erit nobis mortis indicium, vitâ ipsâ contemptâ? Est proinde aduertendum, quòd laboribus parentur coronæ & honores, & homines quidem ad tempus suas iras extendant, fiatque illis nostræ persecutionis finis, corporalis interitus. Deo autem puniente, non tantùm ad corpus pœna extenditur, sed misera quoque anima supplicium subit. Quamobrem inuadat nos potiùs mors gloriosa, quæ adfert initium vitæ interminabilis, ex diuinâ largitate atque beneficẽtiæ omnibus bonis instructæ.

ANNOTATIONES.

VERS. 4. *Cur non timendi qui occidunt corpus.*

NE TERREAMINI AB HIS QVI OCCIDVNT CORPVS.] Mortem, *inquit* S. AMBROSIVS *in hunc locum,* docet non esse terribilem, quam locupletiore fœnore sit immortalitas redemptura. Ergo, *infert hîc* BEDA, superuacuâ furunt insaniâ, qui mortua Martyrum membra feris auibusque discerpenda projiciunt, cùm nequaquam omnipotentiæ Dei, quin ea resuscitando viuificet, resistere possint. Constanter ergo, *inquit* HILARIVS *in aureâ Catenâ,* ingerenda est Dei cognitio, & profundum doctrinæ Euangelicæ secretum lumine prædicationis reuelandum: non timendo eos quibus cùm sit licentia in corpora tantùm, in animam ius nullũ est.

VERS. 5. MITTERE IN GEHENNAM.] S. HIERONYMVS *in cap. 10. Matthæi ait:* Nomen gehennæ in

vera-

hominibus, negabitur coram Angelis Dei.

CHRYSOSTOMVS. 8. NON enim vnicus est negationis modus, sed multi, & quidem diuersi, quos Paulus nobis ob oculos ponit, cùm ait, (Tit. 1, 16.) Deum fatentur se scire, factis autem negant. & iterùm: (1. Tim. 5, 8.) Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. & alibi: (Coloss. 3, 5.) Fugite auaritiam, quæ est simulacrorum seruitus. Cùm igitur tam multi negationis sint modi, totidem & confessionis esse clarú est. Confessio enim non solâ fide, sed & operibus fit, ita vt si illa non adsint, periclitemur ne cum negantibus fidem puniamur. Sin verò secundùm omnes confessionis modos confiteamur, in futurâ vitâ beatam illam audiemus vocem, quâ Christus omnes se confitentes confitebitur.

(*Matth. 12, 31. Marc. 3, 28.) VERS. 10. * Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.

CYRILLVS 9. QVOMODO verò illud intelligendum est? Si enim hoc velit innuere Saluator, quòd si quod iniuriosum verbum dicatur à nobis in hominem communem, obtinebimus, si pœniteamus, veniam; nulla difficultas est in sermone: quia cùm naturaliter bonus sit Deus, ignoscit pœnitenti. (Quæ dicantur blasphemia in Filium, & quæ in Spiritum sanctum.) Verùm si qui ad ipsum Christum id retorqueat, qualiter incondemnabilis sit qui dicit verbum in eum? Dicimus itaque, quando quis nondum exactè virtutem mysteriorú fidei edoctus, ignorat quòd is qui erat naturâ Deus ad nos venerit, & homo factus sit, dixerit aliquid contra Filium hominis, veniâ dignus sit, si pœniteat, & Deum illi condonaturum quod ex ignorâtiâ peccauerat. Tale inquam illud est, quod dixit Christus: (Ioan. 6, 38.) Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, vitam dans mundo. Ignorantes autem quidam gloriam ipsius, & communem ipsum hominem existimantes, dixerunt: (Matth. 13, 55.) Nónne hic est filius fabri, cuius ipsi patrem & matrem nouimus; quomodo ergo dicit quòd de cælo descenderit? Et rursus cùm maxima mysteria in synagogâ explicaret, omnibus admirantibus, quidam dixerunt: (Ioan. 7, 15.) Quomodo hic scit litteras, cùm non didicerit? Nesciebant enim quòd in ipso essent reconditi omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Hæc itaque veniâ digna sunt, quippe quæ ex ignorantiâ dicta sunt: verùm quicunque ipsam Diuinitatem blasphemant, acerbiorem & remissionis expertem subibunt punitionem, & in hoc sæculo & in futuro. Non enim in sanctum solum Spiritum, sed in totam naturam diuinam hæc blasphemia redundat. Siquidem ipse aliquando Saluator dixit, quòd Deus spiritus sit: quare quæ contra Spiritum sanctum est blasphemia, est contra supremam & supereminentem essentiam Dei. vna enim est natura Deitatis, quæ in sanctissimâ Trinitate agnoscitur & adoratur.

10. Vt autem sermonis huius ptolixitatem paucis complectentes omnia explicemus; (SEVERVS.) infidus ille ac perfidus Iudæorum populus, iuxta illud Stephani in Actis, (Act. 7, 51.) continuò peccans & resistens Spiritui sancto, Deíque legem transgrediens, circa diuini Verbi incarnationem, & Christi Saluatoris nostri humanitatem, propter eius humilitatem atque in oculis nostris abiectioné hallucinans atque cæcutiens, in eamdem impegit, & lapis ille angularis, electus ac pretiosus, factus est illi in lapidem offensionis & pettam scandali, (Rom. 9, 33.) nec vllo modo eius quâ ante sæcula habuit existentiâ cognouerunt, vti nec eius ex Patre generationé, & omnimodamquá cum eodem habet similitudinem, sed intellectu in terrâ defixus ac repens dixit: Nónne hic est filius fabri, cuius mater Maria dicitur? (Matth. 13, 55.) Et iterùm: De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemiâ, & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum. (Ioã. 10, 33.) Hæc igitur quæ tamquam in filium hominis blasphemantes dixerunt, in eius circa carnem dispensationem impingentes, vti dixi, Saluator ait illis, dimittenrur, quippe qui ab humilitate Emmanuelis in terrâ conuersantis, aliquam suæ de tanto mysterio ignorantiæ excusationé habeant. Eorum verò qui in prodigia signaque diuina, quæ in consubstantialis sibi Spiritus sancti virtute patrabat, debacchabantur, dicentes, eum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia; (Luc. 11, 15.) eorú, inquit, blasphemias, quòd in Spiritum sanctum esse cognoscerentur, (ipsis operibus manifestam diuinæ operationis virtutem arguentibus, ita vt nulla illis reliqua esset excusatio) numquam, neque in hoc, neque in futuro sæculo, dimittendas esse dicit. Hæc autem tantùm vsque ad passionis tempus locú habuerunt, & intelligenda sunt, quousque Christus eminentem Diuinitatem per dispensationem tam verborum quàm operum occultauit. Nam post crucem & ex mortuis resurrectionem non ampliùs in carne cognitus, id est, non ampliùs humilibus mortalium verbis vsus est, aut functiones hominum exercuit, dispensatione iam consummatâ ac finem accipiente, secundùm quod dicit Apostolus: Et si cognouimus secundùm carnem Christú: sed nunc iam non nouimus. (2. Cor. 5, 16.) Quare qui in ipsum blasphemus est, tamquam si in

In Spiritum sanctum debacchare tur, nullam peccati sui remissionem consequetur. Hoc autem dicimus de illo qui in blasphemiâ vsque ad finem vitæ permanet, cum eaque ex hac vita decedit. Nam si non distulerit pœnitere in hac vitâ, certum est ipsum propter pœnitentiam, quæ omni peccato potior est, delicti etiam eius veniam & remissionem obtenturum.

CYRILLVS Thesauri lib. 13. c. 4. *Spiritus sanctus quomodo sit sanctus.* 11. Non enim participatione sanctitatis sanctus est Spiritus, sed quia ex Deo naturaliter est. Accedit, quòd Scriptura Spiritum Dei sanctum semper appellet. Vnde ostenditur, non accidens aliquod, vt volunt hæretici, sed ipsam essentiam Spiritus sancti significari: vt si hominis essentiam definiendo, dixeris illum esse animal rationale mortale, non absurdè hominem definiueris; Spiritum autem sanctum vt definias, non debes cogitare aut concipere spiritum esse quasi substantiam, & sanctificandi proprietatem illi extrinsecus adiectam. Non enim per participationem ant compositionem sanctus est, neque omnino per accidens (sic enim poterit secundùm illos ipsâ sanctitate Spiritus sanctus priuari, quod impium omnino est;) sed substantia est per seipsam & naturaliter sanctificatiua, ex Deo prodiens per modum, vt sic dicam, qualitatis, sicut dulcedo ex melle, aut sicut ex flore odor. Naturâ itaque suâ sanctus est, neque id ab extrinseco habet, sed potiùs naturalis quædam & subsistens Dei operatio est, quæ creaturas per sui participationem sanctificando perficit.

ATHAN. Contra Arium. Ioan. 1, 14. 12. Ad dispensationem in Christo pro nobis habitam reuertor, cùm omnis sacra Scriptura eam annuntiet & prædicet, maximè autem Ioannes, ad istum modum inquiens: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & Paulus scribat, Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. (Philip. 2, 6.) Ideò enim, Deus cùm esset, etiam homo factus est, & vt Deus excitauit mortuos, & Verbo vniuersos sanans, mutauit aquam in vinum. Nō enim hæc erant opera hominis, quale est, quòd carnem gestans, siti lassitudineque laborauit, & mortem passus est. hæc enim Deitatis nequaquam erant. Fiebant autem ista non diuisim secundùm factorum qualitatem, vt hæc quidem designarétur à corpore, absque Deitate; illa verò à Deitate, seorsum à corpore: sed coniunctim ista omnia fiebant, vnusque erat Dominus qui illa faciebat per suam gratiam. (*Opera Christi qualia sint.*) Spuebat quidem vt homo, sputamentum tamen illud diuinum erat; siquidem per illam saliuam oculos à natiuitate cæci visui restituit, & ostendere se volens Deum, humanâ linguâ id ipsum significauit, Ego & Pater, inquiens, vnū sumus. (Ioan. 1, 10, 30.) Hæretici igitur in suis professionibus insaniunt, quorum isti corporalia Saluatoris intuentes, repudiant hoc dictum: In principio erat Verbum. Alij ea quæ sunt Diuinitatis inspectantes, ignorant illud alterū dictum, Et Verbum caro factum est. Qui autem vir fidelis est, cognoscens Domini in genus humanum dilectionem, cùm videt ea quæ sunt Deitatis signa, admiratione veneratur Dominum in corpore latentem. Rursus cùm videt quæ sunt corporis propria, plusquam obstupescit, animaduertens in illis Deitatis efficacitatem. Istiusmodi cùm sit Ecclesiastica fides, quidam humana eius respicientes, videntesque eius sitim, aut fatigationem, aut passionem, obtrectant Saluatori, vt homini mero: & magnopere quidem peccant, possunt tamen celeriter pœnitendo veniam consequi, cùm habeant pro excusatione imbecillitatem carnis. Ceterùm vbi quidam, Deitatis opera intuentes, incipiunt de Incarnatione Domini dubitare, illi quidem peccant quàm maximè, eò quòd, cùm videant eum comedentem, patientem, spectrum atque inanem imaginationem corporis eius fuisse imaginantur. Verùm & istiusmodi celeriter resipiscentibus veniam Christus donauerit, eò quòd & ipsi causam erroris sui habeant ex magnitudine operum, humanam naturam excedentium. At illi qui amborum istorum inscitiam cæcitatemque transcendunt, putantes se legis tenere scientiam, quales erant illius temporis Pharisæi, in insaniam versi, & Verbum quod in corpore est prorsus abnegantes, & diabolo dæmoniisque eius, opera imputant Diuinitatis, meritò illius impietatis indeprecabilem luunt pœnam, cùm & diabolum pro Deo accipiant, & verum certumque Deum nihil plus quàm dæmonem operari credant. In istiusmodi impietatem delapsi erant eius temporis Iudæi, & inter Iudæos Pharisæi.

ANNOTATIONES.

NVM. 9. *Quæ sit blasphemia in Spiritum sanctum.* QVOMODO autem, &c.] *Quæritur hic & sequentibus Numeris, quæ sit blasphemia Spiritus. Philastrius cum quibusdam aliis putarunt, esse hæresim, maximè Eunomianorum, qui negabant Spiritum sanctum esse Deum. Secundò, alij volunt esse peccatum aliquod ex iis sex quæ vulgò* in Spiritum sanctum *appellantur, quia nimirum fiunt ex certâ materiâ contra bonitatem Dei, quæ appropriatur Spiritui sancto: sicut quæ ex infirmitate committuntur, fiunt contra Patrem, cui appropriatur potentia; quæ verò ex ignorantiâ, contra Filium, cui tribuitur sapientia. Verùm hæc peccata sunt quidem in Spiritum sanctum,*

non-

non tamen sunt blasphemia. Respondeo ergo breuiter, hic Christum non loqui de quouis omnino peccato in Spiritum sanctum, sed solùm de blasphemiâ quæ fit verbis: eadem tamen ratio est cogitationis ac operum, cùm scilicet quispiam calumniatur opera manifestè diuina & miraculosa Dei, quibus fidem & veritatem confirmat. Hac autem blasphemia in Deũ, vt hic benè notat Cyrillus, opponitur a Christo blasphemia quæ est in Filium hominis, quâ scilicet nonnulli in humanâ Christi conuersatione, factisue humana calumniabantur, vocantes eum vini potatorẽ, & amicum publicanorũ, quod proinde peccatũ minus erat, & excusatione veniaque dignius, vt hic Cyrillus & Nom. 10. Seuerus in Catenâ id explicant, cum S. Ambrosio in hunc locum.

Quomodo blasphemia in Spiritum sanctum irremissibilis.

Nota autem, quòd peccatum hoc dicatur non remitti, non quòd omnino sit irremissibile, vt voluerunt Nouatiani, sed quia qui id committit omnino est inexcusabilis ac indignus veniâ, & proinde difficulter ac rarò remittitur, quia nimirũ id committens difficulter ac rarò pœnitentiã agit. Quod sic explicat S. AVGVSTINVS *Tomo* 10. *qui est Concionum, Sermone* 2. *dicens:* Primum quidem credentium beneficium est, in Spiritu sancto remissio peccatorum: contra hoc donum gratuitum loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est Spiritus blasphemia, quæ non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro, quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc sæculo, quæ valeat in futuro.

VERS. 11. Cùm autem inducent vos in Synagogas, & ad Magistratus & potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis.

12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsâ horâ, quid oporteat vos dicere.

CHRYSOSTOMVS & ISIDORVS. *Apostolorũ zelus.*

13. ILLI [Apostoli] siquidem conflagrante iam orbe vniuerso, atque omni terrâ flammis accensâ, in medios insilientes ignes, semiustos ex incendio extraxerunt. Nos verò cùm in pace salutem nostrã aliorumque procurare iubeamur, ne quidem id agimus. Qualis igitur nobis confidentia, quæ venia supersit? Non verbera, non vincula, non synagogæ nobis imminent, sed diuersa omnia. Nos principatum tenemus atque imperamus: nam Reges habemus pios, qui Christianis primas cathedras, honores ac dignitates deferant; nec adhuc superamus, sed omni sumus cerâ molliores, & nemine pugnante trucidamur, & nemine persequente dissoluimur. Quid si contigerit (quod Deus auertat) inter Ecclesiasticos bellum atque discordia, quantus erit risus, quanta contumelia? & quidem meritò. Quando enim in palęstrâ nemo exercetur, quomodo quis in certaminibus clarus euadat? Sed hæc quidem ad nostram instructionem dicta sint. Duplici autem è causâ nostra hæc imbecillitas oritur. Vel enim ob pœnæ metum aliquis martyrium subterfugit, vel ob imperitiam atq; ruditatem, quòd fidei suæ reddere nequeat rationem. Timori quidem pœnæ congruam Dominus assignat medicinam, dicens, Ne terreamini ab his qui occidunt corpus. Luc. 12, 4
Ruditati verò occurrit, dicens: Spiritus sanctus docebit vos, non verbis quæ audiantur, hoc enim exiguum; sed præsentiâ suâ, tribuens intellectũ. Profectò quanta tunc erit dicentis virtus, quãtum studium virtutis auditorum? Quomodo non statim resilient audientes Synagogas ac Magistratus in se armari? quomodo non ad inuicem dicunt, Quò deinceps fugiemus? Tribunalia, Reges, Duces, Synagogæ Iudæorum, plebs Gentilium, Magistratus & subditi omnes nobis aduersantur. Hic enim non in Palæstinâ modò, sed vbique terrarum mala illos manere prædixit, bellaque imminere. Cùm autem dicit, Magistratus & potestates, ostendit se illos posteà missurum ad prædicandum Gentibus Euangelium.

DAMASCENVS l. 1. Orthod.

14. Cùm multipliciter spiritus accipiatur, eius significationes recensendæ sunt. Nam & hoc nomine appellatur Spiritus sanctus; & ipsius gratiæ ac facultates spiritus item dicuntur, vt illud, Requiescent super eum septem spiritus: operationes siquidem Spiritus, ibi ab Isaiâ spiritus vocari arbitror. Spiritus item & Angelus bonus [vt Psal. 103.] Qui facit Angelos suos, spiritus. Spiritus etiam dæmon, vt [Marci 7.] Spiritus mutus & surdus. Spiritus & anima, [Lucæ 23.] In manus tuas, commendo spiritum meum. Atque interdum mens quoque spiritus vocatur. Postremò & ventus & aër eodem vocabulo appellantur.

Spiritus quid in Scripturis.

VERS. 13. Ait autem ei quidam de turbâ: Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hereditatem.

14. At ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?

15. Dixitque ad illos: Videte, & cauete ab omni auaritiâ: quia non in abundantiâ cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet.

16. Dixit autem & similitudinem ad illos, dicens: "Hominis cuiusdam "Eccli 11, 19.
diuitis vberes fructus ager attulit:

17. & cogitabat intra se dicens: Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos?

18. Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea.

CYRILLVS 15 THESAVROS suos amplificare & dilatare satagebat, solis præsentibus frui cupiebat. Non spectat ad vitam futuram, neque oculos in Deum conijcit, neque vllo prorsus pauperum amore aut curâ tangitur; neque vllam tandem gloriæ, quæ inde ad se redundare poterat, rationem habet; Sed, inquit, destruam hurrea mea.

BASILIVS Serm. 1. in Auaros. 16. Isti ego sane dicerem, Bene facis. nam imperatis horrea procul dubio digna sunt quæ dirimantur.. Euerte miser tuis ipse manibus quod malè ædificasti. Solue horrea, vnde nullus vmquam exhilaratus aut auctior rediit. Dele domum totam auaritiæ custodem: dirue tectum, euerte muros, ostende soli frumentum seminosum, educ de custodiâ diuitias compedibus vinctas, triumpha de tenebroso iniquitatis mammonæ domicilio. Destruam horrea mea, & maiora faciam. Vbi vero & ista frumento adimpleueris, quid quæso amplius cogitabis? an rursus destrues & ædificabis? Quid stultius quàm sine fine cruciari, ædificare, rursus facta destruere? Habes, si vis, apothecas, ventres pauperum: thesauriza tibi thesauros in cælo, vbi neque ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt neq; furantur. Sed tunc, inquies, dabo, cùm horrea secunda compleuero. Longa tibi vitæ tempora polliceris: vide ne te illud tempus, quod certo ac præstituto termino accelerare solet, fortè corripiat. Et profectò vitam sibi hoc modo confidentius polliceri, non bonitatis sed malitiæ indicium est. Vitam namque tibi polliceris, non vt posthac sis liberalior, aut tribuas, sed vt pauperes in præsentiarum absterreas. Quid, quæso, nunc prohibet vt dare nequeas? Nónne inops præstò adest? non sunt plena horrea? non merces à Domino parata? non mandatum manifestum? Esuriens fame absumitur, nudus rigescit, ob æs alienum pauperis fit auctio: & tu eleemosynam in crastinum differs? Audi Salomonem: Ne dicas, Reuertere, & cras dabo; ignoras enim quid sequens faciat dies. Qualia præcepta contemnis, posteaquam auaritiæ aures referasti? quantam te benefico Deo gratiam habere, quàm lætari & illustrem esse oportebat, quòd non ipse portas vexes alienas, sed tuas alij occupent? Nunc autem tristis es, & rogatu difficilis. Occursus pauperum vitas, ne fortè aliquid vel modicũ è manibus coacto exeat. Vnam tantùm nosti vocem, Non habeo, Non dabo; nam & pauper ego quoque sum. Pauper es profectò, pauper, & omnium egens bonorum. Pauper, inquam, charitate pauper, humanitate pauper, fide pauper, æterna spe pauper. Quamobrem te maximè hortor, frumenti, quodcumq; possides, tuos fac fratres participes. Cras fortè marcescet. Hodie egenti da. Auaritiæ genus pessimum est, nolle ne ea quidem, quæ facile corrumpuntur, inopi dare.

Matth. 6, 19.

17. Cui facio iniuriam, inquis, si mea retineo, conseruoque? Quæ illa, dic mihi, tua? Vnde hæc in vitam veniens intulisti? Quèadmodum si quis in theatrum ingrediens alios à spectaculis arceret, proprium ac priuatum existimans, quod ad communem omnium vsum est paratum: tales & diuites existunt. Communia namque possidentes, propria faciunt occupando. Nam si tantum quisque vsurparet, quantum ad propriæ necessitatis solatium faceret, superfluumque egenti tribueret, nemo profectò esset diues, nemo item pauper. Núnne nudus ex vtero matris prodiisti, nudusque rursus reuertêris ad humum? Hæc tibi bona præsentia vnde? Si à casu dixeris, ignoras horum præbitorem: danti gratias non habes, nullum putas Deum. Si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc furtiuus es? Non enim iniustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum inæqualiter nobis diuiserit? Cur tu diues es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi vt tu benignitatis ac fidelis administrationis præmium accipias, ille verò patientiæ maximè mercede honoretur. Tu verò insatiabilis auaritiæ lacertis omnia complectens, & tot homines illis priuans, neminem te lædere putas. Quis quæso est auarus? Ille qui paruo, & eo quod satis esse deber, non est contentus. Quis verò peculator? ille qui aufert aliena. Tu ergo non auarus? non tu peculator, cum ea quæ ad dispensandum distribuendumque receperis, tibi propria facis? Num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur? qui autem nudum non texerit, modò possit, alterius cuiusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis, quem tu retines: nudi est vestis, quam in arcâ custodis: discalceati calceus, qui apud te marcescit: egentis argentum, quod tu in terram fodis. Denique tot affers iniurias hominibus, quot deseris cùm iuuare possis. Diuitiæ si affluant, (inquit Psalmista) nolite cor apponere. Tu autem affluentes retines, & exitus obstruis. Deinde sic coactæ ac occlusæ, & quasi stagnantes, quid tibi faciunt? Rumpunt repagula violenter retentæ, inundantia destruunt horrea, promptuaria, & cellarum pauimenta, velut inimicus quidam ingrediens grauant atque vastant. Sed maiora, inquis, ædificabit: incertum, si non destructa successori dabit. Nam ipse velociùs migrabit hinc abreptus, quàm illa iuxta auaritiæ ipsius cogitationem erigantur.

IDEM.

Auarus à peculatore non differt.

Psal. 61, 11

ANNO-

ANNOTATIONES.

Vers.14 QVIS ME CONSTITVIT IVDICEM?] *Quasi dicat: Id quod tu petis, iudicium est forensium, qui terrenam hereditatem, non meum, qui cælestem doceo & dispertio. Voluit hic ergo Christus docere, Ecclesiasticos & spirituales viros sæcularia non debere tractare, sed spiritualia. Pulchrè ad hūc locum* AMBROSIVS, Benè ergo, *inquit*, terrena declinat, qui propter diuina descenderat: nec iudex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, viuorum habens mortuorumque iudicium, arbitriumque meritorum.

VERS. 15. NON IN ABVNDANTIA CVIVSQVAM VITA EIVS.] *Id est, Non quia quis abundat opibus, ideò etiam eius vita est abundans, scilicet vt sit longior & beatior ob illa quæ possidet, quin potiùs ideircò breuior est & miserior, ob sollicitudinem, luxum, & similia quæ diuitias comitari solent, & vitam potiùs abbreuiare, quàm productiorem facere.*

VERS. 19. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.

Cyrillus 18. SED, ô diues, dixerit aliquis, fructus quidem adhuc plurimos habes in apothecis, vnde accipies?

Basil. 19. Sed diues cùm paulò pòst esset tollendus è medio, qualia iniuit consilia? quid dicit? Destruam horrea mea, inquit, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona. O verba stultissima! ô dementiam singularem! Nam si porcinam habuisses animam, quid aliter dicere potuisses? Itáne pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, vt carnis cibos animæ tuæ adaptes? & quæcumque alui secessus recipit, animæ destines? Si quidem illa virtutem habet, si plena est bonis operibus, si Deo familiaris est, tum sanè multa bona habet, tum lætari poteris bonâ animæ lætitiâ. Cùm verò terrena sapias, & Deum habeas ventrem, in omnibus appetitum carnis sequēs, vtiq; hæc vox non à mente, sed à ventre profecta est.

VERS. 20. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuā repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?

Antimaphus. 20. ILLVD etiam hîc insinuat, dicens, Quæ congregasti, cuinam parasti? si quidem tibi ipsi, exactores cernis qui te partis frui non sinant: si verò alteri alicui, omnia sunt incerta, vti significatur per illud, Cuius erunt? Si enim sint futura alicuius qui te odit, etiam irridebit. Sin verò propinquorum & vicinorum, increpabunt simplicis tui ferinam immanitatem. Hanc insaniam &

Psal. 38,6. vanitatem Psalmista indicans dicit, Verumtamen vniuersa bonitas omnis homo viuēs: thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.

21. Quomodo enim non sit insipiens, qui ignorat penes Deum esse vitæ nostræ terminum, nec quemque sibi vitæ suæ cursum aut extendere aut definire posse? Obseruа autem illud verbum, Et repetent: Angeli enim, sicut crudeles tributorum exactores, tuam repetent animam, te etiam inuito, vtpote propter vitæ præsentis immodicum amorem reluctante. Nam à iusto non repetitur anima, sed ille gaudens & exultans commendat eam Deo Patri spirituum, neque mortem ægrè fert: corpore enim circumamictus est vt onere, quod leuiter deponit. Peccator verò, qui animam carni subdidit, corpori nimiùm affectus, etiam illam fecit carnem, indiuulsam eam habere vult: idcircò dicitur ab eo repetita, sicut ab inobediente quodam debitore, qui traditur crudelibus exactoribus. Vide etiam eum nō dixisse, Repeto animam tuam, sed, Repetent. Iustorum enim animæ in manu Dei. Sap 3,1. In nocte autem ab huiusmodi anima repetitur; non enim habet lumen diuinæ scientiæ sibi affulgens; sed cùm in diuitiarum cupiditatis nocte versetur, & ab eadem obtenebretur, morte comprehenditur. Theophyl.

ANNOTATIONES.

NOTA, *locum hunc cum sequentibus esse supplementum vsque ad Numerum 7. capitis 13. quod, ne dissoluta maneret, Catenæ annexui.*

VERS. 21. Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

22. STVLTVS vtique & insipiens dicitur, Theophyl. cùm nō perficiat cogitationem suam, sed in ipso cogitationis momento ex hac vitâ abripiatur. Quòd si pauperibus & Deo congregasset, haud quaquam illi hoc euenisset. Conemur itaque diuites fieri in Deum, hoc est, in illo fiduciam habeamus: ille nostras diuitias earumque cellas habeat, nec dicamus eas bona nostra, sed bona Dei. Cùm autem sint bona Dei, ne priuemus Deum bonis suis. Hoc est ditari in Deo, credere, quòd si omnia elargitus fuero, meque totum euacuauero, nihil mihi rerum necessariarum defuturum. Promptuarium enim meum Deus est: aperiam & tollam necessaria, & ea quibus mihi opus fuerit. Quis sit in Deum diues

VERS. 22. Dixitque ad discipulos suos: Ideò dico vobis: "Nolite solliciti Psal.54,23 esse animæ vestræ quid manducetis, Matt.6,25. neque corpori quid induamini. 1. Pet.5,7.

23. Anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum.

23. PAVLATIM Dominus ad perfectiora Theophyl. in hunc locum. doctrinam prouehit. Cōsidera enim

 ordi-

ordinem. Docuit cauendum esse ab auaritiâ, subdiditque parabolam diuitis, insinuans per eam, stultum esse illum qui plura desiderat. Deinde procedente sermone, neque de necessarijs sinit nos sollicitos esse.

Basilivs Moral. cap.4. 24. Docet enim nullo modo nos de rebus ad victum necessarijs sollicitos esse debere, neq; in ijs, quæ ad hanc vitam sustentandam parta habemus, spem nostram esse collocandam; sed debere vnumquemque curam sui committere ptouidentiæ diuinæ.

Chrysost. in Matth. Hom.21. 25. Cùm igitur de cibo eos curare vetuisset, nequaquam illud inexpletum reliquit, sed magis hinc animos commouet audientium; tum quidem his quæ in nobismetipsis gerimus, tum verò aliunde petitis exemplis. De his quidem quæ in nobis sunt, ita disserens: Nônne anima plus est quàm esca, & corpus plus quàm vestimentum? de externis verò exemplis ait:

ANNOTATIONES.

Vers.22 *Ne sollicITI SITIS ANIMÆ VESTRÆ.] Nota hîc, Christum non prohibere prouidam diligentiam & laborem, vti voluerunt Euchita, contra quos vide S. Augustinum libro de Opere Monachorum, Tomo 3. sed sollicitudinem anxiam, præoccupatam, timidam, Deo diffidentem, cor in terra defigentem, & à Dei seruitio distrahentem, vti satis indicat τὸ, μὴ μετεωρίζεσθε, q. d. ne discruciemini, ne anxijs curis configamini. Non etiam prohibet omnes crastinas, imò nec annuas prouisiones, quas etiam fecit Ioseph Genesis 41, 35. & Apostoli Actorum 11, 29 sed tantùm inutiles, & intempestiuas; videlicet cùm quis sollicitus est circa ea quorum cura secundùm rectam rationem non congruit præsenti tempori, sed futuro. Talis enim diei præsenti sibique ipsi onus aggrauando iniuriam facit.*

Quæ sollicitudo noxia sit.

Vers.24. Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & Deus pascit illos. Quantò magis vos pluris estis illis?

25. Quis autem vestrûm cogitando potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum?

26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis?

Chrysostomvs. 26. Non autem dixit, Respicite quia volant aues, quod nobis certè impossibile est imitari; sed quòd absque sollicitudinis suæ præparatione pascantur: quod nos quoque, si volumus, facilè possumus adimplere, vti ostenderunt qui id operibus executi sunt. Propter quod dicentis sapientiam magis oportet admirari, qui cùm hominum proferre exempla potuisset, vt Moysis, Eliæ, Ioannis, ceterorumque similium, qui de victu non fuerunt solliciti; quò magis audientium conscientias commoueret, de irrationalium securitate mentionem fecit. Si enim iustorum illorum meminisset, continuò respondissent, se necdum virtute illos adæquasse. Nunc verò istos quidem reticens, & cæli eis volatilia proponens, omnem ptorsus occasionem huiusmodi contradictionis amputauit. In hoc quoque legem imitatus antiquam. Nam vetus quoque Testamentum & ad apem homines, & ad formicam remittit, sed & ad turturem aliquando, & ad hirundinem. Verùm hoc quoque aptum documentum est ad honorem qui in libertate est hominis exprimendum: quandoquidem quod illa habent lege naturæ, hoc nos assequi possumus voluntate. Si igitur etiam illorum quæ propter nos creauit, tantam Deus curam gerit, multò magis nostri. Ideò dixit, Considerate coruos, & non ait, Qui non cauponum aut negotiatorum more viuunt, hæc enim desperatorum omnino professio est. Sed quid? Non seminant, inquit, neque metunt. Quid igitur? Non oportet, inquies, seminare? Non dixit quòd seminare non debeas, sed quòd sollicitus hinc atque anxius esse non debeas. Nec ait, Non oportet operari, sed quòd pusillanimum esse non oporteat, & curarum angore distendi. nam & cibo refici vtique iussit, sed nequaquam de hac esse necessitate sollicitos.

Exod.34, 28. Deut. 9, 9. 3.Reg.19.6 Matth.3,4 Iud.14,8. Pro.6,6. Ecclef.11, 2. & seqq. Psal.83,4. Ier 8,7. Isa.38,30.

Theophyl. 27. Deinde & aliam rationem adducit. Dic, quæso, quid sollicitudine proficis? Adijciésne etiam staturæ tuæ vel minimum quid? Haudquaquam; imò attenuabis potiùs carnem: sollicitudo enim arrosio est. Si igitur adijcere non possis id quod minimum est, quid de reliquis sollicitus es? Perspicuum enim, quòd sicut Deus incrementum dat, ita & alia dabit.

Superflua sollicitudo inutilis.

Vers.27. Considerate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloriâ suâ vestiebatur sicut vnum ex istis.

28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quantò magis vos pusillæ fidei.

29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli:

30. hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis.

31. Ve-

31. Verumtamen quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.

CHRYSOSTOMVS in Matthæũ Hom. 22.

28. POSTQVAM de necessario disputauit cibo, & ostendit quòd nec super hoc quidem nos oporteat esse sollicitos, transit ad leuius. Neque enim ita per omnia vestimentum necessarium est, vt alimentum. Cuius autem rei gratiâ non hîc quoque eodem est auium vsus exemplo? cur non ex auibus pauonem nobis proposuit, aut cygnum, vel ex pecoribus agnum? multa quippe ex hoc animantium genere sumere exempla potuisset. Quia scilicet vtrimque cumulum voluit exaggerationis attollere, & ab herbarum vilitate, quæ tanto tamen adornantur decore, & ab illius pulchritudinis dignitate quæ splendet in lilijs. Cùm autem dixit, Considerate lilia, intulit, Non laborant. Igitur volens nos à laboribus liberare, hæc ipsa præcepit. Non itaque de his rebus non curare, labor est; sed labor est profectò, curare. Et sicut dicendo, Non seminant, haud semina exclusit, sed curarum onera discussit; sic etiam cùm dixit, Non laborant neque nent, non opus, sed sollicitudinem sustulit.

THEOPH. in hunc locum.

29. Adiunxit etiam exemplum liliorum, quò nobis doctrinam suam meliùs inculcaret. Si enim hæc sic vestit Deus, vt neque Salomon in omnibus delicijs suis possit sic vestiri sicut vnum ex istis, idque cùm nulla sit necessitas pulchritudinis liliorum: quantò magis vos, qui tam nobiles creaturæ estis, vestiet, præsertim cùm necessitas corporis postulet indumentum? Proinde dicit, Nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis; &, Nolite in sublime tolli. In sublime autem tolli, hîc nihil aliud significat, quàm distractionem, & mentis instabilem versionem, nunc hoc nunc illud cogitantis, & ab hoc in illud salientis, & semper sublimius quiddam secum imaginantis. Hanc igitur sollicitudinem, hoc est, ita in sublime tolli, quia à Deo abducit, prohibet Dominus, dicens, hæc omnia Gentes inquirere. Insuper & aliam adfert rationem: Quia Pater vester scit, quia his opus habetis. Imò non vnam rationem, sed multas. Pater est, inquit: & si Pater, quomodo non daret? Sed & scit. quomodo enim ignoraret? sed & quòd opus habetis. non enim superflua sunt, sed nobis necessaria. Igitur & cùm ipse sit Pater, & vos opus habeatis, & sciat ille, quomodo non daturus esset? Quærite igitur primũ regnum Dei. Si enim parua quæsiueris à Deo, non illi rem gratam facis, sed potiùs munificentiam eius dehonestas. Sin quæsieris magna, & illa accipies, & cum illis quasi auctarium accipies etiam parua.

Petenda à Deo magna.

ANNOTATIONES.

AD V. 22. NOLITE IN SVBLIME TOLLI.] *Propriè est, ne meteora, vel ea quæ supra vos sunt, v.g. nubes, sidera, ventos, influentias, anxiè contemplemini, vt deinde de annona copiâ vel inopiâ futurâ anxiè indicetis & prospiciatis: aut certe ne animo pendeatis, veluti in aëre penduli, ad varia humana præsidia variè respectantes, sed in Dei prouidentiâ defixi estote. Ita Theophylactus hîc.*

VERS. 32. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

33. [a] Vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. [a] Matth. 6, 20. 19. 21.

34. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

THEOPH.

30. PVSILLVM gregem Dominus vocat, volentes discipulos eius fieri: vel quia in hoc sæculo sancti parui videntur causâ voluntariæ paupertatis, vel quia superantur à multitudine Angelorũ, qui incomparabiliter præcellunt quæ nostra sunt. Ne timeas igitur, dicit, ô pusille grex, hoc est, Non sis incredulus: gerit enim tui curam ac prouidentiam Deus, etiamsi tu sollicitus non sis. Quare? Quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Qui igitur vobis regnum dat, multò magis terrena concedet. Ne igitur diffidas, quòd si diuitiarum sollicitudinem abieceris, non futurum qui tibi prospiciat: sed vende quæ habes, & da eleëmosynam, & fac tibi thesaurum indeficientem. Adhæc persuadet nobis rationibus, quibus contradicere non possumus. In hac enim vita, inquit, tinea corrumpit, in cælis autem non sic. Nónne ergo insipientis sit, colligere thesauros in loco in quo corrumpuntur? Deinde, quia aurum à tineà non corrumpitur, dixit, Et quò fur non accedit. Tinea quidem non corrumpit aurum, sed fur diripit. Denique, quia non omnia furto pereunt, adijcit rationem maiorem, & contradictione superiorem: Vbi enim thesaurus vester est, inquit, ibi & cor vestrum erit. Esto enim, quòd neque tinea corrumpat, neque fur accedat; istud ipsum tamẽ, habere cor addictum thesauro defosso, & animam, quę diuina possessio est, terræ affigere, per se quanto supplicio dignum fuerit? Imò quomodo non summo, si quis rectè æstimarit? Vbi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum. Si in terrâ ille, & in terrâ hoc: sin autem in cælo ille, sursum est & hoc. Quis igitur non sursum esse, & non

Discipuli cur pusillus grex dicti.

Vbi thesaurus ibi & cor.

subterrâ, mallet? Quis non diligeret potiùs esse Angelus, quàm talpa semper in subterraneis latebris agens?

BASILIVS in Breu. q. 92. 31. Proptereà hic docet Dominus, non esse thesaurizandum in terrâ, iubens vendi quæ possidentur. Quâ mente autem id fieri conuenit? Numquid, tamquam ea quę possideamus, suapte naturâ lædant? an ob distractionem, quæ ex illis ad animum peruenire solet? Ad hoc primũ illud dici potest, quòd vnumquodque eorum quæ possidentur, si ipsum per se ac suâ natura esset malum, nequaquam à Deo fuisset creatum. Omnis enim, inquit, creatura Dei bona, & nihil reijciendum. Tum etiam, quia mandatum Domini non docuit abijcienda esse, tamquam mala fugiendáve ea quæ possidemus; sed distribuenda. Et damnatur aliquis, non quòd habuerit omnino, sed quòd perversè de ipsis senserit, vel quòd non rectè vsus fuerit. Siquidem recta sanaque de illis animi affectio, & ex mandato distributio, ad res multas nobis, easque maximè necessarias prodest. Videlicet, modò ad emendationem & veniam nostrorum peccatorum, secundùm quod scriptum est, Verumtamen date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: modò autem ad hereditatem regni cælestis, & acquisitionem thesauri non deficientis; sicut dictum est, Vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis.

Diuitiæ quando noxiæ, & vtiles.

1. Tim. 4, 4

Luc. 11, 11

CHRYSOSTOMVS in 2. ad Cor. Serm. 13. 32. Retributionis hoc genus est & negotiationis, quod maiorem atque vtiliorem reditum habet quàm sumptum, non solùm remissionem peccatorum, verùm etiam fiduciam erga Deum, & regnum cælorum, & bona illa quæ neque oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt. An non igitur absurdum, negotiatores nulli rei parcere, idque cùm paria ferè paribus permutare soleant; nos verò cùm non corruptibilia & momentanea, sed incorruptibilia & sempiterna liceat pro nostris corruptibilibus ac momentaneis commutare, non eamdem quam illi diligentiam adhibere? Non ita, fratres, non ita nostræ saluti malè consulamus: sed vendamus potiùs quæ possidemus, dantes eleëmosynam, quò præparemus nobis thesaurum non deficientem in cælis. Quis enim, rogo, centuplum recepturus, & de recipiendo securus, non omnia sua libens eroget? Ne igitur parcamus pecuniæ, imò verò parcamus pecuniæ. Nam qui facultatibus suis parcit, in pauperum manus eas deponit, in thesaurum sacrosanctum, quò nec latrones, nec sycophantæ, nec serui malefici, nec vllæ mortalium insidiæ, penetrare valeant. Multa itaque fit nobis erga pauperes benignitas, multa circa indigos prouidētia: satagamus spiritalem quamdam negotiationem exercere, neque plus inquiramus, quàm nostra exigat necessitas & vsus. Hæ veræ sunt diuitiæ, hæc vera abundantia, hic verus thesaurus est, qui non deficiet, si omnia nostra in cælos transferamus: & confidimus præterea, hæc nobis reposita, & egregiè custodita. Hinc nobis geminum ab eleëmosynâ lucrũ accrescet: primum, quòd de opibus quas expendimus, non timemus ne fortè à latronibus, & furibus, & familiarium infidelitate diripiantur: secundum, quòd repositæ, & non vulgariter defossæ sunt, quasi infructuosæ; sed sicut radix in pingui plantata solo, quæ nobis singulis annis tempestiuos adfert fructus. Sic & pecunia in manibus pauperum plantata, non solùm in singulos annos, sed & in singulos dies spiritales nobis fructus adfert, confidentiam scilicet in Deum, peccatorum remissionem, conscientiam bonam, lætitiam spiritalem, spem iucundam, aliaque bona quæ præparauit Deus diligentibus se: quandoquidem & Deus eleëmosynam non ob hoc solùm instituerit, vt pascantur egeni, sed etiam vt dantibus accrescerent beneficia, atque adeò magis propter dantes, quàm propter accipientes.

Eleemosyna lucrosissima negotiatio est.

Fructus eleemosynæ.

ANNOTATIONES.

VENDITE QVÆ POSSIDETIS.] *Nota Primò, hoc non esse preceptum, vt voluit Pelagius, sed consilium Christi, vt patet ex verbis Matthæi 19. comparando ibidē Versum 17 cum 20, 21. vbi addit Christus,* Si vis perfectus esse, &c. *Pulchrè autem contra hæreticos consilium à precepto distinguit S. Augustinus Sermone 6. de Tempore, & lib. de Virginitate cap. 14.* VERS. 33.

Nota Secundò, hic etiam argui Calvinum & Vigilantium, qui dicunt, melius esse suis moderatè vti, ac pro loco & tempore dare eleemosynam, quam simul & semel omnia relinquere. Circa illud vide S. Hieronymum lib. contra Vigilantium.

Nota Tertiò, Perfectionem Christianam primariò in charitate consistere, in paupertate verò ac consilijs Euangelicis, quasi in medijs ac instrumentis aptis ad charitatem acquirendā & conseruandam. Ita D. Thomas 2, 2. quæst. 184. art. 3.

VERS. 35. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris,

36. & vos similes hominibus expectantibus dominũ suum quando reuertatur à nuptijs: vt, cùm venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei.

37. Beati serui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes: amen dico

dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.

38. Et si venerit in secundâ vigiliâ, & si in tertiâ vigiliâ venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.

Matth. 24, 43. 39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.

40. Et vos estote parati: quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.

Theoph. *Ministro Dei succincti sint lumbi.*

35. DOMINVS, postquam discipulũ suum absque superfluis fecit, & nudauit ab omni sollicitudine & cupiditate temporalium, & ita planè leuem reddidit, nunc & ministrum suum facit. Eum enim qui minister esse voluerit, leuem & expeditum esse oportet. ideò dicit, Sint lumbi vestri præcincti, hoc est, omnibus modis parati estote ad opera Domini vestri. Et lucernæ ardentes in manibus vestris, hoc est, ne in tenebris & absque iudicio versemini, sed sit vobis lumen verbi, quod monstrabit vobis quæ facienda & quæ non facienda sint. Est igitur hic mundus, nox. Porrò succincti lumbos sunt, qui actiuam vitam agunt: eiusmodi enim habitu vtuntur operarij. Quibus & ardentibus candelis opus est: opus enim habet vita actiua etiam iudicij dono, vt is qui actiuam vitam agit, non solùm sciat quid oporteat facere, sed & quomodo. Multi enim bonum quidem fecerunt, sed non benè. Et tales quidem succincti fuerunt lumbis, & opera quidẽ fecerunt, sed non benè: nec habuerunt ardentes lucernas in manibus, hoc est, non habuerunt rectum iudicium, sed vel in fastum inciderunt, vel in aliud arrogantiæ præcipitium. Prouidete autem & hoc, vt primùm lumbi vestri præcincti sint, deinde lucernæ ardeant. Primùm enim operatio, & deinde contemplatio, quæ mentis est illustratio. Lucerna enim est mens nostra, quæ cùm habet lumen Dei in se fulgens, tum dicitur ardere. Demus igitur operam vt virtute simus præditi, duas habentes lucernas ardentes, & sermonem internum in affectibus, & quem pronuntiamus: & internum quidem, vt per omnia animam illustret; eum autem quem proferimus, vt in linguâ refulgeat lucidus. Et internus nos illuminet; Doctorum autem sermo, & qui pronuntiatur, alios. Et nos similes simus hominibus expectantibus dominum suũ, quando reuertatur à nuptijs. Quis autem hic Dominus alius, quàm Christus Iesus? qui humanam quidem assumpsit naturam, & sicut

Quomodo lucernæ ardentes comparentur.

sponsam copulauit sibi, & nuptias fecit, in carnem vnam ei se adiungendo: imò non vnas fecit nuptias, sed multas. Quotidie enim nuptiæ fiunt in cælo sanctarum animarum, quas ei commendat Paulus, vel si quis similis Paulo, virginem castam. Redit autem ex cęlestibus nuptijs, fortassis in vniuersali consummatione mundi, quando de cælis veniet in gloriâ Patris. Fortassis autem & in vniuscuiusque propriâ morte inexpectatus adueniet. Beatus igitur ille quem inuenerit succinctis lumbis, hoc est verum Christianum Philosophum agentem, & ad ministerium Dei præparatum, & habentem lucernam rationis & iudicij ardentem: & non solùm facientem quod bonum, sed benè etiam: accipientemque & contemplationis lucernam. Benè enim & rectè operando acquirimus etiam contemplationis lucernam, imò duas lucernas, & vnam quæ est in corde, & alteram quæ est in sermone. Eiusmodi ministri etiam Dominus minister erit. Præcingetur enim, inquit, & recumbere illos faciet, & præteriens ministrabit illis. Præcingitur itaque Deus, quatenus non omnium bonorum effusionem nobis suppeditat, sed illam restringit. Quis enim potest capere quantus sit Deus? & manifestum est ex Seraphim, qui se obtegunt propter excellentiam diuini luminis. Porrò recumbere facit bonos seruos: totos enim per omnia quiescere facit. Nam sicut qui recumbit, toto corpore quiescit; ita in secundo aduentu omnes Sancti per omnia quiescent. Etenim in hac vitâ quietem corporis non inueniunt: alibi autem cum animabus spiritalia & diuina eorum corpora incorruptionem hereditabunt, & omni quiete fruentur, & erit Deus omnia in omnibus illis. Ministrat verò dignis, par eis retribuẽs: & sicut ipsi ei ministrauerunt, ita etiam ipse eis vicissim ministrat, & dapsilem eis mensam præstat, exhibens spiritalium bonorum lautitias. At per secundam & tertiam vigiliam intelligas varia vitæ nostræ tempora. Vt exempli gratiâ aliquid dicam, quemadmodum qui in secundam & tertiam vigiliam, vigilantissimus esse videtur (istis enim horis homines maximo & primo somno tenentur;) sic obsecro etiam intelligas in diuersis vitæ nostræ statibus esse horas quæ beatos nos faciant, si vigilantes inuenti fuerimus. Rapuit quis diuitias tuas, mortui sunt tibi filij, calumniam passus es: si in istiusmodi temporibus non fueris lapsus, sed vigilans inuentus à Deo & Domino, & nihil aliud præter mandata Domini feceris: vtique te vigilantem in secundâ & tertiâ vigiliâ inuenerit, hoc est, in periculoso & graui tẽpore, quod mortiferum somnum & casum dissolutis

2 Cor 11, 2

Quid sit Deum præcingi.

Quid intelligatur per diuersas vigilias.

animabus præbet. Opus itaque fuerit vigilantiâ. Patrifamilias enim assimilamur, qui si vigilauerit, nihil ex rebus eius auferre poterunt fures. Sin autem somniculosus fuerit, ablatis omnibus fur euadit. Per furem quidam hoc loco intelligunt diabolum, sicut & per domum animam, & patremfamilias hominem: sed non apparet expositio satis accommoda textui. Furi enim hoc loco Domini aduentus comparatur, eò quòd repen- 1.Pet.3.10 tè & inopinatò veniet. Sicut & Apostolorum quidam dicit: Dies enim Domini quasi fur in nocte. Et hoc loco vide quomodo interpretatur Dominus quis sit fur. Nam dicit: Et vos igitur vigilate, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet. Dicunt quidam, quòd per primam vigiliam intelligantur hi qui alijs sunt diligentiores; per secundam verò, qui aliquantum profecerunt; per tertiam autem, qui etiam illis sunt inferiores. At alij diuersas ætates exposuerunt, & primam, quâ adolescentes sumus; secundam, quâ viri; tertiam, quâ senes. Beatus igitur quisquis quacumque ætate inuentus fuerit vigilans, nec in operando bonum negligenter se gerens.

Dionys. Areop. Epist. 9. ad Titum. 34. Transiens enim, inquit ipse Rex, faciet eos discumbere, & ipse ministrabit eis. Hæc autem declarant, communem quamdam coocordemque Sanctorum in diuinis bonis societatem, & Ecclesiam primitiuorum qui conscripti sunt in cælis, iustorumque spiritus, qui & bonis omnibus perfecti sunt, & bonis omnibus referti. Accubationem etiam requietem esse censemus multorum laborum, vitam tutam, diuinumque viuendi genus in lumine ac regione viuorum, plenum omnis sanctæ voluptatis: largamque omnis generis & beatorum bonorum suppeditationem, per quam omni gaudio complentur: atque id Iesu eos & exhilarante, & in mensâ collocante, eisque & ministraote, & æternam quietem largiente, & perfecta bona tribueote & infundente.

ANNOTATIONES.

Vers. 25 *Lumbos præcingere quid sit.* SINT LVMBI VESTRI PRÆCINCTI.] *Alludit ad Orientalium morem, qui longioribus vestibus vtebantur, easque ministraturi vel iter acturi præcingebãt vt essent magis expediti. Patet Tobiæ 5, 5. & 3. Regum 18,46. & alibi. Mysticè Basilius in Isaiæ cap. 15. & S. Augustinus Sermone 36. de Verbis Domini, & S. Gregorius Hom. 13.* præcingere lumbos *accipiunt pro frenare luxuriam. Seminis enim origo est in lumbis.*

IBIDEM. ET LVCERNÆ ARDENTES.] *Idē dicit, scilicet, Estote parati, sicut famuli qui facibus accensis noctu dominum expectãt & præeũt. Mysticè lucerna ardēs est fides, & charitas, & vt SS. Augustinus & Gregorius, bona exempla. Vide S. Gregor. lib 28. Mor. cap. 7.*

Quomodo Christus Sanctis ministret. VERS. 37. ET TRANSIENS MINISTRABIT EIS.] *Alludit hic ad consuetudinem ministrorum qui mensas obire solent, vt videãt si quid desit. Nota, hæc parabolicè accipienda esse, non propriè, vt patet. Nam tantùm vult Christus dicere, se præ omnibus bonis dominis inusitatum honorem fidelibus seruis suis exhibiturum, eosq; tãquam amicos conuiuas excepturum in cælis, communicando scilicet & administrando illis communionem sui epuli nuptialis, id est gloriæ cælestis. Mysticè vide Bedam hic.*

VERS. 41. Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

42. Dixit autem Dominus: "Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram? "Apoc. 16, 15.

43. Beatus ille seruus, quem cùm venerit dominus, inuenerit ita facientẽ.

44. Verè dico vobis, quoniam supra omnia quæ possidet, constituet illum.

35. INTERROGAVIT Petrus, tamquam curam omnium habens, & pro auditoribus sollicitus ceu fratrum amator, & cui iam concredita Ecclesia, num ad omnes parabolam dicat. Dominus verò non manifeste ad interrogationem respondet, sed occulto quodam modo indicat, dictam parabolam communem esse, & ad omnes quidem pertinere fideles, & ad vos Apostolos, & inprimis eos qui vel doctrinâ vel dignitate præsunt. Verùm audi, quisnam sit fidelis ac prudens dispensator. Parabola enim prædicta multis, inquit, congruit. Nunc autem de his qui præfecti sunt alijs, dubito quis inueniatur duo hæc habens, fidem dico & prudentiam: rarus enim hic, & inuentu difficilis. Nam sicut in dispensationibus diuitiarum si quis fidelis fuerit domino suo, non autem prudens, disperdit res domini, nesciens illas dispensare sicut conuenit, sed dat quaodo oon oportet, & damnum facit domino maius. Iterum si prodens quis fuerit, & expendat, infidelisque sit & fur, is tantò magis intolerabilis, quantò prudentior: ita & in diuinis opus est fide ac prudentiâ. Quisquis enim fidelis & prudens inuentus fuerit, constituetur in ministerio Domini, hoc est super omnes seruos, vt vnicuique det mensuram frumenti in tempore suo, siue hoc sit sermo doctrinæ quo aluntur animæ, siue operum exemplum & mandatum quomodo viuere oporteat. Beatus qui talis fuerit inuentus, & super omnia sua constituet illum Dominus, non solùm inter seruos, sed & in sublimiori gradu prouehens, super omnia constituet, vt ei & terrena subsint & cælestia. Theophyl. *Sermo, fidelis & prudens sit.*

VERS. 45. Quòd si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus

meus venire: & cœpetit percutere feruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari:

46. veniet Dominus serui illius, in die quâ non spetat, & horâ quâ nescit, & diuidet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.

CHRYSOSTOMVS Hom.78. in Matth. 36. QVID autem refert, miserrimè omnium, si Dominus tuus tardat, cùm eum omnino venturum non ignores? Cur ergo diligenti studio non incumbis? Hinc igitur discimus, non tardare Dominum: iniqui enim serui hæc de tarditate sententia est, propter quam etiam reprehenditur. Quòd verò non tardet, Paulus quoque confirmat, (Phil. 4,6.) dicens: Dominus propè est, nihil solliciti sitis. & : Qui venturus est, veniet, & non tardabit. (*Dominus non tardat venire.*) Sed quæ sequuntur audi, vt discas quomodo crebrò in memoriam ignoratum illum diem reducat, significans seruis, istud esse perutile, ac sufficiens à somno eos excitare. Nec refert, si multi nihil vtilitatis hinc consecuti sint: nam nec etiam ab alijs iuuantibus lucrati aliquid sunt: sed tamen ipse numquam cessat facere quæ sua sunt. (*Vtilis ignoratio temporis mortis.*) Quid deinde? Veniet, inquit, in die quâ non expectat, & horâ quâ ignorat, & extremis eum cruciabit tormentis. (Matth. 24, 50.) Perpende, quomodo vbique ignorantiam hanc repetit, tum vt vtilitatem eius ostendat, tum vt semper diligentiores esse faciat: hæc enim res, vt scilicet semper nos vigilemus, præcipuo illi studio atque curæ. Ac quoniam calamitatibus oppressi magis corrigimur, delicijs verò atque otio corrumpimur, idcircò vbique in remissione atque quiete ventura mala prænuntiat. Et vt in superioribus per tempora Noë hoc ipsum significauit; ita hic, quando seruus ille temulentiæ se dedit, quando conseruos inflatus verberat, tunc illum intolerabilis pœna manet.

VERS.47. Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis:

48. qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo, & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.

THEOPH. 37. HOc loco amplius quiddam & terribilius nobis demonstrat Dominus. Non solùm enim, inquit, gratiâ nudabitur qui talis est, & nihil sibi proderit hoc vt liberetur à pœnis; sed & maioris condemnationis causa erit dignitatis magnitudo. Quò plus enim scit qui peccat, tantò grauiorem sibi pœnam accersit. (*Malus seruus quid passurus.*) Et in sequentibus hoc manifestius fit. Cui enim datū est multum, ab eo requiretur etiam multum: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Per hoc enim significat, pœnam quam merentur Doctores, futuram maiorem. Datur igitur, & commendatur Doctoribus. Datur quidem, vt gratia sanandi morbos, & faciendi miracula: commendatur autem eis verbi & doctrinæ donum. Et cùm dixit, Datur, non subiungit, Amplius exigent; sed cùm dixit, Commendatur. Et profectò donum verbi opus habet labore, & amplius exigitur à Doctoribus. Oportet enim eum non esse desidem ac ignauum, sed multiplicare talentum verbi. Igitur cui commendauerunt intelligere debes, cui multum datum ad vsuram. Vsura enim commendatum & depositum hic signat. At sunt qui quærant: Esto, benè, puniatur is qui scit voluntatem Domini, & non facit; qui autem nescit, quare punitur? Eò quòd potuisset etiam ipse discere, & noluit, sed piget fuit; ipse in causâ fuit quò minùs didicerit: quapropter puniendus est, quòd sponte non didicit. Si itaque is qui nihil scit, omnino dignus est plagis; quæ excusatio liberabit eos qui scienter delinquunt, maximè si Doctores fuerint? Grauior enim est hæc condemnatio.

38. Non enim pariter commissa in omnibus accipienda. Potentes enim, ait, potenter tormenta patientur. & : Qui nouit voluntatem Domini sui, & non facit, plagis vapulabit multis. Ita plurimarum rerum cognitio acerbiores peccatorum efficit pœnas. Ideò Sacerdos, si pariter cum subditis peccat, non eadem, sed multò acerbiora patietur. (CHRYSOSTOMVS Hom.17. in Matth. Sap.6,9.)

VERS.49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?

50. Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo coarctor vsquedum perficiatur?

39. SOLET verò Deum igni perlubenter Scriptura comparare, & ignem comburentem Deum Moyses appellauit. (PROCOP. in c.6. Isa. Deut.4,24.) In Spiritu sancto & igne prætereà baptizat Saluator, cùm nisi solo igne diuino purgari quemquam posse certum sit. Quale enim cuiusque sit opus, ignis ipse probabit, & saluabitur, ait, tamquam per ignem. (1.Cor.3,13.)

40. Quin etiam Thronos igneos esse [Scriptura] dicit: ipsosque summos Seraphim incensos esse, ex ipso nomine declarat, (DION. AREOPAG. de Cælesti hierarchiâ.) eisque ignis & proprietatem & actionem tribuit: atque vt summatim dicam, semper

atque

Ignis cum rebus cælestibus habet analogiam. atque vbique præcipuè quod ex igne formatum est, probat. Ac igneam quidē formam, significare arbitror cælestium naturarum maximam in Deo imitando similitudinem. Sacri enim Theologi summam & formā carentem essentiam, ignis specie multis locis describunt, quòd ignis multas diuinæ, si dictu fas est, proprietatis, vt ex ijs quæ videntur *Ignis proprietates.* patet, imagines ac species præ se ferat. Ignis enim qui sensu percipitur, in omnibus & per omnia sine admixtione funditur, secerniturque à rebus omnibus, lucetque totus simul, & abstrusus est, incognitusque manet ipse per se, nisi adhibeatur materia, in quā vim actionemque suam declaret. Cohiberi vincique non potest, nec videri: omnia ipse per se obtinet: ea in quibus fuerit, ad vim suam actionemque commutat; suique particeps facit, quod illi admouetur: renouat omnia vitali calore, illustrat aperto lumine: teneri non potest, nec misceri: dissipandi vim habet: commutari non potest: sursum fertur, celeritate magnā est præditus, sublimis est, nihil vile continens aut abiectum: immobilis est, per se mouetur, alijs motum adfert: comprehendendi vim obtinet, ipse comprehendi nescius: non eget altero: clàm se amplificat: in materijs quæ ipsius capaces sunt, magnitudinem suam declarat: vim efficiendi habet, potens est, omnibus præstò est, nec videtur: attritu autem quasi inquisitione quadam propriè & connaturaliter repentè apparet, rursusque, ita vt comprehendi & detineri nequeat auolat: in omnibus sui communicationibus non minuitur. Multas etiam alias ignis proprietates inuenire possumus, quæ propriæ sint, quantū in imaginibus sensum mouentibus licet, diuinæ actionis.

THEOPH. *Prædicatio igni comparata.* 41. Per ignem quidem & prædicatio intelligitur. Sermo enim ignis est, qui consumit omnem materialem & imperfectam cogitationem, & simulacra abolet, cuiuscumque fuerint materiæ. Intelligitur etiam & zelus pro virtute in vnoquoque nostrûm accensus. Fortassis autem & is est qui propter verbum Dei fit, non dissimilis autem est à priore: hoc enim igni vult Deus accendi corda nostra. Debemus ignitum pro virtute zelum habere. Vnde, Quid volo, id est, quantum volo, si iam accensus est: vrget enim vt accendatur ignis ille; sicut & Paulus dicit, Spiritu feruentes. & rursum, Æmulor enim vos æmulatione Dei. Baptisma autem mortem suam dicit. Quoniam enim ignis ille non aliter accendendus erat, quàm post mortem eius (nam ex eo tempore prædicatio & zelus creuerunt) propterea etiā subdit de morte, baptismum illum vocans. Hanc autem valdè desiderans, inquit, Et quomodo coarctor,

Rom 12, 11.
2. Cor. 11, 2.

hoc est, quàm sollicitus & anxius sum ac premor, donec perficiatur? Sitio enim mortem pro omnium salute. Ignem venit missurus non solùm in omnem terram, in quam prædicatio & fides explanata sunt, sed vniuscuiusque animam, quæ terra quidem spinosa est & sterilis, à verbo autem Dei quasi igne succensa, & diuinorum seminum capax, & spiritalium frugum ferax facta. Vbi enim alicuius animæ inuisibiliter diuina gratia contigent; videtur desiderio Dei suprà quàm dici queat flagrare, quemadmodū & Cleophas flagrabat diuino igne, cùm diceret, Nónne cor nostrum ardens erat in nobis? Luc. 24, 32
Quisquis igitur hanc affectionem expertus est, scit quid dicamus. Experiuntur autem multi, etiam quando leguntur diuinæ Scripturæ, vel Vitæ SS. Patrum, vel si admoneantur, vel doceantur, quomodo accendantur animæ ad faciendum bonum. Et alij quidem vsque ad finem flagrant, alij vero statim frigescunt.

ANNOTATIONES.

VERS. 49 IGNEM VENI MITTERE] Non vtique, *inquit* S. AMBROSIVS, illum consumptorem bonorum, sed bonæ voluntatis auctorem, qui aurea Dominicæ domûs vasa meliorat, fœnum verò consumit & stipulam. *Ignis Spiritus sancti qualis.* S. GREGORIVS *super Ezechielem Homiliâ* 2. Ignis, *inquit*, in terram mittitur, cùm per ardorem sancti Spiritus afflata terrena mens à carnalibus suis desiderijs crematur, succēsa autem spiritali amore malum quod fecit, plangit: & sic terra ardet, quando accusante se conscientiâ cor peccatoris in dolore pœnitentiæ concrematur. *S. Hieronymus lib* 2. *contra Rufinum*, *Augustinus Sermone* 100. *de Tempore, & alij passim, hîc etiam accipiunt per ignem Spiritum sanctum, aut, quod eódem redit, charitatem & Zelum. Ita Theophylactus hîc Num.* 41. *& Euthymius, vt scilicet hoc Zelo omnia aduersa, & omnem tribulationem, & persecutorum ignem instantem, vt sequitur, fortiter superent, adeoque cum S. Ignatio Martyre epistolâ ad Romanos prouocent.*

IBIDEM. ET QVID VOLO NISI VT ACCENDATVR?] *Græcè propriè est*, Nisi vt iam accensus sit, *& ità legit Hilarius in Psal.* 119. *Syrus, & passim PP. Græci. q.d. nihil volo quàm accensum esse, & si accensus sit, nihil aliud est quod optem; restat ergo vt ad Patrem redeam. Ita Theophylactus apud Toletum in Luca cap.* 12.

VERS. 50. BAPTISMO AVTEM HABEO BAPTIZARI.] Id est, *inquit* BEDA, sanguinis proprij tinctione habeo perfundi, & sic corda credentium Spiritus igne inflammari. *q.d. Ignis hic non potest exilire, nisi prius percutiatur; in cruce silex corporis mei; crucis enim merito & exemplo exiliet. Vbi nota, Baptismum hic vocari mortem ac crucis passionem, quia in Scripturis aquæ, & in aquis demersio, symbolum est tribulationum & afflictionum, vt videre est Psal.* 64, 12. *& Psal.* 68, 2, 15, 16. *& Interpretes ibidem.*

VERS. 51. " Putatis quia pacem veni dare in terram? Non, dico vobis, sed separationem: " Matth. 10, 34.

52. erunt

52. erunt enim ex hoc quinque in domo vnâ diuisi, tres in duos, & duo in tres

53. diuidentur: pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam.

Iuillus Statium lq.61.

42. DOCET, quòd qui iam crediderunt, & baptizati sunt, confestim ad id præparare se debeant, vt cùm ab alijs tum ab ipsis etiam suis domesticis tententur, idque quoad vixerint: quando qui non eo modo se præparauit, is si in repentinam incidat calamitatem, facilè pulsus loco prosternitur.

Chryso. stomus Hom. 36. in Matth.

43. Iterùm difficiliora magisque ardua, & quidem affatim atque copiosè proponit: quodque ipsi obiecturi erant, id præueniendo prædicit. Nam ne his auditis in talem sermonem erumperent, Idcircò ergo aduenisti, vt tam nos qui te secuti sumus, quàm eos qui sermonem nostrum non repudiabunt, interimas, atque orbem terrarum bellis & cædibus repleas? præuenit ipse, atque ait: Non veni pacem mittere in terram. Quomodo igitur ipsis præcipit, cùm ad suscipientium domos ingrederetur, pacem omnibus dicere? Aut quomodo Angeli clamabant, Gloria in excelsis Deo, & in terrâ pax? Quomodo etiam pacem omnes Prophetæ tempore ipsius futuram prænuntiarunt? Quia videlicet præcipua singularisque pax tunc præstatur, quando quod tabe vel sanie corruptum est, abscinditur atque proijcitur, quando factiosa & improba pars repellitur, aut omnino destruitur: sic certè cælis terra coniungi potest. Nam & medicus hac ratione reliquum corpus facilè conseruat, si, quod reduci ad sanitatem non potest, exciderit atque abiecerit; & militiæ Dux ad soluendam militum conspirationem, alterum in alterum concitat. Sic in turre illâ factum videmus, quando perniciosa illa pax per salutarem vocis dissonantiam dissoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus eos qui aduersus se conspirabant, diuidebat atque dissipabat. Tempore vero ipsius Naboth concordia illa quouis bello fuit atrocior. Nec enim semper concordia laudanda, cùm etiam latrones magnâ inter se concordiâ cõspirare sciamus. Non igitur ex proposito Christi, sed ex mente animoque hominum vitioso bellum erumpit. Nam ipse certè vellet, vt omnes vno consensu veram pietatem amplecterentur: verùm quoniam resistunt atque reluctantur, bellum prorumpit. Quòd igitur ait, Non veni mittere pacem, ad illorum consolationem dicit. Nulite existimare, harum rerum causam vos futuros: ego sum qui, quoniam homines ad vitia infidelitatemque procliues sunt, hęc præparo. Non ergo quasi prȩter exspectationem vestram quidquam acciderit, turbatione aliquâ moueamini, cùm ideò venerim vt bellum committam. Hæc voluntas mea est: nulla vos inuadat turbatio, quasi bello atque insidijs orbe terrarum ferociùs exagitato. Nam si hoc modo peiorem partem conciderimus, tunc pars melior cælo copulabitur. His etiam verbis aduersus malam multorum existimationem ipsos fecit firmiores. Non autem dixit, bellum, sed quod atrocius est, gladium. Quòd si acerbiùs hæc & minùs compositè dicta tibi videantur, neqnaquam mireris: verborum enim asperitate aures ipsorum exercere voluit, ne in rerum ipsarum difficultate resilirent; atque etiam ne quis diceret verborum lenocinijs allectos fuisse Apostolos, non iucundè rem asperam, sed asperrimè protulit: satius enim est lenitatem & mansuetudinem in rebus cernere, quàm in verbis. Propterea nec ista sibi suffecerunt, sed latiùs naturam istius belli ac singulas partes amplificans, omni bello intestino atque ciuili crudelius ostendit, dicens: Veni enim separare hominem aduersus patrem suum; ita vt non solùm inter domesticos bellum fore prædiceret, verumetiam inter illos qui necessarijs naturæ vinculis proximè colligati sunt: quæ res virtutem ipsius magnopere declarat, quòd qui primi hæc audierint, libenter suscipere, & alijs persuadere potuerint. Et quamquam non ipse sed hominum improbitas horum omnium causa futura esset, se tamen facturum omnia dicit, phrasi Scripturæ vsitatâ.

Luc. 2, 14.

Quale bellũ Christus venerit mittere in mundum.

Gen. 11, 7.

Act. 9, & 13.

3. Reg. 21, 10.

ANNOTATIONES.

SED SEPARATIONEM.] *Scilicet in fide ac religione, ita vt nimirum fideles directè per fidem se separent ab infidelibus: hi verò, inde arreptâ occasione, illos prosequantur odio, eosque bonis ac vitâ spolient. Hoc secundum hîc Christus maximè videtur significare, & optimè respondet Michææ cap. 7, 6. quo videtur Christus alludere. Nam licet ibi Michæas ad litteram loquatur de obsidione ciuitatis Ierusalem per Chaldæos, in quâ adeò peste, gladio, fame vexata fuit, vt etiam frater fratri panem, arcem, domum præriperet, vt sua vita consuleret: allegoricè tamen ista pugna significabat discordiam & pugnam infidelium, etiam parentum contra fideles filios, idque maximè circa prima illa Christi tempora, quando propter eos periculum famæ, bonorum, honorum, vel etiam vitæ incurrebant infideles. Et hoc sensu aptat hîc Michæas verba Christus. Non enim in allegoriâ necesse est personas aliasque omnes circumstantias accommodare.* VERS. 51

VERS. 54. [a] Dicebat autem & ad turbas: Cùm videritis nubem orientem [a] Matth. 16

ab

ab occasu, statim dicitis: Nimbus venit: & ita fit.

55. & cùm austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit: & fit.

56. Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis?

57. Quid autem & à vobis ipsis non iudicatis quod iustum est?

Matth. 5. 25. 58. "Cùm autem vadis cum aduersario tuo, ad Principem, in viâ da operam liberari ab illo, ne fortè trahat te ad iudicem, & iudex tradat exactori, & exactor mittat te in carcerem.

59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

THEOPH. 44. POSTQVAM de prædicatione disseruit, ignemque & gladium nominauit, quia verisimile erat audientes turbari, non intelligentes id quod dicebatur, ait: Quemadmodum aëris qualitates à quibusdam signis cognoscitis, sic oportebat & meum aduentum cognoscere ex his quæ dicuntur, & ex his quæ à me fiunt. Etenim sermones mei demonstrant me contrarium vobis, similiter & opera. Nam vos quidem (Luc. 9, 58.) publicani & raptores, ego autem non habeo vbi caput reclinem. Oportebat igitur vos, veluti à nubibus imbrem, & ab Austro æstum coniectatis, sic etiam tempus huius mei aduentus probare & coniectare, quòd non venerim mittere pacem, sed imbrem & turbationem. Nubes enim & ipse sum, & ab Occidente humanæ naturę venio, quæ priùs fuit humilis, & magnam ex peccato caliginem habuit. Sed etiam veni ignem mittere, & æstum facere. Auster enim sum, spiritus feruidus, & frigiditati Aquilonis contrarius; quandoquidem in Bethlehem apparui, quæ ad Austrum sita est. Et vbi hæc dixit, docet eos etiam de laudabili pace. Quia enim ostenderat laudatum dissidium, ostendit & irreprehensibilem pacem, & inquit: Cùm aduersarius rapuerit te ad tribunal, in viâ da operam, festina & labora (id enim significat (Quomodo paci studendum.) δὸς ἐργασίαν, Da operam) hoc est omnes modos cogita, quomodo ab eo libereris. Vel aliter: Da operam, hoc est, etiamsi nihil habeas, fœnerare, & da operam, hoc est, vsuram, vt libereris ab illo, nequando trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor proijciat te in carcerem, donec vltimum minutum reddas. Hæc autem dicit Dominus, exterrens per hæc crassiores, & ad pacem faciendam cogens, sciens quòd eos qui magis terrestres sunt, metus damni & suppliciorum plus emendet, & propterea dicit hæc. Intelliguntur autem hæc etiam de diabolo, qui noster aduersarius est. Cùm igitur in viâ huius vitæ sumus, demus operam, virtutibus vacando, vt ab eo liberemur, & nihil commune cum eo habeamus, nequando in futuro iudicio tradat nos iudici. Opera enim eius quæ in hac vitâ facimus, illa tradunt nos iudici, & iudex tradit nos exactori dæmoni cuidam nos torquenti & affligenti, & posteà punit nos donec etiam minutorum peccatorum pœnam luamus, & mensuram pœnæ impleamus. Numquam autem impleta est pœnæ mensura, semper ergo puniemur. Si enim in carcere manebimus donec extremum minutum reddamus, & numquam redditurі sumus, manifestum quòd æternum sit futurum supplicium.

ANNOTATIONES.

CVM ADVERSARIO.] *Quæstio est, quis sit hic aduersarius, accusator, & actor. Respondet Primò Tertullianus libro de Animâ, esse diabolum. Secundò, S. Athanasius quæst. 62. esse carnem. Tertiò idem, esse conscientiam. Quartò, S. Augustinus, Anselmus, & Beda, esse Deum aut Dei legem. Quintò, S. Basilius in Regulis breuioribus, Interrogatione 222 esse hostem qui nobis est iniurius. Sed hæc magis mystica videntur quàm litteralia. Quare magis propriè cum S. Hieronymo, Hilario, & Auctore Imperfecti in Matthæi cap. 5. existimo aduersarium esse eum qui iniustè est offensus ac læsus, qui nos idcircò coram Deo reos peragere posset, cui nos Deus iubet reconciliari.* (VERS. 58. Quis sit aduersarius, à quo vt liberemur nobis conandum sit.)

Nota autem, hunc sermonem parabolicum esse, in quo proinde non est necesse singula adaptare, sed scopus maximè spectandus est, eique omnia quæ possunt accommodanda, quæ tamen hîc non tam exprimuntur quàm innuuntur. Vnde colligo ferè hunc esse sensum, q. d. Sicuti prudenter faceret debitor ab actore, protractus ad iudicem, si ante iudicium cum actore conueniat, itaque condemnationem, carcerem, infamiam, & integri debiti solutionem euadat: ita omnino si fratrem læsisti, eique per aliquam iniuriam te debitorem constituisti, satage vt citò ei reconcilieris, antequam iudici Deo tradaris, qui iustâ vindictâ te mancipet carceri, donec omne debitum exsoluas, vel letale & æternum in inferno, vel veniale & temporale in purgatorio. Ad purgatorium enim inclinat particula donec, *vt benè notat* S. AMBROSIVS *in hunc locum, qui pulchrè hanc parabolam in hunc modum explicat, dicens:* Aduersarius noster diabolus est, qui serit illecebras delictorum, vt habeat in supplicio participes, quos habuit in errore consortes. Aduersarius etiam nobis est omnis vitiorum vsus. Denique aduersaria est nobis mala conscientia, quæ nos & hîc afficit, & in futurum accusabit & prodet. Demus igitur operam dum in hoc sumus vitæ curriculo constituti, tamquam à malo aduersario, ita ab improbo liberemur actu: ne, dum imus cum aduersario ad Magistratum, in viâ nostrum condemnet errorem. Quis autem est Magistratus, nisi penes quem omnis potestas est? Hic autem Magistratus tradit reum iudici, ei scilicet cui viuorum & mortuorum tribuit potestatem, scilicet Iesu Christo, per quem occulta redarguuntur, & improbi operis pœna mandatur. Ipse exa-

cto-

ctori tradit, & in carcerẽ mittit. Dicit enim: Tollite, & mittite illũ in tenebras exteriores; & exactores suos mõstrat esse Angelos, de quibus dicit: Exibunt Angeli, & separabũt malos de medio iustorũ, & mittent eos in caminũ ignis. Sed subditur: Dico tibi: Non exies inde donec etiam nouissimũ minutum reddas. Sicut enim qui pecuniam soluunt, non priùs euacuant fœneris nomen, quàm totius sortis vsque ad minimum, quocumque solutionis genere, quantitas vniuersa soluatur: sic compensatione charitatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissoluitur.

S. LVCÆ CAPVT XIII.

1\. ADERANT autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum.

2\. Et respondens dixit illis: Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

3\. Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

4\. Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloë, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem?

5\. Non, dico vobis: sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

Oecumenius in Act. Apost. cap. 5.

1\. VEROSIMILE est, Galilæos temporibus Pilati in seditionem motos fuisse, dogmata sequentes Iudæ Galilæi. Dogma autem Iudæ, prout etiam Iosephus in postremis Antiquitatum Iudaicarum libris ostendit, magnam præ se ferebat speciem exactæ religionis. Dicebat enim, nullum oportere vel ore tenus Dominum appellare, ne quidem honoris aut beneuolentiæ gratiâ, adeoque nec ipsum Regem. Multi itaque illorum, quòd ne Cæsarem quidem Dominum vocarent, grauissima perpessi sunt supplicia. Docebant quoque, præter designatas in lege Moysi victimas, non oportere alias offerre Deo. Quapropter etiam eas quæ à Senatu populoque offerebantur, prohibebant pro salute Regis ac gentis Romanorum fieri. Verosimile ergo est, Pilatum propter ista Galilæis indignatum, inter sacrificia, quæ iuxta legem offerre videbantur, ipsos interfici iussisse, ita vt tunc sanguis offerentium vnà cum hostijs oblatis mixtus sit.

Chrysostomus de Prouid. lib. 1.

2\. Deus ne sibi fides negetur, neque ingens vulgarisque turba ex contemptu deterior fiat, nonnullos hîc peccatores vlciscitur, quosdamque pro rectè factis in oculis omnium præmijs donat, vt ex eo quòd non in omnibus id facit, iudicij afferat fidem: ex eo verò quòd ante iudicium quoque malos aliquos supplicijs afficit, profundissimo quasi somno sepultos excitat. Nam & malorum quidam punitione, plurimi timore corriguntur, ne patiantur eadem. Ex eo autem quòd non omnibus pro merito hîc retribuitur, cogitare compelluntur, huiusmodi præmia in aliud tempus esse reseruata. Numquã enim profectò, cùm iustus sit Deus, tot sineret siue malos impunitos ex vitâ migrare, siue bonos hic innumeris incommodis & cruciatibus affici, si non vtrisque variam in futuro sæculo mercedem pro meritis pararet. Quocircà non omnes vel supplicio vel honore afficit, sed quosdam; sicut & in Persarum Rege & in Ezechiâ contigit, quamquam fuerint plurimi, & Assyriorum impietate, & Ezechiæ pietate ac virtute pares. Cur autem non in omnibus hoc agat Deus, causa est, quòd scilicet nondum adsit iudicij tempus. Quòd autem ista mea ratio non sit, sed eius qui nos tunc iudicaturus est, Dominum ipsum audi. Nam cùm profecti ad eum quidam, mortem illorum qui sub turre occubuerãt, Pilatique vesaniam annuntiassent, quam in his qui mortui fuerant, ostendit, sacrificijs illorum sanguinem miscendo, ait: Putatis quòd hi Galilæi præ ceteris omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Hæc dilationis ratio, hæc causa est. Idcircò non omnes qui eisdem supplicijs sunt digni, vnà punire consueuit, vt reliqui eorum casibus admoniti meliores fiant.

Cur Deus malorum vltionem & bonorum remunerationem, partim differat, partim in hac vitâ tribuat.

Athan. q. 70. ad Antiochũ.

3\. Hinc discimus, non omnes qui impiè & iniustè vixerint, acerbâ morte vitã claudere. Etenim Iobi liberi, cùm iusti essent, miserabilem obierunt mortem. Nos igitur hinc decet coniecturam facere, quòd religiosi amarâ morte pereuntes, paruum aliquem defectum habuerint, & per hanc liberati sint à tali morte, vt maiores honores verè acciperent. Deinde etiam, vt nos hæc videntes, emendemur. iuxta dictum illud, Si iustus vix saluatur, impius & peccator vbi comparebit?

Dura mors non semper praua vitæ indicium.

Chrysostomus Hom. 19. in Gen.

4\. Dico itaque vobis, nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Hanc autem agere oportet tempore congruo, quando adhuc impetrari potest à iudice misericordia. Memores nunc estote, quòd terribili illo die, & iudicium illud non poterit depra-

uari, & vnusquisque nostrûm, ob peccata pœnitentiâ ducetur, videns ante oculos terribilia illa tormenta, & ineuitabiles pœnas, sed nullam est inde habiturus vtilitatem, tempore destitutus. Pœnitentia enim priusquam pœna inferatur tempus habet & ineffabilem vim. Proinde dum adhuc efficax est mitificum hoc pharmacum, commoda & fructus inde percipiamus, & cùm adhuc sumus in præsenti vitâ, pœnitentiæ medicamen non aspernemur, sciẽtes liquidò, quòd nihil tunc nobis pœnitudo prodetit, cùm solutum fuerit spectaculum, & tempus certaminum ablatum.

Pœnitentia facienda tempore opportuno.

5. Tempus enim huius vitæ, pœnitentiæ tempus est, & remissionis peccatorum; in futuro autem sæculo iustum erit iudicium retributionis. Nam vbi ex hac vitâ migrauerimus, omnis nobis benè faciendi facultas præcisa est, Deo nobis præsens hoc tempus longanimiter & benignè præfiniente, ad ea quæ illi placita sunt perficienda.

BASILIVS Ethic. c. 1.

ANNOTATIONES.

NVM. 1. *Quosnam Galilaeos occiderit Pilatus.*

EADEM *ijsdem ferè verbis habent Cyrillus in aureâ Catenâ, Euthymius & Theophylactus in hunc locum. Plura autem de hoc Iudâ Galilæo, eiusque sectâ, vide apud Iosephum lib. 18. Antiquitatum cap. 5. & Egesippum lib. 2 de Excidio Ierosolymitano, c. 5. Existimant aliqui, hanc sectam ortam esse occasione descriptionis quæ facta est nascente Christo, de quâ actum est suprà cap. 2. & confirmant ex Actorum c. 52, 37. vbi dicitur:* Extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum post se, *&c. putantque Galilæos istos, quos hic Pilatus occidisse narratur, eius fuisse sectatores. Tempore enim Pilati reliquiæ adhuc secta illius permanebant. Verùm quinam fuerint hi Galilæi, non certò constat. Nam quòd aliqui existiment, cædem hanc in monte Garizim cõtigisse, non satis solidũ esse ostendit Baradius t. 3 lib. 3. c. 7. eo quòd Egesippus & Iosephus locis citatis dicant, ibi Samaritanos, vtpote in Samariâ, à Pilato occisos esse inter sacrificandum. Verosimilius itaque videtur, nouam aliquã suscitatam fuisse rebellionem, siue à Iuda sectatoribus, siue alijs eiusce farinæ hominibus, qui Cæsari tributa reddenda negabant (de quibus Dominus dixerat,* Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari,*) quos Pilatus interemerit dum sacrificia offerrent, siue Ierosolymis, siue in alio aliquo loco, subito superueniens, dum sacrificijs occupati essent, illos perdendo, & sanguinem eorum cum sacrificiorum sanguine miscendo. Pulchrè sic* BEDA *ad hunc locum:* Pilatus, qui interpretatur Os malleatoris, diabolum significat, semper cædere paratum; sanguis, peccatum; sacrificia, bonas actiones exprimunt. Pilatus ergo sanguinem Galilæorum cum sacrificijs eorum miscet, quando diabolus eleëmosynam, & cetera bona fidelium, vel carnis delectatione, vel humanæ laudis ambitione, vel quauis aliâ peste commaculat.

Pilatus quid significet.

VERS. 4 IN SILOE.] *Adducit hîc Dominus exemplum alterius casus fortuiti, cuiusdam turris qui ruinâ suâ octodecim viros oppressit, vti Lyranus putat, eiusdem extructores, vel vt alijs placet, antiqua iam ruinosa instauratores. Est autem Siloë (vt Ioannes Suarez Episcopus Conimbricensis testis oculatus scribit) fons qui subtus montem Sion currens iuxta quercum Rogel prorumpit; vbi erat natatorium illud de quo Dominus cæco à natiuitate Ioannis 9. luto ex saliuâ & terrâ facto, oculisque eius superposito dixit,* Vade & lauare in natatoriâ Siloë. *Fontem illum adhuc ibidem hodie scaturire subtus montem Sion, & in eodem oculos, cum Ierosolymis esset, se lauisse testatur. Secundùm* BEDAM, Ierosolymitæ à ruinâ turris oppressi, significant Iudæos qui pœnitere noluerunt, cum mœnibus suis esse perituros. Nec frustrà decem & octo, qui numerus apud Græcos ex ι & η, hoc est ijsdem litteris quibus nomen Iesus incipit, exprimitur. Significat autem Iudæos hinc maximè perituros, quòd nomen Saluatoris recipere noluerunt. Illa turris significat illum qui est turris fortitudinis, quæ meritò est in Siloë, quæ interpretatur Missus, significat enim eum qui missus à Patre venit in mundum, qui omnes, super quos cecidit, conteret.

Fons Siloe qualis sit & vbi.

VERS. 6. Dicebat autem & hanc similitudinem. Arborem fici habebat quidam plantatam in vineâ suâ, & venit quærens fructum in illâ, & non inuenit.

7. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hac, & non inuenio: succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?

8. At ille respondens, dicit illi: Domine dimitte illam & hoc anno, vsque dum fodiam circa illam, & mittam stercora:

9. Et siquidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

6. FICVM Scriptura vocare solet peccatis immersam animam, vineam verò fidelium Ecclesiam, vinitores autem Angelos. Quando igitur in Ecclesiâ sunt qui pro dignitate fidei non viuant, non vinea vocantur, sed ficus. A tenerâ quidem ætate, vt par est, in eâ per Baptismum plantati, in senectute verò ad hunc modum immutati cùm sint, meritò Deus, quantumuis longanimis, dicit ad vinitorem vel Angelum Ecclesiæ: Ecce tribus iam annis venio fructum quærens in istâ ficu, nec tamen inuenio. exscinde eam, vt quid etiam terrã occupat? At ille respondens dicit, Domine, sine illam adhuc hoc tantùm anno, donec foueâ circum eam factâ misero stercus. Tres igitur sunt anni hominum, in quibus venit Deus quærens fructũ, quæ sunt hominis tres ætates, vtpote pueritia, iuuentus & senectus. Multi enim in senectute demum resipuere, qui per afflictiones fossi, & per tentationes recepto stercore, fructiferi facti, protulere virtutem.

ATHAN. q. 36. in Script.

Quid ficus & vinea innuant.

A N-

ANNOTATIONES.

Nvm 6. Explicatio mystica parabola fici infructuosæ.

NOTA, ficum esse Iudæos, imò quemuis hominem. Cultor est Christus, Apostoli, & similes; Dominus est Deus Pater, & sanctissima Trinitas; tres anni sunt tres Iudæorum politia, nempe prima sub Iudicibus, secunda sub Regibus, tertia sub Pontificibus. Ita Euthymius. Theophylactus autem accipit tres hominum ætates, scilicet puerilem, virilem, senilem. Cetera sunt emblemata. Ad litteram verò videtur hîc Christus etiam allusisse ad naturam ficus, vt quæ aliquando tertio demum anno fert fructum, sed si tertio nondum ferat, numquam illum ferre solet.

VERS. 7. VT QVID ETIAM TERRAM OCCVPAT.] Erasmus vertit, terram onerat inutili pondere, alij, terram inertem siue sterilem reddit, tum vmbrâ suâ, tum visibus vicinis succum præripiendo. De hac ficu vide S. Gregorium Hom. 31. in Euangelia, & Lectione 1. 2. & 3. Sabbati Quatuor Temporum Septembris.

VERS. 10. Erat autem docens in synagogâ eorum sabbatis.

11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

Chrysostomvs. 7. DOCET quidem non seorsum, sed in synagogis securè, nihil metuens, nullas faciens sermones, nec aliquid contra legem Moysi statuens; sabbato autem, quia tunc Iudæi legi vacabant.

ANNOTATIONES.

Vers. 11 Morbi quomodo etiam à diabolo immittuntur.

QVÆ HABEBAT SPIRITVM INFIRMITATIS.] Id est, infirmitatem immissam à spiritu malo, vt patet ex Versu 16. Vbi nota, morbos sæpe à dæmonibus immitti. Sic Iob 2. 7. Egressus satan à facie Domini, percussit Iob vlcere pessimo à plantâ pedis vsque ad verticem eius. Marci 9, 25. Christus surdum & mutum spiritum expellit. Psalmo 77. 49. dicuntur fieri immissiones per Angelos malos. inimici siquidem nostri sunt, & quoquo possunt modo nos insequuntur, nunc tentationibus, nunc verò etiam morbis, vt hoc vel illo modo, licet vincere non possint, saltem molestijs afficiant.

VERS. 12. Quam cùm videret Iesus, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ.

13. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.

14. Respondens autem Archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die sabbati.

Cyrillvs. 8. SED ingratæ synagogæ præsul postquam vidit feminam membra dissoluta trahentem, & erectam pedibus consistere non valentem, sed humi ventre repentè, à Christo misericordiam consecutam, & solo eius tactu erectam esse, atque humano more erectò iam corpore incedere, atque insuper diuina magnalia prædicare: huius liberationem ægrè tulit, atque ardens Domini gloriâ, irretitur inuidiâ, arguitque miraculum, ac Dominum, qui ipsius hypocrisim increpabat, dimittens turbas obiurgat, vt videretur propter sabbatum indignari, quò persuadeat, ceteris diebus dispersis, & proprijs intentis negotijs, non sabbato, videre & mirari prodigia Domini, ne fortè credant. Sed edissere nobis, ô inuidiæ mancipium, quale opus lex prohibuit, ab opere manuali die sabbato abstinere te iubens? Numquid ab eo quod verbo & ore fit? Cesses ergo comedere & potare, ac loqui, & psallere in sabbato. Et si nec illa facis, nec legem legis, cur tibi sabbatum? Si manuale opus lex prohibuerit, quomodo manuale opus est feminam verbo erigere? Si verò illud quòd femina curetur opus voces, & tu tale opus operare, qui incusas curationem. Quale opus prohibitum in sabbato.

ANNOTATIONES.

QVAM CVM VIDERET IESVS, &c.] Non expectauit misericordia Domini inclinata mulieris postulationem, sed ipse vltrò misericordiâ motus illam ad se accersiuit, & consolatus est, dicens: Mulier, dimissa es ab infirmitate tuâ. id est, Dimitteris, curaris à me, per impositionem manus meæ, vt sequitur: simul enim vtrumque fecisse videtur Christus. Dicit autem potius, Dimissa es, quàm Dimitto, vt mulieris fidem acuat, cui etiam alias salutem tribuere solet. Sensum tropologicum vide pulchrè in Iansenio. Vers. 12

VERS. 15. Respondens autem ad illam Dominus dixit: Hypocritæ, vnusquisque vestrûm sabbato non soluit bouem aut asinum à præsepio, & ducit adaquare?

16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati?

17. Et cùm hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant ab eo.

9. BENE igitur dicit hypocritam Principem synagogæ, quia faciem habebat legis cultoris, mens verò eius erat versuti & inuidi: non enim indignatur propter sabbatum quia violatur, sed propter Christum quia glorificatur. Chrysostomvs.

10. Audiuisti sponsum dicentem, Surge, veni, proxima mea, formosa mea. Surge, inquit, nimirum à lapsu, quæ per lubricitatem Nyssenvs in Cant.

peccati corruisti, quę ab angue irretita in terram collapsa es, quæ in ruinâ inobedientiæ extitisti.

Basilivs in c. 1. Isa. 11. Obserua autẽ, quòd testimonio Scripturæ probetur bos præ asino pleniorem obtinere intelligentiam. Bos enim suum nouit possessorem, asinus autem tantùm præsepe: innuente per hoc Scripturâ, quòd sit animal farciendo ventri deditũ, solumque agnoscat locum suæ voluptati destinatum. Bos verò nonnullam habet, eamque vtilem propriæ honestatis ac boni intelligentiam. Hinc factum, vt cùm sint animalia nullam inter se coosuetudinem habentia, vetitum sit in Deuteronomio arare in boue & asino in vnum, hoc est, amantem toleraotemque laborum, voluptatibus passionibusque dedito coniungere. Non enim de bobus cura est Deo; sed id nostri causâ scriptum est. Contrà autem alio loco copulantur: Beati enim qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis & asini. hoc est, Beatus qui sermone ad doceodum apposito exsuscitat vim animæ generosam, ac laborum patientem, nec eius obsequitur voluptatibus. Quemadmodum enim asinus, animal gestandis oneribus natum: sic & coocupiscibilis portio animæ onere peccatorum prægrauata, pessum it ac præcipitatur. Nouit assuetam vocem asinus, nouit viam quam sæpè ingressus fuit, quio etiam interdum homini aberranti ductor existit, nullum autem cicurum animalium tam acrem habere auditum dicitur.

Per bouem & asinum quid in Scripturâ significetur.

Deut. 22, 10.

Isa. 32, 20.

Anonymvs. 12. Erat & olim Ecclesia Gentium sub peccatorum poodere incuruata, rectà incedere non valens, sed idolis procumbens, secundum hoc lamentabile dictum Isaiæ, Procubuit homo, & humiliatus est vir.

Isa. 2, 9.

Pecudum hæc more quadrupedum erat incuruata, vehiculum facta diaboli, & habebat spiritum infirmitatis, nec omnioo poterat sursum respicere ad cælestia, neque rationalium creaturarum more proprio gressum figere, annis iam decem & octo procumbens. In decem quoque mandatorum obseruatione languebat, vti & in spe octaui ac futuri sæculi. Verùm à Christo persanatur, humíq; procumbere desiuit, atq; rectà discit incedere, Christo illi auxiliarem manum porrigente, Archisynagogus autem, quippe rigidus legis obseruator, iodignatur, volens etiam Gentes secundùm litteram viuere, & non secundùm Euangelium vitam instituere. Sed obmutuit, audiens Christum ipsum Iudæos quidem bouis instar, Proselytos verò seu aduenas asini more in Sabbato Moysaicis adaquasse institutis; quæ & aqua vocantur, ad distinctionem Euangelij, quod vinum est lætificans cor. Aliter verò etiam in synagogâ Iudaicâ, hoc est, in confessione (sic enim Iudas interpretatur) & in sabbato, seu malorum cessatione, omois sanatur. Indignatur autem prioceps iniquitatis; sed os illi Dominus obstruit, dicens: Si tu aliquem bouem meum, id est diuini sementis cultorem, aut asinum, hoc est, qui instar iumenti mei factus est, abducis à mensâ meâ, eumque fluxâ & instabili adaquas voluptate; potiori vtique ratione me oportuit in me credentem, & per hoc filium Abrahæ vocatum, soluere à vitiorum vinculis, tuâ ipsi violentiâ atque improbitate iniectis.

ANNOTATIONES.

Vers. 16 QVAM ALLIGAVIT SATANAS.] *Femina hæc, vt notat Theophylactus ad hunc locum, vmbra fuit animæ in res terrenas inclinatæ, ac cælestium oblitæ, quam alligat satanas vinculo cupiditatis, ac funibus peccatorum.* Nam (*vt pulchre* S. Ambrosivs *in Psalmũ 118 Serm 8.*) vinculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur. Ligat (*enim inquit*) nos vinculis carnis illecebra. Vinculum nostrum auaritia est, vinculum nostrum ebrietas est, vinculum nostrum concupiscentia est, vinculum nostrum superbia est. Sunt & diaboli vincula, qui nos quoque ligat criminum nexu, ligat nos vinculo fornicationis, vinculo adulterij: vinculo perfidiæ, quâ Christus negatur; vinculo insidiæ, quâ frequenter etiam frater appetitur; vinculo crudelitatis, quâ nonnunquam socius & conformis occiditur. Hæc sunt vincula, quibus ligatus vnusquisque inclinatur, vt animam suam leuare non possit, nec obtutus ad cęlum mentis erigere, nisi ei dicat Dominus, Dimissus es ab infirmitate tuâ; & munere eum suæ benedictionis erexerit. Hæc sunt sceleratorum vincula quæ durè peccatrices ligant.

Peccatis qui q; suis constringitur.

Vers. 18. [a] Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, & cui simile æstimabo illud?

[a] Matth. 13, 31. Marc. 4, 30

19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam: & volucres cæli requieuerunt in ramis eius.

Irenaevs 13. VIDE autem, per granum hîc sinapios in parabolâ significari cælestem doctrinam seminum mote in mundo hoc tamquam in agro satam, habentem in se igneam & constringentẽ virtutem. Totius siquidem vniuersi Iudex illam primùm prædicauit, qui & in corde terræ tamquam in sulco quodam aut scrobe occultatus, post triduum in maximam arborem excreuit, ramos suos ad extremos terræ fines protendeos. Ex eo pullulantes duodecim Apostoli, rami illi excelsi ac floridi, Gentibus non secùs ac cæli volucribus vmbrã præbuerunt & habitationem.

Christus per granum sinapis significatur.

Omnes

Omnes autem hisce ramis obumbrati tamquam volucres in nido conuenientes, participes effecti sunt cælestis ac lautæ illius alimoniæ quæ ab illis promanabat.

CLEMENS in Pædag. cap. 11. *Effectus sinapis.* 14. Perexiguum itaque granum, quod allegoricè dicitur, vniuersæ humanæ naturæ plurimam salutem largitur. Atque mel quidem cùm sit dulcissimum, bilem generat, quemadmodum quod bonum est, contemptum: quod quidem causa est peccandi. Sinapi autē & bilem diminuit, hoc est, iram: & phlegma exscindit, hoc est fastum atque superbiam. Ex quo verbo vera animæ sanitas, æternaque bona temperatura accedit.

ISIDORVS PELVSIOTA Ep. 199. *Regnum cælorum cur sinapi comparatū.* 15. Et vt compendiosè dicam, plurimis de causis Dominus cælorum regnum sinapis granō comparauit, nempe ob paupertatis, quam pro indulgenti sua demissione subijt, vtilitatem, quæ nobis vmbram aduersus huius vitæ doloribus leuationē conciliauit: ob ouilis, in Euangelij primordijs, tenuitatem: ob naturalem sinapis acrimoniā, quā etiam opus habet is, qui per arctam viam mercaturæ causā graditur: ac denique, quia ne sectione quidem amputatur, verum indiuulsam conseruat hypostasin. Nam qui Deo copulatus atque in vnum perfectum hominem compactus est, eiusmodi cum eo coniunctionem habere debet, quæ diuidi ac scindi nequeat, nec vllā calamitate diuelli possit, verùm omni ex parte cum eo coniuncta sit.

Epist. 198. Christus diuinam quoque suam prædicationem Regnum appellat, vtpote cælorum regnum parturiens. Quæ ex parua (viles enim dictiones sunt) in eam excrescit magnitudinem, vt omni Gentilium eruditioni ac sapientiæ adferat obscuritatem. Quod etiam contigit. Attico enim lepōre manans error, atque acriter argumentans, cessit veritati, sermonis rusticitate laboranti.

IDEM L. 4. Ep. 76. 16. Exilis quidem est, cùm seminatur, diuini præconij sermo, si cum illis conferatur dogmatibus, quæ vmquam tradita sunt ab ijs qui sapientiæ famā & opinione celebres fuerunt, & breuissimis annuntiatur verbis, non solùm ob compendium orationis, sed *Vis humilitatis Scripturæ.* etiam ob plebeium genus dicendi. Si verò excolatur, crescit, atque diffunditur latissime, & superior inuenitur omnibus qui vmquam in admiratione fuerunt sermonibus. Nec immeritò: quippe qui veritatem pariat, nec in exornando mendacio occupetur. Veritate autem nihil est maius. Vnde etiam effectum est, vt qui Philosophiæ se nomine iactabant, suis dogmatibus longùm valere iussis, diuinam illam vmbram expetant, & ad ipsam confugiant. Quàm multi enim Pythagoræi, cùm antea fallus ac despicientiæ fuissent magistri, huius diuini verbi facti sunt discipuli! Quàm multi item Platonici supercilium, quod ipsos extulerat, suum ornatum dicendi studium demittentes contrahentesque, sub illius vmbrā consederunt! Quàm multi denique Aristotelici & Stoici, spreta illā quā prius gloriabantur, & se magnificè efferebant, sapientiā, præclarè secum actum existimarunt, si inter auditores verbo obsequentes collocarentur!

17. Tantam igitur salutare semen posterioribus temporibus virtutem ostendit, vt EVSEBIVS & THEOPHANES. ex illo ceu arbor prodierit Ecclesia, cuncta complectens, & vbique terrarum propagata, adeò vt & in ramis eius quiescant cæli volucres, Angeli scilicet diuini, virtutesque cælestes quæ terrā inuisibiliter circumuolitant, atque animæ sanctæ, quæ propter prudentiam & sublimem vitam, à terra eleuatæ sunt & cælestes. Has enim & non alias, per cæli volucres designari, salutaris parabolā innuit; vti econtrā illa seminis hominum insidias manifestauit, eodem modo volucres cæli nominans aërias illas potestates, quæ semina secus viam incidentia auferebant.

ANNOTATIONES.

SIMILE EST GRANO SINAPIS.] *Pulchrè grani huius proprietates fidei accommodat* S. AMBROSIVS VERS 19 *Serm* 1. Sicut enim, *inquit*, granum sinapis primâ *Proprietates grani sinapis.* fronte specie sui est paruum, vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suauitatem; at vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimoniâ exhibet, cibum flammei saporis exhalat, & tanto feruoris calore succenditur, vt mirum sit in tam friuolis granis tantum ignem fuisse conclusum; cuius etiam seminis cibum homines hiemis præcipue tempore magnâ pro suauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerant, viscerum interna calefaciant: sæpè etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, vt si quid inualidum, si quid ægrotum fuerit, sinapis igne curetur. Ita ergo & fides Christiana primâ fronte videtur esse parua, vilis & tenuis, non potentiā suam *Fides sinapi comparata.* ostendens, non superbiam præferens, non gratiam subministrans: at vbi diuersis tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aspirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipsa feruescat, & participantem sibi ardere compellat. Sicut in S. Euangelio Luc. 24. Amaon & Cleophas dixerunt, dum cum ipsis post passionē Dominus loqueretur: Nónne cor nostrum erat ardens in nobis in viâ, dum aperiret nobis Dominus Iesus Scripturas? Ergo granum sinapis membrorum viscera calefacit, fidei autem vigor cordium peccata comburit. Et illud quidem asperum algorem frigoris remouet, hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapi iniquos humores decoquit corporum, fides autem libidinum fluenta consumit. Et per illud medicina capiti procuratur, per fidem autem spiritale caput nostrum, quod est Christus Dominus, sæpiùs refouetur. Sed & fidei, iuxta comparationem sinapis, sancto odore perfruitur, sicut

ait B. Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus Deo.

Idem Sermone 2. Fides, *inquit*, Christiana, quæ regnum est, eumdẽ vigorem obtinet, quem sinapis natura depromit. Nam sicut cùm sinapis succum sumimus, vultu contristamur, fronte contrahimur, ad lacrymas promouemur. & ipsam salubritatem corporis nostri cum quodã fletu austeritatis accipimus: (illinc enim nos amaritudo exasperat, acrimonia penetrat; hinc calor ignei saporis accendit, & toto perturbati corpore tunc magis sani efficimur, cùm ampliùs deploramus:) ita ergo & cùm fidei Christianæ mandata percipimus, contristamur animo, affligimur corpore, ad lacrymas promouemur, & ipsam nostram salutem cum quodam fletu ac mœrore consequimur. Inde enim ieiunia nos exasperant, illinc peccatorum conscientia macerat: hinc patrimonij iactura conturbat, & toto contristati habitu magis salutem consequimur, si ampliùs defleamus, secundùm quod ait Dominus: Vos plorabitis & plangetis, sęculũ autem gaudebit.

Christus sinapi comparatus. *Ibidem infrà pulchre granum sinapis Christo accommodat*, qui nascendo in hominem humiliatus vt granum est, accendendo ad cælum exaltatus vt arbor est. Granum planè Christus est dum patitur, arbor est cùm resurgit. Granum, inquam, est cùm famem esuriens sustinet; arbor est, cùm quinque panibus saturat quinque millia virorum. Ibi sterilitatem humanâ conditione patitur, hîc satietatem propriâ Diuinitate largitur. Granum autem dixerim Dominum, cùm cæditur, contemnitur, increpatur: arborem autem, cùm cæcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata condonat. Quòd autem granum sit, ipse dicens in Euangelio ait: Nisi granum tritici cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet. Huius igitur grani, hoc est Domini Saluatoris velut sinapis acrimoniam atque amaritudinem Iudęi minimè sustinentes, contempserunt succum cælestis disciplinæ accipere.

Ioseph autem ab Arimathiâ rectè fuerit homo ille, qui acceptum illud misit in agrum suum, dum corpus Domini sepeliuit. Ergo, *pergit ibidem* S. AMBROSIVS, Ioseph hortus flosculorum erat diuersis odoribus plenus, sed necdum in eo tale germen inseuerat. Fragrabat quidem specialis eius animæ hortus variâ suauitate virtutum; sed necdum Christum cum aromatibus in cordis sui secreto posuerat. Itadum Saluatorem in hortuli sui monumento sepelit, magis illum in animæ suæ intimis collocauit. Ramos autem huius arboris requiramus. Inuenies quia ramus est Petrus, ramus est Paulus, rami sunt omnes Apostoli vel Martyres: ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus sæculi minimè submergetur, quin potiùs sub vmbrâ illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, securus à diabolicæ tempestatis procellâ.

Ad litteram autem hæc parabola, vti & sequens fermenti, significat doctrinam Euangelicam: per hanc enim Deus regnat in nobis, & nos ad suum regnũ, quod est cælum, perducit. Hæc a tenui paruoque initio cum Christo cœpit, & per totum orbem se dilatauit. Est ergo metonymia, scilicet via pro termino. Idem tropologicè fit, inquit S. Hieronymus, in quolibet homine qui ad perfectionem tendit.

Math. 13. 31. VERS. 20. Et iterùm dixit: Cui simile æstimabo regnum Dei?

21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.

18. NON igitur mihi opponetis: Et quid poterimus ad tantam duodecim hominem multitudinem? Id enim ipsum maximè virtutis vestræ splendorem ostendet, quòd multitudini orbis immixti non confundemini. Sicut igitur fermentum, cùm farinæ appropinquauerit, non solùm appositum, sed immixtum penitus totam massam fermentat: (propterea non dixit, Apposuit, sed Abscondit.) sic & vos cùm vniti atque commixti fueritis ijs qui vos oppugnant, tunc ipsos superabitis. Et quemadmodum fermentum diffunditur quidem, sed non aboletur, quin imò paulatim in naturam suam vniuersa transmutat: sic etiam in prædicatione hac Euangelij fiet. Tria verò sata, pro multis hîc posuit; solet enim Scriptura, hoc numero pro multitudine vti. Nemo ergo paucitatem deploret: magna enim est virtus prædicationis; & quod semel fermentatum est, ceteris iterùm fit fermentum: & quemadmodum fauilla, cùm in arida ligna inciderit, in flammam ipsa conuertit, quæ vi suâ deinde vel viridia ligna facile incendit, eodem quoque modo prædicatio. CHRYSOSTOMVS in Math. 13.

19. Cælorum regnum fermento comparatum est: hoc est, Domini ac Saluatoris nostri incarnationi, peccati omnis experti, quæ vniuersum terrarum orbem conspersit: & vnius corporis ex nostrâ substantiâ atque à Dei genitrice Mariâ sumpti, coagmentationi, quæ homines omnes qui ab orbe condito extiterunt, ad nouum ortum renouauit. ISIDORVS Epist. 101.

20. Aliter etiam potest accipi: mulier quidem pro Ecclesiâ, fermentum verò pro Spiritu sancto; sata autem tria, pro corpore, spiritu, & animâ. Sanctificat verò illa fermentum Spiritus sancti, vt in Spiritu sancto fiant vna conspersio. GEOMETRA. Explicatio parabolæ de fermento.

21. Item fermentum Saluator nominat Spiritum sanctum, quasi virtutem procedentem ex semine [id est verbo Dei] prædicto modo commixto. Cælestis siquidem regni sermo vbi primùm hominibus insitus, auctus deinde fructum perfectum profert, alijsque à prioribus adiutis Spiritus sancti auxilium impertit, fermenti more massam fermentans. Mulier autem (quæ est diuina sapientia) abscondit illud in farinæ sata tria, hoc est, ijs qui diligentiâ suâ & rectâ sementis culturâ farinæ sata tria (diuinam scilicet doctrinam, Patris & Filij & Spiritus sancti cognitionem) alijs communicarunt, diuina sapientia largitur Spiritum sanctum. Eadem etiam alio sensu in omnem qui ex Deo est homi- IDEM.

hominem corpore, animâ & spiritu constantem, diuinæ inspirationis auxiliû, tamquam fermentum cuius occulta vtilitas est, in dicta farinæ sata tria mente agitata abscondit, donec fermentetur totum. Sic itaque cælestis participatione fermenti impinguatus ac fermentatus homo, etiam ipse iam cælestis & spiritalis noua conspersio nominatur. Trium itaque satorum subactorum vna facta temperatura, & in Spiritus sancti inspiratione, recens ac spiritalis panis effecti, secundùm Apostolum qui dicit, Vnus panis & vnum corpus multi sumus, imaginem ac similitudinem assumamus panis omnia viuificantis, qui de cælo descendit, vt sui nos similes redderet. Rectè autem mulieri diuinam sapientiam assimilat. Christus siquidem, qui Dei virtus & Dei sapientia est, exemplo fermenti significatur. Quemadmodum enim in parabolâ seminis, vbi personam seminantis induxit, non rectè mulierem induxisset; ita econtrà hic, vbi in farinæ sata tria fermentum immittitur, parabolę proprietas exigit vt mulieris panem pinsentis similitudo introducatur.

1. Cor. 10, 17.

PHILLIPS. 22. Mulier etiam hic, vir optime, fermentum, ac sata tria, subtilissimam continent interpretationem. Mulier siquidem commodè refert Ecclesiam, fermentum verò sermonem diuinum ac sacram Scripturam, sata denique tria tres animæ partes seu facultates, quibus Dei sermo contemperatus, vniuersam nostram fermentauit naturam.

CYRILLVS 23. Suscipiamus itaque corde animoque diuinum illud ac spiritale fermentû, vt tam pretiosi & sancti fermenti participes effecti spiritaliter azymi inueniamur. Irrepens enim in animum viuificatrix illa Euangelicæ doctrinæ efficacia, animam & corpus spiritumque in suam quodammodò qualitatem transfert.

EVSEBIVS Matth. 13. 24. Apud Matthæum quoque cælorum regnum fermento comparat, Spiritus sancti per hoc virtutem, atque Euangelici sermonis vtilitatem declarans: subiungitque alteram parabolam, quâ idem Dei regnum simile thesauro dicit. Est autem thesaurus verè magnus, qui iuxta cælestes promissiones, dignis ac iustis repositus est, quem oculus non vidit, quique plurimos latet. Sed qui intelligit, in eo secundùm Dei similitudinem salutem sitam esse, repletus lætitiâ, quasi summum consecutus bonum, reliquis omnibus posthabitis, illum solum inuestigat & quærit. Consequenter autem post thesaurum agri mentionem faciens, etiam hominem adiunxit qui illum repererit, hac ratione hominis Deum amantis mentem affectumque declarans.

GEOMETRA. 25. Secundùm alterá verò acceptionem, ager quidem Scriptura est, plurimis legalibus, graphicis, historicisque dictis circumsitus: thesaurus verò, diuersi qui in ijs reperiuntur seu manifesti, seu occulti sensus. Quin & Christus quoque pretiosus est Scripturæ thesaurus, aut etiam ager, in quo, secundùm Paulum, sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Res itaque cælestes omnes, ipsumque cælorum regnum, in Scripturis, tamquam in tabellâ quadâ depicta sunt, ipsæque sunt regnum cælorum, vti & Christus cuius scientia secundùm virtutem in nobis est, & per virtutes comparatur. Cùm itaque quis thesaurum illum, siue in Scripturis, siue in ipsomet Christo reperit, eum abscondit, sciés arcaná illa non sine periculo cuilibet communicari. Abit auté vbi absconderit, emptum agrum illum, quem Hebræi priùs receperant, ab ijsdem illum accipiens (qui & aliâ parabolâ vinea dicitur) sibi propriam facit, vendens omnia quæ habebat, omnem scilicet deserens prauitatem, ita vt illi ampliùs non viuat, sed ipsi mundo moriatur & concupiscentijs suis.

Coloss. 2, 3. Scriptura thesaurus absconditus.

Matth. 13, 44.

EVSEBIVS 26. Dicta igitur de thesauro abscondito parabola, supereminentes illas cælestes nobis promissiones declarauit. Multæ namque mansiones apud Patrem, & in Deo thesaurus locuples omnis boni existit. Illa autem post hæc quæ de margaritâ est, declaratis diuitijs pretiosius aliquid innuere videtur, Vnigeniti scilicet ipsius Diuinitatem, quæ omnibus rebus prædicto thesauro contentis est longè pretiosior: quam qui possidet, supremam attigit beatitudinem. Margarita etiam non immeritò nominetur ipsum Dei Verbum incarnatum, quandoquidem margaritæ non absimilis, quæ in corpore quidem & conchâ aut ostreo atque aquis nascitur, sed res est valdè pretiosa, atque omnibus quæ in aquis oriuntur corporibus splendidior, ita vt naturâ suâ corpus quidem aqueum, splendore verò & perspicuitate suâ lumine ac spiritu plenum esse videatur. Talis est etiam incarnatum Dei Verbum, lux noua per mortale fluxumque corpus relucens. Multę quidem fuerunt & aliæ margaritæ, Sancti inquam, & amici Dei, Prophetæ ac viri iusti, qui in carne hac quasi coacti & detenti fuere per mortalem quam in carne duxerunt vitam, sed nullus alius præter hunc, qui solus verè vnigenitus est Dei Patris, tanto splendore conspicuus tamque pretiosus inuentus est; ita vt de ipso Isaias vaticinando dixerit: Ecce ego immittam in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honorabilem in fundamenta eius, & qui crediderit in eo, non confundetur. Qui igitur dignus futurus est regno cælorum,

Christus margarita comparatur.

Isa. 28, 16.

rum, consequenter comparatus est mercatori, honesti studioso, ac diligenti, qui diuersa explorando lustrandoque circumiens plurimas quidem reperit margaritas, nempe multos homines sanctos, sed postremùm repertâ illâ pretiosissimâ de quâ est sermo, priores omnes cum hac commutauit, eam prioribus emens. Atque hoc supremum est beatitudinis fastigium, ornari inquam pretiosâ hac margarita, luce videlicet Diuinitatis vnigeniti Verbi. Principium siquidem erat semen, additamentum deinde messis triticea; tertium, discretio zizaniorum; quartum, seminis in magnam arborem excretio; quintum, Spiritus sancti fermentatio; sextum, thesaurus promissionum cælestium; postremum denique ac summum est ipsa diuini Verbi possessio, [margarita scilicet illa] quâ ornatur quisquis dignus est regno cælorum.

GEOMETRA. 27. Qui de margaritis scribunt, tradunt sex esse illarum differentias, quarum præstantissima est illa vnionum quæ in conchis de rore cæli nascuntur. Minoris itaque pretij margaritæ, sunt legis ac Prophetarum quæstiones quas magno labore mercator indagauerat: has expendens, meliorem illis ac pretiosiorem quærit margaritam Christum, illa omnia, tametsi pulchra, existimans detrimentum esse, propter eminentem scientiam Iesu Christi. (Philip. 3.)

EVSEBIVS. *Parabola sagenæ.* 28. Post illas autem parabolas à Matthæo sagena inducitur, quæ quidem contexta sit à piscatoribus illis quos Christus eligens, hominum fieri piscatores iussit, totam autem hominum vniuersitatem confertim instar magni maris circumdedit, congregans ex omnibus Gentibus, barbaris simul ac Græcis, atque ex omnium morum hominibus omnis generis animas in Ecclesiam vnam, vsque ad consummationem mundi, quando constituti ad hoc Angeli omnes quotquot in Ecclesiâ tamquam in sagenâ conclusi fuerint discernent, malos è medio iustorum segregatos, foras eijcientes.

GEOMETRA. 29. Sagena quidem est doctrina, quæ ex antiquæ Scripturæ sermonibus rationibusque connexa est, quam veniens Christus, cùm imperfecta videretur, perfecit. Hæc autem in vitæ huius mare proiecta, non naturâ, sed sententijs, vitæ instituto, atque opinionibus dissidentes congregat, ita vt ex omni genere, secundùm cuiusque siue ad virtutes siue ad vitia propensionem, laude vituperióve dignos concludat. Potest autem illa ex omni natione congregatio omnium Gentium vocationem significare. Non trahunt autem Angeli sagenam ad littus, siue ad illa quæ sunt extra hanc vitá, nisi iam Gentium multitudine impletam. Vbi verò repleta fuerit sagena, subducent illam, ac bona quæque & pulchra suo ordine reponent, vt hic inquit, in vasa sua, mala verò & quæ corrupta sunt eijcient foras. Per id autem quod foris est, intelligitur caminus ignis, vt in sequentibus Saluator declarat. Mali siquidem pisces eijciuntur foras, peruersi verò homines in caminum ignis.

ANNOTATIONES.

VERS. 11. SIMILE EST FERMENTO.] *Vide de hoc pulchram Homiliã apud S. Ambrosium Serm. 5. Nota breuiter, hic per farinã accipi omnes homines qui fide Christi fermentati & conditi sunt. Apposite etiam per tria sata apud Hilarium in Matth. cap. 13. aliqui intelligunt tres mundi partes, vel trium Gentium vocationem, scilicet posterorum Sem, qui Asiam; deinde Cham, qui Africam; tertiò Iaphet, qui Europam in habitarunt. Mysticè S. Hieronymus & Theophylactus aiunt, doctrinam Euangelicam tres hominis partes, scilicet spiritum, animam, & corpus, sibi vnire & contemperare. S. Augustinus lib. 1. Quæst. Euang. cap. 12. mulierem sapientiam dicit, fermentum dilectionem, quod feruere facit, & excitat, in farinæ satis tribus, vel tria illa in homine, ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ mente; vel tria illa fructifera, centesimum, sexagesimum, trigesimum; vel tria illa genera hominum, Noë, Daniel, & Iob. Plura similia vide supra in Catenâ Num. 18. & seqq.* (*Varia parabolæ fermenti expositiones.*)

Nota autem, satum, vel vt Hebræi saah, genus esse mensura aridorum, æquale bato, quæ est liquidorum mensura. Erat autem tertia pars ephi, & trigesima cori, continens Italicum modium cum medio, teste S. Hieronymo in Matth 13. & Iosepho l. 9. Antiq. c. 4.

NVM. 25. Secundùm aliam verò expositionem, &c.] *Locus hic Geometræ, vti & sequens Eusebij, & alter Geometræ Num. 27 explicatio sunt parabolæ quæ Matthæi 13. refertur de margaritâ, cui subiungitur illa etiam de sagenâ, quæ & hic explicatur Num. 28. & seq. idque valdè apposite: nam Christus præcedentibus illis duabus parabolis, grani sinapis ac fermenti, naturam doctrinæ Euangelicæ declarauit; sequentibus verò duabus, thesauri scilicet & margaritæ, eius pretium declaratur, quod tantum est, vt omnium rerum iacturâ meritò sit comparandum. Simile de sapientiâ dicit Salomon Prou. 8, 10.* Doctrinam magis quàm aurum eligite. Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari. *S. Augustinus l. 2. Quæst. Euang. cap. 13. ait, thesaurum in agro absconditum dici duo Testamenta legis in Ecclesia, quæ quis cùm ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere, & vadit & vendit omnia sua, & emit illum, id est contemptu temporalium comparat sibi otium, vt sit diues cognitione Dei.*

Sanctus autem HIERONYMVS *in c. 13. Matthæi,* Thesaurus, *inquit*, iste in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus, aut sacræ Scripturæ in quibus reposita est notitia Saluatoris: quem cùm quis in eis inuenerit, debet omnia illius mundi elementa contemnere, vt illum possit habere quem reperit. Quòd autem abscondit, non de inuidiâ facit, sed more seruantis & nolentis perdere, abscondit in corde suo quem pristinis prætulit facultatibus. (*Christus thesauro comparatus.*)

Vel

Thesaurus est cæleste desiderium.

Vel aliter, *inquit* S. GREGORIVS *Hom. 11. in Euangelia*, thesaurus in agro absconditus est cæleste desiderium, ager verò in quo thesaurus absconditur, est disciplina studij cælestis: quem scilicet thesaurum cùm inuenit homo, abscondit, scilicet vt seruetur; quia studium cælestis desiderij à malignis spiritibus custodiri non sufficit ei, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vitâ quasi in viâ sumus, quâ ad patriam pergimus; maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderant, qui thesaurum publicè portant in viâ. *Plura vide suprà in Catenâ.*

NVM. 27. Qui de margaritis scribunt, *&c.*] *Vide pulchram Homiliam de margaritâ pretiosâ apud* S. EPHRÆM *Syrũ Tom. 3. ex quo hæc breuiter.* Margarita, *inquit*, pretiosa è mari est, magnæ autem æstimationis, eò quòd inuentu difficilis sit. Multæ quidem pecuniæ pondus efficiunt; at illa grauitatem subleuat. Parua cùm sit, magna potest, & ad portandum facilis est, facileque in suum statum restituitur: facilè absconditur, sed difficilè inuenitur. Sic quoque est de cælesti regno, sic etiam de Deo Verbo. quod paruum videtur, perspicuè magnam in se vim continet, sed nec pauperibus est eius vsus: verùm eorum qui in cognitione atque scientiâ diuites euaserunt, illius est perceptio nullus quippe virtutis inops, illo potiri potest: sed perfectorum in rectè factis est illius possessio. *De margarita autem generatione ipsi Christo accommodatâ vide plura apud S. Ephræm loco citato.*

Margarita pretium & conditio.

NVM. 28. Post illas autem parabolas à Matthæo sagena inducitur.] *Ad quem Matthæi locũ* S. GREGORIVS, Sancta, *inquit*, Ecclesia sagenæ comparatur, quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad æternũ regnum à præsentis sæculi fluctibus trahitur, ne æternæ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piscium cõgregat, quia ad peccatorum veniã sapientes & fatuos, liberos & seruos, diuites & pauperes, fortes & infirmos vocat. Quę sagena, scilicet Ecclesia, tunc perfectè impletur, cùm in fine suo humani generis summa concluditur. Sicut enim mare sæculum, ita finem sæculi significat littus maris: in quo scilicet fine, boni pisces in vasis eliguntur, mali projciuntur foras: quia & electos quisque in tabernacula æterna recipitur, & interni regni luce perditâ ad exteriores tenebras reprobi protrahuntur. Nunc enim malos bonosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagena continet.

Ecclesia sagenæ comparata.

VERS. 22. Et ibat per ciuitates & castella, docens, & iter faciens in Ierusalem.

23. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos:

Matth. 7, 13. 24. *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.

MACAR. Hom. 15. 30. QVEMADMODVM enim aurum à copiosâ arenâ dilutũ inuenitur, suntque grana exigua instar milij; sic quoque ex multis pauci sunt probati.

BASILIVS de Abdicatione rerũ. 31. Opta vt sis dẽ numero paucorum: rara siquidem, quæ bona. Quæ quidem etiam causa est, quamobrem pauci cæleste regnum introëant.

CHRYSOSTOMVS in Lucæ c. 16. *Iugũ Christi suaue.* 32. Non contradicit vtique cùm eamdem viam angustam & asperam, rursum leuem facilemque vocat. Illud siquidem dictum est propter naturam afflictionum, hoc verò propter spontaneam voluntaté adeuntium. Nam fieri potest, vt quod naturâ est intolerabile, sit leue si cum alacritate animi suscipiamus. Quemadmodum & Apostoli flagris cæsi reuersi sunt gaudentes, quia digni essent habiti pro nomine Domini flagellari.

IDEM. 33. Somnus enim est vita præsens ad futuram quæ nobis imminet punitionem, quam vt euaderemus dixit nobis Christus, Intrate per angustam portam. (*Matth. 7, 13.*) Angustam autem vocat, non quòd naturâ suâ talis sit, sed quòd noster intellectus per socordiam repens angustam illam esse arbitretur. Neque verò vt ab illâ nos auerteret angustam appellauit, sed vt latam illam fugeremus, & vtriusque viæ finem considerantes hanc eligeremus.

Angusta est porta cæli.

IDEM. 34. Etenim quòd eam angustam dixerit, plurimum conduxit ad illam nobis facilem reddendam, ad ieiunandum siquidem auditores induxit.

Pauci ingrediuntur cælum.

Dicendo vero, Pauci sunt qui inueniunt eam, segnitiem plurimorum euidenter expressit: ac docuit auditores, vt non ad multorum prospera hæc ac læta respicerent, sed potiùs ad laboriosa paucorum. Nam plures, inquit, non modò per hanc non ingrediuntur viam, sed eam ne eligunt quidem: quod extremæ est omnino desidiæ.

CHRYSOSTOMVS in Ep. ad Timoth. 35. Multa sunt offendicula, multa impedimenta, ac propterea angusta est via; adeoque rectè instructum atque succinctum esse conuenit. Vndique apparent voluptates animæ oculos allicientes, vt corporum, diuitiarum, ciborum, mollitiei, honorum, iræ, dominandi, imperandi, quæ omnia aspectu ipso mirum quàm splendida amabiliaque appareant, & intuentes facilè alliciant, eos præsertim qui non valdè amantes sunt veritatis. Hæc siquidem aspera & nuda est, nihil delectationis habens, quippe quę omnem in futuro sæculo expectet voluptatem. Illi verò hîc quietem, honores, voluptatesque consectantur, non veras sed adumbratas, quales illiberalis aliquis & mollis imbellisque, laborem fugiens, sinceræ pręferat oblectationi. Vti igitur in externis illis certaminibus, nisi quis ardenti coronarum æstuet cupiditate, statim comessationibus & ebrietati se tradit; ita etiam illi ignaui atque imbelles pugiles fiunt. Qui verò continuò coronam ob oculos habent, mille plagas &

vul-

vulnera viriliter sustinerit, futurorum spe præmiorum enutriti atque erecti.

CHRYSOSTOMVS in Ep. ad Cor. c. 4. 36. Nequaquam, inquiunt, sed virtus quidem est difficilis & molesta, cum vitio verò permultum voluptatis commixtum est. Et vitium quidem spatiosum est & latè patens, virtus verò angusta & arcta. Num, dic amabò, ab initio fuerũt ambo eiusmodi? Etenim inuitus de virtute dicis ea quæ dicis, adeò fortis & potens res est veritas. Nam si duæ *Difficilia quæ pulchra* essent viæ, vna quidem ducens ad fornacem, altera verò ad paradisum; & ea quidem esset lata quæ ducit ad fornacem, altera verò angusta quæ ad paradisum: quamnam viam magis eligeres? Nam etsi nunc contendens contradixeris, ijs tamen de quibus planè constat, etiamsi valdè sis impudens, non poteris contradicere. Nam quod ea quidem sit magis eligenda, quæ habet initium difficile, non autem finem, conabor vos docere ex ijs quæ sunt in promptu. Et, si vultis, primùm tractemus artes: ipsæ enim initium quidem habent labore plenum, finem autem quæstuosum. At nemo, inquis, artem attigit qui non habebat qui cogeret. Nam postquam sui iuris fuerit adolescens, magis eliget in initio viuere in delicijs, & in fine mala pati innumerabilia, quàm affligi in principio, & ex illis laboribus posteà fructus assequi. Ea ergo eligere, est mẽtis orbatę, & pueriliş socordię: contraria autem, prudentiæ, & magni animi virtutis. Sic ergo nos quoque, si non essemus mente pueri, non assimilati essemus illi orbo & insipienti, sed illi qui habet patrem. Oportet ergo mentem expellere puerilem, non autem res accusare, & aurigam conscientiæ præficere, qui non finet ventri indulgere, sed currere & decertare.

BASILIVS in Psal. 1. 37. Duæ sunt inter se contrariæ viæ; vna quidem lata & ampla, altera angusta & arcta: totidem etiam duces, quorum vterque *Via virtutis & vitiorum.* ad se viatorem arripere conatur. Via namque illa facilis & lata ducem habet decipientem dęmonem malum, qui per voluptatem, sequentes ad perditionem trahit; asperæ verò & arduæ Angelus præsidet bonus, qui per labores & virtutem ad finem beatum tendentes deducit. Vnusquisque igitur post intelligentiæ perfectionem, quasi diuisam sibi in vitium & virtutem vitam videt, & accuratè mentis oculos vtrimque voluendo, quæ ad amborum pertinent proprietatem dijudicat. Nam & peccatorum via omnia præsentis sæculi iucunda præ se fert: at iustorum sola futuræ vitæ bona ostendit. Et saluandorum via quantò pulchriora monstrat futura, tantò laboriosiora præsentia præbet: voluptuaria verò & intemperans non futuram expectat, sed præsentem sequitur iucunditatem. Æstuat igitur omnis anima, & cogitatione menteque claudicat, quando virtutem electura sæcularia cogitat, & ad præsentia respiciens, voluptatem virtuti præfert. Hic carnis oblectationem aspicit, ibi disciplinam: hic saturitatem, ibi ieiunium: hic parasitos & scurras, ibi lacrymas copiosas: hic saltationem, ibi preces ad Deum ac vota: hic tibias & musicam, ibi luctus: hic libidines & amores, ibi virginitatem. Quoniam autem verè bonum ratione cogitationeque comprehẽdi per fidem potest, (procul enim est atque remotum, & oculus non vidit, & auris non audiuit) peccati verò oblectatio promptam habet, & per omnes fluentem sensus voluptatem; beatus qui ab eius abstinens illecebris, ad exitium minimè tendit, sed per patientiam salutis spem expectans, in ambarum viarum electione non eã ingreditur quæ ad peiora contendit, neque ob laboris fugam ante finem desistit.

ANNOTATIONES.

AD *Vers.* 23. SI PAVCI SVNT QVI SALVANTVR] Quid igitur, *inquit* S. AVGVSTINVS *Serm.* 32. *de Verbis Domini*, gaudemus ad multitudinem? Audite me pauci. Scio quia multi auditis, & pauci obauditis. Aream video, & grana quæro: & vix videntur grana quando area trituratur, sed venturum est vt ventiletur. Pauci ergo qui saluantur, in comparatione multorum perituorum. Nam ipsi pauci magnam massam facturi sunt. Cùm venerit ventilator ferens ventilabrum in manu suâ, mundabit aream suam, frumenta recondet in horreo, paleam autem comburet igni inextinguibili. Non subsannet palea granum: hoc verum loquitur, neminem fallit. Estote ergo inter multos multi, sed in comparatione quorumdam multorum pauci. Tanta massa processura est de hac areâ, vt impleat horreum cæli. Non enim contrarius sibi esset Dominus Iesus, qui dixit, Pauci sunt qui intrant per angustam portam, multi per latam viam pereunt. Contrarius sibi esset qui alio loco dixit, Multi ab Oriente & Occidente venient. Multi certè, & pauci; & pauci, & multi. Alij ergo pauci, alij multi? Non, sed ipsi pauci qui multi: pauci in comparatione multorum perditorum, multi in societate Angelorum. NVM. 32 *Pauci saluantur.* Matth. 7. 14. *Quomodo aliquando dicantur multi saluandi.*

VERS. 24 CONTENDITE INTRARE.] *Nota, Dominum non directè respondisse petitioni illius qui eum interrogabat num pauci essent qui saluantur, quia nimirum id minùs erat scitu necessarium: sed arctam salutis viam commonstrando, simul quod caput erat indicasse, quanam & quomodo ad illam connitendum esset, atque indirectè per hoc significasse, respectu damnandorum paucos esse qui saluentur.*

Pulchre BEDA *in hunc locum*, Per angustam, *inquit*, portam aula salutis intratur, quia per labores necesse est & ieiunia sæculi fallentia illecebra vincatur. Et benè dixit, Contendite intrare, quia nisi mentis contentio ferueat, vnda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima reuocatur. Quærunt intrare salutis amore prouocati, & non poterunt itineris asperitate deterriti. Quærunt hoc ambi- *Angusta via salu.*

ambitione præmiorum, à quo mox laborum timore refugiunt. Non quia iugum Domini asperum, aut onus est graue, sed quia nolunt discere ab eo, quoniam mitis est & humilis corde, vt inueniant requiem animabus suis: eoque fit angusta porta quà intratur ad vitam, & tamen, inquit S. Augustinus, per ipsam nisi dilatato corde non curritur, quia iter virtutum quo gradiuntur pauperes Christi, amplum est fidelium spei, etsi arctum sit infidelium vanitati.

Strenuè autem in viâ hac contendendũ esse, S. GREGORIVS *lib 2. Moralium cap 26. exemplis confirmat, dicens:* Quemadmodum remiges aduersus fluminis impetum scapham impellentes, toto conatu remis incumbunt, sic illos qui aduersus carnis, dæmonis mundique impetum animam in cælum impellunt, toto pectoris impetu virtuti incumbere, impetumque impetu maiori vincere necesse est. Quòd si incumbere nolint, retrò vt scapha, sic anima refertur *Vnde* S. GREGORIVS *eodẽ loco,* Mens, *inquit,* cùm ad meliora nititur, quasi contra ictum fluminis conatur: cùm verò ab intentione ascendendi resoluitur, sine labore ad ima reducitur.

ᵃMatth. 25. 10. VERS. 25. ᵃ Cùm autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis: & respondens dicet vobis: Nescio vos vnde sitis:

26. tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti.

ᵇMatth. 7. 23. 25. 41. 27. Et dicet vobis: ᵇ Nescio vos vnde
ᶜPs. 6. 9. sitis: ᶜ discedite à me omnes operarij iniquitatis.

28. Ibi erit fletus, & stridor dentium: cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.

CHRYSOSTOMVS in Matth. c. 7. & ISIDOR. Epist. 145. 38. MERITÒ autem ipsis dicitur, Nescio vos, & alterum illud innuitur, quoniam extunc erant malæ vitæ. Initio autem per indignos etiã gratia operata fuit. Quòd si quis dicat, Cur Deus edendorum miraculorum potestatem indignis hominibus faciebat? Respondetim ego: Quoniam Dominus ad conciliandam nomini suo gloriam diuina signa perpetrabat, tum vt dæmonum insidias prohiberet, tum vt planam & inoffensam Euangelio viam muniret; quorum vtrumque grauiorem ingratis hominibus pœnam afferret, quòd videlicet tantam à Deo potentiam consecuti, bonorum datorem sponte suà ignorarunt, dæmones nimirum eijcientes, ac morbos inuocato Christi nomine profligantes, ingratitudinis autem ab ipso conuicti. Quamobrem ipsis ineuitabile supplicium denuntiatum est. Et quid omnino miraris, si hominibus in ipsum quidem credentibus, vitam tamen ipsi fidei conuenientem non habentibus, gratiæ suæ dona largitus est, quando tale aliquid in his etiam qui vtroque hoc oudabantur bono, inuenitur operatus? In ædificatiooem proculdubio ceterorum ita Balaam & Pharaoni quoque ostendit futura. Et Nabuchodonosori etiam ea quæ in nouissimo sæculo futura sunt, reuelauit, vti & ipsius filio. Quia igitur & tunc ipsa adhuc erant Euangelicæ prædicationis exordia, multaque oportebat diuinæ potentiæ clarere documenta; plurimi quoque indignorum accipiebant dona gratiæ, ex quibus erat ille qui cùm in Christi nomine dæmonia eijceret, non tamen eum etiam sequebatur: qualis erat & ipse Iudas: (nam hic quoque quamquam esset malus, gratiæ tamen munus acceperat.) verumtamen nihil propter hæc illi signa lucrati sunt, sed magis etiam punientur, & audient illud, Numquam noui vos.

Dei gratia etiam per indignos miracula operatur.

39. Et quomodo, inquit, fieri potest, vt qui prophetias ostenderunt, & signa fecerunt, fiot negati? Est verisimile, eos posteà fuisse mutatos, & euasisse malos; vnde nec prior virtus illis quidquam profuit. Nou solùm enim exordia oportet habere præclara, sed finem etiam præclariorem. Nam, dic mihi, an non Orator studet ea facere pręclara, quæ sunt in fine orationis, vt cum plausu recedat? Non quę à sacrificãte in sacrificij exitu fiunt, ostenduntur splendidiora? Athleta si non certamina ostendat præclariora, & ad finem vsque vincat, si vel omnibus victis, fuerit ab vltimo superatus, numquid omnia ei sunt inutilia? Gubernator si totum mare transmiserit, naue in portu fractâ, nónne totum priorem laborem amisit? Quid verò medicus, si ægroto liberato, cùm eum perfectè esset liberaturus, tunc interitum adferat, an non totum perdidit? Ita etiam in virtute, qui non initio consequentem finem imposuerunt, planè perierunt. Tales sunt qui ab ipsis quidem carceribus præclari superbique & elati prosilierunt, posteà autẽ dissoluti, ignauique & remissi fuerunt: quamobrem & præmio sunt priuati, & à Domino non sunt agniti. Nunc ergo illa cum timore audiamus, custodiamusque, ne tunc ea audiamus cum supplicio, Numquã noui vos, ne tunc quidem quando prophetias ostendebatis.

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Hebræos Hom. 23.

Finis coronat opus.

ANNOTATIONES.

CVM AVTEM SVRREXERIT PATERFAMILIAS.] *Latina vertũt,* intrauerit, *vnde videntur legisse* εἰσέλθῃ, *vel* εἰσέλθῃ. *Pater autem familias, vt ait Beda, Christus est, qui cùm vbique ex Diuinitate sit, illis iam intus esse dicitur, quos in cælesti patriâ præsens suâ visione lætificat: sed quasi foris est adhuc eis quos in hac* VERS. 25

Christus paterfamilias comparatus.

pere-

peregrinatione certantes occultus consolator adiuuat. Iatrabit verò, cùm totam Ecclesiam ad sui contemplationem perducet: claudet ostium, cùm reprobis locum pœnitentiæ tollet, qui foris stantes pulsabant, id est à iustis segregati, misericordiam, quam contempserunt, frustrà implorabunt.

VERS. 26. NESCIO VOS.] S. GREGORIVS *lib. 2. Moralium super illud Iob*, Vnde venis? Nescire, *inquit*, Dei, improbare est; sicut & nescire mentiri vir verax dicitur, qui labi per mendacium dedignatur, non quòd si mentiri velit, non sciat, sed quod falsa loqui veritatis amore contemnat. Veritatis igitur lumen, tenebras quas reprobat ignorat. *Simili ferè modo id explicat* S. AMBROSIVS *in Psal. 1. vbi ait:*

Dominus nouit iustos, nescit impios, & quomodo.

Nouit Dominus viam iustorum. Vias eorum vtique nouit, quorū dirigit gressus: sunt enim gressus hominis qui à Domino diriguntur. Diriguntur à Domino & viæ viri. Has nouit Dominus vias quæ sunt rectæ, quæ ad illam viam tendunt, dicentis: Ego sum via, veritas, & vita. hæc bona est via. Tortora autem est via sæculi. Non dignatur illam viam nosse. Illos agnoscit qui sunt ipsius, qui operantur opera eius: qui autem operantur iniquitatem, his dicit Dominus: Discedite à me omnes operarij iniquitatis: non noui vos. Non per ignorantiam, sed per id quòd indigni sunt scientiâ Dei, nesciuntur. *Nescire enim Dei, reprobare est, S. Hieronymo teste in Epistolâ de Quæ Deo in Scripturis sacris attribuuntur.*

IBIDEM. MANDVCAVIMVS CORAM TE.] CYRILLVS *in Catenâ aureâ ad hunc locum*, Hoc, *inquit*, Israëlitis conuenit, qui secundùm ritum legis offerentes Deo victimas edebant & gaudebant. *Vel simpliciter, vt* THEOPHYLACTVS *ait*, quia ex ijs Christus erat secundùm carnem, & cum illis comedit ac bibit. *Sed & prauis Christianis hæc quoque conuenire ibidem ostendit, dicens:* Et meis quoque Christianis quidem, vitæ autem dissolutæ, hæc congruunt. An non & nos manducamus Corpus diuinum, & bibimus Sanguinem Dei coram eo, quotidie ad mysticam mensam accedentes, & docet in plateis nostris Dominus? Atqui nulla inde vtilitas, si auditores quidem diuinæ legis simus, & non factores: imò contrà ad maiorem tormentorum occasionem audiuisse cedet, sicut & diuinarum sanctionum sumptio ad iudicium. *Additque hanc pulchram obseruationem:* Obserua autem quòd reiecti sint illi, quorum in plateis docet Dominus: verùm si ipsum habuerimus docentem, non in plateis, sed in angustijs, & tritis, & compunctis cordibus, non erimus reiecti.

Mysticè, *inquit* BEDA *in hunc locum*, manducat coram Domino & bibit, qui verbi pabulum auidè suscipit. Scriptura enim in obscurioribus cibus est, quia quasi exponendo frangitur, & manducando glutitur: potus est in apertioribus, vbi ita sorbetur sicut inuenitur. Non autem festiuitatum epulatio iuuat, quem fidei pietas non commendat: non scientia Scripturarum notum Deo facit, quem operum iniquitas indignum ostendit.

Quomodo etiam à prauis imò hæreticis possint miracula fieri.

NVM. 39. Et quomodo, inquit, fieri potest vt qui prophetias ostenderunt, & signa fecerunt, sint negati?] *Nota hinc Primò, Per malos, etiam hæreticos, fieri posse miracula, vt patet de Iudâ, Balaam, & Caipha, alijsque à S. Chrysostomo hic in Catenâ Numero 38. allatis. Secundò, Non tamen eos posse facere miracula ad confirmandam falsam doctrinam. Nam verum miraculum etiam vel vnicum non tantùm probabile, sed moraliter certum est argumentum veræ doctrinæ. quod inde patet, quia hoc argumento vt inuicto vtuntur Christus & Apostoli; & quia Iudæi Christi miraculis non crediderunt, idcircò inexcusabiles dicuntur Ioannis 15, 24. Neque enim vmquam verum miraculum in hæresis vel erroris confirmationem factum legimus. Et ratio hoc euincit: est enim miraculum singularis & supernaturalis Dei solius operatio, quâ quasi sigillo suo Dei prouidentia dicta sua, & veritatem obsignat. Quare, si inuocantem se pro miraculo ad errorem stabiliendum exaudiret, videretur errori cooperari, & attestari, cùm tamen sit prima veritas, quam aliquid falsi probare aut attestari impossibile est. Ita D. Thomas 2. 2. q. 178. art. 2. & passim Theologi.*

Nota tamen Tertiò, Quòd si gratia miraculorum quasi habitus permanens antea à Deo aliâ de causâ alicui data esset, posse eum illâ abuti, & miraculum facere ad falsam confirmationem, sicuti potest ad quæstum aut vanam gloriam, vti fecit Balaam. Tunc autem Deus concurrit quidem ad miraculum, non tamen ad finem facientis quem tantùm permittit. Vide super hac quæstione plura apud Suarem 3. partc, quæst. 44. disp. 31. sect. 2. aliosque ibidem Scholasticos.

VERS. 27. DISCEDITE A ME.] *Scilicet, vt Matthæus cap. 8, 12. habet,* εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, in tenebras exteriores. *Vbi Nota Primò, Tenebras vocari carcerem inferni, vbi ignis vti feruentissimus ita tenebricosissimus. Ita S. Basilius in Psal. 28. Et ad hoc tantùm lucet, vt damnatos pœnasque suas & sociorum videant, augeantque. Ita S. Gregorius l. 9. Moralium, cap. 48. Secundò, Per tenebras intelligi tum corporales, tum spiritales. Vnde S. Augustinus in Psal. 6. per tenebras has accipit cæcitatem mentis ex iudicio practico falsissimo & peruersissimo, ex odio nimirum Dei manante, indeque consequentem obstinationem & impœnitentiam.*

Tenebræ exteriores quid, & vnde dictæ.

Dicuntur autem hæ tenebræ exteriores scilicet à Metaphorâ ex conuiuijs desumptâ, per quam beatitudo hic, vti alibi sæpè conuiuio & cœnæ comparatur, idque ob quietem, lætitiam, securitatem, & satietatem. Pro cuius exactiori intelligentiâ nota, plerosque veterum non solere prandere, aut non nisi parcè ac tenuiter, sed cœnare solitos, ac tum sese satiare, quod maximè conuiuijs solemne erat, idque cùm otij tum libertatis causâ, ne videlicet, vt Horatius lib. 1. Oda 1. ait, sæpè diem mero frangerent, sed totam negotijs darent. Græcis id vsitatum fuisse, fusè docent Athenæus de Cœnis sapientum, Hippocrates lib. de Aëre & aquâ, Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi, cap. 2. De Romanis idem tradit Plutarchus lib. 8. Symposiorum, quæst. 6. Martialis lib. 4. Epigrammate ad Euphemum. Vide Alexandrum ab Alexandro lib. 5. cap. 21. & Stuckium de Conuiuijs. Idem de Iudæis quoque docet Philo lib. de Vitâ contemplatiuâ. Quia itaque hæc conuiuia celebrabantur noctu vel vespere, idcirco copioso in eis lumine vtebantur, vt patet ex Lucretio lib. 2. & Horatio lib. 3. Ode 21. Extra cœnacula autem nox erat & tenebræ. Hic ergo figuratè damnatos ex cœnâ cælesti relegandos docet in tenebras exteriores, id est, extra cælum seu à luce cælestis conuiuij remotissimas, id est profundissimas & obscurissimas.

VERS. 28. IBI ERIT FLETVS ET STRIDOR DENTIVM.] *Nota, phrasi hac summum significari dolorem, per fletum; & horrorem, per stridorem dentium: qui enim hic horrendè torquentur, flent, & dentibus strident. An autem damnati propriè fleant, curiosa quæstio est, probabiliusque in re incerta videtur, illos non emittere lacrymas, tum quia ignis ille lacrymas prohiberet, ac statim desiccaret; tum quia ad æternas*

Qualis fletus & stridor sit in inferno.

has

has lacrymas infinita flumina non sufficerent; tum quia eadem semper corpora sine nutrimento ac mutatione in æternis pœnis à Deo conseruabuntur, alioquin sensim totum corpus, imò infinita corpora in lacrymas resolui deberent. Per fletum ergo intelligendi sunt singultus, omnesque complorantium gestus fletus comunicti. Stridorem autem dentium propriè dictum ibi reperiri, Patres passim docent, idque cùm ex alijs pœnis, tum ex frigore; inde enim propriè oritur stridor. Ita Beda hic, & S. Hieronymus in cap. 10. Matthæi, vbi ait, in gehennam ignis *dici, non tantùm quia ibi verè est ignis, sed quia etiam est gehenna frigoris. Idem colligunt Philippus Presbyter, D. Thomas, Lyranus, & alij, ex Iob cap. 34, 19.*

VERS. 29. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.

CHRYSOSTOMVS in Matth. c. 8. 40. HÆC autem dicebat, & Gentes non sinens animum despondere, & Iudæorum fastum tetundens. Ne autem offenderet his dictis auditores, néve occasionem præberet vllã, non apertè nomen Gentium infert. Non enim dixit, Multi gentium, sed, Multi ab Oriente & Occidente; quo sanè Gentes voluit designare. non tamen audientes perinde offendit: inuolutum enim erat dictum.

Matth. 19, 30, & 20, 16. Marc. 10, 31. VERS. 30. " Et ecce sunt nouissimi qui erunt primi, & sunt primi qui erunt nouissimi.

41. A Matthæo verò texitur parabola, quâ ad præcepta faciẽda, tamquam in vineam diuersi operarij in diuersis ætatibus vocantur, sicut in aurorâ, & circa tertiam, sextam, nonam & vndecimam horam. Matth. 20.

GEOMETRA. Parabola de vocatis in vineam. 42. Forte quidem vniuersa hominum vita, iuxta parabolam dies sit, ac illi qui in pueritiâ vocati sunt, ij qui primo diluculo à Domino conducti sunt; qui verò in adolescentiâ, illi qui horâ tertiâ; viri verò, qui horâ sextâ; qui autem post æstum iuuentutis & pondus, iam vergentes ad senium ad Dei cultum inuitantur, sunt ij qui horâ nonâ; qui denique in ipso vitæ excessu, & planè iam senes vocati sunt, significantur per eos qui conducti sunt circa vndecimã horam. Quoniam ergo affectus non tempus respicitur quod quis in fide fecit, idcircò quia ex quo vocati sunt, bona operati sunt, æqualis omnibus salutis merces tribuitur.

MAXIMVS. Denarius quid innuat. 43. Denarius nempe ille spiritalis, Regis Regum Dei imagine insignitus, qui inuidiâ insidiatoris ac supplantatoris diaboli prius fuerat amissus.

EVSEBIVS & GEOMETRA. 44. Videtur autem hîc mihi regni ipsius signum indicari, quoniam id denarius Regis ipsius imagine insignitus declarat. Cùm ergo omnes qui in vineam & ad religionem Deique culturam venerant, vni eidemque operi vacassent, par etiam erat, vt eiusdem regni participes fierent: quapropter etiam omnibus meritò symbolum regni denarius tribuitur. Quorum alij quidem in pueritiâ vocati, alij verò in adolescentiâ, alij in mediâ ætate, alij viri perfecti, alij iam senes & in ipso vitæ exitu. Dixerit hîc aliquis, illa quæ per parabolam significantur, conuenire omnibus ab initio mundi ad eius vsque consummationem à Deo vocatis: sicut & de ijs qui à vitæ primordio iustificati sunt, dicitur, quòd summo manè ad Dei culturam vocati sint, nempe de ijs qui Enoch & Noë præcesserunt; tertiâ verò qui inde vsque ad Abrahamum vixerunt; sextâ, qui vsque ad Moysem, Iosue, & Iudices; nonâ, eos qui fuerunt tempore Prophetarum; vndecimâ denique, qui post aduentum Saluatoris. Vno autem omnes eodemque dignati sunt præmio, denario videlicet, quem in Dei regno receperunt.

45. Quinque autem moræ, seu sparia singulis vocationibus intermedia, paria numero sunt cum sensibus. Ac in primâ vocatione est tactus, quoniam dictum est de fructu arboris, Non tangetis eum. Odoratus autem in secundâ, quia dictum est de Noë, Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Gustus verò est in Abrahæ vocatione: propter quod & pascens Angelos, apposuit eis absconditos seu subcinericios de simılagine, & vitulum tenerum. Auditus autem in Moyse, quando de cælo audita facta est vox Dei. Visus autem, qui ceteris sensibus præstat, in aduentu Christi significatur, quando oculi beati Christum viderunt. Vesper autem est sæculi consummatio, quando operarij nouissimi, primi mercedem accipiunt: primi enim testimonium habentes per fidem, non acceperunt Dei promissionem. Nos itaque qui Christum cognouimus, primi mercedem expectamus. GEOMETRA. Gen. 3, 3. Gen. 8, 21. Gen. 18, 7. 8. Exod. 3, 4.

46. Hic itaque per operarios diuersos, eos qui diuersis temporibus crediderunt, & in vineam, id est Ecclesiam, ingressi sunt, nobis sermo significat. Ab eâ enim die vel horâ, quâ quisque credidit, ab eadem etiam operari incepit. NAZIANZENVS.

47. Ac primum quidem tẽmpus, vti dictum est, ab eo computamus quo Adam fuit in paradiso: secundum verò, per horam tertiam significatum, quo fuit Noë: tertium, quod per horam sextam innuitur, quo fuit Abraham: quartum, in nonâ horâ declaratum, quo Moyses & Prophetæ extiterunt: in quinto verò, id est præsenti sæculo, die iam ad vesperum vergente, per horam vndecimam designato, mercede conduxit Christus CYRILLVS

stus Gentiles, per ipsummet, non per alios, ad fidem vocatos.

ANNOTATIONES.

NVM. 41 A Matthæo verò.] *Capite videlicet 20. texitur parabola de missis in vineam, cuius scopus est, idem significare quod hic expressè docet Christus, scilicet nouissimos fore primos. Illā enim ibi exempli causā proposuit, ad ostendendum quomodo ex Dei gratiâ & sine vllâ iniustitiâ fiet, vt qui hic primas tenere visi sunt, in nouissimo die postremas teneant, & contrà. Id est, vt Apostoli, humiles & in exteriori specie abiecti homines, præferantur Scribis & Pharisæis: item Gentiles Iudæis, qui tamen primò vocati sunt à Domino, vt nimirum primas in regno Dei tenerent: denique filios noui Testamenti præferendos filijs veteris Testamenti, qui sub vmbris laboriosissimè seruierunt, quia scilicet hi legi & operibus legis præfisi falso hoc regnum vt sibi debitum arrogabant: vnde illi ab eo exciderunt, illi verò fidei ac gratiæ Christi, quam Iudæi longè vberiorem habuerunt, humillimè se subdiderunt, & strenuè illi cooperati sunt, ideoque præ alijs electi sunt ad gloriam. Idem pluribus locis Christus significauit, vt Matthæi 5,19. & cap. 21,31. alijsque; & Apostolus in Epist. ad Rom. fere per totam. Parabolam autem* Explicatio parabola de vineâ. *sic applica, vt per* vineam *significetur Ecclesia; per* primò vocatos, *Iudæi; per* deinde vocatos, *Gentes; per* vesperam, *dies iudicij extremi, quo singulis assignabitur & adiudicabitur sua merces, vel data in hac vitâ, vel tum danda; per* denarium, *integra merces diurna. Denarius enim erat quasi statum laboris diurni pretium, & valebat appendebatque, si Plinio & Budæo credimus, drachmā Atticam, regali nostro Hispanico æquiualentē. Hic denarius & merces par est & eadem, sed tantùm in genere & in confuso, quia scilicet omnibus est integra laboris diurni. Nam numero, specie, & gradu valde dispar est; vnde alij fiunt nouissimi, alij primi: Iudæis enim per tot mundi ætatis merces huius vitæ promissa erat temporalis; filijs verò noui Testamenti vnicâ & vltimâ mundi ætate laborantibus longè nobilior & omnem laborem superans, scilicet vita æterna. Vnde qui erant hic primi, scilicet Iudæi, ibi, id est in die iudicij, apparebunt nouissimi, id est ab eâ remotissimi & exules; ideoque murmurabunt, vti & hic contra Christum murmurabant quòd sibi præferret Gentes in fide, gratiâ, promissione regni cælestis. Vnde propter hoc murmur scripsit Apostolus Epistolam ad Romanos. Alias applicationes & tropologicos sensus videsis Catenâ supra.*

VERS. 31. In ipsâ die accesserunt quidam Pharisæorū, dicētes illi: Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere.

32. Et ait illis: Ite, & dicite vulpi illi: Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertiâ die consummor.

33. Verumtamen oportet me hodie & cras, & sequenti die ambulare: quia non capit Prophetam perire extra Ierusalem.

CYRILLVS 48. ATTENDE diligenter sermonem: videri enim poterat totam orationis vim in vnam Herodis personam conuertere, & ita arbitrati sunt nonnulli; & tamen contra Pharisæorum prauitatem dirigit illam veriùs. Nam cùm posset dicere, Dicite ἀλώπεκι ἐκείνῃ, vulpi illi; illud quidem omitit, sed mediâ quadam voce perindustriè vsus, tantùm non designauit vicinum Pharisæum, dicens ἀλώπεκι ταύτῃ, vulpi huic. Vulpi nimirum hominem assimilat. Nam vt vulpes bestia est, numquam non callida & versipellis, ita Pharisæi quoque.

49. Vulpes est versuta anima & infida, quæ NAZIAN. pro temporum varietate ac vsu aliam atque ZENVS Orat. 34. aliam formam assumit, quam mortua & fœtida corpora nutriunt, aut humiles vineæ, cùm ad alias aspirare nequeat.

50. Illud autem, Oportet me, dicens, non CYRILLVS denotat ineuitabilem aliquam necessitatem, quæ Christum vi quadam ad hoc vel illud impulerit; sed potiùs in liberâ voluntatis eius potestate situm fuisse, liberè atque inoffensè, quocumque libitum fuisset concedere; totamque Iudæam nullius prorsus insultu aut insidijs impeditum, donec per pretiosam tandem crucem, vitæ finem facere voluit, peragrasse. Intereà quidem virtutes operor, non tamen longo tempore; hoc enim Hodie & Cras significat: quoniam pauci sunt dies, paruumque inter tempus illud & passionem spatium intercedit.

51. Hoc etiam, inquit, Ierosolymę eueniet, IDEM. nec aliter fieri poterit, quin illa quæ Prophetarum semper cædes meditata est, ipsum quoque Prophetarum omnium Dominum occidat.

52. Quòd autem dicit, Non capit, nemo SEVERVS. ita accipiat, quasi Iudæi vi aliquâ fatali adacti sint in Sanctos sæuire, aut Christo violentas manus inijcere; hoc enim non per modum iussionis dictum est, sed propter certam veritatis cognitionem. Vt si quis videns homicidam œconomi seu dispensatoris, verè dixerit seruo in cæde præcipuo: Non capit siue desistet ille, quin omnium horum manus in patremfamilias armauerit. Hoc enim significare volens Dominus, statim subintulit.

ANNOTATIONES.

VADE HINC, QVIA HERODES VVLT TE OCCIDERE.] *Hinc colligitur, in Galilæâ hæc contigisse, cui Herodes præerat. Videntur autem hoc fingere Pharisæi, vt Christum sibi offensum ablegent, vel certè eius libertatem & constantiam explorent ac deprimant metu Herodis. Si enim verus fuisset, non vtique Christum monuissent, quem perditum ibant, & occidi malebant, & Herodem Christo minimè offensum fuisse, manifestum fit ex Lucæ cap. 23. vbi visô Iesu gauisus dicitur, & inaudicatum ad Pilatum remisisse.* VERS. 31

VERS. 32. SANITATES PERFICIO.] *Inuitis scilicet*

non

non tam Herode quàm vobis Pharisæis. Σήμερον καὶ αὔριον, hodie & cras, *id est aliquanto adhuc tempore*, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι, & tertiâ die consummor, *id est, paulo post consummabo; quia scilicet peractâ omni meâ legatione, fortissimâ & gloriosissimâ morte fungar, iuxta quod ad Hebræos 5.8. dicitur Christus tam consummatus*, factus omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

VERS. 35. VERVMTAMEN OPORTET HODIE, ET CRAS, ET SEQVENTI DIE AMBVLARE] *Quasi dicat, Licet in fine tertia dies consummandus sim, tamen ipsâ etiam tertiâ die oportet me ambulare, id est toto tempore ad mortem vsque oportet me operari sanitates*, &c *Sic sumitur Hebraicè* ambulare *Psal. 1,1. Ioannis 8,12. & alibi. Dicit autem hæc Christus Primò, vt ostendat se non timere Herodem: deinde, vt ostendat potestatem diuinam, & consequenter se tamdiu victurum quàm velit, & statuerit tum ipse, tum Pater: tertiò, vt peruersis Pharisæis dolorem augeat. illi enim voluissent eum iam esse sublatum.*

NVM. 53. *ad illud v. 33.* NON CAPIT.] *Id est, non contingit, fieri non potest; estque hyperbole. quasi dicat, Tanta est Ierosolymæ impietas & feritas, vt illi propria esse videatur, nec patiatur ab alijs quàm à se Prophetas occidi, ac proinde & ego idcircò Herodem non timeo, quia hic in Galilæâ occidendus non sum, sed post aliquod demum tempus in Ierusalem Prophetarum interfectrice, non ab Herode vt vos obijcitis, sed à vobis ipsis Pharisæis crucifigar.*

Matth. 23. 37. VERS. 34. "Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te.

Chrysostomus in Matth. 23. 53. QVID autem sibi vult ista conduplicatio? Miserantis sine dubio & lugentis, valdeque diligentis huiusmodi orationis figura est: quasi enim ad continuè & valdè dilectam, quæ quoniam diligentem semper contempserit, pœnas datura sit, supplicia autem illaturus, quare ita faciat, rationem adducit.

VERS. 34. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti?

35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Basilius in Isa. c. 16. 54. SED nunc ô ciuitas, inquit, assimilaberis pullo derelicto à volucri ipsum fouente, postquàm è nido timore perculsa auolauit, relinquens alumnum suum pabulo destitutum, qui proinde etiam fugam corripit, sed cuiuis volenti captu fit facilis. Aquila verò aut quæuis alia magnarum volucrum, quæ se longiore tractu à terrâ sustollere consueuerunt, procul omni noxâ se submouent ab his qui detrimentum adferre conantur. Tu autem eris quasi pullus alienæ opis indigus, ad suppeditandam tibi alimoniam, quippe qui nupet obliquato capite ex ouo emersisti, neque corpus densis alis conuestitum habes, sed vtrimque adhuc tegumento indiges, tum vt noctu tuo tempore resocilletis ac calefias, tum etiam ne interdiu intempetie caloris exarescas. Matte igitur tibi fugâ consulente, atque è nido sublatâ, tu neque te tueri præuales, & ad fugam es impotens.

55. Volens itaque ostendere Propheta Isidorus l. 3. Ep. 149
Daniel, fore vt Iudæorum res post Christum in crucem sublatum funditus delerentur, nec vllum lætioris spei vestigium ipsis restatet, nec melior vlla exspectatio eluceret, his verbis vsus est, Exterminabitur vnctio, & iudicium non erit in eâ: per vnctionem videlicet, sacerdotium indicans: per iudicium autem, regnum, ac ciuilem statum. Ac maximè quidem per sacerdotij extinctionem, regni quoque & aliarum omnium rerum euersionem simul demonstrabat: sublato enim ac prorsus deleto eo quod caput erat, nec aliud quidem quidquam consistere poterat. Nam regni quoque basis pietas erga Deum erat, quæ in Dei cultu posita censebatur. Sed tamen regnum etiam finem habiturum dixit, hinc nimirum perfectam Iudaicæ Reipublicæ subuersionem prædicens. Quod etiam res ipsæ testantur, ad multò præstantiorem & diuiniorem cultum ac religionem traductæ. Non solùm autem, inquit, ciuitas, sed & sanctum destruetur, hoc est templum delebitur. Euertet autem illud etiam ipse qui venturus dicitur benedictus (Christus inquam) qui ab ipsis vt ipsorum redemptor exspectatur, qui ex Bethleem egreditur dux. Cùm enim in ipsum quoque Regis filium, impotenti furore debacchati sint, ea quæ merentur supplicia pendent. (Dan. 9, 26.)

56. Ecce relinquetur vobis domus vestra Chrysostomus.
deserta. Et valdè quidem accuratè non ciuitatem desertam fore dicit, sed quæ in illâ est, domum, scilicet templum, quod non ampliùs suum, nec Dei domum vult appellare, sed illorum esse ait. Illud autem desertum fore vaticinatur, id est destituendum priori quâ custodiebatur prouidentiâ.

VERS. 35. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cùm dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

57. DISCESSERAT enim Dominus à Ierosolymis, tamquam indignos existentes sui præsentiâ deserens, vt qui dicerent illi, Egredere, & abi hinc. Peragratâ deinde Iudæâ, ac multis sanatis, plurimisque patratis miraculis, maior iam omni sermone factus rursum Ierosolymam redijt, insidens pullo asinæ. Quod cùm audisset populus, acceperunt ramos palmarum, & exierunt ei obuiam, & clamabant pueri, dicêtes: Hosanna Cyrillus

na filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. Non itaque tamquam indignos omnino deserit, Sed iterùm me videbitis, inquit, quando tempus instabit passionis. Tunc enim iterùm ascendit Ierosolymam, eamque cum benedictione intrauit, atque eo tempore salutarem pro nobis sustinuit passionem.

SEVERVS. 58. Vel tunc se ipsis appariturum dicit, quando toti mundo apparebit. Tunc, inquit, me videbitis, quando necessariò dicetur, Benedictus qui venit in nomine Domini. Illi ipsi siquidem, quibus tum præsentibus & ipse præsens dixerat, se ab illis visum iri in gloriâ Dei cum exercitu Angelorum de cælo descendentem, illis inquam ipsis dixit, quòd vel inuiti ac coacti confessuri essent, ipsum esse benedictum illum qui venturus est in nomine Domini Dei patris sui.

CHRYSOSTOMVS. 59. Valde diligentis etiam hoc verbum, valdeque illos non à præteritis solùm ad pudorem impellentis, verùm etiam à futuris studiosè attrahentis. tunc enim, inquit, videbitis me in futurâ secundi aduentus apparitione sicut Deum è cælo venientem, & vt iudicem sedentem, & adorabitis omnes, & succumbetis; sed nihil vobis ad excusationem proderit. Per hoc autem & resurrectionem suam aperuit, & secundum aduentum manifestauit.

S. LVCÆ CAPVT XIV.

1. ET factum est cùm intraret Iesus in domum cuiusdã principis Pharisæorum Sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum.

2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum.

3. Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos, & Pharisæos, dicens: Si licet Sabbato curare?

4. At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum ac dimisit.

5. Et respondens ad illos dixit: Cuius vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbati?

6. Et non poterant ad hæc respondere illi.

CYRILLVS 1. CVR autem tacuisti, ô Pharisæe? an non habebas quod diceres? Neglectis itaque Iudæorum insidijs & calumnijs, liberat à morbo hydropicum, qui metu Pharisæorum remedia non postulabat propter sabbatum, sed solùm adstabat, vt ex aspectu misertus eius, saluaret eum. Quod Dominus cognoscens, qui vt Deus ipsam animam penetrat, non postulat ab eo si vellet saluus fieri, sed protinus eum sanauit: sciebat enim quidnam appeteret: quandoquidem vt sanitatem adipisceretur, sese ante Dominum constituisset, & taceret.

ANNOTATIONES.

ET ECCE HOMO QVIDAM HYDROPICVS ERAT.] *Beda in hunc locum*, Hydropis, *inquit*, morbus ab aquoso humore vocabulũ trahit. Græcè enim ὕδωρ aqua vocatur. Est autem humor subcutaneus, de vitio vesicæ natus cum inflatione surgente, & anhelitu fœtido: propriumque est hydropici, quantò magis abundat humore inordinato, tantò ampliùs sitire. Et ideò rectè comparatur ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat. Comparatur diuiti auaro, qui quantò est copiosior diuitijs, quibus non benè vtitur, tantò ardentiùs talia concupiscit. Prouidâ autem dispensatione Dominus ante legisperitos & Pharisæos hydropicum curat, & mox contra auaritiam disputat, vt videlicet per huius ægritudinem corporis, in illis æstimaretur ægritudo cordis. Denique post multa disputationis eius hortamenta subiunctum est: Audiebant autẽ omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum; hydropicus quippe quò ampliùs biberit, ampliùs sitit; & omnis auarus sitim multiplicat: qui cùm ea quæ appetit adeptus fuerit, ad appetenda alia ampliùs anhelat; iuxta illud Iuuenalis: Crescit amor nummi quantũ ipsa pecunia crescit. *Vnde rectè* PLVTARCHVS *in lib. de Cupiditate diuitiarum*, Qui plura, *inquit*, quàm sat est, possidet, plura concupiscens, hunc aurum sanare non potest, sed vomitu ac purgatione opus habet. VERS. 1. *Hydropis natura.* *Auarus similis hydropico.*

VERS. 3. SCILICET SABBATO, *&c.*] Hîc, *inquit* BEDA, obseruatores sui Pharisæos conuincit, vt eosdẽ etiam auaritiæ condemnet. Si vos, inquit, in Sabbato asinum, aut bouem, aut aliud quodlibet animal in puteum decidens eripere festinatis, non animali, sed vestræ auaritiæ consulentes, quantò magis ego hominem, qui multò melior est pecore, debeo liberare? Congruenterque hydropicum animali quod cecidit in puteum comparauit: humore enim laborabat. Sicut illam mulierem quam decem & octo annis alligatam dixerat, & ab eadem alligatione soluebat, comparauit iumento quod soluitur, vt ad aquã ducatur. Et benè vtroque loco bouem posuit & asinum: quia siue sapientes quosque & hebetes, siue, vt suprà dictum est, vtrumque populum eos significare sentiamus, eum videlicet cuius ceruicem iugum legis attriuit, atque eum quem quilibet seductor reperit quasi brutum animal, & nullâ ratione renitens, quo voluit errore subtraxit. Omnes Saluator adueniens satanæ vinculis adstrictos, omnes in imo concupiscentiæ puteo demersos inuenit. Non est enim distinctio: omnes enim peccauerunt, & egent gloriâ Dei, iustificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu. *Hydropicum animali in puteo lapso similem.*

VERS. 7. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo

primos

primos accubitus eligerent, dicens ad illos:

8. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo;

9. & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere.

10. sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi: "Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus:

"Prou. 25, 7. Matth. 23, 12.

" quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

"Inf. 18, 14

Chrysostomus in Matth. 21

2. Nihil humilitate præstantius, propterea crebrò de hac virtute commemorat. Hoc loco etiam rectè ad contrarium, auditorem impellit. Non enim à cupiditate primatûs prohibet solùm, sed ad alterum extremum hortatur: sic enim desiderio potieris, inquit, tuo. Sicut enim audacem ac temerarium, non qui resistit, sed qui cedit, solet erudire: sic ambitiosum, non qui de gloriâ contendit, sed qui gloriâ aspernatur, non qui certat de primatu, sed de contemnendo & euitando primatu, quique studet non vt honoretur, sed vt alios honoret.

Basil. in Ascetic. 21.

Vltimus locus capiendus.

3. Quoniam præceptum Domini est, vbique nos ad humilitatem assuefacientis, vt ad conuiuia vocati, postremum accubitûs locum capiamus: necesse est eum, qui omnia cupit iuxta præceptum Domini facere, ne hoc quidem negligere mandatum, sed quauis occasione humilitatis specimen præbere. Postremum enim locum capessere, omnibus ex mandato Domini æquè competit. Verumtamen pugnax nimis eâ de re damnanda contentio est: nempe vt quæ modestiæ inimica ordinem rollat, & perturbationem ac tumultū inducat. Quin etiam si nemo inter nos cuiquam cedat, & quisque de posteriore loco pertinaciter contendat, pares illis erimus qui priorem ambiunt. Quocircà nos oportet & hoc loco circumspectè diligenterque considerare quid nos deceat, & conuiuatori discubitûs ordinem permittere: quemadmodum & Dominus innuit, vbi patrifamilias horum dispositionem competere dixit. Hoc enim pacto & nos in dilectione mutuâ supportabimus, omnia honestè & ordine facientes, & non ad ostentationem coram multis, neque populariter humilitatis studium per huiusmodi seueritatem & contentionem ostendemus: sed magis per obtemperantiā animi submissionem præstabimus. Euidentius enim argumentum superbiæ exhibet ista contentio, quàm si primo loco quis accumbat, si quando id ex mandato fiat. Ac tale quidem est Saluatoris nostri de humilitate præceptum. Pulchram autem ad inuitantes doctrinā Dominus subinfert, quam Euangelista subdit.

Contentio vitanda.

ANNOTATIONES.

Vers. 7. *Christus conuiuatores suos epsemus pascit.*

Dicebat avtem et ad invitatos parabolam, &c.] *Conuiuium Dominus miraculo condecorauit: miraculo doctrinam adiungit de humilitate. Pascitur & pascit, conuiuio excipitur, & lautiori conuiuio excipit inuitatos, vt pulchrè* Theophylactvs *in hunc locum ait:* Vides cœnas Christi quales sint, nempe in vtilitatem animæ, & non in satietatem ventris vertuntur. Ecce enim sanauit hydropicum: docuit Pharisæos quòd bonum sit in Sabbato benefacere. Et posteà videns eos de primo accubitu tumultuari, sanat & hanc affectionem, quæ non à paruâ, sed magnâ, & vix effugabili causâ incipit, inani inquam gloriâ.

Tutissimum est semper nouissimum locum petere.

Appositè huic Christi doctrinæ S. Bernardvs *Sermone 37. in Cantica ait:* Si in quonā statu vnumquemque nostrûm habeat Deus, liquidò cognoscceremus, nec suprà sanè, nec infrà secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes. Nunc autem quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, & sermo absconditus est à nobis, ita vt nemo sciat si dignus sit amore vel odio, iustiùs tutiusque profectò, iuxta ipsius Veritatis consilium, nouissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superiùs educamur, quàm præsumimus altiorem, vnde cedere mox oporteat cum rubore. Non est ergo periculum, quantumcumque te humilies, quantumcumque repures minorem quàm sis, hoc est, quàm te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel modicè plus vero te extollas, si vel vni videlicet in tuâ cogitatione te præferas, quem fortè parem tibi veritas iudicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cuius superliminare (vt ad intelligentiam loquar) nimiùm bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaueris, nocet autem si vel transuersi digiti spatio plus quàm ostij patitur mensura, erexeris, ita vt impingas, & capite quassato collidaris: sic in animâ non est planè timenda quantalibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pauenda vel minima temerè præsumpta erectio. Quamobrem noli te, ô homo, comparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vni. Quid scis enim, ô homo, si vnus ille, quem fortè omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cuius vitam sceleratissimam ac singulariter fœdissimam horres, & propterea illum putas spernendum non modò præ te, qui fortè iam sobriè & iustè & piè viuere te confidis, sed etiam præ ceteris omnibus sceleratis tamquam omnium sceleratissimum? Quid scis, inquam, si melior & te & illis mutatione dexteræ Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo verò iam sit? & propterea non mediocrem, non vel pænultimum, non ipsum saltem inter nouissimos eligere locum nos voluit, sed Recumbe, inquit, in nouissimo loco: vt solus videlicet omnium nouissimus sedeas, teque nemini non dico

præponas, ſed nec comparare præſumas. *Hiſce omnino conſentientia monet* S. CHRYSOSTOMVS *Homil. 33. in Geneſim, magni illius Patriarchæ Abrahami exemplo nos ad humilitatem inuitans, vbi ait:* Igitur nos quoque non eis tantùm qui ætate nobis ſunt maiores, vel etiam æquales, honorem exhibeamus. Non eſt enim humilitas, facere quod neceſſitate debes vel cogeris: hoc inquam non eſt humilitatis, ſed debiti. Vera autem humilitas eſt, quando cedimus iis qui nobis videntur eſſe minores; & eos veneramur, qui nobis videntur eſſe magis indigni quàm nos. Quòd ſi rectè ſapimus, nullos etiam nobis eſſe minores arbitrabimur, ſed nos ſuperari ab omnibus hominibus dicemus. Et hoc dico non de nobis, qui innumeris immerſi ſumus peccatis: ſed etiam ſi quis ſibi plurimorum benè geſtorum conſcius ſit, niſi apud ſe ſentiat quòd omnium ſit poſtremus, nulla ei futura vtilitas ex omnibus bonis ſuis operibus.

Non ſectãdus vltimus locus, vt extollaris, ſed quia eo dignum cenſes.

VERS. 10. VT CVM VENERIT, &c.] *Vbi nota, Coniunctionem ita ſiue vt non cauſaliter, ſed conſequenter accipiendam eſſe. Quaſi dicat: Hinc fiet, vt qui te inuitauit, &c. Non enim Dominus docere voluit, eo fine vltimum locum deligendum eſſe; ſed quid ex ſuſpſi... humiliatione conſecuturum ſit indicare. Nam alioqui docuiſſet quomodo quis apud homines gloriam venaretur, cum omnino hic contrarium intendat, nimirùm inanis gloriæ morbum curare, oſtendendo non illam eſſe veram gloriam quæ ambitur, ſed quæ datur, iuxta Paulum ad Hebræos* 5. Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. *Neque etiam omnino damnat primum locum: illo ſiquidẽ potiebatur Ioſeph in Ægypto amicus Dei, & Eſther in Suſis, quæ tamen ſuperbiæ ſigna maximè abominabatur; ſed inordinatum honoris appetitum taxabat, præſertim Phariſæorum qui quærebant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis.*

Gen. 48.
Eſth. 14.

VERS. 11. OMNIS QVI SE EXALTAT, HVMILIABITVR.] *Vbi nota, Chriſtum non dicere* qui exaltatur *ſed* qui ἑαυτὸν, *id eſt* ſeipſum exaltat. *Multi enim iuſti, vt Ioſeph, Dauid, pluresque alij exaltati ſunt, cùm tamen illi non ambiuerint honores nec dignitates. Humiliat ſiquidem Deus ſuos, vt exaltet, ſicut econtrà mundus eleuat ſuos, vt deijciat. Quomodo autem Deus elatos humiliarit, patet Primo in Lucifero eiuſque confœderatis ſocijs, Iſaiæ c. 14, 13.* Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris, &c. *Secundò, in extructoribus turris Babel, Gen. 11. Tertiò, in Core, Dathan & Abiron, Num. 16. Quartò, in Rege Saul, 1. Reg. 15. Quintò, in Sennacherib, Iſaiæ 37. Sextò, in Nabuchodonoſore, Danielis 4. Septimò, in Holoferne, Iudith 6. Octauò in Aman, Eſther 4. Nonò, in Antiocho, 2. Machab. 9. Decimò, in Herode, Act. 12. alijſque complurimis, vt meritò dicat* S. AVGVSTINVS *lib. 3. Doctrina Chriſtianæ cap. 15.* Nulla ferè eſt pagina ſanctorum librorum, in quâ non ſonet quòd Deus ſuperbis reſiſtit. *Et* S. AMBROSIVS *lib. 10. Epiſt. 85 ad Demetriadem:* Inter omnes lapſus hominum, inter omnia commiſſa peccantium, nulla eſt grauior quàm ſuperborum ruina.

Quomodo Deus humiliet ſuperbos.

IBIDEM. ET OMNIS QVI SE HVMILIAT, EXALTABITVR.] *Conuenienter huic promiſſo, Quò quis ab orbe condito humilitate magis excelluit, hoc à Deo ad maiorem dignitatem euectus fuit. Inter quos eminet primò Abraham Patriarcha qui ex animo ſubmiſſione ſe puluerem ac cinerem appellauit, Gen. 18. Deinde vir ſecundùm cor Dei Rex Dauid, qui pulicem ac vermem ſe profeſſus eſt, 1. Reg. 24. tum S. Ioannes Baptiſta, qui indignum ſe reputabat vt vel corrigiam calceamenti Chriſti ſolueret, Matth. 3.* Et ideò, *inquit* CHRYSOSTOMVS *in Hom. 38. ad populum,* amicus quoque fuit ſponſi, & manum quam eſſe calceamento dixit indignam, hanc ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit. *Inde S. Petrus Apoſtolus, cùm ex humilitate Domino dixiſſet, Lucæ 5* Exi à me Domine, quia homo peccator ſum, *factus eſt, teſte Chryſoſtomo ibidem, Paſtorum princeps, fundamentum Eccleſiæ, & clauiger regni cælorum. Sic & S. Paulus 1. Cor 15 dicens:* Non ſum dignus vocari Apoſtolus, κατ' ἐξοχὴν *nomen Apoſtoli præ alijs obtenuit. Quid de Beatiſſimâ Virgine Mariâ dicam, quæ ex humilitate ſe ancillam Domini profitetur, dum in eius matrem eligitur? Plura exempla ex Euangelicâ hiſtoriâ pertexit S. Auguſtinus de S. Virginitate, & S. Ioannes Chryſoſtomus de Laudibus S. Pauli. Hîc tantùm breues aliquot Antitheſis ſuperbiæ ac humilitatis ex* S. AVGVSTINO *è Sermone 12. ad Fratres in Eremo ſubiungam, vbi ait:* O Monache, quantò maior es, humilia te in omnibus, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus. O ſancta venerabiliſque humilitas! Tu Filium Dei de ſinu Patris deſcendere feciſti in vterum S. Mariæ Virginis, Tu eum feciſti inuolui vilibus pannis, vt nos indueret virtutum ornamentis. O ſancta humilitas, quàm diſſimilis es ſuperbiæ! Nam ipſa ſuperbia Luciferum de cælo deiecit, ſed humilitas Dei Filium incarnauit. Ipſa ſuperbia Adam de paradiſo expulit, ſed humilitas latronem in paradiſum introduxit. Superbia gigantum linguas confudit & diuiſit, ſed humilitas cunctas congregauit diſperſas. Superbia Nabuchodonoſor in beſtiam tranſmutauit, ſed humilitas Ioſeph principem Iſrael conſtituit. Superbia Pharaonem ſubmerſit, ſed humilitas exaltauit Moyſem, &c.

Quomodo Deus exaltat humiles.

Humilitas quantum ſit bonum.

VERS. 12. Dicebat autem & ei, qui ſe inuitauerat: "Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne fortè te & ipſi reinuitent, & fiat tibi retributio.

" Tob. 4. 7. Prou. 3. 9.

13. ſed cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos:

14. & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum.

4 HABE domum in quam venit Chriſtus. Dic: Hæc cellula Chriſti eſt; domus iſta ei ſegregata eſt; licet profunda ſit ac vilis, non deſpiciet. Nudus & peregrinus Chriſtus obambulat, tecto indiget, & iam hoc ſuppedita. Sit etiam inter miniſtros fidelior cui hoc concreditum; cæcos, pauperes, & carentes tecto introducat. Hæc dico ad confuſionem: nam oportebat quidem ſurſum in domo illos recipi; ſi autem non vis, licet infra etiam vbi muli, etiam vbi miniſtri, recipe Chriſtum. Sit, licet, cuſtos domûs pauper; vbi eleēmoſyna, non audet accedere diabolus. Quantò minor fuerit frater qui

CHRYSOSTOMVS in Act. c. 21.

Hoſpitalitas exhibenda peregrinis.

qui suscipitur, hoc magis Christus per illum aduenit. Qui enim magnum suscipit, non rarò vanæ gloriæ se obnoxium facit: qui autem paruum, is illum pure propter Christum, nec discredit verbis eius. Ipse dixit, Per illos adsum. Et ne ioctedulus sis, etiam pœnas discernit his qui non suscipiuot, & honores his qui suscipiuot. Suscepisti me, inquit, in tuum diuersorium, accipiam te in regnum Patris mei. Famem meam soluisti, soluam tibi peccata. Vidisti me ligatum, videri te faciam solutum. Vidisti me peregrinum, faciam te ciuem cælorum. Dedisti mihi panem, do tibi regnum integrum, ita vt heres sis ac possideas. Non enim dixit, Accipite, sed, In hereditatem possidete, id quod in his qui propriè possederunt dicitur; sicut quaodo dicimus, Huc in hereditatem possedi. Misericordiam fecisti in me in occulto, ego prædicabo in manifesto. Et alia quidem tua dico, quòd gratiæ sint: mea autem, quòd debiti. Nam quoniam tu, inquit, cœpisti, ego sequar: non erubesco confiteri beneficia in me collocata, neque à quibus me liberasti, fame, & nuditate, & errore. Vidisti me ligatum, non videbis ignem gehennæ. Vidisti me infirmatum, non videbis tormentorum loca, neque pœnas. O manus reuerà benedictæ, quæ talibus ministerijs seruiunt! Pedes in carceres euntes propter Christum, facile contemnunt igoem. Non sentiunt vincula manus, quæ ligatum illum visitarunt. Induisti vestimentum, & induêris veste salutari. Fuisti in carcere cum illo, & eris in regno cum illo.

Pauperibus non diuitibus exhibenda beneficentia. 5. Propterea si quis in abundantiâ est, & nullius eget, tametsi sanctus sit, nihil dederis, sed præferas illum qui in egestate est, etsi non sit tam conspicuus: quia & Christus hoc vult, dicens: Quando facis conuiuiom, inuita illos qui non possunt reddere vicem. Non enim oportet simpliciter illas prensationes facere, sed esurientibus, sitientibus, nudis, peregrinis, rerum omnium egenis. Non enim Christus simpliciter dixit, Nutritus sum, sed, Esuriens. Esurientem enim, inquit, me vidistis, & nutriuistis. Si ergo esurientem simpliciter alere oporteat, multò magis quando sanctus est qui esurit. duplicem enim tunc opus illud iustitiam continet. Sin autem sanctus quidem sit, nullius autem rei indigus, nihil dederis. Non enim hoc lucrum est, nec præceptum à Christo, sed potius non est sanctus ille qui cùm abundet, accipit.

GEOMETRA. 6. Non itaque iubemur secundùm hoc dictum amicos vicinósve inuitare, sed pauperes, mutilos, claudos, & cæcos. Mysticè forsan amici sunt qui nobiscum veritatis doctrinâ delectantur; fratres verò, qui frater eadem tenent dogmata; cognati, qui per illa nobis affines esse cupiunt; vicini, qui non longè à nostrâ absunt doctrinâ. In singulis autem Diuites sub audiendum. Qui igitur auditores venantur, diuites & pauperes vocant: qui verò veram sermone gloriam subministrat, vanam gloriam vitat, vocatque ad spiritale conuiuium pauperes, id est imperitos, vt dicet; mutilos, hoc est læsam conscientiam habentes, vt saner; claudos, id est declinantes à ratione, vt rectas semitas faciant; cæcos, hoc est, qui careot contemplatione veritatis, vt veram lucem videant. Quòd autem dicitur, Non possuot retribuere tibi, id est, non nouerunt responsum proferre, orore Dialecticorum.

ANNOTATIONES.

NOLI VOCARE AMICOS, &c.} *Nota hic cum S. Polycarpo in Fragmentis, per amicos hoc loco intelligi illos quos pro mundi huius terrenâ consideratione diligimus, non pro diuina contemplationis intuitu. Hi sunt igitur amici relinquendi, qui alioquin etiam pauperes sunt, extraneis praeferendi, vti ordinata charitas Apostolo teste iubet, 1. ad Tim 5. Propriè ergo Christus hic tantum increpat eos qui cum Theophrasto & Cicerone (vt* LACTANTIVS *l. 6. Instit. c. 12. refert) tantùm decorum arbitrabantur patere domos hominum illustrium hospitibus illustribus, & in largitionibus delectum haberi volebant, vt tantùm idoneis largirentur; quos ibidem reprehendit iuxta hanc Christi doctrinam, dicens:* Non enim iusti & sapientis viri domus illustribus debet patere, sed humilibus & abiectis. Nam illustres illi ac potentes nullâ re possunt indigere, quos opulentia sua & munit & honorat. *Propterea rectè Christus debilium exempla proposuit, quos pro nullius possumus apponere necessitate negotij, nisi tantum pro fructu retributionis aeternæ. Ad quod nos* S. CHRYSOSTOMVS *Homil. 41. in Genesim exemplo Abrahami hortatur, dicens:* Hunc imitemur omnes, & magnam geramus hospitalitatis curam, non vt momentaneam & corruptibilem retributionem solùm accipiamus, sed vt reponamus nobis etiam immortalium bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus, suscipiemus & nos hîc Christũ, & suscipiet etiam ipse nos in mansionibus illis, quæ ab æterno præparatæ sunt diligentibus se. Et audiemus ab eo, Venite benedicti, &c. *Quàm autem beneficia, & maximè hospitalitatis, pauperibus præstita Christo grata accidant, non paucis declarauit miraculis. E multis vnicum hic adferre placuit è S. Gregorij Hom. 23. in Euangelia, qui de se tacito nomine, de ipso autem in eius Vitâ l. 2. cap. 22.* IOANNES DIACONVS *expressè commemorat hisce verbis:* Tantæ, *inquit*, hospitalitatis Gregorius in ipso etiã Patriarchio permansit, vt exceptis his, quos tam per diuersas regiones, quàm Romæ quoque Longobardorum perfidiæ gladio fugientes Ecclesiasticâ stipe misericorditer nutriebat, ad mensam suam quotidie peregrinos quoslibet inuitaret. Inter quos die quadam vnus accessit, in cuius manibus dum ipse ex humilitatis ministerio aquam fundere vellet, conuersus vrceum accepit; sed repentè eum, in cuius manibus aquam funderè voluerat, inuenire non

VERS. 12. Qui amici non sint inuitandi.

Hospitalitas S. Gregorij miraculo decorata.

potuit: cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti. *Ibidem idem Joannes Diaconus lib. 2. cap. 23. aliud subjicit exemplum de S. Gregorio, quòd cum inuitasset duodecim peregrinos, in mensâ repentè accesserit alius decimustertius qui erat verus Angelus in specie peregrini. Plura huiuscemodi exempla videre est apud P. Daueroult tit. Eleemosyna & Hospitalitas.*

VERS. 15. Hæc cùm audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno Dei.

CYRILLVS 7. QVi hæc dicebat, necdum spiritalis, sed totus adhuc animalis erat, adeoque qui exactè ea caperet quæ Christus proponebat, minime idoneus. erat enim adhuc infidelis, & necdum illuminatus. Arbitrabatur itaque rebus corporeis constare Sanctorum retributionem, quam cõsequuntur qui in alios benefici dicti sunt. Ijs igitur qui tam crasso corde erant, parabolam contexit, quâ œconomiâ totius mundi causâ susceptam, admodum apposité conuenienterque ob oculos ponit. Est autem ea eiusmodi.

VERS. 16. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos.

17. Et misit seruum suum horâ cœnæ dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia.

CYRILLVS 8. CVRIOSVS rerum indagator quæsiuerit hic ante alia, quænam sit causa, cur non ad prandiũ potiùs, sed quasi ad cœnam multi fuerint inuitati. Quis verò homo ille qui ad nos ad cœnam inuitandos missus est, quisque inuitarit, & qui omnino iouitati, inuitationem cõtempserunt. Per hominem qui fecit cœnam magnam, Deus Pater denotatur. Imagines enim ita ad veritatem exprimendam effinguntur, vt tamen oon siot ipsa veritas. Hic ergo voiuersorum opifex, gloriæque Dominus fecit cœnam magnam, hoc est, vniuersalem toto terrarum orbe propter Christi œconomiam, solemnitatem instituit. Vocat autem festum hoc cœnam, non prandium, quia io nouissimis sæculi diebus, & quasi ad æui nostri occasum, Dei Filius apparuit nobis. Quo etiam tempore mortem nostri causâ subijt, suamq; carnem in cibum nobis proposuit, quæ est panis de cælo, dans vitam mundo. Secundùm legem Moysis, agnus quoque sub vesperam, & ad lucernas occidebatur. Meritò igitur in Christo vocatio, vocatur cœna. Et quisnam ille erat, inquis, quem Pater misit, quem suum quoque seruum appellat? Ipsemet Christus. Hic enim cùm naturâ esset Deus, verúsque & naturalis Dei Filius, formâ serui acceptâ, seipsum exinaniuit. Est igitur Dominus quidem vniuersorum, quippe Deus ex Deo: serui autem inuitationem rectè quis accommodauerit eius humanitati. Quando autem missus est? Horâ, inquit, cœnæ. Non enim in principio æui huius per naturalem suam generationem descendit è cælo vnigetus Patris Filius, & natus est nobis, sed ijs potiùs temporibus quibus ipse Dominus voluit, manifestum autem est quòd vltimis. Qualis autem fuit sermo inuitantis? Venite, quia parata sunt omnia. Præparauit autem Deus & Pater in Christo ea quæ per ipsum mundo dedit dona optima, peccatorum scilicet remissionem, Spiritus sancti communicationem, adoptionis gratiam, regnum cæleste, aliaque eiusmodi. Ad hæc omnia enim Christus Dominus per Euangelica oracula omnes inuitauit, præ ceteris autem Israëlem. Ao non igitur illud æqui bonique consuluerunt? Numquid inuitantis beneuolentiam & cœnam præparantis dispensationem admirati suot? Nequaquam, sed & inuitantem & eum qui missus erat contempserunt.

Parabola de inuitatis ad cœnam.

ANNOTATIONES.

CVRIOSVS, *inquit, hic quæsiuerit cur potiùs ad cœnam quam prandiũ vocati simus. Respondetque Cyrillus paulò post, idcircò vocationem hanc cœnam vocari, quia Christi œconomiam significat quæ vltimis temporibus contigit. Similiter & S.* GREGORIVS *Hom. 36 in Euangelia,* Idcircò, *inquit,* hoc cõuiuium Dei non prandium, sed cœna vocatur, quia post prandium cœna restat, post cœnam verò conuiuium nullum restat. Et quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit vt hoc non prandium, sed cœna vocaretur. *Et* EVTHYMIVS, Cœnam, *inquit,* magnam ineffabilem regni Dei fruitionem vocauit Dominus, quam ideò cœnam appellauit, quòd finem nesciat. *Magnam autem vocauit, Primò, propter magnum apparatorem, qui iuxta Cyrillum hic Deus Pater est. Secundò, propter magnum locum, scilicet cælum cui omnino hæc cœna respondebit in magnificentiâ. Tertiò propter magnos conuiuas: omnes enim sunt filij Dei, Deoque similes. Quartò, propter magnum numerum conuiuarũ, scilicet Angelorum ac beatorum omnium, iuxta illud Apocalypsis 7.* Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, *&c. Quintò, propter magnifica fercula, quibus nihil maius excogitari potest; cùm ipsemet Deus cibus Sanctorum super omnia dulcissimus existat, cuius visione, beatificoque amore ac fruitione beati sunt. Denique magna propter æternam durationem. Vide fusè ac pulchrè Barradium tom. 3. lib. 3. cap. 15. in Morali, super hanc parabolam.*

NVM. 8. *Cur ad cœnam non ad prandium vocati simus.*

Cœna Christi cur magna.

VERS. 18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam:

lam: rogo te habe me excusatum.

19. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa: rogo te habe me excusatum.

20. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire.

MAXIMVS. 9. GENEROSAE atque omnia contemnentes animæ, cùm ad alia, tum ad bellum instructæ, sicuti Moyses de prauorum spirituum aduersus animam bello innuens, qualesque animæ ad illud paratæ atque expeditæ sint ostendens, dixit: Si quis despondit vxorem, non egrediatur ad bellum; & si quis plantauerit vineam, ne egrediatur; de carnalibus hæc vinculis ait, ne quis aduersus spiritualia nequitiæ dimicans hisce rebus detineatur. Nam si quis ob inordinatum erga voluptates atque diuitias affectum non decertet, cælesti gloria excidit, vti Dominus Moysi consentiens ait de ijs qui ad cœnam inuitati se excusarunt, dicens, rebus carnalibus implicatum bonorum spiritalium participem esse non posse. Quemadmodum si Rex aliquis dona volens Regia elargiri, ipse mittat epistolas ad omnes in hunc modum scribẽs: Festinate ad me, idque statim, venire, vt Regia à me munera reportetis: & qui non venerint, nihil illis proderit has epistolas legisse, quin potiùs ob negligentiam atque contemptum mortis rei erunt. Sic etiam Deus diuinas Scripturas misit, quò diuinæ efficeremur consortes naturę, quæ legentibus nobis nihil proderunt, nisi vitæ donum accipere voluerimus, sine quo vitam immortalem, quæ Christus est, assequi non possumus.

Deut. 20, 7

CHRYSOSTOMVS IN Matth. 22. 10. Hic etiam Deus per Filium suum mediatorem nostrum ad cœnam suam Iudæos inuitat, & summo honore afficit: ipsi verò non veniunt, & non eundi causas confingunt, patria boum, agros, & vxores. Et quamuis hę excusationes ratiõe quamdam habere videantur, hinc tamen discimus, nihil adeò necessarium esse posse, vt spiritualia illud non antecedant. Inuitauit autem illos, non nuper, sed ante multa sęcula. Misi enim, inquit, seruum, dicere inuitatis; quod profectò crimen illorum auget. A Prophetis siquidem olim vocati fuerant, postremò verò per ipsum etiam Filium. Ad quid porrò inuitat? an ad labores, afflictiones, sudores? Nequaquam, imò verò ad delicias; neque illud adhuc eos conuertit.

EVTHYMIVS 11. Qui voluptatis rerumque terrenarum amatores magis erant quàm Dei, (mulier siquidem, voluptatis; ager verò & iuga boum, amoris diuitiarum indicia sunt) iuxta datam quidem explicationem, quòd vitę huius oblectationes, diuitias scilicet, negotiationem nuptiasque diuinæ vocationi prætulissent, exclusi sunt. Secundùm aliam autem acceptionem, qui primâ dignati sunt vocatione, erant Iudæi. Hi maioris negotij prætextu sese excusantes, vocationem contempserunt. Quasi enim haberent agros, lectiones scilicet & Scripturas copiosas, & instar boum arantium suos Prophetas possiderent, & quasi ipsius sapientiæ, mulieris instar, conuictu vterentur, gratiam Euangelicam despexerunt.

12. Simpliciter autem tribus omnino modis aliqui vocatione excidunt, phantasiâ nempe seu falsâ opinione dogmatum meliorum, rerum sensibilium consectatione, atque amore voluptatis. Qui enim villam emunt, atque ideò cœnam recusant, sunt ij qui alienam à diuinis dogmatibus eruditionem, persuabilia [humanæ sapientiæ] verba plurima continentem, amplectuntur, agrumq; Scripturæ mysterijs virtutibusque plenum despiciunt. Porrò qui iuga boum quinque emit, est ille qui naturâ rationali neglectâ, circa sensibilia occupatur, neque ab initio quæ quæ emerat probauit. Si igitur numerus binarius in materialibus constituatur, hic materialia amabat, & propterea non vult spiritualis cœnæ particeps esse. Alius verò dixit, Vxorem duxi; qui scilicet putans se sapientiam inuenisse, veræ sapientiæ cõmmunicare noluit: vel qui carni alligatus, voluptatem magis quàm Deum amauit. Atque hic est parabolæ huius sensus & explicatio. Aliter autem quis interpretetur, quòd quamdiu homines sumus, neque diuinæ bonitatis diuitias datur cognoscere, necesse est vt simile sit regnum Dei homini Regi, vt hominibus loquatur, qui à Deo vt manente in propria suâ natura, dispensati non possunt. Tunc verò cessabit regnum cælorum simile esse homini, cùm cessante zelo & contentione, & residuis passionibus & peccatis, cessauerimus secundum hominem ambulare, & digni facti fuerimus audire à Deo, Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes. Tunc etiam cessabunt alia multa, quibus opus habet homo peccator, vtpote pantheræ, leonis, & vrsi nomina, quibus à Prophetis appellatur iratus Deus. Sic & intelligo illud, Deus noster ignis consumens: illius enim qui non est dignus contribuit lumen est, sicut dicit Ioannes, Deus lumen est. & alibi: Nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc quidem etsi digni fuerimus Deum videre mente & corde, videmus eum non quemadmodum est, sed quem-

GEOMETRA.

Cælesti vocatione quâ ratione homines excidant.

Psal. 81, 6.

Osee 13, 8

Deut. 4, 24

Ioan. 1, 9.
1. Ioã. 3, 2.

quemadmodum propter nostram dispensationem factus est nobis. In fine autem rerũ, & restitutionis omnium, quemadmodum locutus est per os sanctorum suorum, videbimus eum, non sicuti modò, quod non est: sed quemadmodum tunc decuerit, secundum quod est. Apud nos ergo homines similis est homini: apud eos autem, qui iam inter Diuos relati sunt, similis est Deo. Deus enim, inquit, stetit in synagogâ deorum.

CYRILLVS 13. Quando etiam audis, quòd miserit conuiuator seruum suum, incarnationis dispensationem ac seruitutem, & apostolatum considera. Quid autem misit vt inuitatis Iudæis diceret? Venite, iam parata sunt omnia.

14. Insuper & is villam emit, qui propter mundanam sapientiam (villa enim mundus est) non accipit supernaturale mysterium.
1. Cor. 2, 14 (Nam animalis homo non capit ea quę sunt spiritûs.) Quinque autem iuga boum emit, qui quinque potentias animæ corporalibus male coniunxit; cumque illis harum passiones cohibere deberet, ijs abutens, salutem suam perdidit, atque hæc iuga possidens, spiritualem cœnam respuit, friuolamque Deo excusationem obtrudit. Qui verò vxorem duxit, est ille qui carni vt coniugi affectus est, atque adeò etiam verum ac solidum bonum fastidit.

ANNOTATIONES.

VERS. 18 VILLAM EMI.] S. AVGVSTINVS *Sermone 33. de Verbis Domini*, In villâ, *inquit*, emptâ dominatio notatur, ergo superbia castigatur. Habere enim villam, tenere, possidere, homines sibi in illâ subdere, & dominari, delectat; vitium malum, vitium primum. Primus enim homo dominari voluit, qui Dominum habere noluit. Quid est dominari, nisi propriâ potestate gaudere? Est maior potestas; illi subdamur, vt tuti esse valeamus. Villã emi, habe me excusatum. Inuentâ superbiâ, venire noluit. *Vide alias villæ acceptiones & interpretationes suprà in Catenâ, Num. 9. & seq.*

VERS. 19 IVGA BOVM EMI QVINQVE.] *Geometra hic Num. 12. per iuga boum, sensibilia intelligit, cum S. Gregorio Hom. 36. in Euang. &* S. AVGVSTINO *de Verbis Domini Serm. 33. qui hæc pulchrè sic applicat:* Quinque, *inquit*, iuga boum, sensus carnis huius quinque numerantur. In oculis visus, in auribus auditus, in naribus odoratus, in faucibus gustus, in omnibus membris tactus. Sed quia iuga sunt, in tribus prioribus sensibus faciliùs apparet. Duo sunt oculi, duæ aures, geminæ nares; ecce tria iuga: & in faucibus, id est sensu gustandi geminatio quędam inuenitur, quia nihil gustando sapit, nisi linguâ & palato tangatur. Voluptas carnis quæ ad tactum pertinet, occultè geminatur, est & forinsecus & intrinsecus. Dicuntur autem iuga boum, quia per sensus istos carnis terrena requiruntur: boues enim terram versant, homines autem remoti à fide terrenis deditis, nolunt credere aliquid, nisi ad quod sensu corporis perueniunt quinquepartito. *Eodem etiam modo Beda & Haymo hæc moraliter interpretantur.*

Quinque sensus per quinque iuga boum significati.

VERS. 20. VXOREM DVXI.] S. GREGORIVS *Homil. 36. in Euang.* Quid per vxorem, *inquit*, nisi voluptas carnis accipitur? Nam quamuis bonum sit coniugium, atque ad propagandam sobolem prouidentiâ diuinâ constitutum, nonnulli tamen non per hoc fecunditatẽ prolis, sed desideria expetunt voluptatis, & idcircò per rem iustam significari potest non incongruè res iniusta. *Pulchrè autem* PHILO *in libro de Sacrificio Abelis & Caini*, Nam duæ, *inquit*, cum vnoquoque nostrûm cohabitant vxores inimicæ infestæque sibi mutuò, animalem domum replentes æmulationis contentionibus. Harum alteram diligimus, quam putamus mansuetam, mitem, amicissimam nobis & familiarissimam; hæc vocatur Voluptas: alterã verò odimus, rati efferam, immitem, immansuetamque, & nobis infensissimam; hæc Virtus nominatur. Sed illius formosæ & modis omnibus expetitæ voluptatis magna mysteria quis ignorat mortalium? eorum verò thesaurorum qui penes virtutem sunt bonitatem magnitudinemque quis eloqui pro dignitate valeat? Norunt qui sunt eorum iam participes, discent etiam quibus natura est propitia, vocati ad conuiuium, in quo non venter expletur voluptatibus corpus inctassantibus; sed in quo mens pasta & choreas ductans cum virtutibus gaudens libensque hilaritate perfruitur. *Qui itaque virtutem ducit, ad cœnam properat: qui verò voluptatem, ad eam peruenire non potest. Vnde rectè S. Augustinus Sermone 33. de Verbis Domini, amorem illius appellauit viscum spiritalium pennarum, quo nimirum multos capit anceps tartareus, etiam aquilas volantes, quas, vt ait S. Ambrosius lib. 3. de Virginitate, quoque carnes deponunt. Quocircà Plato rectè* escam malorum *voluptatem appellauit, quod eâ videlicet homines capiantur vt hamo pisces, & ex illo Marcus Tullius in lib. de Senectute eamdem* blandissimam dominam *vocauit, quæ sæpè maiores partes animæ à virtute detorquet. Aiebat etiam, eodem teste, Archytas Tarentinus, in voluptatis regno virtutem non posse consistere, denique nullam capitaliorem pestem quam voluptatem corporis hominibus dicebat a naturâ datam.*

Per vxorē voluptas significatur.

Pulchrè BARRADIVS *Tom. 3. lib. 3. cap. 15. opponit cœnam mundi Cœnæ Dei.* Mundus, *inquit*, facit cœnam siue potiùs cœnum, & mittit seruum suum appetitum, vocatque homines. Appetitum honoris mittit, & vocat ambitiosos: mittit appetitum diuitiarum, vocat auaros ac cupidos: mittit appetitum voluptatum, & vocat voluptuarios. Hi tres serui ad cœnum mundi vocant, à cœnâ Dei reuocant. Pauci se escusant, pauci ad cœnam mundi venire recusant. Res caducæ appetitum concitant: concitatus appetitus ad cœnum mundi hominem ducit, & à cœnâ Dei abducit. At abducit hominem qui appetitum veluti rationis expers animal sequitur: neque æternæ cœnæ voluptates memoriâ complectitur. Illum verò non abducit qui diuinæ cœnæ magnitudinem, nobilitatem, delicias æternitatemque considerat, mundi quoque cœnæ, cœnosas venenoque imbutas epulas, moxque euanescẽtem dulcedinem mentis expendit trutinâ. Si vocet appetitus, si clamet vsque ad rauim, vocantem clamantemque compescit, frenat, pessumdat, donec obmutescat. Seruis Dei vocantibus aures præbet, seruis mundi reuocantibus obturat. Non hunc villa, non boues, non vxor impediunt quò minùs ad cœnam veniat. Videlicet impediunt insipientes, non obstant sapientibus. Insipientes illi sunt, qui villâ,

Mundus & voluptas insipientes à cœna Dei auocant.

villâ, bobus, vxore insipienter abutuntur: sapientes illi, qui his alijsque caducis bonis vtuntur sapienter. Is autem insipienter caducis bonis abutitur, quem illa ab æternæ salutis studio abstrahunt. Is vtitur sapienter, quem illa ad æternam salutem comparandam iuuant. *Hæc ille. S. quoque* AVGVSTINVS *huic simila docet Epist. 70. his verbis*: Insipientes, *inquit*, homines propter bona mundi mala faciunt, & cœnam Dei deserunt; sapientes autem ex bonis non mala faciunt, sed bona quibus ad cœnam Dei se præparant. Illos villa, boues, vxor, à cœnâ reuocant; hos hæc ipsa ad cœnam præparant. Non enim est in diuitijs, honoribus, aut coniugio culpa, sed in homine. Si insipienti puero gladium tradas, eo ipso sibi vulnera infliget: si viro sapienti committas, eodem aduersus hostes fortiter dimicabit. Eundem in modum, si caduca bona homini improbo tradantur, illis veluti gladio mille animo vulnera imponit: si homini probo committuntur, eisdem aduersus hostes tartareos fortiter dimicat. *Idem Serm. 12. de Verbis Domini*, Aurum, *inquit*, vel argentum, malis malū est, bonis bonum. Non quia eos bonos aurum & argentum facit, sed quia bonos inuenit, in vnum bonum conuertitur. *Periculosæ tamen & lubricæ opes sunt, honores, caducaque bona, ideo satius est ea propter Christum repudiare, ne illorum cupiditate illecti cælestem cœnam repudiemus.*

VERS. 21. Et reuersus seruus nunriauit hæc Domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.

CHRYSOSTOMVS in Math. 15. SCIEBAT quidem anteà Deus Pater, Iudæos ad Euangelium vocatos excusationem prætexturos, verùm ne vllam illis impudentis excusationis occasionem relinqueret, licet id sciret, ad ipsos tamen misit vnigenitum Filium suum, formam serui circumferentem. Ita & illorum ora obstrueos, & nos docens, cuncta à nobis ipsis esse explenda, etiamsi nemo quidquam emolumenti consequatur. Cùm igitur non essent digni, loco illorum Gentes vocantur. Nam primùm ad Iudæos Dominus venit, vt multis locis indicat: ex illis enim sibi matrem delegit, & ex eis secundùm carnem natus est: insuper & ait, Non veni nisi ad oues quæ petierunt domus Israel: ante crucem etiam discipulos ad oues ire iussit quæ perierunt domus Israel. Post crucem autem non modò noo vetuit, verùmetiam veritatem Iudæis attestari iussit. nam etsi omnes Gentes docendas dixerit, in cælum tamen ascensurus, primùm illis prædicandum esse significauit. Accipietis enim, inquit, virtutem superuenientis Spiritus sancti io vos, & eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæâ, & vsque ad extremum terræ. & Paulus rursum: Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, is & mihi inter Gentes operatus est.

Gentiles pro Iudæis vocati.

Act. 1, 8.

Gal. 2, 8.

CYRILLVS 16. Hic igitur paterfamilias Proceribus Iudæorum iratus dicitur, eò quòd magnam illam cœnam contempserint; & illorum loco vocati sunt, qui ægri abiectique in vicis & plateis iacebant, hoc est, illi qui ex Iudaicâ multitudine habebantur iosirmiores, mentemque vsque ad illud tempus obtinebant claudam, magnaque caligine obscuratam, sed paulò pòst per fidem in Christum sani robustique effecti sunt. Etenim lumine diuino intra se recepto, recta vestigia figere edocti sunt. Quòd autem quamplurimi ex Iudæorum plebe crediderint, hoc quiuis facilè, si sanctorum Apostolorum Acta percurrerit, cognoscere poterit. Ibi enim Petro concionante, primùm tria millia, deinde quinque millia hominū fidem susceperunt, & iterùm magna turba. Et ipse etiam Dominus, cùm docendo, tum miracula patrando imperitam multitudioem instruxit, & plurimi Iudæorum in ipsum crediderunt, quos & Pharisæi quòd in Christum crederent execrabantur.

VERS. 22. Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est.

23. Et ait Dominus seruo: Exi in vias, & sepes: & compelle intrare, vt impleatur domus mea.

24. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

CYRILLVS 17. VIDE hîc, post Israelitas per fidem introductos, Gentium quoque populum fuisse vocatum. Porrò autem, qui ex Gentibus vocati ad cœnam hanc venere, illi mente erant agresti, animoque efferato, quasi extra vrbes, absque vllâ prorsus ciuilitate nati atque educati. Neque enim vllis omnino bonis legibus aut moribus vtebantur; verùm pecudum more in magnâ quadam rationis caligioe & amentiâ versabantur. Ad illos itaque qui cœnam instruxit in publicas quoque vias & sepes emittit vocatores, nec simpliciter ad cœnam vocari, sed compelli quoque vult.

EVSEBIVS 18. Primùm itaque vocati sunt Iudæi, qui & vocatioois gratiam contempserunt. Deinde verò Gentiles & alienigenæ, mente cæci & imperiti, claudi surdique, qui & statim obedierunt. Erant autem in plateis quidem qui latam perditionis viam ambulabant, & sine institutis atque doctrinâ degebant. In vicis verò, qui sceleribus dediti impiè viuebant.

bant. Reliqui denique ab extremitatibus viarum ac sepibus tertio loco vocati, sunt animæ in inferno (multæ siquidem sunt ex hac vitâ decedentium viæ) quibus ipse post corporis depositionem Saluator prædicauit. Non spontaneos autem benignè cogit. Hæc est cœna quæ hîc conuiuis est præparata. Ex inuitatis verò aliqui non fuerunt persuasi, atque idcircò eam non gustarunt: alij autem persuasi fuerunt, qui & conuiuio excepti sunt. Transcende nunc cogitatione cælorum regnum quod expectamus, & cœna illa verè magna in mentem veniat, in quâ beatorum animæ vnà cum Angelis accumbent, atque pane pascentur Angelorum, quando proprie & modo quodam Deo conuenienti, Scriptura illa implebitur, quæ dicit, Panem Angelorum manducauit homo. Panis autem iste erat verbum Dei animas Angelosque mirâ quadam ratione nutriens; quemadmodũ ipse docuit dicens: Ego sum panis qui de cælo descendit, & vitam dat hominibus, & rursus: Ego sum panis vitæ. Verbi namque diuini ex Deo ab initio procedentis virtute, sancti naturâ rationali præditi viuificantur. Beati igitur qui modò esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam tunc saturabuntur, cœnâ illâ regali excepti, & panem vitæ manducantes, atque nouum illum lætitiæ calicem bibentes; quorum symbola ante passionem instituens Saluator, dixit: Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei. Erit igitur in regno Patris ipsius mensa bonis omnibus referta, de quâ participabunt illi quibus id testamento reliquit, vt in tentationibus suis eius memoriam haberent, quò manducent & bibant in mensa illius, pane quidem cælesti, sanctorum animas nutriente, vescentes, de vino verò nouo geniminis vitis illius veræ participantes, quam ipsemet vniuersorum Deus ac Pater colens, tunc genimen ex eo nouum illo dignis præbebit.

Ioan. 6, 51

Matth. 26. 29.

Idem. *Vestis nuptialis habenda.*

19. Nisi itaque vitam puram exhibuerimus, sed beatâ illâ vocatione indignâ, veste sordidâ induti, idem nobis accidet quod misero isti qui non habebat conueniens diuinis nuptijs conscientiæ indumentum. Indecorum enim, homines viles & plebeios, circumforaneos, nullius dignitatis aut meriti, ipsummet Deum & Regem minimè reuereri, sed à triuio sordidatos ad eius mensam accedere, nosque tantam ostendere impudentiam, vt tanto honore affecti meliores non euadamus, verùm etiam post vocationem, in eadem improbitate persistamus, ad iniuriam & contumeliam benignitatis Dei qui nos vocauit.

20. Quòd si noluerimus digni apparere vocatione illâ, non pendebit hoc ex vocante & nos honorante Deo, sed ex nobis. Non enim ille nos eijcit admirabili illo conuiuarum choro, sed ipsi nos. Ille siquidem partes suas omnes expleuit, nos verò cùm ipsi, tum præsentibus, ac ipsi cœnæ iniurij, propter sordidas vestes, hoc est propter opera impudica, meritò expellimur. Nuptias enim inuitatosque honorans, improbos expellit atque ignominiâ afficit. Si enim sordidâ indutos veste permisisset, visus fuisset iniuriam fecisse reliquis. Sed absit vt inuitatorum aliquis simile quid attentet, siue ex nobis, siue ex alijs, ne vocem illam audiat, Quoniam nemo virorum illorum gustabit cœnam meam. Propterea enim hæc antequam fiant scripta sunt, vt Scripturæ minis eruditi atque emendati, non contingat illas opere compleri, nôsve ignominiâ illâ ac pœnâ affici sed in solis hæc verbis sistant, atque vnusquisque nostrûm splendidâ indutus stolâ ad cœnam illam accedat, quâ nos omnes perfrui concedat Deus.

ANNOTATIONES.

Vers. 23 *De plateis & vicis qui veniant, & qui de sepibus.*

EXI IN VIAS ET SEPES, *&c.*] S. AVGVSTINVS *Serm. 33. de Verbis Domini*, Quos inueneris, *inquit*, vt dignentur noli expectare, coge intrare. Magnam cœnam, magnam domum paraui: non ibi patior locum vacare. Venerunt de plateis, & de vicis Gentes, veniant de sepibus hæretici, hîc inueniunt pacem. Nam qui construunt sepes, diuisiones quærunt. Trahantur à sepibus, euellantur à spinis. In sepibus hæserunt, cogi nolunt. Voluntate, inquit, nostrâ intremus. Non hoc Dominus imperauit: Coge, inquit, intrare. Foris inueniatur necessitas, nascitur intus voluntas, *Et Epistolâ 204. ad Donatum*, Qui compellitur, *inquit*, quò non vult cogitur, sed cùm intrauerit iam volens pascitur. Cohibe itaque tam iniquum & implicatum animum, vt in verâ Ecclesiâ Christi inuenias salutare conuiuium. *Pulchrè similiter contra secundam Gaudentij Epistolam lib. 2 cap. 17. ex hoc loco Euangelij probat, hæreticos, schismaticos & improbos Christianos vel inuitos, vi, & si opus sit per brachium sæculare ad veritatem ac frugem cogendos esse.* Quòd autem, *inquit*, vobis videtur, inuitos ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inuiti. Numquid enim pœnitentiam Niniuitæ inuiti egerunt, quia hoc Rege suo compellente fecerunt? iam enim Propheta, Dei iram vniuersæ ciuitati, eam triduo perambulans, prænuntiauerat. Quid igitur opus erat Regis imperio, vt humiliter supplicaretur Deo, qui non intuetur ora sed corda? nisi quia erant in eis quidam, qui nec curarent, nec crederent prædicta diuina, nisi territi potestate terrenâ? Ipsâ igitur iussione Regiæ potestatis, contra quam voluntarius fit vester occasus, multis ad salutem, quæ est in Christo, præstatur occasio; qui etsi violenter adducuntur ad cœnam tanti Patrisfamilias, & compelluntur intrare, intus tamen inueniunt, vnde se lætentur intrasse. Vtrumque enim Dominus ipso præ-

prædixit, & vtrumque compleuit. Nam reprobatis quibusdam, qui vtique intelliguntur Iudæi, quia ipsi per Prophetas anteà fuerant inuitati, & ad horam excusare maluerunt, ait Dominus seruo suo: Exi in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos, introduc hûc. Et ait seruus Domino: Factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus seruo: Exi in vias ac sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea. Intelligimus vias hæreses, schismata sepes. Viæ quippe hoc loco significant diuersas opiniones, sepes autem, peruersas opiniones. Quid ergo miramini, si non corporalis cibi, sed spiritalis fame moritur quisquis ad istam cœnam nec libenter introductus, nec violenter impulsus ingreditur.

VERS. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo: & conuersus dixit ad illos:

Matth. 10. 37. 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.

Matth. 10. 38. 16, 24. Marc. 8, 34. 27. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.

EVSEBIVS. Parentes quomodo odio habendi.

21. HAEC autem Dominus præcepit, non contraria imperans illi præcepto per Moysen dato, Honora patrem tuum & matrem tuam, sed maximum illud perfectissimum legis præceptum de Deo ex totâ animâ diligendo stabiliens atque subsignans. Parentes siquidem lege naturæ honorandi sunt, sed cùm nobis sit alius quoque pater, progenitoribus nostris carnalibus præstantior atque superior, (ille autem est Verbum Dei proposita præcipiens) corporales parentes ait non maiori quàm Verbum Dei, quod secundùm animâ spiritumque nos genuit, amore complectendos esse; sed illis quidem honorem omnem exhibendum, affectu scilicet ijs conueniente; hoc verò, honore & amore quodam omnem modum & mensuram excedente honorandum & super omnia diligendum esse, ita vt non pigeat nos etiam propter ipsum impios parentes deserere, & à fratribus Deo inuisis separari, à filijs etiam filiabusque seiungi, & Dei verbo quouis gladio ancipiti acutiore naturalia hæc amoris philtra omnia vinculaque rescindere, si pio affectui remoram aliquam obstaculumque obiecerint.

22. Quin & maximi supplicij comminationem adiecit, dicês apud Lucam quidem, *Luc. 14.*
Non potest meus esse discipulus; apud Matthæum verò, Non est me dignus. *Matth. 10, 23.* Cùm autem qui hæc dicit, sit is qui in principio erat vnigenitum Dei Verbum, & vita, & sapientia, & lumen, & bonorum omnium plenitudo; illud vtique, Non est me dignus, idem est ac si dixisset, Non est dignus Verbo Dei, neque vitâ, neque sapientia, neque lumine, neque vllo alio bono. Animæ insuper neruos ac robur intendens, quasi militaris Christiani militis vires explorans ac lustrans, subiungit: Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Non enim, inquit, patris matrisve, aut filiorum filiarúmve tantùm amori, mea præferenda est amicitia, sed etiam ipsius corporis, & vitæ temporalis. Corpus igitur, quod modò coniunctum est animæ, subigere conuenit & mortificare, passiones eius crucifigendo atque occidendo, ita vt non viuam iam amplius carnem, sed demortuam, diuinisque præceptis transfixâ circumferre videamur: ita vt anima iam sit quasi alterius substantię, planè incorporeæ atque intellectualis, trophæum victoriæ contra inimicos erigens corpus, quod crucem circumferat, mortisq; instrumento onustum rationem sequatur, instar generosi Ducis brauia victoriæ ab hostibus partæ statuentis. Nisi enim, inquit, hac ratione me secutus fuerit, quisquis meus discipulus esse desiderat, corpusque suum ac carnem mortificauerit, & quasi affixum cruci inanime exhibuerit, non est me dignus, nec meus discipulus esse potest. Hîc autem supremũ Christianæ philosophiæ fastigium discipulis proponit, eos sicut generosos ac militares viros adhortans, vt ad virtutis apicem contendant.

Corpus mortificandum.

23. Dixit enim, Si non tollat crucem suam, non vt lignum humeris baiulemus, sed vt mortem semper ante oculos habeamus; sicut & Paulus quotidie moriebatur, & deridebat mortem. *CHRYSOSTOMVS. Quid sit crucem tollere.*

24. Crucem etiam tollens mortem Domini annuntiabat dicens, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. quod etiam nos in ipso Baptismate anticipantes promittimus in morte Christi baptizati, quod explicans subiungit: Quoniam vetus homo noster crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, ne ampliùs peccato seruiamus. *BASILIVS in Ascetic.*

25. Qualem autem crucem dicit vt baiulemus, nisi continentiam à passionibus, donec mens illas penitus exstirpet? *ISAIAS Archiep.*

26. Non enim debet quis se ipsum è ligno suspendere, sicque Dominum sequi; sed crucifigere seipsum à rebus mundanis, & illa non attingere. *MACAR.*

27. Sic afflictionem & despectionem eligens pro veritate, Apostolicam viam ingreditur crucem tollens, catenaque cinctus. *MARCVS Archiep.*

28. Non enim hîc verbum Dei tantùm vetat eorum quæ extra nos sunt, vtpote pa- *EVSEBIVS*

rentum & liberorum, sed & ipsius corporis atque corruptibilis carnis huius nimiam sollicitudinem, suosque sermones rebus omnibus anteferre suadet, etiam ipsi animæ, rerum omnium pretiosissimæ, quâ nihil cuiquam charius est aut melius. Hæc siquidem conditori eius Deo posthabenda est, & si res aut tempus postulauerit (vt ex hypothesi loquar) pro Dei cultu ac religione ponenda atque perdenda est, idque animo prompto ac alacri; quoniam solus Deus eam pro se quasi ex suppositione perditam, reuocare atque denuò reperire potest. Qui enim illam nondum existentem de nihilo primùm produxit, & ex non existente fecit vt esset, eidem haudquam impossibile erit eam ab hominibus perditam, & ex mortali vitâ eductam, tursus ad lucem reuocare.

BASILIVS Ascetícorũ Reg.fus.8. 29. Quòd si quis explicatiùs soliditatem vimque flagranti illorum desiderio coniunctam velit cognoscere qui Christũ sequuntur, in animum illi reuocandum est quod ad nostram instructionem de seipsô Apostolus

Phil.3,7. loquitur, dicens: Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Quid autem aut rationibus à nobis inuentis, aut sanctorum virorum exemplis opus est confirmare quod dico, cùm ipsa Domini nostri verba in medium liceat adferre, ijsque ipsis religiosum ac Dei timentem animum magnopere commouere, quibus ille palàm & citra controuersiam testifi-

Luc.14,33 cans, ita dicit: Sic igitur, quicumque ex vobis non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus? Et alio in loco, cùm post oblatam conditionem illam, Si

Matth.19,21. vis perfectus esse, verba illa subiecisset, Vade, vende quæ habes, & da pauperibus; post illud adiecit: Veni, sequere me. Atque etiam similitudinem illâ de negotiatore huc quoque manifestè spectare nemo non (modò

Matth.13,45. æquus interpres) intelligit. Planum est enim, pretiosam margaritam cæleste regnũ significare hoc in loco. Quod regnum nos assequi posse Dominus negat, nisi omnia simul quæ habemus, diuitias, gloriam, genus, & si quid sit aliud eorum quibus plerique ambitiosiùs inhiant, pro eo parando neglexerimus. Attende etiam exemplis.

ANNOTATIONES.

VERS.26 ET NON ODIT PATREM, &c.] *Quæstio hic oritur, quonam modo habendi sint odio parentes, cùm eos lege naturæ diligere iubeamur, quam pulchrè paucis & proponit & soluit* S. GREGORIVS *Hom. 27. in Euangelia, dicens:* Sed percontari libet, quomodo parentes & carnaliter propinquos præcipimur odisse, qui iubemur & inimicos diligere? Et certè de vxore Veritas dicit: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et Paulus ait: Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus Ecclesiam. Ecce discipulus vxorem diligendam prædicat, cùm magister dicat, Qui vxorem non odit, non potest meus esse discipulus. Numquid aliud Iudex nuntiat, & aliud præco clamat? An simul & odisse possumus & diligere? Sed si vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretionem valemus: vt eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, & quos proximos nouimus, diligamus; & quos aduersarios in viâ Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus. *Vide eumdem fusiùs de hac materiâ eodem loco, vti & S. Augustinum Epist. 38. & S. Ambrosium Serm. 15. in Psalmum 118. & Eusebium hic in Catenâ num. 21. & 22.*

Quomodo parentes odio habendi & diligendi.

IBIDEM. ADHVC AVTEM ET ANIMAM SVAM] Hinc, *inquit* S. GREGORIVS *suprà citatus*, constat, quia amando debet odisse proximum, qui eum odit sicut seipsum. Tunc enim benè animam nostram odimus, cùm eius carnalibus desiderijs non acquiescimus, cùm eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur.

Quomodo animã benè oderimus.

VERS 27. ET QVI NON BAIVLAT CRVCEM SVAM] *Alludit hic Christus ad futuram crucis suæ baiulationem, vultque nos paratos esse ad verbera, opprobria, mortemque etiam dirissimam & ignominiosissimam, quando Dei honor id exiget, subeundam quis videtur esse genuinus loci huius sensus, itaque explicant Chrysostomus in cap. 10. Matth & Theophylactus hic. Potest tamen secundò generatim accipi de quibuscumque tribulationibus à Deo aut aliunde immissis. Hilarius in cap. 10. Matthæi, cum Euthymio, mysticè id accipiunt de cruce & martyrio spiritali, quo quis carnem, concupiscentias & vitia crucifigit ac resecat, quomodo etiam idem explicant supra in Catenâ, Isaias Num. 25. Macarius Num. 26. Marcus Num. 27.*

Quid sit crucem suã ferre.

VERS. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum,

29. ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei,

dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?

30. QVOD si ridendus est qui aggressus turrim ædificare, iactis fundamentis, studium deponit, neque ad finem peruenit; quid aliud ex similitudine illâ discimus, quàm vt oblatâ sublimi aliquâ cogitatione, eam ad finem perducere conemur, diuino opere, varijs quasi structuris præceptorum Dei absoluẽdo? Neque enim vnicus lapis totum turris ædificium est; neque vnicum præceptum, animi perfectionem eò quò requiramus perducit, sed & fundamentum omnino prǽstruendum est, & ædificium ex auro, vt Apostolus loquitur, & gemmis imponendum. Ita enim opera præceptorum Dei vocantur, secundùm Prophetam dicentem: Quoniam dilexi mandata tua super aurum & lapidem pretiosum multum. Psal. 18, 11. & 118, 127.

NYSSENVS de Virgin. cap. 18.

Quomodo turris Euangelicæ perfectionis extruenda.

ANNO-

ANNOTATIONES.

Vers. 28 VOLENS TVRRIM ÆDIFICARE.] *Nota, Christum duabus hisce parabolis, turris ac belli, tantùm velle docere, quantâ prouidentiâ prætentare quis debeat robur tum corporis, tum maximè spiritus: item impulsum Spiritus sancti, quasi promittentis vires gratiæ sufficientis antequam arduam Euangelicæ vitæ & perfectionis turrim construat, & bellum amicis suis, passionibus, totique mundo indicat: ne si posteà impar resiliat, damnum & ignominiam sibi consciscat. Reliqua quæ adduntur emblemata sunt.*

VERS. 31. Aut quis Rex iturus committere bellum aduersus aliũ Regem, non sedens priùs cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?

32. Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

Cyrillus 31. PER hæc indicatur, certamen nobis esse cum aduersis potestatibus. Non
Eph. 6, 12. enim est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Tum etiam cum aliâ hostium turmâ, cum prudentiâ sensuque carnis, hoc est cum lege illâ quæ in membris nostris grassatur, plurimasque animi perturbationes, intestinaque prælia quotidie istic excitat. Cum his assidua nobis lucta: hæ efferæ illæ, sæuæque hostium copiæ, quę nobis aduersantur. Quomodo ergo superabimus? Si certò crediderimus, quòd in Deo faciemus virtutem; &
Quomodo hostes superabimus. secundùm quod scriptum est, ipse ad nibi-
Ps. 59, 14. lum deducet tribulantes nos. Hac ratione quidam sanctus Propheta seipsum solabatur, dicens, Ecce Dominus adiuuat me, quis mihi nocebit? & alio rursum loco diuinus
Psal. 26, 1. Dauid: Dominus illuminatio mea, quem timebo, &c. Ipse enim nostra est fortitudo.

VERS. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Basilius Breu. reg. 104. 32. QVID est quod docere Dominus velit per ea exempla, quibus continuò subijcit, Sic omnis ex vobis, & quæ sequuntur? Si enim qui habet in animo ædificare turrim, aut bello congredi cum alio Rege, is parare se debet, vel ad ædificationem, vel ad bellum, & alioqui si ad hæc facienda impotens sit, est in ipsius potestate initio vel non iacere fundamentum, vel rogare quæ pacis sunt: ergóne eadem ratione is etiam, qui voluerit discipulus Domini fieri, renuntiare debet; & si ad hoc difficultatem in se esse animaduerterit, est in ipsius potestate initio defugere disciplinam Domini? Mens Domini est in his exemplis, non permittere vt cuiuis liberum sit Domini discipulum esse, vel non: sed docere, nullo modo fieri posse, vt qui in rebus versetur ex quibus animus distrahatur, Deo verè possit placere: quippe cùm in his periculum sit, ne expositus insidijs diaboli, atque ita captus, risui sit ac ludibrio, ijs imperfectis relictis, in quæ studium suum videbatur contulisse. Quod orans Propheta ne sibi eueniret, dicebat,
Nequando supergaudeát mihi inimici mei; Psal. 37, 17
& dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Isidorus. 33. Qui enim magnificè incipit, sed non æqualiter benè cœpta cõtinuat, dæmonibus quidem risus, Angelis verò tristitiæ, hominibusque lacrymarum causa existit.

34. Quid autem velit turris significare, modò inquiramus. Turris specula est eminens ad tuendam propugnandamque ciuitatem, & ad cognitionem excursionum hostilium accommodata. Mens ad vtramque hanc functionem nobis indulta est, vt obseruemus bona, & impendentes insidias præuidendo vitemus. Huic minimè congruit, vt suam in seipso fiduciam collocet, neque vt per hæc terrena negotia ascensum moliatur ad cælum. Ad eum enim qui per mentis elationem fuerat infra semetipsum collapsus, Dominus descendit: vtque beneficium impertiretur ac salutem, pactum diremit, & conspirationem ad malum. De huius ædificij fabricâ iubet nos Dominus, vt sedentes rationes ineamus sumptuũ, an satis habeamus ad instituti operis perfectionem: cui consilium Euangelicũ manifestè consentit. (Basil. in Isa. 2. *Mens specula est.*)

35. Simpliciter autem per parabolam turris nos docet Dominus, vt hi qui semel delegerunt se sequi, idem propositum seruent, nec solùm iaciant fundamentum; hoc est, ne incipiant tantùm sequi, & posteà finem non imponant, quasi non habentes sufficientem alacritatis præparationem. Et omnis quidem qui operi suo non præmittit eius cognitionem, imperfectè ædificat; quique fidei sua opera non superstruit, cadet. Ceterùm verò parabola docet non duplici esse animo, neque carni simul & Deo adhærere, sed mentem Regis instar peccato opponamus, & ostendamus nobis inesse implacabile erga illud odium, nec vllam cum illo pacem esse posse, quæ sita est in passionum sequelâ & seruitute. (Antigraphus. *Perseuerandum in proposito perfectionis.*)

VERS. 34. "Bonum est sal. Si autem " Matth. 5, 13.
sal euanuerit, in quo condietur? Marc. 9, 50

35. Neque in terram, neque in ster-

 quili-

quilinium vtile eſt, ſed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

EVSEBIVS. 36. *Natura ſalis.* DIVERSIS ſymbolis & figuris, diſcipulorum ſuorū virtutem inſinuat. Sal ſiquidem ſecundùm ſubſtantiam ſuam ex aquâ conſtat & ſpiritu, modicum quid terreſtris materiæ participans. Exſiccat autem fluidam naturam corruptorum corporum, vt mortua corpora conſeruet. Meritò igitur diſcipulos ſuos comparat ſali, eò quòd ipſi regenerati ſint per aquam & ſpiritum. Cúmque ex integro ſpiritalem vitam agerent, & non ſecundùm carnem ambularent, inſtar ſalis corruptam hominum in terrâ degentium vitam conuertebant, & virtuosâ vitâ ſuos ſequaces oblectando condiebant. Hæc & Moyſes ſanxit, per ſymbola nos ſalis
Leu. 2, 13. ad Deum adducens. Quidquid, inquit, obtuleris ſacrificij, ſale condies. Sed ille quidem ſenſibilibus illum corporibus adhiberi præcepit: qui verò nouam legem condidit, per ſalem nobis manifeſtò Dei amicos indicauit, illos tamquam cuſtodes mandatorum proponens, quibus & in faciem dixit, Vos eſtis ſal terræ.

MACAR. Hom. 1. 37. Terram vocans animas proborum hominum, quibus Apoſtoli ſalem ſpiritus cæleſtem ſubminiſtrabant, illos condientes, & à putredine vindicantes, ne vermes, id eſt malitiæ ſpiritus ipſis inambularent.

CHRYSOSTOMVS in Ioan. 7. 38. Sal non ſibi ipſi vtile eſt, ſed in alios confert vtilitatem: ita nobis non noſtra tantùm vtilitas, ſed & aliorum exigitur. Sal enim niſi ſalſum reddat, non ſal, ſed aliud eſſe deprehenditur. Quòd ſi ipſi benè fecerimus, alijs etiam benefaciendi exemplum erimus. Quouſque à bonis operibus deſiſtemus, nihil alijs conferre poterimus: nihil fatuum apud nos, nihil molle ſit, & ſolutum, qualia
Matth. 25, 2. mundi opera ſunt, & curæ ſæculares. Proptereà virgines fatuæ ſunt appellatæ, quoniam circa fatuas mundi curas vacabant, hic congregantes, vbi minimè eſt reponendum.

BASILIVS Reg. breu. 166. Col. 4, 6. 39. Quid eſt ſal illud de quo præcepit Dominus dicens, Habete in vobis ſal, & pacem habete inter vos. & Apoſtolus, Sermo veſter, inquit, ſemper in gratiâ ſale ſit conditus.
Sal diſcretionis. Hic quoque verborum ſenſus, per ea quæ ſingulis capitibus connexa ſunt, manifeſtus eſt. Nam in verbis Domini quidē docemur, ne quam demus mutuæ diuulſionis ac ſeparationis cauſam, ſed perpetuò conemur, vt vinculo pacis ad vnitatem ſpiritus vnanimes conſeruemur. In Apoſtoli verò, ſi quis memor fuerit dicentis, An comedetur panis abſque ſale? An & guſtus eſt aliquis in verbis nouis? docebitur ſermones ſuos diſpenſare ad ædificationem fidei, vt dent gratiam audientibus, tempore accommodo & ordine honeſto vſus, ad hoc vt obtemperantiores fiant qui audiunt.

CHRYSOSTOMVS in Ep. ad Coloſſ. c. 4. 40. Si enim ſermo ſit ſale conditus, & ſi in diſſluentem inciderit animam, mollem reſtringet & flaccidam: & ſi in aſperam, leuigabit duritiem. *Modus ſeruandus in lætis & triſtibus.* Si ſit lepidus ac facetus, nec ſit grauis ac moleſtus, nec rurſus mollis, ſed & auſteritatem habeat, & voluptatem. Nam & ſi ſit ſupra modum auſterus, magis lædet quàm proderit. Sin autem ſit ſupra modum lepidus & vrbanus, magis erit moleſtus quàm iuuet. Quamobrem oportet vbique tenere modum: nec triſtem eſſe frontéve caperatâ, eſt enim iniucundum; neque diffuſum ac diſſolutum, eſt enim abiectum & conculcatum; ſed vtriuſque acceptâ virtute, fuge vitium ſicut apis, huius quidem lætitiam & alacritatem, illius verò carpens ſeueritatem.

CHRYSOSTOMVS in Matth. c. 5. 41. Hæc eſt operatio ſalis, laxa quæque vrere & reſtringere. Si itaque quis maledictionem timens, vtilem ſibi fortitudinem deſerat, conculcatur, id eſt contemptui habetur. Verborum autem quæ ædificationi ſunt, & præclaræ doctrinæ, magna eſt vtilitas, reſtringunt enim vitia, & diſſolutionem tollunt.

CYRILLVS 42. Quemadmodum autem ſine ſale neque panis, neque condimentum vllum ſapidum eſt, ita ſine Apoſtolicâ cognitione atque doctrinâ, omnis anima fatua eſt atque inſipida, nec vllius apud Deum vtilitatis. Per terram ſiquidem inſinuatur id quod vtilitatem capiat, per ſterquilinium autem quod profit. Vos igitur qui conſtituti eſtis vt toti mundo proſitis, niſi vtiles manſeritis, atque alijs etiam prodeſſe poſſitis, reijciemini, & ad nihil futuri eſtis vtiles. Qui habet aures audiendi, audiat. Hoc eſt, qui habet intellectum, intelligat; qui habet mentem, comprehendat. Symbolicè enim atque ænigmaticè aures hoc loco ſenſitiuam virtutem animæ, & ad intelligendū aptitudinem ſignificant. Omnes itaque fideles ſal ſint, ex diuinis ſermonibus & ſupernâ gratiâ qualitatem hanc ſuſcipientes. Igitur niſi eum ſuſceperimus, ſtulti atque inſipientes efficiemur. Et profectò infatuatum eſt ſal noſtrum, ſi non habuerit ſupernæ gratiæ qualitatem.

ANNOTATIONES.

VERS. 34. *Quid ſal myſticè.* BONVS EST SAL.] *Nota, per ſalem Apoſtolos hic inſtrui, quod & quantum eſſet eorum officium: ſal enim etiam apud profanos eſt ſymbolum ſapientiæ. Indicat igitur, Apoſtolos debere vt ſal ſapientiâ verbi & exempli ſui primò alterum vitia carnis exſugere; ſecundò, eos virtutibus condire; tertiò, illos æternæ incorruptioni ſeruare; quartò, eos Deo, Angelis & hominibus*

bus sapidos ac gratos reddere. Si enim euanuerit, id est infatuatum & insulsum fuerit, omnino inutile redditur, nec est vnde insulso sali vis deperdita saporque restitui possit. Non enim est salis sal.

Hoc loco, P. Seruij in Concordiâ ordinem sequendo, inserendum illud Ioannis 10. vbi narratur, vt die festo Encæniorum disceptarit in templo Iesus cum Iudæis, ac sese illorum manibus eripuerit.

SVPPLEMENTVM EX S. IOANNIS CAP. X.

1. Mach. 4. 56. 59. VERS. 22. "Facta sunt autem Encænia in Ierosolymis: & hiems erat.

23. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.

24. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm.

25. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me:

26. sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

27. Oues meæ vocem meã audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me:

28. & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.

29. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.

30. Ego & Pater vnum sumus.

Triplex dedicatio tēpli Ierosolymitani. BEDA *in cap. 10. Ioan.* Prima dedicatio templi Salomonis celebrabatur in autumno mense Octobri. Salomon enim septem in ædificio templi consumpsit annos, & mense Octobri dedicauit illud; quod quidem per 430. annos perseuerauit, quousque per Chaldæos destructum fuit. Post septuaginta verò annos reædificatum est per quadraginta sex annos, & perfectum est sub Zorobabele, & Iesu summo sacerdote, mense Martio, quo mense instituta fuit secunda solemnitas renouationis. Perseuerauit hoc templum per 356. annos, quousque peruersus Rex Antiochus illud spoliauit, & profanauit. Tertio verò anno Iudas Machabæus illud renouauit, & restaurauit, dedicauitque mense Decembri, & hæc est dedicatio quæ in præsenti instituitur celebranda.

Tēpli dedicatio quare celebratur. RVPERTVS *in cap. 28. Gen.* Non vanè consecratio templi festiuis laudibus per annos singulos celebrari consueuit. Nam sicut altare, vel lapis inunctus Christum, & singuli lapides parietum, singulos significant electos, viuos vtique lapides superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ad construendum vnius Ecclesiæ templum. Vnde omnia quæ sub nominibus altaris & lapidis decantantur, gratiarum actiones sunt pro principali vnctione Christi, & pro generatione quorumcumque fidelium. Nec enim poterat fieri, vt quisque nostrûm diem suæ regenerationis annuatim celebrem ageret, nec rursum omittenda erat absque memoriali celebritate tantæ gratiæ iucunditas, quæ singulis nostrorum collata est. Igitur qui diuersis temporibus renati sumus, opportunè pro particularibus festis vniuersalia locorum festa celebramus, in quibus vitalia Dei dona percipimus.

Pulchrè ad hunc locum lib. 4. cap. 18. in Morali BARRADIVS, Vnum, *inquit*, extruxit templum antiquus ille Salomon, quod auro vndique rutilabat: noster verò Salomon Christus multa extruxit, quotidieque extruit templa, quæ pretiosiori rutilant metallo. Salomon mortuum templum exædificauit: viua Christus templa exædificat. *Christus multa exædificat templa animata.* Nescitis (ait Paulus 1. Cor. 3.) quia templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? Vnum verò est Christi templum, & multa sunt Christi templa. Vt enim ait D. Augustinus Epist. 57. ad Dardanum, simul omnes vnum templum, & singuli singula templa sumus. *Ecclesia templum Dei perdurabile.* Vnum templum amplissimũ, quod reliqua omnia templa complectitur, Ecclesia est: minimè caducum, vt illud Salomonis templum, vt diximus æquatum solo est: Ecclesiæ verò templum euerti numquam poterit. Portæ inferi (ait illius constructor Christus Matth. 16) non præualebũt aduersus eam. Peculiaria templa destrui possunt, profanari, ac contaminari; Christiani namque singuli possunt cadere, peccatisque profanari & commaculari: at Ecclesia tota non potest. Multa sunt particularia templa Dei viua diruta, solo prostrata, flagitijsque contaminata, quæ non Antiochus, sed cacodæmon splendidissimo charitatis auro spoliauit, turpissimisque libidinis, auaritiæ, similiumque flagitiorum idolis inquinauit. *Multa viua Dei templa contaminantur.* Quid igitur? iacere templa Dei deserta & profanata patiemini, ô populi Dei pastores, concionatores, Confessarij? Nullus animum ardor incendet? nullus Dei zelus inflammabit? Audite quæso strenuissimi illius Machabæi adhortationem, lib. 1. Mach. cap. 3. Erigamus, inquit, deiectionem populi nostri, & pugnemus pro populo nostro, & sanctis nostris, &c. Item cap. 4. *Zelus pro templis Dei viuis qualis debeat esse.* Ascendamus mundare sancta, & renouare, &c. Deiectum Dei populum, contaminata Dei templa cernitis: erigite deiectionem populi vestri; id est vobis à Deo commissi, pugnate pro populo spiritualibus armis, & pro templis Dei. Ascendite mundare sancta, & renouare. Ascendite, inquam, vitâ, exemplo, moribus. Renouamini, vt renouati, populum renouetis. Expurgate Dei contaminata templa, Encæniorum, id est, renouationis iucundissimam Deo festiuitatem celebrate. *Festum renouationis hominum.* Quid enim iucundius Deo esse potest in orbe terrarum eâ festiuitate, quâ animi renouantur hominum? Quid lætius? quid optabilius? Celebrauit hanc festiuitatem Christus: proptereà enim in orbem terrarum venit è cælo, vt homines renouaret, & renouationis festum hoc ageret. Celebrant magno gaudio Angeli. Gaudium enim est in cælo (Lucæ 15.) super vno peccatore pœnitentiam agente, id est seipsum renouante. Celebrant boni pastores, concionatores & Confessarij diuino ardentes zelo, qui magnam ex renouatione animorum lætitiam capiunt. Denique celebrant il-

li, qui vitiorum vetustatem propellentes, diuinâ se virtutum nouitate renouant.

Cur mentio fiat hiemis. *Huius reparationis figuram celebrabant Iudæi Ierosolymis.* Et hiems erat, *quo frigida Iudæorum significabatur impietas, quia mentes eorum à diuino igne auersas diabolus tamquam glacialis Boreas afflauerat, vti rectè notat.*

S. Gregorivs *lib. 2. Moralium, cap. 25.* A qualitate, *inquit*, aëris res subsequens demonstratur, sicut Euangelista, cùm, prædicante Domino, nullos tunc ex Iudæis credituros diceret, præmisit, dicens: Hiems autem erat. Scriptum namque est,
Matth. 24, 12. Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Idcircò ergo hiemis curauit tempus exprimere, vt inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret. Hinc est, quòd de negaturo Petro præmittitur: Quia frigus erat, & stans ad prunas
Ioan. 18, 18 calefaciebat se. Iam namque intus à charitatis calore torpuerat, & ad amorē præsentis vitæ, quasi ad persecutorum prunas infirmitate æstuante, recalebat.

Theophylactvs *in hunc locum*, Tempus, *inquit*, hiemis Euangelista exprimit, ad ostendendū quòd proximum esset tempus passionis. Nam in vere sequenti passus est Dominus, & ideò Ierosolymis conuersabatur. *Vnde sequitur*, Et ambulabat, *&c.*

Quid sit porticus Salomonis. Alcvinvs *in aureâ Catenâ*, Porticus, *inquit*, Salomonis dicitur, vbi Rex ille ad orandum stare consueuerat: & ideò ex eius nomine cognominabatur. Solent autem porticus quibus templum cingebatur ex nomine templi vocari. Si autem Filius Dei in templo, in quo caro brutorum animalium offerebatur, ambulare voluit, quantò magis nostram orationis domum, in quâ caro & sanguis eius consecratur, visitare gaudebit?

Tropologica expositio, Theophylactvs *ibidem:* Satagas tu quoque, dum hiems imminet, id est vita præsens turbinibus iniquitatis concussa, spirituales encænias tui templi celebrare, semper renouando teipsum, & ascensiones in corde tuo disponens. Tunc Iesus erit præstò tibi in porticu Salomonis, pacificum statum tibi tribuens sub tegmine proprio. In sæculo autem futuro nemo renouationis solemnia perficere poterit.

Vers. 24. Circvmdedervnt ergo evm Ivdæi.] *Non ex amore, aut ipsi benefaciendi studio, sed potiùs perdendi desiderio, quærentes occasionem ipsum traducendi.*

S. Avgvstinvs *Tract. 48. in Ioannem*, Non veritatem, *inquit*, desiderabant, sed calumniam præparabant. *Et in Psal. 117. explicans illa verba*, Circumdederunt me sicut apes, *sic habet:* Dominum Iesum, caput Ecclesiæ rectè accipimus circumdatum à persecutoribus suis. Circumdant apes fauum. Quid
Dum Iudæi Christum persequētes circumdāt, nobis dulcem faciūt. enim ab ignorantibus gestum sit, mysticâ subtilitate Spiritus sanctus loquitur. Mel quippe apes operantur in fauis: nescientes autem persecutores Domini, fecerunt eum nobis in passione dulcem, vt gustemus & videamus quàm suauis est Dominus.

Subdoli apibus & scorpionibus comparati. S. Gregorivs *Hom. 9 in cap. 2. Ezechielis*, Benè, *inquit*, per Psalmistam dicitur, Circumdederunt me sicut apes. Apes enim in ore mel habent, in aculeo
Psal. 117, 12. caudæ vulnus. Et omnes qui linguâ blandiuntur, sed latenter ex malitiâ feriunt, apes sunt: quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occultè feriendo vulnus inferunt. Ista verò facientes exardescunt sicut ignis in spinis; quia per flammas detrahentium non iustorum vitâ comburitur, sed si quæ in eis esse poterant, peccatorum spinæ concremantur. *Scorpionibus quoque similes comparat* Ibidem, *explicans illud Ezechielis 2.* Sermones eorum ne metuas, quia increduli & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas: Scorpio palpando incedit, sed caudâ ferit. Nec mordet à facie, sed à posterioribus nocet. Scorpiones sunt omnes blandi: & innoxij in facie videntur, sed post dorsum portant vnde venenum fundant. *Tales vtique erant Iudæi illi. Licet enim verbis vterentur blandis, dicentes,* Si tu es Christus, dic nobis palàm; *reuerà tamen verba illa oris illorum iniquitas erant & dolus, vtentes priùs dolo, vsuri posteà iniquitate. Nam, vt in aureâ Catenâ* Alcvinvs *ait*, cogitabant eum tradere potestati Præsidis ad puniendum, quasi contra Augustum imperium vsurparet. Quare Dominus ita temperauit responsionem, vt etiam calumniatorum ora concluderet, & quia Christus est fidelibus panderet, dicens, Oues meæ vocem meam audiunt.

Vbi nota, iustos oues vocari. vt colligas, specialem Dei erga illos prouidentiam esse similem illi quam habet pastor de ouibus suis: simulque nobis hîc Christus signum tradit, vnde colligere possimus an simus ex electis Dei, si nimirum vocem eius audiamus atque obseruemus, vti pulchrè

S. Barnardvs *Serm. 2. in Septuagesimâ*, Magna, *Signi prædestinationis est audire verbū Dei.*
inquit, mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Domini, Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Nec Ioan. 18, 37.
ignoro quod alio in loco Scriptura dicit: Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: sed multò aliter sunt ex eo, qui secundùm B. Ioannis Euange- Rom. 11, 36.
lium, non ex voluntate carnis nati sunt, sed ex Ioan. 1, 13.
Deo. Vnde & inuenies ab eodem Ioanne in Episto- 1. Ioan. 5, 18.
lâ suâ scriptum: Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio cælestis conseruat illum. Non peccat, inquit, hoc est, non permanet in peccato, quia conseruat illum, vtique vt perire non possit, ea quæ falli non potest generatio cælestis. Siue non peccat, id est, tantumdem est ac si non peccet, pro eo scilicet quòd non imputatur ei peccatum: generatio enim cælestis etiam in hac parte conseruat illum. Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere, Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? quis hæc, inquam, dicere potest? reclamante nimi-
rum Scripturâ: Nescit homo si sit dignus amore, Eccle. 9, 1.
an odio. Certitudinem vtique non habemus, sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam & indicia manifesta salutis, vt indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo
ea signa permanserint. Propter hoc inquam, quos Rom. 8, 29
præsciuit Deus, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt quibus certitudinem negat causa sollicitudinis, vel fiduciam præstet causa consolationis. Porrò inter ea quæ fiduciam præstant & materiam spei, vnum illud maximum est de quo nunc cœpimus loqui: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Nonnullos enim sic interdum audientes inuenies, ac si nihil omnino ad eos pertineant quæ dicuntur: Non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, ne fortè quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem si fortè sermo Dei viuus & efficax (qui suo, & non eius qui loquitur, arbitrio fertur quocūque voluerit) si inquam, manifestè aduersus vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant, & auertunt

oculos

oculos cordis, aut qualibet adinuentione pallíant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video, magis autem vereor, ne fortè propterea non sudiant verbū Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. *Quia ergo hi qui circumdederant Christum Iudæi non erant ex ipsius ouibus, non audiebant, neque cognoscebant vocem pastoris; quare etiam carebant ijs beneficijs quæ oues ipsius ab ipso accipiebant, scilicet peculiari illâ Dei prouidentiâ quâ oues suas prospicit, easque à luporum ac malorum omnium incursu defendit.* Hinc non peribunt in æternum; *quia, vti subiungit*, non rapiet eos quisquam de manu meâ.

S. AVGVSTINVS *Tractatu 48. in Ioannem:* Non peribunt in æternum: subaudis, tamquam eis diceret: Vos peribitis in æternum, quia non estis ex ouibus meis. Quid potest lupus? quid potest fur & latro? non perdunt nisi ad interitum prædestinatos.
2. Tim. 2, 19. De illis autem ouibus, de quibus dicit Apostolus, Nouit Dominus qui sunt eius; &, Quos præsciuit,
Rom. 8, 29 ipsos & prædestinauit: quos autem prædestinauit, ipsos & vocauit: quos autem vocauit, illos & iustificauit: quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit: de ouibus istis, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro ijs nouit quod dedit. Et hoc est quod ait, Non rapiet eas quisquam de manu meâ.

Nemo potest nos de manu Dei tollere, sed possumus propriâ voluntate excidere.

S. HIERONYMVS *lib. 2. in cap. 2. Oseæ:* Quæritur si rapiente & tollente & tenente Deo, nullus de manibus eius potest eripere, iuxta illud quod scriptum est: Nemo potest rapere de manu Patris mei, quomodo Iudas de manu Dei proditione sit raptus? Ad quod respondebimus, nullum posse rapere de manu Dei, posse autem eum qui tenetur, propriâ voluntate de manu Dei excidere. *Vnde sequitur, quòd qui nunc perit, culpâ suâ pereat, nec possit casum suum adscribere Deo non, cum Christus dicat:* Non rapiet eos quisquam de manu meâ; *si nimirum voluerint manere in manu meâ. Sibi itaque imputet qui gratiam Dei non quærit, imo reijcit & fugit, cùm tamen, vt ab Isaiâ dicitur cap. 59.* non sit abbreuiata manus Domini: *&, teste Apostolo ad Rom.* 8. diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. *Quem locum explicans*

Si Deus pro nobis quis contra nos.

ORIGENES *sic ait:* In tantum omnia cooperantur & collaborant his qui diligunt Deum, vt & ipse Spiritus adiuuet, ne dedignetur diuina natura dux esse itineris ad bonum. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quia si sic Deus pro nobis est, vt hæc cuncta nobis concesserit, id est quòd Spiritus Dei habitet in nobis, quòd Spiritu Dei agamur, quòd Spiritum deuotionis accepimus, quòd simus filij Dei & heredes, & coheredes Christi, quòd primitias Spiritus accepimus, quòd ipse interpellet pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & quòd vniuersa creatura nobis congemiscit & condolet; quòd nobis diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum, quòd secundùm propositum vocati sumus, & præcogniti, & prædestinati, & iustificati. Si hæc ergo cuncta nobis dedit, quis esse aduersum nos poterit? Non quò omnino neminem nobis dicat aduersarium; (quomodo enim stabit illud quod
1. Pet. 5, 8. dictum est à Petro, Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret?) sed hoc ostendit, quia Deo agente pro nobis, contemptibilis, & nihil efficitur aduersarius noster. Similiter autem & Dauid dicit: Dominus
Psal. 26, 1. illuminatio mea, & saluator meus, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Non ergo nullum dicit esse quem metuat, & qui aduersetur ei, sed Quamuis, inquit, appropient super me, vt edant carnes meas qui tribulant me inimici mei; tamen Domino defendente vitam meam, infirmati sunt, & ceciderunt. Quis accusabit Rom. 8, 33
aduersus electos Dei? Videtur mihi quod dicit, de diabolo dicere. Nullus enim ita electus, & ita magnus, quem ille non audeat accusare, nisi ille solus qui peccatum non fecit, qui dicebat hæc: Nunc venit princeps huius mundi, & in me nihil inuenit. Sed quamuis ille exerat nequitiam propositi sui, Deo iustificante, & delente sicut nubem iniquitatem electorum suorum, & sicut caliginem peccata eorum, & à prioribus delictis eos dealbante vt niuem, & sicut lanam candidam faciente; quid proficiet accusator? Sed & cùm Christus pro eis mortuus sit, immò potiùs à mortuis resurrexerit, & stet à dextris Patris, & interpellet pro his; quis eos poterit condemnare? In superioribus sanctus Spiritus interpellat pro nobis, inquit, gemitibus inenarrabilibus. Hic Christus Iesus, qui mortuus est & resurrexit, ipse interpellat pro nobis. Deus qui proprium Filium tradidit pro nobis, ipse iustificat electos, quis erit vltrà qui audeat condemnare? Sed diligentiùs intuere, quomodo Apostolus in sermonibus suis ab insitâ sibi cautelâ discedat? Non dixit, Quis accusabit aduersum vocatos, sed, Aduersum electos. Nisi enim fueris electus, nisi in omnibus te exhibueris probabilē Deo, habebis accusatorem.

Diabolus quomodo accuset vocatos, non autem electos.

Si enim causa tua mala est, si te crimen tuū astringit, quid tibi proderit aduocatus, etiamsi Iesus sit qui interpellat? Iesus enim veritas est, non potest ergo pro te veritas fallere. In quo tibi opitulabitur aduocatus? Ne accusatoris calumnijs inuolnaris, ne tibi præterita peccata, quæ tibi per Baptismum deleta sunt, imputentur. Si verò post hæc iterùm delinquas, nec vllis pœnitentiæ lacrymis deleas, accusatori tuo criminandi te materiam dabis. Et quamuis Iesus interpellet pro nobis, non potest tamen dicere Iesus, tenebras lucem esse, neque amarum dulce. Si ergo vis vincere quod iudicaris, fac quod de iusto scriptum est: Dispone sermones tuos Ps. 111, 5.
in iudicio: Præpara opera tua ad exitum, memento nouissimorum tuorum, & non peccabis. Concludit Eccl. 17, 40
ergo, Cùm Christus Iesus mortuus sit pro nobis, & sedeat ad dexterā Patris, & interpellet pro nobis, dæmonum accusationes eis nocere non poterunt.

Deo agente pro nobis nil potest diabolus.

VERS. 31. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum.

32. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?

33. Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemiâ: & quia tu homo cùm sis, facis teipsum Deum.

34. Respondit eis Iesus: Nónne scriptum est in lege vestrâ: "quia Ego dixi, "Psal. 81, 6
dij estis?

35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura:

36. quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum?

37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.

38. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.

39. Quærebant ergo eum apprehendere: & exiuit de manibus eorum.

40. Et abijt iterùm trans Iordanem, in eum locum, vbi erat Ioannes baptizans primùm: & mansit illic.

41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.

42. Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc vera erant. Et multi crediderunt in eum.

SANCTVS AVGVSTINVS *Tract. 48. in Ioannem:* Huc vsque Iudæi tolerare potuerũt. Audierunt, Ego & Pater vnum sumus, & non pertulerunt, & more suo duri ad lapides cucurrerunt. Tulerunt lapides vt lapidarent eum. *Quod facinus quidem terribile, multò tamen magis horrendum est, quòd qui eius nomine gloriantur, & à Christo Christiani dicuntur, nedum lapides leuant, sed & lapidant, immò, vt ait S. Paulus ad Heb. 10. Filium Dei pedibus conculcant, & Sanguinem testamenti pollutum ducunt, & Spiritui gratiæ contumeliam faciunt. Quare etiam eiusmodi Christianos grauiùs quàm Iudæos offendere, docet*

Peccata Christianorum quare grauiora sint peccatis Iudæorum.

IDEM *Tract. 4. in Ioannem dicens:* Offenderunt Iudæi in Christum tamquã in humilem lapidem: lapis enim ille adhuc paruus erat, iam quidem præcisus de monte sine manibus, sicut dicit Daniel c. 2. vidisse se lapidem. Sed quod sequitur, Et creuit, inquit, lapis ille, & factus est mons magnus, & impleuit vniuersam faciem terræ. Præcisus est lapis sine manibus, quia sine opere virili virgo peperit Christum. Iam ergo erat lapis ille ante oculos Iudæorum, sed humilis erat: quia nondum creuerat lapis ille, & impleuerat orbem terrarum: quod ostendit in regno suo, quod est Ecclesia, quæ impleuit totam faciem terræ. Quia ergo nondum creuerat, offenderunt in illum tamquam in lapidem. Sed ignoscendum est Iudæis, quia offenderunt in lapidem qui nondum creuerat: quales sunt illi qui in ipsum montem offenderunt? Cæci Iudæi non viderunt humilem lapidem: quanta cæcitas est non videre montem? *Sed vt Dominus aduertas potentiam ac mansuetudinem, non fugiens, nec se abscondens, sed in medio illorum qui lapides sustulerant, consistens, eorum suauiter loquendo insaniam compescuit, dicens:* Multa bona opera ostendi vobis, *&c. scilicet, mortuos suscitando, infirmos curando, prædicando, &c. In hoc autem Iudæorum facto considerandum est multos esse in sæculo homines, quibus si innumera bona contuleris, si aliquid feceris illis non gratum, aut dixeris quidpiam quod illos offendat, bona priora non referunt, sed contemnunt, vnius tantùm verbi aut facti minùs grati memores. Ingratitudinem itaque hic Iudæorum, narratis beneficijs, & consequenter etiam nostram, qui ipsis maiora accepimus, hic Christus arguit. Nostrã siquidem ipsorũ ingratitudinẽ superare ostendit disertè*

Vnica offensa delet memoriam beneficiorũ plurimorũ.

S. HIERONYMVS *explicans illa verba Michææ 6.* Popule meus, quid feci tibi, & quid molestus fui, responde mihi. Quid feci, *inquit*, tibi quod facere non debui? quid molestus fui? vel vt significantiùs in Hebraico scriptum est, Quo labore te pressi? An beneficia mea contumeliam interpretaberis, & pepones carnesque Ægyptias desiderans, dolebis te eductum de terrâ Ægypti, ac de domo seruitutis meo auxilio liberatum? quia dedi ductores tibi Moysen amicum meum, & Aaron sacerdotem meum, & Mariam prophetissam meam. Quòd si hoc tibi paruum videtur, recordare illius temporis, quando Balaac Rex Moab Balaam diuinum aduersum te mercede conduxit, & vide quomodo contra voluntatem suam, cupiens tibi maledicere, benedixerit: & hoc feci vt misericordiæ meæ noscerentur tibi, tantum te amantis, vt cùm ego quotidie ac blasphemantium maledicar, tibi ab inimico non permiserim maledici. Ab eo tempore quo fornicati estis in Madian, vsque ad tempus quo Saul apud Galgalam est vnctus in Regem, repetite memoriâ quæ mala operati estis, & quanta vobis bona fecerim, & meam in vos misericordiam cognoscetis. Hoc iuxta historiam. Nos autem qui cupimus reuelatâ facie gloriam Domini contemplari, audiamus, cùm peccauerimus, aduersum nos disputantem Dominum, & nos beneficiorum suorum magnitudine arguentem. Seruiuimus quippe aliquando Pharaoni, & Ægyptio populo, lutum & lateres fabricati sumus, & redemit nos, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, vt diceremus qui redempti eramus à Domino quos redemit de manu inimicorum, & quos de regionibus congregauit eos. Misit quoque ante faciem nostram Moysen spiritualem legem, & Aaron magnum sacerdotem signaculum sanctitatis in fronte habentem, quod Deus Pater signauit, & misit Mariam vaticinium Prophetarum; & non solùm hæc nobis præstitit, sed de inimicorum quoque vos manibus liberauit. Recordemur enim quid cogitauerit aduersum nos qui deuorare voluit, & nostram congregationem elingere, verus Balaac diabolus: non permisit nos Deus maledictis illius subiacere, sed è contrario benedixit nobis, rei ipsius veritate compulsus. *Cum itaque maiora nobis beneficia Deus præstiterit quàm Iudæis, nisi similiter maiora bonorum operum officia præstiterimus, potiori vtique ratione nobis ingratitudinem improperabit, præsertim si mala pro bonis reddiderimus, cùm dicere debuissemus quod S. Polycarpus, S. Ioannis Euangelistæ discipulus: qui cùm audiret quempiam in Christum conuitia iacientem, respondit: Octoginta annis seruio Christo, & nihil me læsit vmquam, quomodo possum maledicere Regi meo, qui vitam mihi donauit? ita Surius 26. Ianuarij ex Eusebio. Sed ecce impudens Iudæorum responsum.* De bono, *inquiunt*, opere nõ lapidamus te. *Dixerat Iesus in plurali,* Multa bona opera, *ipsi autem quasi extenuando ea, in singulari respondent*, De bono opere non lapidamus te. *Et qui Dei beneficia debuissent magni facere, & innumera reputare ac infinita, quasi vnicum recepissent beneficium illud recensent, quin imò pro nullo potius reputant. Nec id solùm, sed cùm Dominus grauissimum eorum vitium ingratitudinis argueret,*

Deus suam nos beneficia memorat, vt ad gratitudinem prouocet, & ingratitudinem arguat.

In Christia nos plura Deus beneficia contulit quàm in Iudæos.

Gal. 1. 4. 1. Tit. 2. 6. Psal. 106. 2.

Praui etiã sua scelera excusant specie boni

gueret, illud per calumniam & conuitium excusant, dicentes, blasphemum se velle lapidare, non beneficum. Tales etiamnum multi reperiuntur, qui cùm summâ iniuriâ sanctos ac iustos viros persequantur, existiment, aut saltem simulent se obsequium præstare Deo, Zeli iustitiæ pallio iniquitates suas obtegentes. At ne tantis quidem calumnijs prouocatus Christus quidquam asperius aut grauius reponit, sed vbique memor mansuetudinis, & vincens in bono malum, nullo signo indignationis exhibito modestißimè respondet, Si mihi non vultis credere, operibus credite. *Docens vtique, nos etiam Christianos ex operibus probandos esse, an simus verè filij Dei. Quare nisi opera Christi inueniantur in nobis, in vanum Christiani nomine gloriabimur, vti pulchrè ostendit*

Non solum nomen, sed opera Christi Christianum decent.

S. AVGVSTINVS *lib. de Vitâ Christianâ, sic scribens:* Ex sacramento vnctionis huius, & Christi, & Christianorum omnium nomen descendit. Quod nomen ille frustrà sortitur, qui Christum minimè imitatur. Quid enim tibi prodest vocari quod non es, & nomen tibi vsurpare alienum? Sed si Christianum te esse delectat, quæ Christi sunt gere, & meritò tibi Christiani nomen assume. Qui Christianus dicitur, Christum se habere Dominum profitetur; & verè habet, si ei in omnibus obsequatur & seruiat. Si quo minùs, Christi ille non famulus, sed subsannator est & derisor, qui se eius seruum dicit, cui seruire dissimulat. *Et infrà addit:* Non in hoc nobis quòd Christiani dicimur, blandiamur, sed propter hoc etiam iudicandos nos credamus, si nobis nomen frustrà vendicemus alienum. Quis tam vanus & miser est, qui aduocatum se, cùm litteras nesciat, audet profiteri. Quis tam insanus & excors, vt se profiteatur militem, qui nesciat arma gestare? Nemo enim quodcumque nomen sine causâ sortitur. Sutor vt dicatur, necesse est vt calceamenta conficiat; vt vocetur quis faber aut artifex, artis peritia facit. Huiusmodi exemplis cognoscimus omne nomen ab actu. Tu ergo quomodo Christianus diceris, in quo Christiani actus non apparent? Christianus, iustitiæ, bonitatis, integritatis, humilitatis, patientiæ, castitatis, prudentiæ, innocentiæ, pietatis est nomen: & tu illud tibi quomodo vendicas, cui de tam plurimis rebus nec pauca subsistunt? Christianus est ille, qui sanctus, innocens, incontaminatus, cuius in pectore malitia non habet locum, cuius in pectore sola pietas consistit, & bonitas, qui neminem nouit lædere, sed omnibus opem ferre exemplo Christi. Nam qui aliquẽ lædere aut nocere paratus est, ille mentitur se esse Christianũ, *&c. Vide ibidem plura.*

Quis verus Christianus

Benè & malè Christus apprehenditur.

IDEM *Tract. 48. in Ioan. ad Versum 39.* Quærebant ergo eum apprehendere; Vtinam, *inquit*, apprehenderent, sed credendo & intelligendo; non sæuiendo & occidendo. Nam modò, fratres mei, quando talia loquor, infirmus fortia, paruus magna, fragilis solida, & vox tamquam ex eadem massâ vnde sum & ego ipse qui vobis loquor, simul omnes apprehendere volumus Christum. Quid est apprehendere? Intellexisti, apprehendisti: sed non sic Iudæi. Tu apprehendisti vt habeas, illi apprehendere volebant vt non haberent. Et quia sic volebant apprehendere, quid eis fecit? Exijt de manibus eorum. Non eum apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt. Verbum caro factum est, sed non erat verbo magnum, eijcere carnem suam de manibus carnis. Mente verbum apprehendere, hoc est Christũ rectè apprehendere.

S. LVCÆ CAPVT XV.

1. ERANT autem appropinquantes ei publicani, & peccatores, vt audirent illum.

2. Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.

3. Et ait ad illos parabolam istam dicens.

4. [a] Quis ex vobis homo, qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? [a] Matth. 18. 12.

5. Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens:

6. & veniens domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat!

7. Dico vobis, quòd ita gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.

NYSSENVS de Pœnit.

1. VT ergo imitemur eam pascendi rationem, quâ Dominus vsus est, Euangelia cõtemplemur, ibique tamquam in speculo diligentiæ & benignitatis exemplum intuentes, eas perdiscamus. Illic enim in parabolis adumbratisque sermonibus video centum ouium hominem pastorem, qui, cùm earum vna à grege discessisset, & errabunda vagaretur, non mansit cum illis quæ seruantes ordinem pascebantur; sed ad eam requirendam profectus, multas valles saltusque superauit, magnos atque arduos montes transcendit, in solitudinibus peragrando multo cum labore tamdiu peruestigauit, donec errantem inuestigando inuenit. Inuentam autem non verberauit, nec vrgendo vehementiùs ad gregem compulit, sed humeris suis impositam, & leniter tractans, ad gregem gestauit, maiorem ex vnâ illâ inuentâ, quàm ex reliquarum multitudine, lætitiam percipiens. Rem obscuritate similitudinis obuolutam atque reconditam consideremus. Ouis hæc non ouem omnino, nec pastor ille planè pastorem, sed aliud quiddam significat. His exemplis sacræ res continentur. Nos enim

Ouis perdita, quæsita, inuenta.

Peccatores benignè tractandi.

com-

commonent, oe homines pro perditis ac desperatis habeamus, néve eos in periculis versantes negligamus, aut segnes simus ad ferendum auxilium, sed eos a rectâ viueodi ratione deflectentes, & errantes reducamus in viam, eorumque lætemur reditu, atque ipsos cum bene pieque viuentium multitudine coniungamus.

EVNOMIVS *Ouis perdita est genus humanum.*

2. Imitantes pastorem vniuersæ naturæ ratiooalis, qui grege illo supermundiali atque erroris experte in sublimibus illis pascuis relicto, ad ouem errantem, nostram dico oaturam, pro suâ benignitate descendit. Humana enim oatura ad vniuersum comparata, minima tantùm atque vltima pars esse censetur, quæ secundùm ænigma parabolæ naturæ rationalis pars centesima, malitiâ sua aberrans, à Deo procul vagabatur, nec per se ipsa ad sublimem illum atque cęlestem chorum ascendere valebat.

ECCLESIASTICVS. *Christus nō pellem solùm, sed ouem assumpsit.*

3. Non enim ampliùs pars gregis erat ouis quæ perierat; sed postquam tota perijt, tota reducitur: nec tantùm eius pellis gestatur, ipsa verò relinquitur, vti vult Apollinarius, sed in humeros ipsius pastoris, hoc est ab ipsius Domini nostri Diuinitate assumitur vnum quid cum ipso per assumptionem facta, neque iam ampliùs proprijs suis, quibus semel errauit, pedibus mouetur, sed ab ipsâ diuinâ naturâ gestatur. Quamobrem id quod apparet quidem ouis est homo, sed vestigia eius, iuxta Scripturam, ooo cognoscuntur.

ANEPIGR. *Christus & ouis & pastor.*

4. Igitur pastor ille qui in humeros suos inuentam ouem suscepit, & per illam nobis illuxit, & ouis simul est & pastor. In re assumptâ quidem ouis, pastor verò io assumente. Cùm itaque oporteat booum pastorem animam suam ponere pro ouibus suis, vt morte propriâ mortem destrueret; vtrumque factus est, & Sacerdos scilicet, & agnus: in eo autem quod pœnæ passionisque capax erat, mortem confecit.

ANNOTATIONES.

VERS. 2. ET MVRMVRABANT PHARISÆI.] Hine, *inquit* S. GREGORIVS *Hom. 24. in Euangelia*, colligitur, quia vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem. Quamuis & iusti soleant rectè peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typho superbiæ, aliud quod zelo disciplinæ: quia iusti etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem seruant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt, quod agentes, per disciplioam subditos, & per bumilitatem custodiuot semetipsos. At contrà hi qui de falsâ iustitiâ superbira solent, ceteros quosque despiciunt, nullâ infirmantibus misericordiâ condescendunt: & quò sa peccatores esse non credũt, eò deteriùs peccatores fiunt, de qootum numero Pharisæi erant, qui diiudicantes Dominuom quòd peccatores susciperet, arenti corde ipsum fontem misericordiæ reprehendebant; sed quia ægri erant, ita vt ægros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, cælestis Medicus blandis eos fomentis curat.

Veri & falsi pastoris differentia.

VERS. 4. ET VADIT AO ILLAM QVÆ PERIERAT, DONEC INVENIAT EAM.] S CHRYSOSTOMVS *in illud Pauli ad Philippenses 3.* Comprehensus sum à Christo Iesu; Eram, *inquit*, ex perditorum numero; damergebar, peteundum mibi omnino erat: comprehendit me, ac tenuit Deus. Nam & ipse nos sectatus est fugientes ipsum magno cum studio, propterea hæc omnia illi accepta refert. His enim verbis, Comprehensus sum, & studium Dei demonstrauit nos comprehendere voleotis, & nostrum longinquum recessum atque aberrationem, nosque omoioo ab illo fugisse ostendit. *Vide eumdem fusè ac pulchrè ibidem in Morali Hom. 11. Simile est illud* CLEMENTIS ALEXANDRINI *in Exhortatione ad Gentes, vbi ait:* Deus enim ex multâ benignitate atque clementiâ homioem retinet & complectitur, sicut eùm pullus è nido excidit, mater auis è nido aduolat. Si qoando autem serpens pullo deuoraturus inhiet, mater circumooiat, natos charissima pignora deflens. Deus autem Pater & suum quærit figmentum, & ei quod lapsum est medetur, & feram persequitur, & pullum rursus in nidum recipit, vt rursux aduolet incitans. *Pulchrè etiam* AVGVSTINVS *Serm 54. de Verbis Domini*, Fogientis, *inquit*, dorsa persequitur, qui faciem redeuntis illuminat. *Vide ibidem plura, & apud S. Bernardum Serm. 74. in Cantica. Scitè autē* S. AVGVSTINVS *in Psal.* 118. Propter ouem, *inquit*, perditam, pastor eius nonaginta nouem dimisit io montibus, & eam quærens, Iudaicis laceratus est vepribus, *&c. Pulchrè etiam, vti in omnibus, S. Dionysius Dei benignitatem in peccatores bonitatemque deprædicans, in Epistolâ ad Demophilum,* Quid verò, *inquit*, quòd cum ijs etiam qui ipsum deserunt amanter hæret, contendit, & rogat ipse, magisque se curaturom pollicetur; eis cùm adhuc absunt, rameo accedentibus occurrit, atque obuiā prodit, totusque rotos complexus osculatur: nec priora exprobrat, sed præsenti [conuersione] contentus festum diem agit, conuocat amicos, id est bonos, vt sit omoium lætantium habitatio. *Hinc collige, Christi optimi pastoris zelum, quem per hanc parabolam indicat, tantum esse, vt videlicet si essent solùm centum homines, quorum vnus dumtaxat errasset, ipse nonaginta nouem relicturus esset, vt illum vnicum quæreret, cuius pulchra ibidem extat visio S. Carpi apud S. Dionysium epistolâ citatâ ad Demophilum.*

Christi in perditis hominibus quærendis diligentia.

VERS. 5. ET CVM INVENERIT EAM, IMPONIT IN HVMEROS SVOS GAVDENS.] *Olim, vt ex Tertulliano lib. de Pudicitiâ cap. 7. & 10. colligitur, in ipso augustissimi Sacramenti calice, pastor pingebatur, humeris ouem gestans. Verba eius sunt ista:* A parabolis licebit incipias, vbi est ouis perdita à Domino requisita, & humeris eius reuecta. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in ipsis perlucebit interpretatio pecudis illius, verúmne Christiano an ethnico peccatori de restitutione conliniet. *& cap.* 10. Cui ille si fortè patrocinabitur pastor, quem in calice depingis, *&c.* de quo nihil libètiùs bibas quàm ouem pœnitentię secundæ. *Picturâ vtique ista Christus designabatur, sacerdotesque sui officij, reliqui verò Christiani diuinæ misericordiæ commonebantur. Vide fusiùs hac de re Baronium Tom. 2. Annalium ad annum*

Imago Christi in formâ pastoris ouem humero gestātis, quid significet.

num Christi CCXVI. *vbi ex Isidoro Pelusiotâ docet, pallium Pontificale indumentum, ouem indicare quam pastor humeris tulit.* ISIDORVS *autem hac de re Epistolâ* 136. *Hermino Comiti scribit his verbis*: Id autem amiculum quod sacerdos homeris gestat, atque ex lanâ, & non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus oberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligenter animum attende. Nam cùm ipse verus pastor per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tum demum Episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipsum, pastoralis artis ducem ac Deum & herum adesse significans.

Quantum gaudium sit de peccatore conuerso.

VERS. 7. ITA GAVDIVM ERIT IN CÆLO SVPER VNO PECCATORE POENITENTIAM AGENTE.] *Nam, vt* NAZIANZENVS *in Oratione in Sancta lumina ait,* nullâ re perinde Deus delectatur, vt hominis emẽdatione ac salute, pro quâ omnis sermo est atque mysterium. *Caussam autem cur præ iustis de conuersis peccatoribus lætentur Beati, hanc tradit* GREGORIVS *Hom. 34. in Euang. dicens*: Plus autem de conuersis peccatoribus quam de stantibus iustis in cælo gaudium esse fatetur: quia plerumque hi, qui nullis se oppressos peccatorũ molibus sciunt, stant quidem in viâ iustitiæ, sed tamen ad cælestem patriã anxiè non anhelant, & plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia securi sibi sunt quòd nulla commiserint mala grauiora. At contrà, nonnumquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti ad amorem Dei inardescunt. Et quia errasse se à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus recompensant. Maius ergo gaudium fit in cælo: quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm eum qui numquam terga præbuit, & numquam aliquid fortiter fecit. Sic agricola illam ampliùs terram amat, quæ post spinas vberes fruges profert, quàm eam quæ numquam spinas habuit, & numquam fertilem messem producit. Sed inter hoc sciendum est, quia sunt plerique iusti, in quorum vitâ tantum est gaudium, vt eis quælibet peccatorum pœnitentia præponi nullatenus possit. Hinc ergo colligendum, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iustus, si facit in cælo gaudiũ quando hoc quod malè gessit per pœnitentiam damnat iniustus. *S. autem* CYPRIANVS *lib. de Duplici martyrio,* Nec tamen, *inquit*, hoc ita accipiendum est, quasi Deo & eius Angelis gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quàm contrà lapsum perseuerare in innocentiâ: sed Scriptura suo modo loquitur secundùm affectus humanos, illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse peccatorum conuersionem. *& infra*, Præterea, *inquit*, non hîc loquitur de verè iustis, sed de iustitiâ Pharisaicâ: sicut illud, Non veni vocare iustos, sed peccatores. *q. d. maius est gaudium de vnius peccatoris verâ pœnitentiâ, quàm de vestrâ præsumptâ iustitiâ.*

VERS. 8. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligentèr, donec inueniat?

9. Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam, quam perdideram?

10. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente.

5. FACTA est autem rei perditæ inquisitio, muliere lucernâ accendente. Reperimur etiam nos à Dei & Patris sapientiâ, quæ est Filius, illuminante nos lumine diuino, & rationali sole iustitiæ oriente, dieque (vti scriptum est) illucescente. CYRILLVS

6. Omnis enim creatura Dei pulchra est, nec vlla reijcienda; & cuncta quæ fecerat Deus, erant valdè bona. Sed vbi ad eum quem diximus modum, vitij quædam quasi lues vitam hominum infecit, & flagitijs in homine ex minimis initijs in immensum effusis, diuina etiam omnis animi pulchritudo è primigeniâ expressa, velut ferrum quoddam, peccati veneno deatrata est; non iam porrò insitæ ac natiuæ imaginis gratiam tueri potuit, sed ad flagitij deformatus est fœditatem. Et quod accidit ijs qui in cœnum illapsi, facie totâ limo oblitâ, ne à familiaribus quidem agnoscuntur: eodem modo in peccati sordes præcipitatus, cùm imaginem incorrupti Dei amisit, tum illam peccati contaminatam ac cœnosam induit: quæ, vt ratio suadet, deponenda est, & velut aquâ abluenda, vt terrestri quasi velo detracto, rursum animi pulchritudo se prodat (est autem rei extraneæ depositio, reditus ad id quod naturale atque insitum est:) cuius compos fieri non potest, qui non is iterùm fiat qualis ab initio creatus fuit. Non enim nostrum aut humanæ opus industriæ est, similitudo cum Numine; sed diuinæ munificentiæ, sui similitudinem naturæ nostræ iam à primâ origine largientis. Sordes verò sibi per malitiam contractas expurgare, animique demersam pulchritudinem illustrare, studij est humani, illudque in amissâ drachmâ inuestigandâ Dominum innuere existimo. Neque enim vt omnes adsint, vsum vllum esse ceterarum virtutum, quas drachmas appellat, viduo animo hac vnâ destituto. Quare primùm lucernam accendi iubet, rationem fortasse notans, quæ occulta illustret. Tum domi suæ, id est in seipso, amissam drachmam quærere. Per drachmam autem quæ quæritur, Regiam proculdubiò designat imaginem, quæ non omnino amissa sit, sed fimo abdita. Fimus verò, meâ quidem sententiâ,

NYSSENVS de Virgin. cap. 12.

Homo per peccatum deformatus

Amissa drachma quid, & quomodo quærenda sit.

tentiâ, accipiendæ sunt corporis sordes, quibus vitæ accuratione euersis atque expurgatis, quod quærimus se prodit, vt meritò etiam gaudendum sit animo qui reperer:t, & vicinæ ad congratulationem conuocandæ. Reuerà enim omnes contubernales animi potentiæ, quas nunc vicinas nominat, vbi detecta fuerit ac reluxerit imago hęc magni Regis, (quam inde ab exordio drachmæ nostræ inseruit qui corda nostra ad vnũ finxit) se ad factũ illud gaudium lætitiamque conueitent in inexplicabilem rei inuentæ pulchritudinẽ intentæ. Congratulamini, enim inquit, mihi quia inueni drachmam, quam perdideram. Ceterùm vicinæ, id est, domesticæ animi potentiæ, cùm ratio atque appetitus, tum iræ dolorisque affectiones, & si quæ aliæ animi potentiæ intelliguntur, diuinâ illâ drachmâ inuentâ lætæ, quoniam meritò amicæ creduntur, eas etiam omnes in Domino gaudere par est, quòd vnà omnes in id quod pulchrum atque bonum est intueantur, omniaque sua ad Dei gloriam faciant, nec ampliùs sint arma peccati. Si itaque illa sit ratio inueniendi eius quod quærimus, vt diuinam illam quæ carnis sordibus demersa est, imaginem, tamquam postliminiò in integrũ restituamus, tales efficiamur, qualis in primâ suâ vitâ primus parens noster extitit. At qualis tandem erat? Nondum mortuis pellibus amictus, Dei faciem intrepidè cernens, nondum gustu visuque pulchrum diiudicans, sed solum Deum in delicijs habens.

Idem de Pœnit. 7. Drachmam Euangelicam quam acceperas, & quâ diues effectus fueras, ignauiâ tuâ perdidisti: pœnitentiæ lucernam accende: inclina te diligenter. Illam gazam in terrenis affectionibus defossam conquire, inuentam tolle atque conserua, vt nos vicini gratulemur, & eo gaudio afficiamur quod est in Christo.

Macar. Hom. 11. 8. Quemadmodum Israëlitæ aurea vasa in ignem coniecerunt, & emersit idolum: sic nunc puras & bonas cogitationes tradidit homo malitiæ, quæ peccati lùto obrutæ, idolum factæ sunt, atque anima diuinâ lucernâ opus habet, Spiritu videlicet sancto, qui splẽdido illo iustitię Sole obtenebraram domum illustret. Illic enim vidua quæ drachmam perdiderat lucernam primùm accendit, deinde domum emundauit, atque ita drachma reperta est, sordibus & impurâ terrâ obruta. Et etiamnum anima proprias à se ipsâ cogitationes inuestigare, easve discernere non valet. Sed vbi diuina lucerna accensa fuerit, illuminat domum tenebris obsitâ, tumque suas cogitationes quomodo impuritate & peccati cœno obrutæ sint videt. Oritur sol, tumque anima suum perspicit interitum, cogitationesque sordibus squaloreque pern.ixtas incipit reuocare. Anima enim quæ mandatum Dei trãsgressa est, suam perdidit imaginem.

Lucerna priùs accendẽda, & deinde drachma quærenda.

ANNOTATIONES.

Vers. 8 VEL QVÆ MVLIER DRACHMAS HABENS DECEM, &c.] S. CHRYSOSTOMVS *tom 7. fol.* 418. *Græcæ editionis Anglicanæ sic explicat:* Hæc (mulier) est Dei sapientia, quæ habet decem drachmas, videlicet Angelos, Archangelos, Principatus, Potestates, Virtutes, Thronos, Dominationes, Cherubim, Seraphim, & Adamum protoplasten. Hanc Adami drachmam, diaboli malitiâ contemptam, & in profundum huius vitæ detractam, & multiplicibus peccatorum voluptatibus obrutam, adueniens Dei sapientia reperit. Quomodo reperit, dilecti? Venit de cælo, allumit testaceã corporis lucernam, accommodat illam luci Diuinitatis, imponit eam candelabro crucis, quærit drachmam, in aulam atque Angelorum gregi ipsam aggregat. *Tomo autem* 2. CHRYSOSTOMVS *inter Homilias in S. Lucã, quæ Græcè non extant, & an eius sint meritò suspectæ sunt,* Hominem, *inquit*, drachmam nominat, propter monetam & Regis similitudinem: figuraliter nimirum in drachmâ, quod pecuniæ genus est, hominem significans, quòd illi tamquam nummo, imago & inscriptio Regis cælestis insculpta sit. Quærit ergo drachmam accensâ lucernâ mulier, & mundatâ domo inuenit: hoc est, homo illuminans verbo & misericordiâ Dei gloriam naturæ suæ in quâ ad imaginem creatoris sui factus est, quam obscuratâ peccatis domo cordis, in tenebris erroris amiserat, emundatis sensibus reperit, & gaudio gaudet, quòd omnem munditiam interioris aulæ studijs disciplinæ spiritalis absterserit, & contractas animæ de rebus & curis sæcularibus sordes, orationibus & increpationibus expurgatas discusserit.

Explicatio mystica mulieris, drachmam quærentis.

VERS. 11. Ait autem: Homo quidam habuit duos filios.

12. Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit. Et diuisit illis substantiam.

Cyrillus 9. SVNT qui per duos filios, sanctos Angelos, & homines qui in terris vitam degunt, designatos existimant. Et quidem per senioris personam, Angelorum ordinem; per lasciuum autem & prodigũ adolescentem, humanum genus denotatum volunt. Non desunt tamen, qui per seniorem filium Israelem secundùm carnem; per iuniorem verò, qui & voluptuariam vitam delegit, & à patre discessit, Gentium populum insinuatum contendant. De his opinionibus liberum cuique iudicium esto, probet quisque studiosus quod vero affinius iudicat: mihi interim neutra opinionũ probatur. Si enim Angelis senioris filij personam tribuamus, repe-

Parabola de patre & duobus filijs.

reperiemus ipsum non fuisse visum sermone sanctis Angelis conuenieute, neque sic affectum, vt illi erga peccatorum ad pœnitentiam conuersionem; cùm ipsemet Dominus & Saluator omnium dicat, gaudium esse coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

10. Si quis autem per seniorem & morigerum filium, Israelem, qui secundum carnem est, significari dixerit, illi quoque consentire minimè possumus, eò quòd mores Israeli inculpatos, vitamque irreprehensibilem accommodet. Constat enim, Israelitas per vniuersam ferè Scripturam diuinitus inspiratam, veluti desertores & incredulos perstringi. Ad illos enim per vocem Ieremiæ
Iere.2,5. Prophetæ dictum est: Quid inuenerunt Patres vestri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt? Consonat his quod per
Isa.29,13. vocem Isaiæ Prophetæ dixit Deus: Appropinquate mihi. Populus iste ore suo & labijs suis honorant me, cor autem eorum longè abest à me. Frustrà autem colunt me, docentes hominum præcepta atque doctrinas. Quomodo ergo ijs adeò à Deo reiectis accommodet illas parabolæ voces, quæ de genuino & morigero filio dictæ sunt?

11. Deinde quomodo moriger ac genuinus filius, qui sapiens iuxtà ac prudens erat, & in honore constitutus, cui etiam nonnulli sanctorum Angelorum personam tribuunt, ob vitulum occisum irâ doloréve commotus fuerit? Neque enim vllus omnino inter Angelos, Virtutesque cælestes est aut fuit vmquam, qui Christi secundùm carnem pro nobis occisi mortem inuideret; quin potius gauisi sunt sacrosancto eius Sanguine, videntes homines redemptos esse.

12. Viuunt enim quidam præstantissimam atque optimam vitam. Alius verò infirmatur, & omni vitiorum genere seductus deprauatur, qui in ipso senio sæpenumerò ad Deum conuertitur, & præcedentium delictorum veniam petit, virtutis iam amator factus. Vel forsitan extremum diem claudere debens, sacro Baptismate potitus, hoc diluit, reatus Domino miserante: vnde nonnulli interdum illi indignantur, & dicunt: Hic homo cùm hæc & illa commiserit & dixerit, non soluit iudici supplicia, nec debitas dat vitæ transactæ pœnas, quin imò tam illustri dignatus est gratiâ, vt ipsis Dei filijs adscriptus, & beatorum sit gloriâ honoratus. Hæc quidem aliquando despuunt ex importunâ pusillanimitate, non attendentes mentem ac scopum patris vniuersorum, qui salute pereuntium gaudet, eosque reducit, ac pristinæ restituit dignitati libertate donatos, stolamque primam adferri iubet, ijsque annulum in manus tradit, quæ sunt libertatis insignia, & conuenientia amico Dei ornamenta.

13. Vnus est pater duorum fratrum, iustorum scilicet & peccatorum. Quorum primus ordo est iustorum, ab initio iustitiam sequentium; secundus est hominum per pœnitentiam ad iustitiam reductorum. ANTIGRAPHVS.

14. Posuit autem exemplum duorum filiorum, insinuans per hoc iustos & iniustos. Ab initio enim Saluator de pœnitentiâ peccatorum sermonem instituit, qui tametsi ab ipso desciscamus, non tamen suam subtrahit misericordiam, sed Conuertimini, inquit, ad me filij, qui recessistis, & reuertar ad vos. TITVS. Ier.3,14.

15. Senior enim ex consuetudine communi dicitur, qui inordinatam egressus ætatem in statu iam est senili. Ita si quis inconstanti sit mente ac ratione, viuatque dissolutè, haudquaquam talis senior est, tametsi canus appareat, sed adhuc iuuenis est. NYSSENVS

16. Et quemadmodum in parabolâ non erat voluntas patris vt filius sese iret perditum, & volentem à patre discedere atque dicentem, Da mihi portionem substantiæ; non retinuit aut impediuit: ita etiam Deus non cupiebat Adamum deperire, volentemque mandatū transgredi, ac propriam portionem, hoc est mentem voluntatemque dilapidare ac perdere, noluit prohibere, quòd illi propriam voluntatem liberumque arbitrium dedisset: nam ab initio Deus hominem creauit liberum, vt quidquid vellet ageret.

VERS. 13. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam, viuendo luxuriosè.

17. LONGE facta est anima peccatoris à Deo factore suo, eiaculata est per peccatum, & longè facta est à conditore. Hæc verba enim, Peregrè profectus est, non quasi de loco in locum migrantit accipe, sed mente à Deo discesserit. Deus enim procul est ab ijs qui non quærunt eum. TITVS in Lucæ c.15. Peccator longè recedit à Deo.

18. Peccator igitur fugit Deum, tametsi sectetur illum. Et hoc est quod ait Scriptura, Fugit impius nemine persequente. Atque Apostolus quidem cursum suum dirigebat, vt propè ad illum accederet, peccator verò fugit, vt procul ab eo discedat. Nónne hæc digna lamentis? an non hæc digna lacrymis? Quò fugis infelix & miser? quò fugis à vitâ & salute tua? Si à Deo fugias, ad quem confugies? si à luce fugias, quo respicies? si à vitâ CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Philip. c. 3. Pro. 28, 1.

 fugias,

fugias, vnde posthac viues? fugias hostem salutis tuæ. Cùm peccamus, à Deo fugimus; fugitiuorum more erramus, ad terram abscedimus alienam, quemadmodum ille qui comederat paterna bona, & abierat in terram alienam, qui totum patrimonium consumpserat, atque in fame viuebat. Habemus & nos patrimonium. Cuiusmodi vero hoc? à peccatis nos liberauit, vires nobis ad virtutis munia obeunda donauit, patientiam, alacritatem, & in Baptismo Spiritum sanctum. Si hæc absumpserimus, fame posthac laborabimus. Absumpserunt autem, qui ad nullum illis vtuntur emolumentum.

ANNOTATIONES.

NVM. 19 PECCATOR igitur fugit Deum.] *Quomodo autem Deum fugiat, pulchrè explicat ibidem in Moral. Hom. 11. in Epist. ad Philippenses.* Ac ne putes ironicè isthæc à me dici. Nam quemadmodum ante Christi aduentum à Deo fugiebamus, ita nunc ab ipso fugimus. Possumus enim fugere à Deo, non quidem loco (nam vbique est) sed operibus. Etenim loco abeo discedi non posse, audi Prophetam Ps. 138, 7. dicentem: Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam? Quomodo ergo possumus à Deo fugere? eodem modo quemadmodum possumus à Deo proficisci ac elongari. Qui se elongant, inquit, Ps. 72, 27. à te, peribunt. & rursus: Nónne iniquitates vestræ diuiserunt inter me & vos? Quomodo igitur fit ista longinqua discessio, & quomodo intercedit interuallum? electione & animo.

BASILIVS in Isa c. 3. 19. Verùm ne simus iuuenes prudentiâ, sed senectutis characterem exhibeamus morum constantiâ. Pro. 10, 19. Gloria siquidem seniorum canities. *Canities sensuũ melior quam capillorum.* Sicubi tamen senilis sensus & prudentia in ętate iuuenili comperiatur, donum hoc haudquaquam est aspernandum: imò Sap. 4, 9. fides habenda est ei qui dicit, Canities est autem prudentia in hominibus. Ea enim prudentiæ sensuumque senectus ampliorem meretur laudem, quàm illa quæ propter senilem tantùm consistentiam ad crinium candorem peruenit. Si quis enim ad exemplum sapientis illius Danielis fuerit, corpore quidem iuuenculus, sensu verò canus; vtique istius canities illorum præferenda est, qui in flagitiosæ ac petulantis vitæ proposito consenescentes, canitiem tãtùm corporis ostentant, Dan. 13, 52 quemadmodum seniores illi in Babylone, inueterati dierum malorum: quare & ad Danielem adhuc puerũ, donum presbyterij transierat. Sic etiam Abraham propter animum suum virtute canum senior appellatur. *Vitia iuuentutis.* Simili quoque modo improbatur qui prudentiâ iuuenis est: leuis enim iuuẽtus est, & in malum procliuis: concupiscentiæ effrenatæ, iræ ferinæ, petulantiæ, iniuriæ, iactantiæ, inflationes, collactaneæ iuuentutis passiones sunt: inuidia erga superiores, despectio erga familiares, & millium examen malorum, iuuentuti copulatum est. Verùm non ætate iuuenis culpatur, sed qui iunior est moribus.

20. Verùm iam Euangelium scrutemur, ASTERIVS & quod in eo est mysterium cõtemplemur. *Explicatio Parabola.* Parabola Patrem vocat Deum, quippe rerum omnium conditorem, filios maiorem natu & minorem, homines duos. Illum quidem datam gratiam & hereditatem conseruantem, & nequaquã Ecclesiam, nec communionem venerãdorum Sacramentorum propter vitæ luxuriam respuentem; hunc verò iuuenili quodam more hæc omnia contemnentem, ideoque à vero Patre digressum, & data munera dissipantem, vt luxuriosi consueuerunt. Portio substantiæ, quam iunior filius hîc à Patre petit, fortè est Baptismus, & participatio sacrosancti Corporis Dominici: etenim multi iuuenes hæc petunt & accipiunt, sed qui mentem habent senilem, donũ hoc omni diligentiâ custodiunt. Ex æquo enim omnes partem accipiunt, sed accipientium pro cuiusq; studio discrimen, diuersitatem quoque donorum maiorum vel minorum efficit, vel omnino dissipat & consumit, vt prodigus. Per hanc quidem portionem parabola indicat rationem, libertatem, & quidquid nobis Deus dedit, vti creationem, legem, Prophetas, &c. In longinquam verò regionem proficisci, est à Dei donis & præceptis longè discedere. Sic dissipauit & Adam substantiam, & omnem felicitatem paternam amisit, & expulsus regione bonis abundante. Noxium fuit iuniori à patre discedere. Dilapidationem enim prodigam, & luxuriam, & colloquia mores corrumpentia, parentis oculus pellit atque eijcit. Cùm autem iuuenis sui fit iuris, nec vllus adest timor, nec pudor (qui duo fortes sunt lasciuientis iuuentutis custodes) tunc tandem omnia pessum eunt, & sursum deorsum vertuntur.

21. Negligebat quidem Deum adolescen- NYSSENVS tior filius, quamdiu apud ipsum erat; nihil tamen perditè agebat, iuxta illud Psalmi, Prouidebam Dominum in conspectu meo Psal. 15, 8. semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear. Sed vbi propriâ libertate desciuit à timore Dei, ab eoque procul recessit, tum pessima quæque & patrat & patitur, diuinaque dona dilapidat atque profundit, virtutis integritatem in varias iniquitate suâ partes discerpens.

22. Qui autem tales homines *ἀσώτους* id CÆSARIVS est prodigos appellarunt, benè mihi vi- Prodig. l. 1. cap. 1. dentur eorum finem significasse, vt qui eos *ἀσώστους*, hoc est à salute alienos, per elisionem elemẽti intellexerint. Sufficientia enim

sani-

sanitatem corporis præstat, victus autem superfluus homini multùm nocet. Animam quidem segnem reddit, corpus verò in morbum procliue; nonnumquam conciliat & mortem. Hæc liguritionis, ingluuiei, edacitatis, voracitatis, insatiabilitatisque sunt præmia. Muscę quoque ijs nominibus aptissimè respondent, & viuerræ, & adulatores, & gladiatores, & immane genus parasitorum: ventris voluptate hi quidem rationem, illi verò amicitiam, alij autem vitam ipsam vendunt. Super ventrem serpunt, belluæ hominibus similes, ad imaginem patris sui, edacis voracisque belluæ. Est autem *ἀσωτία* siue prodigalitas, mediocritatis & liberalitatis excessus, sicut parcitas defectus. Vtraque, vti & mediocritatis, transgressio vituperatur.

Ex crapulâ quæ mala.

Titvs.

23. Hinc luxuriosus ille prodigus peregrè procul à Deo & virtute proficiscitur, & malè consumit substantiam. At qualem illam? rectam rationem, temperantiam, honestas disciplinas, cognitionem veritatis, memoriam Patris, sensum formationis suæ. Non enim ampliùs rectum pietatis officium mente versabat, non Domini oracula quæ probatiora sunt argento, non aurum splendidissimum, splendescentem notitiam veritatis; non lapides pretiosos, virtutes & rectè facta. Nihil enim habebat boni, sed omnia dilapidauerat.

VERS. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illâ, & ipse cœpit egere.

Titvs. Amos 8, 11. Fames spiritalis.

24. EMITTAM famem super terram, non famem panum, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Domini. Quomodo enim omnium virtutum cimelio dilapidato, talis prodigum fames non inuaderet? Temperantiæ enim, continentiæ, cognitionis, reliquarumque virtutum iacturam eiusmodi famem consequi necesse est.

Basilivs in Isaiam, cap. 10.

25. Nobis cauendum est occultum illud ieiunium, quod & Dominus iusto suo iudicio prædicatur odio prosequi, & Propheta deprecatur dicens, Non interficiet Dominus animam iusti fame. Tale est & illud: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Eiusmodi igitur ieiunia se odisse protestatur Dominus, eorum scilicet qui mentem suam ad maciem tabemque perducunt, penuriâ salutiferę & viuificantis doctrinæ. Qui enim coenuenientia animæ subtrahunt alimenta, moriuntur inediâ; quique salutaribus in vitam æternam salientibus aquis minimè refocillantur, siti extinguuntur. Vera siquidem mors animis non tam oritur ex fame panis, aut siti aquæ, quàm ex non audiendo verba Domini. Non enim in solo pane viuit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei. Propterea filij sponsi, dum cum illis est sponsus, ieiunare nequeunt, quia fames eorum sitisque extinguitur. Ne itaq; fame pereamus, quæramus cælestem panem: & ne siti tabescamus, quæramus aquam de quâ dixit Dominus, Si quis biberit ex aquâ quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

Prou. 10, 3. Psal. 36, 25. Matt. 4, 4. Ioan. 4, 14.

Chrysost. de Prodigo.

26. Quare autem natu iunior patrem vt illis substantiæ partem distribueret rogauit, reque petitâ potitus, abusus est? Ænigma est quod proponitur: & quomodo, audi. Ab initio iustitia erat in mundo atque elucescebat: peccatum verò, instar iunioris cuiusdam filij subingressum est atque irrepsit. Propterea primogenitus non constituitur in regione prodigi, malè sua dilapidantis. Nam prima creatio perfectum continebat decorem, vti Moyses testatur, dicens, Quoniam omnia erant bona valde. Vetera igitur erant bona. Deinde verò peccatum irrepsit, & pulchritudo obsuscata est. Cur autem ex æquo ipsis vitam diuisit? quia videlicet iusti in præsenti vitâ nihil amplius habent iniustis. Solem enim suum oriri facit omnibus, & ex æquo pluit super iustos & iniustos.

Homo Dei donis abusus. Gen. 1, 31. Mat. 5, 45.

27. Sed quomodo substantiam dilapidauit? In eam quam acceperat creaturam peccatum induxit. Solem accepit in suum vsum, & donum vt Deum adorauit. Accepit fontes ad delicias, & munus Deum reputauit. Ipsemet munerarius ignorabatur, atque eius dona colebantur. Vna quidem erat possessio, atque eadem paterna substantia; sed ille quidem benè illâ vtebatur, ex pulchritudine creaturæ creatorem cognoscens: & illam quidem admirabatur, sed adorationem creatori reseruabat, iuxta illud Sapientiæ: Sol illuminans in altissimis Domini, vas admirabile, opus Excelsi illuminat cælum, magnus Dominus qui fecit illum. Ecce & opus laudauit, & conditorem non tacuit. Impiùs verò creaturas vidit, visisque adhæsit, & illa pro dijs habuit.

Eccli. 26, al. 43, 5, 9.

Cyrillvs in Psalmos. Diabolus suos filios quis pascit.

28. Ex æquo siquidem omnibus creator fortis instar naturæ ad bonum habilitatem concessit. Sed alij quidem donum conseruarunt, diuinis obsequentes legibus, & oraculis talibus rationibus quasi manuducti. Alij verò semel supernâ mansuetudine, & temperantiâ charitateque priuati, in maximâ fuerunt optimarum rerum egestate, & cibi loco habuerunt mendaces Græcorum fabulationes, quæ per siliquas intelliguntur: quibus paululum quidem inest dulcedinis, & nutrimenti parum, siccitatis verò multum. Pasce-

bat enim illos satanas mendacijs Græcorum, & stultâ eorumdem sermonis suauitate. Illorum enim explicationes atque doctrinæ nil præter fabulas & anilia deliramenta & sermonis elegantiam continent: estque mundi huius sapientia, propter dictionis benesonantiam, æs sonans, & cymbalum tinniens.

29. Nutriebantur igitur olim Græcis scriptis, quæ nihil ad rectam ex virtute morum informationem adiuuare poterant. Verùm vbi Deum inquisiuerunt, & ex longo errore ad mentem redierunt, tamquam mortui quidem reuixerunt, tamquam perditi verò inuenti sunt. Nam adhuc errantium, & naturalem Deum ignorantium, mens quasi mortua ac sordibus infecta, mortuisque operibus dedita est, qualia sunt desideria carnis; reuertentium autem ad Deum, & veritatem cognoscentium, atque Christi viuificantem gratiam adeptorum, mens iam non est mortua, sed potiùs corde viuunt: quia & studijs ad vitam conducentibus incumbunt, & mortuis operibus abstinent, & ad vitam iam æternam anhelant, in futuro inquam sæculo dandam per Christum credentibus in illum.

CHRYSOST. 30. Postquam filius prodigus (quisquis ille fuerit) omnia sibi ad salutem assequendam concessa dilapidauerat, fames ingens regionem illam inuasit. Vbi enim nec spica temperantiæ, neque vua cognitionis excolitur, neque reliquarum semina virtutum iaciuntur, ibi valida omnino fames existit.

VERS. 15. Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.

ASTERIVS 31. ISTIVS verò regionis à Deo semotæ atque sepositæ, incola est diabolus. Etenim peccatorum ciuitas ciuem habet & gubernatorem diabolum, vndique cogentem prodigos, & in vnam ciuitatem compingentẽ, & incitãtem illos ad actiones turpes & fnibus dignas. Nam agit gregem porcorum ritu viuentium, non autem pastor est ouium ratione vtentium quemadmodum Dominus, qui animam suam posuit pro ouibus suis. Magister igitur porcorum mittit miserum iuuenem ad pascendos porcos.

Ciuitas diaboli, de quâ & diuus Aug. de Ciuitate Dei.

Ioan.10,11

TITVS. 32. Nihil subulco contumeliosius. Nam qui Deum derelinquit, subulcus efficitur, à dæmonibus delusus. Porci enim ob impuritatem in contumelijs recensentur, simul atque Legio ille qui in Euangelio à Domino eijciebatur, petebat vt sibi in porcos ingredi liceret: quod ei Dominus concessit, cùm vt incolæ istius regionis pœnas darent, quòd Domini præsentiam non æquis animis tulissent; tum etiam vt ostenderet, porcos, vel potiùs porcinâ indole homines, & ad terram conuersos, atque in peccatorum passionibus volutantes, dæmonum amicos esse. Quisquis igitur porcus est, dæmonum fit hospitium. Cum autem porcum dico, non speciem sed mores attende: sicut cùm aliquem viperam appello, de moribus intelligo. Et animal non accuso, sed mores reprehendo, vt cùm furacem, lupum moribus nomino; sic etiam quando porcum audis, non bestiam, sed mores cogita. In cœno volutatur, amat immunditiam, fœtore delectatur. Homo igitur, qui passionum fœtore ac sordibus gaudet, non quidem naturâ porcus fit, sed affectu moribusque porcinis. Talis erat prodigus, quem errantem, & in malitiâ progressum facientem, & sibi adhærentem, suumque iam factum, diabolus in animarum corruptricem agrum misit, vt ibi tamquam impuritatis ac nequitiæ magister alios ijsdem imbueret. Hoc enim est porcos pascere.

Dæmonis ministri subulci.

VERS. 16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat.

33. MVNDEMVR itaque, ne idem nobis accidat quod prodigo illi, qui, vt in parabola est, postquam paternas opes in terrâ alienâ dissipasset, supernorum bonorum penuriâ laborauit, & cælestis doctrinæ cibis destitutus pænè fame consumptus, porcorum siliquis saturari desiderabat, sed fluxa illum voluptas deseruit, & in summâ egestate fuit. CYRIL.

VERS. 17. In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo!

34. SIC & prodigus dum ratione non regeretur, sui compos non erat. Sed vbi secum cœpit cogitare quisnam esset, & in quantam miseriam incidisset, tum ad se rediit. Hic nos Christus ad pœnitentiam inducit, eiusque viuum nobis exemplar depingit, quomodo scilicet minor natu filius, nobili olim loco natus (Dei enim figmentum est homo, & ab auctore suo nobilitatem habet,) consilio destitutus ac mente captus, eò contumeliæ deuenerit, vt diabolus ipso ad quidlibet abuteretur, & anteà liberum tyrannicè subiugarit, omnique spurcitie inuolutum seduxerit; hæc enim reuersio & ad mentem reditus innuunt. Vt cùm quis longum iter ingressus, præcipitia deinde conspiciens & loca inuia & inaccessa, secum dicit, TITVS.

Quò

Quò proficiscor? vt quid progredior? hæc via non est, terminum non habet, ad præcipitia ducit, paludes & maria, & vnde venerat reuertitur. Tentatus enim anteà rebus pessimis, instar ebrij cuiusdam à crapulâ euigilantis, & iam ieiuni, rerum optimarum desiderio in se reuersus est, (nec ille tantùm, verùm etiam omnes nos pœnitentiâ Christum cognouimus) & dixit secum: Quanti mercenarij in domo patris mei, qui non sunt naturâ filij, quia mercede conducti. Inducit igitur in figurâ parabolæ illos qui propter mercedem Deo seruiunt. Quotusquisque enim in temperantiâ, in vigilijs, in ieiunijs, in orationibus alijsque virturum generibus sese exerceret, nisi denariū, id est regnum cælorum, propter Regis imaginem sic dictum, speraret? Quanti, igitur inquit, mercenarij in domo patris mei abundant panibus! Non dixit, vino, carnibus & gallinis, alijsque eius generis cibis; sed panibus, vt videlicet vnicum illum significet maximè nutritiuum.

VERS. 18. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cælum, & coram te:

19. iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.

20. Et surgens venit ad patrem suum.

MAXIMVS. *Differentia serui, mercenarij & filij.* 35. VIDE autem hîc differentias & tres saluandorum ordines innui, videlicet incipientes, proficientes, & perfectos: qui sunt fideles, & probi, & contemplatiui, per seruos, mercenarios, & filios designati. Nam serui sunt fideles illi, qui metu pœnarum ac minis adacti, Domini præcepta custodiunt, fidei opera exercentes. Mercenarij verò, qui bonorum promissorum desiderio ac spe, eum patientiâ, diei pondus atque æstum sustinent, id est insitam atque coniunctâ mortali huic vitæ ex primi parentis delicto tribulationem, & contra virtutem tentationes tolerant, vitam vitæ, futuram scilicet præsenti prudenter liberâ mente conferentes, & illam huic præponentes. Filij verò sunt, qui neque minarum timore, neque promissionum desiderio, sed insitâ sibi ad bonum propensione, Deo continuò adhærentes, numquam ab illo animi affectu aut carnalibus desiderijs decesserunt, quemadmodum fru-
Luc. 15, 31 gi ille filius qui audire meruit, Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. quod fit per continuam cum Deo in charitate vnionem, cuius Deus & auctor & causa creditur.
BASIL. in Asceticis. 36. Simplicitet autem secundùm tres affectuum differentias necessitatem obedientiæ imponi perspicio: aut enim metuentes supplicia, declinamus à malo, & sumus affectu seruili; aut ex mercede lucra venantes, cõpendij nostri causà exequimur quæ mandantur, atque in hoc mercenarijs assimilamur: aut ipsius gratiâ boni & dilectionis ad eum qui dedit legem, gaudentes quòd digni habiti sumus, qui tam illustri ac bono Deo seruiremus, atque ita in filiorum sorte sumus. Qui igitur cum timore præcepta exequitur, & socordiæ desidiæque supplicium ante oculos habet; non quidem vnum mandatum sic faciet, vt alterum contemnat, sed in omni obedientiæ actu vltionis formidinem sibi propositam habebit. Quamobrem etiam beatus vocabitur, quòd omnia vereatur propter pietatem, stabitque firmus in veritate, potens dicere: Prouidebā Dominum Psal 15, 8. in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear; vtpote qui nihil eorum quę facere oportebat contempserit. Et, Beatus vir qui timet Dominum, quo- Psal. 111, 1 niam in mandatis eius volet nimis. Igitur non potest dici de timentibus Dominum, quòd mandata Dei aut transgrediantur aut negligant. Sed nec mercenarius præceptorum aliquod violare volet. Quomodo enim operæ in vineâ collocatæ mercedem referat, nisi omnia priùs pacta conuenta compleuerit? Si enim in vno necessariorum deficienti, reliqua nihil prosunt; quis igitur damno adhuc existente, mercedem soluet ei qui sibi damnum dedit? Tertius ordo est ex amore Deo seruientium. Quis ergo filius vnicum patris beneplacitum sibi scopi instar præfixum habens, cùm in maximis ipsum exhilaret, in minimis contristabit?

37. Quemadmodum enim ijs qui labo- CHRYSOSTOMVS ad Rom. c. 6. Hom. 10. rant, cùm morbus non ingrauescit, tum initium fit sanitatis, ita etiam in ipsâ vitiositate contingit, in ipsa vlteriùs ne processeris, & iam tibi malitia finem habuerit. Quantò enim quotidie maiores progressus feceris, eò viam faciliorem offendes, ac tandem in ipso fastigio constitutus, simul multorum bonorum fructum decerpes. Quandoquidem & tum cùm prodigus ille reuersus fuit, & citharæ, & chori, & largitiones, & publici conuentus extiterint: ac qui pro perditâ impensâ, pro tam longâ peregrinatione, à filio pœnas exposcere debebat, vsque adeò nihil horum fecerit, vt & illum, tamquam famâ fuisset incolumi, conspexerit, ac ne verbo quidem quidquam illi exprobrauerit, atque adeò ne leuiter quidem res illi præteritas in memoriam redigere sustinuerit, sed & illum complexus atque exosculatus vitulum mactauerit, stolam induerit, multo ornatu composuerit. Talia igitur exempla nobis

proponentes, bono animo simus, nihil prorsus desperantes. Non enim sic ille lætatur cùm Dominus, vt cùm pater audit; neque cùm seruum, vt cùm filium habet, atque adeò hoc mauult quàm illud.

NYSSENVS de Pœnit. 38. Abijt prodigus in regionem longinquam; largiens scilicet virtutem, profectus est paternæ substantiæ dimidium absumens, dum sublimem illam doctrinam ad humilem & porcinum sensum trahit, scortis & impudicis voluptatibus dementatus atque delusus. Tandem verò aliquando iterùm reuersus est ad diuitem illam mensam, in quà Domini mercenarij supersubstantiali pane plurimo abundant ac nutriuntur. Mercenarij autem sunt omnes illi, qui adhuc in spe Domini vineam excolunt.

TITVS. Resurrectionis varia acceptio in Scripturâ. 39. Resurgens enim è cathedrâ voluptatum, à casu peccati, reuersus est per viam pœnitentiæ ad patrem suum. Hoc autem surrectionis nomine multifariàm Scriptura vsa est. Surrectio enim ponitur pro declara-
Exod 1, 8. tione & constitutione, vt illud, Surrexit interea Rex qui ignorabat Ioseph. Item pro
Ioã. 11, 23. concursu animæ & corporis, vt illud, Resurget frater tuus, Pro Christo quoque qui cau-
Ibid. v. 25. sat resurrectionem, Ego sum resurrectio. Pro
4. Reg. 20, 12 reditu ad sanitatem è morbo, vt illud, Audiuit Berodach quòd surrexerat Ezechias. Pro
Deut. 25, 5. productione ex nihilo, vt, Suscitare semen
Iud. 16, 3. fratri suo. Pro euigilatione è somno, vt, Surrexit Sampson mediâ nocte. Pro pœniten-
Ier. 8, 4. tiâ, & peccatorum emendatione, Numquid qui cadit non resurget? Pro exaltatione ex
Psal. 112, 7 humili, vt, Suscitans à terrâ inopem. Pro lon-
Psal. 7, 7. ganimitatis depositione, vt, Exurge Domine Deus meus, exaltetur manus tua. Pro impulsiuâ naturæ rationalis motione, vt illud Iere-
Ier. 49. 28. miæ, Surge & ascẽde ad Cedar, & vasta filios Orientis. Et ante omnia pro resipiscentiâ ex
Luc. 15, 18 torpore aut desperatione, vt hîc, Surgens ibo ad patrem meum. Depositâ enim desperatione, animo non despondit, sed à lapsu se erexit, atque è malis expediuit, & pœnitẽtiâ ductus reditum non neglexit; sed resumptis animis, iter in patriam ducens ingressus est.

VERS 20. Cùm autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.

CHRYSOSTOMVS Hom 10. in Epist. ad Rom. 40. O Rem admirabilẽ! Sensit pater pœnitentiã, non expectauit recipere confessionis verba, sed præuenit petitionem misericorditer agens, secundùm illud, Adhuc
Isa. 52, 6. ipso loquente dicam, Ecce adsum. Videns igitur filium à longè venientem, occurrit illi. Ecce vt benignitas Dei ipsam expectet & præueniat pœnitentiam.

TITVS. Deus quomodo respiciat peccatores. 41. Sed quomodo illum adhuc procul distantem pater conspexit? nouerat quippe Deus eum pœnitentiam acturum. Nam cernebat eius cogitationes & motiones primas: fortassis etiam necdum de eâ cogitabat, & videbat Deus paulò pòst futuram in ipso pœnitentiam; & antequam ille excitaretur, surrexit, & cecidit super collum eius. Hoc enim facit Deus, & pœnitentem animam amplectitur, & ineffabili tactu beat, (cuius mulier illa hæmorrhoïssa desiderio flagrabat, vti & illa quæ erat [in ciuitate] peccatrix, diuinæ doctrinæ & cognitionis odore refici cupientes) vt patris nimirum sui suauissimum odorem præsentiens, porcorum fœtorem fugeret.

VERS. 21. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cęlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.

TITVS. Quid sit in cælum peccare. 42. IDCIRCÒ reuersus dixit, Pater, peccaui in cælum & coram te. Derelinquendo enim cælestia, peccaui in ea, præferens ipsis voluptatem contemptibilem, & præeligens cælesti patriæ meæ, regionem famis. Quemadmodum enim, vt exempli gratiâ dicam, in aurum peccare dicitur, qui illi plumbum præfert: ita in cælum peccat, qui illi terrena præponit.

CHRYSOSTOMVS. 43. Quid igitur pater? Ad filium quidem sermonem non dirigit, nec quidquam ei respondit, sed ad ministros ait ea quę ait. Quid sibi vult hoc ænigma? Qui pœnitet, multum orat; sed responsum verbo non accipit, misericordiam verò in effectu intuetur. Nostra siquidem pœnitentia verbis exprimitur, Dei verò benignitas & misericordia rebus ipsis impenditur.

NYSSENVS de Pœnit. 44. Hæc figura pœnitentium est, hæc sunt illorum verba. Nos autem verbis quidem pœnitentiam pollicemur, factis verò nihil studij laborisque præstamus, sed eâdem viuendi consuetudine vtimur, quâ priùs quàm peccata confitendo detestaremur, vtebamur. Eadem in vultu hilaritas, idem in corporis cultu victuque splendor. Somno ad satietatem vsque indulgemus, negotijs & occupationibus animo sedulitatis obliuionem inijcimus, pœnitentiæ nomen inane dumtaxat, & nullis expressum factis retinemus. Quid enim aliud est pœnitentia, nisi dissolutio & euersio præteritorũ, quæ vel re vel cogitatione sunt admissa? Quid sit pœnitentia. Qui verò cognitâ pœnitentiæ vtilitate adhuc in flagitiorum & impietatis cœno volutatur, similis est illi seruo, qui dominum sibi iratum sciens, in eius conspectu scelerate

se

se gerit, peccatumque duplicat. Confide igitur illi qui te in Deo genuit: audacter ostende illi quæ sunt recondita, animi arcana derege; ip se & honoris & valetudinis tuæ rationem habebit.

VERS. 22. Dixit autem Pater ad servos suos:

Titvs. 45. AD sanctos videlicet Angelos, qui sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem
Hebr. 1, 14 capiunt salutis; quibus intercedentibus sanctificamur. Vel etiam ad sacerdotes.

VERS. 22. Citò proferte stolam primam, & induite illum.

Titvs. 46. QVÆ est stola hæc prima quam perdiderat à patre discedens? fides, veritatisque cognitio, adoptatio & per Baptisma regeneratio.

Asterivs 47. Prima itaque stola est non ipsum Baptisma, (non enim quis secundum Baptisma
Stola pœnitentiæ. potest suscipere) sed gratia Dei quam in Baptismo singuli accipiunt. Nam pro lauacro regenerationis, regeneratio datur à Deo per pœnitentiam, quæ maculas nostras lachrymis eluens, rursum mundos & puros reddit. Vel si volueris, stolâ induitur, non nouâ, sed primâ quâ priuatus fuerat per inobedientiam simul & gustationem fructus prohibiti, nudum se conspiciens.

Macarivs. 48. Nam Dominus animæ lapsum explicaturus parabolam protulit de filio prodigo qui vixerat luxuriosè, prauis spirituum nequitiæ passionibus obsequens; in comessationibus & compotationibus vitam traducens. Fames autem, quæ deinde subsecuta est, ad memoriam illi paternæ domus refricandam conduxit, vti etiam ad reditum ad cælestem Patrem maturandum, qui vt animam reuertentem ac pœnitentem, atque ad se in veritate accedentem videt, statim suscipit, traditque illi stolam luminis Christi, & annulum signaturæ Spiritus sancti. Quin & mactatur insignis vitulus saginatus, Christus nempe in carne passus. Quamdiu autem anima prodigè luxuriosèque à nequitiæ spiritibus seducta viuit, cum ijsque, prauis passionibus indulgens, fornicatur, in peccato viuens mortua est, & perdita cælesti Patri. Vbi verò denuò illius recordata fuerit, & ad ipsum conuersa, gaudium fit coram Angelis Dei, recipitque stolam gloriosam luminis Christi, atque sancto & cælesti Spiritu consignatur, sicque iterùm spiritalem vnà cum Patre cælesti vitam agit; qui illam in timore, amore & reuerentia reuertentem adeò benignè excipit atque complectitur, vt de præteritis eius delictis iam non cogitet.

VERS. 22. Et date annulum in manum eius.

49. DATVR prodigo post stolam & annulus, signum intelligibilis signaculi Spiritus. Sicut enim in regeneratione per Baptismum & stola & signaculum doni Spiritus sancti datur, sic & in regeneratione per pœnitentiam. Asterivs.

50. Vel fortassis annulus digito insertus, per signum eius palæ insculptum, diuinæ imaginis ac similitudinis resumptionem significat. Ita vt duplex sit significatio, videlicet omnem qui à peccato cõuertitur, debere habere in manu, seu operatiuâ virtute, signaculum fidei, vt demonstrare queat quòd recreatus sit ad imaginem eius qui se condidit. Vel aliter, vt annulus hic detur tamquam arrhabo Spiritus, & pignus bonorum in cælo recipiendorum. Nyssenvs. Annulus quid significet.

51. Date ergo illi, inquit, annulum, hoc est fidei signaculum, contra diabolum: sine signaculo enim non potest habere fidem instar stolæ. Habe itaque & annulum, hoc est signaculum quo signeris. Titvs.

VERS. 22. Et calceamenta in pedes eius.

52. VT serpentes & scorpiones, hoc est contrarias virtutes intrepidè proterat, & calceet pedes in præparationem Euangelij pacis. Titvs.

53. Adducuntur enim calcei, vt audeat caput serpentis conculcare. Tu enim, inquit, obseruabis caput eius, ille tuum calcaneum: ad vtrumque enim calceamenta vtilia sunt, cùm ad conculcandum serpentis caput, tum vt pes læsionis iniuriam effugiat. Asterivs.

54. Propterea namque pedes calceis munit, ne nudo calcaneo serpentis capiti appropinquans, ab illo mordeatur. Nyssenvs.

VERS. 23. Et adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.

55. PAPÆ, quantus circa prodigum concursus, quantum studium & cura! Hinc prima fidei stola, animarum rectè in Ecclesiâ instructarum ornamentum profertur. Inde manui annulus inseritur, fidei sigillo consignatus. Aliunde verò securitatis calcei adferuntur, vt secundùm Deum gressus eius dirigantur. Vbique signa lætitiæ, chorus, vitulus, concentus, & cetera, exceptâ tantùm fratris zelotypiâ. Nyssenvs.

56. Sed quis vitulus ille saginatus? Christus vtique, qui & immaculatus agnus peccata mundi tollens immolatur atque comeditur. Cyrillvs.

Nam & communem animalium naturam, & pecuinam indutus carnem (tametsi illam diuino fulgore repleuerit) vitulus rectè intelligitur, legis quidem peccati iugum nesciens, saginatus autem, quando in mundi restaurationem mysterii incarnationis præfinitum fuit, atque ipsemet Christus ad victimam datus, cuius participes fiunt, quotquot à peccatis resurgunt.

NYSSENVS 57. Nam peccantes & non pœnitentes, sacrorum arcanorum participatione ab eorumdem dispensatoribus excluduntur, admissis ad sacrosanctam Communionem ijs, qui per pœnitentiam peccatorum sordes expurgarunt, multi ab hac sacrâ communicatione segregati, illam vti rem parui pretij contemnunt. Verùm qui Regiæ primùm mensæ particeps, deinde ob honorem illum repudiatum, eiectus esset, quo pretio amissam ille Regis amicitiam redimere, & ad mensæ societatem admitti rursus desideraret, quænam ostia non pulsaret, rogans, obsecrans, gemens & ingemiscens, vitam ipsam vitæ expertem existimans vultus deiectione, summum mœrorem tristitiamque præ se ferens, omnium rerum obliuiscens, donec damnum tantum restaurasset? Et quis sublimi illo honore priuatus, dignam pœnitentis animi exhibuerit humilitatem, vt Patri & seruis eius, qui sunt Angeli & Sacerdotes, lætitiæ causam præbeat? Nam gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, & fideles inde lætantur.

GEOMETRA. 58. Si oportuerit locum hunc sublimiùs contemplari, auspicemur sermonem, vt cibum qui comedentem nutrit, & potum qui bibentem exhilarat. Vinum enim, vti scriptum est, lętitiæ & hilaritatis est principium.

VERS. 24. Quia hic filius meus mortuus fuerat & reuixit; perierat, & inuentus est. Et cœperunt epulari.

MACAR. Hom. 15. *Adam per peccatum quid perdiderit.* 59. ADAM transgressus mandatum, duobus modis perijt: vno quidem, quia perdidit puram illam ac speciosam naturæ suæ possessionem secundùm imaginem & similitudinem Dei conditam; altero verò, quòd perdidit ipsam imaginem, per quam acceperat promissionem totius hereditatis cælestis. Perinde ac si moneta, imagine Regis insignita, adulteretur, non aurum solùm petit, sed imago etiam nullius est pretij: tale quidpiam euenit Adæ, cui ingentes diuitiæ, & magna hereditas præparata erat. Perinde ac si sit prædium amplum, illudque multos habeat reditus, in quo sit vinea fructuosa, illicque sint fertiles agri, greges, aurum & argentum: ita vas Adæ ante inobedientiam erat tamquam prædium quoddam pretiosum; verùm vbi prauis commentis & cogitationibus se inuoluit, perijt à Deo. Non tamen dicimus quòd totus perierit, & extinctus ac mortuus sit: à conspectu Dei quidem mortuus est, suâ autem naturâ viuit. Ecce enim vniuersus mundus ambulat in terrâ, & negotiatur; verùm oculus Dei ipsam mentem ac cogitationes perspicit, & velut circumspicit ac despicit, nec cum eis vllam societatem init, quia nihil cogitant quod gratum sit Deo. Perinde ac si sint diuersoria ac lupanaria, & loca vbi omnia incompositis moribus ac intemperanter geruntur: postea si Religiosi homines transeant, nónne execrantur? & videntes non vident? (sunt enim illis quasi mortua:) sic Deus auersos à verbo ac mandato suo circumspicit quidem, attamen despicit eos, nec cum eis vllum commercium habet, nec requiescit Dominus in cogitationibus illorum, sed mortui illi sunt ac perditi, resipiscentes verò rursus vitâ eius viuent.

60. Vt autem hæc clariùs explicemus; varij sunt mortis modi, quemadmodum suprà demonstrauimus, vbi egimus de illo cui patrem sepelire minimè permissum est. Etenim alius est corporis, alius animæ. Alius fit studio emendationis, alius denique fit in Baptismate. Atque harum quidem mortificationum duarum alteram Dauid beatâ prædicat, cùm ait: Beati quorum remissa sunt peccata. Alteram Paulus admiratur, scribens, Qui Christi sunt, ij carnem crucifixerunt. Ex duabus autem illis quas paulò antè vno veluti iugo copulauimus, alteram quidem contemnendam ait Christus, dicens, Nolite timere ab ijs qui corpus occidunt; alteram verò timendam [scilicet animæ.] Itaque hac morte euitatâ, illam mortificationem amplectamur, quam & beatam & admirabilem diximus, vt aliarum duarum alteram euitemus, alterâ non extimescamus. Nihil enim nobis profuerit, solem intueri, comedere, bibere, nisi vita bonis operibus constans adsuerit. CHRYSOSTOMVS Rom. c. 6. Hom. 1. Psal. 31. 2. Gal. 5. 24. Matth. 10. 28.

VERS. 25. Erat autē filius eius senior in agro: & cùm veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum:

26. & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent.

27. Isque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit.

28. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum.

29. At

29. At ille respondens, dixit patri suo: Ecce tot annis seruio tibi, & numquam mandatum tuum præteriui, & numquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis epularer:

30. sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit,

31. occidisti illi vitulum saginatum.

32. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt:

32. epulari & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

CHRYSOSTOMVS in Matth. c. 9. Hom. 56. Nulla in [illegible]

61. QVOD autem hîc quæritur est tale: Quomodo senior filius qui placebat patri, inuidentiæ passione correptus fuerit, conturbatus alienis bonis, quòd nimirum prodigum fratrem maiori quàm se honore affectum cerneret, vt ipsemet probus filius testatur. Quid igitur dicendum? Non est certè inter sanctos qui talia de talibus rebus iure contendat, verùm etiam aliena bona existimant propria. Quâ ergo de causâ figuratâ hac oratione vsus est? Parabolam dixit. Non oportet autem singula parabolæ verba curiosè expendere & inuestigare, sed satis est, si scopum propter quem proponitur perspectum habeamus, nihil vlteriùs anxio conatu inuestigando. Cur igitur hæc parabola composita est, & quid illa intendit insinuare? videlicet peccatores, si spem non abijciant, sed conuertantur, magnis præmijs afficiendos esse. Quapropter inducit alios tantis illorum bonis offensos, non vt ostendat illos inuidentiæ tabe correptos; absit: sed vt significet eos tantum honorem consequi, vt ijs qui pœnitentiâ non indigeot, inuidiâ quodammodò mouere queat. Quin & apud nos aliquid eiusmodi receptum est, vt cùm dicimus, En iste vel ille, quòd tanto honore te cumulauerim, me incusauit; non quòd hunc vel illum inuidiæ insimulemus, aut quouis modo calumniemur, verùm vt doni, quod obuenit, magnitudinem per hoc exprimamus.

TITVS. 62. Maior, inquit, natu filius, veniens ex agro. Tamquam agricola agriculturæ insistebat, non terræ, sed animæ agrum fodiens, & arbores salutis inserens, scilicet virtutes. Quemadmodum enim agricultura corporalis corpus alit, ita & animæ mentem facit florescere.

ANEPIGRAPHVS. 63. Filius temperans in hoc mundo tamquam in agro carnem instar terræ arat & subigit, vt metat in exultatione, & panibus saturetur.

64. Quid autem per hoc significatur, quòd dicat probus filius numquam adhuc sibi datum esse hœdum? An fortè quòd semper in laboribus existentem despexerit? neque peccatorem filium sibi molestiam adferentem neci tradiderit, vt parum quiesceret, nunc autẽ sine labore comessatorem seruet?

MAXIMVS 65. Vel fortasse meliùs per hœdum, peccatum intelligatur, & ad malum inclinatio. quasi dicat: Pater, numquam permisisti me vel leuiter peccare, neque aliquod voluptatis opus perpetrare, sed me asperam virtutis semitam ingredi fecisti, nec vllâ adhuc consolatione affecisti. Tertiò denique & veriùs, q.d. Fratrem prodigum reuersum maiori quàm me, qui tibi semper seruiui, honore affecisti: nam totus scopus parabolæ erat propter Pharisæos obmurmurantes, quòd publicanos & meretrices Christus susciperet. Iunior itaque filius erant publicani & meretrices, senior verò Pharisæi, qui ex suppositione iusti præsumuntur, quibus Dominus sic ait: Esto, vos sitis vere iusti, nullumq; transgressi mandatum: non oportet igitur assumi eos qui à peccatis conuertuntur? Igitur parabola docet, non contemnendos peccatores. dictaque est, vt reprehenderentur Pharisæi Christum criminantes, propter beneuolentiam publicanis præstitam.

BASILIVS. 66. Stabat pater, & filij ab errore reditum exspectabat, ipsum absoluit, & procul adhuc existenti occurrens cecidit super collum eius, & amicis osculis excepit per pœnitentiam iam purgatum, eumque primâ stolâ induit, veterem nunc hominem exutum cum operibus suis; & dedit annulum in manus mortis sanguine ablutas, & calceauit pedes reuertentis à viâ iniquitatis, ad decurrendam viam Euangelij pacis: & lætitiæ gaudijque diem indixit omnibus tam Angelis quàm hominibus, atque omnibus modis eius salutem celebrat. Amen, enim inquit, dico vobis, quoniam gaudium erit in cælo coram Angelis Dei, super vno peccatore pœnitentiam agente. Et si quis adstantium indignari videatur quòd tam citò & facilè recipiaris; ipse te pater defendet dicens: Epulari & gaudere oportebat, quia filius hic meus mortuus erat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

TITVS. 67. Imitare etiam in hoc prodigum, quòd semel ad patrem reuersus ab eo numquam ampliùs recesserit, sed continuò apud ipsum immotus permanserit: illamque gesta tantùm stolam, quam ipse tibi dedit, nec alios sectare sensus, aut opiniones: quod enim præter veritatem scitur, error potiùs est quàm sciẽtia. Habe & annulum, id est signaculum

culum contra diabolum, & calceos ne serpens te lædat, & in terram prosternat. Post pœnitentiam pietatem amplectere. Euangelicam habes exultationem, in illâ permane, donisque fruere. Comede vitulum pro te occisum, & spiritualiter epulare, qui, mortuus cùm esses, per illius mortem ac resurrectionem reuixisti.

CHRYSOST. in Epist. ad Corinth. Hom. 21. — Mat. 6, 14. — Dan 14, 24 — *Remissionis peccatorum consequendæ varij modi* — Luc 18, 3.

68. Christus multas nobis salutis vias aperit. Nam & si proximo iram remiseris, remittentur tibi delicta. Nam si remiseritis, inquit, hominibus, remittet etiam vobis Pater vester cælestis: & si dederis eleëmosynam, condonabit tibi peccata. Iniquitates tuas, inquit, eleëmosynis redime. Et si diligenter oraueris, remissionem consequêris. Hoc vidua illa ostendit, quæ crudelem Iudicem precibus flexit. Et si peccata tua accusaueris, habes cōsolationem. Dic enim tu iniquitates tuas primus vt iustificeris. Et si dolore propter illas afficiaris, hoc quoq; maximum tibi erit remedium. Vidi enim, inquit, quòd doluit, & quòd abijt tristis, & sanaui vias eius: & si quid mali passus, fortiter id tuleris, totum exuisti. Nam hoc quoque diuiti illi dicebat Abraham: Quia recepit Lazarus mala in vitâ suâ, & hic consolatur. Et si viduæ fueris misertus, abluuntur peccata tua. Iudicate, enim inquit, populo, & iustificate viduam; & venite, arguamur, dicit Dominus. Et si fuerint peccata vestra quasi phœniceum, sicut niuem dealbabo: neque enim vllam vulnerum cicatricem apparere permittit. Sed etsi venerimus in illud profundum malorum, in quod incidit qui paternis facultatibus dilapidatis, filiquis vescebatur, & pœnitentiam egerimus, omnes salui erimus. Et si decem millia talenta debuerimus, & prociderimus, neque iniuriarum meminerimus, omnia nobis dimittentur. Et si aberrauerimus, vt ouis quæ gregem suum dereliquit, inde nos Deus reuocabit: velimus modò, charissimi, benignus est Deus, & in eo qui patrimonium consumpserat, solo reditu, & in oue solâ vt portaretur voluntate contentus fuit. Cùm igitur benignitatis eius magnitudinem intelligamus, hîc eum nobis reddamus propitium, ne cùm hinc migrabimus, inexcusabiles vltimum subeamus supplicium. Etsi enim vehementiori illic ducamur pœnitentiâ, nihil nobis proderit: sed & frustrà tunc flebimus, vti fecit diues ille, lamentans quidem & eiulans, sed temerè & frustrà, quandoquidem neglexerat tempus quo hæc facere oportebat.

Luc. 16, 25 — Isa. 1, 17. — Mat. 18, 29 — *Pœnitentia non prodest post mortem.*

ANNOTATIONES.

Scopus parabolæ filij prodigi.

NOTA *primò, scopum huius parabolæ esse, vt ostendat, quantum bonum & gaudium sit in cælo de peccatorum conuersione: ac consequenter malè mur murare Scribas, quòd Christus non tam cum iustis, quàm cum peccatoribus versaretur, vti suprà ex Vers. 2. & 3. patet.*

Applicatio eiusdem, cum explicatione breui.

Nota secundò, tres præcipuas hîc esse personas, scilicet patrem, & duos filios. Pater refert Deum, vel Christum hominem: filij duo, vt passim veteres, & Cyrillus suprà Num. 9. significāt Iudæos & Gentiles. Nec malè: nam Iudæis propriè competit murmur. Verùm magis ad scopum Christi hi duo filij sunt iusti & impij, seu peccatores per pœnitentiam conuersi, vti benè Anepigraphus supra Num. 13. & Titus Num 14. docent. Nam peccatores ij erant etiam Iudæi æquè vt Pharisæi, qui se iustos putabant, vt rectè S. Hieronymus Epistolâ ad Damasum. Senior itaque filius significat iustos, & notat Scribas qui se iustos existimabant; adolescentior verò significat peccatores & publicanos, ac meretrices: adolescentia enim liberior, stultior, inconstantior, & in peccata proclìuior esse solet.

Quam substantiam perdat peccator.

Substantia *secundùm S. Augustinum lib. 2. quæst. Euangelicarū quæst. 33. & Asterium suprà Num. 30. est liberum arbitrium, & omnes naturales vires, aut potiùs vt Theophylactus in cap. 15. Lucæ, & Ambrosius ibidem, & Titus in Catenâ Num. 23. est gratia, virtutes, moresque boni. hæc enim propriè perduntur. Asterius etiam loco supra citato per substantiam, intelligit Sacramenta.*

Quid regio longinqua.

Regio longinqua *est vita perdita, quæ remotissima est à Deo & virtute, vti etiam docet Titus suprà,* & S. AVGVSTINVS, Regio longinqua, *inquit,* est obliuio Dei.

Quid fames & siliquæ.

Fames, *& quæ illam sequuntur vsque ad Versum 17. significant extremam eius inopiam & miseriam, quâ diabolo vt seruum se addixit, vt cum porcis saltem comederet siliquas, id est, inanes leguminum folliculos, per quos SS. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, atque Cyrillus suprà Num. 28. sæculares & inanes scientias; & idem etiam Num. 38. cum alijs rectè vitia & res carnales, quæ appetitum hominis non satiant, sed distendunt ac cruciant.*

Mercenarij qui.

Mercenarij *autem, vt rectè Maximus suprà Num. 35. sunt qui spe bonorum temporalium Deo & virtuti seruiunt, sicut serui sunt qui timore, & filij qui amore Dei seruiunt.*

Peccaui, *ait,* in cælum, *id est grauissimè, ita vt peccata mea quasi clament in cælum vindictam. Quòd verò pater ruat in collum & in oscula eius, significat Dei in peccatores celerem ac singularem beneuolentiam.*

Quid stola, annulus, calcei, vitulus, &c.

Stola prima, *seu pristina toga talaris, qualis nobilium erat filiorum, quam abiens à patre domi reliquerat;* annulus, calcei, & vitulus saginatus, *significant gaudium patris, id est Dei & Angelorum de peccatore conuerso. Indicant etiam, peccatorem per pœnitentiam in eumdem, aut etiam in meliorem quàm ante peccatum habuerat, statum restitui. Possunt tamen ita sigillatim singula aptari, vt per stolam primam cum SS. Hieronymo, Augustino, Bedâ & Asterio Num. 47. accipiamus gratiam pristinam & charitatem:* per annulum, *participationem Spiritus sancti, & imaginem Dei perfectam, vt suprà Num. 49. 50. 51. Asterius, Nyssenus, ac Titus insinuant,* per calceamenta, *cursus & bona opera, maximè ad prædicationem Euangelij. ita Titus sup. Num. 52 cum SS. Hieronymo, Ambrosio, & Bedâ.* Vitulus saginatus *est Christus, tum in Eucharistiâ, tum in alijs pijs exercitijs recèns conuersos miris consolationibus fouens. Ita suprà citati Patres vnà cum S. Cyrillo. Num 56.* Murmur *autem* senioris, *id est iustorum, emblema est, quo scilicet ostendatur æquitas*

huius

gaudij, siue quid murmurantibus de tantâ pœnitentium gloria iustè respondere possit Deus. Ita Theophylactus hic. Aut certè significat murmur Pharisæorum, qui se putabant esse iustos, & murmurabant quòd Christus peccatores reciperet hæc enim totius parabolæ occasio est ac scopus, vti docet S. Hieronymus ad hunc locum.

S. LVCÆ CAPVT XVI.

1. DICEBAT autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

2. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare.

3. Ait autem villicus intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco.

4. Scio quid faciam, vt, cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Conuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primò: Quantum debes domino meo?

6. At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam: & sede citò, scribe quinquaginta.

7. Deinde alij dixit: Tu verò quantùm debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & scribe octoginta.

8. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione suâ sunt.

9. Et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammonâ iniquitatis: vt, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Chrysost. in Parabolam hanc est tom. 7. edit. Anglicanæ Græcæ.

1. OPINIO quædam erronea incidens mortalibus auget crimina, minuit verò bona quæ quisque in se ipsô amplificare atque augere deberet. Ea verò est, opinari quòd quæcumque in vsu vitæ possidemus, illa tamquam domini possideamus. Atque ob hanc opinionem acriter etiam de illis dimicamus, litigamus, & bella gerimus, atque importunè etiam non secùs ac bona præcipua auidissimè apprehendimus. Sed verè res non ita se habet, at contrario prorsus modo. Illa siquidem quibus vtimur, non omnia sunt nostra: non enim nos vt domini in vitâ præsenti collocati sumus in propriâ domo, sed tamquam hospites & aduenæ quò nolimus ducimur, & quo tempore non putamos hinc abripimur, quando creaturarum Domino visum fuerit. Quamobrem res valdè mutabilis est vita præsens; & qui hodie in honore est, cras miser est & abiectus. Qui nunc locuples est, in breui fit mendicus. Atque hac te Deus mortalibus antecellit quàm maximè, quòd semper in eodem statu maneat, eodemque modo se habeat, possidens vitam, gloriam, potentiamque quæ immutari non possint. Cur igitur hinc exorsus est sermonem, cùm res per se clara sit & omnibus nota? Apud Lucam Dominus introducit dispensatorem quemdam rerum alienarum, gemiscentem & dolentem quòd diffamatus esset apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius. Qui vocauit illum, & ait illi: Redde rationem villicationis tuæ, ab eaque discede; non enim te ex meo quasi de tuo deliciari permittam. Hæc autem non est rei gestæ narratio, sed parabolica fictio, verborum vmbris moralem quamdam virtutem docens. Cognoueris itaque vnumquemque tamquam rerum alienarum esse dispensatorem, & ex animâ proprietatis dominijque elationem eijce, & demissionem humilitatemque œconomi assume, & semper in obsequio Domini permanens, cum timore defensionis tuæ rationes subscribe. Aduena enim es & viator, exigui temporis vsuram accipiens. Quòd si de rebus certis dubites, disce quid factum sit, & certâ magistrâ experientiâ erudiaris. Possedisti agrum, vel à patre iure hereditario, vel à quouis alio, commutatione, aut coontractu dominium adeptus? recole memoriâ, & recense, si possis, omnes qui illum ante te possederunt. Cogitationem etiam in futurum protende, & quot post te ipsius domini futuri sint, perpende. Dic, amabò, cuius dominium verè erit, aut cui per excellentiam illud competet? an ijs qui illud habuerunt, an qui habent, an qui habituri sunt? si quis enim in vnum omnes congesserit, plures possessores quàm glebas reperiet. Quòd si exactè volueris cognoscere, cui rei vita nostra similis sit; cogita vt si quando messis tempore viator videat arborem densam longè lateque protensam, quæ domus vicem supplere suâ vmbrâ videatur, quâ delectatus eam subingrediatur, & quamdiu liceat ibi commoretur. Ipso verò inde aliò commigrante alius succedat. Ac prior quidem paleaceam

Rerum huius mundi non domini sumus sed vsufructuarij.

Aduenæ omnes sumus & peregrini super terram.

leaceam suam supellectilem desetat, alter verò eam purget, & suscipiat stoteá, ignem, arboris vmbram, prætetlabentem aquam. Ac ille quidem ab accubatione, alter verò ab ambulatione discedat, & tecreatus abeat. Atque ita accidat, vt eodē die decem diuersis hospitibus exigui temporis diuersorium arbor illa præbeat, & cùm omnium fuerit hospitium, vetè tamen vnum dumtaxat habeat dominum. Idem vsuuenit diuitijs huius vitæ, quæ plurimos quidem oblectant, illarum tamen dominium ad vnum spectat Deum, cuius vita nec mutationi nec corruptioni sit obnoxia. Contemplare etiam diuersorium quoddā, in quo sæpè iter faciens commoratus sis, vbi multa quidem acceperis, sed nihil inde extuleris, non lectum, non mensam, non pocula aut lances, non aliam denique eius generis supellectilem, sed vix ijs quantum satis est vsus, alteri illa cedete debeas, qui adhuc puluerulentus, & ab itinete fatigatus inde te excludat, & è diuersorio extrudat, inhians alienis. Talis est vita nostra, imo rebus dictis magis transitotia.

Idem. 2. Admirot itaq; illos qui dicūt, Ager meus est, domus mea est. Siccine nudā acceptione appropriantut quę non oportet, ac tribus litteris inanibus vsucapiūtut aliena? Quemadmodum enim præstigiatorū aut bistrionum laruas nemo magni facit, illas tamen induūt qui dramata & ludos exhibent: sic etiam terram & ea quæ in terrā sunt alius post alium tamquam vestem omnes induunt. Dic mihi, Estne aliquid Rege potentius? Quære paludamenta Regia: inuenies profectò sat multa quæ plurimorū Regum corpora con texerint. Similiter & coronas, fibulas, & zonas, quarum instabilis hereditas, vsus vanus, à prædecessoribus ad successores dimanat. Quid autē est Regiæ dignitatis tentorium? quid argenteus cutrus, aureus bacillus? Vides vt non semper eumdem habeāt dominum, sed pet vices idque pro exiguo tempore diuersum. Et sicuti lecti diuersa successiuè corpora suscipiunt, sic & Regum symbola possessores alternant.

Idem. 3. Verùm dispensator bonus & fidelis, & de suā dispensatione securus, eodem modo dispositus est vt Paulus, qui Domino adhærens ad ipsum festinabat, & dissului cupiebat ac dispensationis munus deprecabatur, dicens: Mihi autem bonum est dissolui, & esse cum Christo. Qui verò terrena sapit, & vetus glebarum cognatus est, talia deflet, & in simili rerum mutatione consilio destitultur, vt hic homo in parabolā [dicens,] Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicatiunem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Ignaui ac voluptatibus dediti hæc tristitia est: nam tristitia de migratione, argumentum est animi tettæ nimis affixi, & carnis desideria perficientis ac sequentis. Laboris autem intoletantia, crimen est otiosæ atque abiectæ vitæ. Si enim labori assueuisset, vtique fodere non timuisset. Quòd si allegoricè parabolam accipiamus, post hanc vitam neque laborandi neque deptecandi tempus est. Quare nemo dicat, Fodere non valeo. Etsi enim possibile esset, nemini tamen conceditur. Huic enim vitæ præceptorum agricultura proposita est, futuræ verò quies. *Ignaui est timere mortem.*

4. Sed quid Dominus de debitorum remissione, quam excogitauit nequitiæ villicus, statuens sibi malorum remedium in conseruis? quomodo illud aptè cum reliquis connectemus? Quotquot sumus qui futuram nobis remissionem conciliare volumus, aliena dando ac remittendo proprium lucrum augebimus. Aliena autem dico, quæ sunt Domini: nihil enim nostrum est, sed omnia sunt ditionis Dei. Quoties igitur quis exitum suum percipiens, leuat beneficio sarcinam peccatorum, vel relaxando debita debitoti, vel tribuens inopibus copiam, ea quæ sunt Domini largiens, multos amicos conciliat, præbituros sibi coram Iudice testimonium veritatis, non vocibus, sed bonorum operum ostensione: quin etiam paraturos per testimonium refrigerij mansionem. Idem. *De mammona faciendi amici.*

5. Assumpta est autem hæc parabola dispensatoris, non vt pet omnia rebus per illam significatis assimiletur, sed vt ex minoribus quod maius est intelligatur. Nam ille quidem ex facultatibus Domini sui, debitoribus multa largitur: vt vbi submotus fuerit ex officio dispensandi, vicissim illorum in se beneuolentiam experiatur, ex mammonā iniquitatis Domini sui sibi consolationem in futurum præparans, & oblatā facultatum occasione prudenter vtens, dum instanti prospicit mutationi, & ex præsentibus facultatibus consulit futuræ (dum non aderunt) vtilitati. Nullus autē est qui in Deum iniurius fuerit, modo concreditas sibi facultates officijs in proximum conferendis impendent, & ex ijs sanctos sibi apud Deum amicos conciliauetit, qui non pro paruis quę in illos contulit beneficijs maiora recipiat. Et si paterfamilias dispensatorem à quo iniuriam passus fuerat, quòd tam callidè sibi prospexisset laudarit, multò magis Deus si non fuerit affectus iniuriā, suscipiet seruum suum in gloriam suam. Anonymus.

6. Aliqui quidem prudentes vocant illos, qui rerum habent sensibilium discretionem: verùm prudentes sunt qui propriam deuincunt voluntatem. Marcus Archiep.

7. Pru-

Basilius in Prou.

7. Prudentiam igitur vnam ex generalibus virtutibus esse palàm est, quà bonorum & malorum,& indifferentium nos homines scientes reddimur. Prudens vtique à prudentià per denominationẽ dictus est. Quomodo igitur ferarũ prudentissimus serpens esse Domini testimonio dicitur? Estote, inquit, prudentes sicut serpentes,item prudentes sicut villicus iniquitatis. Manifestum fit triplex esse prudentiæ nomen: vna siquidem est quædam proprij commodi custodia citra deceptionem proximi; qualis est serpentis, caput ante omnia custodientis. Alia verò quædam videtur esse versutia quæ attenta est ad proprium commodum, & simpliciores defraudandos; quali prudentià fuit ille villicus iniquitatis. Vera autem prudentia est non agendorum agendorumque cognitio, quam qui sequitur, numquam ab officio virtuteque discedet, vitiorum pestem incurret numquam. Hæc prudentia domum ædificantem, fundamentum supra petram collocare, hoc est, in Christi fide ponere docet, atque ea quæ saluti nostræ necessaria sunt minimè negligere, sed ad tempus vitæ viarieum prouidere, cordisque præparatione aduentum sponsi exspectare. Prudentes enim (inquit) virgines, eò quòd habuerint oleum in lampadibus, cum sponso ingressæ sunt; stultæ verò, quòd imparatæ fuerint, à sponsi gaudio exclusæ & repulsam passæ sunt. Ne itaque nobis idem accidat, facite, inquit Dominus, vobis amicos de mãmonà iniquitatis.

Prudentia duor, à acceptu. Math. 10, 16.

Geometra in Prou.

8. Verùm quia Gentiles dicunt, prudentiam esse virtutem, & definiunt eam, peritiam bonorum, malorum, & neutrorum, vel cognitionem agendorum & non agendorum, quæ simul facultatem præbeat illa exequendi, hæc verò omittendi; ex ipsis Scripturis prudentiæ nomen adducamus, quin potiùs ipsam prudentiam, vt & in nominis & in rei significatæ cognitionem veniamus. Ac primùm quidem in Genesi secundùm
Gen. 3, 1. Septuaginta scriptum est: Serpens autem erat prudentissimus; secundùm Aquilam, versipellis; secundum Symmachum verò, astutissimus. Dicet igitur hic aliquis, iuxta lectionem Septuaginta prudentiam non esse virtutem. Serpens enim virtutis expers, sed plenus versutià, quam meritò quis detestetur, cùm malitiosa sit, atque hanc prudentiam Septuaginta intellexerunt, secundùm quam astutus prudens dicitur. Ad hanc quoque significationem spectare videtur illud Lucæ, vbi in parabolà à Saluatore dicitur, quòd laudauerit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset, hoc est, callidè ac perperàm. Et forsitan, quòd dicitur, Laudauit, non secundùm veram commendationem, sed abusiuè dictum est: vt cùm dicimus aliquem commendari in mediis & differentibus rebus, & quodammodò mirandos esse concursus & acumen, quibus vigor mentis elicitur & indicatur.

9. Illud autem, Estote prudentes sicut serpentes, idem est ac si dicat, Nolite serpentum versutiam ignorare; illa enim nobis prorsus necessaria est, sicut Apostolus dixit, Math. 10, 16.
neà satanà circũueniamur ac superemur, cuius tam peruersas scimus esse cogitationes, vt prudẽtià serpentinà destitutos calliditate suà facilè supplantet. Filij quoque huius sæculi, non sapientiores, sed prudentiores dicuntur filijs lucis, & hoc non absolutè & simpliciter, sed in generatione suà. Significatur autem & aliud per nomen prudentiæ:
nam & Deus dicitur sapientià fundasse terram, & parasse cælos prudentià; bonà vtique, non malitiosà. In simili quoque significatione prudentiæ nomen vsurpat Euangelium in parabolà illa virginum prudentum, vbi perspicuè stultitia pro malitià accipitur; vnde etiam nonnulli stulti, & stultæ virgines dicuntur: vti è diuerso prudentia pro virtute sumitur, vnde & prudentes aliqui & prudentes virgines vocantur. Si itaque stultus malus sit, & illi opponatur prudens, vel malus erit prudens, vel bonus: non potest enim malus esse indifferens. Non autem est malus prudens qui stulto opponitur, quia alioquin prudentes virgines cum sponso ad nuptias ingressæ non essent: restat igitur, vt bona sit seu vrbana res prudentia, & vrbani prudentes. Prudentia igitur secundùm dicta virtus est, quà præditi sunt prudentes, participatione prudentiæ illius in quà Dominus cælos parauit. Ier. 10, 12.

10. Quando dixit, Facite vobis amicos, non hic stitit, sed addidit, de mammonà iniquitatis. Quod autem dicit, est tale. Si quid possederis malè, euacua id rectè. Si quid congesseris iniustè, distribue iustè. Sed qualis, inquiet aliquis, virtus sit ex similibus largiti? Verùm tanta est Dei benignitas, vt huc etiam condescendat, & si id fecerimus, multa etiam nobis bona promittat. Chrysostomus in Matth.

11. Non enim temerè hic adiunxit, vt facerent sibi amicos ex mammonà iniquitatis; sed quoniam plerique diuites ex rapinis ac fraude diuitias sibi comparauerunt, malè inquit factum, nec oportebat ita pecunias colligere. Verumtamen quandoquidem iam collegisti, desiste à rapinis & fraude, & vtere pecunià ad ea quibus opus habes. Non iubet vt sis ex rapto misericors, sed vt à fraude temperans, diuitijs ad benignitatem & eleëmosynam vtaris. Idem in dictum illud, Habentes autẽ eundem Spiritum.

12. Vt autem exactè cognoscamus quid Chrysostomus.

sit

Non ex rapto, sed ex superfluo faciendo eleëmosyna.

sit amicos facere ex mammonâ iniquitatis, non vti quidam existimant, hic sermo iubet ex iniquitate misericordiam præstare, (hæc enim non eleëmosyna esset , sed crudelitas potiùs atque inhumanitas;) sed superflua,& quæ nostris vsibus redundant effundere in egentes. Iniqua enim mammona copiosæ sunt diuitiæ , tametsi non iniustè collectæ sint, & iustè possideantur.*

ANNOTATIONES.

Nvm 1. Parabola de villico finis & scopus.

ERRONEA quædam opinio,&c.] *Ubi nota, scopum huius parabolæ explicari contra auaritiam Pharisæorum, vti etiā colligitur ex Versu 9. & 14. vt scilicet meminerimus nos tantùm esse dispensatores bonorum Dei. Itaque prudedter & sedulò illa expendamus per eleëmosynas, iisque peccata expiemus, vt Deo rationem villicationis, id est, vniuersi officij Christiani & vitæ reddere , & ab eo laudari possimus. Neque aliâ ratione villicus hic imitandus proponitur.*

Potest secundò hic esse argumentum à minori ad maius , vti Numero 5 supra anonymus Auctor videtur accipere. quasi dicat: Si villicus hic tam solerter in vitâ prouidit sibi, multò magis pro vitâ æterna vos decet esse solertes: & si etiam hic fraudulentus dispensator laudatus est à Domino suo, multò magis vos laudabimini , qui per eleemosynam nulli fraudem , sed commodum multum adfertis. Cetera emblematicè inseri videntur.

Quòd autem Latinus interpres villicum *vertit, Græcus textus* οἰκονόμον *legit, quod propriè* dispensatorem *significat , vti etiam S. Hieronymus vertit quæst.6. ad Algasiam, & pro* villicare, *dispensare , ac pro* villicatione, *dispensationē, seu domus, omniumque bonorum, atque adeò etiam frugum administrationem. Vnde hic vini & olei dicitur dispensator , quasi qui agros & villas domini sui locasset agricolis, quod Latinus interpres attendens, videtur vertisse* villicum.

Cùm verò Dominus villicum laudasse dicitur , non intelligendum de Christo , sed de eo qui in parabolâ villici Dominus perhibetur, vti passim Interpretes contra Erasmum explicant. Laudauit autem non factum villici, sed industriam & ingenium , vti benè obseruat Geometra Num 8. citatus. Sicut cùm ingeniosum facinus audientes , damnamus scelus , laudamus ingenium.

Diuitiæ cur dictæ sint mammona iniquitatis.

NVM. II. *ad illud Versus 9.* MAMMONA INIQVITATIS.] *Rectè hic S. Chrysostomus diuitias appellari notat, eò quòd vt plurimum ex rapinis & fraude congregentur: cui etiam consentit* S. HIERONYMVS *q. 1. ad Hedibiam, dicens:* Diuitiæ vocantur mammona, quia de iniquitate collectæ sunt. *Vnde tritum est illud:* Diues aut iniquus, aut iniqui heres.

Secundò dicitur iniquitatis, *quia nimirum diuitiæ materia sunt ferè omnis peccati, præsertim iniustitiæ.*

Tertiò, quia (vt S. Augustinus Serm. 35. de Verbis Domini ait) iniqui putant res terrenas esse solas diuitias. non enim norunt cælestes.

Quartò denique potest dici iniquitatis, *id est vanitatis seu vanæ, mendaces, & non veræ diuitiæ.*

Ex diuitijs quos nobis amicos facere debeamus.

Ex his itaque vanis & inanibus , vtpote perituris diuitijs, debemus nobis veras & æternas comparare; faciendo nobis ex ijs amicos pauperes, qui beati iam, & in cælum recepti, nos quoque suis precibus & meritorum communicatione ibidem recipiant. De his enim propriè hic Christus loqui videtur; quia pauperes hi sunt sæpè diuites gratiâ & spiritu. Ideoque non putent diuites se beneficium dare , sed potiùs accipere à pauperibus, vt benè notat S. Gregorius lib. 21. Moral. c. 14. Quòd si contingat pauperes, quibus eleemosyna datur, impios esse; in cælum nos recipient , non ipsi, sed Deus & Sancti, quorum est recipere, qui sibi datas illas eleemosynas reputabunt , adeoque remunerabuntur.

VERS. 10. Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo mammonâ fideles non fuistis: quod verum est , quis credet vobis?

12. Et si in alieno fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis?

13. SOLVE nobis, ô Domine, quæstionem hanc, aperi cordis nostri oculum. Audi igitur attentè & accuratè quid dicat. Si, inquit , in iniquo mammonâ fideles non fuistis, quod verum est quis dabit vobis? Est igitur minimum iniquus mammona, id est terrenæ diuitiæ , ex furto nimirum, & auaritiâ congestæ , quæ rectè viuentibus & in futuris spem suam repositam habentibus, mentemque à terrenis reuocantibus , ac superna potius sapientibus sordent , & nihil esse videntur, atque illas in pauperes erogant vniuersas, rectè illas administrantes. Arbitror ergo aliquem esse in modico fidelem, cùm de his minimis ærumnâ oppressis subsidium impartitur. Si igitur in modico fuerimus infideles, quo pacto ab eo obtinebimus verum, id est diuinorum charismatum munus vberrimum, animæ humanę diuinam speciem ac pulchritudinem imprimens? Quòd autem hic sit scopus verborum Domini, ex sequentibus patet. Nam ait , Et si in alieno fideles non fuistis , quod vestrum est quis dabit vobis? Alienas autem dicimus diuitias , quia non cum illis nati sumus , sed potiùs nudi, vti verè dictum & scriptum est : Quoniam nihil introduximus in hunc mundum , sed nec auferre quid possumus. Simus igitur fideles in paruo hoc , & terrenis diuitijs , quæ minimæ sunt, vel potiùs nihil, quia fluxæ; neque illas nobis vindicemus, cùm in communem fratrum nostrorum vsum datæ sint nobis. Ac proinde iniquas faciunt diuitias , qui illas, alienæ cùm sint, penes se detinent, tum quia illas in mundum non tulimus, tum etiam quia indigentium sunt. [In illis igitur fideles simus,] vt nobis nostræ quæ diuinæ sunt ac cęlestes, veræ ac permanentes diuitiæ credantur. Diuitię siquidem terrenæ prorsus ab homine natura suâ alienæ sunt , cùm extrinsecus illi obringant atque adueniant , & licet absint aut amittantur , nihil omnino humana natura aut ratio detrimenti accipit.

CYRILLVS

In minimo fidelis quis.

Non

Non enim quòd diuites ſimus, idcircò magis rationales ſumus, aut bonorum operum capaciores; ſed naturæ noſtræ capacitas expletur rerum quæ verè noſtræ ſunt ſuſceptione. Vti enim B. Paulus ait, Dei ſumus factura, creati in Chriſto in operibus bonis, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus. *Eph. 2, 10.*

ANNOTATIONES.

VERS. 10 *Quid ſit in minimo fidelem eſſe.* QVI FIDELIS EST IN MINIMO, &c.] *Nota, has & ſimiles practicæ prudentiæ ſententias, non ſemper, ſed ſæpè veras eſſe, & vulgo homines ita iudicare, ac ſuorum fidelitatem primò in paruis prætentare. Per parua autem Chriſtus hic intelligit bona temporalia; per magna verò, bona ſpiritalia, cùm gratum facientia, tum gratis data. quaſi dicat: Vt non remoueamini à villicatione ſpiritali, uti praceſſit, vel vt ad eam admoneamini, curate vos primò probetis in rectâ adminiſtratione temporalium, & eleemoſynis.*

Idem iterùm aliâ quaſi parabolâ vel ſaltem mutatâ phraſi inculcat verſ. 12. Si in alieno fideles non fuiſtis, &c. Alienum, *vti ibidem num. 13. benè notat Cyrillus, temporales opes vocant, quia hæ non tam hominis quàm mundi bona ſunt, ab illo accepta, & illi in morte reddenda. Et illarum, reſpectu Dei, non tam domini quàm diſpenſatores ſumus, vt eas iuxta voluntatem Dei alijs egentibus diſpertiamur.* Veſtrum *autem ibidem vocat bona cæleſtia, quia & hæc propria ſunt hominis, illumque beant, & in cælum ducunt, & in æternum cum eo manent.* *Quid ſit in alieno fidelem eſſe.*

Ipſâ autem parabolâ in hoc ſit vis; quòd in alieno ritè adminiſtrãdo homines diligentiores eſſe ſolẽt, quàm in ſuis; tum quia in alienum munus irrit & libertatis habent; tum quia ex iuſtitiâ ad id tenentur; in ſuis verò tantùm tenentur ex prudentiâ vel charitate: tum denique, quia maiori infamiæ ſe exponunt in alieno quàm in ſuo. Unde rectè infert: Si in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrũ eſt quis dabit vobis? *q. d. Si in alieno infideles fuiſtis, & in veſtro eritis.*

VERS. 13. [a] Nemo ſeruus poteſt duobus dominis ſeruire: aut enim vnum odiet, & alterum diliget: aut vni adhærebit, & alterum contemnet: non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. *[a] Matth. 6, 24.*

CYRILLVS 14. EXEMPLVM hoc clarum eſt, & manifeſtum, ac rei propoſitæ conuenientiſſimum. Concluſio autem totius ſermonis eſt quod ſequitur, Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ. Si quis enim, inquit, ſeruus fuerit duorum dominorum diuerſorũ, qui & contrariæ ſint voluntatis, ſententijſque diſſentiant, quomodo vtrique placere poterit? Ad vtriuſque enim beneplacitum diuiſus, vtriuſque repugnat voluntati. Quare neceſſarium eſt vt ad vnum ſpectet, ſiue bonum ſiue malum. Si enim vni ſincerè ſtatuerit ſeruire, ille dicet vt odiat alterum. Impoſſibile eſt igitur Deo ſeruire & mammonæ. Quare totum ſtudium transferamus ad alterum, diuitijs procul valere iuſſis. Hoc enim nos magnus Magiſter docet. *Impoſſibile Deo ſeruire & mammonæ.*

15. Qui virtuti innutritus eſt, à malis habitibus & affectionibus alienus eſt. Quæ enim communicatio lumini ad tenebras, vel Chriſto cum Belial? vel quî fieri poteſt vt duobus iiſque contrarijs dominis ſeruientes vtrique accepti ſint, cùm vnius dilectio, alterius odium operetur. Quando enim dilectionis affectio adhæret bono & honeſto, ſtatim omnis rei honeſtati contrariæ deteſtatio ſubſequitur. Sic qui verè temperantiam amat, quidquid illi aduerſatur odit: & qui munditiam puritatemque diligit, omnes ſordes fœtoremque execratur: & qui virtutem amplectitur, omne vitium deteſtatur ac fugit. NYSSENVS

16. Magna eſt mammonæ tyrannis. A Chriſto redempti ſumus, & pecuniæ ſeruimus. Alterius nos ſeruos profitemur, & alteri obedimus: & quidquid hæc præcipit, promptè exequimur, & generis, & amicitiæ, & naturæ, & legum, & omnium denique rerum propter illam obliuiſcentes. Nemo cælum reſpicit, nemo futura cogitat. Verùm erit aliquando tempus, quando ne quidem hæc dicendi tempus erit. In inferno enim, inquit, quis confitebitur tibi? CHRYSOSTOMVS in Ioannem. Pſal. 6, 6.

17. Fieri nequit vt qui pecunijs ſeruit, verus ſit ſeruus Chriſti. Nam & ipſemet Chriſtus dixit, Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ, &, Nemo poteſt duobus dominis ſeruire, eò quòd contraria præcipiant. Nam Chriſtus dicit: Parce circumuentis; mammona verò ait: Aufer etiam à nudis quæ habent. Ille euacuare iubet quæ habes: hic verò accipere etiam quæ non habes. Ille, Qui non renuntiat, inquit, omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus: hic verò dicit, vt etiam eſurienti panem ſubtrahas. Ille veſtiri nudos, hic exui; ille domeſticos ac liberos non deſpici, hic verò familiares imò & tui ipſius animam perdi iubet. Vides contrarietatem, cernis repugnantiam? Quomodo poſſis vtrique facilè obſequi? vnum itaque vt contemnas neceſſe eſt. Quis autem negligendus ſit, per ſe ſatis patet: vtique mammona. IDEM. *Mammona præcipit Deo contraria.* Luc. 14, 33.

VERS. 14. Audiebant autem omnia hæc Phariſæi, qui erant auari: & deridebant illum.

15. Et ait illis: Vos eſtis, qui iuſtificatis vos coram hominibus: Deus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum.

18. SCRIPTVM eſt enim, Laudet te proximus, & non tuum os, alienum, & non labia tua. Sed tametſi norunt locũ diſſimulare hypocritæ, & ab hominibus honores ac- CYRILLVS

 cipere,

cipere, verumtamen Deus, inquit, nouit corda vestra, & vere iustum quidem honorat, dissipat autem ossa eorum qui hominibus placent.

[a] Matt. 11, 12

VERS. 16. [a] Lex & Prophetæ, vsque ad Ioannem: ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud vim facit.

CHRYSOST. in Epist. ad Corinth. *Vis inferenda regno cælorum.*

19. SED quomodo inquit Prophetas vsque ad Ioannem prædicasse? Ditesce itaque & rape. Nam rapere hic non vitio datur, sed non ditescere crimen est. Esto violentus, esto rapax: non enim nostræ diuitiæ in damnum cedunt alienum. Virtus non diuiditur, nec regnum cælorum tunc augetur, cùm rapitur. Quod inde manifestum fit. Sint in ciuitate mille homines, qui omnes virtutem rapiant: si apprehenderint, iam auxerunt illam, sin secus, minuerunt. Nullibi enim comparet. Vt autem eam augeas, violentia est opus: quippe cùm multa occurrant impedimenta, vtpote vxores, liberi, negotia sæcularia, dæmones, & ipse diabolus. Violentiâ itaque omnino opus est, & constantiâ. Violentus in labore versatur, pæne impossibilia aggreditur. Violentiâ ergo opus vt rapiatur regnum Dei.

[a] Matt. 12, 12.

VERS. 17. [a] Facilius est autem cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.

CYRILLVS 20. NE itaque diffidatis, inquit, sermonibus meis, tametsi vt insulsi ac stulti à quibusdam reijciâtur ac rideantur. Sed nec hoc ignoraui, inquit, sed iam pridem prædixi per legem & Prophetas, quia est impossibile vel vnam Dei vocem incassum cadere, futura enim omnia antequam fiant preuidit. Per dictum itaque hoc insinuat, quòd venerit non vt soluat vel minimam legem, aut Prophetas euertat, sed potiùs vt tam legem quàm Prophetas adimpleat. Postquam enim dixit, Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, ne quis subsumat aut inferat, quòd tunc desierint aut antiquata sint, subiunxit de lege ne iota vnum aut apicem casurum.

Christus legem non aboleuit sed adimpleuit.

NYSSENVS 21. Atque hæc est obuia loci huius significatio, nempe ne iota vnum aut apicem casurum aut transiturum. Mystice verò etiam Crux per hæc significatur. Linea enim seu litera quæ rectà sursum deorsum ducitur, iota nominatur [& instar mali est;] quæ verò obliquè & transuersim trahitur, apex, & apud nautas etiam antenna vocatur. Ad quod mihi diuina Euangelij vox quoque alludere videtur. Nam Crux est in quà cuncta consistunt, hostibusque per illam superatis magis æterna.

Iota quid & apex, quidq; per ea insinuetur.

22. Forte autem per iota & per apicem iustitia eius clamat, Si recti ad me veneritis, & ego rectà ad vos veniam: sin obliqui, & ego obliquè, dicit Dominus virtutum; insinuans, implicatas & obliquas peccatorum esse vias. Nam recta naturæque consentanea via quæ per iota, Iesu insinuatur, est ipsa eius bonitas, quæ fideles ex auditu, sine cespitatione constanter dirigit: non itaque præteribit à lege iota vnum aut vnus apex, hoc est, neque à rectis & probis mutuæ repromissiones, neque ab obliquis & iniustis, quæ illis intermi-nata est pœna. Benefacit enim Dominus bonis, declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. — CLEMENS. — Psal. 124. 4

23. Præterea vnus apex non tantùm apud Græcos iota est, sed & apud Hebræos à quibus iod appellatur. Symbolicè autem Iesus iota dici potest, quandoquidem tam apud Græcos quàm apud Hebræos prima littera nominis eius iota sit & iod. Non præteribit itaque verbum Dei in lege, neque priùs cadet quàm omnia impleantur. Tunc autem cadet vt fructum vberiorem adferat, non quidem deuictus aut superatus, sed humilians semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. — GROMATRA. — Philip. 2, 16.

[a] Marc. 10, 11. 1. Cor. 7, 10.

VERS. 18. [a] Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.

CHRYSOSTOMVS in Ioann. Hom. 12.

24 QVEMADMODVM enim alligata viro, si alium cognoscit adulteratur; ita alligatus vxori, si aliam habet, adulterij reus est. Talis autem non hereditabit regnum cælorum, sed in gehennam incidit. De his enim dicitur, quòd vermis eorum non morietur, neque ignis extinguetur. Nullam enim veniam consequitur, qui ductâ vxore post hoc carnis remedium alienæ iniuriam infert. Si suam repudianti neque eâ vtenti etiam alij vacare non licet (est enim adulterium) quantum ille malum perpetrat, qui suæ aliam addit? Neque sane tantum vxorem, quantum seipsum lædit. Hoc enim Deo adeò videtur execrandum, vt si vxor ab idololatrâ viro discesserit, puniatur, si ab adultero, minimè. Considera igitur quantum hoc malum sit. Nam si qua fidelis, inquit, habet virum infidelem, & ipse consentit habitare cum illa, non dimittat virum. De fornicatione autem: Si quis dimiserit vxorem suam præter rationem fornicationis, facit ipsam mœchari. Nam si consuetudo vnum corpus facit, Si quis meretrici commiscetur, vnum cum meretrice corpus efficitur. Quomodo ergo

Isaiæ 66, 14. — *Nulla repudianda, nisi ob adulterium.* — 1. Cor. 7, 12. — Matt. 5, 31

ergo ornata accipietur, cùm sit membrum Christi? Quomodo ei iungetur corpus meretricis? Et intuere excessum. Quæ cum infideli habitat, non est immunda. Sanctificatus est, inquit, vir infidelis in muliere fideli. In
1.Cor.7. 14. fornicariâ autem non sic. Quid ergo? numquid membra Christi faciemus membra
Femina inna ma- meretricis? Illic sanctificatio manet, si cum
lum. vxore cohabitat, hîc discedit. Graue itaque malum fornicatio graue, inquam, & immortale afferens supplicium, & in hac vitâ innumera secum mala trahit: cogitur enim vitam miseram & infelicem viuere, qui hoc morbo afficitur. Neque meliori loco res suæ sunt, quàm eorum qui supplicijs distrahuntur. Alienam domum trepidus & formidolosus ingreditur, omnia timet, & seruos & liberos.

CHRYSOSTOMVS in illud 1.Cor 7. Mulier alligata est legi. Repudium cur permissum. 25. Sed nec Moyses sponte legem hanc tulit de mulieribus repudiandis, sed coactus sese attemperare eorum, quibus legem dabat, infirmitati. Nam quoniam ad cædes prompti erant, ne intus occiderent vxores quæ ingratæ erant, præcepit foras mittendas, quò grauius malum, nempe homicidiorum facilitas, tolleretur. Etenim si Deus vnam vxorem ejci & alteram induci voluisset, vtique non vnum virum & vnam feminam creasset, sed vno Adam condito, duas mulieres fecisset. Nunc verò ipso formationis modo legem induxit, vt eam sibi quisque vxorem seruet semper, quam initio sortitus est. Audi etiam & Moysis legem quam de
Deut.24.1 hac re posuit. Si quis, inquit, eiecerit vxorem, & illa iuncta fuerit alteri viro, & vir postremus dederit illi etiam libellum repudij, aut mortuus fuerit, non poterit vir prior, qui dimiserat illam, redire, & accipere etiam sibi vxorem. Deinde monstrans quòd non laudet factum, neque coniugium esse putet, sed infirmitati illorum condescendat, dicens, Non poterit vir prior accipere illam sibi in vxo-
Secundæ nuptiæ repudiatæ quales. rem, addidit, Postquam polluit illam. Declarans per huius verbi modum, quòd secundæ nuptiæ, viuente priore viro, pollutio magis sit quàm coniugium. vide sne illum consona cum Christo loqui? deinde & causam apposuit, quòd abominatio sit coram Deo. Et
Malach.2, 14. Moyses quidem sic; Propheta autem Malachias multò manifestiùs hoc demonstrat dicens: Numquid dignum respicere ad sacrificium vestrum, vel accipere acceptabile de manibus vestris? Causámque subiungit: Dereliquisti vxorem adolescentiæ tuæ. Posteà vt ostendat quale sit malum, & priuans omni veniâ eum qui hoc fecit, in sequentibus
Ibid. 2. accusationem intentat, sic dicens: Et ista socia tua, & vxor pacti tui, & reliquiæ spiritus tui, & non alius fecit. Vide quantas apponit iustificationes: primùm ætatem, dicens, Vxor adolescentiæ tuæ; deinde societatem vitæ, Et ista socia tua; posteà modum formationis, Reliquiæ spiritus tui. Ad hæc omnia, quod maius est, accedit conditoris dignitas: hoc enim est, quod non alius fecit. Non potes, inquit, dicere, quòd te quidem Deus fecit, illam verò non Deus, sed alius quidam illo deterior, sed vnus & idem vtrosque, vt essent, produxit. vides vt etiam in veteri Testamento, initia ferè acceperint nouæ philosophiæ præcepta. Ne igitur nostras eijciamus, neque eiectas recipiamus, nam hoc adulterium est. Quomodo igitur ausus es ad prohibitas nuptias accedere? Quid dicemus? quid respondebimus? numquam enim illic fas est externas leges prætexere, sed necessarium tacentes, & ligatos in gehennæ ignem immitti, cum adulteris & alienum totum iniuriâ afficientibus. Nam quando dimiserit absque causa stupri, quando eiectam viuente viro duxerit, cum eiectâ illâ similiter punietur in æternum.

Cùm matrimonij tantùm hîc obiter Lucas meminerit, quæ ab eo in hac de matrimonio disceptatione prætermissa sunt, ex S. Mathæo, qui eam reliquis fusiùs descripsit, supplenda sunt. Nam vt benè in Concordiâ suâ P. Sernius obseruat, ista cum hoc loco S. Lucæ coniungenda esse, satis apparet ex eo, quòd post nonnulla quæ solus S. Lucas narrat, tres Euangelistæ in eamdem narrationem de paruulis, & diuite, & alijs coincidunt. Atque ita etiam sentit S. Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelistarum cap. 62. Quod itaque S. Lucas hîc obiter, fusè narrat Matthæus.

SVPPLEMENTVM EX S. MATTHÆI CAP. XIX.

VERS. 3. "Et accesserunt ad eum a Matth.10,
Pharisæi tentantes eum, & dicentes: Si 1.
licet homini dimittere vxorem suam, quacumque ex causâ?

4. Qui respondens, ait eis: Non legistis, quia "qui fecit hominem ab initio, a Gen.1,27
masculum, & feminam fecit eos? & dixit:

5. "Propter hoc dimittet homo pa- a Gen.2,24
trem & matrem, & adhærebit vxori Ephes.5,
suæ, & erunt duo in carne vnâ. 31. 1.Cor.6,16

6. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

7. Dicunt illi: "Quid ergo Moyses a Deut.24,
mandauit, dare libellum repudij, & di- 1.
mittere?

8. Ait illis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis di-

 mittere

mittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic.

Math. 5, 32. Marc. 10, 11. Luc. 16, 18. 1 Cor. 7, 18.

9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

10. Dicunt ei discipuli eius: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.

11. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

12. Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.

Christo variæ quæstiones propositæ.

NAZIANZENVS *Orat.* 36. Rursus, *inquit*, Pharisæi tentant: rursus qui legem legunt, legem non intelligunt: rursus qui se legis Interpretes profitentur, magistris alijs opus habent. Parum erat Sadducæos de resurrectione tentasse, Legisperitos de perfectione interrogasse, Herodianos de censu, alios de potestate: adhuc de matrimonio quispiam eum qui tentari non potest, qui matrimonium creauit, qui ea primâ causâ vniuersum hoc hominum genus condidit, percontatur.

Christus quæstiones quasdam soluit, quasdam comprimit. Matt. 21, 25.

IBIDEM: Christus autem quasdam quæstiones soluere atque explicare solet, quasdam comprimere atque obstruere. Cùm ex eo quæritur, In quâ potestate hæc facis? propter interrogantium vecordiam & ineptiam, vicissim ipse quoque interrogat: Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? atque vtrimque interrogatores suos premit atque constringit. Vnde etiam nobis nonnumquam ad Christi imitationem eos qui curiosâ disputatione nos lacessunt comprimere, quæstionumque absurditatem absurdioribus interrogationibus soluere licet; nam ipsi quoque interdum in rebus vanis sapientes sumus (vt in his quæ sunt insipientiæ, gloriet.) At cùm quæstioné ratiocinatione indigētem videt, tum verò eos à quibus interrogatur prudenti responso nequaquam indignos censet. Quæstio hæc, inquit, quam proposuistis, ad pudicitiæ cultum & honorem spectare mihi videtur, responsionemque humanam & commodam postulare: circa hanc enim plerosque malè affectos cerno, legemque adeò ipsam iniquam, nec sibi constantem. Quid enim causæ fuit, cur mulierem coërceret, marito contrà indulgeret, eumque liberum relinqueret: & mulier quidem, quæ sceleratum consilium aduersus viri sui cubile susceperit, adulterij piaculo constringatur, acerbissimisque pœnis excrucietur; vir autem qui fidem vxori datam adulterio violauerit, nulli supplicio obnoxius sit? Hanc

Aequa castitatis lex viris & mulieribus.

legem haudquaquam probo, hanc consuetudinem minimè laudo. Viri erant qui hanc legem sanxerunt, ac propterea aduersus mulieres lata est: quandoquidem & filios paternæ potestati subiecerunt, infirmiorem sexum incultum atque incuratum reliquerunt. At Deus non sic; verùm, Honora patrem tuum & matrem tuam: quod est primum mandatum (vt benè tibi sit) in pollicitationibus situm. Et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Æquè & virtuti honorem ac præmia, & sceleri pœnam constituit. Item alio loco: Benedictio patris fulcit domos filiorum: maledictio autem matris radicitus fundamenta conuellit. Legis æquabilitatem vides. Vnus viri & mulieris creator, puluis vnus, vterque imago vna, lex vna, mors vna, resurrectio vna. Æquè ex viro & muliere procreati sumus: vnum idemque parentibus debitum filij persoluendum habent. Quâ igitur fronte pudicitiam exigis, quam ipse vicissim non præstas? Quomodo quod non das, petis? Quomodo corpori pari honore prædito imparem legem præscribis? Si deteriora expendis, peccauit mulier; eodem quoque modo Adam peccauit, vtrumque serpens decepit atque in fraudem impulit: non altera infirmior est, alter fortior. At meliora consideras? vtrumque passione suâ Christus seruauit. Pro viro caro factus est? itidem & pro muliere. Pro viro mortem subijt? itidem & ipsius morte mulieri salus parta est. At ex semine Dauid nominatur, atque hinc viros honore præferri colligis? audio; sed ex virgine quoque nascitur, quod ad mulierum laudem valet. Erunt igitur, inquit, duo in carnem vnam: proinde caro quæ vna est, æqualem honorem habeat. Iam verò Paulus exemplo quoque castitatem velut lege præscribit. Quo tamen modo? Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christum & in Ecclesiam. Præclarum est mulieri, Christum per virum reuereri: præclarum quoque viro, Ecclesiam per vxorem non aspernari. Mulier, inquit, vt virum timeat, quippe & Christum. At vir etiam vt vxorem foueat, atque complectatur. nam & Christus Ecclesiam.

Math. 15, 4. Exod. 20, 12. Eccli. 3, 11. *Viri & mulieris vna conditio.* Gen. 3, 24. Eph. 5, 32. Eph. 5, 33.

S. CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ ad hunc locum*, Intuere autem, *inquit*, ex modo etiam interrogationis malitiam: Dominus enim suprà de lege hac disputauerat, ipsi autem quasi iam nullo dicto interrogant, scilicet opinantes quòd oblitus esset eorum quæ dixerat.

IBIDEM: Sicut autem si videas hominem assiduè amicitias Medicorum colentem, intelligis quia infirmus est: sic & cùm videas virum siue mulierem de dimittendis vxoribus aut viris interrogantes, cognosce quia vir ille lasciuus est, mulier illa meretrix est. Nam in matrimonio castitas delectatur, libido autem quasi vinculo coniugij alligata, torquetur. Sciebat autem quoniam nullam causam idoneam habebant circa dimittendas vxores, præter solam turpitudinem, & alias atque alias sibi iungebant. Timuerunt autem interrogare ex quibus causis, ne seipsos infra angustias certarum causarum astringerent; sed interrogauerunt, si ex omnibus causis licet, scientes quia modum nescit, nec infra terminos vnius coniugij capitur libido, sed quantò magis exercetur, magis accenditur.

Libido non patitur se coërceri vinculo coniugij.

ORIGENES *ibidem*: Tentato autem Domino, nullus discipulorum eius qui positus est ad docendum, grauiter ferat si tentatus fuerit à quibusdam: tamen & tentatoribus respondet dogmata pietatis.

S. HIERONYMVS *ad hunc locum*: Sic autem responsionem temperat, vt in disciplinam transeat, Scripturam sanctam adducens in testimonium & naturalem legem, primamque Dei sententiam secundò

Ex modo creationis hominis probatur monogamia

cundo opponens. Dicendo autem, Masculum & feminam, ostendit secunda vitanda coniugia. Non enim ait, Masculum & feminâ qui ex propriorum repudio quærebatur; sed masculum & feminam, vt volus coniugij consortia necterentur.

Quasi dicat: Cum Scriptura Geneseos cap. 1. & 2. in alijs animalibus non dicat Deum fecisse masculum & feminam, sed in solo homine hoc dicat, significat coniugium solius hominis à Deo institutum, idque inter vnum tantùm & vnam. Ita

S. CHRYSOSTOMVS *ad hunc locum Matthæi*, Si ergo, *inquit*, ad hoc Deus marem & feminam ex vno creauit vt sint vnum, quare ergo de cetero vir & mulier non ex vno vtero nascuntur, sicut volatilia quædam? Quia Deus masculum quidem creauit & feminam propter necessitatem filiorum generandorum, tamen semper fuit castitatis amator, & continentiæ auctor. Ideò illum typum non seruauit in omnibus, vt si quidem vult homo nubere secundùm primam dispositionem creationis humanæ, intelligat quid est vir & vxor. Si autem noluerit nubere, non habebit necessitatem nubendi propter coniunctionem natiuitatis, ne fortè videatur per suam continentiam alterum perdere qui nolebat esse continens: sicut Dominus post coniunctum matrimonium iubet, ne alter altero nolente se separet.

Rursum ex eo quòd ex vno facta sint duo, & femina ex viro sit formata, significatur monogamia eadem. Quia, vt Plato Dialogo de Amore, ex viro vno & muliere vnâ, quasi duabus imperfectis partibus, vnus fit homo. Ita S. Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei c. 22. Ac consequenter significatur, matrimonium esse indissolubile nisi per mortem, sicuti in homine anima à corpore solui nequit nisi per mortem.

RVPERTVS *in cap. 2. Geneseos*, Ea costâ, *inquit*, viri mulierem ædificauit Deus, vt firmam & insolubilem debere esse ostenderet veri coniugij charitatem. Numquid absque iniuriâ factoris sui vir costam suã abijcere poterit? Si cæcus, si claudus, si vel paruo vel grandi naso, si fracto pede vel manu, si gibbus vel lippus, &c. accedere non poterat ad ministerium Dei secundùm legem: quantò magis qui costam integram corpori suo violenter exemit vel abiecit, ab altari & Communione totius Ecclesiæ meritò debet arceri? exceptâ fornicationis causâ, quam concedit idem Deus. Similiter si mulier, quæ costa est & membrum principale viri sui, relinquit illum, apud Deum in numero non erit, quia non corpus integrum, sed pars esse conuincitur ex lege conditionis quia de viro sumpta est.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem in Matthæũ*, Non solùm autem ex modo creationis, sed etiam ex modo legislationis monstrauit, quoniã vnum oportet vni coniungi, & numquã rescindi. *Cùm dixit*, Propter hoc, *&c. similiter ait Vxori, non, Vxoribus. Et expressè subditur*, Et erunt duo in carne vnâ. Præmium enim (*inquit* HIERONYMVS) est nuptiarum, ex duobus vnam carnem scilicet prolis fieri. *Græcè εἰς σάρκα μίαν, id est*, in carnem vnam, *scilicet vt sint quasi vna caro, vt vertit Syrus. Glossa*, in carne vnâ, *id est, in carnali copulâ. Vbi nota, vulgo locum hunc intelligi de corporum mixtione. Verùm, vt rectè obseruat P. Cornelius, purius & simpliciori Hebraismo dici possit vt* vna caro *hic sit, vn ie bo no, vna persona ciuilis, vt sit synecdoche, quasi dicatur, mas & femina sunt quasi vna persona. Ergo sicut anima non debet à corpore, ita nec vir ab vxore separari. Hinc etiam sequitur idem & mutuus amor, ad Ephesios 5, 28.* Ita & viri debent diligere vxores suas vt corpora sua. *Item vna & communis vtriusque corporis potestas, 1. Cor. 7. 4.* Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

Coniuges quomodo sint duo in carne vnâ.

Cur magis ametur vxor quàm frater.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem sic ait*: Si ergo ex viro est vxor, & ea vnâ carne sunt ambo, relinquet homo patrem suum & matrem; maior nunc charitas debet esse inter fratres & sorores: quia hi quidem ex ijsdem parentibus exeunt, illi autẽ ex diuersis. Sed hoc magnum est nimis, quia fortior est Dei constitutio quàm virtus naturæ. Non enim præcepta Dei naturæ subiecta sunt, sed natura Dei præceptis obtemperat. Deinde fratres ex vno nascuntur, vt diuersas vias petant: vir autem & vxor ex diuersis nascuntur, vt in vnum conueniant. Ordo etiam naturæ Dei ordinationem sequitur. Quod enim est in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Humor autem de radicibus ascendit in herbam, & rursum transmittitur in semen. Ideò parentes quidem diligunt, sed non sic diliguntur à filijs. Homo enim non ad parentes sed ad procreandos filios transmittit affectum, & hoc est quod dicitur: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.

Cur parentes magis ament filios quàm filij parentes.

REMIGIVS *in Catenâ aureâ*, Mysterium, *inquit*, hoc esse Apostulus dicit in Christo & Ecclesiâ. Dominus enim Iesus Christus quasi Patrem deseruit, cùm de cælis ad terram descendit: & matrem deseruit, id est Synagogam, propter infidelitatem, & adhæsit vxori suæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ: & sunt duo in carne vnâ, id est Christus & Ecclesia in vno corpore.

Quô Christus patrem & matrem deseruerit, vt vxori suæ Ecclesiæ adhæreret.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem*: Postquam verò veteris legis & verba & facta induxit, dicens, Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Sicut enim qui spiritualiter se diligunt, vna anima esse dicuntur, dicente Scripturâ, Omnium credentium erat cor vnum & anima vna; sic vir & vxor, qui carnaliter se diligunt, vna caro esse dicuntur. Quemadmodum igitur carnem incidere, est sordidum; ita & mulierem diuidere, est iniquum. Vlteriùs autem & Deus induxit, dicens, Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet; demunstrans, quòd & præter naturam & præter legem est, vxorem dimittere. Præter naturam quidem, quia vna caro diuiditur: præter legem autem, quoniam Deo copulante & iubente non diuidi vxor dimittitur. *Vnde perperàm Erasmus in 1. ad Corinthios cap. 7.* Hoc Deus, *inquit*, coniunxit quod ritè coniungitur: hoc Deus dirimit, quod rectè dirimitur. *quasi possint separari coniugia malè iniita suasore non Deo, sed diabolo. Christus enim loquitur de naturâ, & primæuâ matrimonij institutione, secundùm quam matrimonium valde semel initum, quomodocumque vel cuiusuis suasu initum sit, est indissolubile. Natura enim hoc exigit, idque vt vna proles post aliam nascens commode educari ab vtroque parente possit. Hæc enim educatio in homine difficilis est & lenta, durans ad annum vigesimum & vltrà.*

Matrimonij vinculum indissolubile ex naturâ suâ & Dei institutione.

S. CHRYSOSTOMVS *ad hunc locum*: Grauis est autem fornicarijs interpretatio castitatis: sed contra rationem respondere non possunt, veritati tamen credere non acquiescunt. Conferunt ergo se ad patrocinium Moysi, sicut homines malam causam habentes confugiunt ad potentes viros: & si per iustitiam non possunt, vincant per personam. *Vnde sequu-*

sequitur, Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandauit? *Vbi nota, quod vt fortior sit obiectio, dicant*, Mandauit, *cum tamen, vt rectè innuerit Christus, tantùm permisisset hoc Moyses. Erat tamen mandatum sub conditione; scilicet, vt si vellent repudiare coniuges, id non facerent nisi dato libello repudij. An autem libellus repudij esset licitus, an tantùm permissus, & quibus casibus ac cæremonijs, exactè tradit P. Cornelius ad Deuteronomij cap. 23.*

Erroneum est, dicere, etiam in causa fornicationis licere secundam vxorem ducere viuente primâ.

VERS. 9. QVICVMQVE DIMISERIT VXOREM SVAM, NISI OB FORNICATIONEM, ET ALIAM DVXERIT, MOECHATVR.] *Nota hinc, Græcos, item Lutheranos, Caluinistas, Anabaptistas, Erasmum & Catharinum etiam à contrario inferre: Ergo qui ob fornicationem dimiserit vxorem, & aliam duxerit, non mœchatur. Vnde censent adulterio matrimonium solui. Sed hic est error damnatus ab Apostolo ad Rom. 7, 2. & 3.* Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro. *Idem dicit 1. ad Cor. 7, 39. & Tridentinum sessione 24. cap. 6. & 7. Melius ergo S. Augustinus lib. 1. de. Adult. coniug. cap. 9. exponit*, Nisi ob fornicationem, *id est extra causam fornicationis. Fauent isti explicationi Græca & Syrus, qui habent*, Non adulteram, *quasi Christus affirmare velit, castam non posse dimitti: de incesta autem & fornicariâ nihil dicere velit, ad vitandam inuidiam Pharisæorum & populi, cui illo tempore licita & vsitata erant fornicariarum repudia: atque ita vocula* nisi *accipietur negatiuè.*

Quomodo intelligatur illud, nisi ob fornicationem.

Secundò, Nisi *etiam propriè potest accipi, scilicet exceptiuè: sed tunc non ad id quod sequitur, sed ad præcedens tantùm referri debet. q. d. Quicumque dimiserit vxorem (quod tamen non licet nisi ob fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur.*

Tertiò, planè & aptè cum Theophylacto ad hunc locum, & S. Augustino libro contra Adimantum cap. 3. ita capi potest: Quicumque dimiserit vxorem nisi ob fornicationē, & aliam duxerit, mœchatur. *Mœchatur, inquam, tum dimittendo, tum aliam ducendo, id est, bis mœchatur. Christus enim vtrumque respondet, quia vtrumque quæsierunt Pharisæi, & vtrumque est verum. Nam si vir solùm dimittat innoxiam, mœchatur, tum quia violat ius matrimonij sui & vxoris, quod est quoddam mœchari; (mœchia enim significat vitium matrimonio repugnans:) tum quia mœchatur, id est, facit vxorem dimissam mœchari, vt explicat Matthæus 5, 32. Vnde tamen à contrario inferas, Ergo qui dimittit ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur quidem dimittendo, mœchatur tamen aliam ducendo. Quare dicendum est, Christum hic ob fornicationem diuortium quoad torum concedere, non autem matrimonij quo ad vinculum solutionem.*

Fornicatio separat torum, non vinculum.

S. HIERONYMVS *in aureâ Catenâ id confirmat his verbis:* Poterat autem accidere vt aliquis calumniam faceret innocenti vxori, & ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret. Ideò sic priorem dimittere iubetur vxorē, vt secundam primâ viuente non habeat. Nec non quia poterat euenire, vt iuxta eamdem legem vxor quoque marito daret repudium, eâdem cautelâ præcipitur, ne secundum accipiat virum: & quia meretrix, & quia semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo non nubere præcipitur viro; quòd si talem duxerit, sub adulterij crimine sit.

IDEM: Graue pondus vxor est, si exceptâ causâ fornicationis, eam dimittere non licet. Quid enim, si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, tenenda erit? Videntes ergo Apostoli graue vxorum iugum, proferunt motum animi sui, & dicunt ei: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere.

NAZIANZENVS *Orat.* 36. Id ipse quoque probo. Honorabile enim connubium & torus immaculatus: sed moderatis expedit, non petulantibus & libidine perditis, ac plus æquo carnem honorare volentibus. Cùm matrimonium nihil aliud est, quàm matrimonium & coniunctio, & prolis successionisque cupiditas; tum bonum est matrimonium: plures enim introducit qui Deo placeant. At cùm materiam inflammat, & spinis obuoluit atque circumdat, vitijque quasi via inuenitur; tum ipse etiam dico, non expedit nubere. Bonum est matrimonium; sed quòd virginitate præstantius sit, dicere non possum. Neque enim magnum aliquid esset virginitas, nisi re aliquâ bonâ melior & præclarior esset.

Quando sit matrimonium sit bonum & cum non.

Matrimonio præstantior virginitas.

S. CHRYSOSTOMVS *lib. de Virginitate*, Quemadmodum, *inquit*, qui nuptias in malis ponunt, suam virginitati laudem detrahunt: sic qui coniugium à crimine vindicant, non magis ipsum coniugium quàm virginalem laudant castitatem. Etenim in corporibus non ea quæ mancis ac debilibus, sed ea quæ sanis & integris comparata excellunt, pulchriora dicimus. Bonum est connubiū: est verò ob eam causam virginitas admirabilis, quæ eo quod bonum est, melior existit: tantoque melior, quantò remigibus gubernator, quantò est militibus Dux præstantior. Sed quemadmodum è naui si remiges sustuleris, nauigium submerseris; si milites submoueris è prælio, ducem hostibus constrictum tradideris: ita si matrimonium loco deieceris, virginitatis prodideris gloriam, & in summorum ordinem malorum compuleris.

Matrimonium laudabile, sed laudabilior est virginitas.

SVLPITIVS *in Vitâ S. Martini*: Cùm B. Martinus diœceses circumiret, boues ea parte prata depauerant, porci etiam nonnulla suffoderant, pars cetera quæ manebat illæsa diuersis floribus quasi picta vernabat. Speciem, inquit, gerit pars illa coniugij, quæ pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa verò quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Ceterùm illa portio, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit. Herbis fecunda luxuriat, fœni in eâ fructus exuberat, & vltra omnem speciem distincta floribus quasi gemmis micantibus ornata radiat.

HILDEBERTVS *pulchrè virginitatis laudes prosequitur in illud* 1. *Cor* 7. De virginibus præceptum Domini nō habeo. Virginitas curarū est silentium, pax carnis, vitiorum redemptio, principatus virtutum. Virginitas contenta paruo, sollicita est pro naturâ, non ambitiosa pro matronâ. Damni virginitatis sicut nulla est reformatio, sic omnia recompensatio inferior. Impar mercimonium est, breuem quæstum iacturâ comparare perenni. Minùs sibi prouidet, quisquis gratiæ virginitatis aliud anteponit. Incomparabili comparatur pretio, quam fur sollicitetur vt asportet, dominus vt seruet. Nescit à quantâ hereditate decidit, quisquis vt heredes relinquat, similitudinem Angelorum deponit. Numquid non intelligis sabbatū consilij, non præcepti? Sab-

Virginitatis elogia.

Virginitatis pretium incomparabile.

Prærogatiua virginitatis.

sabbatum quo feriatur ab opere carnis caro; quod sapit quiddam super carnem carn. Virginitas Angelicam redolens conuersationem cantat canticum nouum, quod nemo potest dicere præter eos qui cum mulieribus non coinquinati sequuntur Agnum quocumque ierit: quippe quibus fuit cum Christo quoddam virginitatis participium, quoddam est & in præmio consortium. Sub hoc autem sponso fecunditatem non impedit integritas, nec famulante concupiscentiâ filij generantur. Beata nimirum sponsa, cuius pudor dum concipit, non deperit; dum generat, non laborat. Beatissimus etiam sponsus, cui nisi cohæreat, nulla virgo est; nulla casta, nisi eum diligat; nulla libera, nisi ei seruiat. Eius prole nihil viuacius, cum quâ nulla propagatur mortalitas; eius dote nihil vilius, in quâ sufficientiam commisit æternitas. *Licet autem tot & tanta sint Virginitatis bona, tamen* non omnes capiunt verbum istud. *Græcè, οὐ χωροῦσι, id est,* non sunt capaces. *Quam capacitatem Nazianzenus Orat. 31. de Tribus eunuchorum generibus, videtur interpretari propensionem naturalem ad castitatem, quam non omnes habent. Verum aque aut magis commode accipitur obnoxio sensu, q.d. Non omnes capaces sunt, siue capiunt, id est, Non omnes suscipiunt, non approbant, non amplectuntur hoc verbum siue consilium castitatis ac Virginitatis. itaque id accipit*

Non omnes capiunt Verbum virginitatis.

S. CHRYSOSTOMVS *in aureá Catená.* Ideò ergo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt. Palma proposita est: qui concupiscit gloriam, non cogitet de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum timerent. Ex eo ergo quòd quidam à proposito continentiæ cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores: sicut & qui in pugnâ cadunt non exanimant ceteros. Quod ergo dicit, Quibus datum est, illud ostēdit, quia nisi auxilium gratiæ acciperemus, nihil nobis valeret. Hoc autem auxilium gratiæ volentibus non denegatur: dicit enim Dominus, Petite & accipietis. Deinde possibile hoc esse ostendens, ait: Sunt enim eunuchi. q.d. Excogita si ab alijs exectus esses, quid vtique faceres? voluptate quidem priuatus, mercedem autem non haberes. Sicut enim peccatum opus sine voluntate non facit, ita & iustitia ex opere non consummatur, nisi & voluntas adfuerit. Illa est ergo gloriosa continentia, non illa quam transgredi non potest necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi.

Quare dicit, Qui se castrauerunt, *ostendens nostri arbitrij esse nos cum Dei gratiâ castrare, hoc est castos efficere, idque voto firmare, atque hoc vox* eunuchi *denotat, scilicet impotentiam moralem, vti & vox* castrauerūt. *Ita S. Hieronymus ad hunc locum; Epiphanius Hæresi 58. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, cap. 3. & alij a P. Serrio in Triumpho veritatis cap. 526. citati.*

Virginitatis commoda.

Subiungit autem causam huiuscemodi voluntariæ castrationis, propter regnum cælorum; *indicans non tantùm hoc consuli ad res vxoriæ molestias euitandas, aut propter Euangelium, quo nimirum illi expeditius tempore persecutionum, quales in primitiuâ Ecclesiâ passim sæuiebant, deseruirent, vt admittunt etiam hæretici; sed etiam ad ipsum cælorum regnum promerendum, tamquam quæ non solùm impedimenta tollat, & facultatem præstet melius Deo seruiendi, sed quod ipsa etiam per se castitas nos Deo gratiores efficiat, & meritoria sit regni cælestis; vtpote quæ ipsa cælestis planè virtus sit, & hominem ad Angelorum extollat dignitatem, vti passim fusè & pulchrè SS. Patres, Chrysostomus, Basilius, Nyssenus de Virginitate, alijque passim in huius virtutis laudibus multi.*

PETRVS RAVENNAS *super* Missus, Semper, *inquit,* est Angelo cognata virginitas. In carne præter carnem viuere, non terrena vita est, sed cælestis. Et si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere maius est, quàm habere. Esse Angelum, felicitatis est; virginem esse, virtutis. Angelus ergo & virgo diuinum est officium, non humanum. *Vnde Dominus virginalem castitatem voluit esse consilij, non præcepti, vti satis indicant verba sequentia,* Qui potest capere, capiat, *quæ exhortantis sunt, quasi dicat (inquit* HIERONYMVS *epist. 1. ad Demetriadem)* Rem itaque tam magnam non impero, sed offero: neque quemquam ad hoc cogo, sed prouoco. *Dicendo autem,* Qui potest, *non significat aliquibus rem esse impossibilem sed arduam atque difficilem. Licet enim omnes non habeant donum continentiæ quo actu contineant, sicuti nec omnes iusti habent donum perseuerantiæ quo actu perseuerant; tamen sicut omnes iusti habent donum perseuerantiæ quo possint perseuerare si velint, ita omnes homines possunt habere donum continentiæ, si videlicet vires ad cælibatum à Deo petant, & Dei gratiæ per debita media cooperentur. Alioqui enim frustra Christus hoc consuleret. Ita SS. Chrysostomus Hieronymus, & Nazianzenus locis supra citatis. Quænam autem ex parte nostrâ ad continentiam seruandam media sint adhibenda, docet*

Virginitas non præcepti, sed consilij est.

S. BASILIVS *lib. de Verâ virginitate, ad Letoium Melitensem ita scribens:* Muniantur ergo vndique virgines, ac se obseruent summâ diligentiâ, ne sicut à terrâ & hominibus in cælestem Angelicamque dignitatem ascenderunt, ita econtrà ab Angelis & cælis in terram pessimâ ruinâ delabantur. Neque vltrà lignum aridum pro infecunditate carnis existimandi sunt, sed vt virentia arbusta plurimis iustitiæ fructibus omni ex parte redimiti. Plantati enim, inquit, in domo Domini, in atrijs domus Dei florebunt. In lege præcipit Deus adipem & ipsos renes ignibus tradi. Nempe enim sine renibus, id est sine coniugio in terris viui potest, virginitatisque vita, nullo inferior Angelis ad perpetuam gloriam hîc iam exerceri. Verùm summâ tolerantiâ laboris, atque continentiâ præcipuá fortiter illa intendamus, corporisque nostra hostiam sanctam, placentem Deo, tamquam vitulum pro sacerdotio studiosè offeramus, & modò quidem priuam concupiscentiam veluti fibram iecoris, modò superfluitatem cibi quasi adipem quo venter operitur, modò totam simul concupiscentiam coitus, veluti renes vnà cum adipe diutino continentiæ igne consumamos, vt iuxta propositam virginitatis destinationem omni prauâ ac turpi concupiscentiâ, omnique voluptate superiores euadentes, per continentiæ sacra certamina proposito certantibus præmio digni inueniamus. *Ante omnia autem ad continentiam conseruandam, necessaria est periculosæ conuersationis fuga, vti bene monet*

Virginibus custodia adhibenda.

Psal. 91.
Leu. 3.

Quale sacrificium pro continentiâ conseruandâ offerendum

S. CHRYSOSTOMVS *Serm. Contra concubinarios, docens non cohabitandum cum virgine.* Esto, *inquit,* quòd sis etiam cohabitando purus, quamuis ne Iob quidem ille beatus ausus fuit tantam virtutem & sapientiam sibi adsciscere, & de se ista testari. Sed qui omnem transcenderet virtutem, ex omnibus diaboli retibus extractus, & primus & solus tantam fortitudinem demōstrauit, & omne ferrum & adamantem suâ continentiâ prætergressus, subnerua-

Aspectus & cohabitatio feminarum vitanda continenti.

neruauit diaboli potestatem, sic veritus erat talem pugnam, & putauit impossibile esse cohabitare virgini sine damno, & putum adeò, vt non solùm à cohabitatione tali procul & longè seipsum, sed & ab aspectu prorsus & occursu subduxerit, legem-
Iob 31,1. que posuit oculis suis omnino in virginem non respicere quidem. Sciebat enim manifestè, quòd non solùm cohabitantem, sed & videntem curiosè in faciem virginis difficile, fortè autem & impossibile sit, effugere damnum quod inde oritur. Propter quod & dicebat: Ne cogitem quidē de virgine. At si paruus vobis videtur, quamuis reuerà neque stercore illius simus digni, cogita prædicatorem veritatis, qui totum orbem circuit, & dicere potuit verba illa multâ sapientiâ referta, quòd iam non
Gal. 2, 20. 1 Cor. 15. 45. ipse sit viuens, sed Christus in ipso, & quòd crucifixus sit mundo, & mundus ipsi, & quòd quotidie moriatur post tantam Spiritus gratiam, post tam innumera pericula; declarat nobis, & demonstrat,
Quâ ratione munienda sit castitas. quòd donec spirauerimus & hac carne fuerimus circumdati, certaminibus nobis opus est & laboribus; neque vnquam otio continentia paratur, sed multis sudoribus & laboribus opus est. Ad hoc
1. Cor. 9, 27 enim trophæum parandum sic dicebat: Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne dum alijs prædicauero, ipse reprobus efficiar. Hæc autem dicebat, declarans seditionem carnis, & concupiscentiæ rabiem, prælinmque continuum, ac vitam semper in agone constitutam. Et idcircò etiam
Math 5, 28 Christus arduitatem rei declarans, neque vel licitè aspicere permittit mulierum facies, quoniam & adulterorum pœnâ puniendus sic spectantes interminatus est. Et cùm dixisset Petrus, Non expedit
Matth. 19, 12. vxorem ducere, non statuit legem ne ducantur vxores, sed naturam rei declarans, dicebat, Qui potest capere, capiat. Audimus autem & hoc nostro sæculo, quòd nonnulli ferro totum corpus obligantes, & sacco vestientes, & ad vertices montium currentes, ac in cōtinuis vigilijs atque inediâ summâ viuentes, & omnem disciplinæ seueritatem ostendentes, ab omnibus mulieribus segregati, ascendere in domunculam & tugurium, & hac ratione seipsos castigantes, concupiscentiæ furorem comprimant. At tu dicis, quòd licet videas cohabitantem virgini, & alligatum, & deliciantē, & animam potiùs amittentem quàm cohabitatricem, paratumque omnia & facere & pati potiùs quàm separari à dilectâ, ne suspiceris aliquid mali, ne putes concupiscentiæ negotium, sed pietatis potiùs. Admirande vir, is affectus est his qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Et tu quidem fortè non credis ob magnam tuam continentiam: ego autem audiui multos dicentes, quòd etiam multi apud lapides & statuas aliquid passi sunt. Quòd si tantum valuit dura effigies, quantam operabitur insaniam in effigie pulchrâ tenerum corpus? Quòd si quid difficultatis habet diuelli à consuetudine longâ, illud nobis persuadeamus, vel si principium solum imponamus operi, non vltrà visuros nos difficultatem, sic aduersus consuetudinem præualebis. Nam si decem dies te abstraxeris, facilè feres viginti, & iterùm bis tantos, deindeque viâ progrediens, neque senties difficultatem quam habuisti initio, videbisque facillimum factu quod tot ago-
Quàm dulce sit ab incontinentiæ molestijs liberari. nes priùs exposcebat, & in aliam te mutabis consuetudinem, viuesque liberè & iucundè. Quid enim fuerit suauius, quàm perpetuum concupiscentiæ bellum dirimere, & multâ facilitate bonam continentiæ coronam plectere, & liberis oculis in cælum respicere. Nullus catenis, pondere, & alijs carcerum incommodis exemptus, immò nullus qui cæcus erat, apertis oculis, & vitâ hac dulci luce sic exultat, vt cùm ab hac seruitute liberari contigit. Longè enim dulcior hac luce est liberatio ab hac tyrannide, & omni caligine grauior seruitutis huius miseria.

VERS. 19. Homo quidam erat diues,
qui induebatur purpurâ & bysso: &
epulabatur quotidie splendidè.
20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam
eius, vlceribus plenus,
21. cupiens saturari de micis, quæ
cadebant de mensâ diuitis, & nemo illi
dabat: sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

26. QVÆRET hîc fortassè nonnemo, an CYRILLVS secundùm Euangelicā historiam, qui pauper ad quietem, diues verò ad supplicium abijsse dicitur, id verè contigerit, & plena iam cuique operum suorum retributio obtigerit; an verò futuri per hoc iudicij solùm figura quædam exhibeatur. Dicet autem aliquis, quòd reuerà contigerit, quandoquidem Lazarum nomine suo proprio appellauerit. Nam cur non potiùs dixit, Homo quidā pauper; sed, Lazarus; nisi vt ipsâ nominis compellatione reipsâ id verè contigisse ostenderet? Cui respondemus, iudicium futurum post resurrectionem mortuorum, vti *Iudicium quando futurum.* diuina vbique Scriptura insinuat: resurrectio autem non erit, nisi in secundo Christi aduentu, quando in cælis apparebit in gloriâ Patris vnà cum sanctis Angelis, quemadmodum sapientissimus etiam Paulus testatur, 1. Thess. 4, 16. dicens quòd ipse Dominus in iussu & in voce Archangeli, & in tubâ Dei descendet de cælo. Canente enim tubâ, mortui resurgent incorrupti.

ANNOTATIONES.

QVAERET hîc fortassè nonnemo, &c.] *Petitur hîc an hæc de diuite & Lazaro historia sit, an parabola. Sed non satis clarè suam sententiam dicit Cyrillus, nec directè ad id quod petitur respondet. Dico itaque, probabilius videri, hanc esse veram historiam. Vnde nominatur pauper Lazarus, qui alius fuit à Lazaro fratre Marthæ, vti omnes docent, & vtrique Ecclesia cultum exhibet. Tam clarè etiam diuitis damnatio narratur, aliaque ita plana sunt, vt omnino vera esse historia videatur. Vnde nec à Christo parabola vocatur, vti solent alia quæ reuerà parabolæ sunt. Et hæc est etiam Patrum apud Maldonatum sententia. Nota tamen, quædam hîc inseri parabolica, vel symbolica, idque ex hominum vsu, v.g. de linguâ diuitis, de guttâ aquæ, & similia. Videtur autem hic diues, cuius nomen tacetur, fuisse Iudæus, vti ex Versu 24. & 31. Euthymius colligit.* NVM. 16 *De diuite & Lazaro an sit historia an parabola.*

27. Ho-

ANONYM. 27. Homo enim erat quidam diues valdè, inquit. Vbi considera, & aduerte diligenter Saluatoris verba, in quibus summa relucet sapientia. Neminem enim nominatim recenset, dicendo verbi causâ, Homo quidam diues vti Iob: non vtique hoc dixit, sed in genere tantùm hominem diuitem nominat: pauperis verò econtrà meminit nominatim. Quid hîc itaque obseruandum? quòd videlicet hunc tamquam durum, & in pauperes inhumanum, Dominus anonymum inducat, vti per Prophetã de Deum non timentibus pronuntiarat dicens: Non memor ero nominum illorum per labia mea. At pauperem verò nomine designat: siquidem tales in Dei linguâ & ore obuersatur.

Pauperum meminit Deus, & diuitum quasi obliuiscitur.

Psal. 15, 4.

BASILIVS in Isa. 3. 28. Et per excessum deliciarum insultans sanctis, in luxuriosâ suâ vitâ circumferebat vestem eximiam, ad imitatiuam similitudinem vestis Pontificiæ eiusmodi vestimentis indutus, quibus sacerdotes induti introibant Sancta pro mundo supplicaturi, quæ suis coloribus elementa referebant, ex quibus omnia constant. Et quidem byssus pro terrâ ponitur, hyacinthus autem pro aëre, purpura pro mari, & pro igne coccinum. Hisce assiduis delicijs diues potiùs deformatus erat quàm decoratus.

Colores vestis sacerdotalis.

CYRILLVS 29. Epulabatur quotidie, & additur splendidè, hoc est, perditè & prodigè. Omnes enim diuitis deliciæ in similibus sitæ sunt. Pauper verò Lazarus morbo grauatus, inediaque exhaustus, ad domus illius vestibulum iacebat, abiectus, omni curâ omnique humano præsidio prorsus destitutus, ad placandam inediam aliud nihil expetens, quàm micas, quæ de diuitis mensâ temerè cadebant, & nemo illi dabat. Grauissimæ autem inediæ tormento accedebat morbus longè molestissimus.

Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Non quasi eâ re voluerint illum lacessere, sed eo quo poterant sensu, vicem eius dolentes, & vulneribus medẽtes. Linguâ enim propriâ saniem abstergebant, & beneuolè Medicorum instar lingendo circumungebant, quò per hoc quoque diues epulo feris bestijs immanior, imò verò omni misericordiâ, omnique humanitatis sensu prorsus exutus ostendatur.

Medicina canũ linguæ.

CHRYSOSTOMVS ad Olymp. Simile est in illa, Nemo læditur nisi à seipso. 30. Quid igitur est virtus hominis? Non pecuniæ, vt paupertatem metuas; nec sanitas corporis, vt timeas morbum; non multitudinis opinio, vt suspectam habeas existimationem malam; nec vita per se sola fine adiectione, certoque proposito fine, vt mors tibi formidabilis existat; nec libertas, vt seruitutem fugias: sed veræ doctrinæ diligens studium, & vitæ honestas. Hanc verò nec ipse diabolus poterit eripere, si possessor eâ quâ par est curâ custodiat: idque nequissimus & truculentus ille dæmon nouit. Hanc enim ob causam etiam Iobum bonis spoliauit, non vt eum pauperem redderet, sed vt maledicum aduersus Deum aliquod verbum efferre cogeret: & corpus concidit, non vt in morbum conijceret, sed vt animæ virtutem labefactaret. Sed tamen cùm omnes suas machinas admouisset, & ex diuite pauperem effecisset, & ex multorum liberorum patre orbum, totumque eius corpus lacerasset, & malam ei existimationem conciliasset (amici enim eius, qui ei aderãt, Non dignas, aiebant, peccatis tuis pœnas dedisti?) non modò illi non nocuit, sed etiam illustriorem per insidias reddidit. Neque tantùm quidquam de bonis non abstulit (quamquam tot tantaque abstulisset) sed etiam maiores ei diuitias virtutis comparauit. Quòd si is qui tanta perpessus est, detrimenti nihil accepit, ac perpessus non ab homine, sed à dæmone omnibus hominibus nequiore: quid excusationis deinceps habebit quisquam eorum, qui dictitant, Ille mihi damnum & detrimentum attulit? Si enim diabolus, tantâ refertus improbitate, omnibus instrumentis adhibitis, & malis omnibus quæ in hominibus erant, magno cum excessu, & in familiam iusti illius, & in corpus congestis, nihil viro obfuit, sed, vt dixi, etiam profuit: quî poterunt quidam hunc aut illum accusare, quasi alter ab altero, ac non potiùs à semetipsis damno affecti. At paupertas, inquit, molestias creat, ac sæpè etiam facit vt maledica in Deum verba effutias, & illiberalia negotia suscipias. Non paupertas, sed pusillanimitas. Nam & Lazarus pauper erat, & admodum quidẽ pauper; paupertati accedebat aduersa valetudo omni paupertate acerbior, quæ paupertatem quoque reddebat grauiorem: aduersæ valetudini solitudo & penuria eorum qui adessent atque ministrarent, quæ cùm paupertatem, tum aduersam valetudinem faciebat acerbiorem. Horum namque singula per se quoque molesta sunt; cùm verò neque qui ministrent adsunt, maior fit calamitas, sæuior flamma, dolor acerbior, tempestas atrocior, fluctus vehementiores, caminus ardentior. Quòd si quis accuratè circumspiciat, aliud etiam his quartum accedebat, nempe diuitis in viciniâ habitantis licentia & luxus. Sin aliud etiam quintum vis inuenire flammæ illius fomitem, id quoque in eo perspicuè videbis: non enim dumtaxat genio indulgebat diues ille, verùm etiã etsi iterum, tertium, imò verò sæpiùs in die eum videbat (iuxta ingressum enim iacebat, spectaculum dirum miserabilis tragœdiæ, & qui aspectu solo

Quod virtus sit hominis & quid eam lædere possit.

Patientia & virtus Iobi.

Calamitas Lazari & in eâ patientia.

fulo vel lapideum pectus poterat emollire) tamen neque hoc inhumanum illum ad eam paupertatem leuandam permouit: sed ille lautissimam apponebat mensam, crateres habebat plenos, merum temerè diffundendum, coquorum exercitum, parasitos & adulatores primâ luce & choros canentium, vina infundentium, risus mouentium: omne genus helluationis excogitabat, inebriabatur, ingurgitabatur, in luxu vestium, mensæ, aliarumque rerum perpetuò viuebat. Iustum verò quem graui fame, morbo acerbissimo, tot vlcerum obsidione, solitudine, & malis inde consequentibus in dies singulos premi videbat, ne in animum quidem aliquando admisit: parasiti & adulatores nimijs epulis pæne disrumpebantur, at iste pauper, & adeò pauper, tot malis cinctus, nec micas ex illâ mensâ obtinuit, idque valdè cupidus. Neque horum quidquam eum læsit, non verbum protulit asperum, non vocem edidit blasphemam; sed vt aurum vehementiore incêdio magis purgatum splendescit, sic etiam ille afflictionibus istis vexatus, omnibus fuit superior, tam plagis, quàm quæ multis nascuntur inde perturbationibus.

CHRYSOSTOMVS in Lucæ cap. 16. de Lazaro. 31. Ita quidem ceteri tantopere mirantur hominem, quòd in paupertate vixerit. Ego verò ostendo illum nouem pertulisse supplicia, non quò puniretur, sed quò clarior redderetur.

1. *Nouem supplicia Lazari.* Nam paupertas quidem res est verè molesta, id quod norunt quicumque sunt experti. Nec enim vlla oratio possit assequi cruciatum quem sustinent ij quibus cum paupertate

2. res est, si nesciant vti philosophiâ. In Lazaro verò non ista tantùm erat calamitas, verùm etiam aduersa coniuncta valetudo, eaque supra modum grauis. Obserua autem, quemadmodum vtramque calamitatem ad summum peruenisse declaret. Nam quòd Lazari paupertas omnem tum superauerit paupertatem, declarauit dicens, quòd ne micis quidem potiri potuerit, quæ de mensâ di-

3. uitis cadebant. Age, posses ne mihi nominare quempiam, simul & aduersæ valetudini & paupertati obnuxium, sed non vsqueadeò desolatum ac destitutum? nam ille quidem quamquam non ex sese, neque à domesticis ac familiaribus, tamen ab his qui viderent, misericordiâ flexis, in publicum proiectus, poterat subleuari. Hoc verò eas quas anteà diximus molestias longè reddebat molestiores, quòd ab his qui assistere debebât desertus esset; ipsamque hanc solitudinem rursum

4. videri faciebat molestiorem, quòd in vestibulo diuitis iaceret. Etenim si in terrâ desertâ, nullisque habitatâ iacens, hæc passus fuisset, neglectusque iacuisset, haudquaquam tantum cruciatum habuisset, nam si nullus adsit, hoc ipsum etiam nolenti persuadet, vt ferat quæ accidunt; ceterùm quòd in medio tam multorum iacens, ebrietati indulgentium, suauiter viuentium, à nemine vel vulgarem curam nancisceretur, id reddebat sensum dolorum acriorem, magisque animi ægritudinem incendebat. Non enim perinde, si absint qui succurrant, atque si adsint quidem, sed nolint porrigere manum, quod in calamitatibus animum mordere solet, tumque huic accidit. Nullus erat qui dictis consolaretur, nullus qui factis adferret solatium, non amicus, non vicinus, non cognatus, non videntium quisquam, adeò erat tota diuitis dehcijs corrupta familia. Ad hæc aliam doloris accessionem adiungebat, quòd alterum illum in felicitate 5.
conspiciebat, non quòd inuidus esset ac prauus, sed quòd omnes solent in aliorum prosperitate, exactiùs suas persentire calamitates. Non enim iam solùm suam ipsius calamitatem, cum illius prosperitate conferens, grauiorem reddidit suorum malorum sensum, verùm etiam perpendens, quòd ille vitam ducens crudelem & inhumanam, in omnibus prosperè ageret, ipse verò virtutem ac modestiam amplexus, extrema pateretur mala, animi molestiam & hinc sustinuit incomparabilem. Nam si vir iustus fuisset diues, si modestus, si suspiciendus, si omni virtute præditus, nequaquam illi perinde doluisset. Nunc verò cùm diues esset, & vitam 6.
ducens improbam, & ad extremum vsque malitiæ prouectus, & tantam ostendens inhumanitatem, & hostilem animum gerens, nec secùs atque lapidem ipsum prætercurrens, sine verecundiâ, sine misericordiâ, denique super hæc omnia, tantâ potiens rerum copiâ, cogita quàm probabile sit, quòd velut alternis fluctibus merserit ille pauperis animum: cogita qualiter affectum fuisse Lazarum consentaneum est, cùm videret parasitos, adulatores, famulos ascendentes, descendentes, egredientes, ingredientes, circumcursantes, tumultuantes, ebrios, salientes, omne lasciuiæ genus exhibentes: sic enim quasi propter hoc venisset, vt esset alienorum bonorum testis, ita in vestibulo proiectus erat, solùm vitæ tantumdem habens, vt sua mala sentire posset, in portu naufragium faciens, iuxta fontem animo siti molestissimâ discruciatus.

Dicam & aliud quoddam præter hæc malum: Non poterat alterum videre Lazarum. Nam nos etiamsi innumera patiamur mala, habemus tamen, illum intuentes vnde sufficientem accipiamus consolationem, 7. *Consolatio miseris, socium habere in pœnis.*

ma-

Consolatio miseris, socios habere in pœnis. magnumque feramus molestiæ delinimentum. Nam malorum nostrorum reperire consortes, siue in factis siue in dictis, multum adfert solatij lugentibus. Ille verò neminem alium habebat eadem cum illo passum ad quem respiceret, imo ne audire quidem poterat de quoquam qui maiorum ipsius ætate tam acerba sustinuisset. Hoc autem satis est ad caliginem animo inducendam.

8. Possum & aliud his omnibus addere, videlicet, quòd ne de resurrectione quidem quidquam potuerit philosophari, sed huius vitæ res credebat huius vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero qui gratiam Euangelij præcesserunt. Quòd si nunc his temporibus post tantam Dei cognitionem, post egregias resurrectionis spes, post illic reposita peccantibus supplicia, post parata illis qui rectè vixerunt bona, adeò deiectis animis ac miseris sunt nunulli, vt ne horum quidem expectatione corrigantur: quid tandem est putandum illi accidisse, etiam hac anchorâ destituto? nam ille tale nihil vmquam philosophari potuit, eò quòd nondum eiusmodi dogmatum tempus aduenisset.

9. *Calamitate pressi, plerumque peruersè mali reputantur.* Ad hæc & aliud quiddam accessit, quòd & fama ipsius apud homines imprudentes traduceretur. Solet enim hominum vulgus vbi quos viderint in fame, perpetuoque morbo, & extremis agentes malis, nec opinionem de eis habere bonam, sed ex ipsâ calamitate æstimare vitam, & omnino iudicare illos ob malitiam sic affligi, aliaque multa huius generis inter se loquuntur, stultè quidem illi, loquuntur tamen: Hic si Deo charus esset, nequaquam ipsum in huiusmodi malis esse pateretur. Hoc & in Iob & in Paulo vsu venit. Nam & illi dicebant: Nónne frequenter tibi dictum est in labore, vim autem verborum tuorum quis sustinebit? Si enim tu consolatus fuisses multos, genibusque infirmis addidisses fiduciam, nunc verò peruenit in te labor: tu verò probus fuisti, nónne tuus timor est in insipientiâ? Quod autem dicit est eiusmodi: Si quid tibi, inquit, bonæ rei gestum fuisset, haudquaquam ista patereris, sed peccatorum & iniquitatis huis pœnis. Et hoc erat quod animum beati Iob maximè mordebat. Ac de Paulo barbari hoc ipsum dicebant: cùm enim viderent de manu illius pendentem viperam, Hunc, inquiunt, à mari seruatum, vltio non passa est viuere. *Iob. 4.* *Act. 28, 4.*

Hæc igitur omnia cùm sciamus, philosophemur, neque dicamus: Si illum Deus amasset, handquaquam eum talem esse passus fuisset. Nam hoc ipsum quidem maximum est dilectionis argumentum. Quem enim diligit Deus castigat. Eijciamus igitur istas superuacuas opiniones, & istiusmodi dicta vulgaria. Quòd si diues iste mortuus illic punitur, vnum factum est vnum: si verò illic ijsdem potitur honoribus, duo facta sunt nihil. Nam dicere, Num hinc profecti mali puniuntur? nec hoc vehementer habere persuasum quòd omnino puniendi sunt, diffidentium est ac dubitantium. Illud verò, quamuis hoc euenerit, quemadmodum etiam euenturum est, putare malus æquale præmium cum iustis reportare, extremæ dementiæ est. Quid ais? dic mihi. Si diues illuc profectus punitur, vnum factum est vnum? & quomodo istuc possit consistere? Quot enim annis vis illum hîc pecunijs fuisse fruitum? vis ponamus centum? Ego verò etiam ducentos pono, pono trecentos, pono bis tantum, & si vis mille, quod sanè fieri non potuit, (dies enim, inquit Psalmista, annorum nostrorum octoginta anni) attamen ponantur mille: num potes, rogo te, vitam ostendere, quæ finem non habeat, qualis est istic iustorum? Age igitur, cedò, si quis in annis centum vidisset per vnam noctem suaue somnium, multisque delicijs per somnum fruitus esset, centum annis puniretur; num ipse de hoc dicere posset, vnum vnum, & vnicam noctem quâ somniauit, centum annis æquiparare? dictu absurdum. Hoc iam & de futura vitâ cogita. Nam quod est somnium vnum ad annos centum, hoc est præsens vita ad vitam futuram, imò potiùs multò minus. Quod est exigua gutta ad pelagus immensum, hoc sunt anni mille ad futuram illam fruitionem. Et quid tandem queat aliquis amplius dicere, nisi quod terminum non habet, & finem nescit: quantumque interest inter somnia & res veras, tantum interest inter vitæ huius statum & illius. Quæ quidem omnia apud nosipsos conferentes, ne beatos iudicemus, qui diuitijs, sed qui virtute præditi sunt: neque miseros dicamus eos qui in paupertate, sed qui cum improbitate degunt: ne præsentia respiciamus, sed futura prospiciamus: ne externũ amictum, sed cuiusque conscientiam examinemus, sectantes virtutem, & quæ ex rectè factis proficiscitur voluptatem, Lazarum imitemur diuites simul ac pauperes. Quomodo igitur sumus excusandi, si cùm hic cunctas afflictiones simul conglomeratas tantâ pertulerit animi fortitudine, nos ne dimidium quotum tulerimus? Non enim potes, non potes, inquam, alium quemquam commemorare, qui talia tantaq́; perpessus sit mala. Eamque ob rem Christus hunc potissimùm exempli causâ proposuit in mediũ, vt si quando in res tristes inciderimus, ex illius philosophiâ satis magnum solatiũ molestiæq́; lenimen capiamus.

Hebr. 12, 6. Deus quos diligit castigat. *Psal. 89.* *Somnium vita præsens ad futuram.*

Mm VERS.

VERS. 22. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.

CHRYSOSTOMVS Hom. 2. de Lazaro.

32. HIc malum quemdam morbum vestris animis eximere cupio. Sunt enim multi simplices, qui animas violentâ morte decedentium, dæmones fieri existiment. Hoc autem non fit: non fit, inquam, istud. Non enim animæ violentâ morte decedentium fiunt dæmones, sed potiùs animę in peccatis viuentium : non quòd illarum substantia mutetur, sed quòd voluntas dæmonum prauitatem imitetur. At cuius rei gratiâ diabolus istam peruersam opinionem inuexit? Conatus est Martyrum gloriam defodere atque obruere. Etenim cum illi morte violentâ discesserint, cupiens prauam de illis gignere opinionem, hoc fecit: verũ quod voluit, minimè potuit : perseuęrant enim Martyres, propriũ obtinentes splendorem. Quin aliud multò crudelius perpetrauit, maleficis sibi inseruientibus per has opiniones persuasit, vt tenera multorũ adolescentum corpora trucidarent, spetantes futurum vt dæmones fierent, ac rursum ipsis inseruirent. Verùm non sunt ista vera, non sunt, inquam. Quid igitur sciscitantibus dicunt dæmones, Illius sum anima? Sanè propter hoc ipsum non credo, quia dæmones dicunt: decipiunt enim auditores. Quapropter & Paulus ipsis, tametsi vera dicentibus, silentium imposuit. Verùm ex propositâ parabolâ liquet, quòd animæ corpus egressæ non ampliùs hîc commorentur, sed protinus abducantur. Accidit enim, inquit, vt moreretur, atque ab Angelis deduceretur. Non solùm autem iustorum animę, sed & eorum qui malè vixerunt, illic deducuntur, atque id rursum ex alio diuite perspicuum est: cuius cùm agri vberem prouentum produxerant, audiuit: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam abs te. Hîc inquit deductam fuisse ab Angelis, illic autem repetunt: & hunc quidem ceu vinctum educunt, illum verò vt coronam gestantem stipabant.

Error putantium animas improborum in dæmones mutari.

CHRYSOSTOMVS in cap. 8. Matth.

33. Nequaquam animæ interfectorum veneficis patrocinantur, tametsi clament dęmoniaci, Anima talis ego sum. Non enim anima defuncti est quæ ista dicit, sed dæmon, qui hæc vt audientes decipiat fingit. Nam si posset anima hominis in aliá transire substantiam, multò faciliùs posset in corpus suum redire. Quare vetularum hæc verba, imò desipientium sunt. Nec enim potest anima à corpore separata in hisce errare regionibus. Iustorum enim animæ in manu Dei sunt. Peccatorum verò post hunc exitum continuò abducuntur, quod à Lazaro & diuite planum efficitur. Atque illud iure meritò: nam si iter facientes in terrâ assuetâ, & notâ, & corpore amicti, cùm in ignotas regiones inciderimus, nescimus quò ituri simus, nisi ducem habeamus: quantò magis anima relicto corpore, cùm nouam omnino sibi vitam & viam ingrediatur, quò itura sit ignorabit, nisi ducem consequatur? Multis quoque alijs è locis comprobari potest, non errare hîc post mortem iustorum animas. Nam & Stephanus ait: Suscipe spiritum meum. & Paulus: Dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius. De Patriarchâ quoque Scriptura dicit: Et appositus est ad patres suos. Quòd verò nec peccatorum animæ hîc commorari possint, diuitem audias quid dicat, perpendasque quid petit, & non impetrat. Quòd si ipse potuisset, venisset vtique, & suos de ijs quæ ipsi acciderant fecisset certiores. Vnde illud etiam apertè patet, quòd post exitum à corpore, in locum quemdam certum animæ deducantur, vnde redire sponte suâ non possint, ed terribilem illum iudicij diem ibi expectent.

Anima mouientium à dæmone aut ab Angelis abducuntur.

Sap. 3, 1.

Anima post mortem non vagantur.

Act. 7, 59.

Phil. 1, 23.

Gen. 25, 17

NYSSENVS de Anima.

34. Bonum animæ statum in quo patientiæ athleta requiescit, sinum Abrahę diuinus sermo nominat. Primus enim hic Patriarcha ex ijs qui olim fuerunt, cum spe futurorum, præsentium commodorum vsum atque voluptatem commutasse memoratur: qui quidem omnibus nudatus in quibus ei vita ab initio consistebat, inter alienos conuersabatur, & domicilium habebat, per afflictationes & incommoda præsentis vitæ, eam quæ speratur beatitudinem quærens. Vt igitur certam aliquam pelagi partem circumscriptam, per abusionem quamdam sinum nominamus: ita hic sermo sinûs nomine immensorum illorum bonorum significat demonstrationem. In quo sinu bono, qui per virtutem præsentis vitæ cursum conficiunt, cùm hinc soluerint, tamquam in portu fluctuum procellis minimè obnoxio, animas appulsas & quasi subductas statuunt, quemadmodum fecit Lazarus.

Sinus quid.

ANNOTATIONES.

NVM. 34 *Quid sit sinus Abrahæ*

NOTA, *sinum hunc Abrahæ (vti hic benè Nyssenus) locum esse quietis, in quem recipiantur omnes imitatores fidei ac pietatis Abrahæ. Dictus est autem* sinus Abrahæ, *Primò, quia filij suauissimè in sinu parentum quiescunt. Secundò, quia Abrahæ promissa est benedictio & beatitudo hæc, & consequenter nobis in ipso, vt patet ex Geneseos cap. 22, 18. Tertiò, quia Abraham hospitalitate excelluit, quasi ab eo hospitio excipi mereatur Lazarus, quem diues respuit. Sinus autem hic Abrahæ, siue limbus Patrum, traditur communiter à Doctoribus situs esse in meditullio terræ supra infernum & purgatorium. Quia verò ante Christi*

sti ascensum omnes Sancti ad eum locum deferebantur, transfertur ad significandum cœlum & locum Beatorum.

VERS. 22. Mortuus est autem & diues, & sepultus est [in inferno.]

CHRYSOSTOMVS Hom. 3 de Lazaro. 35. Ne leuiter prætercurras illud, Sepultus est. Hic mihi considera mensas argento circumtectas, lectos, tapetia, omnia quæ tota in domo sunt ornamenta, vnguenta, aromata, vini meri copiam, eduliorum varietates, ciborum delicias, coquos, adulatores, stipatores, famulos, ac reliquam pompam vniuersam, strepitumque extinctum marcidumque factum. Vbique cinis, vbique fauilla & puluis, lamenta & luctus, nemine succurrente, neque semel egressam animam postea reuocante. Tunc declaratur quid possit aurum, quid diuitiæ copiosæ: siquidem ex tam frequenti famulitio nudus abductus est & solus, nihil ex tanta opulentia secum ferre valens, sed desertus, indefensus ac neglectus: nullus eorum qui prius auxiliabantur adetat, à pœna ac supplicio erepturus. Vere omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis tamquam flos fœni, exsiccatum est fœnum, & decidit flos: verbum autem Domini manet in æternum. Venit mors, & extincta sunt illa omnia. Nec secus quam captiuum arreptum sic illum abduxit, demissis oculis, pudore plenum, non audentem hiscere, trementem, pauidum, perinde quasi in somnis vniuersis illis delicijs fruitus fuisset.

Diuitiæ mortuos non sequuntur.

Isa. 40, 6.

CHRYSOSTOMVS. 36. Mortuus est & sepultus. Nullus ei ductor, nullus adest viator, vti Lazaro. Cùm enim in lata via his fruitus fuerit, multosque habuerit stipatores & famulos, adulatores, parasitos, in fine derelictus est nudus, & ab omnibus desertus.

BASILIVS in Psal. 33. 37. Idcirco mors peccatorum mala. Excipit enim illos supplicium, quemadmodum diuitem illum, cuius vita erat opetibus mortuis omnium peccatorum refertissima. Mortuus enim ratione peccati non in dumo habitat, (quemadmodum Iacob qui vir erat simplex & sine dolo) sed in sepulcro, tamquam omnino iniquus, cuius anima mortua est, neque ab operibus mortuis fundamentum pœnitentiæ fubsternit sibi, sed similis efficitur sepulcro dealbato, quod forinsecus quidem conspicuum apparet, intrinsecus verò mortuorum ossibus & omni immunditia refertum est. Sepulcrum enim erat corpus illius etiam adhuc viuentis, quod anima per malitiam mortua inhabitabat. Qui igitur in delicijs & omni dissolutione vitam traducit, & pro virtute labores subterfugit, cùm laboret in præsenti vita, non viuet etiam in futura, sed de longè videbit vitam, in flamma fornacis excruciatus. Qui verò mille pro virtute certaminibus sudoribusque perfunctus pro illa adipiscenda, in laboribus plurimus probatus fuerit, hic est qui viuet vsque in finem, vti Lazarus, qui tribulationes plurimas molestiasque pertulit, atque idcirco, inquit, illic in sinu côquiescit. Quamobrem etiam Dominus ad quietem inuitat illos qui laborarunt & onerati fuerunt, hoc est qui sibi spiritalium fructuum manipulos collegerunt in benedictionibus seminantes.

Mors impiorum mala.

VERS. 23. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius.

38. VIDE, vt breui verbo longam quæ inter illos est distantiam significarit: atque ille quidem in excelsis sit loco & in lumine, hic verò in profundo chao & in tenebris versetur; ac idcirco ille tamquam in profundo existens caput erigat, oculosque suos in altum eleuet, atque ita Lazarum videat, sed tamquam in tenebris exiftens cernit ipsum in lumine existentem, à quo vicissim non videatur. AMPHILO.

Diues cur ex inferno Lazarum viderit in sinu Abrahæ.

39. Sed quam ob causam illum intuetur? Frequenter fortè dixerat diues iste, Quorsum mihi opus pietate ac virtute? cuncta mihi velut è fonte affluunt, multa fruor prosperitate, nihil sustineo rerum inopinatarum: quamobrem expeto virtutem? hic pauper qui iustè pieque viuit, innumera patitur mala. Hæc multi nunc quoque frequenter dicunt. Vt igitur radicitus has euelleret opiniones, demonstrat illi quòd malitiæ reposita sit vltio: contrà honor & corona laboribus pro pietate susceptis. Non propter hoc solùm autem vidit illũ, sed vt quę passus fuisset pauper, hæc nunc & diues pateretur multò grauiùs. Quemadmodum enim illi molestiorem reddidit cruciatum, quòd in vestibulo diuitis iacebat, quòd videret aliena commoda: sic & huic grauiorem reddidit cruciatum, quòd in gehenna iacetet, quòd Lazari videret delicias, quo non solùm natura suppliciorum, verùm etiam comparatione honoris illius, intolerabiliorem haberet cruciatum. Et quemadmodum Adam è paradiso eiectum è regione paradisi habitare iussit Deus, vt assiduus conspectus renouans molestiam, exactiorem illi præberet sensum expulsionis è bonis: ita sanè & hunc è regione Lazari constituit, quò videret quibus bonis seipsum priuasset. Misi tibi, inquit, in vestibulo Lazarum, vt tibi ad virtutem doctor esset, doctrinæque materia: contempsisti lucrum, noluisti, ad quod oportuit, vti salutis occasione, vtere posthac illo ad maioris cruciatus, CHRYSOSTOMVS in Hom. 2. de Lazaro.

ciatus, ſupplicijque materiam. Ex his diſcimus, quòd omnes qui à nobis ſunt contumelijs & iniurijs affecti, tunc ante faciem noſtram ſtatuentur. Quamquam hic nihil à diuite accepit iniuriæ: neque enim illius pecunias vſurparat diues, ſed ſuas non impertiuit. Quòd ſi is qui ſua non impertijt, accuſatorem habet eum cui negauit miſericordiam; qui aliena quoque rapuerit, quam veniam conſequetur, vndique ipſum circumſtantibus quos affecit iniuriâ?

BASILIVS in Iſa. 5. *Quid ſit infernus, & vbi.*

40. Verùm qualis locus eſt infernus ille in quo erat diues? Fortaſſis inferni regio locus quidam eſt communis in terræ repoſitus meditullio, obſcurus ab omni parte & obumbratus. Foramen autem quoddam ad concaua terræ pertingens & demiſſum eſt, per quod deſcenſus animabus illorum patet, qui ad impietatem declinarunt, nec ad frugem meliorem reuerti volebant. Neque enim animal quoddam eſt infernus, nec poteſtas quædam mortuis cum imperio præſtituta, vt videntur ſtatuiſſe Ethnicorum fabulæ. Tametſi dicat Iſaias, Dilataturũ infernum os ſuum: figuratè enim hoc dicit, vt ingentem multitudinem pereuntium nobis depingeret: ac ſi de belluis loqueretur, quæ fame vrgente & inediâ cibũ ſuum deuorare direptũ ſolent, & prolatare os ſuum eſcæ inhiantes. Eodẽ modo, inquit, & infernus os ſuũ ampliſſimum & capaciſſimũ reddere dictum eſt. Hic itaque diues erat, non vulgari in loco, ſed in graueolenti atque obſcuro igne inferni verſabatur. Duplici enim vi præditus cùm ſit ignis, calefactiuâ nempe & illuminatiuâ, acerbis eius & ad ſupplicia idoneis qualitatibus excruciatus debitas ſoluit pœnas, alterâ verò, illuminatrice vi, gaudijs lætitiæque accommodâ deſtitutus. Vnicuique enim ſua opera in ſupplicia laboreſque conuertentur, nobis ſe incendij materiam exhibentia: animique paſſiones eorum qui in infernum demerguntur, facularum inſtar & ignis ſcintillarum accendentur, vti diues hic flammâ toſtus, proprijs è voluptatibus ſupplicia demetit.

Iſa. 5. & Pſal. 36.

CHRYSOSTOMVS ad Philip.

41. Audi autẽ quid dicat diues, millium Bonorum (vt multi aiunt) Dominus. Enimuerò non ego illa bona dixerim, ſed indifferẽtia. Et vide quantâ modò penuriâ laboret.

VERS. 24. Et ipſe clamans dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

CHRYSOSTOMVS.

42. AN non verbis hic aut potiùs reipsâ miſer eſt? Nónne vinis menſa tua madebat, & modò ne guttulæ quidem aquę compos ſis, idque in ſumma neceſſitate conſtitutus? Nónne deſpexiſti exulceratum pauperem, modò verò eum te reſpicere optares, & non impetras? Ad oſtium ille tuum iacebat, modò verò in ſinu eſt Abrahæ; tuque in maximis delicijs verſabaris, & nunc in igne gehennæ iaces. Audiant hæc diuites, vel potiùs non tam diuites quàm immiſericordes. Non enim quòd diues fuiſſet punitus eſt, ſed quòd immiſericors exſtitiſſet: ideoque non alium quempiam videt, ſed illum qui eius ope aliquando eguerat: vt ſciat iuſtè ſe hæc perpeti, recordatus eorum quæ fecerat. Numquid enim & mille alij pauperes iuſti fuerant? Sed qui ante eius oſtium iacuerat, ſolus ipſi apparet; docens & ipſum & nos, quantum ſit bonum, in diuitijs non confidere.

Anaſtrophe diuitis & Lazari.

CHRYSOSTOMVS.

43. Sed audiamus qualia flens diues proferat, habens in ſe cauſam quâ adurebatur, ſitim. Sic & paſſionibus dediti, proprium habent paſſionum ignem.

BASILIVS in Iſa. *Delicię diuitis in quas pœnas mutatæ.*

44. Condignum autem præmium redditur diuiti illi ignis & infernalis pœna, lingua areſacta, paruulæ guttulæ refrigerium expetens: vbique flamma, nullam aëris refocillationem ad viſcerum ardorem leniendum captare permittit. Vice lyræ ſonantis, gemitus; vice potus immoderati, deſiderium guttulæ, carne diuitis in camino æſtuante & torrente: vice laſciuorũ ſpectaculorum, caligo profunda; vice ambitus inceſſantis, peruigil vermis.

NYSSENVS de Beatit. *Quales ſumus, tales & Deum erga nos habemus.* Rom. 2, 7.

45. Omnia ex noſtrâ liberâ voluntate dependent, ſiue bona ſiue mala. Et iudicium diuinum incorruptâ iuſtaque ſententiâ, ſequens ea quæ iuxta propoſitum noſtrum commiſſa ac deſignata ſunt; cuique tribuit id quod quis ſibi ipſe fortè præſtiterit: his quidem gloriam & honorem; ijs verò iram & afflictionem. Quemadmodum enim proba ſpecula tales vultuum oſtendunt effigies, qualeſcumque ipſi vultus ſint; hilares quidem alacrium, obſcuras verò tetricorum; nec ſpeculi naturam rectè aliquis culpauerit, ſi terra & inamæna repræſentata fuerit effigies, principali formâ propter mœrorem collapſâ: ita iuſtum quoque Dei iudicium noſtris affectionibus aſſimulatur, qualiacumque à nobis commiſſa fuerint, tales nobis de ſuo præbens retributiones. Quapropter ad dextram quidem collocatis iucundam, ad ſiniſtram verò ſtantibus acerbam vocem attribuit. Illi ſiquidem propter ea quæ fecerunt, miſericordiam conſecuti ſunt: hi verò idcircò quòd aduerſus proximos & populares, immites & inhumani fuerunt, ſæuum & immite ſibi ipſis diuinum Numen reddiderunt.

Matth. 25, 34, 41.

Diues cur etiam gutta petita frustretur. tuot. Diues ille diffluens delicijs atque luxuriâ, mendici ad vestibulum abiecti atque afflicti misertus noo est: idcircò misericordiam sibi præscidit, misericordiâ imploratâ non auditus: non quòd vna gutta de magno paradisi foote dempta, damoosa esset; sed quia misericordiæ stilla commisceri atque commuoicari cum inhumanitate non potest. Quæ enim commuoicatio luci cum tenebris? Qualia enim seminauerit homo, talia & metet. *2. Cor. 6, 14. Gal. 6, 7.*

ANNOTATIONES.

VERS. 24. VT REFRIGERET LINGVAM MEAM.] *Tertullianus libro de Animâ cap. 2. probabat hinc animam esse corpoream. Hugo Eterianus lib. 2. de Regressu animarum ab inferis, cap. 12. putat animas illas habere simulacra quadam corporum, vti speculum obiectorum. Verùm dicendum est, Christum parabolicè hîc loqui de diuite, quasi corpus haberet, cùm tamen sola anima ipsius mersa esset in inferno, vti pulchrè Auctor Anonymus infra in Catenâ Num. 64. & Nyssenus Num. 65. docent. Primò, quia voluit Christus integra supplicia & præmia, quæ post diem iudicij habituri sint homines, hîc ob oculos ponere. Secundò, quia animæ supplicia non ita rectè cognoscimus nisi per corporis pœnas. Tertiò, quia volebat pœnam peccatis congruam significare, scilicet eum qui linguâ peccauerat, iuste linguâ puniri.*

Hoc autem, quòd petit, vt intingat extremum digiti, *quoque parabolicum est, vti similiter Auctor Anonymus infrà Num. 64. docet, tantumque significat extremam diuitis miseriam ac pœnam. Nam nec Sancti damnatos iuuare possunt aut volunt, nec damnati id rogare ac petere, vt patet ex versu 26. Et ita communiter Theologi.*

VERS. 25. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quia recepisti bona in vitâ tuâ, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.

CHRYSOST. ibid. de Lazaro. 46. FILI, recordare. Aspice Patriarchæ bonitatem. Vocat illum filium, quod mansuetudinem eius potest exprimere; nullum tamen præbet auxilium ei qui se temedio priuaucrat. Præteritorum, inquit, tibi io mentem veniat, oeque obliuiscaris quòd potu delicato reliquisque delicijs fueris perfruitus, quomodo in comessationibus & ebrietatibus totam vitam transegeris, io illis exstimans semper versari, & illa in bonis reputans. A proprio itaque ipsius iudicio tesponsum præbet. Nibil enim sublime cogitauerat, neque futura quæ recepturus esset mala præ oculis habebat: sed quæ illi præsentia erant sola esse bona existimabat. Hoc & nunc quoque pluribus familiare est dicere, qui delicias & comessationes sectantur, quòd nimirum multa bona receperint. Si verò *Diuitiæ non vera sunt bona.*

volueris cur deliciæ datæ fiot discere, ne appellaueris illas simpliciter bonas, considerans illas tantùm à Domino concessas esse vt moderato eorum vsu vitam nostram sustentemus, & corporis infirmitatem confirmemus. Alia autem sunt vera booa. Nihil enim horum verè bonum est, nec diuitiæ, nec ciborum vestiumque varietas, sed nomen tantùm bonitatis habeot. Et quid dico quòd nomen boni habeant, cùm sæpiùs perditionis causa existant, quando non sicut decet illis vtimur?

Ac ne putares, quòd memor præteritorum malorum vetuerit abire Lazarum, filium illum appellat. Quod io meâ, ioquit, potestate est, impertio tibi: ceterùm vt hinc abeamus, non est iam nostræ facultatis. Recordare, quia recepisti bona tua; illa scilicet quæ putabas bona, & Lazarus similiter mala: non quòd Lazarus illa fuisse mala existimauerit, absit, sed quæ æstimatione diuitis talia erant subiunxit. IDEM.

47. In his autem talis nobis doctrioa exponitur: Quòd cùm Deus bonum nullâ permixtione cum malo confusum nobis fruendum proposuisset, vetuissetque experientiam mali cum bono permisceri: quandoquidem prauum consilium oos à bonâ Dei circa hominem dispensatione abduxit & præ ingluuie sponte nostrâ contrario degustato (dico autem de verbi diuini contemptu & inobedientiâ) nos ingurgitauimus, idcircò humanam naturam, in vtrisque versari, & modò res tristes, modò lætas vicissim experiri oportet. Cùm autem duo sint sæcula, duplexque vita per vtrumque sæculum peculiariter consideretur, atque itidem lætitia quoque duplex, alia quidem in hoc sæculo, alia verò in eo quod per spem nobis propositum est, spectetur: beatissimum sanè fuerit, portiooem lætitiæ per vera bona in sempiternum sæculum recondere, tristitiæ verò muous io hac breui ac temporariâ vitâ explere, non in damnis ponendo rerum in hac vitâ dulcium priuationem, sed illam quæ ex earum fruitione existit, potiorum bonorum frustrationem. NYSSENVS de Beatitudinibus. *Propositum homini bonum & malum, vt quod vult eligat.*

Verùm quare non dixit Cepisti, sed Recepisti; nam illud Recepisti debiti alicuius indicationem ac significationem contioet.

48. Hinc igitur quid discimus? quòd etiamsi qui sint scelerosi ad extremam improbitatis lineam deuecti, tamen frequenter vnum aliquod, duóve aut tria benefacta sunt operati. Quòd autem hæc non loquot ex coniectutis, hinc perspicuū est. Quid enim fuit illo iniquitatis iudice sceleratius, quid inhumanius, quid magis impium? Is neque Deum timebat, neque homines reuerebatur, CHRYSOST. & ISIDORVS *Nemo tam improbus, qui non interdum aliquid faciat boni.* Luc. 18, 2.

tur, attamen cùm tam improbis esset moribus, fecit boni quiddam, miseratus viduam ipsi sine fine negotium facessentē, annuens postulanti officium, præstansque quod petebatur, cohibitis qui illam afficiebant iniuriâ. Ita frequenter accidit vt aliquis vitæ sit intemperantis, & tamen idem sit misericors: aut vt quis sit inhumanus, pudicus tamen. Quòd si intemperans fuerit & idem crudelis, tamen vnum aliquod aliud bonum opus fecit in vitâ. Rursus hoc idem arbitrandum est de bonis. Quemadmodum enim qui pessimi sunt, faciunt frequenter boni quiddam: sic & boni virtuteque prædıti sæpenumerò peccant. Quis enim, inquit, gloriabitur se castum habere cor? aut quis confidet se purum esse à peccato?

Chrysost. in Epist. ad Heb. 49. Quemadmodum enim si quem videas splene & intercute laborantem, aut mille vlceribus repletum, qui adhæc omnia ebrietate delicijsque morbum augeat, illum haudquaquam admiraris aut beatum prædicas ob delicias, sed vel idcircò miserrimum reputas. Sic etiam de animâ ratiocinare. Quando videris hominem malitiæ immersum, prosperâ vtentem fortunâ, & nihil aduersi aut molestiæ tolerantem, vel idcircò ipsum maxime deplura, quòd cùm varijs morbis & vlceribus pessimis laboret, infirmitatem nimiâ indulgentiâ delicijsque intendat & augeat. Non enim punitio, sed peccatum est malum. Hoc enim à Deo nos separat, illa verò ad Deum nos adducit, eiusque iram mitigat.

Impij quò ditiores eò infeliciores.

Chrysostomus Hom. 3. de Lazaro. 50. Quid igitur? non est quisquam, in quies, qui & hîc & illic requie fruatur? Istud impossibile est, ô homo, atque ex eorum numero quæ frustrà speres. Fieri non potest, non potest fieri, inquam, vt qui hîc in socordiâ securitateque vixerit, qui in delicijs omnibus assiduè dies consumpserit, qui temerè neglectèque traosegerit ætatem, illic honorem consequatur. Nam etsi paupertas non sit molesta, cupiditas tamen molesta est, atque huic obnoxius est, nec hinc mediocris labor. Quòd si morbus non infestat, sed inflammat ira: ne is quidem mediocris dolor vincere iracundiam, etsi afflictiones non irruperint, tamen cogitationes malæ indesinenter insurgunt. Non est autem vulgaris negotij, refrænare cupiditatem, cohibere sitim inanis gloriæ, coërcere fastum, à delicijs temperare, in asperâ degere disciplinâ. Nam qui ista non fecerit, fieri non potest vt vmquam saluus fiat. Vt autem intelligas, viuentes in delicijs non fieri saluos, audi quid dicit

Nemo terrenis & cælestibus delicijs simul frui potest.

1. Tim. 5, 6 Paulus: Quæ verò in delicijs viuit, viuens mortua est. Loquitur de viduâ muliere.

Idem in Matth. 51. Typus etiam geheonæ est fornax Babylonica. Quemadmodum enim in illâ, qui statuam non adorauerant, cùm in flammam iniecti essent nihil omnino passi sunt ab eâ; illi verò qui eam adorarant, etiam extra fornacem positi à flammâ correpti sunt: similiter qui mammonam adorare renuentes paupertatem eligunt, & hîc & in futurâ vitâ illustriores erunt; qui verò hîc descendo peccarint, ibi extremum supplicium luent. Ex hac fornace Lazarus non minùs clarus quàm illi pueri, exiuit. Diues verò qui fuerat è numero adorantium statuam seu mammonam, in gehennâ cruciatur. Et simpliciter Sancti per ignis quidem torrentem trāseuntes, nihil inde patiuntur molestiæ, sed & illustres apparent; qui verò statuam adorant, & mammonæ tyrannidem colunt, videbunt ignem ipsis quauis ferâ truculentiùs insilientem, & penitus absorbētem. Tu itaque, cùm iusserit diabolus aurum non adorantes conijci in fornacem paupertatis, esto è numero eorum qui inijciuntur, non autem inter illos qui inijciunt; vt sis inter saluandos, & non inter comburendos.

Paupertas probos illustriores reddit.

52. Cùm etiam videris diuitem aliquem voluptatem in primis bonis computantem, valde ipsum deplora, quoniam totam vitam in res vanas insumet, & voluptates pro Deo habebit, in vitâ hac bonorum portionem recipiens, non gustabit ibi delicias, in paratum sibi ignem ingrediens. Basilius.

VERS. 26. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.

53. MVLTIS verbis demonstrauimus, quòd posteaquam Deus multam humanitatem erga nos exhibuit, oporteat in proprijs benefactis spem salutis collocate, non patres, auos ac proauos recensere, neque cognatos, domesticos ac vicinos. Frater non redimit, redimet homo? Chrysostomus Hom. 4. de Lazaro. Psal. 48, 8.

54. Ita vt tametsi Noë fuerit, aut Iob, aut Daniel, non tamen familiaribus suis olim supplicia pendentibus assistere audeant. Tunc enim omnis naturalis condolentia tollitur. Cùm enim contingat iustos prauorum esse filiorum patres, & probos parentum impiorum liberos, vt pura existat voluptas, necesse est condolentiæ affectum tolli, & summi boni fruitione extingui, ac Domino penitus conformari affectum erga familiares.

In cælo filij non mouentur prauorum parentum supplicio.

55. Hactenus ostendimus in prædictis, non oportere succumbere in tentationum conflictibus, sed in finem victoriæ respiciendum Nyssenus in Psalmos.

dum esse, qui est Angelicis choris annumerari; tuamque animam tentationum impressione expurgari cogites: quod & Lazaro accidisse ex ipso Domino didicimus. qui cùm per patientiam calamitatum toto vitæ curriculo sese illæsum casusque expertem conseruasset, finitâ hac communi vitâ, superatoque in hoc conflictu aduersario, statim inter Angelos receptus est, & Angelorum comitatus, sinusque Patriarchæ ipsum excepit. Sinum verò audiens, si quis velut vastam quamdam pelagi latitudinem, bonorum omnium plenitudinem per Patriarcham significatam velit, is nequaquam aberrauerit; in quâ bonorum abundantiâ Lazarus quoque collocatur. Nam quod in huius generis certaminibus elucescit, nullius propriũ est, sed fit omnium commune bonum, omnium inquam, qui per eamdem virtutem ad æquale bonum contendunt. Improbi verò secundùm psalmodiam, conuertentur ad vesperam, hoc est eijcientur in tenebras exteriores, (vesper enim tenebrarum & principium & mater est,) & famem patientur vt canis ille antiquus, ille carniuorus & homicida, vti Scriptura ait. Nam quibus deest viaticum salutis, necesse est, vt illis ex inopiâ bonorum omnium & fame miseria obueniat. Sic in inferno diues ille famem passus est, diuino rore destitutus, & quòd tanto bono aptus non esset, flammâ consumebatur, sed & ciuitate exclusus est, sicut omne quod ad vitæ vsum inutile est extra ciuitates eijcitur. Ciuitas autem est ex virtute viuentium benè ordinata Respublica: per illud autem quod foris est, malitia quæ virtuti aduersaria est, significatur, in quâ viuunt qui peccati fœtorem amant, proborũ ciuitate eiecti, quemadmodum diues ille epulo qui pauperis manum post hanc vitam non respuit, sed rogauit vt vel digito guttulam aquæ sibi subministraret, linguam suam eâ refocillare desiderans. Non vtique hoc desiderasset, nisi corporis molestiam animæ character incidisset: nunc autem quòd ipsum non respuat, signum est corporis deformitatẽ, quæ fluxæ acciderat naturæ, non semper permanere. Quando enim anima terreno hoc & corruptibili corpore soluta & liberata est, propriâ tunc pulchritudine decoratur. Hæc autem quæ diximus, in præcedentibus declarantur: nunc autem & quæ sequuntur attendamus, & hiatum intueamur, qui diuitem ab Abrahami exoptato sinu separabat.

Lazarus in cælum inducitur, diues foras eijcitur.

Psal. 58, 7.

CHRYSOSTOMVS in illud, Intrate per angustam portam.

56. Vides quam vitæ conditionem fortitus sit is, qui cum patientiâ & gratiarum actione grauem illum morbũ fuerat famemque perpessus. Nam inter nos & vos hiatus magnus constitutus est. Magnum est, inquit, quod nos dirimit, neque simpliciter hiatus, sed magnus. Verè namque magnum est inter virtutem & vitium interuallum, multúmque discrimen: siquidem hoc latum & spatiosum est, illa verò arcta & angusta. Voluptas lata & spatiosa, paupertas autem & penuria arcta & angusta. Vt igitur hîc contrariæ sunt viæ, & hic quidem qui virtutem amplectitur, per angustam & arctam incedit, ille verò per latam & spatiosam pergere festinat, qui ebrietati, delicijs, pecuniarum insano amori, lasciuiæ sese addicit; & multum inter vtrumque discrimen occurrit: sic nimirum & in tempore supplicij ac retributionis, multam inter præmia possumus differentiam reperire. Hiatus enim magnus constitutus est inter nos, hoc est inter iustos, & virtute præditos, qui conditionem illam vitæ sortiti sunt; & vos, hoc est, qui toti estis nequitiâ & sceleribus cooperti, adeoque magnus est hiatus, vt neque quisquam eorum qui hîc consistunt, ad vos transire possit, neque ad nos inde transmeare. Vides hiatus magnitudinem, vides responsum gehennâ grauius? Nónne à principio cùm prosperitatem diuitis audiretis, & obsequium quo colebatur ab omnibus, satellitio stipatus, & quotidie delicijs addictus, beatissimum esse illum arbitrabamini? Rursus dum pauperem pro foribus abiectum, & grauibus illis expositum vlceribus cerneretis, nónne miseram eius vitam putabatis? At ecce iam ab ipso rerum fine in contrarium cernimus cuncta conuersa, & hunc quidem post delicias illas & ebrietatem in tormentis, illum verò post egestatem illam extremam, & famem in Patriarchæ sinu versari.

Magnus hiatus inter virtutem & vitium.

57. Auaritia cum humanitate conuenire nescit, vir misericors longè abest à fraternâ diuitum inuidentiâ: propterea & magnum chaos firmatum est inter infernum & regnum cælorum. PHOTIVS.

58. Hinc & Origenis illa rerum in antiquum statum restitutio nugatoria esse conuincitur. Qui enim ibi sunt, inquit Abraham, non possunt huc transmeare.

59. Hanc parabolam inscribite diuites in parietibus animi vestri, & si quando deleta fuerit, obortâ obliuione, illinite denuò, ab initio reminiscentes. Magis autem pauperes coram oculis vestræ mentis hanc describite, semperque circumferte, & erit vobis documentum, materiaque totius philosophiæ. Nam si hanc iugiter inscriptam animo teneamus, neque huius vitæ læta poterunt nos inflare, neque tristia deijcere prosternereque, sed non aliter quàm afficimur picturis in pariete appensis, erga hæc vtraque afficiemur. Quemadmodum enim conspicientes

CHRYSOSTOMVS de Lazaro Hom. 3.

Rebus terrenis vt affici debeamus.

tes in pariete pictum diuitem ac pauperem, nec illi inuidemus, nec pauperem despicimus, eò quòd quæ videmus, vmbra rerum est, non veritas: sic & diuitiarum & paupertatis, gloriæ & ignominiæ, aliarúmq; rerum omnium, siue tristium siue lætarum, naturam si pernouerimus, liberabimur à turbatione, quæ ex harum vnaquaque in nobis gigni solet. Hæc enim omnia quauis vmbrâ fallaciora sunt, nec quidquam habent sublime neque præclarum, nec splendida gloriosáque attollere, nec humilia contemptáque contrahere poterunt. Verùm iam tempus nobis est, vt diuitis verba audiamus.

VERS. 27. Et ait: Rogo ergo te pater vt mittas eum in domum patris mei.

28. habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

CHRYSOSTOMVS ibid. *Pœna mitigat immisericordes.*

60. POSTQVAM pro se non impetrauerit, pro alijs facit supplicationem. Vide quàm humanum, quàm mansuetum pœna reddiderit eum. Qui Lazarum præsentem despiciebat, aliorùm absentiú nunc curam habet: qui ante oculos iacentem præteribat, meminit eorum quos non videbat, multóque studio postulat, vt aliquo modo illis prospiciatur aduersus imminentia mala: obsecratque vt Lazarus in domum patris mittatur, vbi ipsi fuerat cauea stadiumque virtutis apertum. Illi, inquit, eum videant coronatum.

ANNOTATIONES.

VERS. 27 MITTAS EVM IN DOMVM PATRIS MEI.] *Hæc etiam parabolica videntur, ob rationem superiori Annotatione ad Vers. 24. datam, tametsi S. Gregorius Homiliâ 40. putet verè diuitem hoc rogasse. Ad hoc autem adducitur, vt arguat homines qui vulgò rident aut minuunt pœnas inferni, eò quòd nemo illas narraturus nobis inde redierit. Quòd autem inducitur diues in inferno fratrum curam gerens, tractum est ex communi vsu huius vitæ: hic enim maximè fratres miseri fratribus suis cautum cupiunt. Lazarum autem præ alijs mitti cupit, quasi notum fratribus, & oculatum testem miseriæ suæ: tum etiam, vt significetur eius auxilio indiguisse, quem in vitâ contempserat.*

VERS. 29. Et ait illi Abraham, Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos.

CHRYSOSTOMVS.

61. NON æquè tu curas fratres tuos atque Deus qui illos condidit. Innumeros illis adhibuit magistros, admonitores, consultores, adhortatores. Moysen autem hîc & Prophetas, hîc vocat scripta Moysaica & Prophetica. Quid igitur ille respondit?

VERS. 30. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.

CHRYSOSTOMVS.

62. HAEC sanè sunt vulgi verba. Vbi sunt nunc qui dicunt, Quis illinc redijt? quis ex mortuis surrexit? quis narrauit quæ sunt apud inferos? Quàm multa talia tantáque dicebat apud seipsum diues ille, cùm versaretur in delicijs? neque enim temerè postulabat, vt aliquis surgeret ex mortuis. Verùm quoniam ipse audiens Scripturas contempserat, deriserat, fabulas esse quæ dicebantur crediderat, erga hæc sicut ipse fuerat affectus, ita habebat & opinionem de fratribus suis. Illi, inquit, sic opinantur, quòd si quis ex mortuis redierit, non diffident illi, neque deridebunt, sed potiùs auscultabunt ijs quæ dicentur.

Quilibet ex se alios iudicat.

VERS. 31. Ait autem illi, Si Moysen & Prophetas non audiunt; neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

CHRYSOSTOMVS ibid.

63. IOQVE verum esse, quòd qui non audit Scripturas, neque ex mortuis excitatos auditurus sit, declararunt Iudæi, qui quoniam Moysen & Prophetas non audierant, neque cum mortuos vidissent excitatos crediderunt. Verum nunc quidem Lazarum occidere conabantur, nunc rursus in Apostolos impetum faciebant, quamuis multi iam ex mortuis surrexerant, quo tempore crux prædicabatur. Vt verò & aliunde cognoscas quòd grauior sit Scripturarum ac Prophetarum doctrina, quàm si quid à mortuis resuscitati renuntient: illud considera, quòd quisquis mortuus est, seruus est: quæ verò Scripturæ loquuntur, locutus est Dominus. Proinde etiamsi mortuus reuiuiscat, etiamsi Angelus è cælo descendat, maximè omnium credendum est Scripturis. Nam Angelorum herus mortuorum pariter ac viuentium Dominus, ipse eas condidit. Ad hæc quòd superuacanea quærant, qui desiderant vt mortui illinc redeant, præter hæc quæ dicta sunt, etiam ab huius mundi curijs demonstrare licet. Gehenna non videtur incredulis: nam credentibus est perspicua manifestaque. Curiæ videntur, quotidieque audimus, quòd ille supplicio affectus est, illius proscripta bona, alius operatur in fodinis, alius exustus est igni, alius alio pœnæ vindictæque genere perijt: & tamen hæc cum audiunt mali ac facinorosi, malefici que, non emendantur. Et quid dico non emendantur? multi frequenter in his deprehensi posteaquam effugerunt pœnam, perfossoque carcere elapsi sunt, rursus eadem aggrediuntur,

Scripturæ efficaciores sunt ad nos à malo reuocandos quàm mortui resuscitati.

tur, multò his sceleratiora perpetrant. Ne igitur quæramus hæc audire à mortuis, quæ multò clariùs quotidie nos docent Sacræ litteræ. Nam si nouisset hoc Deus quòd mortui excitati viuentibus essent profuturi, nequaquam omisisset, neque tantũ lucrum prætermisisset, qui cuncta nobis vtilia procurat. Adhæc si assiduè erant excitandi mortui, nobisque quæ illic geruntur renuntiaturi, & hoc ipsum progressu temporis fuisset contemptum. Præstereà peruersa etiam dogmata diabolus inuexisset, idque admodum facilè. Potuisset enim frequenter ostendere simulacra, aut subornare qui simularent mortem ac sepulturam, mox rursus sese ostenderent, quasi è mortuis excitatos, ac per illos quæcumque vellet persuadere delusis. Etenim si nunc, cùm tale nihil sit, insomnia frequenter dormientibus visa, veluti eorum qui hinc decesserunt, multos deceperunt, perdiderunt subuerteruntque, multo magis id accidisset, si hoc factum fuisset, atque in mentibus hominum obtinuisset, videlicet si multi defunctorum rediissent in vitam, innumerabiles sceleratus ille dæmon dolos texuisset, multamque fraudem in vitam hominum induxisset. Eoque Deus occlusit fores, nec permittit aliquem defunctorũ huc reuersum narrare quid illic fiat, ne ille acceptà occasione, technas suas omnes inuehat. Nam cùm essent Prophetæ, pseudoprophetas excitabat: cùm essent Apostoli, pseudoapostolos; cùm Christus appareret, pseudochristos; cùm dogmata sana inducta fuissent, corrupta inducebat, vbique disseminans zizania. Itaq; etiamsi illud euenisset, hoc quoque conatus fuisset fingere per sua organa, non verè excitatis mortuis, sed maleficijs quibusdam ac fraudibus contuentium oculis deceptis, aut quosdam etiam subornans, quemadmodum dicere cœperam, qui mortem simularent, sursum deorsum miscuisset confudissetque omnia: sed Deus, quem nihil latet, præclusit illi viam ad has insidias, nobisque parcens non permisit, vt quisquam vmquam illinc huc reuersus, de ijs quæ ibi sunt narraret viuentibus hominibus: docens nos, vt Scripturis potiùs credendum existimemus quam ceteris omnibus; propterea quòd Deus resurrectionis negotium multò dilucidiùs nubis commonstrauit. Orbem vniuersum conuertit, errorem abegit, veritatem induxit, per homines piscatores ac viles hæc omnia peregit. Denique abundè magna suæ prouidentiæ documenta nobis vbique præbuit. Ne itaque putemus, res nostras huius vitæ termino circumscribi, sed credamus fore iudiciũ ac remunerationem omniũ quæcumque hic à nobis geruntur.

Mortui cur non redeãt.

64. Parabolam hanc considerantes aliquem quidem ex sermone fructum & vtilitatem decerpamus; quæ verò difficiliora sunt, non multũ perscrutemur. Multa enim inuisibilium rerum ignoramus quæ nobis conceptu difficilia sunt, tametsi summâ illa accuratione inuestigemus. Qualis est inquã animæ illa species seu figura, quæ & digitum habeat & linguam? vel qualis est aqua illa quà animæ lingua refocilletur? vel quale est illud præiudicij examen? Hæc enim res manifestum indicat præiudiciũ, quando diues Abrahamum rogat vt mittat Lazarum ad fratres, ipseque respondet quòd habeant Muysen & Prophetas. Quasi dicat: Mundo adhuc consistente legant Moysen & Prophetas. Hæc igitur paucis expediamus propter difficultaté, & tantùm aliquid dicatur, ne omnino tacuisse videamur. Verũ clariùs dicamus, nulla quidẽm animæ membra esse corporalia, sed potentias quæ aliquam cum illis habeant analogiam; vti cùm de viuente homine dicitur, Præceptum Domini illuminans oculos, id est hominis intellectum, ad quem rationis pertinet illuminatio. Aqua autem ardentem animam refocillans, est dolorum molestiarúmque relaxatio, quam immisericors ille diues postulabat à paupere illo, cui aliquando durus & inhumanus extiterat: sed nihil ipsi proderat, quòd dare non posset, tametsi maximè voluisset. In illà enim quæ ex meritis fit retributione, nulla intercedit gratia. Est autem locus quidem gratiæ in præsenti vità, post eam verò iudicium. Illa autem quæstio de iudicio, quomodo diues ante illud in examine fuerit, docere videtur, vel ipsam delectationũ mundanarum frustrationem, sufficiens esse supplicium animæ illis anteà innutritæ. Cui & alia eaque grauior tam animæ quàm corporis accedit punitio, videlicet maximorum futurorum ac æternorum bonorũ priuatio; de quà Dominus dixit, quòd ibi erit fletus & stridor dentium. Videbitis tunc Patriarchas & Prophetas in regno Dei, vos verò foras eiectos. Sufficere id profectò deberet ad percellendam atque consternendã animam, quòd videlicet nec terrenis perfrui potent delicijs, neq; consequi meliores, sed illis quidem defraudata, quibus anteà instar scalæ innitebatur, nihil habebit quo se sustentet, sed & cùm quiescendi tempus esset, nulla illi quies erit, quin & à notis & amicis deseretur. Vidit igitur hîc Lazarum, vidit etiam Abrahamum, tametsi à longè, hiatu intermedio illos diuidente, & omne inter illos commercium prohibente.

ANONYM.

Quanta præmia & supplicia sint post hanc vitã.

65. Si quis illa quæ de diuite dicta sunt, ita accipiat, vt anima corpori coniuncta fuerit, facilis

NYSSENVS de Animã.

facilis est parabolæ intelligentia; sin verò corpus sepultum fuerit, anima autem secundum se in inferno puniatur, non ita facilis erit intellectu. Dicendum est itaque, quòd ad corpus accommodatiùs sermo narrationem exponat, multas tamen inspergat occasiones, per quas ad subtiliorem inuitet speculationé, si quis accuratè eos intellexerit. Nam qui hiatu vasto malum à bono dirimit, qui guttam aliquam, quæ per digitum admoueatur, desiderantem fecit eum qui cruciabatur; qui Patriarchæ sinum ei, qui per hanc vitam malis & incommodis vexatus fuerat, ad quietem proposuit; qui item anteà mortuos eos ac sepulturæ traditos, exposuit, non parum abducit ab obuio sensu eum qui non perite sequatur verba. Quos enim oculos attollat in inferno diues ille, qui carneos oculos in sepulchro reliquerat? Quo pacto item flammam sentit, quod incorporeum est. Quam verò linguam refrigeran per guttam cupiebat, cùm ei carnea lingua non adesset? Quis autem illi digitus qui perferret ei guttam? Ipse item sinus requietis, quis? Cùm enim corpora essent in sepulchris, anima verò neque in corpore esset, neque ex partibus constaret, difficile fuerit narrationis structuram, prout primâ fronte intelligitur, ad veritatem accommodare, nisi quis sigillatim quæque verba traducat ad eam quæ mente percipitur speculationem: vt hiatus non terræ intercapedo existimetur. Quis enim labor sit rei incorporeæ ac merè intellectuali, hiatum etiam vastissimum transuolare, cùm natura intellectualis etiam in instanti sit vbicumque velit? Quid igitur fuerit ignis? quid hiatus, quid cetera quæ dicta sunt, si non sint ea quæ dicũtur. Mihi quidem dogmata quędam de ijs rebus quæ circa animam quæruntur, per vnumquodque horum Euangelium significare videtur. Cum enim ad diuitem Patriarcha anteà dixisset, Recepisti in vitâ, quam in carne transegisti, bonorum tuorum portionem; atque eodem modo dixisset de mendico, quòd is in vitâ per malorum participationem obsequium suum expleuisset; subijciendo deinde de hiatu, quo ab inuicem segregabantur: verisimile est, quòd per hunc sermonem magnam aliquam doctrinam voluerit significare. Hæc autem doctrina meâ quidem sententiâ talis est. Simplex ab initio & vniformis erat humana vita. Simplicem autem voco, quia soli bono intenram, nec vllo malo permixtam. Hanc autem sententiam prima lex diuina testimonio suo comprobat: quæ cùm omnibus quidem paradisi bonis hominem abundè vti permisisset, ab illo solo prohibebat, cuius (cùm malum cum bono contemperatum

Homo qui creatus est bonus, amplexus est mala.

esset) commixta & contrarijs erat natura, mortem huius legis transgressori in pœnam proponens. Verùm homo sponte suâ per liberũ motionem relinquens impermixtam malo sortem, vitam ex contrarijs contemperatam amplexus est. sed non reliquit diuina prouidentia nostram stoliditatem incorrectam: verùm postquam transgressores mortis, legi auctoris iudicio annexæ pœna necessariò esset consecuta, bifariàm partitus est humanam vitam, in hanc quæ in carne, & illam quæ extra mortale corpus agitur post hanc; non pari tamen mensura interualli, sed illam quidem breuissimo quodam termino temporis & spatio circumscripsit, hanc verò ad æternitatem vsque extendit atque produxit: ac benigno atque humano consilio vsus, potestatem dedit, vt in vtrâ quis vitâ velit, horum alterutrum habeat (bonum inquam & malum) vt per breuem hanc fluxamque & caducam vitam, vel per illa sempiterna sæcula, quorum terminus est infinitus. Cùm autem æquiuocè dicatur & bonum & malum, atque horum vtrumque in duplicem intellectum diuidatur (tum in mentem, tum in sensum) atque alij quidem, quod sensui suaue ac iucundum visum fuerit, id loco boni habeant: alij verò, id solum bonum & esse & nominari credant, quod cogitatione ac mentis agitatione animaduertitur & consideratur: quibus quidem inexercitata ratio est, vt quid melius sit considerate non possint, si per ingluuiem & intemperantiam, in carnali vitâ eam, quæ naturæ debetur, boni sortem ante tempus consumunt atque profundunt, nihil in eam, quæ posthac futura est, vitam conseruantes & comparcentes; alij verò ratione sanâ ac diiudicatrice suam vitam gubernantes, in hac breui vitâ per ea, quæ sensum lædunt, contristati atque vexati, in futurum sæculum bonum comparcunt atque recondunt, vt sibi vnâ cum sempiternâ vitâ melior sors extendatur atque prorogetur. Hic igitur, vt mea quidem opinio fert, hiatus ille est, qui non terrâ discedente atque diductâ sit, sed quem iudicium per hanc vitam in contraria studia atque instituta diuisum atque diductum facit. Nam qui semel quidquid in hac vitâ suaue ac iucundum est, elegerit; nec pœnitentiâ ductus stolidum ac temerarium suum consilium corrigit atque emendat, inaccessum & inuium sibi locum bonorum posthac efficit, cùm hanc ineuitabilem, quæ transiri non possit, necessitatem, tamquam barathrum quoddam vastum & inuium quà transiri non possit, aduersus sese perfodent. Quamobrem bonum quoque animæ statum, in quo patientiæ athletam sermo te-quie-

Bonum aliud sensuale, aliud intelligibile ac spirituale.

Quid sit hiatus magnus.

Abraham primus omnibus visibus abstractis rationem conseruauit.

quiescere facit, sinum Abrahæ nominasse mihi videtur. Primus enim hic Patriarcha ex ijs, qui olim fuerunt, cum spe futurorum, præsentium commodorum vsum atque voluptatem commutasse memoratur: qui quidem omnibus nudatus in quibus ei vita ab initio consistebat, inter alienos conuersabatur, & domicilium habebat, per afflictiones & incommoda præsentis vitæ, eam quæ speratur beatitudinē quærens. Vt igitur certam aliquam pelagi partem circumscriptam, per abusum quemdam, sinum nominamus; ita mihi sermo nomine sinûs immensorum illorum nostrorum bonorum demonstrationem significare videtur: in quo sinu bono, omnes qui per virtutem præsentis vitæ cursum conficiunt, cùm hinc soluerint, tamquam in portu non obnoxio fluctuum procellis, animas appulsas ac quasi subductas statuunt. Reliquis autem eorum, quæ bona videntur, priuatio flamma animam perurens existit, guttam aliquam ex pelago bonorum, quibus sancti affluunt & abundant, ad consolationem desiderans, & non adipiscens. Porrò cùm linguam & oculum, & digitum, reliquaque nomina ad corpus pertinentia in colloquio incorporeorum animaduertis, traduc, vti dixi, singula ad eam quæ mente concipitur speculationē. Vt enim concursus elementorū totius corporis substantiam efficit: ita probabile est, etiā partium corporis ex eadem substantiâ compleri naturam. Si igitur anima adest elementis ex corpore dissoluto ad rerum vniuersam naturam refusis atque reuersis, non modò congeriem & complementum eorum quæ ad totam coagmentationem constituendā concurrerunt agnoscet, & in eis erit; sed ne peculiarem quidem cuiusque partis constitutionem & concretionem ignorabit, per quas nimirum particulas elementorum membra nostra absoluta sint. Quocircà quæ in vniuerso elementorum complemento sit, eam etiam in singularibus esse, nullo modo à probabilitate ac verisimilitudine alienū est: atque ita si quis spectet ad elementa, in quibus singularia membra corporis insunt ipsâ potentiâ, atque Scripturam dicere arbitretur, & digitum circa ipsam animam esse, & oculum & linguam, ceteraque omnia etiam post dissolutionem concreti, à probabilitate ac verisimilitudine non aberrabit. Si igitur singularia mentem abducunt ab eo, qui ad corpus refertur, narrationis intellectu, par & consentaneum nimirum est, vt etiam modò memoratum infernum, non locum qui sic nominetur esse putemus, sed quemdam vitę statum incorporeum, qui videri non possit, in quo animam vitam degere à Scripturâ docemur. Atque etiam aliam in narratione, quæ ad diuitem & mendicum pertinet, certam firmamque discimus sententiam, quæ magnam cum ijs quæ scrutati sumus & excussimus, affinitatem habet. Facit illum humanis affectibus ac perturbationibus obnoxium, carnisque studiosum diuitem, posteaquam ex suâ calamitate se non posse expediri & effugere animaduertit, curam habere eorum qui super terram eum genere contingebant: cumque Abraham negasset eorum qui in carne viuerent, vitam prouisionis expertem esse, sed abundè eis propositam esse doctrinam atque institutionem legis ac Prophetarum: adhuc perseuerare diuitem instantem & flagitantem, vt ex improuiso & inopinato credibilis eis prædicatio fieret, quæ ab aliquo, qui ex mortuis reuixisset, annuntiaretur. Quænam igitur in his doctrina est? Quoniam Lazari quidem anima circa præsentia occupata est, & ad nullam earum rerum, quas reliquerat, sese conuertit: diues autem tamquam visco cuidam, carnali vitę, etiam post mortem adhuc adhæret: quam nec cùm viuere quidem desijsset, penitus exuerat; sed adhuc ei curæ caro & sanguis erat (per hoc enim quòd rogat, vt illi qui communione generis eum contingebant, malis eximerentur, perspicuum est quòd nondum carnali affectu exolutus erat) per has vtique narrationes existimamus censere Dominum, quòd oporteat eos qui in carne viuunt, quàm maximè secundū virtutem viuendo, quodammodò separari & expediri ab affectu carnis, ne post mortem aliâ morte rursus opus habeamus, quæ reliquias carnalis glutinis separet, excernat & expurget: sed tamquam vinculis circū animam ruptis, nullâ corporeâ molestiâ eam ad sese attrahente, celer & expeditus ei cursus ad bonum contingat. Nam si quis mente carnalis penitus totus redditus fuerit, & omni animi motu atque efficientiâ in voluptatibus carnis occupetur, is nec si extra carnem quidem euaserit, ab affectibus ac perturbationibus eius recedit: sed quemadmodum illi, qui in fœtidioribus locis diutiùs commorati sunt, nec si in purum quidem, suauem & amœnum aërem transierint, integri ac vacui sunt ab illo ingrato & iniucundo odore, quem propter diuturniorem in eo commorationem contraxerunt: ita ne tum quidem, cùm carnalis vita cum subtili & inuisibili commutata fuerit, fieri possit, quin carnis amantes protiusattrahant aliquid ex graueolentiâ atq; fœtore carnali. Vnde grauior eis dolor existit, cū ex huiusmodi circūstantiâ anima magis materialis euaserit. Atque hæc virtus & substantia parabolæ est.

Carnales ac sensuales etiam post mortem affectum carnalem retinent.

Diues

Parabola diuitis Iudæis applicata.

Diues autem olim erat Iſrael, legem & Prophetas habens: purpura verò & byſſo induebatur, ſacerdotalibus ſtolis Regijſque paludamentis lucens. Epulabatur autẽ quotidie legalibus ſacrificijs, & viuebat ſplendidè. Populus vero Gentilium pauper erat diuinâ gratiâ & ſapientiâ, nec legem habens nec Prophetas, nec patebat ipſi ad domum Domini acceſſus, pollui enim putabatur. Inſuper & vlceribus fœtentiũ peccatorum plenus erat, quibus & impudentes canes diabolos paſcebat. Deſiderabat item & micas decidẽtes à menſa diuitis: omnino enim carebat pane qui confirmat cor hominis, & minimo tenuique cibo egebat, ſicut Chananæa illa. Mortuus tandem eſt Hebraicus populus Deo, & mortua ſunt illorum oſſa, ita vt ampliùs ad bonum non moueantur. Mortuus autem eſt etiam populus Gentilis vitæ priori, peccato, & erroribus. Et Iudæi quidem flammâ inuidiæ exuruntur, zelantes, vt ait Apoſtolus, quòd Gentiles aſſumpti ſint ad fidem, & in ſinu Abrahæ verſentur, ex idulorum cultu ad Dei agnitionem tranſlati: quique priùs micis veritatis indigebant, nunc in ſinu fidei & Abrahæ conquieſcant, pretioſi Chriſti Sanguinis purpuram induti, & byſſum Baptiſmatis geſtantes. Iudæi verò ſitiunt, vnam guttam de adſperſionibus & purgationibus priſcis legalibus, quâ inuidiâ ſuam, quâ flagrant, mitigare aliquo modo poſſint, ſed non inueniunt, eò quòd iam omnia ſacrificia legalia luſtrationeſque omnes finem acceperint.

Pſal. 103, 15. Matth 15, 27.

ANONYM. *Moraliter diuitis parabola explicata.*

66. Moraliter. Diuitem & me Deus fecit, ac Dominum deliciatũ paradiſi, & Regem vniuerſæ terræ conſtituit: ſed ego propriæ iniurius dignitati, veſtem immortalitatis & incorruptionis ab ipſo Deo mihi paratam abieci, peccatum delicias arbitratus, & diues exiſtens in paſſionibus, fallacem ſimulationis ſtolam indui, intemperantiâ & rebus peſſimis delectatus, & exultans in ijs, & nimiam immiſericordiam duritiemque oſtendi, mentem ante fores pœnitentiæ iacentem, & omnis boni eſurientem, ſegnitieque laborantem deſpiciens. Oportet me igitur aliter ſpiritu pauperem eſſe, & inopem peccatorum, vt me Abrahæ ſinus excipiat.

S. LVCÆ CAPVT XVII.

Matth. 18, 7. Marc. 9, 42

1. ET ait ad diſcipulos ſuos: Impoſſibile eſt vt non veniant ſcandala: væ autem illi; per quem veniunt:

2. Vtilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt ſcandalizet vnum de puſillis iſtis.

CYRI. *Scandala ſunt duplicia.*

1. De quibus autem ſcandalis Dominus hîc agit, quæ omnino euentura dicit? Sunt igitur duplicia ſcandala, quorum hæc quidem diuinæ gloriæ refragantur, & ſupremam illam rerum omnium eſſentiam tangunt, & eueniunt per illos qui illa temerario auſu comminiſcũtur. Quæ verò inter nos ſtruuntur ſcandala, tantũ cedunt in offendiculum & impedimentum fratrum & confidelium. Nam excogitationes hæreſum, & quicumque contra veritatem fit ſermo, diuinæ gloriæ aduerſantur: nam illis capti à rectâ ac ſacrâ doctrina, & probitate morum auertuntur ac ſeducuntur. De eiuſmodi ſcandalis ipſemet Saluator dixit: Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim venire ſcandala, verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit. Impiorum enim hæreticorum ſcandala non ad vnum dumtaxat hominem perueniunt, ſed vniuerſum potiùs orbem peruertunt, id eſt vniuerſos terræ incolas. Huiuſcemodi autem inuentores ſcandalorum B. Paulus increpat dicens: Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam illorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Ne autem talia ſcandala contra fideles præualerent, dixit aliquando Deus recti ſermonis veritatis præconibus, ac prudentibus rerum ſacrarum adminiſtratoribus, vt per portam eius ingrederentur, & offenſionis lapides è viâ proijcerent. Acerbum verò ſupplicium Saluator comminatus eſt ijs, qui talia offendicula ponerent. Non autem hîc memorari videntur huiuſmodi ſcandala, ſed magis ea quæ contingunt inter amicos & fratres, & ex humana committuntur fragilitate. Omnem autem à nobis hic ſuſpicionem tollit. Vicinus aliquis prius te verbo læſit? Dimittite, inquit, fratribus veſtris, ſi contigerit illos in vos peccare. Qualia tandem ſunt illa ſcandala? Puſillanimitates videlicet, & triſtitiæ, tam iuſtæ quàm iniuſtæ iræ, detractiones, iurgia frequentia, & his ſimilia offendicula & lapſus: hæc inquit non poſſe fieri vt non eueniant. Ergóne hæc quodammodò aliquibus inferuntur ab vniuerſorum Deo? Abſit: nullus enim ab ipſo malus fit: quin potiùs fons eſt vniuerſæ virtutis. Quomodo ergo fieri non poteſt vt non eueniant ſcandala? vtique propter noſtram infirmitatem. In multis enim, vti ſcriptum eſt, peccamus omnes. Verumtamen væ illi per quem ſcandala veniunt: non

Matth. 18.

1. Cor

non enim impunè id faciet. Vel potiùs metu supplicij eorum segnitiem pellit, cùm nos ateriter tolerare illorum mala iubeat.

ANNOTATIONES.

Vers. 1. Quomodo & cur necesse sit scandala fieri.

IMPOSSIBILE EST VT NON VENIANT SCANDALA.] *Præmissâ scilicet & suppositâ tam variâ hominum indole, corruptione, curiosâ nouitate, ambitione, ac liberâ malitiâ, fieri non potest, quin fiant ab aliquibus saltem in confuso. Sic Matthæi* 18, 7. Necesse est enim vt veniant scandala. *&* 1. *ad Corinthios* 11, 19. *dicitur*, Oportet hæreses esse. *Scandala autem de quibus hic Christus, vt benè notat S. Cyrillus Num.* 1. *sunt læsiones, irrisiones, persecutiones iustorum, mala exempla, doctrina erronea, & denique bona & licita quædam, sed indiscretè & importunè facta. Quid autem sit & vnde scandalum nomen acceperit, docet*

Quid sit scandalum, & vnde dictum.

D. THOMAS 2. 2. *quæst.* 41. *art.* 1. Quod, *inquit*, Græcè σκάνδαλον dicitur, nos Offensionem vel Ruinam & Impactionem pedis possumus dicere. Contingit enim quòd aliquando aliquis obex ponitur alicui in viâ corporali, cui impingens disponitur ad ruinam, & talis obex dicitur scandalum. Et similiter in processu viæ spiritalis contingit aliquem disponi ad ruinam spiritalem per dictum vel factum alterius, in quantum scilicet aliquis suâ admonitione, inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum: & hoc propriè dicitur scandalum. Nihil autem secundùm propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundùm quod habet aliquem defectum rectitudinis. Quia id quod est perfectè rectum, magis munit hominem contra casum, quàm ad ruinam inducat. Et ideò conuenienter dicitur, quòd dictum vel factum minùs rectum, præbens occasionem ruinæ, sit scandalum.

Qua sit scandali occasio data, qua accepta.

IDEM *Quodlib.* 4. *art.* 23. Duplex autem est scandali occasio, scilicet data, & assumpta. Tunc quidem dat aliquis alicui occasionem ruendi, quando facit aliquid vel dicit minùs rectum, ex quo datur proximo occasio ruinæ, & tunc ruina proximi imputatur danti occasionem. Aliquando autem non est occasio data, sed assumpta, puta, cùm aliquis inducit aliquem ad bonum, & ipse ex hoc fit deterior: non est relinquenda ideò monitio bona, quia ille sumit inde occasionem ruinæ. Vnde & Dominus non dimisit prædicationem veritatis, propter scandalum Pharisæorum.

S. AVGVSTINVS *Epistolâ ad Bonifacium, hoc exemplo confirmat, dicens:* Quòd si plurima essent in domo ruitura, & inde saltem vnus liberari posset, atque id quia facere conaremur, alij semetipsos præcipitatione necarent, doleremus de ceteris, verùm de vnius salute saltem consolaremur.

Non omnia scandala paria.

S. BERNARDVS *Tractatu de Præcepto & dispensatione c.* 12. Sed non omniũ, *inquit*, scandala æquâ sunt lance pensanda. Aliter namque accipienda sunt scandala pusillorum, aliter Pharisæorum, de quibus Apostolis timentibus & intimantibus quòd scandalizati essent in sermone veritatis, responsum est: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: illorum quippe scandalum de ignorantiâ, istorum de malitiâ descendit. Illi scandalizãtur, quia veritatem nesciunt; isti, quia oderunt. Vnde & pusillos illos arbitror appellari, quòd voluntatis quidem bonæ, sed non magnæ scientiæ existentes, zelum Dei habeant, etsi non secundùm scientiam. Talium scandala curam, non iram prouocare solent spiritualium dumtaxat virorum, Paulo ita docente ad Galatas 6. Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Indignum siquidem est valdè, humanam eos mereri indignationem, qui diuinam tam facilè consequuntur miserationem.

Scandala triplicia, & vnde oriantur.

PETRVS RAVENNAS *triplicia ponit scandala, dicens:* Scandalorum autem genera sunt diuersa. Et prima sunt illa, quæ diaboli fraus parturit: secunda, quæ generat calliditas humana: tertia, quæ parit in nobis suspicax & incauta natura. In promptu verò belli semper sunt vigiliæ militum distributæ, vt insidijs nihil liceat, nihil pateat dolis. Perniciosissimus nimis repentinus est hostis, aut inscios præuenit, aut incautos occupat, aut opprimit dormientes. Hinc est quòd Christus Rex noster ante sæcula, per totam sæculi noctem milites suos præmandatis vigiliarum vicibus commonuit contra veteris hostis subtilissimos dolos, contra latentes impetus vitiorum, contra scandala quæ nobis varijs oriuntur ex causis. Impossibile est, inquit, vt non veniant scandala. hoc est dicere, impossibile est vt non veniant hostes.

Diligenter vigilandũ contra illa.

S. CHRYSOSTOMVS, *vel quisquis ille est Auctor Imperfecti Operis in Matthæum Hom.* 13. Sicut, *inquit*, vbicumque fuerit triticum, necesse est vt inueniantur illic & zizania: sic vbicumque fuerit bonum Dei, illic erit & scandalum inimici. Væ autem illi per quem scandalum venit.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom.* 7. *in Genesim:* Terribile hoc verbum est, & terrore plenum. Væ enim hoc est quasi lamentantis supplicium illud non euasuros.

Esse scandala alijs grauius est quàm si ipsi peccarent.

Vnde edocemur (*inquit* ORIGENES *Hom.* 25. *in cap.* 31. *Numerorum*) quia longè sit grauius alijs causam præbere peccati, quàm ipsum vnumquemque peccare, sicut & Dominus designat, cùm dicit: Quia melius fuerat homini illi non nasci, aut molam asinariam ligari circa collum eius, & præcipitari in profundum maris, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis.

Inæqualiũ scandalorũ inæquales pœnæ, & quæ quibus à lege statuta.

Quæ autem & quibus scandalis pœna à lege statuta fuerint, pulchrè describit idem ORIGENES *Hom.* 10. *in cap.* 21. *Exodi, explicans illa verba,* Quòd si litigauerint duo viri, & percusserint mulierem prægnantem, *&c.* Allegoricè, *inquit*, sint duo viri isti qui litigant, duo disputantes, & de dogmatibus vel quæstionibus legis secum inuicem conquirentes. Vnde Apostolus: Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile est nisi ad subuersionem audientium. Quia ergo isti qui in quæstionibus litigant, ad subuersionem audientium litigant, idcircò percutiunt mulierem prægnantem, & eijciunt infantem eius, vel formatum vel nondum formatum. Mulier prægnans dicitur anima, quæ nuper Dei verbũ concepit, iuxta illud: A timore tuo Domine in vtero concepimus, & peperimus. Hæc ergo anima, quæ nunc pro infirmitate sui mulier appellatur, duobus inter se litigantibus viris, & in certamine scandala proferentibus percutitur, & scandalizatur; ita vt verbum fidei quod tenuiter conceperat, abijciat & perdat. Si ergo nondum formatum anima quæ scandalizata est abiecerit verbum, qui scandalizauerit, damnum dicitur pati. Nam quædam sunt peccata quæ ad damnum pertinent, non tamen ad interitum. Vnde de damnis Doctorum dicit Apostolus: Si cuius opus arserit, damnum patietur, ipse autem saluus erit; tamen quasi per ignem. Et ipse

2. Tim. 2, 14. *1. Cor 3, 15*

Nn Domi-

Matth. 16, 26. Dominus: Quid prodest, inquit, homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Et Ioannes Apostolus ait quæ-
1. Ioan. 5, 16. dam esse peccata ad mortem, quædam verò non esse ad mortem, sed ad damnum. Hinc ergo damno percuti dicitur is qui scandali causam infirmiori & mulieri præbuit animæ. Subiacebit, inquit, damno
Exod. 21, 22. quantum maritus mulieris expetierit. Animæ discentis vir & maritus Christus est. Ille ergo qui ad subuersionem audientium verbis contendit, patietur damnum pro animâ illâ quæ nondum formatum abiecerit infantem, quod potest fortè de scandalo catechumeni accipi nondum formati. Quòd si iam formatus fuerit infans, dabit animam pro animâ, &c. Formatus infans potest videri sermo Dei in corde eius animæ quæ gratiam Baptismi consecuta est, vel quæ euidentius & clariùs verbum fidei concepit. Hæc ergo si nimiâ contentione Doctorum percussa abiecerit verbum, & inuenta
1. Tim. 5, 15. fuerit esse de illis de quibus Apostolus, Iam enim quædam conuersæ sunt retro satanam; animam pro animâ dabit, scilicet in die iudicij apud Deum iudicem, qui potest animam & corpus perdere in gehẽnam. Vel fortè sic intelligitur: Animam pro animâ dabit, vt qui sibi conscius tanti scandali fuerit, ponet animam suam pro illius animâ quam scãdalizauerit, & vsq; ad mortem det operam, quomodo redeat, quomodo restituatur ad fidem. Ponet etiam oculum pro oculo. Hoc est, si oculũ læsit animæ, id est intellectum turbauit, auferatur oculus ipsius ab eo, & intellectus eius ille turbulentus & ferox qui scandalum generat, deferatur, Et si dentem lęsit auditoris, quo suscipiebat cibum verbi Dei: si hunc dentem læsit, vexauit vel euulsit, ita vt non possit talis anima subtiliter & spiritaliter suscipere verbum Dei, auferatur dens eius qui non benè Scripturarum comminuit atque attriuit cibos iuxta il-
Psal 3, 8. lud: Dentes peccatorum contriuisti; & illud, Molas
Psal. 57, 7. leonum confringet Dominus. Quia ergo si scandalum patiatur anima, non solùm in fide, sed etiam in actibus deijcitur, si per manum significatur, & manus & pedes auferentur illius qui offendiculum præbuit. Manus quibus non benè operatur, & pedes quibus non benè incedit. Recipiet etiam combusturam pro combusturâ, quia combussit, & gehennæ tradidit animam. Per quæ singula ostenditur, vt iste percussor omnibus detruncatus membris à corpore excidatur Ecclesiæ, vt ceteri timorem habeant. Idcircò & Apostolus cùm doctorem describit, præcipit vt non sit percussor, ne per-
1. Tim. 3, 3. cutiens prægnantes mulieres, ponat animam pro animâ, &c. Tales enim animas prægnantes defflet
Matth. 24, 19. Dominus, dicẽs: Væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Nam non est perfectorum scandalizari, sed aut mulierum, aut paruulorum. Vnde Dominus: Si quis scandalizauerit vnũ de pusillis istis minimis qui in me credunt, &c. Pusillus ergo est minimus qui scandalizari potest: spiritualis autem diiudicat omnia, & omnia probat, & quod bonum est continet, & ab omni specie mali abstinet.

Tantùm pusilli scandalizantur, non perfecti.

Matt. 18, 21. Leu. 19, 17. Eccli. 19, 13.

VERS. 3. Attendite vobis: "Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi.

4. Et si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Pœnitet me: dimitte illi.

2 QVONIAM acri oratione aduersus scandalizantes vsus, multis eos argumentis terruit. Quia verò dixit impossibile esse vt scandala non veniant, vigilantiores eos reddidit. Cumque adiecerit, Væ illi per quem scandala veniunt, vnumquemque cauere hortatur, ne culpâ suâ scandalum accidat; & intolerabilia minitatus est illis qui alios scandalizauerint. Ne autem supini atque desides fierent quibus scandala inferuntur, vide vt illos etiam comprimat, doceatque alijs peccantibus facilè condonare. CHRYSOSTOMVS in Mat. 18. Hom. 60.

3. Nemo enim proferre posset aliquem à quo toties offensus sit, quoties ipse toto vitæ suæ tempore contra voluntatem Dei præuaricando deliquerit: modò enim per sermonem delinquimus, modò verò per cogitationes turpes & actiones prauas: verumtamen non penitus desperamus, aut spem in Deum abijcimus propter humanitatem, benignitatem, clementiam, misericordiam, & indulgentiam Dei. Par igitur est & consequens, vt eadem mensurâ remetiamur eis qui nos offenderunt. Neque cum Petro venia, quam in nos peccantibus tribuimus, ad numerum septimum restringenda est, sed cum benigno ác clementissimo Saluatore ad numerum septuagesimum septimum est extendenda; non peccata hæc omnia distinctè annotantes, & quasi numerum illorum quotidie ineuntes, sed indefinitè & sine numero, vt hîc docemur, condonantes. CYRILLVS

Offensiones semper condonandæ.

ANNOTATIONES.

SI PECCAVERIT IN TE FRATER TVVS, INCREPA ILLVM, &c.] *S. Matthæus hæc nonnihil fusiùs habet cap. 18. v. 15. & seqq. dicens:* Si autem peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. VERS. 3.

Ordo correctionis fraternæ.

Nota, Christum hic vindictæ frenũ inijcere. q. d. Si te offendit frater tuus, ne vindica, ne publica, sed priùs amanter & secretò corrige; si videlicet spes sit illum à te correctum iri; alioquin si per alios speretur meliùs corrigendus, ad sequentes modos supra dictos eundum. Sin verò nulla spes correctionis supersit, omittenda potius correptio, & Deo relinquendus. Hæc autem intelligenda sunt non de correptione publicâ & iudiciali, quæ ad pœnam & reparationem damni communis ordinatur, de quâ hic non agitur; sed de priuatâ, quæ ad emendationem proximi tendit. Hoc verò præceptum tam secundùm substantiam suam, quàm secundùm modum & ordinem, non tam positiuum esse videtur, quàm Iuris naturæ, connaturale scilicet charitati ac gratiæ. Totum enim quod hic dicitur, charitatis in proximum

ximum ratio exigit, vt videre est apud D. Thomam 2 2. quæst. 33. & Scholasticos ibidem.

Vt autem hæc correctio fratris cum mansuetudine ac lenitate peragenda sit, pulchrè docet S. GREGORIVS NAZIANZENVS *de Modestiâ in disputationibus seruandâ.* Corrigendus, *inquit*, est frater. Hanc rationem tene, vt partim illum corrigas, idque leniter & humanè, non vt hostis, nec vt durus & rigidus Medicus, nec vt sectionibus tantùm & cauterijs aduersus morbum sciens grassari: partim teipsum accuses, infirmitatisque tuæ tibi conscius sis. Quid enim si lippientibus oculis, aut alio quodam morbo laborantibus obscurum solem aspicias? Quid si omnia verti ac sursum deorsumque ferri putes, ipse nauseâ correptus, aut vino obrutus, ignorantiamque tuam alijs attribuas? Multum diuque antè versandus atque contorquendus est animus, multa ferenda, quàm vt alium impietatis damnemus. Non idem est stirpem euellere, aut breuem quemdam & caducum florem, atque hominem excidere. Imago Dei est & imaginem quoque Dei alloqueris. Iudicium quoque tibi bis qui iudicas: & quidem alienum seruum iudicas, & quem alius moderatur. Sic fratrem explora, quasi ipse ad eamdem mensuram expendendus. Quocircà ne citò ac temerè membrum seces ac proijcias, cùm incertum sit an per hoc partes sanæ perniciem aliquam contracturæ sint. Verùm argue, increpa, obsecra. Habes medicinæ regulam. Christi discipulus es, mitis & humani, infirmitatesque nostras portantis. Si primùm obluctetur, leniter exspecta: si secundò, ne animum despondeas, nondum enim curationis tempus effluxit: si tertiò, benignum illum & humanitate præditum agricolam imitare, Dominum adhuc precare, ne infructuosam & inutilem ficum excidat, atque odio habeat, verùm cõuertat & curet, & stercus inijciat, hoc est, eam correctionem, quæ peccati confessione, & manifestâ pudefactione, atque ignominiosiori vitæ ratione constat. Quis scit an mutabitur ac fructum feret, Iesumque à Bethaniâ redeuntem alet? Tu qui spiritali illo vnguento arte vnguentariâ confecto delibutus es, fraterni fœtoris nonnihil perfer, siue verus sit fœtor ille, siue ita tibi videatur: vt ipsi vicissim boni tui odoris aliquid impertias. Viperæ virus non est malitia, vt simulatque ictus fueris, doloribus crucieris, aut etiam intereas, ob eamque causam tibi bestiam fugienti vel interimenti, venia parata sit. Verùm si quidem à te fieri possit, eum quoque morbo libera: sin hoc non licet, ipse certè ita demum in tuto versaberis, si improbitatis illius particeps nequaquam factus fueris. Insuauis quidam odor est illius morbus, quem fortasse fragrantia tua vincet atque depellet.

Correctio sit lenis & humana.

Matth. 7, 1
Rom. 14, 4
2. Tim 4, 2

S. GREGORIVS MAGNVS *lib.* 10. *Moralium cap.* 5. Ad siluam, *inquit*, cum amico imus, quoties cum proximo ad discutienda delicta conuertimur. Simpliciter ligna succidimus, cùm delinquentium vitia piâ intentione resecamus. Securis manum fugit, cùm correctio in asperitatem sese pertrahit. Ferrum de manubrio prosilit, cùm de correctione sermo durus excedit. Amicum percutiens occidit, qui auditorem suum prolatâ contumeliâ à spiritu dilectionis interficit: correcti enim mens inde ad odium prorumpit. Sed qui incautè lignum percutit, & proximum extinguit, ad tres vrbes fugiat, vt viuat. Quia si ad pœnitentiam conuersus sub spe, fide & charitate absconditur, reus homicidij non tenetur, &c. Citiùs ergo culpa dimittitur, quæ non malitiosè perpetratur.

Correctio ne fit asperior.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom.* 60 *in Matthaeum super illud cap.* 18. Si te non audierit, adhibe tecum vnum aut duos, &c. Nam quantò, *inquit*, ille impudentior ac pertinacior fuerit, tantò magis ad emendationem eius absque irâ & molestiâ nobis studendum est. Nam & Medicus cùm grauiorem viderit morbum, non desistit, nec molestiâ oppressus deficit, sed ad ferenda remedia se accingit. Quod nos quoque facere iubet. Quoniam cùm solus imbecillior visus es, adiectione duorum fortior factus atque delinquentem.

IDEM *in Babylam martyrem:* Meâ sententiâ opus est, vt quisquis alios vult reprehendere, animam suam ab omni temeritate & arrogantiâ quàm maximè liberam faciat, vt vitam suam soli, verbis & operibus declaret. Nam & Medici ossa putrida & accensa secturi, non irâ se replent quando curaturi eunt, sed tunc maximè tranquillitatem animi seruare student, ne forte arti obsit turbatio. Quòd si curaturis corpus tantâ opus est animi sedatione, medicum animarum dic quid decet? quanta ab eo prudentia expectanda? Planè multò maior, atque adeò tanta quantum videlicet declarauit beatus ille Martyr, &c. *Quomodo autem peccanti in nos fratri, præmissâ correctione ex animo condonandum sit, luculenter exemplo suo Patriarcha ille Ioseph ostendit, Geneseos* 45. Non se poterat vltrà cohibere Ioseph, &c. *quod nobis pulchrè describit*

Correctio fiat animo pacato.

S. GREGORIVS *Hom.* 21. *super Ezechielem, vbi ait:* Tanta debet esse sacerdotibus Dei atque doctoribus discretio, vt nec disciplina nimia, nec ipsa misericordia sit remissa: ne si inordinatè culpa dimittitur, is qui culpabilis est in reatu grauiùs astringatur: & rursus qui culpâ immoderatâ retinetur, tantò cùm corrigitur deterior fiat, quantò erga se nihil ex benignitatis grauâ agi considerat. Exhibenda itaque prauis est asperitas in ostensione, charitas in mente, vt dura ostensio delinquentem coërceat, & charitatis custodia mercedem mansuetudinis non omittat. Testis huius est Ioseph, qui spiritu discretionis plenus, memor culpæ, & remissor iniuriæ, mala fratrum nec reddere studuit, nec sine purgatione laxare. Vincebat quidem eius mentem pietas, sed permanebat in offensione asperitas, vt fratres noxij purgarentur. O tormenta misericordiæ! cruciat, & amat. Demum vltra se cohibere non valens, pietas clausa prorupit ad medium, & excussit charitatis lachrymas de vultu seueritatis. Detersa est ira quæ apparebat, & non erat; ostensa misericordia quæ erat, & non apparebat. Sic vir sanctus facinus fratrum & dimisit, & vindicauit. Sic in rigore clementiam tenuit, vt delinquentibus fratribus nec sine vltione pius existeret, nec sine pietate districtus. Ecce hoc est magisterium disciplinæ, vt culpis & discretè norit parcere, & piè resecare. Qui autem discretionis spiritum non habent, aut sic dimittunt peccata vt non corrigant, aut sic quasi corrigendo feriunt, vt non dimittant.

Correctio & demissio quomodo temperanda.

Quod autem sequitur Vers. 4. ET SI SEPTIES IN TE PECCAVERIT, *&c. Matthæi* 18, 21. *sic habetur:* Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dixit illi Iesus: Nõ dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. *Vbi nota, Petrum videri hoc quærere occasione eius quod immediatè præcedit*

Quoties remittendum sit fratri peccanti.

cedit apud Lucam v. 4. iam citato, scilicet, Si septies peccarit frater, septies dimitte. *Vbi* septies *accipitur* pro plu[illegible]s, & semper. *In Scripturâ enim septenarius symbolum est multitudinis ac pluralitatis. Sed videtur Petrus definitè tantùm septies intellexisse, aut certè de eo dubitasse. Vnde Christus respondet*, septuagies septies, *hoc est, innumerabilibus vicibus. Septenarius enim, vt dixi, vniuersitatis est symbolum: septuaginta autem decies septenarium continet. S. Hilarius in cap. 18. Matth. obseruat Christum allusisse ad pœnam Lamech Gen. 4, 24. Fortè etiam mysterium latet. Hic enim numerus est symbolum plenissimæ remissionis peccatorum. Nempe sicuti in septuaginta septem generationibus punitus est Lamech (eum enim septuaginta septem filios habuisse, qui omnes diluuio perierunt, docet Iosephus;) ita Saluator noster Christus, per quem peccatum abolitum est, in septuagesimâ septimâ generatione est natus. Nam in Genealogiâ Lucæ cap. 3. à Deo & Adam vsque ad Christum inclusiuè sunt septuaginta septem generationes. Ita S. Augustinus Serm. 15 de Verbis Domini. De septenario vide plura Cap 22. Num 1. in Catenâ.*

Septenarij mysterium.

VERS. 5. Et dixerunt Apostoli Domino: Adauge nobis fidem.

6. Dixit autem Dominus: Si haberetis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro. Eradicare & transplantare in mare: & obediret vobis.

CYRILLVS 4 OBSERVA autem, sanctos Apostolos antiquorum illorum sanctorum æmulatores exstitisse. Quid enim petunt à Christo, cùm aiunt, Adauge nobis fidem? non petunt fidem simpliciter, ne infideles ipsos existimes, sed potiùs fidei incrementum postulant à Christo, id est certam in fide stabilitatem. Fides siquidem partim in nostrâ est potestate, partim verò datur per gratiam Dei. In nostrâ quidem potestate est eam auspicari, & in Deum totâ virtute confidere & credere, à gratiâ verò diuinâ est eius confirmatio & spes. Vnde cùm omnia Deo possibilia sint, dicit etiã quòd omnia possibilia sint credenti: Dei enim potentia nostra fit per fidem. Hoc non ignorans B. Paulus Apostolus in 1. ad Corinthios ait: Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiç secundum eumdem spiritum: alij verò fides per eumdem spiritum. Cernis vt in catalogo spiritualium donorum posuerit etiam fidem. Hanc igitur fidem discipuli Saluatoris accipere desiderarunt, suam inducentes, quam etiam acceperunt per superuentionem Spiritus sancti, diuinâ iam completâ dispensatione.

Simile quid habet Euthymius in hoc caput.

1. Cor. 12, 8

IDEM. 5. Transfretabat aliquando Saluator omnium vnà cum Apostolis stagnum siue mare Tiberiadis, & per dispensationem obdormiuit. Vento autẽ insurgente & inualescente vehementiùs, & procellâ excitatâ, ita vt nauicula operiretur fluctibus, conturbabantur valdè discipuli, & excitabant Dominũ, dicentes: Magister, salua nos, perimus. At ille surgens increpauit ventum, & tempestatem aquæ, & cessauit, & facta est tranquillitas. Reprehenditque vehementer sanctos Apostolos, dicens: Vbi est fides vestra?

Matt. 8, 23 Marc. 4, 36 Luc. 8, 22

6. Iussit autẽ Iesus beatos Apostolos suos ascendere in nauiculam, & præcedere eum trans fretum. Cùm remigassent verò quasi stadia triginta, vident, inquit, Iesum ambulantem supra mare, & conturbati sunt, putantes phantasma esse quod videbant. Et statim allocutus est eos dicens: Ego sum, nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de nauiculà, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Videns verò, inquit, ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamauit, dicens: Domine adiuua me. Iesus autem seruauit quidem periclitantem, sed simul increpauit, dicens: Modicæ fidei, quare dubitasti? Passionis etiam tempore, cùm impij illi milites atque satellites veniebant vt Christum caperent, omnes ipsum deserentes fugerunt. Sed & Petrus manifestè eũ negauit, ab ancillâ territus. Vidisti quàm modicæ adhuc fidei tum fuerint discipuli, & miraris quòd fidei incrementum accipiant à Christo omnium saluatore?

Matth. 14, 22. Marc 6, 45 Ioan 6, 9.

Imbecillitas fidei Apostolorum ante aduentum Spiritus sancti.

Matth. 26, 56. Marc. 14, 51.

7. Post aduentum verò Spiritus sancti, tantum fides illorum sumpsit incrementum, vt & in illa signa perficerent. Quòd autem fidei firmitas excellens quid & magnum sit, ostendit, dicens: Si haberetis fidem sicut granum sinapis, id est calidam & feruentem, diceretis huic arbori moro, Eradicare & transplantare in mare: & obediret vobis. Qui enim in Christum confidit, non is propriâ virtute nititur, sed Christo potiùs tribuit huius rei potentiam.

Luc. 17, 6.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 8. Si autem morum non transposuerint Apostoli, non calumnieris. Non enim dixit, Transferetis, sed, Transferre poteritis: sed noluerunt, quia opus non erat, cùm maiora fecerint.

CHRYSOSTOMVS in Ep. 1. ad Cor. c. 12. 9. Fidem autem hîc non eamdem dicit eam quç est dogmatum, sed eam quæ est signorum, de quâ & rogabant Apostoli, dicentes: Adde nobis fidem. Hæc enim est mater signorum. Sinapios autem meminit, immẽsam virtutem eius declarans. Licet enim magnitudine paruũ esse videatur, at virtute cæteris est seminibus vehementius. Ostendens igitur, vel quid minimum sinceræ fidei ingentia posse, sinapios mentionem facit. Et non miraris spiritus virtutem, quòd eos qui

ne

ne grani quidem sinapios fidem habebant, sic sensim à paruo eduxerit, vt fluuios fontesque fidei in ipsis excitauerit.

Idem c.11 10. Quæ fuerit autem hic nonnemo, quomodo Christus dicat, minimam partem fidei esse montes & morum transferre. Nam

Matth.17,20. tamquam minimam dicens sic posuit: Si ha-

Luc.17,6. beretis fidem sicut granum sinapis, diceretis huic arbori moro, vel huic monti, Transi hinc illuc, & transibit. Paulus autem omnem fidem hanc esse dicit. Quid ergo sibi vult? Quoniam hoc erat magnum montes transferre, propterea eius etiam meminit: non tamquam hoc solùm posset tota fides, sed quoniam hoc videbatur magnũ crassioribus, propter molem corporis, hinc quoque extollit & amplificat propositũ. Hoc est au-

1.Cor.13,2 tem quod dicit, Si habeam omnem fidem, & si montes possem transferre, charitatem autem non habeam, nihil sum.

Idem 11. Arborem autem mori acceperit fortè pro diabolo. Quemadmodum enim mori folijs vermes nutriuntur, sic & diabolus per technas suas & insidias sæculi huius altor existit. Sed hunc potest fides è cordibus nostris exstirpare, & in infernum proijcere.

ANNOTATIONES.

NVM. 4. *Quomodo fides sit in nostra potestate.* FIDES siquidem partim in nostrâ est potestate, partim verò secundùm gratiam Dei datur.] *Vbi nota, hoc non sic intelligendum esse quasi aliqua fides independenter à gratia Dei in nostra sit potestate. Omnis enim vera fides donum Dei est, & sine gratiâ Dei nemo credere potest. Sed ita dicitur in nostrâ potestate, vt cum gratiâ Dei, quæ nemini negatur, possimus credere, si velimus; adeò vt cùm semper nobis tale Dei auxilium adsit, cui si cooperari voluerimus, donum fidei accepturi simus, meritò fides in nostrâ dicitur potestate. Per illam autem fidem quam hic secundùm*

Quæ sit fides miraculorum. *gratiam Dei concedi dicit, & insinuat in nostrâ non esse potestate eam habere, intelligenda est fides illa miraculorum, de quo hic versu 7. agit Lucas dicens:* Si habueritis fidem sicut granum sinapis, *&c. quæ vti non est necessaria ad salutem nostram, ita nec in nostrâ potestate situm est eam habere cùm volumus, sed gratuitum Dei donum sine gratis datum dicitur, quia in vtilitatem scilicet aliorum plerumque conceditur, nec per se possessorem suum Deo gratum aut iustum facit. Hæc tamen fides miraculorum non idcircò est specie diuersa à fide iustificante, sed eadem. Nam vt ait Apostolus 1.Cor.13,2. tantùm est* vna fides. *In hoc tamen differt, quòd fides miraculorum coniuncta sit cum certa fiduciâ opis diuinæ ad miraculum patrandum, quæ fiducia oritur partim ex libertate quadam sancta ac Deo familiaris scientia, iuxta illud 1.Ioan.3,21.* Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciã habemus ad Deum: & quidquid petierimus, accipiemus ab eo. *partim ex instinctu Dei eos animãtis & quasi opem suam promittentis ad miraculum quod tentant perficiendum.*

Quæ fides sit sicut granum sinapis. *Dicit autem hanc fidem esse sicut granum sinapis, id est, ardentem, & efficacem, ac perfectam. Ita S. Chrysostomus hîc in Catenâ Num. 9. sine vt 1.Corinth.13,2. omnem fidem, id est totam. Vel potiùs, vt ibidem Chrysostomus Num* 10. sicut granum sinapis, *id est minimam fidem, scilicet miraculorum, & opponatur tum incredulitati, tum maximo monti vel arbori. Ita Matthæi 13,31. fidem Euangelij ob paruitatem comparauit grano sinapis. Hac fide ad litteram S. Gregorius Thaumaturgus montem templi fabricam impedientem transtulit, teste Eusebio lib.7. Hist.c.25.*

VERS.7. Quis autem vestrûm habens seruum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe:

8. & non dicat ei: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec manducem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes?

9. Numquid gratiam habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat?

10. Non puto. Sic & vos, cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

12. VALDE nobis cauenda sunt diaboli CHRYSOST. in Hexaëm.
vafretia, multas enim easque implexas
habet captandi artes: cumque non rectà *Diabolus occultè decipit.*
possit nos ad peccatum pertrahere, nec semper inescare (non enim nos cogit aut peccandi necessitatem adfert, absit, sed seducit tantùm ac decipit.) Cùm itaque sciat non facilè nos nudam malitiam suscepturos, illam escâ quadam inuoluens, occultè sic perditionem nostram & obliquè machinatur, persuadendo nobis vt magnificè de nobis ipsis sentiamus. Hoc itaque cùm acciderit, dicite, Quoniam serui inutiles sumus. Liberos enim & remotos à noxiâ hac passione discipulos esse conuenit, illâ quæ à Domino est laude contentos, quæ non ex hominibus sit, sed ex Deo.

13. Magis autem Dominus ostendere vo- MARCVS Archiep.
lens, omne præceptum esse debitum quoddam, adoptationem verò nostram, proprio ipsius Sanguine factam, hominibus esse donatam, ait: Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod enim debuimus facere, fecimus. Quãobrem regnum cælorum non est merces operum, sed gratia Dei fidelibus seruis præparata. Neque seruus petit libertatem tamquam mercedem, sed tamquam debitor benè operatur, illa verò ex gratiâ conceditur.

ANNOTATIONES.

QVAMOBREM regnum cælorum non est mer- NVM. 13.
ces operũ, sed gratia Dei.] *Vbi nota, regnum cælorũ sumi pro υἱοθεσίας, siue adoptatione in filios Dei, de quâ suprà agit, dicens illã dari propter merita & San-* *Gratia adoptionis non est merces operis.*

guinem Christi, siue per gratiam eius. Quòd enim sic regnum cælorum accipiat, paulo pòst etiam explicat dicens: Οὐκ ἀπαιτεῖ δοῦλος ὡς μισθὸν τὴν ἐλευθερίαν. *Id est,* Non postulat seruus pro mercede libertatem, *&c. Sic etiam gratiam iustificantem, per quam in filios Dei adoptamur, & libertatem quæ est in Christo Iesu acquirimus, non accipimus aut petimus tamquam mercedem, sed illa nobis gratis datur. Hac tamen instructi, opera meritoria vitæ æternæ perficimus.*

Nota autem, hic in textu versu 7. seruum *non pro mancipio accipi, vt volunt hæretici; sed pro mercenario, qui vltra opera præcepta possit domino suo gratuitum aliquod obsequium præstare. Vnde immeritò hæretici hoc loco contra merita abutuntur. Nam hic seruus verè mercedem diurnam per opera ex pacto debita merebatur. Non solent autem domini seruis, quibus mercedem dant, gratias agere, aut saltem non tenentur. Vnde dicit versu 9.* Numquid gratiam habet seruo illi, *&c. Gratias enim tantùm agimus, cùm gratis quidpiam nobis confertur. Ita & nos cùm serui Dei simus, per opera præcepta verè meremur vitam æternam, vt patet Matthæi* 10, 41. *& Marci* 9, 41. Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli; amen dico vobis, non perdet mercedem suam. *Vbi autem subiungit,* Dicite, serui inutiles sumus, *&c. Christus non tam vocat, quàm monet, vt quisque sese ceram Deo verè inutilem reputet ac vocet, cùm humilitatis causâ, tum etiam, quia verissimum est quod nihil peculiare, nihil singulare atque illustre fecerit qui tantum præcepta implevit. Atque ideo inutilis, quia sola præcepta fecit, consilia verè atque opera supererogationis omisit, (ita enim statim explicat ipse Christus,) ac proinde communem dumtaxat præceptorum obseruatoribus repositam mercedem, non autem eximiam consiliorum gloriam est adepturus.*

Seruus qui mercenarius, potest verè mereri aliquid ab hero suo.

Quo sensu inutiles serui, qui tantùm seruant præcepta.

VERS. 11. Et factum est, dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam.

TITVS. 14. GRATIS autem dicit, quòd per mediam Samariam & Galilæam Iudeæ videlicet Saluator transierit, sed vt ostenderet quòd Samaritani quidem beneuoli essent, Iudæi verò prædictis beneficijs ingrati existerent. Erat enim discordia inter Samaritanos & Iudæos, quam ipse quasi componens per vtrosque transit, vt vtrosque in vnum nouum hominem compingat.

VERS. 12. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè:

13. & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri.

TITVS. 15. CONVERSABANTVR autē ad inuicem, quia fecerat eos vnanimes communicatio passionis, & præstolabātur transitum Iesu, solliciti vt aduenientem Christum viderent. Ipse verò non simpliciter transijt, sed diuertit ad castellum. Vbi autem Christus moratur, omnibus salus existit. Viderunt itaque decem leprosi expectationis suæ finem, Christum saluatorem, & à longè steterunt, eò quòd lex Iudæorum lepram immundam iudicet: lex autem Euangelica non externā, sed internam asserit esse immundam. Per externam siquidem lepram, mors animæ quæ per peccatum infertur, præfiguratur: non enim munditiès corporalis animæ mundationem operatur, sed consideratio fide purgata. Lex itaque pædagogus erat, tamquam infantem lacte Israelem potans, vt illos ad maiora & spiritualia deduceret, ab vmbris ad veritatem.

16. Cernis vt lex Moysis, quę est de leprâ, variam & diuersicolorem vt impuram reijciat tamquam quid nefarium, & quod serpentis varijs squamis simile sit. Eum ergo qui varietate colorum minimè efflorescit, totus autem à vertice capitis vsque ad extremos pedes est candidus, mundum esse vult, vt quemadmodum in corpore, variâ quoque ac versipelli relictâ mentis affectione, qui non est varius nec anceps, simplicem veritatis colorem diligamus. CLEMENS in Pædag. lib. 3. *Lex lepra.*

17. Præterea maximus ille Moyses in lege quam de leprâ tulit, mobilem quidem & diuersis locis sese diffundentem, impuram esse scribit, quiescentē verò mundam. Ait enim: Quoniam si se per cutem lepra diffuderit, contaminabit, inquit, eum sacerdos. Sin verò in carne permanserit lucida, & se non diffuderit, mundabitur. Per lepram itaque innuitur, quietem animæ à peccatis & passionibus non tam esse culpabilem, motum verò & diffusionem illorum maximè coinquinare. Simile quid sermo ille ad Cain & quidem significantiùs innuit. Dictū enim ad ipsum: Peccasti, desine modò peccare. Nam progredi & perseuerare in malo, perniciosum est; desistere verò à nequitiâ, & ab impietate quiescere, bonum est & salutare. PHILO. Leu. 13.

18. Per leges autem lepræ quasdā animæ designat & describit differētias. Etenim quis non miretur, quòd lepra hominem contaminet, si sana viuaque eius caro fuerit, cùm verò totius cutem corporis obtexerit, omni illum contagione liberet? Vbi enim apparuerit in eo color viuus, rursum iudicatur immundus, per hoc quòd color in eo viuus apparuit, cùm antè ob lepram toto corpore diffusam mundus diceretur. Nam existimo lepram pro irrationalibus animę passionibus accipi, colorem verò viuum pro statu rationali. Videtur itaq; hic sermo continere mysterium. In ætate siquidem puerili & tenerâ, anima adhuc culpâ vacat, quippe vsu rationis destituta, atque adeò illi non imputatur ad peccatum. Quando verò color in illâ viuus apparuerit, hoc est, vbi iam esse compos ratio- GENNADIVS. *Simile habet Orig. Homil. 8. in Leuit.*

rationis cœpit, ibi primùm peccare incipit, donec color viuus totum corpus occupauerit. Hoc est, crescente perfectæ iam rationis vsu, totus color viuus fit, & omnino leprâ aboleatur & euanescat.

Titvs. 19. Et antequam appropinquarent, emiserunt vocem, misericordiam inuocantes. Dicunt nomen Iesu, & lucrifaciunt rem. nam Iesus interpretatur Saluator. Miserere nobis.

Cyrillvs 20. Non erat quisquam qui illorum morbidorum misereretur, sed qui idcircò in terrâ apparuerat, & homo factus erat, vt omnium misereretur, misericordiâ motus est, & sanauit eos.

ANNOTATIONES.

Vers. 12 Ingressus Dei manimum obseruandus.

Et cvm ingredsretvr qvoddam castellvm, occvrrervnt ei.] *Ne scilicet si transiret Iesus, priuati manerent remedio, occasione prætereunte, quæ à tergo calua est, & reuocari non potest cum transierit; sicut Matthæi 25. quinque istis virginibus accidit, quæ cùm emendi olei tempus opportunum neglexissent, venienti sponso cum ardentibus lampadibus occurrere non potuerunt, ideoque cælestibus nuptijs exciderunt. Ne idem nobis accidat, ingressus Dei, id est diuinæ inspirationes, diligenter à nobis obseruandæ sunt, vsque prompto affectu occurrendum, & ostium cordis aperiendum est, vt pulchrè* S. Hieronymvs *Epist. 22. quæ est ad Eustochium, sic ait:* Dominus clamat: Ecce

Apoc. 3, 20 Cant. 5, 2.

sto ad ostium, & pulso. Si quis mihi aperuerit, introibo & cœnabo cum eo, & ipse mecum. Et tu statim sollicita respõdebis: Vox fratruelis mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, proxima mea, perfecta mea. Nec est vt dicas, Despoliaui me tunicâ, quomodo induam illam? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Illicò consurge & aperi, ne te morante pertranseat, & posteà conqueraris & dicas: Aperui dilecto meo, at ille declinauerat atque transierat. Quid enim necesse est, vt cordis tui ostia clausa sint? Sponso aperiantur Christo, claudantur diabolo.

Leprosi, maximè spiritu, ab hominum frequentia arcendi.

Occurrunt quidem leprosi Domino sed à longè stantes clamauerunt, vt ostendant Deum semper omnem immunditiam abhorruisse, maximè verò peccatorum, vtpote perniciosissimam animarum lepram. Hinc voluit leprosos à commercio hominum semotos esse, vt in Leuitico cap. 13. de leproso scriptum est, Solus habitabit. *Unde etiam prudentes ac probi Republicæ Rectores, quò incolumitati consulant subditorum vt corporali, ita quoque spirituali, maximè carnalis concupiscentiæ leprâ tactos, vt lenones ac meretrices, & alias perditas fœminas in sequestrem locum à suis ciuitatibus reijcere solent, ne pessimis illarum moribus plurimi inficiantur, aut scandalizentur. Stant etiam à longè, nec appropinquare Domino audent, vt horum exemplo peccator agnoscat se diuino conspectu indignum esse, vtpote qui Deo abominabilis, & fœtidus tot malis factus est, iuxta illud Psal. 37.* Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. *Ad quem locum* S. Avgvstinvs *ait:* Habeat aliquis sanum olfactum animæ, tunc sentit quomodo puteant peccata. Cui putori peccatorũ contrarius erat odor ille, de quo dicit Apostolus: Bonus odor Christi sumus Deo in omni loco, his qui salui fiunt. Sed nisi ad nos olerent mala nostra, numquam istis gemitibus confiteremur. Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ.

Peccator vtam Deo fœtet idcircò à longè stet. 2. Cor. 2.

Clamabant autem, ostendentes, peccatorem conuertere se debere ad Deum, auxilium gratiæ cum contritione & instanti oratione continenter implorando, & misericordiam humiliter postulando. Vnde dicunt: Iesu præceptor, miserere nostri; *vltrò aperientes ac confitentes suam miseriam, & qui nulla possunt allegare merita, ad misericordiæ tuum asylum confugiunt. Sic etiam orabat Daniel cap. 9.* Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. *Et Dauid Psal. 50.* Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam, *&c.*

Peccator clamet ad Deum.

Vers. 14. Quos vt vidit, dixit: [a] Ite, ostendite vos sacerdotibus. *[a] Leu. 14, 2*

21. Vt itaque sciuit sanandos, ire eos iussit, vt hac ratione restarentur sacerdotibus & Iudæorum prædicantibus, eius gloriæ æmulis, quòd inopinatè atque mirificè sanati essent, Christu eis sanitatem concedente. Nun autem sanauit primò, sed misit ad sacerdotes, & vbi sacerdotes lepræ indicia vidissent, statim sanati sunt. Misit eos ad sacerdotes, & simul illis impertijt sanitatem. Quid autem lex lepræ, vti & mundationis, & singula eius sancita sibi vellent, apud Lucam sub initium miraculorũ Saluatoris, vbi leprosus mundabatur, explicuimus; eò studiosum Lectorem remittentes. Ad sequentia modò transeamus. *Cyrillvs*

Leprosi ostendendi sacerdoti.

Luc. 5, 14.

ANNOTATIONES.

Qvos vt vidit, &c.] *Simul ac eos vidit Iesus, de salute eorum sollicitus fuit.* S. Avgvstinvs *in Psal. 62.* Respicere, *inquit*, pro diligere poni, quotidianum est. Primò, quia de Deo dicimus Respexit me. Quid est, Respexit me? Antè enim te non videbat? aut rursum attendebat, & precibus tuis commotus est, vt in te oculos mitteret? Videbat te & antè, sed Respexit me dicit, Dilexit me. Et homini qui te videt, & rogans eum, dicis vt misereatur tui, Respice me. Quid est Respice me? Dilige, attende, miserere mei.

Respicit Deus miserendo.

Dixit: Ite, ostendite vos sacerdotibvs.] *Iussit hoc primò ad obseruantiam legis sacerdotalis, Leuit. 14, 2. secundò, vt probaret eorũ fidem & obedientiã. Sciebant enim illi se certò leprosos, & à Sacerdotibus non curari, sed tantũ declarari mundos vel immundos. Vadunt tamen, certò sibi persuadentes se hac ratione à Christo curandos esse: alioquin enim non iuissent. Si itaque legis antiquæ sacerdotibus reuerentia atque obseruantia debebatur, quia illorum erat de leprâ eiusque curatione iudicium ferre; multò magis honorandi sunt sacerdotes nouæ legis, quibus datum est & de internâ animæ leprâ iudicare, & leprosum Sãguine Christi emundare, pristinæque sanitati restituere. Etenim spirituali leprâ peccati inquinatus haudquaquam mundaberis, nisi in confessione te ad pedes sacerdotis prosternas: vel si id non possis, firmum saltem id faciendi propositum habeas. Contritio enim quâ tunc peccata remittuntur, propositum confitendi includit.*

Sacerdotes honorandi.

Exponendum peccatum Sacerdoti, vt curetur.

S. Hieronymus *in cap.* 10. *Ecclesiastæ, explicans illa verba,* Si momorderit serpens in silentio, *&c. ait:* Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio eum peccati veneno infecerit, si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & Magistro voluerit confiteri; Magister qui linguam habet ad curandum facilem, ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri quod ignorat, medicina non curat.

Vers. 14. Et factum est, dum irent, mundati sunt.

15. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magnâ voce magnificans Deum,

16. & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samaritanus.

Titus. 22 Cvm autem sanati essent, abierunt ingrati, sed alienigena Samaritanus solus ad Saluatorem reuersus, gratiam agnouit, & gratiarum retulit actiones, sanitatem stabiliens, ne forte, inquiens, propter ingratitudinem recidiuam patiatur. Et appropinquat (dederat enim illi appropinquandi fiduciam suscepta purgatio) neque ampliùs à longè stat: accidit enim ad pedes Saluatoris, ex procubitu & supplicatione fidem suam simul cum beneuolentiâ ostendens.

Vers. 17. Respondens autem Iesus, dixit: Nónne decem mundati sunt? & nouem vbi sunt?

18. Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.

19. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te saluum fecit.

Titus. 23. Significat autem hic Christus, decem fuisse mundatos, vt adstantes admoneret non paruum accidisse miraculum, simul & ostenderet, Hebræos minimè reuersos esse vt Deo gloriam redderent.

Anepig. 24. Vniuersum etiam genus humanum extra ciuitatem cæli propter peccatum morabatur, propter quod etiam procul à Iesu distabar. Dominus verò curauit omnes, tametsi Iudæi propter suam peruicaciam non crediderint, sed solus alienigena Ethnicorum populus.

ANNOTATIONES.

Vers. 17. *Deus non solet improperare nisi ob ingratitudinem.* Nonne decem mvndati svnt, &c.] *Vbi nota, non esse Deo familiare, improperare beneficia sua, vt S. Iacobus ait in Epist. cap.* 1. Qui dat omnibus affluenter, & non improperat: *sed ingratitudo nostra interdum eum ad hoc quodammodò cogit, vt cùm Deuteronomij* 19. *beneficia populo ingrato collata refert, dicens:* Non veterauerunt vestimenta vestra, *&c. & ad Dauid,* 2. *Reg.* 12. Ego te tuli de ouibus patris tui, *&c. Vide quæ superius dicta sunt, post caput* 14. *S. Lucæ, in Supplemento ex Capite* 10. *Ioannis, ad Versum* 31.

S. Bernardvs *in Sermone contra pessimum vitium ingratitudinis ad hæc accommodatè sic ait:* Multos nouimus vsque hodie, qui obliti sui, & peccatorum suorum, Dei quoque & beneficiorum eius immemores, sic non sedimere, sed amittere tempus, vt de moribus & affectionibus suis vix vlla apud ipsos mentio fiat. *Multi in gratitudinis vitio infelix sunt.* Heu! heu! non inuenitur qui redeat, & agat gratias Deo, nisi hic alienigena. Nónne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? Meministis, credo, verba Saluatoris hæc esse, nouem illorum arguentis ingratitudinem. Benè quidem orasse & postulasse leguntur, qui leuauerunt vocem dicentes: Iesu fili Dauid, miserere nobis: sed defecit eis quarta, quam adiecit Apostolus, gratiarum actio, quando nec redierunt, nec egerunt gratias Deo. Multos quoque videmus vsque hodie satis importunè petentes quod sibi deesse cognouerint, sed paucos admodum nouimus, qui dignas super acceptis beneficijs gratias agere videantur. Nec reprehensibile quòd instanter petimus, sed planè petitioni negat effectum, quòd inuenimur ingrati. Et fortè hoc etiam clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis, vt tantò grauiùs de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficijs ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordiæ res, in hac parte subtrahere misericordiam; quemadmodum iræ & indignationis, misericordiam exhibere, eam sanè de quâ per Prophetam loquitur ipse Pater misericordiarum dicens: Misereamur impio, & non discet facere iustitiam. *Misericordia est, ingratis negare quod petunt.* Quàm multos enim videmus & plangimus fratres, qui, dummodò maneat habitus & tonsura, salua sibi omnia arbitrantur, non considerantes miseri quemadmodum ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantùm corticem quem vident, transforare dissimulet, ne fortè recogitent & erubescant, ipsaque verecundiâ emendentur. Qui sic interdum nonnullis consumpta esse interiora vniuersa præsumit, vt non vereantur ad ea quoque quæ foris apparent, venenatum ducere caput, nisi fortè quos videmus manifestè apostatare à Deo, repentè fieri pessimos arbitramur, & non magis paulatim defecisse, cùm comederint alieni robur eorum, & nescierunt. *Occulta vitia periculosiora.* Vides ergo, non omnibus prodesse quòd à leprâ sæcularis conuersationis, cuius peccata manifesta sunt, emundantur, sed nonnullis peius in occulto ingratitudinis vlcus oriri, quod tantò periculosius fit, quantò interius. Felix Samaritanus ille, qui cognouit se nihil habere quod non accepisset, idcircò conseruauit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reuersus. Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum qui est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ vt maiora adhuc accipere mereamur. *Gratitudo prouocat nouam gratiam, ingratitudo eamdem impedit.* Omnino enim sola nos à profectu conuersationis impedit ingratitudo nostra, dum quodammodò amissum reputans dator, quod ingratus accepit, cauet sibi de cetero ne tantò plura amitteret, quantò plura conferret ingrato. Felix proinde qui se alienigenam reputans etiam pro quibusque minimis beneficijs, non minima refert gratias, gratuitum

tuitum esse non dubitans, oeque dissimulans quod alieno impenditur & ignoto. Nos autem miseri & miserabiles, cùm in initio adhuc alienos nos æstimamus, timorati, satis deuoti, & humiles inuenimur, iam facilè postmodum obliuiscimur quàm gratuitum sit quidquid accepimus; & præsumentes non benè qoasi de familiaritate Dei, nequaquam aduertimus quòd mereamur audire, Quoniam inimici Domini domestici eius. Tantò enim nunc facilius offendimus eum, quantò ea grauiùs quæ à nobis committuntur iudicanda noluerimus esse, cùm in Psalmo legimus: Quoniã si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Obsecro, fratres, & ab hoc nequissimo & maximo vitio ingratitudinis longè fieri studeamus, & totâ deuotione in gratiarum actione versemur, nec verbo tantùm vel linguâ, sed opere & veritate exhibeamus nos gratos, quia gratiarum actionem magis quàm dictionem à nobis exigit dator gratiarum Dominus Deus noster.

VERS. 20. Interrogatus autem à Pharisæis: Quando venit regnum Dei? respondens eis, dixit: Non venit regnum Dei cum obseruatione:

21. neque dicent: Ecce hîc, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

CYRILLVS 25. DOMINVM in formâ nostrâ post præfinitum tempus ad vus venturum, Prophetæ prædixerant (apparuit enim in terrâ formam serui accipiens) cùm esset Dominus omnium, & in principatu suo naturali existeret, ac potentiâ & gloriâ diuinâ præditus esset, quemadmodum eius miraculorum magnitudo ac dignitas manifestò nobis declarauit. Sed non credidisti in ipsum imprudens Pharisæe, nec ipsius iustitiam amplexus es, atque idcircò rogas, Quãdo venit regnum Dei? Ridebat nimirum vt exile & contemnendum, quod vere admirandum erat ac maximum mysterium. Cùm enim Saluator omnium in sermonibus quos ad alios dirigebat, frequenter regni Dei meminisset; ob hoc miseri Pharisæi eum irridentes, vel fortè in mente habentes quòd paulò pòst eorum dolis circumuentus in crucem agendus esset, accedunt per irrisionem rogãtes, Quando venit regnum Dei? quasi irrisoriè dicerent, Antequam veniat regnum de quo loqueris, mors crucis te occupabit. Quid igitur ad hæc Christus? suam iterùm clementiam & incomparabilem ostendit benignitatem atque patientiam: increpatus non increpat, dum pateretur non comminabatur, *Regnũ Dei intra nos est.* se verberantes non asperè alloquebatur, sed potiùs malos existentes suo non dedignatur responso; illudque duntaxat ad vtilitatem omnium dicit, Ecce regnum Dei intra vos est. Non enim, inquit, quæratis de temporibus quibus iterùm instabit tempus regni cælorum; sed potiùs date operam vt illud adipiscamini. Nam intra vos est. hoc est in vestrâ libertate ac potestate situm est illud consequi. Potest enim quilibet homo iustificatus per fidem & gratiam Christi, & virtutibus ornatus, regnum obtinere cælorum.

26. Qui enim fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam, omnium bonorum materias atque subsidia in naturâ sui operis deposuit; vt nulla res bona atque honesta extrinsecus in nos se ingerat, sed in potestate nostrâ sit, vt habeamus quod volumus, tamquam ex cellâ quadam penuariâ, ex naturâ bonum promentes. Per particularia de vniuersalibus docemur, quòd non aliâ ratione potiri quis possit eorum quæ cupit, nisi ipse sibi bonum largiatur. Quamobrem Dominus alicubi dicit ad auditores: Regnum Dei intra vos est. &: Quicumq; petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur: vt & accipiendi quod desideretur, & inueniendi quod quæratur, & introëundi quò cupiamus, penes nos potestas sit, & à nostro pendeat arbitrio, cùm velimus. Vnde per consequens simul probatur etiam id, quod ex contrario intelligitur: quòd nimirum etiam inclinatio atque propensio in malum nullâ necessitate extrinsecus impellente innascitur, sed simul atque sumpserimus malum subsistit, tunc in rerum naturam prouenieus, cùm sumpserimus: extra verò destinatam animi voluntatem ipsum per sese malum secundùm propriam substantiam nusquam situm reperitur. *NYSSENVS de Beatit.* *Nobis insita est ad bonũ propensio.*

27. Eiusmodi igitur præceptum docere Dominum arbitror, cùm dicit ad eos qui sapientiam in mysterio loquentem audire possunt, Regnum Dei intra vos est. Significat enim, non esse diuinum bonum à naturâ nostrâ remotum, neque ab ijs qui id quærere instituunt procul dissitum, sed semper io singulis inesse, ignotum tamen atque obscurum, cùm quidem vitæ curis ac voluptatibus suffocatur, sed quòd iterùm se prodat, vbi cogitationem nostram eò referimus. *NYSSENVS de Virgin. [illegible]*

Vel forsitan regnum Dei nobis insitum, dicit inditam animabus nostris lætitiam per Spiritum sanctum. Ea enim est veluti imago, & arrha perennis lætitiæ, quâ in futuro sæculo Sanctorum animæ gaudent.

28. Hinc etiam cognosces, quòd ad veritatis cognitionem, & accuratam eius perceptionem, non alijs opus sit quàm nobisipsis. Neque vt est ipse Deus super omnia, ita quoque & via, quæ ad illum tendit, procul aut foris extraque nos consistit; sed in nobis sita est, & initium eius à nobis inuestigari potest, quemadmodum & Moyses docuit his verbis: *ATHAN. cont. Idola*

Exod.8. bis: Verbum fidei intra cor tuum eſt. quod & Saluator noſter ſignificauit, ac confirmauit dicens: Regnum Dei intra vos eſt. Quia enim in nobis habemus fidẽ, & Dei regnum, ideò poſſumus celeriter intelligere, & contemplari vniuerſitatis Regem. Ne quis autem prætendat, aut temere ſibi ipſi imponat, quaſi expers ſit iſtiuſmodi viæ, ideóque impietatis ſuæ prætextum inueniat. Omnes enim eam viam inſiſtimus, ipſúmque iter tenemus, etſi non omnes eâ ire, ſed præterire ſtudeant, eò quòd inde à vitæ voluptatibus abſtrahamur. Quòd ſi quis percontetur, quænam ſit illa via: dico eam vniuſcuiuſque animam eſſe, & in animâ ipſam mentem. Per eam enim ſolam Deus ſpectari & intelligi poteſt, excepto, niſi vt quemadmodum Deum inficiantur impij, ita animam quoque ſe habere inficientur, idque quàm meritiſſimò dixerint. Non enim eorum eſt, qui mentem habent, eius auctorem opificémque Deum abnegare.

ATHANASIVS in Vitâ S. Antonij. *Virtus non procul poſita, ſed in noſtro per Dei gratiam eſt ſita arbitrio.*

29. Nolite itaque virtutis tamquam impoſſibile nomen pauere, nec peregrinum vobis aut procul poſitum videatur hoc ſtudium quod ex noſtro, Dei gratiâ præcedente, pendet arbitrio. Huius operis homini inſerta natura eſt, & eiuſmodi res eſt, quæ noſtram tantummodò expectat voluntatem: Græci ſtudia tranſmarina ſectentur, & in alieno orbe conſtituros inanium litterarum quærant magiſtros: nobis verò nulla proficiſcendi, nulla transfretandi fluctus neceſſitas imminet: in omni ſede terrarum conſtituta ſunt regna cælorum. Vnde Dominus in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos eſt. Virtus quæ in nobis eſt mentem tantùm requirit humanam: quandoquidem in nobis ſit & ex nobis exiſtat. Iis enim qui mentem naturæ ſuæ, conformem habẽt, etiam virtus ipſa coniungitur. Tunc autem naturæ conformis eſt, quando talis manet qualis creata eſt; creata ſiquidem eſt pulchra & recta valdè.

BASILIVS in Iſaiam, cap. 10.

30. Hinc colligitur quòd ſalus noſtra non è longinquo, ſed è vicino nobis adſit. Scriptum eſt enim, Appropinquans Deus ego ſum. &: Appropinquabo illis magis quàm tunica corporis illorum. & rurſus: Mandatum hoc, ait, quod præcepi tibi hodie, non eſt immenſum, neque longè abs te diſſitum, non in cælo ſurſum eſt, vt dicas: Quis aſcendet in cælum, & aſſumet illud nobis? neque trans mare poſitum, vt dicas, Quis traiecto mari aſſumet illud, & ad nos deferet, & audientes ipſum faciemus? Prope te verbum eſt in ore tuo, & in corde tuo. Siquidem Dominus noſter ait: Regnum Dei intra vos eſt. Nam quæ primas obtinent partes bonitatis, nobíſque conciliant ſalutẽ, prope nos ſunt, & in intimis: quæ autem ſaluti ſunt contraria, è longinquo veniunt, & à nobis externa ſunt. Non enim primæuæ illi noſtræ conditioni inſitum eſt peccatum: ſed poſteriùs incubuit hominum generi, quam ob cauſam tribulationem eam, quæ ad illud vindicandum inuehitur, pro male commiſſis è longinquo venturam interminatur Propheta. Verumtamen cùm è noſtrâ pendeant libertate ſiue bona, ſiue mala, illud hîc Dominus accuratiùs inculcat, oſtendens in noſtrâ eſſe poteſtate vt regno Dei potiamur. Conuertit autem ſermonem ad diſcipulos, in quos, vtpote ſanctos, illud optimè quadrat.

Deut.30, 11.

VERS. 22. Et ait ad diſcipulos ſuos: Venient dies quando deſideretis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis.

CYRILLVS

31. HÆC dicens voluit diſcipulos eſſe paratos ad omne id quod moleſtiam adferre ſolet, & ſic informari ad patientiam, vt effecti ſtrenui, intrare valeant regnum Dei. Prædicit ergo eis, quòd antequam de cælo veniat, in fine ſæculi perſecutio irruet ſuper eos. Vnde dicitur: Et ait ad diſcipulos ſuos: Venient dies quando deſideretis videre vnum diem Filij hominis, & non videbitis; ſignificans, tantam fore perſecutionem, vt vnum diem eius videre cupiant, illius ſcilicet temporis quo adhuc conuerſabantur cum Chriſto. Sanè Iudæi Chriſtum multis anguſtiauerunt improperijs & iniurijs, ſiquidem ipſum lapidibus impetiuerunt, perſecuti ſunt; illum non ſemel, ſed ſæpiùs, de montis faſtigio illum præcipitare voluerunt, nec modus fuit aut numerus ſycophantiarum & conuitiorum. Quomodo igitur, dicet aliquis, diſcipuli deſiderarent vnum videre diem eius? Quia videlicet in comparatione maiorum malorum, illa vt minora eligerentur.

VERS. 23. "Et dicent vobis: Ecce hîc, & ecce illic. Nolite ire, neq; ſectemini. "Matt.24, 25. Marc. 13, 21.

24. nam, ſicut fulgur coruſcans de ſub cælo, in ea quæ ſub cælo ſunt, fulget: ita erit Filius hominis in die ſuâ.

EVSEBIVS & THEOPHANES. *Aduentus ſecundus Chriſti erit conſpicuus vniuerſis.*

32. HÆC à Matthæo ad Apoſtolos in monte Oliuarum de ſæculi conſummatione dicta referuntur: à Lucâ verò recenſentur, quaſi dicta ſint ante ingreſſum eius in Ieruſalem, dum moraretur inter Samariam & Galilæam. Docet autem, non attendendum eſſe, ſi adueniente Antichriſto fama de eo volet, quaſi apparuerit Chriſtus.

Pro-

Propterea, inquit, cùm dixerint, Ecce hîc, & ecce illic, non egrediamini, neque sequamini. Nam impossibile est eum qui semel in terrâ visus est, iterùm in angulis terræ conuersari. Si itaque aliquis hîc aut illic celebretur, ne egrediamini, neque credatis quæ dicuntur de illo: alius enim quispiam erit ille, & non verus Christus, cui non est attendendum. Manifestum enim signum secundi aduentus Saluatoris nostri erit instar fulguris, non vulgaris cuiusdam, quale in parte aliquâ orbis fere semper apparet: sed nouum omnino illíque proprium erit fulgur illud, vniuersum simul orbem insolito splẽdore complens. Qui, inquit, coruscans de sub cælo in ea quę sub cęlo sunt fulget. Sic igitur, inquit, erit Filius hominis in die suâ. Non enim apparebit super terrâ ambulans, sicut quidam homo communis, sed vniuersaliter nostra irradiabit, ostendens cunctis iubar propriæ Deitatis, & existens lux vera, quæ illumi-
Ioan.1,13. nat omnem hominem venientem in hunc mundum. In hunc igitur modum docet se expectandum esse. Si quis autem tunc in terrâ dicatur, & multorum famâ celebretur, quasi ipse adsit Christus in secundo aduentu suo; vos, inquit, ne credatis, neque egrediamini de loco vestro.

CYRILLVS 33. Etenim quando de cælo descendet, non apparebit sine manifesto signo, sed in gloriâ Deo conueniente, & lucem habitans inaccessibilem, quod indicat, dicens secundum suum aduentum instar fulguris futurum. Natus siquidem in primo fuit secun-
Philip.2,7 dùm carnem, & ex muliere per dispensationem, pro nobis satisfaciens: quapropter semetipsum exinaniuit & humiliauit, neque tunc in gloriâ Diuinitatis manifestus apparuit, quare & dispensationis hoc tempus appellatur. Verùm post suam à mortuis resurrectionem, in cælum auolans, & Deo Patri assidens, non in diminutione gloriæ, neque in humanâ humilitate, sed in excellentiâ Patris, Angelorum exercitu ipsum stipante, & tamquam Deo atque vniuersorum Domino assistente. Veniet igitur instar fulguris, neque clanculùm tunc fidelibus dicetur, Ecce hîc, aut ecce illic.

CHRYSOSTOMVS in Mat. 24. 34. Assignat autem hîc signum secundi ipsius aduentus, non illis tantùm qui tunc erant, sed & nobis omnibusque qui post nos futuri sunt. Non enim inquit, quemadmodum primus apud Bethlehem fuit, in angulo orbis minimo, nec vllo id hominum sciente, sic & secundus: sed manifestè adeò, vt nuntio res non indigeat. Sicut, enim inquit, fulgur non indiget præcone aut nuntio, sed in momento temporis & in domibus degentibus, & in thalamis iacentibus, per vniuersam terram omnibus apparet; sic etiam aduentus ille statim propter gloriæ splendorem vbique videbitur.

VERS. 25. Primùm autem oportet illum multa pati, & reprobati à generatione hac.

35. OPINIONEM quoque aliam è [illegible]ci- CYRILLVS
pulorum cordibus euellit. Existimabant enim quòd rediret in Iudæam, & cùm venisset Ierosolymam, statim ostensurus esset regnum Dei. quamobrem ad ipsum accedentem dicebant: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? Sed & mater filiorum Zebedæi illud fore exspectans, ipsum accessit, præcessionem petens. Nondum igitur sciebant quoniã primùm oportebat illum salutarem subire passionem, & mortem morte in propriâ carne destruere, & tollere peccata mundi, & principem huius sæculi in suam redigere potestatem, atque ita deinde ad Patrem ascendere, & desuper fulgere, vt orbem terrarum in iustitiâ iudicet. Sed primùm, inquit, oportet illum multa pati.

VERS. 26. [a] Et sicut factum est in die- [a] Matt.24.17.
bus Noë, ita erit & in diebus Filij ho- Gen.7,5.
minis:

27. Edebant, & bibebant: vxores ducebant, & dabantur ad nuptias, vsque in diem, quâ intrauit Noë in arcam: & venit diluuium, & perdidit omnes.

28. [b] Similiter sicut factum est in [b] Gen.19.25.
diebus Lot: edebant, & bibebant: emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant:

29. quâ die autem exijt Lot à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cælo, & omnes perdidit.

30. Secundùm hæc erit quâ die Filius hominis reuelabitur.

36. QVÒD autem ex inopinato & nemine CYRILLVS
conscio appariturus sit, cùm præ- *Aduentus Christi erit inopinatus.*
sentis sæculi finis aderit, eodem modo ait futurum in consummatione vniuersi, sicut factum est in diebus Noë & Lot. Edebant, inquit, illi, & bibebãt, emebant & vendebant, & ædificabant; cum illos quidem aquarum diluuium perdidit, hi verò diu in materies & pabulum ignis facti sunt. Quid igitur hîc significatur? Voluit vtique nos semper vigilare & paratos esse, vt coram diuino tribunali caussam nostram dicamus.

37. Sed dicet fortasse quispiam, Et quando
finis? quando erit resurrectio? Ecce quantum … in Ioan. 4
temporis præterijt, & nihil tale contigit. Sed erit,

erit, credite. Etenim ante diluuium talia dicebant, & deridebant Noë, attamen venit diluuium, & hos incredulos comprehendit: qui credidit, is solus liberatus est. Et temporibus Lot, diram illam plagam non expectabant, donec fulgura illa & fulmina delata omnes perdiderunt. Neque his, neque temporibus Noë ne minima quidem futurorum malorum particula contigit: sed quemadmodum tum delicijs & ebrietati indulgentes meritum repentè supplicium oppressit, ita & resurrectio, non in principio, sed in medio felicitatis superueniet. Ideò Paulus
1. Thess. 5, 3. inquit: Cùm enim dixerint, pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habēti, & non effugient. Hoc autem fit, vt semper simus in timore, & numquam præfidamus.

Idem in Ep. ad Col. c. 1. 38. Hæc sæpè dicimus, verùm aliquibus non persuademus. Sed non est mirum, si nobis, qui sumus viles & abiecti homines, hæc
Futura non apprehendimus. accidunt, cùm eadem Prophetis acciderint, non de his solùm rebus differentibus, sed de bello & captiuitate: & Sedecias à Ieremiâ correptus est, attamen nihil pudefactus. Proptereà dicebant Prophetæ: Væ qui dicitis:
Isa. 5, 19. Festinet & citò veniat opus eius vt videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud. Ne miremur ista. Neque enim credebant etiam qui arcę tempore erant, sed tum credebant quando nulla erat fidei vtilitas. Neque qui in Sodomis erant, quæ prædicebantur expectabant, sed tum demum credebant & ipsi, quando nihil illis ampliùs supererat. Et illi quidem non habebant aliud exemplum in quod respicere potuissent, neque Scripturam dum audierant: hîc verò innumera sunt exempla, tam quæ nostris quàm quæ prioribus temporibus facta sunt. Sed vnde erat illorum incredulitas? Ex animo delicato & molli. Bibebant & comedebant, & proptereà non credebant. Quæ enim quisque vult, illa & opinatur, illa & exspectat: qui verò contradicunt, nugantur & garriunt. Sed ne idem nobis accidat. Non enim ampliùs futurum est diluuium, neque ad mortem vsque supplicium, sed initium pœnarum mors. Quidnam hoc est? Et mortem etiam horrendum quid esse putas, & hîc libenter versaris, cùm sis amator corporis. Huius rei causa sunt deliciæ & otium. Nam qui vitā viuit acerbam, auolare quoque vellet, & ab hac vitâ liberari. Nunc autem hoc ipsum nobis vsu venit quod auium pullis pigrescētibus, semperque in nido manere cupientibus: sed quò diutiùs manserint, hoc reddūtur imbecilliores. Nidus enim quidam est præsens hæc vita,
... in præsens. ex festucis & luto compactus. Etiamsi mihi magnificas ædes ostenderis, & ipsas Regias, multo auro & gemmis splendidas, nihil illas ab hirundinum nidis differre putabo: ingruente enim hieme cadent omnia sponte suâ. Hiemem verò diem illum dico, non quidem omnibus hiemem; nam Deus quoque noctem & diem simul appellat, illud ad peccatores, hoc ad iustos referens; ita & ego nunc hiemem illum voco. Si ęstate non fuerimus benè enutriti, vt imminente hieme possimus auolare, non accipient nos matres, sed aut fame sinent enecari, aut nido cadente interire. Tamquam enim nudum quemdam, imò & faciliùs eo subuertet tunc omnia Deus reparans, ac instaurando adaptans. Qui verò tum pennis carebunt, illique in aëra occurrere non poterunt, sed ita fuerint ignauiter educati, vt leue alarum remigium non habeant, ea patientur, quæ meritò taliter dispositis ferenda veniunt. Instar enim nidi hirūdinis, imò faciliùs tunc omnia subuertet Deus. Atque hirundinum quidem pullus cùm ceciderit, citò perit: nos autem non perimus, sed perpetuò punimur. Hiems erit futurū illud tempus, imò hieme sæuius. Non enim illic torrentes vndarum præcipitabunt, sed fluuij ignei. Non fient ex nubibus tenebræ, sed tenebræ insolubiles, atque adeò spissæ & obscuræ, vt neque cælum tueri liceat neque aërem, maioreque premantur angustiâ, quàm qui in terram defossi sunt.

39. Quid enim habes de Sodomis dicendum? Vis etiam causam cognoscere propter quam talia sunt perpessi? Vnum erat peccatum, graue quidem illud & execrandum. Verumtamen in pueris mansit, qui etiam tum propter illud tales pœnas dederunt, & igneo imbre præter naturam de cælo misso consumpti sunt ac conflagrarunt; quandoquidem & ipsi libidine in inuicem exarserint, & commixtionem contra naturam excogitarint. Modò verò & mille talia & his grauiora peccata committuntur. Quænam igitur & quanta similiter patientur supplicia, qui hæc audent perpetrare? Quoniam alius ignis præparatus est, qui numquam extinguetur. Quomodo enim qui ob vnicum peccatum tantam iram induxit, (cùm neque Abrahami precibus exoretur, neque incolæ Lot filias suas pro seniorum eius honore prostituentis pietate flectatur) tot tantisque peccatis parcat? Non sunt hæc, inquam, non sunt nugæ aut risus, sed errores & crimina. CHRYSOSTOMVS. *Sodomitarum supplicia.*

40. Sed libenter historiæ Noë immorandum. Dixit Deus Noë vt faceret arcam: ille statim morem gerens fecit. Instante iam diluuij tempore aperuit vniuersas arcæ ianuas, & stabat tristis, continuò rogans Deum (ne- MACAR.

que

Deus iuuat orantes & in se sperantes. que enim naturæ viribus, volantes in alto aues cogere poterat, neque feras, neque serpentes congregare) sed sursum respiciens mentem in Deũ dirigebat. Cùm ecce Deus ipsum exaudiuit dicens: Quod tu naturæ viribus perficere non potuisti, id ego perficiã; tu tantummodò me respice, mentemque in me magnâ cum fiduciâ intende, & ecce videbis dexteram Dei. Et confestim greges vniuersorum animaliũ gregatim ad iustum venerunt, ipsique adblanditæ sunt ac salutarunt Ac omnes quidem ingredi cupiebant, sed ipse non permisit, nisi bina & bina, & septena & septena. Sic erit & in consummatione cùm homo dissoluetur, & terra pertransibit. Vniuersa tunc humanitas, totusque Adam congregabitur coram tribunali Christi, sed iusti segregati erunt à peccatoribus. Illi siquidem pulchritudine cælesti, & indumento honoris amicti erunt, & apertis ianuis ad nuptias intrabunt; & peccatores quidẽ simul intrare, & cum Domino epulari desiderabunt, sed Angeli ijs claudent ianuas ita vt ingredi non possint, & abibunt in ignem æternum. Beati igitur quorum ex nunc cordis ianuæ aperiuntur, & cæli ostia ingrediuntur; quoniam illa nemo poterit claudere ijs quibus ea Deus aperuerit.

EVSEBIVS 41. In diluuio omnes perierunt, exceptis ijs dumtaxat qui cum Noë erant in arcâ. Sic & in aduentu Christi, impij quidem defectionis tempore, delicijs, ebrietati, ac nuptijs vitæque huius voluptatibus indulgentes, similiter vt qui Noë diluuio absorpti sunt, peribunt, eritque vniuersalis quædam vniuersorum hominum consummatio, quando nempe (vti & tunc) multiplicata fuerit impietas, & terra corrupta erit atque iniquitatibus repleta. Iusti verò & amici Dei tum saluabuntur in cælestem Dei arcam congregati, iuxta figuram & exemplum Noë. Quandoquidem verò dictum sit per Moysen, terram numquam simili amplius diluuio perituram, vsus est Dominus exemplo diluuij: & ne quis putaret futurum alterum ex aquâ diluuium simile illi Noë, necessariò etiam vtitur secundo exemplo Lot, docens modum perditionis impiorum, quòd videlicet ineffabili atque terribili ratione, igne cælitus demisso superueniet impijs ira Dei. Quapropter impijs illis qui diem hanc Domini desiderant, Prophetica vox comminatur dicens: Væ desiderantibus diem Domini. Vt quid hæc vobis dies Domini? Et ea est tenebræ, & non lux, & caligo, & non habens splendorem, hæc dies calamitatis & abolitionis. Quemadmodum autem hîc exactè Saluator cauit ne prius ignis in impios Sodomitas cælitus deplueret, quàm Lot egressus,

Amos 5, 18

Deus euocat hinc bonos antequã puniat malos.

& ab illis separatus esset; sicut & diluuij tempore non prius terram cum vniuersis eius incolis demersit, quàm Noë in arcam ingressus esset: eodem etiam modo erit in vniuersi consummatione. non enim priùs impios diluuio perdendos esse dicit, quàm in arcam congregati fuerint quotquot Noë tempore iustitiâ fratres existebant; neque etiam priùs in sceleratos ignem immittẽdum esse, quàm familiares Lot ab ijs essent segregati. Quamdiu enim Lot erat cum impijs, propter iustum ijs Dominus parcebat, atque iram suam continebat: quando autem illos erat perditurus, eduxit iustum, ne vnà cum peccatoribus periret, vti etiam cum Noë fecit. nam ne communi cum peccatoribus diluuio inuolueretur, eduxit ipsum in arcam. Pari quoque ratione in sæculi consummatione: non priùs erit finis, quàm omnes iusti ac pij ab impijs separati, atque in cælestem Dei arcam congregati fuerint. Tunc enim nullo ampliùs inter homines iusto reperto, in peccatores omnes filios perditionis effectos, & in vniuersum orbem à Dei cultu deficientem, cum omnibus impijs ira Dei descendet, ac superueniet.

VERS. 31. In illâ horâ, qui fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa; & qui in agro, similiter non redeat retrò.

42. IVBET hîc negligere quidquid terrenũ, quidquid transitorium est, & in hunc vnicum scopum intendere, vt quisque saluet animam suam. Si quis igitur, inquit, fuerit in tecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa. Videtur nempe per hæc velle denotare illũ, qui in diuitijs suis ac mundi splendore ac pompis conquiescit. Semper enim illi qui domi assiduè commorantur, supellectilem domesticam lustrant. Si quis itaque, inquit, sit eiusmodi, nullam vasorum domi repositorum cũram tunc temporis assumat, nulli enim vsui tunc seruient, nec ad quidquam tum illi proderunt. Nam, vti scriptum est, Non proderunt thesauri iniquis, iustitia autem liberabit à morte. Quin etiamsi tum quis fuerit in agro, inquit, similiter non redeat retrò, hoc est, si quis tunc repertus fuerit laboris amans, operi intentus spirituali, ac fructificator insignis, qui assiduò insudans operibus mercedem colligat, ne redeat retrò. Vti enim ipsemet Christus dixit, Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, dignus est regno cęlorũ. Oportet enim constãti atque indeficiẽte impetu sancta studia prosequi atque perficere, ne idem nobis eueniat quod circa Sodomã vxori Lot contigit, cuius etiam exemplũ adferens ait:

CYRILLVS Veniente & vocante Deo secularia negligenda.

Prou. 10, 2.

Non respiciendum in viâ virtutis.

Luc. 9, 62.

Oo VERS.

VERS. 32. Memores estote vxoris Lot.

Vxor Lot in salis statuã versa. 42. EGREDIENS enim à Sodomis & respiciens, conuersa est in columnam salis, hoc est, emarcuit, & instar lapidis induruit. Oportet itaque præfixum sibi ante oculos habere scopum.

GREGOR. NAZ. *Gen. 19, 17* 43. Ne nobis idem quod vxori Lot accidat, lege cauir. Non respexeris, inquit, retrorsum, nec steteris in omni circà regione, in montem saluum te fac, ne fortè simul comprehendaris, & communi Sodomitarum incendio inuoluaris, néve in salis statuam obrigescamus, ex conuersione ad deteriora quod operantur membra tua.

EVSEBIVS 44. Innuit ergo per hoc, futuram esse persecutionem à filio perditionis in Christi fideles. Diem ergo illã vocat tempus præcedens finem mundi, in quo qui fugit, non reuertatur, & amittẽs bona non curet, nec imitetur vxorem Lot, quæ post fugã in exitu de ciuitate Sodomorum reuersa mortua est, & columna salis effecta. [vnde sequitur:] Memores estote vxoris Lot quę mortua est. Verùm aliud quoque intelliges ex doctrinã nostri Saluatoris dicentis, Vos estis sal terræ: quòd si sal euanuerit, in quo salietur? Verè igitur sal infatuatur, quando quis in fugã ab occisis Sodomis retrò conuertitur. quapropter necessariò subiungens dierum illarum tribulationem, adhortatur dicens: Memores estote vxoris Lot.

" Luc. 9, 24 Matth. 10, 39. Marc. 8, 35 Ioã. 12, 25. VERS. 33. " Quicumque quæsierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicumque perdiderit illam, viuificabit eam.

CYRILLVS. *Anima quomodo perdenda.* 45. QVOMODO etiam aliquis perdat propriam animam, vt saluam eam faciat; vel etiam vt quodammodò saluare existimans perdat illam, manifestat Paulus dicens de quibusdam sanctis, quí carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs. Existentes siquidem genuini Christi Saluatoris nostri filij, propriam carnem crucifigunt, id est mortificant, labore nimirum & pietate aggredientes agones, & proprium iudicium mortificantes. Scriptum est enim: Mortificate membra vestra super terram, fornicationem, immunditiam, passiones, concupiscentiam prauam atque auaritiam. Qui namque voluptuariam amant vitam, videntur hic quodammodò suam animam lucrifacere, verùm potiùs illam perdunt. Qui enim, inquit, in carne seminat, de carne metet corruptionem. Qui verò perdit dicto modo animam suam, illam saluam faciet. Hoc sancti Martyres fecerunt, qui vsque ad animæ & sanguinis profusionem, agones sustinuerunt, sincerum Christi amorem ostendentes, & suis capitibus coronas adaptantes. Qui verò imbelles animo fidem abnegando ad modicum tempus corporalem mortem effugerunt, proprias ipsi animas occiderunt, sempiternas in inferno perfidæ suæ timiditatis pœnas exoluentes.

46. Prodigere itaque oportet non tantùm bona, sed & ipsam vitam, qui tempore persecutionis & apostasiæ capientur: ne volentes animas suas lucrifacere, perdant eas, & post breue tempus, & in futurã vitã, per apostasiam illas saluare conantes. EVSEBIVS

VERS. 34. Dico vobis: " in illã nocte erunt duo in lecto vno; vnus assumetur, & alter relinquetur: "Matth. 24 40. 1. Thess. 4. 17.

35. duæ erunt molentes in vnum; vna assumetur, & altera relinquetur: duo in agro; vnus assumetur, & alter relinquetur.

47. PER duos autem in vno lecto existentes, diuites in mundanis delicijs quiescentes videtur designare: lectus namque signum quietis est. Verùm vnus ex ipsis, inquit, assumetur, & alter relinquitur. At quomodo, vel quã ratione? Nam non quicumque diuitijs affluunt, sunt impij; sed aliquis quidem est probus & in fide electus: hic igitur assumetur, alter verò qui talis non existit, dimittetur. Per molentes verò significari videntur pauperes & laboribus pressi. Inter hos quoque non mediocris intercedit differentia. nam sunt qui sarcinam paupertatis viriliter sustineant, vitam agentes & honestam & humilem. Sunt & alij inter illos ad profana promptissimi, nequitiarum & scelerum administri. Erit igitur etiam inter istos maxima morum ratio: ac probus quidem assumetur, qui verò talis non est relinquetur. Valdè autem accommodatè defectionis tempus, & rationalis lucis priuationem, noctem appellauit: nocte siquidem & tenebris deterior hominum tunc erit constitutio, propter amentiam & errorem qui tum illos apprehendet. Quapropter, inquit, dico vobis, duo erunt in lecto vno, & duo erunt in molendino, quorum vnus assumetur tamquã alienus ab irã, & alter relinquetur iræ tradendus, quam thesaurizauit sibi in die iræ. Atque ita fiet separatio proborum & amicorum Dei ab improbis, ne indifferenter ira superueniens etiam iustos apprehendat. Quapropter sicuti ad Lot misit Deus Angelos suos qui illum è Sodomorum euersione eduxerunt, sic etiam ante consummationem vniuersi, antequam improbos ira CYRILLVS *In consummatione mundi vnus assumetur & alter relinquetur* *Quid per molentes & in lecto iacentes significetur.*

corri-

corripiat, ne vnà cum hoc mundo etiam iusti condemnentur, mittet quoque Angelos suos, qui impijs pœnam passuris in terrâ derelictis sanctos & iustos ad Deû adducent. Tunc duorum in lecto iacentium, vnus tamquam Deo dignus assumetur, alter verò, quippe dignus quem impiorum ira punitióque corripiat, relinquetur. Eadem erit ratio de duobus in vno molendino molentibus. Molentes autem appellauit eos, qui tenuem atque inopem inter homines vitam ducunt. In lecto verò iacentes vocauit eos qui mollem & dissolutam vitam traducunt. Simile quid etiam Moyses scripsit in Exodo, vbi ait, (Exod.12, 29.) iram Domini percussisse primogenita Ægypti à primogenito Pharaonis, vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, aut eius qui cadebat in molâ. Per quod nobis Scriptura innuit, & in fastigio honoris existentes, & infimos atque abiectissimæ conditionis homines voluit significare.

(Isidorus l.1. Ep. 283 & 285.) 48. Ex Angelorum classibus, atque Apostolorum choro, hominum voluntates & animi instituta perpenduntur. Siquidem ab illis is qui principatum tenebat, ab his proditor seiunctus est. Hoc autem ipsum nunc quoque perfici reperies. Nam cùm alij animi contentioni ac vigilijs studeant, alij inertiâ ac negligentiâ langueant, hinc fit vt cùm (Matth.24, 31.) Dominus in gloriâ veniet, illi assumêdi sint, isti relinquendi. Si verò & huius quod in superioribus cohæret, sensum poscas intelligere, hoc loco per molam & pistrinum, huius vitæ iactationem ac vertiginem intellige, quæ nos inconstanter voluit, ac celerrimæ molis instar res nostras immutat. Per duas autem molentes, vitarum in vnâ re ac classe discrimina, puta in religiosâ exercitatione, aut virginitate, aut continentiâ, aut pudicitiâ, aut hospitalitate, aut fide, à multis quidem cultâ & præstitâ, at non eâdem ab omnibus mente ac voluntate. Quidam enim futuræ mercedis causâ virtutum muneribus persungûtur; quidam autem ostentatione ducti eas perficiunt, ac per huius vitę laudes mercedem recipiunt, atque in pistrino relinquuntur; alij autem assumuntur.

Dicente autem Christo τὸ Relinquetur, vtiliter & necessariò interrogant discipuli:

VERS.36. Respondentes dicunt illi: Vbi Domine?

37. Qui dixit illis: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

CYRILLVS 49. ENIMVERO quid hoc sibi vult? A re communi & manifestâ magnum hic nobis innuitur mysterium. Quid autem est illud? Descendet enim Dominus de cælo, vt iudicet vniuersum orbem in iustitiâ. Atque ipse, inquit, mittet Angelos suos qui separent à peccatoribus iustos & sanctos, & adducant ad ipsum, alijs, qui videlicet supplicium ignis subituri sunt, in terrâ derelictis, illos ad Deum adducent. Simile quid etiam sapientissimus ille Paulus scribit, dicens: Nos qui viuimus, qui residui sumus, non præueniemus eos qui dormierunt. (1. Thess. 4, 15.) Canet enim tuba, & mortui qui in Christo sunt, resurgent incorrupti, in momento, in ictu oculi. (1. Cor. 15, 52.) Deinde nos qui viuimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiàm Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. Sicut igitur cadauere deiecto aues carniuoræ ad illud conuolant, ita cùm venerit Filius hominis, tunc omnes vndique aquilæ, hoc est, ad sublimia euolantes, & supra res terrenas atque mundanas eleuati, ad ipsum concurrent. Noctem autem vocat tempus iudicij, quia occultus erit & inexspectatus eius aduentus.

50. Considera autê quòd nos aquilas in hac vitâ factos iubeat ad ipsum cælum euolare, vel potiùs supra cælû. (CHRYSOSTOMVS in Ep.1. ad Cor. c.10.) Vbi enim cadauer, inquit, illic & aquilę. Cadauer vocans Domini corpus propter mortem: nisi enim ille cecidisset, nos non resurrexissemus. (Quid hic corpus, quid aquila.) Aquilas autem appellat, vt ostendat, ad alta eum oportere contendere, qui ad hoc corpus accedit, (Matth.24, 28.) & nihil cum terrâ ei debere esse commune, neque ad inferiora trahi ac repere, sed ad superiora semper volare, & in Solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere. Aquilarum enim, non graculorum hæc mensa est. Et tunc occurrent è cælis descendenti, qui nunc dignè fruuntur; quemadmodum qui indignè extrema patientur.

51. Hinc etiam quod dictum est intelliges. Quoniam vitæ beatæ sedem nobis rerum omnium architectus ac Dominus habitationem in Edem præbuerat, (ISIDORVS l.1. Ep.282. Gen.3,24.) ob leuitatem autem animi, atque impostoris improbitatem, eâ exturbati ac deiecti, atque in ærumnosam terram, & grauem acerbamque peregrinationem proiecti sumus: idcircò Christus eos ex nobis, qui pennas rursum induerint, atque terrenâ & abiectâ hac vitâ relictâ, ad cælestis vitæ fastigium accesserint, ad illum locum collecturû se pro sua bonitate pollicitus est. Atque hoc est illud, Vbi est τὸ πτῶμα, illic congregabuntur & aquilæ; hoc est, vbi ob intemperantem gustû clades extitit, illic etiam victoria, per inediam & continentiam, quam natura protulit & excoluit, parta est.

52. Vel si velis, per aquilas mortua animalia depascentes, principes huius sæculi denotauit, & eos qui tunc temporis sanctos Dei (EVSEBIVS)

persequentur, penes quos relinquuntur assumptione indigni, qui corpus vel cadauer dicuntur secundùm Matthæum. Vnus autem in lecto iacentium,& vna molentium in aquilarum prædam relinquentur. Obsessores quoque Ierosolymæ Propheticus sermo aquilas appellat: sic enim Nabuchodonosorem vocat, dicens: Et facta est aquila altera grandis, magnis alis, multisque plumis. (Ezech.17,7.) Vel alio sensu,per aquilas, punitrices atque vltrices virtutes, quæ ad impios aduolabunt, intelligi poterunt:quibus ne tradamur, monet nos Saluator vt, assiduè orationibus vacemus.

S.LVCÆ CAPVT XVIII.

VERS. 1. (Eccli.18,21. 1.Thess.5,17.) DICEBAT autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere,

2. dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur.

3. Vidua autem quædam erat in ciuitate illâ, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo.

4. Et nolebat per multum tempus. Posthæc autè dixit intra se: Etsi Deum non timeo,nec hominem reuereor:

5. tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens sugillet me.

6. Ait autem Dominus: Audite quid iudex iniquitatis dicit.

7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis?

8. Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum.

CYRILLVS I. *Constanter & fiducialiter orandum.* INCESSANTER igitur secundùm beati Pauli vocem orandum est, certò scientes atque firmiter credentes, orantem cuncta posse perficere. Postulate autem in fide, nihil hæsitantes. (Iac.1,6.) Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Non ergo æstimet, inquit, homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino. Qui enim hæsitat, conuincitur iniurius Deo. Si itaque non credas Deum postulata perfecturum, ne accedas, nec ores omnino, ne reus inueniaris diuinæ omnipotentiæ imprudenter læsæ, aut duplicis animi. Turpem igitur hunc morbum deprecari conuenit,quoniam non otiosè & negligenter, sed studiosè ac diligenter orantes exaudit Dominus, vti proposita parabola confirmat. Nam, & ipsum iniquum iudicem,qui nec Deum timebat, nec hominem reuerebatur, continua viduæ interpellatio flexit, vt vel inuitus illam vindicauerit.

2. Etsi enim ceterùm durus esset, propter frequentes tamen viduæ interpellationes atque importunitates,sententiam tulit, ne sibi inposterum plures facesseret molestias. (BASILIVS in Isaiam.)

3. Quoniam autem nonnulli veritatis sermones erant cauponaturi,& plurimos à sanâ ac rectâ fide abducturi, id prædixit, dicens. (CYRILLVS)

ANNOTATIONES.

VERS. 1. OPORTET SEMPER ORARE, &c.]*Græcè est,* πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι. *id est ad verbum*, ad oportere semper orare. *q. d. Dixit parabolam ad hoc (siue huc spectantem vt ostendat) quòd oporteat semper orare,* καὶ μὴ ἐκκακεῖν, & non deficere, *siue non concidere animo, si videlicet non statim exaudiamur. Itaque* semper *hîc non in summo rigore, vti concionatorio more aliquando exaggerant Patres, sed commodè accipiendum est, vt significet orationis perseuerantiam, non continuitatem. Impossibile enim est homini ita omni tempore orare, vt numquam orationem aliquâ aliâ actione interrumpat. Fieri autem potest, & omnibus curandum est, vt congruis temporibus pro eadem re orare perseueremus, donec obtineamus. Ita Euthymius.* (*Quomodo oporteat semper orare.*)

S. CHRYSOSTOMVS *Sermone de Moyse:* Oratio iugis, infirmitas hostis. Ceterùm ipse contra se tela ministrat, qui hostem precum instantiâ non fatigat. Quare orationis instantiâ hostis sæuitia debelletur: non resumat vires dum pascimus, non erigatur dum aliquando cessamus. Oportet,inquit,semper orare, & non deficere. Dum Oportet dicit, necessitatem inducit. Necessitas autem tantâ vi astringitur, vt quod necesse est,etsi nolis, præterire non possis. Denique manducandi, bibendi, vestiendi necessitas à naturâ illata, præteriri non potest, sine quibus geri vita ista non poterit. Igitur si prætermitti ista non possunt sine quibus non potest vita ista celebrari, quomodo tutus ab hoste esse poterit qui,quod oportet, semper orare contempserit. Petite,inquit,& dabitur vobis. Optat dare,qui præcipit petere: beneficia ingerit, qui poscendi hortamenta exprimit:cupit largiri,qui desiderat postulari: ille suadet qui præstat, ille hortatur qui donat. Occasiones ille dandi exquirit, qui beneficia tribuere consueuit. Petite, inquit, quod vultis, & faciam;postulate quod desideratis,vt compleam. Talem me sentietis in dando, qualem nunc in promittendo conspicitis. *Vide eundem fusè in libris de Orando Deo.* (*Necessitas orationis.*)

IDEM. *Hom.19.in cap.6.Matth.* Orationi,*inquit*, instate. Nam & ipse Dominus ad viduæ illius, & immisericordis & crudelis iudicis nos mittit exemplum, vt orationis instantiam ex illius interpellationis importunitate commendet. Et cùm intempestâ nocte venisse aliquem dicat ad amicum, eumque dormientem de lectulo suscitasse, illumque hoc non tam familiaritate quàm sedulitate meruisse, nihil aliud omnino, quàm vt ipse frequenter interpellaretur, admonuit. Et si, inquis, scit (*Instandum orationi etiam importunè.*)

Pater

Pater noſter, quid nobis opus ſit, cuius tandem rei gratiâ nos oportet orare? Vt ſcilicet Deum non doceas, ſed inflectas: vt familiaris efficiaris interpellationis frequentia, vt humilieris orando, vtque peccatorum tuorum ſæpè recorderis.

Idem *appoſitè ad hanc iniqui Iudicis parabolam lib. 2. de Orando Deo ſic ait:* Satis erat iuſti iudicis perſonam inducere. Nunc autem iudicem propoſuit immitem, impium & inhumanum, in cetera quidem implacabilem; ad preces verò benignum & manſuetum: videlicet vt intelligas, quòd omnis precatio ingenium etiam malum facilè ad miſericordiam & clementiam pertrahit. Quam igitur ob cauſam hoc fecit Chriſtus? ne quis omnium ignoraret quantam vim habeat deprecatio, atque idcircò poſtquam iudici omnium immaniſſimo adhibuiſſet viduam, eumque præter naturam oſtendiſſet factum ex improbo humanum, ad Patrem ſuum parabolam transfert; ad illum, inquam, bonum, manſuetum, pium, humanum, miſericordiâ ſuâ vincentem peccata mortalium, qui deprecanti condonabit offenſas. Audite, inquit, quid iudex iniuſtus dicat: Tametſi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamē quoniam mihi negotium faceſſit, vindicabo illam. Quid ait? Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio, & iudicem ex feroci manſuetum reddidit. Quid igitur coniectandum eſt de benigno Deo, ſi iudicem crudelem adeò manſuetum reddidit vidua ſupplicans? non poſſum ab iniquo iudice cogitationem auertere, contemplans in illius præter naturam manſuetudine ineffabilem Dei bonitatem. Etenim ſi is qui numquam cogitatat quidquam humanitatis cuiquam præſtare, ſubitò mutatus, miſertus eſt viduæ rogantis, quantam erga nos Dei ſollicitudinem è cælo deportabit deprecatio? &c. *Vide plura in Chryſoſtomo loco citato.*

Vers. 8. Verumtamen filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terrâ?

Cyrillvs 4. Hoc Chriſtus non ignorabat. Nam Deus eſt, qui omnia nouit. Significat autem quòd charitas multorum minuetur, & nonnulli vltimis iſtis temporibus, à rectâ ſinceraque fide deficient, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam. Contra quos inſurgent veri adoratores Dei, hortantes illos vt à nequitijs ac prauis ſuis opinionibus deſiſtant quas conceperunt. Sed & alij tunc hoſtes Dei ſeruis iniuriam inferent, cum quibus congredi non poterimus, niſi ſolâ oratione. Quinam verò hi? peruerſæ atque aduerſariæ poteſtates, & communis omnium inimicus ſatanas, qui piè viuentes ferociter oppugnat, qui in nequitiæ foueas dormitantes impellit, qui omnis peccati nobis ſemina inijcit. Inſtat enim intolerabilis vnà cum ſuis ſatellitibus, in quos & illud exclamauit Pſalmiſta dicens: Quouſque irruitis in hominem? interficitis vniuerſi vos: tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ? Quemadmodum enim paries inclinatus cladibus, & maceries depulſa, ſtatim euertuntur & concidunt, ſi quis vel minimùm impellat: ſic & mens hominum, maximam ex ſe propenſionem habens ad voluptates ac res mundanas, aliquo ad illas impellente aut alliciente, confeſtim ſuccumbit. Hoc autem opus eſt & ſtudium ſatanæ. Nos itaque quò ab illo liberemur, clamemus in oratione ad Dominum qui nos ſaluare poteſt, dicentes: Vindica nos Domine ab inimicis noſtris. Quod & vnigenitus Dei Filius, poſtquam homo factus eſt, fecit. Nam & nos à principis ſæculi hujus tyrannide vindicauit. Aſſeruit autem nos in libertatem [filiorum Dei] & ſeruauit, regni ſui iugo ſubmittens. Bona igitur interpellatio quæ per frequentes fit orationes. Noſtras enim preces ſuſcipit, & petitiones Chriſtus explebit. Etenim ſi Iudicem iniquitatis, qui nec Deum nec homines reuerebatur, & quouis ſcelere imbutus erat, viduæ aſſiduitas conſtantiaque demulſit, quantò magis Patrem miſericordiæ Deum flectemus ad benignitatem orando, etſi impræſentiarum differat. Tentauerunt autem quidam ſubtiliùs hanc indagare parabolam, dicentes viduam eſſe quamlibet animam, quæ priſtinum virum, ſcilicet diabolum excludit, ob hoc ei aduerſantem, quòd accedit ad Deum iniuſtitiæ iudicem, qui neque Deum timet, cùm ipſe ſit ſolus Deus, ſed nec veretur hominem. Non eſt enim apud Deum perſonarum acceptio. Huius igitur viduæ, id eſt, animæ ſupplicantis, iugiter ſibi contra diabolum miſeretur Deus, demulcente eum inſtantiâ eius. Sed hæc explicatio nimis audax, imò non ſatis ſolida videtur. Dominus autem poſtquam docuit in tempore conſummationis diligenter orandum eſſe propter pericula tunc futura, ſubdit: Verumtamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terrâ? per formulam interrogationis raritatem inſinuans. Solet enim in rebus rarioribus interrogatione vti. Hac ratione declarans paucos tum fidem ſeruaturos, & quòd vix eam reperturus ſit, cùm in nubibus apparebit.

Matth. 24, 12. *2. Tim. 4, 1.* *Studium diaboli vt homines ad mala impellat.* *Psal. 61, 4.*

Vers. 9. Dixit autem & ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam iuſti, & aſpernabantur ceteros, parabolam iſtam.

5. Nihil adeò ſpoliat hominem gratiâ Dei, & fert in ambiguum, vt obloqui, vt iudicare, vt ſpernere proximum. Ac obloqui quidem eſt aliquid dicere aduerſus quempiam, vt quòd mentitus, quòd iratus, quòd fornicatus ſit, vel quidpiam aliud huiuſce-

Dorotheus. *Quid ſit obloqui, quid iudicare, quid ſpernere proximum.*

iuſcemodi, peccatum enim alterius ex paſſione protulit. Indicare autem eſt, dicere quòd quis mendax ſit, iracundus, adulter. Ecce enim iudicauit diſpoſitionem ipſam animæ, & omnem eius vitam aperuit, dicens quòd talis eſt. Aſpernari autem proximum, eſt ipſum deſpicere, quod peius eſt quàm iudicare.

VERS. 10. Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent: vnus Phariſęus, & alter publicanus.

11. Phariſæus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi quia non ſum ſicut ceteri hominum: raptores, iniuſti, adulteri: veluti etiam hic publicanus.

12. Ieiuno bis in Sabbato: decimas do omnium quæ poſſideo.

ASTERIVS 6. SERMONEM de oratione duabus parabolis concluſit. Per iudicem quidem & viduam conſtanter & aſſiduè orandum docens, per Phariſæum verò & publicanum, reuerenter ac piè.

BASILIVS in Iſa. c. 2. *Superbia primum peccatum.* 7. Forſitan primum peccatum contumelia fuit ac ſuperbia. Siquidem diabolus elatus ſuperbiæ pro expletione bonorũ quibus cumulatiſſimè affluebat, deſciuit à Deo, ſecumque ad defectionem ſollicitauit & abduxit aduerſarias poteſtates, dicens: Super aſtra ponam ſolium meum: aſcendam ſuper altitudinem nubium: ſimilis ero Altiſſimo. (Iſa. 14, 13.) Si quis etiam excæcatus in iudicium inciderit diaboli, cum eo principe ſuperbiæ condemnabitur. Dominus enim ſuperbis reſiſtit. (1. Pet. 5, 5.) Videtur quodam modo contumelia origo eſſe elationis atque ſuperbiæ. Qui enim alios deſpuit, nihili eos ducens, ſed mendicos quidem hos appellat, illis autem generis ignobilitatem exprobrat, alios verò cenſet ignaros, vt verbis hiſce contumelioſis ſolus eſſe ſapiens, intelligens, generoſus, diues, potens reputetur: ſuum principatum opponit, vt ſupra ceteros conſpiciatur. In eo enim eſt elatio, ſi quis anxiè contendat, vt ſuperemineat multis. Hoc autem dum perficere molitur, proximum quidem pro nihilo habet, ſe verò venditat, & ad grauitatem componit. Atque ita contumelia eſt fons & origo ſuperbiæ, & ſuperbia malum eſt ex contumeliâ oriundum. (*Cõtumelia ſuperbia mater.*) Ob hoc prædicta dies Domini vindictam inducet ſuper omnem contumelioſum & ſuperbum: ęqualia enim peccata æqualiter punientur. Porrò nos miſeri totos dies in hiſce verſantes malis, non intelligimus cuiuſmodi mala admittamus. Maledici regnum Dei non poſſidebunt, (1 Cor. 6, 10.) & nos maledicimus: dumque conuitiamur, non animaduertimus quia verba hæc maledica, quæ nunc proferimus, in die Domini nobis obijcienda ſint, & interceptura viã non ſecùs ac paries qui tranſuadi non poteſt. Quis noſtrũ ſe non extollit? quis non proximum deſpuit? Verùm enimuerò contumelia maius quiddam eſt quàm conuitium; hoc enim ſolâ linguâ probrum intendit: contumelia verò ignominiæ plenam habet animi conceptionem adiunctã operibus iniurioſis in eos quos contumelioſè laceſſit. Etenim poſſet contingere ei qui hodie in ſublimi vult loco conſiſtere, vt ad abiectorum vilitatem deſcendat; & è diuerſo ei, qui nunc eſt humilis, impendet periculum ne degeneret, & ad ſuperborum elationem transferatur. Hoc enim ipſum quòd ſe ad veræ humilitatis apicem pertigiſſe credat, & ſupra modum aduerſus peccatorem efferri videatur, elati eſt animi argumentum. Et grauis profectò erat ſuperbia quam paſſus eſt Phariſæus, aduerſus publicanum inſoleſcens. Ad idem autem vitium referuntur, & qui excelſus eſt, & qui animo eſt ſublimi. Vterque collatus ad contumelioſum & ſuperbum, ſolo differt habitu. (ὑψηλὸς ἢ μετέωρος.) Etenim excelſus aduerſus vtrumque & contumeliâ & ſuperbiâ vtitur: qui autem animo eſt elato, cùm ſolus ſit, ſe ipſum apud ſe inaniter extollit, & vanitate mentis in ſublime effert. Scire itaque debent illi, qui nihil quidem præclari in vitâ agunt, ſed certarum ſe precationum recitatione iuſtificari exiſtimant, non ſimpliciter precationum verba prodeſſe, ſed ſtudium & affectũ orantis, quandoquidem & Phariſæus orationes multiplicare ſit viſus. Nam vt in Euangelio eſt, Stans autem Phariſæus hæc apud ſe orabat, non Deum. Redijt enim ad ſe ipſum, cùm in ſuperbiæ crimen inciderit.

CHRYSOSTOMVS in Gen. c. 11. 8. Multiplices diabolus machinationes ſtruit, & quando non poteſt rectà nos ad vitia allicere, tunc ex inſidijs per elationis perſuaſionem ruinam noſtram meditatur, vti Phariſæus omnes virtutum diuitias per linguam effundens, rarumque nouumque in portu naufragium pertulit, qui vt magna de ſe ſenſit, & publicanum contempſit, ſubitò deterior factus eſt publicano, non potens cohibere linguam ſuam, ſed per illam tamquam per oſtiũ quoddam omnes virtutum diuitias ſuas effundens. (*Vanagloria praemia minuorum.*) Etſi enim quis boni quid faciat non præceptum, ſed humanam gloriam reſpiciens, mercedem ſuam hìc accipit. Et tametſi inſufficientem hic receperit retributionem, iam vltrà Deum non habet debitorem. Quare? Quia nimirum per talem anticipationem priuauit ſe apud iudicem mercede, vt qui præſentia futuris prætulerit.

tulerit. Sicut econtra si, vt indormitanti isti oculo soli placeamus, spirituale quodpiam opus perfecerimus, & thesaurus nobis noster permanebit integer ac securus, & apud homines insuper gloriam consequemur. Sufficiat itaque nobis apud Deum laus, non quæ ex hominibus sed quæ ex Deo est.

EPHRAIM 9. Initium circumuentionis hominis est desertio humilitatis. Derelictus autem à Deo præfocabitur, vt Saul à spiritu prauo. Per stationem autem Dominus Pharisæi denotat arrogantiam: qui enim humilis est, humilitatem quoque ipso gestu præ se fert; hic verò & gestu & statione elationem animi indicabat. Consequenter etiam primùm enumerat illa quæ non erat, deinde verò quod erat edisserit. Nam negatio nequitiæ, virtutis est assertio. Dicens itaque, Non sum sicut ceteri hominum, à malis primùm se discernit: probis deinde sese aggregat, dicẽs: Ieiuno bis in hebdomade, (secunda nempe ac quintâ feriâ Pharisæi ieiunare soliti) decimas do eorum quæ possideo. Ecce vt non dixerit, Nõ sum sicut multi, fur, adulter, &c. non enim sustinuit propositum nomen suæ personæ singulariter adaptare; sed pluraliter alijs illa impegit, dicens, Raptores, iniusti, adulteri. Ac quidem adulterij à se crimen remouens, ieiunium iactitauit; satietas enim stupri pater est, & in saturitate reperitur lasciuia: à furibus verò atque iniustis se segregans subiunxit, se decimas dare omnium quæ possidebat. Tantum enim, inquit, abest vt alteri iniuriam inferam, vt & de meo insuper impendam. Decimatio quidem in lege semel præcepta esse videtur: sed illi qui Deuteronomium profundiùs atque accuratiùs perscrutantur, exceptis primitijs alijsque oblationibus, tres inducunt decimationes.

CHRYSOSTOMVS in Matth. c. 19. Homil. 65. 10. Nisi enim abundauerit, inquit, iustitia vestra plus quàm Scribarũ & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Itaque etiamsi eleëmosynam dederis, non tamen maiorem quàm illi, non intrabis in regnum cælorum. Et quantũ illi præbebant, inquies? Id iam etiam ipse dicere volebam, vt & qui non dant, incitentur ad dandum: & qui libenter afferunt, non superbiant, sed plura dare conentur. Quantum igitur illi præbebant? Decimam primò rerum suarum omnium, deinde alteram, & demum tertiam decimam offerebant. Itaque propemodum tertiam partem præbebant: tres enim hæ decimæ coaceruatæ istud conficiunt. Sed ad hæc primitias quoque, ac primogenita, & alia plura, partim pro peccatis, partim pro purgationibus offerebant. Prætereà in diebus festis, in iubileo, in debiti absciſsione, & famulorum dimiſsionibus, in mutuis absque

Eleëmosyna Scribarum & Pharisæorum quanta.

fœnore. Si autem qui tertiam partem, imò verò mediam rerum suarum offerebant; ascendent nempe ad medietatem omnia simul congregata: si qui mediam, inquam, dabant, nihil magni operabantur; quid tu facies, qui nec decimam quidem partem pauperibus vmquam dare cogitasti? Quare non immeritò paucos fore saluos dicebat. Nam si pars quædam omissa tantum periculum adfert, si cuncta spreuerimus, quod genus supplicij non persoluemus? Sed quænam, inquies, spes salutis nobis reliqua est, si singula omissa in gehennam depellere possint? Hoc ipsum est, quod etiã ego dico. Verumtamen si attendere voluerimus, non est impossibile saluari, præsertim si eleëmosynæ remedia adhibeamus. Non enim sic oleum corpus hominis roborat, vt animam misericordia stabilit, adeoque cõfirmat, vt superari à diabolo nequeat: lubricum enim eleëmosynæ oleum corpus hominis constituit, ita vt manus diaboli facilè propter lubricitatem effugiat. Hoc igitur oleo crebrò nos perungamus: hoc spiritalis causa est sanitatis; hoc lucem, hoc splendorem animo adferre solet.

11. Si autem velis virtutis ostendere sublimitatem, noli sapere sublime: & tunc illud quod egeris, esse monstrabis excelsius. Noli te putare quidquam fecisse cùm feceris, sic absolutiſsimũ erit opus. Si enim etiam cùm peccatores sumus, hoc nos esse arbitrando quod sumus iustificamur, sicut etiam publicanus: quantò magis, si cùm iusti fuerimus, esse nos peccatores putemus? siquidem ex peccatoribus quoque iustos humilitas facit, cùm tamen non sit illud humilitas, sed vera confeſsio. Si igitur tantum valet in peccatore confeſsio, considera quantum humilitas possit in iusto. Noli itaque ipse tuorum corrumpere fructus laborum, noli sudores tuos in vacuum effundere, noli cursum in inane dirigere, ne post mille circuitus mercedem laboris amittas. CHRYSOSTOMVS in Matth. c. 1. Hom. 3. *Humilitatis quãtum bonum.*

12. Vana gloria irrationalis quædam passio est, omni virtutis operi, taxi aut smilacis instar sese insinuans; & sicut marsupium perforatum, omnem virtutis mercedem effundit ac perdit, & saxum sub mari latens naufragium procurat. Superbia est tumor animi sanie repletus, qui si perforetur, disrumpitur, & multam facessit molestiam: fulguris radiatio, strepitum tonitrus minitatur, & superbiæ aduentum vana gloria nunciat. Qui Deum deserit, superbiâ laborat, & propriæ virtuti rectè facta adscribit. Qui etiam cadet, tamquam qui per telam araneæ incedit. Anima superborum deseritur à Deo, & dæmonum fit risus. Superbia Archangelum è NILVS. *Superbia quantum malum.*

 cælo

cælo præcipitanit, & instat fulguris in terram deiecit. Hæc & signaculum similitudinis & coronam pulchritudinis è cælo deturbauit.

CHRYSOSTOMVS in Ioan. cap. 1.

13. Non esset è cælo eiectus, neque in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere coinquinasset. Hoc eum præcipitem dedit, hoc in gehennam intrusit, hoc malorum omnium ei causa fuit: hoc tantarum virium est, vt omnem animi virtutem, eleëmosynam, orationes, ieiunium, cetera animi bona corrumpat. Superbia enim apud Deum immunda est. Non ergo fornicatio dumtaxat, neque adulterium hominem polluit, sed & superbia, ac etiam illis longè magis. Quam ob causam? quoniam fornicatio, etsi indigna venia sit, potest tamen quispiam concupiscentiam in excusationem adducere: superbia autem ne minimam quidem, propter quam vel vmbram saltem veniæ consequatur: sed nihil aliud est quàm deprauatio animi, & morbus grauissimus, non aliunde quàm ex insaniâ ortum ducens. Nihil enim superbo homine insanius, quamuis ditissimus sit, quamuis multâ hac exteriori sapientiâ præditus, quamuis potens, quamuis omnia quæ homini exoptanda videntur, in illum congerantur. Quippe qui in reuerà bonis superbit, miser est, & infelix, & illorum omnium mercedem amittit. Qui eorum gratiâ, quæ nullâ ex parte bona sunt, propter vmbram & florem fœni (hæc enim inanis gloria est) inflatur, nónne omnium maximè ridiculus est? Verùm ipsam superbiæ passionem accusare, nihil est agere, cùm ab omnibus condemnetur. Sed inquirendum quomodo ipsam possimus superare. Superabimus igitur, si gloriæ gloriam opponamus. Quemadmodum enim diuitias has contemnimus cùm ad alias opes respicimus; & hanc vitam despicimus, cùm aliam longè præstantiorem cogitamus: sic & gloriam præsentem facilè respuemus, cùm aliam hac multò illustriorem considerabimus. Hæc siquidem inanis ac vacua est, nomen obtinens, re ipsâ carens: illa verò cælestis, vera est ac plena, & non ab hominibus, sed ipsis Angelis Dominoque Angelorum, quin imò etiam ab hominibus laudem refert. Si illud theatrum gloriæ intueearis, & ad applausum illuc futurum mentem transferas, nulla hîc te gloria inuadet, sed nec præsentem magnopere miraberis, nec absentem quæres.

Remedium superbiæ.

CASSIANVS. *Superbia omnibus virtutibus aduersatur*

14. Pestis quædam est superbia, non partem aliquam animæ, sed vniuersam corrumpens. Ac aliarum quidem passionum singulæ, oppositam sibi virtutem superare nituntur, & ex parte animæ tenebras iniiciunt: sed superbiæ passio vniuersam conturbat. Eccè enim ingluuies temperantiam, continentiam fornicatio, ira animi serenitatem, atque aliæ passiones alias virtutes oppositas corrumpunt: verùm superbiæ vitium totam quam inuasit animam subuertit. Huius rei testis est Angelus ille qui è cælo excidit. Nos autem illam fugiamus, & cùm benè agimus, nobismetipsis dicamus illud Apostoli, Non ego, sed gratia Dei mecum; memores 1. Cor. 15. 10.
dicti illius Domini, Sine me nihil potestis facere; & istius Prophetæ, Nisi Dominus Ioan. 15. 5. Psal. 126. 1.
ædificauerit domum, &c. & rursum, Non Rom. 9. 16.
est volentis neque currentis, sed Dei miserentis. Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi 1. Cor. 4. 7
non acceperis, sed tamquam de proprijs extolleris? Qui enim naturam aliunde habet, inde quoque vt naturales opes suas habeat necesse est. Omne enim quod nó est increatum, non sibi sufficit: quod autem non sufficit sibi, deterius est eo quod increatum est ac sufficienti auxilio præditum. Vnum autem ex rebus creatis est mens humana; non ergo sibi sufficit, cùm egeat auxilio Dei, sine quo nihil potest boni perficere. Quapropter oportet rectè facientem, in potentiæ ac virium largitorem benè gesta referre, dicereque, Non ego hæc feci, sed gratia Dei mecum. 1. Cor. 15. 10.
Rectè factorum enim causam sibi ipsi adscribenti, & cum despicientiâ contra proximum sese extollenti, exprobrans per Paulum Christus dixit, Quid enim habes quod 1. Cor. 4. 7.
non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? In similibus autem sui ipsius amator Pharisæus gloriabatur, & in hisce superbiens orabat. Quomodo verò publicanus orauerit, audi Euangelistam dicentem.

VERS. 13. Et publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

SEVERVS. *Oratio debet esse humilis.*

15. PHARISÆVS quidem stans in medio templi, altâ voce orabat ac rogabat, & tamquam qui impetrare dignus sit, proprias res gestas recensebat, & quò plura dicebat, eò magis diuinum auditum obtundebat, & verborum iactantia ac tumor inanis à labijs promanabat, & in spumam soluebatur: publicanus verò opera quidem bona non habebat numeranda, sed à longè stans, & in extremo aliquo templi angulo adrepens, pectus percutiebat, per hoc in animum quasi reuocans peccata commissa, eorumque sensum iam dormitantem exsuscitans, vixque ab ore verbum exibat, & extemplò in

in cælum alis sublimibus tollebatur ac ferebatur, & pulsans ostium, intrò ad diuinam admissus est audientiam, & per preces suas iustificatus fuit. Qui enim sese dignum existimat intima templi adyta penetrare, ac Deo vicinum fieri, procul cum profanis exterminabitur: qui verò ipsa templi limina contingit tremens ac timens, in ipsâ Regis cellâ epulabitur, vti sponsa in canticorum Cantico dicit, Introduxit me Rex in cellam suam.

Cant. 1, 4.

CYRILLVS 16. Publicanus igitur à longè stans, vix sustinebat loqui, nec oculos ad cælum leuare audebat, sed aspectus rubore, animi verecundiam indicabat.

BASILIVS in Isaiam. 17. Indignum se ipsum iudicans qui in cælum suspiciat, propter peccatum quod in cælum commiserat.

CHRYSOSTOMVS de Incomprehensibili Dei naturâ, Hom. 4. 18. Quamquam enim multa ex officio feceris, quamquam nullius tibi sis conscius mali, modò putes agere posse fidenter ac liberè, omni gradu orationis continuò eijcieris & excides. Contrà, si onera conscientiæ innumerabilia sustines, modò illud vnum persuasum sit tibi, te omnium esse minimum, mirificè tibi animus fidendi, audendique apud Deum præstabitur. Quamquam id nulla humilitas sit, vt cùm peccator sis, peccatorem te opineris: humilitas enim est, quoties quispiam rerum sibi præclararum conscius, nihil magni de se ipso existimat.

BASILIVS in Psal. 32. 19. Is enim qui non præclarè ac fortiter à se gestis nititur, neque item se sperat ex operibus iustificatum iri, sed tantùm in Dei misericordiâ spem collocat. Cum enim illud secù reputarit, Ecce Dominus, & merces eius cum eo, reddere vnicuique secundùm opera eius; & secum recogitauerit opera sua mala, supplicium timet, & minas Dei perhorrescit. Ad hoc verò, ne absorbeatur à tristitiâ, spe bonâ subnixus, ad miserationes & benignitatem Dei respicit. Sic & publicanus non confidebat in iustitiâ quam fecerat, (nullam enim fecerat) sed per gratiam & misericordiam sibi salutem quærit.

CHRYSOSTOMVS de Dauide & Saule. 20. Aliquis tibi maledixit, adulterum & scortatorem appellauit? hoc si verè dicit, corrige: sin falsò, irride. Si tibi ipse conscius es eorum quæ obijciuntur, resipisce: si non es, despue. Imò potiùs non solùm deride ac neglige, verùm etiam gaude atque exulta, iuxta Domini sermonem qui nos iubet ita facere, quoniam merces copiosa est in cælis. Ceterùm vbi conuitiator quidem vera dixerit, tu verò modestè illa verba pertuleris, non tegerens contumeliam, neque conuitia conuitijs retalians, sed amarè ingemueris, damnans tua delicta, haud minorem feres mercedem, quàm ille prior, idque ex Scripturis approbare conabor, vti pernoscatis, quòd quantum vtilitatis non adferunt amici dum laudant & gratulantur, tantum vtilitatis adferant inimici vituperando, etiamsi vera dixerint, modò nos reprehensionibus illorum ad id quod oportet vti velimus. Nam amici frequenter ad gratiam adulantur, contrà hostes delicta in medium proferunt. Quoniam cùm nos nostra peccata propter insitum nobis nostri amorē non videamus, illi quia propter odium ea meliùs quàm nos perspiciunt, opprobrando nos ad correctionis necessitatem impellunt, vt illorum maleuolentia nobis cedat ad maximā vtilitatem, non ob id solùm quòd per illos admoniti errata nostra intelligamus, sed & illa quoque deponamus. Itaque si inimicus tibi crimen exprobrauerit, cuius tibi conscius es, tu verò audiens, non vicissim illi conuitietis, sed cum amaro gemitu Deum implores, protinus omnem culpam deposuisti. Amabò te, quid hoc esse poterit felicius? quid ad criminum abolitionem facilius? Quot enim labores erant publicano subeundi, ieiunando, humi dormiendo, vigilando, bona sua egenis impertiendo, longo tempore in sacco & cinere sedendo, vt illa tam multa peccata posset deponere? At nunc cùm nihil tale fecerit, simplici verbo omnem deposuit iniquitatem, ac probra conuitiaque Pharisæi, qui videbatur illum contumeliâ afficere, pepererunt iustitiæ coronam, idque sine sudoribus, sine laboribus, absque longi temporis morâ. Vides quantum adferat vtilitatis inimicorum exprobratio, si modò eam animo philosophico pertulerimus. Quòd si pariter & mentientes & vera loquentes nobis prosint, quam ob rem dolemus? quam ob causam accendimur? Nisi te ipsum læseris, ô homo, neque amicus neque inimicus, ne ipse quidem diabolus poterit te lædere. Etenim cùm & ij qui nos contumelijs afficiunt, qui traducūt, qui vsque ad ipsius vitæ discrimen insidiantur, vtilitatem adferant, dum alij martyrij coronam nobis plectant, vti ostendimus, & alij rursus dum peccata nobis exprobrant, ea subducant, nosque ex iniustis iustos efficiant, quemadmodum in publicano accidit; cur in illos efferimur & excandescimus? Ne dixerimus itaque, Ille me atrociter irritauit, ille me lacessendo perpulit, vt inhonesta verba proferrem: nos vbique talium causa existimus. Nam si velimus philosophari, ne dæmon quidem poterit nos ad iram concitare, idque liquet cùm ex alijs compluribus, tum ab hac ipsâ quæ proposita est parabolâ.

Luc. 6, 2. Conuitia quomodo ferenda.

Nemo læditur nisi à seipso.

IDEM de Incomprehensibili Dei naturâ. 21. Pharisæus quidem iustitiam, & ieiunia, & decimas suas proposuit, publicanus verò exile

exile tantùm verbû protulit, Propitius esto mihi peccatori: & omnia peccata deposuit. Non enim verba Deus tantummodò audiuit, verùm etiam animum quo ista dicerentur, inspexit: quem cùm humiliatum contritumque comperiret, misertus est, & benignissimè humanissimeque egit. Hæc autem non vt peccemus dico, sed vt humiles simus. Nam si homo publicanus extremum vitiorum genus, non humili, sed facili quodam & pio dumtaxat animo peccatis propositis, & rem, vt erat, confessus, tantum beneuolentiæ apud Deum contraxit: quantum meritum sibi homines comparare possunt, qui cùm præclara egerunt opera, nihil tamen magni se fecisse arbitrantur?

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Hebr. c. 11 Hom. 27. *Humilis non est qui se accusat, sed qui aliorum improperia tolerat.*

22. Dicamus igitur, Propitius esto mihi peccatori. Verumtamen etiam si alius dicat, non irascamur. Si enim nosipsos quidem innumeris ipsi modis malos vocauerimus, ab alijs autem id audientes ægrè tulerimus, non erit hoc humilitas, neque cófessio, sed ostentatio, & vana gloria. Ostentatio, inquis, est, vocare seipsum peccatorem? Vtique: humilitatis quippe opinionem captantes, celebramur atque laudamur. Nam si è contrario dicamus nosipsos iustos, contemnimur. Proinde etiam hoc propter gloriam facimus. Quid est autem humilitas? vt cùm ab alio improperium audimus, toleremus, agnoscamus peccatum nostrum, & patienter feramus accusationem. Et neque hoc adhuc humilitatis est, sed ingenuitatis. Nunc autem nosmetipsos quidem dicimus peccatores, indignos, & cetera plura: si verò alius quispiam nobis vnum horum impingat, sæuimus, exasperamur. Vide'ne, quia non est hoc confessio, neque ingenuitas? Dixisti temetipsum esse talem, non indigneris etiam cùm ab alio audis, & cùm redargueris, sic enim tibi peccata leuigabuntur, cùm alij improperant: sibimetipsis quidem onus imponút, te autem ad philosophiam inducunt. Aduerte quid
1. Reg. 16. 10. dixerit beatus Dauid, cùm ei malediceret Semei: Sine illum, inquit, Dominus præcepit ei, vt agnoscat humilitatem meam, & retribuat mihi Dominus bona pro maledictione hac huius diei. Tu autem cùm de teipso dicas excessum malorum, nisi ab alijs magnorum iustorum laudes audias, exasperans? Vidésne quoniam ludis in rebus minimè ludicris? Etenim laudes aliarum laudum cupiditate repellimus, vt maiores iterùm mereamur, vt magis in admiratione simus. Proinde dum encomia non petimus, hoc ideò facimus, vt laudes nostræ amplificentur, atque omnia propter gloriam facimus, nihil propter veritatem: propterea cuncta vana sunt, cuncta inania.

23. Et humilitatem quidem videmus plurimum habere lucri, non tamen facile illam reperimus, sed vilitatem quidem multam, quæ terminos excedit decentiæ, veram autem humilitatem nequaquam. In Ep. ad Timoth.

24. Tu autem ne dixeris, Quoniam fu- Idem in Acta.
lus sum, sed contende te ab hac gloria liberare. Ne dixeris etiam, Dolet. Si dolorem patiaris, conaris eum propulsare; sic dolore vaces, dissolueris & flaccescis. Quis dicens se ægrotare, non statim adhibet omnia quibus se possit morbo liberare?

25. Ista profectò sic se habent, inquies; quòd autem malus sit hic morbus, plane manifestum est: quomodo autem illum effugiamus, necesse est vt dicatur. Maximè sane. Quòd si tibi hoc potissimùm persuaseris, nempe hunc morbum esse grauem, optimum iam correctionis initium feceris. Tum enim ægrotus confestim de Medico cogitat, cùm ante omnia primùm ægrotare se cognouerit. Quòd si & aliam viam, quâ morbum hunc effugias, quæsieris, respice ad Deum continuò, & ea quam ab ipso exspectas gloriâ contentus sis. Si quando te morbus hic titillauerit, incitaueritque, vt conseruis tuis quæ rectè facta gesseris gloriando narres, rursus cogitans, quòd nihil inde fructus, etiam cùm dixeris, sis accepturus, absurdam hanc concupiscentiam extinguas, animæ tuæ ad hunc modú immurmurans: Ecce tantum temporis parturiendo laborasti, vt quæ rectè gesseras, alijs diuulgares; & cùm tantum temperantiæ non haberes, vt silentium seruares, omnibus ea obtrusisti. Quid ergo vtilitatis ampliùs inde recepisti? Nihil planè, nisi extremum damnum, nimirum, quòd irrita facta sint omnia quæ magno labore congesseras.

In Ep. ad Rom. c. 10. Hom. 17. *Morbi cognitio initium sanitatis.*

26. Pharisæus verò ille, impudens & ve- BASILIVS
hementer superbus, qui non solùm in seipso de Humilitate.
confidentiam habuit, sed & publicanum *Sup[illegible]*
apud Deum traduxit, iustitiæ gloriationem, *dam[illegible]*
superbiæ vitio perdidit, & descendit publicanus præ ipso iustificatus, quòd gloriam sancto Deo dederit, & nec suspicere ausus fuerit, sed solummodò propitiationem expetiuerit, seipsum & habitu & pectore percusso, & solam quærendo propitiationem, condemnans. Vide igitur & obserua exemplum grauis nocumenti, quod adferr superbia. Iustificationem amisit per superbiam elatus, mercedem perdidit per confidentiam temerarius, infra humilem & peccatorem abiectus est, seipsum supra illum extollens, & non Dei iudicium exspectans, sed suum ipsius proferens. Tu verò aduersus neminem vnquam insolescas, nec contra magnos quidem peccatores. Animi modestia & humilitas

litas eum sæpenumerò eripit, qui plurimum & in magnis deliquit. Noli itaque teipsum præ quoquam iustificare, ne quo pacto fiat, vt per tuam ipsius iustificatus, diuinâ sententiâ condemneris. Si te aliquid egisse rectè putes, gratias age Deo, nec contra proximum extollere. Omnino veræ memor esto parœmiæ: Dominus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Ne sis iniquus tui ipsius iudex, neque ad gratiam teipsum examina, si boni quidquam te habere putaueris, illud in numerato tenens, eorum sponte oblitus. Neque eorum gratiâ quæ hodie rectè facis, insolescas, eorum quæ non ita pridem & olim malè gessisti veniam tibi ipsi largitus: sed si quando præsens benefactum nonnihil elatum reddat, in memoriam reuoca quid olim mali feceris, & cessabit insensata illa animi inflatio. Et si quemquam in præsentiarum delinquere videris, ne hoc tantummodò in illo specta, sed simul cogita quæ rectè vel fecerit olim, vel nunc quoque faciat, & sæpenumerò deprehendes, talem, si singula inquisieris, nec particulas dumtaxat scrutatus fueris, te esse meliorem. Neque enim Deus particulatim hominem examinat. Ego autem, inquit, opera eorum & cogitationes eorum, venio vt congregem. Et cùm Iosaphat Regem aliquando propter peccatum recens commissum reprehenderet, simul & rectè factorum mentionem fecit, dicens: Sed bona opera iouenta sunt in te. Quoniam igitur pacto ad salutarem hanc animi humilitatem, perniciosâ superbiæ elatione relictâ descendemus? Si perpetuo studium modestiæ exerceamus, nec quidquam contemnamus, tamquam à quo nihil simus læsi. Vitæ enim studijs exercitijsque anima assimilatur, & qualia facit, talis etiam formatur, & eisdem configuratur. Sit tibi & ornatus, & indumentum, & incessus & cathedra, & certa atque stabilis alimonia, & lectus paratus, & domus, & vasa domestica, quorum omnium vsus sit ad frugalitatem, & sermo & cautus & proximi conuictus, & hæc ad mediocritatem magis quàm ad fastum. Vide ne in sermone arrogantiam vsurpes sophisticam, neque in cantu ad voluptatem accommodatas voces superiores habeant, neque dictionem ostentes superbâ ac grauem. Sed in omnibus splendori ac magnificentiæ detrahas, comis erga amicum, mansuetus erga domesticum, patiens erga temerarios, humanus erga humiles, patronus afflictis, inuisens in dolore constitutos: denique neminem contemnens, suauis in appellatione, alacer in responsione, dexter & officiosus vniuersis, neque tua ipsius celebrans encomia, neque alios qui hoc faciant subornans, neque inhonestam de proximo famam admittens, & virtutes tuas ac prærogatiuas, quantum fieri potest, obtegens: peccatorum verò gratiâ te ipsum accusans, nec expectans vt ab alijs reprehendaris, vt idem facias quòd iustus qui prior accusator est sui. Prou. 18, 17

Deus superbis resistit. / *Temerariũ iudicium vitandum.* / *Isa. 66, 18.* / *2. Paral. 19, 3.* / *Modus acquirendi humilitatẽ.*

27. Qui enim aliorum peccata & virtutes proprias considerat, duplex damnum capit. Hinc siquidem insipienter extollitur, inde verò in segnitiem incidit. Quando enim cogitabis quòd ille peccauerit, facilè peccabis & tu: considerans te benè egisse, facilè inaniter extolleris. Qui verò sua rectè facta tradit obliuioni, suaque tantùm peccata considerat, neque aliorum vitia sed virtutes dumtaxat contemplatur ac curat, plurimum lucratur, & audi quomodo. Nam quando viderit alium rectè agentem, idem imitandi studio incitabitur; se verò peccasse cernens, sese humiliabit, ac modestè aget. CHRYSOST. in Ep. ad Philipp.

Aliorum virtutes non vitia consideranda.

28. Non animaduertis quòd & Pharisæus, quamquam & vera & manifesta dixerit, nec tectum aliquid retexerit, condemnatus tamen sit? Quòd si & aperta in dedecus aliorum dicenda non sunt, quantò magis silentio tradenda quæ ambigua sunt? Est enim constitutus iudex peccatori: noli tu dignitatem Vnigeniti temerario impetu rapere: illi iudicij sedes & solium conseruatur. Quòd si cupiditate iudicandi iudex esse velis, sedem ego tibi ostendam, quæ magnum quæstum tibi conferet, & nullâ criminis sorde maculabit. Sedeat mens atque cogitatio tua iudex in animam atque conscientiam tuam, adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, & sedulò rationem exigas, & dicas: Quare hoc atque hoc ausus es? quare illud & illud perpetrasti? Quòd si ab his quidem conscientia tua refugit, aliena verò curiosè rimatur, dic ad ipsam: Non ego iudex in alios, nec tu alios defensura iudicium subijsti. quid enim ad te, si hic vel ille malè viuat? tu cuius rei gratiâ hoc atque illud deliquisti? Non defende: accusa tua vitia, non aliena. Sic assiduè ipsam ad hoc certamen reuoca. Deinde, si causam suam dicere non possit, sed subterfugiat & detrectet, quasi superbam ancillam, & fornicatione corruptam cæde, verberibus ac flagellis dilania. Hoc iudicium tibi quotidie diligẽter constituatur. Venenosum vermem & ardentem fluuium propone, ceteraque tormenta omnia ostende, neque dimittas in posterum cum diabolo fornicari, neque patiaris, si impudenter dicat, diabolum ad ipsam venire, insidias sibi ab eo strui: sed dic ad eam, Superflua sunt hæc omnia, si tu non velis. Quòd si rursus dicat, Corpori colligata sum, carne induta, cum hominibus habito,

IDEM in Matth. cap. 12. Homil. 42. & in c. 5. Hom. 15. / *Iudicanda conscientia propria, non aliena.* / *Conscientia quomodo examinanda.*

to, in terris conuersor; dicas, Hæ omnes inanes causæ sunt, peccandi opportunitatem volenti præstantes. Nam & hic & ille corpori coniuncti, carnemque habentes, cum hominibus habitantes, & in terrâ conuersati, rectè vixerunt, tu quoque ipsa cùm rectè agis, carne induta, hoc facis. Quòd si hæc audiens doleat, non subtrahas manum: non enim morietur percussa, sed mortē effugiet. Et si rursus dicat, Ille me irritauit; responde: Atqui in potestate tuâ est non irritari: cuius certissimum argumētum est, quia nonnumquam iram superasti. Hæc omnia cùm inquiris, nemo adsit, nemo perturbet: sed quemadmodū iudices semotis arbitris sententiam conscribunt, pariter tu quoque ad occasionem tranquillitatis secretiora loca require. Itaque lectum atque quietem petiturus hoc iudicium ineas: idoneum enim ad hanc rem hoc tempus est, & consentaneus locus, cubiculum, & lectus. atque ita humiliare te poteris. Humilitate autem tamquam firmo fundamento supposito, tutissime cuncta alia superpones ædificans: hac verò subductâ, etiamsi ad ipsum vsque cælum conuersationis sublimitate perueneris, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. Nam siue orationem, siue ieiunium, siue misericordiam, siue pudicitiam, siue aliud quid bonorum absque humilitate congreges; statim eunctа diffluunt, cunctaque depereunt. Quod etiā Pharisæo accidit, qui cùm ad ipsum virtutis cacumen ascendisset, amittens simul vniuersa descendit, quia scilicet non habuit matrem bonorum. Sicut enim superbia omnium malorum fons est, ita humilitas cunctarum origo virtutum.

Humilitas virtutum fundamentum.

DOROTHEVS de Humilitate.

29. Quamobrem & quidam Senior ait, ante omnia humilitate nobis opus esse; per illam enim omnia aduersarij nostri tela disrumpi. Vt quid non potius abstinentiâ nobis præ omnibus opus esse dicit? qui enim certat ab omnibus se abstinet. Vel etiam timore Dei? nam initium sapientiæ timor Domini, & timore Domini declinat quis à malo. Vel eleēmosynâ & fide, quibus purgantur delicta, & sine fide impossibile est placere Deo? Existimo quia nulla virtutum prædictarum sine humilitate erigi in nobis potest; propter quod & Propheta dixit: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. Potest enim sola nos humilitas introducere, tametsi cum difficultate. Si ob imbecillitatem laborare non possimus, humiliari saltem studeamus, & inueniemur in loco omnium laborantium & seruientium Deo. Pulchrè sanctus ille definiuit illum qui veram in se habet humilitatem, cùm dixit: Humilitas numquam irascitur, irritat neminem. Vanæ gloriæ sola aduersatur, & ab eâ hominem liberat, tuetur, & protegit. Irascitur quis ciborum gratiâ? quis dicat hanc esse humilitatem? Magna est & poteos humilitas, ita vt gratiam Dei in animam queat attrahere. Hæc in animam veniens illam protegit à duabus hisce passionibus, irascendi scilicet & irritandi. Et omnino nisi quis ingrediatur per humilitatem, sensim labitur in seditionem dæmonis, qui turbatus, in nobis quoque turbationes concitat. Hæc autē omnes diaboli laqueos, quos Magnus ille Antonius orbi intensos vidit, sola euadit, quemadmodum ipse interrogans audiuit quòd neque eam omnino contingere poterunt. Cernis vim subiectionis? cernis gratiam virtutis? Duo autem genera sunt humilitatis, vt item genera duo superbiæ. Prima igitur humilitas est, vt sanctus ille dixit, omnibus se inferiorem ducere: secunda verò, quæuis recta opera Deo adscribere. Prima autem superbia est, quando quis fratrem suum nihili facit: secunda verò, cùm in Deum quoque incipit insolescere, & bona opera sibi ipsi adscribere. Noui ego quemdam, qui despuens vnumquemque dicebat, Quis est ille? Non est alius præter Zosimam vel præter Macarium: & paulò post, præter Basilium & Gregorium: atque etiam non multò pòst, non est præter Petrum & Paulum: denique, præter Trinitatem: statimque in Deum quoque factus est insolentior: exarsit, intumuit. Nobis igitur luctandum est cum primâ, ne paulatim in secundam labamur superbiam. Est autem & sæcularis superbia, vt cùm quis insolescit in fratrem suum quia ditior, vel pulchrior, vel ornatior, vel nobilior illo. Est & Monachalis, vt cùm quis gloriatur, vt ieiuniorum, vt vigiliarum obseruantissimus, vt venerabilis, vt ciuilis, vt studiosus. Humilitas autem naturaliter in animâ fit & generatur ex obseruantiâ mandatorum Dei: vt enim arbores cum multo fructu onustæ fuerint, inclinant ramos, & eos plerumque frangunt: sic anima nostra cùm humiliatur, tum fructus edit, quantoque plures fructus attulerit, tantò magis humiliatur. Nam viri sancti quantò ad Deum propiùs accesserint, tantò se iniquiores agnoscunt. Abraham enim cùm Dominum vidit, cinerem se vocauit & lutum. Isaias dixit: Infelix ego, quia vir pollutus labijs ego sum. Sic & Daniel dixit: Recordatus est enim mei Dominus. Quin etiam ad mortalium opem Sancti à Deo missi vix præ humilitate comparere ausi fuerunt, honorem subterfugientes. Moyses enim dixit: Obsecro te Domine, mitte alium eloquen-

1. Cor. 9, 25 — Psal. 110, 10. — Heb. 11, 6. — Ps. 24, 18. — *Humilitas omnibus possibilis.* — 1. Cor. 13, 5 — *Dei gratia humilitate in animam attrahitur.* — *B. Antonij visio de humilitate.* — *Humilitatis duo genera, vti & superbiæ.* — *Exemplum paulatim inualescentis superbiæ.* — *Superbia secularis & Monachalis.* — Isa. 6, 5. — *Sancti fugiunt honorem.*

quentiorem me, ego enim raucæ vocis sum, & impeditioris linguæ. Ieremias autem ait: Puer ego sum. Quemadmodum enim indutus quis purpurâ & bysso, si ei injiciatur lacerna immunda, declinat illam & fugit ne indumentum pretiosum commaculet; sic viri sancti, virtutes præclarissimas induti, humanam gloriam deuitant ne ab eâ dehonestentur. Qui autem eum ambiunt, similes sunt nudo, qui vsquequaque circuit vt lacernam vllam inueniat quâ possit tegere nuditatem. Ita qui virtutibus nudatus est, humanam gloriam, quâ se obumbret, sectatur. Humilitatem autem nemo sermone explicare queat, quo pacto ea in animam veniat, nisi priùs illam experientiâ didicerit. Interrogatus quidam Senior quid esset humilitas, respondit magnū opus esse, ac quid diuinum: vias verò eius, labores corporeos esse quos cum scientiâ facis; & si te omnino omnibus subijcias, & sine intermissione Deum ores. Ac rectè quidem meâ sententiâ respondit: subesse enim omnibus, primæ superbiæ aduersatur; sine intermissione autem orare, secundæ. Sed labor corporeus quid in se habet ad animæ dispositionem? Anima vbi præuaricata est, & à præcepto decidit, concupiscentiæ omni & arbitrio erroris permissa est, & data; cœpitque omnino corporeos mores diligete, & amplecti, ita vt vnum quid cum corpore inuenta sit, & tota caro facta, iuxta quod ait Dominus: Non permanebit spiritus meus in hominibus his, caro enim sunt. Et quoniam compatitur, simulque disponitur anima infelix ab his quæ patrantur in corpore; ideò dixit Senior, corporeum laborem animam in humilitatem inducere. Aliter enim disposita est anima benè habentis, aliter ægrotantis, aliter famescentis, aliter saturati. Labor igitur humiliat corpus; humiliatoque corpore, humiliatur pariter & anima; ita vt optima fuerit Senioris sententia de labore corporeo. Hac de causâ quidam Senior à blasphemiâ oppugnatus, haud ignorans blasphemiam à superbiâ prouenire, & humiliato corpore humiliari pariter & animam, quadraginta dies sub dio pernoctauit, ita vt ex eius corpore vermes scaturirent, vt in agrestibus animalibus solet accidere, & præ labore pus euomeret. Neque id ob blasphemiam factum, sed ob humilitatem.

Ex labore humilitas.

Gen. 6, 3.

Anima corporis habitum sequitur.

Euagrij ob blasphemiam pœnitentia.

30. Debebat homo in gloriâ, quam apud Deum habebat, manere, & sublimitatem habuisset non fictam, sed veram, potentiâ Dei sublimis, sapiētiâ diuinâ præclarus, æternâ vitâ eiusque bonis sese oblectans & alacris. Postquam verò diuinæ gloriæ desiderium mutauit, & maiorem sperauit, quam non poterat accipere, apprehendere satagens, quam habere poterat, perdidit. Maxima illi salus est, quòd & morbum curare liceat, & ad pristinam dignitatem per animi redire submissionem, nec aliquem gloriæ prætextum per seipsum comminisci, sed à Deo quærere. hoc namque pacto lapsum corriget. Verùm diabolus quò falsæ gloriæ spe mortalibus imponat, non cessat à seipso incitatus ac prouocatus innumera ad hoc machinamenta comminisci. è quibus sanè magnum est, quòd talem pecuniarū ostendat opulentiam, vt hoc nomine insolescat, & curâ illius afficiat. Quæ quidem ad gloriam nihil confert, periculi verò plurimum. Quæstus namque pecuniarū, argumentum est auaritiæ; possessio earum nihil facit ad bonum nomen, sed frustrà inflat, inaniter extollit, & ferè idem facit animæ, quod inflammatio corpori. Inflammatorum enim corporum tumor nec sanus est, nec vtilis, sed morbidus ac noxius, periclitandi principium adferens, & pereundi occasionem. Tale quid & circa animam facit superbia. Et non solùm ex pecunijs nascitur animi elatio, sed & Magistratus honorem ex populi suffragijs adepti, supra naturam & conditionem exaltantur, tantùm non ipsis se putantes insidere nubibus, proterendos arbitrantur subiectos, & aduersum eos quoque à quibus dignitatem quam habent acceperunt, eriguntur, & per quos sunt quod esse videntur, aduersus illos insolescunt, rem committentes dementiâ plenam, cùm gloria illorum quouis somnio inanior sit, & splendorem habeant nocturnis spectris vaniorem, & à populi nutu pendentem. Insolentem quoque reddit hominem manuum dexteritas, pedum celeritas, & corporis venustas, quæ obiter morbis absumuntur, nec animaduertunt quòd omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sit sicut flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos. Et ipsa quoque humana sapientia & prudentia, quæ inter reliqua mortaliū bona potissima reputatur & solidissima, inanem habet elationem, & in sublimitatem extollit non veram; nec quidquam ista valent, vbi diuina sapientia deest. Sed quænam est vera gloriatio, in quâ re magnus est homo? In hoc inquit, glorietur qui gloriatur, si sciat & cognoscat me esse Dominum. Hæc est hominis sublimitas, hæc gloria & magnificentia, verè cognoscere hoc quod magnum est, & illi conglutinari, ac gloriam à Domino gloriæ quærere. Decidit hic vniuersa arrogantiæ sublimitas. Nihil tibi relictum est, ô homo, de quo gloriari possis. Quid igitur teipsum, dic quæso, extollis, quasi propria habeas bona, cùm gratias pro donis agere debeas largitori? An ideò superbis, quia honore affe-

Basilivs de Humilitate.

Homines quærentes gloriam ab hominibus, perdidit eam quæ est apud Deum.

Quod tumor corpori, hoc vana gloria animæ.

Isa. 40, 6.

Ierem. 9, 24.

ctus

ctus es, & acceptam misericordiam ad occasionem arrogantiæ rapis? Tunc cognosces reipsum, quisquis es, ficut Adam eiectus è paradiso, ficut Saul destitutus spiritu Dei, ficut Israel à sanctâ radice resectus.

Nazianz. 31. Imitare igitur publicanum quem sua extulit humilitas & humilitatis indicia, pectoris percussio, gemitus ex profundo pectore emissus, lamentatio & frequens precatio, impetrationis remedia.

Isidorus Iob. 22, 29. 32. Dominus enim, secundùm Iob, demissum oculis saluabit, hoc est, saluabit peccatorem demittentem se per pœnitentiam & humiliationem multam, sicut publicanus fecit, qui præ verecundiâ terram aspiciebat, pectusque percutiebat, ac dicebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Sic etiam qui se submiserit saluabitur, non ex operibus virtutis, neque diuinorum impletione mandatorum, sed per benignitatem Dei, & plurimam humiliationem, ac contriti cordis confessionem. Et omnis qui propter peccata pectus percutit, Deum in tympano & choro laudare dicitur. Qui enim pectus ac viscera sua compunctione percutit, & flebilium sermonum chorum adiungens pœnitentiæ calamum in pixidem mœroris lacrymarum nocturnarum intingit, morte Christi pro peccatoribus susceptâ non frustrabitur.

Publicanus ob humilitatem mundatus.

VERS. 14. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

Isidorus lib. 1. ep. 278. Idem ferè habet Theophylactus & Titus Bostrensis in hunc locum. 33. Si miteris quamobrem Pharisæus ob verborum arrogantiam apud Deum offenderit; Iob autem, qui plura & sublimiora dixit, gloriam assecutus sit: audi breuiter. Pharisæus ille, quia nemine concitante ac stimulante magnifica de se prædicabat, aliusque quàm vniuersus terrarum orbis de se sentiebat, meritò in Dei offensionem incidit; siquidem superbiæ morbo laborabat: at qui in gloriâ ac splendore virtutes suas occultat, cum autem maledictis incessitur, eas, vt illatas criminationes propulset, commemorat (quemadmodum clarus ille atque omni laude præstantior Iobus fecit) ab omni culpâ remotus est, eâ nimirum in eos reiectâ, qui eum accusarunt iniquè. Frigidum enim atque insulsum vt est, ita etiam videtur, laudes suas prædicare, cùm nulla vrget necessitas. At si quis, quæ minimè conuenit, audiens in huiusmodi sermones inuitus incidat, in eos qui hanc necessitatem attulerint, culpa quoque conferri debet. Ac propterea à diuina sententiâ eum, qui nullius contumeliis incitatus, iustum sese pronuntiarat, aliosque omnes condemnarat, ac ne præsentem quidem publicanum veritus fuerat, repudiauit: eum autem quem necessitas ad hoc impulerat (quid enim, quod ad stimulandum ipsius animum facere posset, amici prætermiserant?) amplissimis laudibus coronauit.

Pharisæus cur ob bonorum operum iactantiam condemnetur, non item Iob.

34. Paulus autem Timotheo scribens ac dicens, Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, non magniloquentiæ studio hæc dicit, sed mœrorem discipuli solari cupiens, bono illum esse animo iubet, quasi ipse ad coronam pergat, omnibusque ritè peractis præliarum repererit finem. Gaudendum, inquit, non dolendum est: nam ad quietem vado cursu feliciter consummato. Haudquaquam certè talis erat Pharisæi magniloquentia, sed inanis omnino & vana. *Chrysost. h. 2. ad Tim. 4.*

35. Exaltari etiam laudabiliter contingit, quando scilicet non es pusillanimis, nec humilia cogitas, sed mens tua est per magnanimitatem in virtute erecta. Talis autem probanda animi celsitudo, est eminentia in tristitiis, terrenorum contemptus, conuersatio in cælis, quæ eò cor eleuat vbi est thesaurus eius. Et videtur huiusmodi mentis sublimitas eamdem habere differentiam ad elationem quam arrogantia parit, quam habet corpulentia corporis benè dispositi ad inflammationem carnis cùm ex hydropisi tumet: nam hæc corpori non prodest, sed obest magis atque debile facit. *Basilius in Isaiam.*

36. Videamus igitur quis sit hic arrogans, quis verò modestus; vt cognoscas, nihil esse humilitate altius, nihil arrogantiâ depressius. Nam arrogans quidem maiorem se ceteris arbitratur, & neminem se esse dignum affirmat: nec ita magno quisquam poterit honore ipsum afficere, quin cupiditate maiori agitatus, parum sibi collatum arbitretur; cumque laudem ab hominibus quærat, spernit eos atque contemnit: quæ res adeò absurda est, vt ænigmati simillima videatur: quos enim despicit, ab his gloriam quasi debitam flagitat. Cernisne, quomodo qui se altiùs extollit, decidat, atque humi affixus iaceat? Nam quòd abiectos esse ceteros putet, idque in seipso cogitet, à vocabulo ipso manifestum est: hoc enim arrogantiam & insolentiam dicimus. Quid igitur illi quem nihili facis, accidis, quid adulationibus ab illo laudem aucuparis? vidésne reuerà humilem atque supinum caducis omnino rebus subnixum? Age iam è contrario, qualis verè sublimis sit consideremus. Hic certè non ignorat, quòd homo sit, & omnium minimus. Quamobrem quantumcumque illi honoris tribuitur, maximum arbitratur. Constans igitur est atque sibi ipsi conueniens, nec modò hoc modò illud sequitur; sed quos excelsos putat, ab his etiam, si parum honoris nan- *Chrysostomus in Matth. cap. 20. Hom. 66.*

Arrogante nihil depressius, humili nihil sublimius.

nancifcatur, fummopere propter celfitudinem illorum honorari fe putat. Infolens autem pufillos eos arbitratur qui eum honorant, fed laudari fe ab illis, fingularem omnino rem arbitratur. Illud etiam abs te libenter quæram, quemnam arbitraris fublimiorem, facrúmne virum à quo grata Deo Sacrificia quotidie offeruntur, an eum qui nullam apud Deum fiduciam habeat? Et quas, inquies, hoftias humilis offert? Audi Prophetam. Sacrificium, inquit, Deo fpiritus contribulatus, &c. Vidifti quàm mundus humilis fit, vide & infolentis impuriffimas fordes. Impurus enim apud Deum eft omnis qui elato eft corde. Adhæc in altero Deus ipfe requiefcit. Super quem enim refpiciam, ait, quàm fuper mitem & quietum? alter autem cum diabolo humi trahitur: inflatus enim diaboli fupplicia fuftinebit. Propterea Paulus dicebat, Ne forte inflatus in iudicium incidat diaboli. Contrarium femper quàm optat ei euenit. Nam cùm ceteros contemnat, vt maiori dignus honore videatur, maximè omnium ipfe defpicitur. Ridiculi enim & omnium inimici qui facile inimicis fuccumbant, quique in iram facilè ruant, & qui apud ipfum impuri fint, ifti omnium maximè effe deprehenduntur? quare nefcio fi quid peius excogitari poffit, malorum enim omnium hoc eft extremum. Humilibus verò quid beatius? qui cùm Deo gratiffimi fint, non paruam etiam ab hominibus, quam non quærunt, gloriam reperire folent. Ab omnibus nimirum tanquam parentes coluntur, quafi fratres amantur, quafi propria membra fouentur. Amplectamur igitur humilitatem, fi fublimes fieri defideramus; præfertim cùm ab infolentia homines deijci videamus. Hæc Pharaonem ad humilitatis barathrũ deruifit, (Nefcio, enim inquiebat, Dominum,) & foricibus & ranis & mufcis deterior factus eft, poftremùm cum ipfis armis & equis fubmerfus fuit. Abraham verò è diuerfo, Ego, inquit, fum terra & cinis, quapropter & multa barbarorum millia fuperauit, & vbique prædicatur, & coronatur, eiufque laudes vbique decantantur. Pharao autem & terra & cinis, & fi quid vilius excogitari poteft, factus cognofcitur. Nihil certè magis Deus, quàm arrogantiam auerfatur: quid enim non fecit, vt hanc paffionem deftrueret? hac enim de causâ mortales facti in dolore ac luctu viuimus: ideò in continuo labore atque fudore, & affligenti operatione conftituti fumus. Arrogantiæ quippe primus homo cùm æqualitatem Dei fperaffet, decidit: & ita non folum quò optauerat non adfcendit, verum etiam à propria fublimitate decidit. Hoc nempe fuperbiæ opus eft, vt non modò nihil boni nobis adferat, fed etiam quæ habemus corrumpat: ficut è contrà humilitas & ea quæ nobis adfunt bona conferuat, & quæ non habemus, facilè adijcit.

Pfal.50,19 · Ifai.66,2 · 1.Tim.3,6 · Exod.5,2. · Gen.18,27

37. In corporibus, dic mihi, quæ dicimus effe fana? an quæ multum habent tumoris, & internè plena funt flatu & humore, an verò fedata, & humilem fuperficiem habentia? Liquet, quòd ifta. Igitur & quod ad animos attinet, tumidus animus peiorem intercute morbum habet; fedatus verò ab omni perturbatione liberatus eft. Quanta igitur bona nobis animi parit humilitas, vt clementiam, manfuetudinem, benignitatem, fobrietatem, alacritatem? Omnia enim ifta bona à modeftiâ, & contraria ab arrogantiâ nafcuntur. Neceffariò enim qui arrogans eft & contumeliofus eft, & percuffor, & iracundus, & amarulentus, & triftis, beftia magis quàm homo.

CHRYSOSTOMVS in Ep. ad Philip c.2. Hom.7.

Humilitatis bona.

38. In humilitate omnia tua opera perfice, & fic fructus tuus in cælum vfque extolletur. Superbia enim fimilis eft arbori fublimi, ramos fuos vndequaque extendenti, quæ nimiâ altitudine pondereque fuo fatifcens difrumpitur.

EPHRAIM

39. Vide abundantiam iuftitiæ Pharifæorum. Hi affidue orabant, fibique quadriennium, aut octennium, vel decennium, virginitatis fiue continentiæ præfcribebant, & ne clandeftinè per fomnia corporis defluxio contingeret. Alij in anguftis afferibus cubabant, in filicibus alij, alij verò fpinas pro ftrato habebant: ieiunabant autem bis in fabbato, fecunda & quinta die: decimabant decimationes: dabant primitias, trigefimas, & quinquagefimas: facrificia ac vota exactiffimè exoluebant. Dicebantur autem Pharifæi, eò quòd feparati effent ab alijs, propter fponraneam fuperfluam religionem apud ipfos receptam. Phares enim Hebraicè feparationem fignificat. Confitebantur autem hi refurrectionem mortuorum, credebantque Angelos & fpiritum: ignorauerunt verò Filium Dei, vti & Scribæ. Sed & fatum & Aftronomia valdè apud ipfos in vfu erat. Verùm hoc illos fecum ac cum veritate pugnare arguit, nec fibi fatis memores oftendit. Cùm enim refurrectionem confiteantur, & iudicium iuftum, quomodo fatum effe poffit? ex duobus enim neceffarium eft alterum, aut fi fatum eft, non effe iudicium, propterea quòd qui facit, non à feipfo facit, fed fecundùm neceffitatem dominij ipfius fati: aut fi iudicium eft, & qui malum fecerunt pœnas dant, otiofum effe fatum, & penitus nullam habere ftabilitatem, eò quòd quifque pro fuo arbitrio, aut benè agens præmio afficiatur, aut peccans iuftè puniatur.

EPIPHANIVS in Panatio. Vide hæc fufiùs apud Epiphaniũ lib.1. hærefi 17.

Iuftitia Pharifæorum qualis, & quæ illorum opiniones.

Fides futuri iudicij tollit fati.

VERS. 14. Quia omnis qui se exaltat humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.

CHRYSOSTOMVS in Psal. 142.

Psal. 50, 19

Varia humilitatis acceptio.

Pl. 142, 3.

Luc. 14, 18.

40. MVLTA significat nomen humilitatis. Est enim & virtutis humilitas, vt quando dicit: Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Est & humilitas quæ procedit ex calamitatibus, vt: Humiliauit in terrâ vitam meã. Est & quæ proficiscitur ex peccatis. Est etiam humilitas quæ procedit ex superbiâ; vt quando dicit: Qui se exaltat humiliabitur. Est etiam humilitas quæ proficiscitur ab insatiabili cupiditate. Quid est enim abiectius & humilius ijs, qui seipsos infodiunt diuitijs, potentię, & gloriæ? illi enim sunt duabus rationibus humiles, & quòd humi serpant ac trahantur, & quòd ea magna existiment. Discamus igitur quænam sit vera altitudo, & quid vilitatem & humilitatem efficiat. Ac illam quidem eligamus, hanc verò fugiamus, & laudatam humilitatem amplectamur, in alias autem incidere ne optemus.

BASILIVS in Asceticis

Qui Deum spectat, vbique sibi similis: hominibus placens, variabilis est.

41. Humilitas autem est iuxta sermonem Apostoli, cunctos se superiores æstimare. Gratiæ verò aucupator quis ex hoc conuincitur, quando officiosus deprehenditur erga eos à quibus laudatur, & negligens erga illos à quibus vituperatur. Nam qui Domino placere studet, semper & vbique idem erit. Affectus autem hominibus placendi, & laudes humanas suscipiendi fugietur, si sibi certò persuaserit vbique Deum adesse, & si assiduè vsque ac sollicitè placere studuerit Deo, & si ardenter eas, de quibus Dominus locutus est, beatitudines concupiscat. Nemo enim in ipso Domini conspectu constitutus, quomodo conseruo gratificetur, ad ignominiam Domini, & suipsius condemnationem animi cogitationibus euagabitur. Superbus autem cognoscitur ex eo, quòd sublimia affectet. Curatur verò, si crediderit iudicio

Iac. 4, 6.

dicentis: Dominus superbis resistit. Illud sciendum est, vt quis iudicium superbiæ extimuerit, non posse tamen ab eo morbo sanari, nisi se à studijs omnibus excellentiæ reliquorum auocauerit. Quemadmodũ idioma quoduis, aut cuiusuis generis artem nemo potest dediscere, qui non se prorsus remouerit, non modò à faciendis aut loquendis rebus illis quæ sint contraria arti illi & linguæ, sed ab audiendis etiam qui loquantur, & qui faciant aspiciendis. Quod quidem etiam in quouis alio vitio obseruari debet.

Humilitas quomodo acquirenda sit.

Matth. 11, 29.

Acquirere autem humilitatem quis poterit, si memor sit mandati Domini dicentis: Discite à me quia mitis sum, & humilis corde; & crediderit promittẽti, quòd qui se humiliat, exaltabitur. Præterea, si æqualiter semper, atque vno tenore, omni in re humilitatem consectatus fuerit, in eaque & mente se & reipsâ exercuerit: nempe in vituperationis cum silentio & sine tristitiâ susceptione, & viliorum operum ministerio. Vix enim hoc modo per assiduam meditationem ad habitum humilitatis poterit peruenire, vt in artibus fieri consueuit. Idem autem hic modus acquirendæ virtutis, & in reliquis omnibus, iuxta mandatum Domini nostri Iesu Christi, virtutibus seruandus est. Si autem inaniter gloriantis & hominibus placere studentis, & ceterorum differentiã assignare oportuerit. Inanis gloriæ studiosum existimo esse illum, qui simplicis dumtaxat mundanæ gloriæ causâ, quæ vel à spectantibus vel audientibus ipsi nascitur, aliquid facit dicitve. Hominibus verò placere cupientem, quicumque ad voluntatem alicuius hominis, vt ipsi placeat, aliquid facit, licet culpabile sit quod fiat. Altum sapiens verò dicendus est is, qui semetipsum extollit, qui propter rectè facta sua magnificè de seipso sentit, seseque effert more illius Pharisæi, & non cum humilibus consentit. Idem etiam ritè dici possit inflatus, quod Corinthijs quibusdam crimini datum est. Arrogans autem & elatus, qui non ambulat in sancitis institutis, neque illud exequitur quod est apud Apostolum, vt in eadem regulâ ambulemus & idem sentiamus, sed propriam quamdam iustitiæ ac pietatis viam comminiscitur. Superbus verò, qui in his quæ habet magnificè se iactat, & supra quàm est, studet apparere. Tumidus est idem cum superbo, aut illi vicinus, secundùm illud Apostoli, Tumidus est cùm nihil sciat. Gloriatio autem in Domino est, quando quis rectè facta non sibiipsi, sed Domino adscribit, dicens: Omnia possum in eo qui me confortat Christo. Quæ verò vetita est, ea dupliciter intelligi potest. Vel secundùm dictũ illud: Laudatur peccator in desideris animæ suæ. &: Quid gloriaris in malitiâ qui potens es iniquitate? vel iuxta illud Christi, Faciunt opera sua vt videantur ab hominibus, quia cupiunt laudari in ijs quæ faciunt, in factis suis quodam modo gloriantes. Tales verò sacrilegi sunt, dona Dei sibi appropriantes, & gloriam Deo debitam ad sese rapientes.

Luc. 14, 18

Quis sit inanis gloriæ studiosus.

Quis hominibus placens.

Quis altũ sapiens.

1. Cor 4, 18

Arrogans.

Phil. 3, 15.

Superbus.

Tumidus.

In Domino gloriatio.

Phil. 4, 13.

Psal. 10, 3.

Psal. 51, 1.

Matth. 6, 2

VERS. 15. Afferebant autem ad illum infantes, vt eos tangeret. Quod cùm viderent discipuli, increpabant illos.

16. Iesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, &

no-

nolite vetare eos. Talium est enim regnum Dei.

CYRILLVS. Vide Ambros. tom. 5 in hunc locum Lucæ, & Hilar. cap. 9. in Matth. 1. Cor. 14. 20.

42. NEQVE enim hoc inuidiæ, aut in pueros mentis asperitate faciebant discipuli, sed sedulitatis obsequia Domino deferebant ne comprimeretur à turbis. Neque nos Christus insipientes esse cupit cùm ait, Talium est enim regnum cælorum, sed malitiâ paruulos esse, sensu autem perfectos.

EVSEBIVS & THEOPHANES. Quomodo paruuli esse debeamus. Matth. 19, 20. 1. Cor. 14. 20. Matt. 10, 10.

43. Docet autem omnino in nostrâ esse potestate situm, intrare in regnum cęlorum, aut non intrare. Si enim secundū Matthęum conuersi efficiamur sicuti paruuli, & secundùm Apostolum malitiâ paruuli fuerimus: & si receperimus regnum Dei velut paruulus qui non expertus sit malum: ac denique si puritatem, ac inuidiæ carentiam ætatis tenerioris fuerimus imitati, intrabimus in illud. Verùm etiamsi nos ipsos castrauerimus propter regnum cælorum (nisi enim quis omnem turpitudinem & inordinatā passionem ex animâ exciderit, tametsi corporis ætate perfectus sit vir, conuersus efficiatur vt paruulus) hoc autem non fecerimus, sententiâ Saluatoris eijciemur in tenebras exteriores: quoniam nisi hæc fecerimus, non patebit nobis aditus ad regnum. Non autem Dominus ætatis conuersionem, pueritiæ similem esse cupit, sed malitiæ commendat abnegationem, quò in nobis illorum insit simplicitas.

BASILIVS Reg. breuior. 216.

44. Vt excellentiam non quæramus, sed naturæ æqualitatem agnoscamus, & cum ijs, qui quibusdam in rebus inferiores nobis videntur, libenter nos exæquemus. Nam tales inter se sunt & paruuli, qui nondum eorum malitiæ cum quibus versantur, assueti sunt.

ANNOTATIONES.

VERS. 16 TALIVM EST ENIM REGNVM DEI.] S. AMBROSIVS *ad hunc locum in Catenâ aureâ*, Non ætas, *inquit*, præfertur ætati: alioquin obesset adolescere.

Cur pueri apti sint regno Dei.

Cur ergo pueros dicit aptos esse regno cælorum? Fortasse quia malitiam nesciant, fraudare non nouerint, referre non audeant, scrutari ignorent, opes, honorem, ambitionē non appetant. Sed non ignorare ista, virtus est, sed contemnere: non enim virtus est non posse peccare, sed nolle. Non igitur pueritia, sed æmula puerilis simplicitatis bonitas significatur.

BEDA *ibidem*, Vnde, *inquit*, signanter dixit, talium, non istorum: vt ostenderet non ætatem regnare, sed mores, & his qui similem haberent innocentiam & simplicitatem, præmia repromitti.

Quomodo vir possit ac debeat instar pueri fieri.

ORIGENES *Hom. 5 in cap. 18. Matth. quomodo vir instar pueri fit explicans, ait:* Si quis vir constitutus, vsque eò mortificauerit viriles concupiscentias suas, in spiritu mortificans corporales actus, & semper mortem Iesu circumferens in corpore suo, vt puer qui muliebria nondum tentauit, nec sensit motus viriles; iste talis conuersus factus est sicut puer: & quantò ampliùs appropinquauerit pueris, recedens ab huiusmodi motibus, tantò ampliùs ceteris continentibus, & ad profectum continentiæ ascendere non valentibus, maior habetur. Quod autem propter muliebres passiones dictū paruulis est, hoc ipsum dicere conuenit & in ceteris passionibus, & languoribus, & ceteris infirmitatibus animæ, in quas omnes pueri non incurrūt, priusquam sciant absolutum proferre sermonem, vtputa, vt conuersus quis, fiat sicut paruulus puer in irâ, cùm sit vir; & sicut est paruulus puer ad tristitiam, qui interdum in tempore mortui patris, vel matris, vel alicuius amici ridet, & ludit, talis fiat vir habitudinem puerilem circa tristitias repellendas perfectioris animæ ratione commutans, similiter dices circa extollentias, quibus irrationabiliter extolluntur homines qui non sunt Dei, quas pueri non patiuntur; nec qui conuersi fuerint sicut pueri. Et nulla pænè passio cadit in pueros antequam absolutè incipiant loqui. Si autem nulla, manifestum est, quia nec timor, nisi fortè secundùm existimationem ceterarum passionum leuis & transitorius. Pueri enim malum timorem non patiūtur, vtputa si quis puero comminetur ne mammam petat, vel ne ploret, quidem terretur, sed timor eius stabilis non est. Si autem quis se humiliet se sicut puer: nec enim magnum aliquid sapere; neque iactantia generis, vel diuitiarum, vel aliarum rerum quæ existimantur bonæ, non autem sunt, cadit in puerum. Si quis ergo vir habitudinem quam habent pueri ex ætate, in se ratione susceperit, expellens ea quæ mouent insensatos, factus est sicut puer, non se extollens in honoribus, neque efferens se in diuitijs, neque eleuans se claritudine generis; iste talis suscipiendus est & honorandus in nomine Iesu, quoniam præcipuè in talibus est Iesus.

VERS. 17. Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

BASILIVS Reg. breu. 217.

45. QVOMODO regnum Dei accipiemus vt paruulus? Si tales fuerimus erga doctrinam Domini, qualis est paruulus in percipiendis disciplinis: qui non contradicit, neque aduersus præceptores se disputando defendit, sed tradita sibi præcepta cum fide atque obedientiâ suscipit.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 19. Hom. 64.

46. Puer his qui dolorē intulerunt nullas vltionis vices reseruat, & quasi nihil actum esset velut ad amicos accedit. Et quamuis à matre vapulat, tamen eam quærit, nec vltra necessitatem aliquid quærit, sed cùm lacte repletus fuerit, statim mamillam relinquit. Puer non dolet pecuniarum aliarumque rerum iacturam, sicut grandiores, non venustas formas corporum admiratur.

VERS. 18. Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo? Matth. 19 16.

CYRILLVS

47. PRINCEPS autem qui hîc vt acutus ac suspicax introducitur, putabat se Christum posse capere, dum vituperaret,

Moysaicum præceptum, & sua statuta introduceret. Accedit itaque, & bona verba dare incipit: nam Magistrum, & bonum eum nuncupans, dicit se velle doceri.

CHRYSOSTOMVS in Matth. c.19 Homil.64. 48. Vel potiùs habendi quidem cupidum atque auarum hunc non negauerim, cùm vt talem ipsum Christus redarguerit: subdolum autem & simulatorem numquam dixerim.

BASILIVS in Diuites auaros, Hom. 2. Et hoc quidem notandum, quòd non idem sit cum legisperito de quo apud Lucam scribitur. Ille enim tentator erat, simulatorias & plenas ironiæ proponens interrogationes: hic autem salubriter quidem interrogans, non fuit se persuaderi. non enim tristis abijsset propter responsa Domini, si despiciendo interrogasset.

VERS. 19. Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.

Exo.20, 13. 20. Mandata nosti: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum & matrem.

CYRILLVS *Quomodo Christus bonus.* 49. NON sustinebit fortassis rectũ huius loci sensum, qui Arianæ impietatis est particeps, dicens: Ecce vt manifesto de illo negetur bonitas, apponatur autem soli Deo Patri illam conuenire. Nam si, inquit, Patri erat coessentialis, & ex eo secundùm naturam genitus, quomodo non fuit etiam ipse bonus sicut Deus? Verùm ipsis respondendum quòd cùm omnis recta sanaque doctrina Filium Patri coëssentialem tradat, Matth.7, 17. quomodo non est bonus, cùm sit Deus? Non enim potest arbor mala bonos fructus Luc.6, 43. facere, neque ex dulci fonte insuauis fluuius promanat. Dei igitur boni bonus fructus est Filius, & sicut imago genitricis, pulchritudinem in propriâ ostendit naturâ.

TITVS. 50. Bonus quippe bona ex bono genitura, Patris boni bonus Filius, & quidem maximè bonus: nam bonitas ex bonitatis fonte promanauit.

THEODORETVS Ioan.10. & 14 51. Et audebit adhuc quispiam dicere Filium non esse naturâ suâ bonum, cùm audiat ipsum dicere: Ego & Pater vnũ sumus, &, Qui videt me, videt & Patrem meũ. Verùm est imago: sed Patris, atque per hoc & ipse bonus, sicut & Pater. Quomodo igitur, sicut & ipse dicit, vnus tantum bonus est? videlicet per identitatem essentiæ, quâ tota Trinitas in vnam Diuinitatis naturam conueniés vna est, atque adeò ipsa diuina essentia propriè est bona. Qui igitur Dei Verbum naturale, tam arcto vnitatis vinculo cum Patre colligatum, aut factura sit aut creatura? Etenim illi oppugnatores Christi, de Diuinitate Filij disceptantes, & aliquam quærentes diuisionem, quâ ipsum naturaliter à Patre distinguant ac separent, abusi sunt quibusdam vocibus humanis, quas Dominus protulit postquam carnem nostram induit, & homo factus fuit, vt sicut homines per carnis dispensationem & comederet & loqueretur.

52. Cùm autem dicatur, Nemo bonus nisi vnus Deus, ostédemus quòd illud Vnus Filium à Patre non separet. Etenim in alijs quidem omnibus τὸ Vnum inconiunctam habet significationem, de Patre verò & Filio dictum (cùm vna sit vtriusque natura) vnum ab altero non excludit. Ego enim, inquit, & Pater vnum sumus. Si igitur vnus quidem bonus, & hæc vnitas in Patre & Filio reperiatur, certè Dominus pronuntians vnum esse bonũ, se quoque sub vnius significatione contentum, bonum esse testatus est, quippe qui vnus sit cum Patre indiuisibili prorsus vnitate naturæ. Aliter verò sermone non de Verbo Dei habito, consequenter etiam ex humanâ naturâ responsio sumitur, duplicem Principi adferens instructionem. Docet enim ipsum vt Deo præceptorum obseruatione, & non nuda verborum laudatione seruire conueniat, & vt humana natura per peccatum deprauata, propriâ ad bonum propensione sit abusa. NYSSENVS

Ioan.10, 30. *Vna solum & vnus de aliqua persona Diuina dicta, quomodo accipienda sit*

53. Simpliciter autem dicendum, quòd veniens Filius, non seipsum sed Patrem glorificarit, ita verba faciens ad eum qui ipsum conueniebat: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. Seipsum enim hominibus connumerans, secundùm carnem suam hoc dixit, & ad mentem se conuenientis respondit. Ille enim exilem illum homuncionem existimabat, & non Deum. Et illum sensum habet responsio: nam si quidem, inquit, nudum me esse hominem arbitreris, & non Deum, ne me dixeris bonũ; (nemo enim bonus:) non enim humanæ naturæ per se ac per modum differentiæ bonitas competit, sed soli Deo. Posteà verò subiungens, Sequere me, clarè ostendit sibi quoque competere bonitatem. Qui enim bonitatem non sequitur, quomodo vitam æternam hereditare queat? ATHANASIVS cont. Arian.

54. Illa auté Christi verba, Nemo bonus, eò spectabant, vt tentatori legisperito, qui bonitatem ipsi tamquam homini tribuebat, occurreret. Summè enim bonum esse, inquit, solius Dei est: tametsi hoc quoque nomine homo nuncupetur. Vt illud: Bonus homo de bono thesauro profert bonum. Et Deus ad Saulem de Dauide verba faciens, Dabo regnum tuum meliori te: tum illud, Benefac Domine bonis: ac denique ea id ge- NAZIANZENVS de Filio. Matth.12, 35. 1 Reg.15, 28. Psal.124, 4

nus

nus omnia, quæ de his dicuntur qui hominum laude ac prædicatione florent, ad quos primi illius boni riuus secundario cursu dimanauit.

Basilius ad Amphilochium.

55. Illud Nemo videtur certò dictum generali notione, ita vt ne persona quidem vlla excipi videatur. At non esse ita accipiendum, vsu ipso Scripturarum deprehendimus.

Matth. 19, 17.

Nam dictum est, Nemo bonus nisi solus Deus: at nequaquam eo loci se Filius statuit extra omnem boni numerum & rationem,

Matth. 11, 27.

cùm istud diceret: sed cùm Pater sit primum & principale bonum, credimus secundo loco dici bonū, cum Nemo ad Primum subauditum referatur. Item illud, Nemo nouit Filium nisi Pater, non illo sensu dicitur, quasi

Marc. 13, 32.

vellet intelligi, ignorantiam de Spiritu sancto prædicari: sed Patrem ante alios, & inprimis naturam suam docet & testatur intelligere. Ad eumdem modum illud, Nemo nouit diem, non aliud subindicat quàm rerum cùm præsentium tum futurarum scientiam Patri imprimis adscribendam, primamque omnium causam Patrem esse ostendit.

Pattio de Decalogo. Adulterium quantum malum.

56. Adulterium peccatorum est grauissimum: fontem enim habet amorem voluptatis, quæ & corpus atterit, & robur animi resoluit, & rem familiarem absumit, quidquid attingit more ignis adurens, & nihil saluum relinquens in vitâ hominum. Hæc adultero persuadet, vt non solùm ipse peccet, sed & alios in nefariam culpæ societatem adsciscat. Percitus enim hoc œstro non potest solus explere cupiditatem, sed opus est omnino vt duo sint, alter quasi magister nequitiæ, alter discipulus rei turpissimæ. Nec enim solum corpus mulieris impudicæ vitiatur, sed si vera fateamur, multò priùs animus assuescit malis moribus, discens omnibus modis maritum auersari atque odio prosequi: quod tamen malum leuius multò esset, si non dissimularetur. Nam quæ sunt in propatulo, faciliùs cauentur. Nunc verò vix vllus suspicioni locus relinquitur, adeò se malis artibus celat, & obumbrat, ne deprehendatur, plerumque præ se ferens affectum contrarium, & mirificis præstigijs opinionem amoris sibi concilians. Eadem certè operâ subuertuntur tres familiæ. Is cuius coniugium violatur nuptialia vota perdidit, & spem prolis legitimæ: nec minus incommodi accipiunt reliquæ duæ domus, adulteri & adulteræ, quandoquidem ambæ repleantur dedecore, contumeliâ, probrisque turpissimis. Quòd si numerosæ fuerint istæ familiæ, multis cognationibus affinitatibusque implicitæ, totam ciuitatem accendet hoc flagitium, obambulans per ora ciuium. Permolestum est enim dubitare de liberis: & quoties parum integrè seruatur vxoris pudicitia, verus pater certò cognosci non potest. Itaque dum res in obscuro latet, adulterini pro legitimis subrepunt, alienatum familiarum sinceritatem deprauant, hereditatem, vt tunc videtur, paternam, alioqui nihil ad se pertinentem, vsurpant. Et adulter postquam illusâ muliere feruentem libidinem despumauit, & nefariam expleuit cupidinem, abit, læsi mariti ignorantiam ridens: at ille tamquam cæcus nihil de fraude domesticâ sciens, ex infensissimis sibi hominibus natos, vt propriam sobolem indulgenter habebit. Quòd si iniuria detegatur, miserrimi erunt, licet insontes pueri, in neutro accensendi genere, nec mariti nec adulteri. Cùm tales ex illegitimo concubitu proueniant calamitates, non mirum est si adulterium res probrosa & Deo inuisa primum inter p[...]ta locum obtineat. Vnde primum etiam 1.
mandatum est, Non mœchaberis: quia, vt opinor, vbique terrarum voluptas plurimum pollet, ita vt nihil vel in terrâ, vel in mari, vel in aëre, eius effugere potentiam queat. Terrestribus siquidem, volucribus, aquatilibusque animantibus libenter imperata facientibus imperat, quæ adeò etiam eius nutus obseruant, vt arrogantes superbosque fremitus, idque cupide mirificâ ministerij celeritate præuertant. Naturalis tamen etiam voluptas ob immodicos vsus in reprehensionem incidit: vti lurcones insatiabiles, etiamsi à vetitis cibis abstineant; sic vxori plus æquo lasciuiæ indulgentes, tametsi ab alienis sibi toris temperent. Verùm hæc culpa est corporis magis quàm animæ, vt vulgus putat, dum internus calor absumptis alimentis, è proximo humorem aliū attrahit, cuius fluxus in genitalia deriuatus, pruritus titillationesque inquietas excitat. Ceterùm qui in vxores aliorum, interdum & amicorum insaniunt, & in damnum proximorum viuendo familias numerosas adulterare conantur, coniugialiaque vota irrita facere, & spem posteritatis abrumpere, insanabili morbo animæ laborant, vt publici generis humani hostes capite plectendi, ne impunè plures domos contaminent, néve alijs nequitiæ, quæ facilè imitatores inuenit, exemplum fiant. Secundum autem præceptum est, Nō occides. Cùm enim gregalem 2.
Homicidium malum.
ac compascuum mansuetissimum natura hominem edidisset, ad consensum societatemque inuitauit, dato eis sermone quo conciliarentur magis, & moribus inter sese conspirarent. Eapropter quisquis alterum occidit, sciat se naturæ ad publicam omnium vtilitatem conscriptum ius fasque subuerte-

re, feseque sacrilegij reum esse, re sacratissimâ e Dei possessione sublatâ. Nihil enim homine aut religiosius est aut Deo similius; qui propter mentem diuinitus acceptam, propius quàm vlla terrestris natura, ad felicis illius sempiternæque ideæ imaginem accedit.

Homicida occidendi.

Quamobrem quilibet homicida confestim pro impio sceleratoque habendus est, & ob impium nefariumque scelus perpetratum vt maleficus è medio tolli debet. Plurimas autem mortes meritus, cùm pluribus eum naturâ affici minimè patiatur, vnicâ se exsoluit. Nec iniquum videri potest, si quod prior fecit, idem & ipse patiatur. Quamquam idem non sit, quod tempore, facto, proposito, personaque distinguitur. Nam iniuria lacessere, prius est quàm vi vim repellere. Et homicidium res iniustissima est, sicut è diuerso iustissima homicidæ supplicium. Homicida explet suam concupiscentiam patrato facinore: occisus verò, cùm è medio sublatus sit, nec iniuriam potest reponere, nec ex vltione capere voluptatem. Ille suâ manu impetit ex insidijs: alter interfectori suo nihil aut officere potest aut nocere, nisi cognatis amicisque ex commiserationis affectu propugnantibus. Primùm quidem lex nos vult corrigere à peccatis in quæ faciliùs labimur, quale est adulterium; deinde internum & nobis naturalem ignem extinguere, homicidium prohibens: ira enim fera pessima est. Postrema verò illa ponit quæ rariùs contingunt, dicens, Non furaberis, Non loquêris falsum testimonium.

3. Furti malum.

Tertium autem præceptum est, non furtum facies. Qui enim alienis inhiat, hostis publicus, voluntate omnes quotquot potest, spoliat, cupiditatem longissimè extendens, viribus autem deficientibus contrahens, vt ad paucos perueniat. Fures itaque potestatem adepti, integras depopulantur ciuitates, supplicijs contemptis, quoniam videntur sibi legibus potentiores. Hi sunt qui habent à naturâ insitum paucorum dominationis desiderium. Et dynastias tyrannidesque appetunt, qui magna furta committunt, speciosis principatus imperijque nominibus latrocinia tegentes. Proptereà statim discant pueri à furtiuis lucris etiam minimis manus abstinere, quia diuturna consuetudo fit naturâ potentior: & ni malum in ipso ortu opprimas, in immensam excrescit magnitudinem.

Basilius in Isa. 1.

57. Non tantùm marsupicidas sentiendum est esse fures, aut qui in balneis lauantes spoliant indumentis; quin etiam fures censendi sunt, quibus ductandi exercitus demandata est prouincia, aut certè ij qui assumpto principatu ciuitatum & gentium clanculùm quidem suppilant, quæ autem ad Rempublicam attinent extorquent vi. Eorum autem furti particeps est, qui cùm eos arguere deberet, manum facile accipiendo muneri supponit, quique tales beatos prædicat. Conuenit nos sanè dispares illas mundi totius salebras calcibus proterere, deque eo conceptas imaginationes contemnere, cùm paruos fures tribunalibus exhibitos à magnis istis furibus plecti videamus. Et domesticos quidem famulos ob qualiacumque furta odio prosequimur, istos autem suspicimus. Ac vernaculos quidem, quòd fures vtcumque sint auersamur, illos autem iudices, quòd per furta opulentiores euaserint, attoniti demiramur.

Magni fures honorantur, parui suspenduntur.

Philo Falsum testimonium quartum malum.

58. Post vetitum furtum, mox vetat falsum testimonium, non ignarus, falsos testes multis magnisque sese implicare criminibus. Primò enim sanctam violant veritatem, quâ nihil est in rebus sacratius, solis in morem illustrante negotia, ne quid eorum in obscuro lateat. Prætereà rerum notitiam quasi nocte quadam atque caligine tegunt, iniustos adiuuant, & iniuriam patientibus aduersantur, dum quæ nec viderunt, nec audierunt, nec cognouerunt, se certò scire, & probe tenere asseuerant. Addunt & tertium peccatum peius prioribus. Quoties enim desunt argumenta, aut probationes quæ ex scripto fiunt, ad testes recidit controuersia, quorum verba pro regulâ sunt iudicibus sententiam pronuntiaturis. Cùm enim nullum aliud adsit indicium, vt his solis attendatur necesse est. Vnde accidit, vt qui testimonio grauati litem perdunt, iniuriam patiantur, cùm vincere potuissent; & iudices iniquitatis non iustitiæ nomine notentur. Adhæc cum impietate fraus ea coniuncta est: non est enim moribus receptum, vt iniurati iudicent, sed sacramenti religione obstricti, quam tamen impostores magis violant, quàm qui decipiuntur. Quandoquidem hi per ignorantiam labantur, illi de industriâ technis vtantur, & sponte suâ peccent, & suffragia corrumpant, vt interdum ab inscijs mulctentur, qui nullam pœnam meruerunt. Hæ sunt opinor causæ propter quas falsum testimonium prohibetur.

Tyrus.

59. Existimabat itaque Princeps ille, Christum propria prolaturum, absconsurum verò vetera, & tyranni instar antiqui Testamenti doctrinam aboliturum. Sed Dominus vt Moysis præcepta, etiam sua esse, & in pretio habenda ostendat, ait illi: Mandata nosti. Non veni soluere legem & Prophetas, sed adimplere. Sed vide, vt in non agendo præcepta consistant: quoniam si mœchatus non fueris, castus es: si non fureris, beneuolus, si falsò non testeris, veridicus. Attende virtu-

Matth. 5, 17.

Præcepta Dei pleraque negatiua & facilia. Idem.

virtutem iam facilem per bonitatem ſtatuentis. Non dixit, Fac hæc aut illa; neque difficilia præcepta ingeſſit, ſed mali fugam.

60. Illud autem, Vende omnia quæcumque habes, & da pauperibus, & quæ ſequuntur; opera ſunt athletæ Chriſti digna, quæ animos generoſos decent: hæc ſiquidem faciliùs ad perfectionem nos perducunt.

Geometra.

61. Refutatur autẽ in hoc ſermone Marcioniſtarum ac Manichęorum amentia, qui legem à Chriſto alienam eſſe dicunt: nam Marcus ait: Ieſus autem intuitus eum, dilexit eum. *Marc. 10, 21.* Non vtique dilexiſſet eum, qui de alienæ legis adimpletione ſeſe iactitabat. Sed mouebit hic aliquis quæſtionem, quomodo adamatus fuerit, qui non erat ad vitã ipſum ſecuturus. Eſt vtique pro prioribus dignus dilectione, qui legem ſeruauit, ſed perfectionis neglectus dilectionem quæ fuit, augeri & ad perfectionem peruenire non ſinit.

Philo de Decalogo. Parentum contemptus quantum malum.

62. Qui itaque parentes negligunt, vtriuſque partis hoſtes exiſtũt, tum eius quæ Deo, tum eius quæ hominibus placere ſtudet. Quapropter pro duobus tribunalibus quæ ſola ſunt naturalia, damnatos ſeſe intelligant, impietatis nimirum in diuino, quòd ſecundos vitæ ſuæ poſt Deum auctores ex officio minimè tractarint; inhumanitatis verò in humano. Cui enim facient benè, qui proximos optimè de ſe meritos vilipendunt, & illos quidem quibus nulla niſi inferior acceptis beneficijs referri gratia poteſt? Quomodo enim genitorem ſuum natus gignere viciſſim queat? quam prærogatiuam omnino eximiam natura dedit parentibus, numquam à liberis compenſandam? Quare fuerit prorſus indigniſſimum, ſi illi qui ne omnibus quidem officijs poſſunt gratitudini ſatisfacere, grauentur præſtare vel minima. Imò verò tales mihi brutis animãtibus gratiarum retaliatione multum cedere videntur. Ciconiarum ſiquidem ſeniores volandi impotes, nido ſe continent: ex his prognatæ terrâ marique volitant pabulatum, ac parentibus cibos adferunt. Sic illæ vt earum ætatem decet, & quiete fruuntur & copiâ: iuniores verò laborem comportandi ſolantur pietate, ac ſpe viciſſim gratiæ à ſuis in ſenectute recipiendæ, interim quod tempus poſtulat debitum perſoluentes. Ac tali illæ ratione & implumes natos, & effetos nutriunt parentes, inſtinctu naturæ tam pullis quàm decrepitis parentibus, mutuum alacriter præſtantes officium. An non dignum igitur ſit vt obuoluant faciem præ pudore homines parentum contemptores, & ſuam damnent incuriam in re quæ vel ſola erat curanda, vel certè ante alias, præſertim cùm non tam conferatur, quàm beneficium referatur? Filiorum enim nihil eſt proprium, quod non parentibus debeant, à quibus vel acceperunt, vel in acquirendo adiuti ſunt: parentes enim Deo in gignendis liberis ſubminiſtrant. Ceterùm qui miniſtrum ſpernit, ſpeuit & principem. Et ſunt qui audaciùs numen parentum exaggerantes, aiunt patrem matremque conſpicuos deos, Ingeniti illius in fingendis animantibus imitatores, hoc vnu differre, quòd Deus ſit mundi genitor, hi vero tantummodo filiorum; nec poſſe fieri vt pius ſit erga illum inuiſibilem, qui erga hos conſpicuos ſit impius. Hæc de honore parentum lex philoſophata eſt.

Ciconiarum in parentes pietas.

Athan. in Apologiâ de ſuâ fugâ.

63. Verùm Phariſæi non credebant ea quæ Sacris litteris continentur diuinitus eſſe inſpirata. Si enim ijs fidem adhibuiſſent, non tanta temeritate ijs refragati fuiſſent. Nam cùm iuſſum eſſet à Deo, Honora patrem tuum, & matrem tuam; qui verò patri aut matri conuitium dixerit, morte moriatur: *Exo. 20, 12* huic legi derogare voluerunt, honorem in contumeliam vertentes, & argentum quod ad parentes ſpectabat, ſpecie quadam permutationis auertebant. Obſerua autem hic, quòd lex vbi ceſſationem à malis præcipit, nulla eam rectè obſeruantibus præmia propoſuerit. dicens enim, Non mœchaberis, Non occides, non appoſuit remunerationem: vbi verò operationem boni iubet, dicens, Honora patrem tuum, & matrem tuam, mercedem adiunxit, ſubiungendo, Vt tibi benè ſit. Non enim otiantes, ſed ſtrenuè laborantes præmia manent. Illa ſiquidem præcepta lex præſcribit, pro his verò Chriſtus venit vt vitam conſequamur æternam, cui humanæ vitæ ſpatia comparata breuiſſima ſunt ac parua. Ac in præſenti quidem vitâ æqualia ſunt pro rerum commutatione commercia, nec maiora recipit ab emente qui vendit. Promiſſio autem vitæ ſempiternæ vili pretio comparatur. Scriptũ eſt enim: Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus octoginta anni. *Pſal. 89, 10* Quando ergo ſeptuaginta aut plures annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore, aut centum annis regnaturi ſumus in futuro, ſed pro annis prædictis omnium nobis ſæculorum regna tribuentur. Non terram hereditabimus, ſed cælum, corpus quoque corruptibile relinquentes, idipſum cum incorruptione recipiemus. Nemo cùm aſpexerit mundum, arbitretur ſe ingẽtia reliquiſſe, quia omnis terra ad cęlorum immenſitatem comparata breuis eſt ac parua. Si ergo totius mundi dominium habentes, vniuerſo orbi renuntiaremus, nihil adhuc cæleſtibus regnis condignum præſtaremus (vt enim ſi quis vnam drachmam æream contempſerit

Parua ſunt temporalia quæ relinquuntur pro quibus æterna bona recipiuntur.

ad

ad drachmas centum aureas conquirendas; ita qui totius orbis dominium derelinquit, pauca deserit, & centuplo plura recipit.) Si itaque ne tota quidem terra cælo digna, qui ergo exiguum agrum, vtpote rem nihili deserit, minimè gloriari, vel tœdio affici debet. Dominus verò legis præcepta Principi proposuit.

VERS. 21. Qui ait: Hæc omnia custodiui à iuuentute meâ.

22. Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc vnum tibi deest: omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.

CYRILLVS 64. PVTABAT versutus ille atque ad malum promptus, eum (tametsi Deus esset) quem rogauerat, facilè responso suo posse capere. Verùm Dominus ipsum, tametsi peruersum, non repulit, sed ostendit, quòd si aliquis vetus Testamentum peregerit, perfectus non sit, sed adhuc desit illi sequela Christi. Quæris, inquit, quomodo possidenda sit vita æterna. Accipe responsum; sparge facultates pauperibus, & obtinebis illam: parua sunt quæ impendis, magna quæ recipis.

NAZIANZ. in Sulitentica. 65. Nostræ enim legis præcepta quædam adiunctam habent necessitatem, & non custodientibus pœnam imponunt: quædam verò nullam adferunt necessitatem, sed libertati nostræ relinquuntur, ac custodientibus quidem honorem ac retributionem, sed non custodientibus nullam pœnam decernunt. Et hæc ad virtutis culmen prouehunt, adeoque & optima & perfectissima sunt. *Non omnia mandata æquè obligant.* Cùm autem humana mens rerum diuinarum sit capax, ac alij quidem nullâ, magnâ alij, non pauci etiam mediocri sint bonitate præditi; propterea quædam huiuscemodi præcipit quæ non sunt omnium, sed nec iudicat illos qui talia non obseruant. Quemadmodum enim qui non est dignus supplicio, non continuò præmium meretur: sic nec is qui non est dignus præmio, continuò meretur pœnam. Neque etiam omnes ad summum virtutis fastigium vocat, sed prout humanarum virium terminos constituit, sic & opera virtutum exigit.

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Tit. c. 3. 66. Nam quæ agenda sunt, alia sunt in nostrâ potestate, alia non. Et ea quidem quæ imperans dicit, non in nostrâ potestate sunt; quæ verò permittit, in nostrum ius cadunt: puta, Si quis dixerit fratri suo, Fatue: & illud, Vbi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, reconciliare illi; hoc imperium est, & eum qui præuaricatus fuerit, necesse est supplicijs subdi. Cùm verò dicit: Si vis perfectus esse, vende quæ habes; & iterùm, Qui potest capere, capiat; non iam imperantis est, quippe auditorem constituit dictorum dominum, & quæ agenda sunt in eius arbitrio ac voluntate ponit. Hæc enim facere & omittere, in nostrâ potestate est: verùm quæ imperantur omittere minimè tutum est, sed necessariò aut ea facienda sunt, vel si non fecerimus, nobis supplicium imminet.

(Matt. 5, 22. Ibid. v. 23. Matth. 19, 21. Ibid.)

MACARIVS. 67. Ac iuxta hæc eleëmosyna quidem obligationis, voluntaria verò paupertas opus est supererogationis. Cùm enim imperando dicat, Date eleëmosynam, colligimus non contemptim cum pauperibus agendum, sed cuncta prudenter dispensanda esse, maximè quidem si facultates suppetant. Dandum est igitur cum multá probatione rerum dictarum aliquod experimentum, quò nos fideles ac prudentes dispensatores præbeamus.

BASILIVS in Ascetic. 68. Quemadmodum Dominus accedentem ad se diuitem, de præteritâ vitâ primùm percontatus est, deinde vbi quantum profecisset cognouit; quod ad perfectionem illi deerat, adimplendum mandauit, & sic demum vt se sequeretur permisit: ita videlicet & nos conuenit primùm præteritam vitam eorum qui ad nos accedunt, cognoscere; & ijs quidem quibus iam aliquid perfectum est, perfectiorem doctrinam tradere, eos verò qui vel ex malâ vitâ mutatâ sententiâ, vel ex indifferenti ad exactam diuinæ cognitionis conuersationem adspirant, examinare, & quibus sint moribus præditi dijudicare, ne forsan sint instabiles, & ad iudicandum mobiles. *Ad perfectionem adspirantes quomodo probandi sint.* Nam tales plerumque de animi mutabilitate sunt suspecti, qui non solùm nihil vtilitatis sibiipsis acquirunt, sed & alijs nocumento sunt. Etsi autem incurios illos esse contigerit, non statim de illis desperandum est, sed competentibus exercitijs applicandi sunt, vt temporis diuturnitate, & molestiâ iniuncti operis, iudicium & experimentum de illis sumi, & si solidi deprehendantur, securè admitti; sin minùs, adhuc extranei repudiari queant; ita vt talium tentatio nihil detrimenti adferat fraternitati. Generalis autem erga quosuis probandi modus sit, an ad omnis generis humilitatem citra verecundiam appositi sint.

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Philipp. 69. Obserua autem hic, quòd dicens Dominus, Vende quæ habes, & da pauperibus, subiunxerit secundum, Et sequere me, quasi ex venditione Christi sequela pendeat.

CYRILLVS. 70. Ac omnes quidem qui res huius vitæ deserunt, aut propter regnum futurum, aut ob multitudinem peccatorum, aut propter amorem Dei id faciunt. Sin secus, irra-

tionalis

tionalis ac stulta omnino horum desertio est.

Basilivs Reg brev. 92. *Diuitiæ per se non sunt malæ.*

61. Verùm non suapte naturâ facultates nocent, nec eâ mente vendendæ sunt. Nam primò quidem si quidquid est facultatum, in seipso esset malum, non esset creatura Dei. Deinde, præceptum Domini non docuit abijcienda esse illa tamquam mala, fugiendáve ea quæ possidemus, sed distribuenda. Nec condemnatur quisquam quòd ea habuerit, sed malè circa illas affectus fuerit, aut quòd illis non benè sit vsus: siquidem si quis ea rectè dispensauerit, & à peccatis se mundabit, & regnum cælurum emet.

Chrysost. in 1. ad Cor. 13. Hom. 32.

72. Quomodo cùm hæc vtraque Christus dixerit esse perfectionis, videlicet, dare pauperibus omnes facultates suas, & animam propter ipsum perdere; Paulus absque charitate hæc dicit esse imperfecta? nónne ei aduersans aut reclamans? Absit: sed ei valdè consonans & consentiens. Nam diuiti non dixit solùm, Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, sed & subiunxit: Veni, & sequere me. significans, sequelam ex charitate procedere, nec quidquam magis euidenter Christi discipulum ostendere, quàm

Ioan. 13, 35 mutuam dilectionem. In hoc enim, inquit, cognoscent omnes quòd discipuli mei estis, si dilectioné habueritis ad inuicem. Quando

Luc. 9, 24. autem dicit: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam; non hæc negat charitate comparari, sed mercedem laboribus istis propositam ostendit. Nam quòd coniunctam martyrio charitatem esse velit,

Matth. 20, 23. alibi sæpè innuit, dicens: Calicem quidem meum bibetis, id est martyrio afficiemini, & mactabimini. Sedere autem ad dexteram meam & sinistrá, (per quod prærogatiua & summus honor significatur) non est meum dare vobis, inquit, sed quibus paratum est. Ostendens deinde quibus præparatum sit, vocans ipsos, dixit: Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Humilitatem significans, & exigens charitatem summam. Vnde nec hac quidem constitit, sed subiecit, Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis: sic diligendum esse docens, vt etiam mactari pro fratribus nihil dubitemus. hæc enim summa dilectio est. Hic igitur voluntariam paupertatem diuiti proponit, vt vbi omnes facultates abdicauerit, nullius seruus existat, & cuncta pauperibus erogando, prudenter eleëmosynas distribuat. Cumque reliquæ etiam virtutes cum paupertate coniungendæ sint, subiunxit: Et veni, sequere me; & tamquam diuitiarum amanti thesaurum in cælis promisit.

Vers. 23. His ille auditis, contristatus est: quia diues erat valdè.

73. PRINCEPS autem ille vini recentis capax non fuit, vetus vter existens, sed tristitiâ ruptus est, vitæ æternæ conciliationem non suscipiens. Cyrillvs

74 Vel forte non rectè ipse quæsiuit, sed deliciarum spe. Existimabat enim hîc felicem se fore ac valdè diuitem, vitamque suam quàm longissimè prorogare. Nyssenvs

75. Vbi autem audiuit diuitias deserendas esse, contristatus est. Mentem enim suam vltra vires intenderat, & propterea crepuit, quòd propositū fuisset intentius quàm eius imbecillitas patiebatur. Euangelista autem aduerbio vsus est dicens, quòd erat valdè diues, vt causam tristitiæ demonstraret. Cùm enim non sustineret omnes illas facultates deserere, abijt tristis. Anonym.

76. Verùm enimuerò nihil tibi durum aut graue Magister proposuit. Si enim proposuisset aut agriculturæ labores, aut mercaturæ pericula, vel qualia qui pecunijs student tolerare solent, iure grauatus te poteras excusare, ac consilium despicere. Si verò cùm facilis tibi via, sudoris laborisque vacua, ad consequendam æternæ vitæ hereditatem ostendatur, tantâ salutis facilitate non gaudeas, sed dolens anxiusque discedas: facis vt quidquid boni gesseris, inutile, parumque tibi valiturum sit. Si enim, vt ais, non occideris, non fueris mœchus, non fur, non testis falsus, cur reliquum studium non addis quo solo in Dei regnum poteris faciliùs peruenire? Ac mihi quidem huic adolescenti vel propinquis eius accidisse videtur, quod euenire solet illi qui iter facit ciuitatis alicuius videndæ studio; properatque vsque ad mœnia: ibi reperto diuersorio quiescit, modicumque quod restat viæ ob pigritiam atque desidiam conficere detrectat, simul & toleratum itineris laborem inanem reddens, & spectaculo bonorum quæ videre poterat in vrbe excludens. Tales & huiuscemodi sunt homines, qui cetera quidem mandata obseruant, ad bonorum verò suorū erogationem claudicant. Vidi ego multos ieiunátes, orantes, præteritorum pœnitentiâ suspirantes, omnem denique sine sumptu pietatem ostendentes, egentibus verò ne obolum quidem præbentes. Quid his cetera virtutum diligentia prodest? non propterea regnum Dei consequentur. Propterea inquit Dominus, Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.

Basilivs in Diuites auaros.

In fine quod deficit, totū perdit.

VERS. 24. Videns autem Iesus illum tristem factum, dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt.

25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.

CHRYSOSTOMVS in 1. Ep. ad Cor. c. 13. Hom. 33. 77. AT si non sint, inquit, vtiles diuitiæ, cur datæ sunt à Deo? Et vnde constat, quòd à Deo sit ditescere? Scriptura dicit: Meum est argentum, & meũ est aurum, & cui volo dabo ipsum. Hic nisi rem turpem facerem, profuso nunc risu risissem, eòs qui hæc dicunt irridens; quòd sicut parui pueri Regiâ fruentes mensa, cum illo alimento quidquid inciderit in os intrudant, ita isti quoque cum Scripturis diuinis sua inducũt.

Aggæi 2, 9. Nam illud quidem, Meum est argentum, & meum est aurum, scio dictum esse à Prophetâ: hoc autem, Cui volo dabo ipsum, nequaquam additum, sed ab illis plebeijs inductum. Cur autem illud dictum sit exponam. Propheta enim Aggæus cùm assiduè Iudæis denuntiasset, post illum ex Babylone reditum eâdem formâ templum exhibiturum quale prius fuit, & plerique quòd post cineres & ruinam illam instaurari templum impossibile videretur, fidem verbis non haberent; illorum discussurus incredulitatem ex personâ Dei in ista verba prorupit, quasi dicat: Quid timetis? quare non creditis? Meum est argentũ, meum aurum; nec opus habeo aliunde mutuatis templum exornare. Ne igitur telas aranearum telæ regiæ attexamus.

ANONYMVS. 78. Difficile est, inquit, diuites intrare in regnum cęlorum, quia non nouerunt habere diuitias tamquam non habentes, sed plerumque confidunt in eis. Virtutis itaque difficultatẽ ostendit, quia hæc in diuitijs suis sperantibus impossibilis est.

ANNOTATIONES.

VERS. 25 Quid camelus significet. FACILIVS EST ENIM CAMELVM, &c.] *Quæritur hîc à Patribus & Interpretibus, quid hoc loco camelus significet. Theophylactus per* camelum *intelligit funem nauticum: pro eo enim etiam in Lexicis Græcis* κάμιλος *accipitur. Suidas tamẽ tunc* κάμηλος *per* ι, *non per* η *scribendum putat. Verùm cōmunior & quoque verior sententia videtur, camelum propriè pro animali gibboso accipientium hoc nomine vulgò noto. Ita Syrus, Origenes, Chrysostomus, Hilarius, Hieronymus, & plerique omnes. Vbi nota, Iudæis fuisse prouerbium,* Camelus per foramen acus, *quo vtebantur, cùm significare vellent rem aliquam esse naturaliter impossibilem, atque pro eo etiam Thalmudistæ vtuntur; teste Canisio in Locis noui Testamenti. Quòd autem aliqui cum Magistro Historiæ Euangelicæ per* acum *velint intelligi humilem quamdam portam Ierosolymitanam ita vulgò nominatam, quam camelus ob portæ istius angustias non nisi oneribus depositis transire poterat, passim reijcitur ab Interpretibus, vt videre est apud Barradium lib. 5. cap. 8.*

Mysticè autem S. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. quæst. 47. & S. Gregorius lib. 35. Moralium c. 17. per camelum intelligunt Christum, per acum passionem. Camelus & acus mysticè quid. *q. d. Facilius est Christum pati pro dilectoribus sæculi, quàm dilectores sæculi ad Christum posse conuerti. Hanc autem cameli & acus similitudinem Christus instituit, vt ipsemet declarat, ad ostendendum, quàm difficile sit diuitibus in regnum Dei introire. quam difficultatem pulchrè ob oculos ponit*

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 13 in Epist. 2. ad Corinthios:* Quid in regnum cælorum inducit, diuitiæ vel pauperras? Audiamus illum cælorũ Dominum dicentem; de illis quidem, quòd facilius sit camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. Matth. 19, 24. De pauperibus verò contrà: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis. Si autem volueritis, vtrumque videamus quod dictum est: Arcta est via quæ ducit ad vitam. Matth. 7, 14. Quis igitur vadit per viam angustam? Illéne qui in delicijs, vel qui in paupertate? qui solus, vel qui innumera onera gestat? qui solutus & liber à curis, vel curas & sollicitudines multas habens? Sed dices, Etiam pauperes pereunt, & multi etiam diuites illis ineffabilibus bonis fruentur. Ceterùm contrarium licet videre: nam pauci quidem diuites, multò autem plures pauperes saluantur. Quid in diuitijs salutem reddat difficilem. Considera impedimenta diuitiarum. Primum est superbia mater malorum, & quæ diabolum fecit esse diabolum, cùm anteà non esset talis. Item radix omniũ malorum est auaritia. Quis igitur est propior apud hanc radicem, diues an pauper? Nónne manifestum est quòd diues? Nam quantò quis plus diuitiarum possidet, tantò plura cupit. Nullus pauper tanta operabatur mala propter indigentiam, quanta ditari volentes vt plura habeant, & quæ habent ne perdant. Non enim pauper necessaria sic desiderat, vt diues superflua. Non ita formidat famem pauper, sicut rerum suarum iacturam diues tremit ac formidat, & quòd nondum quidquid alij habent, accipit, &c.

IDEM *explicans ex cap. 19. Matthæi de illo adolescente qui dixit Christo Domino:* Radix malorum auaritia est. Magister quid faciam vt vitam æternã habeam, *ait:* De isto Marcus inquit, quòd accurrens & genuflectens rogabat eum. Verùm tam atrox est pecuniarum cupiditas, vt licet alioquin virtutis simus alumni, nihil tamen diuitiarum appetitione impediti proficere possimus. Quare non iniuriâ Paulus eam malorum radicem appellauit. 1. Tim. 6, 10. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & veni sequere me. Hæc ille cùm audisset, mœrore deiectus abijt; habebat enim possessiones multas. Numquam magnâ voce prædicare cessabo, accessione pecuniarum cupiditatem habendi magis atque magis adeò inflammari, vt rerum copiâ crescente, paupertas quoque augeatur. Nam qui maiori desiderio ardent, egere se magis sentiunt. Perspice igitur quanta huius passionis vis sit. Cùm magnâ diues ille lætitiâ Christum adijsset, ita obrutus fuit, quia eijciendam esse pecuniam audiuit, vt nec respondere quidem potuerit, sed mœstitiâ pressus decesserit.

VERS.

VERS.26. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest saluus fieri?

27. Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

CHRYSOSTOMVS. 79. NON quasi ignorantes hoc Christo dicunt, verùm inquiunt, cùm hæc ita sint, quanam ratione illa fient? nam difficilis hic sermo captum nostrum superat. Hæc autem discipuli dixerunt, non de se, sed de toto mundo timentes.

Diuites plerumque affixi diuitijs. Et quemadmodum Medicus ægrotum terrens, dicit, illum, si frigidâ vsus fuerit, interiturum; sic & Christus inducit quemdam diuitem laborantem, ac vitam salutemque desiderantem, sed qui illam propter nimium erga diuitias affectum minimè consequatur, verùm vacuus discedat. Nam cordis affectione pecunijs plus æquo affixus, & animo illis agglutinatus, ac quasi quid vnum cum illis effectus, noluit à re sibi charissimâ diuelli. Hoc enim maximè molestum est, non secùs ac cùm anima violentè à cognato sibi corpore separatur.

CHRYSOSTOMVS in 2.ad Cor. *Plures pecuniarum quàm libidinis amatores.* 80. Plures reperire est qui pecuniarum quàm qui corporum amore capiantur. Verùm & hic amor & ille pariter absurdus est, quamquam hic illo acrior sit ac vehementior. At inquies, si acrior hic amor est, quî fit vt non omnes hoc malo corripiantur, sed plures ad insaniam vsque pecunias ament? Primùm, quia periculo carere videtur hæc cupiditas. Deinde, quòd etsi acrior sit corporum amor, tamen citiùs quàm ille extinguatur. Quòd si perseueraret vt pecuniarum cupiditas, etiam funditus perderet quem cepisset.

VERS.28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te.

CYRILLVS *Omnia relinquentium merces.* 81. MATTHAEVS addit, Quid ergo erit nobis? Ad hęc dixerit aliquis: Quę omnia dimiserunt discipuli? aut quorum remunerationem à Christo postulant? Quid igitur ad hæc dicemus? hac enim maximè de causâ necessariam fecerunt interrogationem. Siquidem qui nihil aut certè valdè parua possidebāt, cupiunt cognoscere compensationis modum. Verùm Deus qui liberalis est, etiam eos qui paucissima reliquerant, ad regnum cælorum euehit, id est, per sui amorem ad cęlorum regna deducit. Congruè quidem diues cùm multa contempserit, compensationem expectabit; qui verò parua possidens ea abdicauit, quid ei sperandum esset quærere decebat. Illud itaque necesse est dicere, quòd paucis renuntiantes, quaorum spectat ad propositum & obedientiam, pari lance cum opulentis pendantur, paribus vtentes affectibus, dum rerum quas possident, abiectionem vltrò inferunt. Quid autem ad hæc Christus?

VERS.29. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei,

30. & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.

82. CETERVM considerare oportet, quomodo quis omnia deserens, multò plura recipiat in hoc tempore. Eritne igitur plurium vxorum vir, vel pluresne pro vno in hac terrâ patres inueniet? vel ipsius secundùm carnem genus multiplicabitur? Non hoc dicimus: sed quòd relictis temporalibus & carnalibus, multò maiora recepturus sit. Nam & Apostoli cùm pauca dimiserint, multiplicia charismatū dona obtinuerunt, & vbique celebres reputati sunt. Erimus ergo similes illis, quicumque fideles sumus & Christum diligimus. Siquidem si domum quis dimittat, supernas recipiet mansiones: si patrem, Patrem habebit cælestem. si à germanis recesserit, in fratrem hunc recipiet Christus. Cùm dimiserit coniugem, inueniet diuinam sapientiam, ex quâ procreabit spirituales fructus. Inueniet Ierusalem cælestem, quæ est libera, & mater nostra. CYRILLVS *Quomodo sua propter Christum relinquentes recipiant centuplum.*

83. Fortè secundùm communicationem, & non iuxta possessionem est rerum multiplicatarum fruitio; quoniam Saluator ijs qui sub Euangelio militant, omnes fratrum facultates adiecit, ac multas ædes, fratres, matres, liberos & agros recepturos dixit, qui res proprias deseruerint. Nam charitas illis omnia ad rem domesticam vsumque requisita suppeditabit. Adiecit autem Lucas de vxore, non quasi à genere nostro alienæ sint, sed quòd id quod melius est præferatur, & quod nullum Euangelij ministerio impedimētum adfert. Neque etiam domus facultatumque abdicationem, vt rem alienam Christus accipit, sed ne Euangelium administraturi, ijs nimium occupentur & adhæreant. Non itaque putandum est, mulieris nuptiarumque renuntiationem, tamquam rerum malarum desertionem laudari, sed quòd per hoc impedimenta ministro Euangelij submoueantur. Etenim rerum spiritualium prælatio non arguit res corporales à nobis esse alienas, vt Manetis discipuli comminiscuntur, frustrà à Deo creaturas & à conditore facturas alienantes: verùm nos illas indifferentes APOLLINARIVS.

Matth. 19, 22. Marc. 10, 29. Luc. 18, 29.

tes dicimus: quocircà additur, Propter nomen meũ, vti Matthæus; aut, Propter Euangelium, vt Marcus; vel, Propter regnũ Dei, vt Lucas ait: tunc enim virtutem habent à nomine Christi, & Euangelio, ac regno Dei; tumque Euangelium in nomine Christi suscipitur, & Regnum Dei per eiusdem nomen cognuscitur atque acquiritur.

ANNOTATIONES.

VERS. 29 AMEN DICO VOBIS, &c.] *Addit S. Matthæus cap. 19. v. 28.* Quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. In regeneratione, *id est in resurrectione, quæ quia corporis totiusque mundi & hominis erit renouatio, & quasi secunda generatio, rectè hic & alibi sæpè dicitur regeneratio. Ita passim Patres. Per illa autem verba,* cùm sederit, *S. Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus putant significari iudiciariam Christi potestatem, & rectè. Propriè simul etiam significatur Christum Iudicem sessurum, vti & Apostolos, eorumque similes, in thronis videlicet nubium aëreis splendidissimis atque ornatissimis, quemque nimirum iuxta suum meritum, ordinem ac dignitatem. Patet hoc ex Scripturis, quæ hic & in Apocalypsi Christo passim sedem tribuunt. Tum etiam quia sessio Iudicũ communis apud omnes Gentes & quasi naturalis est situs. Quod autem subdit,* Sedebitis & vos super sedes duodecim, *Richardus à S. Victore, Tractatu de Potestate iudiciariâ, & alij, putant hoc solummodò promissum duodecim Apostolis, vtpote primis Christi asseclis. Verùm meliùs alij capiunt numerum definitum pro indefinito, q. d. Quisque vestrûm duodecim sedem habebit, etiam Iudas, inquit Chrysostomus, si in suâ vocatione perstitisset, etiam Apostolorum assecla. Nam Paulus & Barnabas, qui inter duodecim non erant, suas sedes habebunt, & quotquot relictis omnibus Christum pauperes ardenti & perfectâ imitatione secuti fuerint, eiusque regnum & Euangelium propagarint. Ita S. Augustinus lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 5. S. Cyrillus in cap. 60. Isaiæ, S. Hieronymus Epist. 28. S. Bernardus super illud,* Ecce nos reliquimus, *&c. Ad quid autem sessuri sint, clarè explicat, cùm addit id quod sequitur,* Iudicantes; *scilicet non tantùm collatione sui cum impijs, quomodo Matthæi 12. Niniuitæ & Regina Austri dicitur condemnatura Iudæos: neque tantùm approbatione sententiæ Christi; sic enim omnes Sancti iudicabunt: sed honorificentiùs, quasi primores & assessores Regni Christi, & quasi Doctores vitâ & verbo arguentes vel approbantes, quasi secundarij iudices, eos qui doctrinam suam neglexerint, vel docuerint. illos enim decet hæc aureola. Quos autem iudicaturi sint, exprimit:* Duodecim tribus Israel. *Non quasi solos Iudæos sint iudicaturi, vti exponunt Theophylactus & Euthymius, sed sub duodecim tribubus omnes Gentes intelligit. Duodecim autem illæ tribus fuerunt olim populus electus, & designant Ecclesiam Dei etiam tempore Christi, quæ erat regnum Dei promissum. Vnde Gentes quæ in Christum crediderunt, in Ecclesiam hanc, & in populum Iudaicum quasi insertæ sunt ac ciuitate donatæ, vt iam non Gentes, sed Iudæi, hoc est confitentes credentesque appellentur, vt patet Epist. ad Rom. cap. 2, 17, 19. Hinc S. Ioannes Apoc. cap. 21, 12. in portis cælestis Ierusalem vidisse se ait inscripta nomina duodecim tribuum Israel. Nota autem, de infidelibus nihil hic dici: nec enim ipsi iudicandi sunt, quia, vt Ioannis cap. 3, 18. dicitur:* Qui non credit, iam iudicatus est. *Sequitur, quod præter Matthæum & Lucam citat̄ etiam habet Marcus capite decimo, videlicet,* Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, *&c. Vbi notanda est particula disiunctiua* aut, *quia ibi sermo est non de ijs solùm qui sequuntur Christum & omnia relinquunt, sed de ijs etiam qui tantùm aliqua deserunt. Ita sentit* ORIGENES *in Matthæi cap. 19. dicens:* Si quis reliquerit omnia, & secutus fuerit Christum, quæ promissa sunt Petro & ipse recipiet. Si autem non omnia reliquerit, sed quædam quæ specialiter referuntur: hic multiplicia recipiet, & vitam æternam possidebit, *&c.*

Quæ ac qualis sessio super duodecim sedes promittatur, & quibus.

Quomodo & quos Apostoli iudicaturi sint.

Non tantùm qui omnia sed etiam qui aliqua reliquit propter Christum plura recipiet.

IDEM *in aureâ Catenâ, quomodo ea quæ propter Christum reliquit, hic multiplicia recepturus sit, narrat dicens:* Sed in hoc sæculo quia pro fratribus carnalibus multos inueniet fratres secundùm fidem: sic & parentes omnes Episcopus & Presbyteros, & filios omnes ætatem filiorum habentes. Sunt autem Angeli & fratres & sorores omnes quæ exhibuerunt se Christo virgines castas, iam istæ quæ nunc habentur in terris, quàm illæ quæ iam viuunt in cælis. Agros autem & domus multiplices intellige in requie paradisi & ciuitate Dei: super hæc autem omnia possidebunt vitam æternam. *Variè autem illud* centuplum *à Patribus accipitur.* S. GREGORIVS *Hom. 18. in Ezechielem,* Centuplũ, *inquit,* recipiet, quia Deus faciet, vt talis multò magis gaudeat paupertate aut abdicatione suâ, quàm alij suis opibus & commodis. *Sic etiam ferè S. Hieronymus & Beda, alijque accipiunt de bonis spiritalibus, consolationibus, pace internâ & gaudio, alijsque similibus bonis, quæ longè superant terrena magis quam centenarius vnitatem. Verùm quia S. Marcus c. 10. centuplum illud explicat, cùm dixerat, neminem esse qui prædictorum aliquod bonorum propter Christum aut eius Euangelium reliquerit; subdens,* qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitã æternam. *Huic loco conformius Origenes suprà citatus, Theophylactus & Euthymius ad locum propositum, vnà cum Cassiano Collatione vltimâ, centuplum accipiunt, quia scilicet tales alios fideles plurimos, qui eis amo-* 2
rem, opem, & curam fratrum, sororum, vxorum & matrum impendent, experientur. & vt S. Augustinus Epist. 89. quæst. 4. fidelis dominus totus mundus est. Experti sunt hoc Apostoli in feruore primitiuæ Ecclesiæ, Actorum 4. 34. Neque enim quisquã egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat. *Hoc etiamnum boni Religiosi experiuntur. Adde quòd Christus, qui est instar omnium, talibus est pater & mater, & vxor, & omnia. Ita S. Ambrosius in Psal. 118. Serm. 8. vbi comparat eos Leuitis quibus tota hereditas erat Dominus.*

Centuplum quomodo recipiatur.

Nota, S. Marcum addere cum persecutionibus, *id est, in persecutionibus. Hoc enim valdè mirum est, vt tum quando solet destitui homo omnibus auxilijs, sequaces Christi tamen contrarium longè experiantur. Alij verò ita intelligunt illud* cum persecutionibus, *quasi hæc sit pars mercedis eorum, donum enim Dei est pati pro Christo, iuxta illud Apostoli ad Philippenses primo v. 28.* Et in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ

quæ illis est causa perditionis: vobis autem salutis & hoc à Deo: quia vobis donatum est, non solùm vt in eum credatis, sed vt etiam pro illo patiamini.

Ordinem Euangelicæ narrationis, vt cœpimus, prosequendo, hic inserenda est parabola illa de operarijs ad vineam excolendam conductis, quam solus inter Euangelistas sic narrat Matthæus:

SVPPLEMENTVM EX S. MATTHÆI CAP. XX.

VERS. 1. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo manè conducere operarios in vineam suam.

2. Conuentione autem factâ cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam.

3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos,

4. & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis.

5. Illi autem abierunt. Iterùm autem exijt circa sextam & nonam horam: & fecit similiter.

6. Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios stantes, & dicit illis: Quid hîc statis totâ die otiosi?

7. Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam.

8. Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedẽ, incipiẽs à nouissimis vsque ad primos.

9. Cùm venissent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.

10. Venientes autem & primi, arbitrati sunt quòd plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios.

11. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias,

12. dicentes: Hi nouissimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.

13. At ille respondens vni eorum, dixit: Amice non facio tibi iniuriam: nónne ex denario conuenisti mecum?

14. Tolle quod tuum est, & vade: volo autem & huic nouissimo dare sicut & tibi.

15. Aut non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.

16. [n] Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, multi enim sunt vocati, pauci verò electi. [n] Matt. 19, 30. Marc. 10, 18. Luc. 13, 31

SCOPVS *huius parabolæ est ostendere, ex Dei gratiâ, & sine vllâ iniustitiâ fore, vt qui hîc primas tenere visi sunt, in nouissimo die postremas teneant, & contrà, qui hîc nouissimi fuerunt, tunc primi habeantur: atque adeò vt Apostoli atque homines abiecti, præferantur Scribis & Pharisæis: item Gentiles Iudæis, qui tamen primò vocati sunt à Domino vt primas in regno Dei tenerent. Denique filios noui Testamenti præferendos filijs veteris Testamenti qui sub vmbris laboriosissimè seruiebant, quia se iniecerint legi & operibus legis præfisi, falsò hoc regnum sibi debitum arrogabant. Vnde illi ab eo exciderunt: illi verò fidei & gratiæ Christi, quam Iudæi longè vberiorem habuerunt, humillimè se subdiderunt, & strenuè illi cooperati sunt adeoque præ alijs electi sunt ad gloriam. Hunc autem esse scopum patet ex post parabolã v. 16* Multi enim sunt vocati, pauci verò electi. *Et ex Lucæ cap. 13. v. 29. & 30.* Et venient ab Oriente & Occidente, & ab Aquilone, & Austro: & accumbent in regno Dei. Et ecce sunt nouissimi, qui erunt primi, & sunt primi qui erunt nouissimi, *quia nimirum Gentiles cælum ingredientur, Iudæis inde exclusis. Id ipsum etiam insinuat S. Matthæus cap. 5. v. 19. & cap. 21. v. 31. Alioquin enim non potest commodè explicari murmur primorum, quod hîc describitur versu 11. Nam in cælis nullum murmur est, vti nec Domini illa increpatio versu 15.* An oculus tuus nequam, *id est inuidus est, &c.* Scopus parabolæ.

Quæcumque igitur ad hunc scopum parabolæ pertinent applicanda sunt, ceteris quæ instar emblematum sunt omissis. Per vineam itaque significatur Ecclesia; per primò vocatos Iudæi, per deinde vocatos Gentes. Per vesperam dies iudicij extremi, quo singulis assignabitur & adiudicabitur sua merces, vel data in hac vitâ, vel tum danda: per denarium, integra merces diurna. (denarius enim erat quasi statum laboris diurni pretium, & valebat appendebatque, si Plinio & Budæo credimus, drachmã Atticã, id est Regalem Hispanicum plus minùs,) Hic denarius & merces par est & eadem, sed tantùm in genere seu in confuso, quia scilicet est omnibus integra laboris diurni merces. Nam numero, specie & gradu valde dispar est, vnde alij fiunt nouissimi, alij primi. Iudæis enim per tot mundi ætates merces huius vitæ promissa erat temporalis. Filijs vero noui Testamenti vnicâ & vltimâ mundi ætate laborantibus, longè nobilior & omnem laborem superans, scilicet merces vitæ æternæ. Vnde qui erant primi, scilicet Iudæi, in die iudicij apparebunt nouissimi, id est ab eâ remotissimi atque exules; ideoque murmurabunt, vti & hîc contra Christum murmurabant, quòd sibi præferret Gentes in fide, gratiâ, ac promissione regni cælestis. Vnde propter hoc murmur scripsit Apostolus Epistolam ad Romanos. Reliqua parabolæ sunt emblemata. Applicatio parabolæ.

Solet vulgò nonnihil aliter explicari hæc parabola, quasi nimirum Christus velit primos & nouissimos eamdem vitam æternam accepturos, nec obfuturum cuipiam

piam quod in fine mundi vel ætatis suæ venerit, modò maiori gratia, maiori feruore & labore cooperetur. Verùm, vt ex dictis patet, non videtur id Christus hic primariò & directè intendere. Non incommodè tamen potuit hoc secundariò intendisse: nam in quibusdam parabolis præter id ad quod primo ac principaliter assumuntur, Christus secundariò mysteria aliqua vult insinuare, quasi sensu allegorico, vt etiã patet Lucæ 10. v. 30. Hoc modo itaque per diem rectè intellexeris decursum mundi, & tempus per horas, primam scilicet ab Adam vsque ad Noë, tertiam à Noë vsque ad Abraham, sextam ab Abraham vsque ad Moysen, nonam à Moyse vsque ad Christum, vndecimam à Christo vsque ad finem mundi. Ita Hilarius, Auctor Imperfecti, Gregorius, Theophylactus, Beda, aliíque. Tropologicè vero dies est vita cuiusque ætas, cuius hora prima est infantia; tertia, pubertas; sexta, ætas virilis; nona, senium; vndecima decrepita ætas. Ita S. Basilius in Regulis breuioribus, Interrogatione 224. sanctus etiam Hieronymus, Euthymius, & alij. Quasi hic Christus cuique iniiciat aculeum, & ei qui citò venit, ne torpore suo alijs postponatur; & ei qui tarde venit, vt feruore tarditatem compenset, ac primos æquet, vel superet. Hisce conformiter

Vocatio Dei non procrastinanda.

S. AVGVSTINVS *Serm. 59. de Verbis Domini, sic ait:* Tamquam primâ horâ vocantur qui recentes ab vtero matris incipiunt esse Christiani; quasi tertiâ, pueri; quasi sextâ, iuuenes; quasi nonâ, vergentes in senium; quasi vndecimâ, iam decrepiti: vnum tamen vitæ æternæ denarium omnes accepturi. Sed attendite fratres mei, ne ideò quisque differat venire ad vineã, quia securus est, quoniam quandocumque venerit, ipsum denarium accepturus est. Securus est quidem, quòd ipse denarius illi promittitur, sed differre non iubetur. Numquid enim & illi qui sunt ad vineam conducti, quando ad illos exibat paterfamilias, vt conduceret quos inueniret horâ tertiâ, & conduxit verbi gratiâ, dixerunt illi, Expecta, non illuc imus nisi horâ sextâ; aut quos vocauit horâ sextâ, dixerunt, Non imus nisi horâ nonâ; aut quos nonâ inuenit, dixerunt, Non imus nisi vndecimâ? Omnibus enim daturus est tantumdem, quare nos ampliùs fatigamur? Quid ille daturus sit, & quid facturus sit, penes ipsum consilium est. Tu quando vocaris, veni: merces enim cunctis æqualis promittitur. Laborare non vis, qui vtrùm viuas vsque ad senectã nescis? Sextâ horâ vocaris, veni; paterfamilias tibi quidem etiam vndecimâ venienti denarium promisit, sed vtrùm viuas vsque ad septimam, nemo tibi promisit. Non dico vsque ad vndecimam, sed vsque ad septimam. Quare ergo differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? Vide ne fortè quod ille tibi daturus est promittendo, tu tibi auferas differendo.

Quis otiosus sit in vineâ Domini, quis non.

AVCTOR IMPERFECTI *in Matthæum Hom. 34. explicans verba illa,* Quid hîc statis totâ die otiosi, *sic habet:* Otiosus dicitur, qui opus Dei non operatur: qui autem malum fecit, otiosus non est, sed mortuus. Si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus. Si autem aliena quidẽ non tollis, tamen nec de tuis rebus impotentibus das, tunc otiosus es. Vis non esse otiosus? nec aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vineâ Domini, & coluisti misericordiæ vitem. Inebriatus in delicijs es, non es otiosus, sed sicut ait Apostolus, Viuens mortuus es. Si autem mensuratè manducas & bibis, non

1. Tim. 5. 6 quidem peccas, quia non malè manducas, tamen otiosus es, quia nullam ieiunij operaris vitem. Vis ergo non esse otiosus? ieiuna, & quod manducaturus fueras, da impotenti, & coluisti ieiunij vitem. Non solùm non inuideas, sed & congaudeas meliori, & beneuolentiæ vitem colis. Mercenarij sumus conducti, vnde sine opere esse non possumus. Sicut ergo nemo ideò conducit operarium, vt hoc solum faciat quod manducet; sic & nos non ideò vocati sumus à Christo, vt hæc sola operemur quæ ad nostrum pertinent vsum, sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius, qui hoc solum facit quod manducat, sine causâ ambulat in domo: sic & nos si sola hæc facimus quæ ad nostram pertinent vtilitatem, sine causâ viuimus super terram. Et sicut mercenarius totum diem circa Domini opus impendit, vnam autem horam circa suum cibum: sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei, modicam autem partem circa vsus nostros terrenos. Et sicut si mercenarius quâ die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem; quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectũ Dei, quando nil boni in conspectu Dei gessisti? Adam positus est in paradiso colere & operari eum, sed quia neglexit eum, proiectus est inde. Et nos positi sumus ad colendam iustitiam; si neglexerimus, proijciemur de eâ, sicut & Iudæi proiecti sunt. Sicut autem mercenarius positus in vineâ si neglexerit eam, non solùm mercedem suam perdet, sed etiam desertæ vineæ exigetur ab eo damnum: sic & nos si neglexerimus iustitiam nobis commissam, non solùm nullam mercedem habebimus, sed etiam dissipatæ iustitiæ dabimus rationem. Si ergo ille qui propter suam vtilitatem vineam committit alteri, talem illam quærit recipere, qualem ille commisit; quomodo non à nobis sic immaculata iustitia requirenda est, quomodo eam creauit in nobis, quibus non propter se dedit eam, sed propter nostram salutem?

Qui negligit vineam, proijcitur ex eâ.

Mirandum hic profectò, Dominum cum operarijs de mercede pacisci, cum ipsiusmet vineæ cultura non tam in Domini quàm ipsorummet operariorum vtilitatem ac commodum cedat. Anima enim nostra hæc vinea est, quam cùm cultissimam esse nostri fere solius intersit, tantam tamen Deus eius curam gerit, vt nullis in ipsâ excolendâ sumptibus parcat, vti pulchrè

Quantam Deus curã habeat vineæ. *Isa. 5. 1.*

S. BASILIVS *lib. 5. in Hexaëmeron ostendit, dicens:* Non cessat vbique Deus vitibus nostras animas comparare. Vinea namque facta est dilecto, inquit, in loco pingui, & sepem circumposuit. Animas humanas vineam dicit. Circumdedit sepem, tum eâ securitate tutelave quæ ex præceptis resultat, tum ipsâ custodiâ Angelorum. Immittet enim se, aut medium constituet Angelus Domini in circuitu metuentium eum. Deinde quasi valla siue perticas nobis defixit, positis in Ecclesia primùm Apostolis, secundò Prophetis, tertiò Doctoribus. Exemplis prætereà veterum hominum Beatorumque, sensus nostros in sublime erexit, neque permisit in humum nos esse deiectos, ac dignos esse qui conculcemur. Vult etiam nos quasi claniculis aut alijs arboribus, amplexibus charitatis proximis inniti ac adhærere, & in ipsis etiam conquiescere, vt iugi affectu sursum versus feramur, & quasi arbustiuæ vites nos ipsos adæquemus sublimium fastigijs arborum. Quin & a nobis exposcit, vt dum defodimur, sustineamus. Sanè anima tantisper defoditur, dum se tenacibus exuit mundi curis, quæ cordibus

Psal. 33.

dibus nostris grauissimo sunt oneri. Itaque qui carnalem hunc deposuit amorem, qui pecuniarum à se excussit auiditatem: qui suspirijs persequendæ mundialis gloriolæ affectationem despuendam prorsus duxit & aspernabilem, is sanè inani onere terrenæ istius prudentiæ abiecto, veluti defossus respirauit. Opus proinde sit, vt ne vitem hanc nostram sinamus fermentis noxijs siluescere & eluxuriari, id est ne quid in obeundis vitæ huius nostræ munijs per ostentationem designemus, nec laudem venemur humanam, magis verò adnitamur fructuosi vt simus.

Qualis sit vinea sapientis, & qualis viri stulti.

S. BERNARDVS *Serm. 63. in Cantica, in illa verba,* Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, *sic habet:* Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum desertumque in se sapiens derelinquet: stultus non ita, cuncta apud eum neglecta inuenies, cuncta inculta, & incentia. Non est vinea stulto. Quomodo vinea, vbi nil plantatum, nil elaboratum vspiam paret? tota spinis siluescit & tribulis. Stulti vita & vinea est? & si fuit, iam non est, redacta in solitudinem. Vbi vitis virtutis? vbi botrus boni operis? vinum lætitiæ spiritualis? Per agrum hominis pi-
Prou. 24, 30. gri transiui, ait, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & repleuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Audi sapientem irridentem stultum, quòd bona naturæ, & dona gratiæ, quæ per lauacrum regenerationis acceperat, tamquã illam quam plantauit Deus, & non homo, primam suam vineam in non vineam negligendo redegit. Denique non potest vinea esse, vbi vita non est. Arbor arida & in sterilitatem versa, nónne mortua iudicatur? fermenta mortua sunt. Et occidit, inquit, in grandine
Psal. 77, 47 vineas eorum: monstrans vitã priuatas, quæ sterilitate damnatæ sunt. Soli itaque conuenit sapienti habere, vel potiùs esse vineam, qui vitam habet. Bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ. Vides apud Sapienté vacare nihil. Sermo, cogitatio, conuersatio, & si quid aliud est ex eo quidem totum, Dei agricultura, Dei ædificatio est, & vinea Domini sabaoth? Quid deniq; illi de se perire possit, quando & folium eius non defluet? Sapiens erit sollicitus seruare vineam suam, non minùs quàm excolere, nec sinet eam vorari à vulpibus. Pessimæ vulpes occultus detractor, sed non minùs nequam adulator blandus. Fructus vineæ profectus nostri sunt.

Vinea animæ nostræ quando floreat, & qui ad fructum promouenda. Cant. 7.

S. GREGORIVS *lib. 12. Moral. cap. 24. exponens illa verba,* Læditur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proijciens florem suum, *inquit:* Florent vineæ, cùm mentes fidelium bona opera proponunt, sed fructus non pariunt, si ab eo quod proposuerunt, aliquibus victi erroribus infirmantur. Vnde benè per Salomonem dicitur: Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Non ergo intuendum est si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum conualescant. Quia mirum non est, si quis bona inchoët, sed valdè mirabile est, si intentione rectâ in bono opere perduret. Vnde fit plerumque, vt si in bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus, quod bonũ creditur, amittatur. Nam quosdam sæpè vidimus terrena, quæ possederant, reliquisse, & nil iam transitorium quærere. Cùm igitur hoc in se fidelis anima ostendit, quasi oliua florem protulit. Sed cùm quidam ex talibus rursus cœperint mundi gloriam quam contempserant, quærere, & terrenis rebus, quas spreuisse videbantur, insatiabiliter inhiare; ni mirũ proiecit oliua florem quem proposuit, quia rudimenta boni studij ad perfecta opera non perduxit. *Hinc*

Quibus gradibus vinea dispensatur ad vinum dandum.

S. HIERONYMVS *lib. 2. in cap. 4. Epist. ad Galatas,* Beatus, *inquit,* est qui ambulat in virtutum viâ, sed si ad virtutes vsque peruenerit. Nec prodest à vitijs recessisse, nisi optima comprehendas: quia non tam initia sunt in bonis studijs laudanda, quàm finis. Sicut enim in vineâ multi vsque ad prælum vuæ gradus sunt, & primùm necesse est vt vitis germinet in pampinis, spem promittat in floribus, dehinc vt flore decusso futuri botri species deformetur, paulatimque turgescens, vuam parturiat, vt pressa torcularibus dulcia musta desudet: ita & in doctrinâ singuli beatitudinum sunt profectus: vt audiat quis verbum Dei, vt concipiat, vt in vtero animæ eius adolescat, & ad partum vsque perueniat, vt cùm pepererit illum, lacte enutriat, & per infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, ad perfectum virum vsque perducat, &c. *Hisce similia habet*

Vinea est verbũ Dei in animâ hominis plantatum.

ORIGENES *Hom. 19 in cap. 22. Matth.* Intellige mihi, *inquit,* in vnaquaque animâ quasi vineam, verbum Dei plantatum. Sicut ergo in vineis est aliquod tempus quando principium fructus demonstrant, & aliud quando florent, quæ sunt demonstrata, & aliud quando acerbescunt fructus, & aliud quando variant, & aliud quando vindemiandi est tempus fructus perfectos & paratos ad præbendum vinum. In omnibus itaque primùm vitæ tempus est infantia, & tunc est vinea nihil ostendens, nisi tantùm habẽs in se vitalem virtutẽ. Cùm autẽ cœperit posse loqui, tempus est generationis. Posteà autem perducitur vsque ad perfectũ virtus, producens diuersos atque perfectos charitatis, & gaudij, & pacis ceterarumque virtutum fructus.

Vt autem vitis nostra fructus hos proferat, continuâ ferè putatione opus habet, vti rectè monet S. BERNARDVS *Serm. 58. in Cantica, sic aiens:* Admonendus est vnusquisque de vineâ suâ. Quis enim omnia à se superflua resecauit, vt nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuò excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpè putandum est, immò si fieri possit semper, quia semper quod putari oporteat inuenis: velis nolis intra fines tuos habitat Iebusæus, subiugari potest, sed non exterminari. Tempus putationis aduênit, vitiosa scilicet atque superflua, & omne quod fructum salutis impedire potest. Tolle superflua, & salubria surgunt: vtilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Non potest virtus cum vitijs pariter crescere, putetur cupiditas, vt virtus roboretur, &c.

Vinea continuâ eget putatione.

An operarij Domini simus, examinandum.

S. GREGORIVS *Hom. 19. in Euangelia,* Mores ergo, *inquit,* vestros fratres charissimi, aspicite, & si iam Dei operarij estis, videte. Penset vnusquisque quid agat, & consideret, si in Domini vineâ laboret. Qui enim in hac vitâ ea quæ sua sunt quærit, adhuc ad Dominicam vineam non venit. Illi namque Domino laborant, qui non sua, sed lucra Dominica cogitant, qui zelo charitatis, studio pietatis inseruiunt, animabus lucrandis inuigilant, perducere & alios secum ad vitam festinant. Nam qui sibi viuit, qui carnis suæ voluptatibus pascitur, rectè otiosus redarguitur, quia fructum diuini operis non sectatur.

Qui totâ die sint otiosi.

Qui verò & vsque ad ætatem vltimam Deo viuere neglexerit, quasi vsque ad vndecimam otiosus steterit. Vnde rectè vsque ad vndecimam torpentibus dicitur: Quid hîc statis totâ die otiosi? Ac si apertè dicatur: Etsi Deo viuere in pueritiâ & iuuentute noluistis: saltem in vltimâ ætate resipiscite, & ad vitæ vias, cùm iam laboraturi multum non estis, vel serò venite. Et tales ergo Paterfamilias vocat, & plerumque antè remunerantur, quia priùs ad regnum de corpore exeunt, quàm hi qui iam à pueritiâ vocati esse videbantur.

Vt à nouissimis incipiat.

Horâ vndecimâ latro venit.

An non ad vndecimam horam venit latro, qui etsi non habuit per ætatem, habuit tamen serò per pœnam, qui Deum in cruce confessus est, & pænè cum voce sententiæ spiritum exhalauit vitæ? à nouissimo autem reddere denarium Paterfamilias cœpit: quia ad paradisi requiem priùs latronem quàm Petrum perduxit. Quanti Patres ante legem, quanti sub lege fuerunt, & tamen hi qui in Domini aduentu vocati sunt, ad cælorum regnum sine aliquâ tarditate peruenerunt? Eumdem ergo denarium accipiunt, qui laborauerunt ad vndecimam, quem expectauerunt toto desiderio qui laborauerunt ad primam, quia æqualem vitæ retributionem sortiti sunt cum his qui à mundi initio vocati fuerant, hi qui in mundi termino ad Dominum venerunt. Vnde & hi qui in labore præcesserant murmurantes dicunt: Hi nouissimi vnâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus.

Quid murmurantes dicant.

Pondus enim diei & æstus portauerunt hi, quos à mundi initio, quia diu hic contigit viuere, necesse fuit etiam longiora carnis tentamenta tolerare.

Quid sit pondus diei & æstus tolerare.

Vnicuique enim pondus diei & æstus ferre, & per longioris vitæ tempora carnis suæ calore fatigari. Sed quæri potest, quomodo murmurasse dicti sunt qui saltem serò ad regnum vocantur. Cælorum etenim regnum nullus murmurans accipit: nullus qui accipit murmurare potest.

Quid & quorum sit murmur.

Sed quia antiqui Patres vsque ad aduentum Domini quantumlibet iustè vixerint, ducti ad regnum non sunt, nisi ille descenderet qui paradisi claustra hominibus interpositione suæ mortis aperiret; eorum hoc ipsum murmurasse est, quòd & rectè pro percipiendo regno vixerunt, & tamen diu ad percipiendum regnum dilati sunt. Quos enim post peractam iustitiam inferni loca, quamuis tranquilla, susceperint, eis profectò & laborasse fuit in vineâ, & murmurasse.

Vltimi vocati non murmurant, & statim regnum recipiunt.

Quasi ergo post murmurationem denarium accipiunt, qui post longa inferni tempora ad gaudia regni peruenerunt. Nos autem qui ad vndecimam venimus, post laborem non murmuramus, & denarium accipimus, quia post Mediatoris aduentum in hunc mundum venientes ad regnum ducimur, mox vt de corpore eximus, & illud sine morâ percipimus, quod antiqui Patres cum magnâ percipere dilatione meruerunt.
Vers. 14. Vnde & idem Paterfamilias dicit: Volo & huic nouissimo dare sicut & tibi. Et quia ipsa regni perceptio eius est bonitas voluntatis, rectè subiungit: An
Vers. 15. nō licet mihi quod volo facere? stulta enim quæstio est hominis contra bonitatem Dei. Cōquerendum quippe esset non si daret quod non deberet; sed si
Vers. 15. non daret quod deberet. Vnde aptè subditur: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Nemo autem se de opere, nemo de tempore extollat, cum hac expletâ sententiâ subsequēter Veritas cla-
Vers. 16. met: Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.
Ecce enim etsi iam scimus quæ & quanta bona egimus, adhuc supernus iudex qua subtilitate hæc examinet ignoramus. Et quidem gaudendum cuique summopere est in regno Dei esse vel vltimum: sed Ibid.
post hæc terribile est valdè quod sequitur, Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Multi vocati, pauci electi.

Quia & ad fidem plures veniunt, & ad cæleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festiuitatem quàm multi conuenimus, Ecclesiæ parietes implemus, sed tamen quis sciat quàm pauci sunt qui in illo electorum Dei grege numerantur? Ecce enim vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. Hinc etenim Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem Tit. 1, 16.
negant. Hinc Iacobus ait: Fides sine operibus mor- Iac. 2, 17.
tua est. Hinc per Psalmistam Dominus dicit: Annuntiaui & locutus sum, multiplicati sunt super Psal. 39, 6.
numerum. Vocante enim Domino super numerum multiplicantur fideles, quia nonnumquam etiam hi ad fidem veniunt, qui ad electorum numerum non pertingunt. Hîc enim fidelibus per confessionem admixti sunt, sed propter vitam reprobam illic numerari in sorte fidelium non merentur. Hoc ouile S. Ecclesiæ hœdos cum agnis recipit, sed atte- Matth. 25, 32.
stante Euangelio, cùm Iudex venerit, bonos à malis separat: sicut pastor segregat oues ab hœdis. Neque etenim possunt qui hîc carnis suæ voluptatibus seruiunt, illic in ouium grege numerari. Illic eos à sorte humilium Iudex separat, qui se hîc in superbiæ cornibus exaltant. Regnum cælorum percipere nequeunt, qui hîc & in cælesti fide positi, toto desiderio terrena quærunt. Et multos tales intra Ecclesiam, fratres charissimi cernitis; sed eos nec imitari nec desperare debetis. Quid enim sit hodie aspicimus, sed quid cras futurus sit vnusquisque, nescimus. Plerumque & qui post nos venire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit, & vix eum cras sequimus, quem hodie præire videbamus. Ecce cùm Stephanus pro fide moreretur, Act. 7, 58.
Saulus lapidantium vestimenta seruabat: omnium ergo lapidantium manibus ipse lapidabat, qui ad lapidandum omnes expeditos reddebat, & tamen eumdem ipsum in sancta Ecclesia laboribus antecessit, quem persequendo martyrem fecit. Duo ergò sunt quæ sollicitè pensare debemus.

Duo cogitanda seriò.

Quia enim multi vocati, sed pauci electi sunt, primum est vt de se quisque minimè præsumat; quia etsi iam ad fidem vocatus est, vtrùm perenni regno dignus sit nescit: secundum verò est, vt vnusquisque proximum, quem fortasse iacere in vitijs conspicit, desperare non audeat; quia diuinæ misericordiæ diuitias ignorat, *&c.*

S. Gregorivs Nazianzenvs *Orat.* 40. *Cur autem nouissimi pariter cum primis mercedem receperint, subtilem reddit rationem, dicens*: Nam ex quâ die atque horâ ad fidem quisque accessit, ab eadem quoque ipsi operam nauare necesse est.

Quâ ratione vltimi plus mereantur quàm primi.

Deinde tametsi quantum ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingressi sunt; non tamen quantum ad animi liberæque voluntatis modum. Eâque etiam ratione postremis fortasse amplior merces debebatur, etsi quodammodò absurdum videri possit, quod dico. Nam quòd posteriùs ingressi sint, ea causa fuit, quia posteriores ad vitis excolendæ operam vocati sunt. In ceteris autem rebus quantum alios antecelluerint, videamus. Illi enim non priùs crediderunt, nec ingressi sunt, quàm ipsis ex conuentu merces constituta fuisset. Hi nullâ condictâ mercede ad laborem accesserunt, quod quidem maioris

maioris fidei argumentum est. Ad hæc, illi inuidi, & querulí, ac murmuratores inuenti sunt, his nihil tale obijcitur: tum etiam illis mercedis rationem habebat quod donabatur, licet improbis atque peruersis; his gratiæ. Quare meritò factum est, vt amentiæ stoliditatisque damnati ampliori quoque mercede caruerint. Quod autem ipsi quoque accepturi arant, si serius ipsis venire contigisset, æquam vtique mercedem. Quâ igitur fronte operarum conductorem criminantur, velut in æquæ mercedis persolutione ab æquitate recedentem? hæc omnia sudoris gratiam primis subtrahunt ac labefactant, etiamsi priores labore fatigati sint. Ex eoque efficitur, vt æquali hinc mercedis distributioni æquitas sua constet, nimirum animi voluntate cum labore compensatâ.

Non omnes vocati, etiam electi. & quomodo electi sunt vocati secundùm propositum.

S AVGVSTINVS *lib. de Correctione & gratiâ cap. 7. ad illud*, Multi vocati, pauci verò electi, *sic ait:* Quicumque enim electi, sine dubio etiam vocati: non autem quicumque vocati, consequenter electi. Illi ergo electi, vt sæpè dictum est, qui secundùm propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti. Horum si quispiam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quispiam perit vitio humano vincitur, Deus, sed nemo eorum perit, quia nullâ re vincitur Deus. Electi autem sunt ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat; ab illo quippe electus est, qui nouit benè vti etiam malis, vt & per eius opus damnabile, illud propter quod ipse venerat, opus venerabile compleretur. *Et post pauca:* Sciuit Dominus qui sunt eius. Horum fides quæ per dilectionem operatur, profectò aut omnino non deficit; aut si qui sunt quorum deficit, reparatur, antequam vita ista finiatur, & deletâ quam incurrerat iniquitate, vsque in finem perseuerantia deputatur. Qui verò perseueraturi non sunt, ac sic à fide Christianâ, & conuersatione lapsuri sunt, vt tales eos vitæ huius finis inueniat, proculdubiò, nec illo tempore quo benè pieque viuunt, in isto numero computandi sunt: non enim sunt à massâ illâ perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti; & ideò nec secundùm propositum vocati, ac per hoc nec electi; sed in eis vocati de quibus dictum est, Multi vocati, & non in eis de quibus dictum est, Pauci verò electi. Et tamen quis neget eos electos, cùm credunt & baptizantur, & secundùm Deum viuunt? planè dicuntur electi à nescientibus quid futuri sint, non ab illo qui eos nouit non habere perseuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos, scitque illos ita stare, vt præsciuerit esse casuros.

Iuxta Barradij ac Seruij concordiam ordine historiæ Euangelicæ interserenda est hic suo loco illa Lazari resuscitatio,

EX S. IOANNIS CAP. XI.

VERS. 1. Erat autem quidã languens Lazarus à Bethaniâ, de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius.

Matth. 26. 7. Luc. 7. 37. Ioan. 12. 3.

2. (Maria autem erat, * quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.)

3. Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

4. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloriâ Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam.

5. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum.

6. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

7. deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterùm.

8. Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc?

9. Respondit Iesus: Nónne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lumen huius mundi videt:

10. si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

11. Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado vt à somno excitem eum.

12. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit.

13. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret.

14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est:

15. & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniã non eram ibi. sed eamus ad eũ.

16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus ad condiscipulos. Eamus & nos, vt moriamur cum eo.

17. Venit itaque Iesus: & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

18. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadijs quindecim.)

19. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.

20. Martha ergo vt audiuit quia Iesus venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.

BEDA *in cap. 11. Ioannis*, Inter omnia, *inquit*, miracula quæ Dei Filius, vt suam panderet Diuinitatem,

Lazari suscitatio fuit præcipuũ Christi miraculum.

nitatem, operatus est, supereminet hoc, & quasi quemdam obtinet principatum, quod circa Lazarum fecit. Et quidem singula opera eius admiratione dignissima sunt: quis enim non venerabiliter admiretur, quòd claudi rectis gressibus incesserunt, quòd mutis linguarum claustra soluta sunt, quòd cæcorum diu clausa lumina tactu sacræ manus eius reserata sunt? Quis hæc & plura alia considerans, non diuinam potentiam stupens admiretur? Sed hæc omnia parua ad ingentem Christi maiestatem videbantur, nisi amicus eius Lazarus moreretur: quem idcircò mori permisit, vt eum nouo & omnibus sæculis admirando ordine suscitando, sese vitæ mortisque Dominum esse declararet.

Ac inprimis in hoc Euangelio, in quo tanta acciderunt mira, illud in exordio considerandum est, quòd cùm Lazarus grauissimo morbo ægrotaret, sorores ad Christum quemdam nuntium miserint, qui ei morbi qualitatem & grauitatem explicaret solis hisce verbis causam fratris proponentes: Domine, ecce quem amas infirmatur.

Amico suas miserias indicasse satis est.

S. AVGVSTINVS *Tract. 49. in Ioannem*, Quid ergo, *inquit*, nuntiauerunt sorores eius? Domine, ecce quem amas infirmatur. Non dixerunt, Veni: amanti enim tantummodò nuntiandum fuit. Non ausæ sunt dicere, Veni, & sana. Non ausæ sunt dicere, Ibi iube, & hîc fiet. Cur enim non & istæ, si fides Centurionis inde laudatur? Ait enim: Non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantummodò: Domine, ecce quem amas infirmatur. Sufficit vt noueris: non enim amas, & deseris.

Amor radix est beneficiorum.

Ad eum itaque curandum, non merita, non beneficia quæ Iesu exhibuerant, sed tantùm amorem quo erga fratrem afficeretur allegant: diuinum amorem, & non propria merita, fatentes esse omnium beneficiorum radicem, sicut animaduertit Apostolus ad Ephesios 2. dicens: Deus autem qui diues est in misericordiâ propter nimiam charitatem suam quâ dilexit nos. *q. d. Deus diues est ad benefaciendum hominibus, quia nimiâ pollet charitate erga illos. Et ita frequenter Prophetæ olim cùm diuina vellent enarrare beneficia, aut ea ipsa prouocare, miserandum priùs populi statum proponebant, quò animaduerterent illa non proprijs meritis, sed diuinæ summi bonitati & amori. Cùm ergo sanctæ istæ sorores Christi Domini amorem tam erga se quàm fratrem suum Lazarum, satis exploratum haberent, ideò non iudicant necessarium, eum qui fidelissimus amicus, imò qui solus est hoc nomine dignus, clamoribus obtundere, importunis precibus vexare, sed vno verbo aiunt,* Ecce quem amas infirmatur. *q. d. Si quidem expediens fuerit, ægrotum sanabis amicum; si autem illud non conuenire iudicaueris, salutem non postulamus. His & similibus rationibus motæ, causam fratris beatissimâ oratione proponunt, Christo de reliquo totam fratris sui curam relinquentes.*

VERS 6. VT ERGO AVDIVIT QVIA INFIRMABATVR, TVNC QVIDEM MANSIT IN EODEM LOCO DVOBVS DIEBVS.] *Ægrotante Lazaro mansit Iesus in Galilæâ; & nullus fuit qui ad memoriam reduceret Lazari infirmitatem. Verentes enim discipuli sibi periculum imminere, si redirent in Iudæam, ne simul cum Iesu contumelijs afficerentur, vt damno & periculis quæ suspicabantur prospicerent, infirmitatis Lazari non reminiscuntur. Multos siquidem est reperire, qui si salua quidem omnia sua crediderint, tunc demum etiam bono proximorum intenti sint, sicut clamante Chananæâ Matthæi 15, 23. discipuli postulabant à Domino, vt eius filiam curaret: at quando vtilitati proximi succurrendum credunt cum aliquali detrimento suo, licet imaginario, & amici & proximi sui obliuiscuntur. Iesus igitur cùm nullum discipulorum de salute iam ampliùs Lazari sollicitum videret, post duos dies dixit,* Eamus in Iudæam iterùm. *Non sinit amor amicum diu cruciari quem amat. Sic Ioseph Geneseos 42. cùm fratres suos misisset in carcerem, eduxit eos die tertiâ. Is enim erat sancti viri amor, vt visis fratribus suis in vinculis, cruciaretur. Ita & hic Iesus cùm perpenderet Lazari mortem, ac sororum lacrymas dixit,* Eamus in Iudæam, *vt scilicet eas consolaretur, & illum à mortuis reuocaret. nam, vt ait* BEDA, idcircò distulit sanare, vt posset mirabiliùs resuscitare.

Pauci sunt qui cum proprio dãno proximis velint succurrere.

Amor amantem sollicitum reddit pro amico.

S. CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ citatus, hoc loco obseruat quod nusquam alibi Dominus prædixit discipulis quò iturus esset:* Sed hîc, *inquit*, prædixit, quia formidabant vehementer, vt non repentè eos conturbet. Nam sequitur: Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & tu iterùm vadis illuc? Formidabant enim & pro eo & pro se ipsis; nondum enim erant in fide firmati.

Metum tamen suum & amorem proprium, quo potissimùm impellebantur vt Iudæam fugerent, minimè produnt, sed sub prætextu vitæ Christi Domini sui ac Magistri, quasi de illâ solâ conseruandâ essent solliciti, fingunt se Iudæam videre nolle, honesto hoc prætextu propriam tegentes infirmitatem.

Formidolosi erant discipuli tam de suâ quàm vitâ Domini sui.

BEDA *ad hunc locum*, Audierant, *inquit*, sancti discipuli, Dominum in Iudæam iterùm velle venire, ac formidantes ne bonus Magister à Iudæis comprehenderetur, quasi consilium ei dare, & ab incepto reuocare volebant. Nondum perfectè intellexerant dispensationem propter quam venerat. Ad hoc enim Deus hominem induerat, vt pro salute hominum moreretur. Sic & B. Petrus cùm audisset Dominum de passione suâ loquentem, quasi reuocare eum volens, dixit: Absit hoc à te Domine, non morieris. Cùm ergo Apostoli Domino consulere quodammodò vellent, redarguit eos dicens: Nónne duodecim sunt horæ diei? Se profectò diem appellauit, qui est dies ex die, lumen de lumine, quique de se alibi dicit, Ego sum lux mundi. Et vt se diem ostenderet, duodecim Apostolos elegit, de quibus nunc dicit: Nónne duodecim sunt horæ diei? ac si diceret: Vos qui estis horæ diei, quare sic consilium dare vultis? Horæ diem sequuntur, & die moderante peraguntur. Sed fortè dicat aliquis, Iudas ex duodecim vnus erat, numquid ipse hora diei erat, qui ipsum diem tradidit ad mortem? Sed quando hoc Dominus dicebat, non ipsum Iudam attendebat, sed Matthiam in locum illius præuisum eligebat. Denique Iudâ in locum sibi debitum abeunte, electus est Matthias Apostolus, & sic perfectus mansit numerus Apostolicus. Christus ergo dies est, & qui in hac die ambulauerit, errare non poterit. Illi enim adhæret, qui dicit: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Nam qui sine hac luce est, errare potest, ambulare non potest. *Sed hæc mystica est expositio: litteralis videtur esse:* Duodecim sunt horæ diei. *q. d. Certum & statum est diei tempus, scilicet duodecim horarum, intra quod tempus si quis ambulat, offendere non potest, quia lucem habet: sic etiam mihi certum & constitutum est vitæ tempus in quo am-*

Matth. 16, 22.

Dies mysticè Christus est, Apostoli horæ.

Ioã. 8, 12.

bulare

bulare, hoc est, viuere, & operari mea debeo, quod proinde diem appello: atque ideò in illâ die nihil timendum est periculi, nec enim ante constitutum mihi tempus, id est antequam vitæ meæ nox veniat, mori possum. Ita Rupertus & recentiores.

Mors somno comparata. VERS. 11. POST HÆC DIXIT EIS: LAZARVS AMICVS NOSTER DORMIT.] *Mortem hic Lazari Christus* dormitionem *vocat. Sicut enim somnus ordinatus est à naturâ ad requiem sensuum, atque ita vitæ hominum accommodatus est, vt hæc sine illo transigi non possit; sic Apocal. 14. Spiritus beatos vocans mortuos, qui in Domino moriuntur, eis dicit*, vt requiescant à laboribus suis. *Vnde S. Iob cap. 7. finem vitæ suæ desiderans, aiebat:* Sicut seruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui, sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi. *q. d. Ab his liberabor, cùm aduenerit mors.*

S. AMBROSIVS *lib. de Bono mortis cap. 8.* Somnũ, *inquit*, Scriptura nuncupat mortem, sicut est illud: Lazarus amicus noster dormit, sed vadam vt suscitem eum. Somnus autem bonus, quia quies est; sicut scriptum est Psal. 3. Ego dormiui, & requieui, & surrexi, quoniam Dominus suscepit me. Dulcis igitur quies mortis. Denique Dominus suscitat quiescentes, quia Dominus est resurrectio.

IDEM *in Oratione ad sepulcrum fratris sui Satyri, die septimâ post eius obitum, in principio Orationis ostendit, mortem non esse lugendam; primum, quia communis sit, & cunctis debita: deinde, quia nos sæculi huius absoluit ærumnis: postremò, quia somni specie, vbi ab istius mundi labore requietum sit, vigor nobis viuacior refundatur.* Quem dolorem, *inquit*, non soletur resurrectionis gratia? quem non excludat mœrorem, si credas nihil perire morte; immò ipsius celeritate fieri, plus perire non possit, &c.

IDEM *in Oratione funebri de Obitu Valentiniani, sic dicit:* Quæro vtrùm aliquis sit post mortem sensus, an nullus. Si est, viuit: imò quia est, vitâ iam fruitur æternâ. Quomodo enim non habet sensum, cuius anima & viuit, & viget, & remeabit ad corpus, & faciet illud, cùm refusa fuerit, reuiuiscere. Nolu-
1. Thess. 4, 13. mus vos ignorare fratres de dormientibus. Manet ergo eorum vita, quos manet resurrectio. Quòd si Gentes quæ spem resurrectionis non habent, hoc vno se consolantur, quòd dicant, quòd nullus post mortem sensus sit defunctorum, ac per hoc nullus remaneat sensus doloris: quantò magis nos consolationem recipere debemus, quia mors metuenda non sit, eò quòd finis sit peccatorum; vita autem desperanda non sit, quæ resurrectione reparatur? Iob quoque cap. 14. docet non mortem timendam, & potiùs optandam pijs, dicens: Si enim mortuus fuerit homo, viuet; consummans dies vitæ meæ sustinebo, donec iterùm fiam.

VERS. 21. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus:

22. sed & nunc scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus.

23. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus.

24. Dicit ei Martha: Scio quia resur-
Ioan. 5, 29 Luc. 14, 14 get " in resurrectione in nouissimo die.

25. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita: " qui credit in me, etiamsi Ioan. 6, 35
mortuus fuerit, viuet:

26. & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?

27. Ait illi: Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.

28. Et cùm hæc dixisset, abijt, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.

29. Illa vt audiuit, surgit citò, & venit ad eum:

30. nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha.

31. Iudæi ergo, qui erant cum eâ in domo, & cõsolabantur eam, cùm vidissent Mariam quia citò surrexit & exijt, secuti sunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.

32. Maria ergo, cùm venisset vbi erat Iesus, vidẽs eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus.

33. Iesus ergo, vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum eâ, plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum,

34. & dixit: Vbi posuistis eum? dicunt ei: Domine, veni, & vide.

35. Et lacrymatus est Iesus.

36. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum.

37. Quidam autẽm ex ipsis dixerunt: " Non poterat hic, qui aperuit Ioan. 9, 6.
oculos cæci nati, facere vt hic non moreretur?

38. Iesus ergo rursus fremens in semetipso, venit ad monumentum. erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei.

39. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim.

40. Dicit ei Iesus: Nónne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

41. Tu-

41. Tulerunt ergo lapidem: Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi quoniam audisti me.

42. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: vt credant quia tu me misisti.

43. Hæc cùm dixisset, voce magnâ clamauit: Lazare veni foras.

44. Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire.

45. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.

46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.

VERS. 21 DIXIT ERGO MARTHA, &c.] *Pulchrè in huius sanctæ mulieris virtutibus more suo ludit* S. BERNARDVS *Tractatu de Gradibus humilitatis, Gradu* 12. *superbia.* Audi, *inquit*, credentē, audi sperantem, nec tamen orantem. Domine, inquit, si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus. Magna autem fides, quâ credidit, suâ præsentiâ Dominū mortem prohibere potuisse, si adfuisset. Modò autem quid? Absit vt quem credidit viuum potuisse seruare, mortuum dubitet posse resuscitare. Sed nunc, inquit, scio, quia quæcumque poposceris à Deo, dabit tibi Deus. Deinde quærenti vbi posuissent eum, respondet, Veni & vide. Quamobrem? O Martha, magna nobis tuæ fidei insignia tribuis. Sed quomodo cum tantâ fide diffidis? Veni inquis, & vide. Cur, si non desperas, nō sequeris, & dicis, Resuscita? Si autem desperas, cur Magistrum sine causâ fatigas? An fortè fides aliquando recipit, quod oratio non præsumit? Denique appropinquantem cadaueri prohibes, & dicis; Domine iam fœtet: quatriduanus enim est. Desperando dicis hoc, an dissimulando? Sic quippe ipse Dominus post resurrectionem finxit se lōgiùs ire, cùm mallet cum discipulis remanere. O sanctæ mulieres, Christi familiares, si fratrem vestrum amatis, cur eius misericordiam non flagitatis, de cuius potentiâ dubitare, pietate diffidere non potestis? Respondent; Sic meliùs tamquam non orantes oramus; sic efficaciùs tamquam diffidentes confidimus. Exhibemus fidem, perhibemus affectum; scit ipse cui non est opus vt aliquid dicatur, quid desideremus. Scimus quidem quòd omnia potest: sed hoc tam grāde miraculum, tam nouum, tam inauditum, etsi eius subest potentiæ, multum tamen excedit merita humilitatis nostræ. Sufficit nobis potentiæ locum, pietati dedisse occasionem, malentes patienter expectare quid velit, quàm impudenter quærere quod forsitan nolit. Denique quod nostris meritis deest, verecundia fortasse supplebit.

Fides Marthæ.

Luc. 24.

Pro fratre cur non orent sorores.

S. AVGVSTINVS *in Catenâ aureâ ad hunc locum obseruat, quòd non dicat ei Martha, Rogo te vt resuscites fratrem meum.* Vnde enim, *inquit*, sciebat, si fratri eius resurgere vtile fuerat? Hoc tantùm dixit; Scio quia potes, si vis facere: vtrùm facias, iudicij tui est, non præsumptionis meæ.

CHRYSOSTOMVS *ibidem:* Dominus autem vtraque quæ non cognoscebat eam docuit. Vnde sequitur: Dicit ei Iesus: Resurget frater tuus. Non dixit, Petam vt resurgat: & si diceret, Nō indigeo adiutorio, à meipso omnia facio; valdè fuisset graue mulieri: sed hoc dicere, Resurget, medium erat.

BEDA *ad hunc locum ait*: Dominus quidem in præsenti fratris resurrectionem promittebat: sed Martha de eâ resurrectione quâ omnes homines resurrecturi sunt, eum dixisse putabat. De illâ ergo resurrectione secura erat, de hac autem incerta manebat. Vnde dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & vita. Ac si diceret: Quare dubitas nunc fratrem posse resurgere, cùm ego qui sum resurrectio & vita illum resurrecturum promittam? Per quem resurget quando resurrecturi sunt & ceteri homines, per eum potest & modò resurgere. Ipse ergo est resurrectio & vita, quia per eum resurgimus à peccato, vt viuamus iustitiæ. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet: hoc est, si mortuus fuerit in carne, viuet spiritu. Quicumque enim in Christum credit, & secundùm quod credit, viuit, etiamsi carne moriatur, vniuersale cunctorum hominum persoluendo, viuit tamen in animâ, Christo, qui vita est animæ, inhærendo. Et omnis qui viuit, subaudiendo in carne, & credit in me, etsi mortuus fuerit ad tempus morte corporis, non morietur in æternum, propter vitam spiritus, & immortalitatem resurrectionis.

Qui credit quomodo mortuus viuat.

IESVS ERGO VT VIDIT EAM PLORANTEM, INFREMVIT SPIRITV, &c.] *Videtur S. Chrysostomus cum Leontio illud ita interpretari, quasi Christus erūpentem in lacrymas, & vehementē passionem, affectum humanū cohibuerit, ne quid parum compositum, & rationi dissentaneum ostenderet. Verùm S. Augustinus hîc, & alij passim dicunt, quòd Christus propriè* spiritu, *id est animo & intimis animi sensibus* intremuerit, *idque exteriori signo & fremitu testatus sit: quod etiam verba sequentia declarant,* Et turbauit seipsum, *nimirum excitando se ad compassionem & lacrymas. Turbatio enim hæc erat compatientis animi, fremitus verò quasi indignantis, & se ad mortem destruendam excitantis. In Christo tamen non fuerunt tales passiones iræ, tristitiæ, fremitus quæ rationem ac voluntatem præuerterent, vti in nobis accidit, sed erant propassiones, quas scilicet præueniebat, imperabat, ac moderabatur voluntas Christi. Vnde dicitur hîc in Euangelio,* turbauit seipsum, *non autem* turbatus est. *ita passim Theologi Damascenum sequentes. Hisce consentit* VERS. 33

Iesus quomodo sit turbatus.

S. GREGORIVS *lib. 3. Moral. cap. 15. dicens:* Etsi quando turbatus spiritu infremuisse dicitur, ipse tamen diuinitus disponebat, quantum ipse humanitus turbaretur, qui immutabiliter omnibus præsidens, & semetipsum mutabilem in satisfactione infirmitatis ostendit. Quietus ergo in semetipso manens, disposuit quidquid pro ostendendâ humanitate quam susceperat, etiam turbulentus fecit.

S. AVGVSTINVS *ad hunc locum Tract. 60. in Ioannem ait:* Pereant argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Turbetur planè animus Christianus non miseriâ, sed misericordiâ; timeat ne pereant homines

Quomodo Christiani & quibus de causis turbari debeant.

Christo;

Christo; contristetur cùm perit aliquis Christo. Concupiscit acquirere homines Christo, lætetur cùm acquiruntur homines Christo. Timeat ne sibi pereat & Christo, contristetur peregrinari se à Christo, concupiscat regnare cum Christo, lætetur cùm sperat se regnaturum esse cum Christo. Istæ sunt certè quatuor quas perturbationes vocant, timor & tristitia, amor & lætitia. Habeant eas iustis de causis animi Christiani, nec Philosophorum Stoicorum, vel quorumcumque similium consentiatur errori, qui profectò quemadmodum vanitatem existimant veritatem, sic stuporem deputant sanitatem, ignorantes sic hominis animum, quemadmodum corporis membrum, desperatiùs ægrotare, quando & doloris amiserit sensum. Turbatus est ergo Iesus pro membris suis, ne isti desperent si passionibus instigantibus turbentur.

Passiones si benè regantur virtuti subseruiunt.

Idem *lib 9. de Ciuitate Dei, cap. 8. differens, vt passiones quæ Christianos animos afficiunt, non in vitium trahant, sed virtutem exerceant, dicit*: Christiana eruditio Deo mentem subijcit regendam, & iuuandam, mentisque passiones ita moderandas ac frenandas, vt in vsum iustitiæ conuertantur. Denique in disciplinâ nostrâ non tam quæritur, vtrùm pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec vtrùm sit tristis, sed vnde sit tristis; nec vtrū timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti vt corrigatur, contristari pro afflicto vt liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio vtrùm quisquam sanâ consideratione reprehendat.

Cur Christus defleuerit Lazarum.

S. BASILIVS *Hom. 4. inter Varias*, Christus, *inquit*, Lazarum mortuum lacrymatus est, vt se nostræ infirmitati attemperaret, & doceret bos affectus, qui vitari non queunt, adstringere, & circumplecti intra moderatam quamdam temperiem, & certos limites. Nimirum inclementiam quidem, quæ nullius tangitur commiseratione, declinans ceu feram immanem: studium verò affectati doloris, & immoderatam lamentationem velut rem ingenerosam excludens ac vitans.

Deflenda in confessione peccata.

S. AMBROSIVS *lib. 2. de Pœnitentiâ cap. 7. ait*: Fleamus ad tempus, vt exultemus in æternum. Timeamus Dominū, præueniamus eum confitendo peccata nostra, corrigamus lapsus nostros, emendemus errorem. Ille enim iustificatur, qui proprium crimen sponte agnouit. Dic, inquit, iniquitates tuas, vt iustificeris. Iustus enim in exordio sermonis, accusator est sui. Nouit omnia Dominus, sed exspectat vocem tuam, non vt puniat, sed vt ignoscat. Non vult vt insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua arguat. Præueni accusatorem tuum: si te ipse accusaueris, accusatorem nullum timebis: si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris reuiuisces. Veniet ad monumentum Christus, & si viderit pro te flere Martham, bonā feminam ministerij, & flere Mariam, quæ attentè audiebat verbum Dei, sicut sancta Ecclesia quæ optimam partem sibi elegit. Mouebitur misericordiâ, cùm viderit in tuo obitu lacrymas plurimorum, & dicet: Vbi posuistis eum? hoc est, in quo reorum statu est, in quo pœnitentium ordine? Videam quem fleus, vt lacrymis suis ipse me moueat. Videam si iam peccato ei, cuius venia poscitur, defunctus est. Dicet plebs, Veni & vide. Quid est, Veni? hoc est, veniat peccatorum remissio, veniat defunctorum vita, mortuorum resurrectio, veniat & in hunc peccatorem regnum tuum. Veniet itaque, & leuari lapidem iubebit, quem ceruicibus peccatoris lapsus

Prou. 18, 17.

Cùm videt Christus fletum pœnitentis misericordiâ mouetur.

Luc. 10, 39

Vt Christus ad pœnitentem veniat & videat.

Cur lapidē tolli iubeat.

imposuit. Potuit remouere lapidem imperio sermonis: iubente enim Christo etiam insensibilis solet natura obedire. Poterat tacitâ vi operationis occultæ transferre saxū sepulchri, in cuius passione, mortis subitò lapidibus, plurima defunctorum sepulchra patuerunt: sed hominibus iussit vt remouerent lapidem, in veritate quidē, vt increduli crederent quod videbant, & aspicerent resurgentem mortuum; in typo autem quid nobis donaret, vt leuaremur delictorum onera, moles quasdam reorum. Nostrum est onera remouere, illius est resuscitare, illius educere de sepulchris exutos vinculis. Videns itaque graue onus peccatoris, illacrymat Dominus Iesus: solam enim flere non patitur Ecclesiam. Compatitur dilectæ suæ, & dicit defuncto: Veni foras: hoc est, qui iaces in tenebris conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere, exi foras, delictum proprium prode, vt iustificeris: ore enim cōfessio fit ad salutem. Si cōfessus fuerit à Christo vocatus, claustra rumpentur, & omnia soluentur vincula, etsi corruptelæ corporeæ fœtor grauis sit: quatriduum enim habebat ille, cuius fœtebat in tumulo caro. Cuius autem caro non vidit corruptionem, triduo fuit in sepulchro: carnis enim vitia nesciuit quæ ex quatuor constat elementorum substantijs. Quantuslibet ergo mortui fœtor sit, aboletur omnis, vbi sacrum redoluerit vnguentum: & surgit defunctus, & soluere iubentur eius vincula, quæ adhuc in peccato sunt: tollere velamen de facie eius, quod veritatem gratiæ, quam acceperat, obumbrabat. Sed quia veniâ donatus est, reuelare faciem, aperire vultum iubetur. Non habet enim quod erubescat, cui peccatum remissum est.

Quid significetur per Veni foras.

Rom. 10.

S. BERNARDVS *Serm. 4. in Assumpt. B. Mariæ, mysticè de Lazaro sic ait*: Adhuc autem & ad monumentum properat vita nostra, vt quatriduanum reducat à monumento, & Lazarum quærit, vt quæratur & inueniatur à Lazaro. In hoc enim est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quia ipse prior dilexit nos. Age igitur Domine, quære quem amas, vt & amantem facias & quærentem. Quære vbi posuerunt eum: iacet enim clausus, ligatus, oneratus. Iacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, & tamquam lapide superposito premitur, & opprimitur onere pœnitentiæ, maximè quòd desit interim fortis vt mors dilectio, & charitas omnia sustinens. Et in his omnibus iam fœtet, Domine: quatriduanus est enim. Credo iam multorum ingenia prænolant, vt intelligant quem velim dicere Lazarum. Eum sine dubio qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem, vt videat abominationes multas & malas praui & inscrutabilis cordis sui, & iuxta Prophetam alium, ingressus est in petram, absconditur fossâ humo, à facie furoris Domini. Sed quid est: Domine iam fœtet, quatriduanus est enim. Fortè enim fœtorem istum & quatuor dies istos, non continuò quiuis intelligat. Ego primam arbitror timoris diem, quâ nimirum irradiante cordibus nostris, peccato morimur, & quodammodò sepelimur in conscientijs nostris. Secunda (ni fallor) agitur in labore certaminis: solet nempe inter primordia conuersionis acriùs insurgere tentatio prauæ consuetudinis, & vix extingui possunt iacula ignita diaboli. Tertia nihilominùs doloris etiam videtur, dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suę, nec tam liberat declinando futura, quàm præterita plangendo

Quæ sunt de Lazaro peccatori applicantur iam pœnitenti.

1. Ioan. 4, 10.

1. Cor. 13, 4.

Ezech. 8, 8.

Isa. 2, 10.

Quoduam sit quatriduum illud pœnitentis.

gendo deplorat. Miraris quòd hos dixerim dies? Sed sepulturæ debentur dies nebulæ & caliginis, dies luctus & amaritudinis. Sequitur dies pudoris; non dissimilis tribus, quando iam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ & quanta deliquerit, & in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus huiuscemodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggrauat, sed exaggerat vniuersa. Non sibi parcit durus iudex in semetipsum, vtilis quidem exacerbatio, & digna miseratione crudelitas, facilè sibi diuinam concilians gratiam, dum pro eo mens æmulatur, etiam contra seipsam. Verumtamen Lazare veni foras: ne in tanto fœtore diutiùs immoreris. Caro putida, putredini proxima est: & qui confunditur vehementiùs, & tabescit, propè est vt desperet. Propterea Lazare veni foras. Abyssus abyssum inuocat: Abyssus luminis & misericordiæ, abyssum miseriæ & tenebrarum. Maior illius bonitas, quàm iniquitas tua: & vbi peccatum abundat, superabundare gratiam facit. Lazare, inquit, veni foras: ac si manifestiùs dicat, Quousque conscientiæ tuæ caligo te denet? quamdiu in cubiculo tuo graui corde compungeris? veni foras, procede, respira in lucem miserationum mearum. Hoc enim est, quod in Prophetâ legisti, Infrenabo os tuum laude meâ, ne pereas. Euidentiùs quoque Propheta alius de seipso, Ad meipsum, inquit, anima mea turbata est, propterea ero memor tui. Iam verò, quid sibi vult, quod ait, Tollite lapidem, & post pauca, Soluite eum? Numquid post visitationem gratiæ consolationis cessabit agere pœnitentiam, quoniam appropinquauit regnum cælorum? aut abijciet disciplinam, ne fortè irascatur Dominus, & pereat de viâ iustâ? Absit hoc, tollatur lapis, sed pœnitentia maneat, non tam premens & onerans; sed viuidam & robustam mentem roborans atque confirmans; nimirum cuius cibus sit quem anteà nesciebat, Domini facere voluntatem: sic & disciplina non iam constringit liberum, secundùm illud, Iustis non est lex posita? sed voluntarium regit, & dirigit in viam pacis. Super hac Lazari suscitatione manifestiùs psallit Propheta: Non derelinqoes animam meam in inferno. quia infernus quidam, & carcer animæ, rea conscientia est. Nec dabis sanctum tuum, non suum ipsius, sed tuum vtique, quem ipse sanctificas, videre corruptionem. Corruptioni siquidem proximus erat quatriduanus, qui cœperat iam fœtere: propè erat vt penitus dissolueretur, & veniens in profundum malorum contemneret impius: sed præuentus voce virtutis, & ab eâ viuificatus, gratias agit, dicens: Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo. Ad ipsius siquidem contemplationē euocasti, & eduxisti ab inferno animam meam, dum anxiaretur super me spiritus meus, intuens conscientiæ propriæ faciem nimis abominandam. Clamauit, inquit, voce magnâ, Lazare veni foras. Magnâ vtique voce, non tam sono clamosâ, quàm pietate & virtute magnificâ.

Isa 48.9.
Psal. 42.7.
Quomodo pœnitens lapidem tollat & soluatur.
1. Tim. 1.9.
Psal. 15.10

S. AVGVSTINVS *Serm. 44 de Verbis Domini, explicans tria genera peccatorum, in tribus mortuis quos Dominus suscitauit, sic ait:* Videamus ergo quid nos discere voluit in tribus mortuis quos suscitauit. Resuscitauit filiam mortuam Archisynagogi, ad quam ægrotantem petebatur, vt eam de ægritudine liberaret. Et cùm pergit, mortua nuntiatur, & quasi iam frustrà fatigaretur renuntiatum est patri eius: Puella mortua est, quid adhuc fatigas Magistrum? Ille autem perrexit, & ait patri puellæ: Noli timere, crede tantummodò. Venit ad domum, & inuenit iam obsequia funeri debita præparata, & dicit illis: Nolite flere, non enim est mortua puella, sed dormit. Verum dixit, dormiebat, sed illi, à quo poterat excitari. Hanc excitans reddidit viuam parentibus. Excitauit & hunc iuuenem filium viduæ, de quo nunc admoniti sumus, vt hinc ista, quæ ipse largiri dignatur, cum vestrâ charitate loqueremur. Modò audistis quomodo excitatus est. Appropinquabat Dominus ciuitati, & ecce ferebatur mortuus iam extra portam. Misericordiâ commotus, quòd flebat mater vidua, & destituta vnico filio, fecit quod audistis, dicens: Adolescens tibi dico, surge. Surrexit ille mortuus, cœpit loqui, & reddidit illum matri suæ. Excitauit & Lazarum de sepulcro. Et ibi cùm ægrotantem scirent discipuli, cum quibus loquebatur, (diligebat autē illum) Lazarus, inquit, amicus noster dormit. Illi putantes ægri somnum salubrem, Si dormit, inquiunt, Domine, saluus erit. Et ille: Dico vobis, apertiùs iam loquēs, Lazarus amicus noster mortuus est. Vtrumque verum dicens: Mortuus est vobis, dormit mihi. Ista tria genera mortuorum, sunt tria genera peccatorum, quos hodieque suscitat Christus. Illa enim mortua filia Archisynagogi intus erat in domo, nondum erat de secretis parietibus elata in publicum. Ibi intus suscitata est, viua parentibus reddita. Iste autem iam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepulchro; parietibus elatus erat, terræ mandatus non erat. Qui suscitauit mortuam nondum elatam, suscitauit mortuum iam elatum, nondum sepultum. Tertium restabat, vt & sepultum suscitaret, & hoc fecit in Lazaro. Sunt ergo intus, qui peccatum in corde habent, in facto nondum habent. Nescio quis commotus est aliquâ concupiscentiâ. Dicit enim ipse Dominus: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. Nondum accessit corpore, consensit in corde, mortuum intus habet, nondum extulit. Et fit, vt nouimus, vt quotidie homines in se experiuntur, aliquando audito verbo Dei, tamquam Domino dicente, Surge, condemnatur consensus ad iniquitatem, respiratur in salutem & iustitiam. Surgit mortuus in domo, reuiuiscit cor in cogitationis secreto. Facta est ista resurrectio animæ mortuæ intus, intra latebras conscientiæ, tamquam intra domesticos parietes. Alij post consensum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum, vt quod latebat in secreto, appareat in publico. Numquid iam isti, quia in factum processerunt, desperandi sunt? Nónne & illi iuueni dictum est: Tibi dico, surge? nónne & ille redditus est matri suæ? Sic ergo & qui iam fecerit, si fortè commonitus, & commotus verbo veritatis ad Christi vocem resurgit, viuus redditur. Potuit ad tempus progredi, in æternum perire non potuit. Qui autem faciendo quod malum est, etiam malâ consuetudine se implicant, vt ipsa consuetudo mali non eos sinat videre quia malum est, fiunt defensores malorum factorum suorum. Irascuntur cùm reprehenduntur, in tantum, vt Sodomitæ quondam dicerent viro iusto reprehendenti nequissimam voluntatem, Habitare venisti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis consuetudo erat, vt iam nequitia esset iustitia, & prohibitor potiùs reprehenderetur, quàm factor. Tales consuetudine malignâ pressi, tam-

Matth 5.
Prima mortua suscitata, filia Archisynagogi.
Luc. 7.
Secundus mortuus suscitatus, filius viduæ.
Ioan. 11.
Tertius mortuus suscitatus est Lazarus.
Tres isti mortui significant tria genera peccatorũ.
Primus significat occultum peccatorũ.
Matth. 5.
Secundus denotat eum qui facto externo peccauit.
Tertius designat eum qui peccare consueuit.
Gen. 19.9.

Lapis est mala consuetudo.

Quatuor peccati gradus.

tamquam sepulti sunt. Sed quid dicamus, fratres? Ita sepulti, vt de Lazaro dictum est, Iam putet. Moles illa imposita sepulchro, ipsa est vis diræ consuetudinis, quâ premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem, Quatriduanus est. Reuerà ad istam consuetudinem, de quâ loquor, quarto quodam progressu peruenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertium factum, quarta consuetudo. Sunt enim qui res illicitas obuias cogitationibus suis prorsus ita abijciunt, vt nec delectentur. Sunt qui delectantur, & non consentiunt. Nondum perfecta mors est, sed quodam modò inchoata. Delectationi accedit consensio, iam est illa damnatio. Post consensionem in factum proceditur, factum in consuetudinem vertitur, & fit quædam desperatio, vt dicatur, Quatriduanus est, iam putet. Venit ergo Dominus, cui vtique facilia erant omnia, & difficultatem quamdam ostendit ibi. Infremuit spiritu, ostendit multo clamore obiurgationis opus esse ad eos qui consuetudine duruerunt. Tamen ad vocem clamantis Domini, rupta sunt vincula necessitatis: tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus viuus. Liberat enim & de malâ consuetudine Dominus quatriduanos mortuos. Nam ipse quatriduanus Christo volenti resuscitare dormiebat. Sed quid ait? Videte genus resuscitationis: processit de monumento viuus, & ambulare non poterat. Et Dominus ad discipulos: Soluite eum, & sinite abire. Ille suscitauit mortuum; illi soluerunt ligatum. Aliquid pertinere videte ad propriam maiestatem Dei suscitantis. Increpatur aliquis in malâ consuetudine positus, verbo veritatis. Quàm multi increpantur & non audiunt? Quis ergo agit totus cum illo qui audit? quis vitã inspirat intrinsecus? quis est qui secretã pellit mortẽ, secretã dat vitam? Nonne post obiurgationes, post increpationes dimittuntur homines cogitationibus suis, & incipiunt secum voluere quàm malã vitam gerant, quàm pessimâ consuetudine premantur? Deinde displicentes sibi, mutare vitam instituunt. Resurrexerunt isti, reuixerunt, quibus displicet quod fuerunt. Sed reuiuiscentes ambulare non possunt. Hæc sunt vincula ipsius reatus; opus est ergo, vt qui reuixit, soluatur, & ire permittatur. Hoc officium discipulis dedit, quibus ait: Quę solueritis in terrâ, soluta sunt & in cælo. Hæc ergo charissimi sic audiamus, vt qui viuunt, viuant; qui mortui sunt reuiuiscant. Si verò adhuc peccatum corde conceptum est, & non processit in factũ, pœniteat, corrigatur cogitatio, surgat mortuus intra domum conscientiæ. Siue iam quod cogitauit admisit, nec sic desperetur. Non surrexit mortuus intus, surgat elatus. Pœniteat facti, de proximo reuiuiscat, non eat in profundum sepulturæ, non accipiat desuper consuetudinis molem. Sed fortè iam illi loquor, qui iam duro sui moris lapide premitur, qui iam vrgetur consuetudinis pondere, qui iam quatriduanus putet. Nec ipse desperet; profundus mortuus est, sed altus est Christus. Nouit clamando terrena onera rumpere, nouit intrinsecus per seipsum viuificare, soluendum discipulis tradere. Agant etiam tales pœnitentiam. Neque enim Lazaro resuscitato post quatriduum vullus putor in viuente remanserat. Ergo qui viuunt, viuant; quicumque autem mortui sunt, in quacumque harum trium morte se inuenerint, agant vt celeriter iam resurgant.

Christus suscitat, discipuli soluunt.

Solutione indiget qui reuixit.

VERS. 47. Collegerunt ergo Pontifi-
ces & Pharisæi concilium, & dicebant:
Quid facimus, quia hic homo multa
signa facit?
48. Si dimittimus eum sic, omnes
credent in eum: & venient Romani, &
tollent nostrum locum, & gentem.
49. [a] Vnus autem ex ipsis Caiphas [a] Ioan. 18, 14
nomine, cùm esset Pontifex anni illius,
dixit eis: Vos nescitis quidquam,
50. nec cogitatis quia expedit vobis,
vt vnus moriatur homo pro populo, &
non tota gens pereat.
51. Hoc autem à semetipso non di-
xit: sed cùm esset Pontifex anni illius,
prophetauit, quòd Iesus moriturus erat
pro gente,
52. & non tantùm pro gente, sed vt
filios Dei, qui erant dispersi, congrega-
ret in vnum.
53. Ab illo ergo die cogitauerunt vt
interficerent eum.
54. Iesus ergo iam non in palàm am-
bulabat apud Iudæos, sed abijt in re-
gionem iuxta desertum, in ciuitatem
quæ dicitur Ephrem, & ibi morabatur
cum discipulis suis.
55. Proximum autem erat Pascha
Iudæorum: & ascenderunt multi Iero-
solymam de regione ante Pascha, vt
sanctificarent seipsos.
56. Quærebant ergo Iesum: & col-
loquebantur ad inuicem, in templo
stantes: Quid putatis, quia non venit
ad diem festum? Dederant autem Pon-
tifices & Pharisæi mandatum, vt si
quis cognouerit vbi sit, indicet, vt ap-
prehendant eum.

Iudæi beneficijs fiunt peiores.

BASILIVS SELEVCIENSIS *Orat.* 42. Miraculum, *inquit*, cùm esset perpetratum, alij mirabantur, alij ad Pharisæos referebant. Quid illi? cùm admiratione percuti ac percelli debuissent, volunt eum tollere qui mortuo vitam condonasset. O vecordiam! Eum qui in alienis corporibus mortem detriumphauerat, morti tradere moliuntur, & aiunt: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit. Hominem etiamnum appellant, tantâ Diuinitatis eius demonstratione perceptâ. Quid facimus? credere oportebat, colere, adorare, non hominem vltrà æstimare.

Vbi nota, ista verba, Quid facimus, *bifariam accipi posse. Nimirum, aut vt intelligantur seipsos arguere de longiori morâ occurrendi imminentibus periculis, quæ sibi imaginabantur: aut vt intelligantur quærere de eo*

quid deinceps faciendum esset, vt præsens verbum fecimus pro futuro faciemus sit positū, sicut codices quidam antiqui habere dicuntur, vt sensus sit, Quid fudemus faciendum? quid superest vt faciamus?

Vide autem impietatis & inuidiæ cæcam perturbationem. Confitentur Christum multa signa facere, & cùm inde gaudere deberent, eò quod illius miracula ad Rempublica sua gloriam vtilitatemque non parum conducerent, perturbantur quasi de re noxiâ & periculosâ. Timida quippe res est malitia sicut in Caino videmus dicente: Quicumque inuenerit me, occidet me. Fugit enim impius nemine persequente. *Porrò sequentibus verbis prætexunt se pro totius populi salute sollicitos esse; & volunt hoc negotium ad totius populi incolumitatem pertinere, cum verè privata commoda respectus, & ambitionis atque inuidiæ morbus, eos ageret in rabiem aduersus Iesum.* Si, inquiunt, dimittimus eum sic.

Malitia est semper timida.

Gen. 4, 14. Prou. 28, 1.

BASILIVS SELEVCIENSIS *Orat. 42.* Quid sibi, *inquit*, verba ista volunt? Reliquum vulgus sollicitare volunt, tanquam à tyrannidis suspicione sit periculum. Nam si eum, inquiunt, plebem sollicitantem animaduerterint Romani, veniemus apud eos in suspicionem tyrannidis, & ciuitatem nostram demolientur. Quid cautiz est, amabò? Numquid enim defectionem docebat? An non adhortatus est vectigal dare Cæsari? An non eum creare Regem voluistis, & fugit? cum quid sine lare & tecto, sine possessione vllâ vitam traduxit abiectam & ingloriam? Hæc dicebant, non id expectantes, sed inuidiâ perciti. Euenit autem, nihil ipsis minus expectantibus, Christoque sublato, & gentem Iudæorum, & ciuitatem Romani repetunt. At Christi gesta procul erant ab omni suspicione: nam qui ægros persanabat, & optimum vitæ genus edocebat, qui imperantibus parêre imperabat, non tyrannidem constituebat, sed dissoluebat. Quòd si ex præteriti temporis memoriâ quidquam conijcere est, illi defectionem docebant, Christus contraria omnia. Vides dicta ista plena fuisse simulationis. Nam quid tale monstrauit? numquid satellite claudebat latus, & vehiculo trahebatur? Nonne desertos locos captabat? At ne priuata mala loqui videantur, totam aiunt perditum iri ciuitatem, & commoue inuidijs peti, ac de summâ rerum verba fieri. Non hæc captiuitatis iugum vobis inuexerunt, non quam modò subijstis, non quam Babylone, non quam postea Antiocho regnante, sed longè alia; non qui vobiscum agebant viri religiosi, sed qui iniusti, quique cælestes vias aspernabant, vos hostium manibus dediderunt. Verum imprudentia cernit nihil, animos occæcat. Numquid Christus mansuetudinem docuit? numquid, non referire, malam ferientes? numquid iniuriâ lacessitos ferre? non leuiùs promptiusque iniuriam pati quàm inferre? Hæccine sunt tyrannidem constituentis, an tyrannidem euertentis? Verùm quod principio dicebam, inuidia graue malum est, plerumque simulationis. Haec orbem terrarum infinitis oppleuit malis: ex hoc visio factum vt tribunalia compleantur: ex hoc æmulationes, & pecuniarum cupiditas, & ambitio, & inanis gloria. Hinc itinera latronibus infesta obsidentur, & per mare piratæ volitant. Hinc in mundo cædes, hinc genus humanum dissidijs laceratur. Quodcumque videris malum, ab inuidentiâ profectum esse cognosces, quæ & in Ecclesias grassata est, & iampridem mala plurima importauit. Hic morbus auri sitim peperit, omnia sursum deorsum

Pharisæi plebem concitant.

Iudæis euenit quod timebant.

Multorum malorum causa est inuidia.

agit, & iustitiam corrumpit. *Hisce similia habet*

S. BASILIVS MAGNVS *Hom. 11. inter Varias, de inuidiâ sic loquens:* Quid hoc morbo perniciosius? Interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ea Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria. Per inuidiam diabolus palàm Deo aduersarius inuentus est. Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidijs petijt hominem. Eamdem & Cain vsus est admittere, primus diaboli discipulus, inuidiam & cædem ab eo edoctus, quas & Paulus simul iunxit, inquiens, Plenos inuidiâ & cæde. Quid igitur ille admisit? Vidit e Deo honorem fraternum, & exarsit in inuidiam, atque eum qui honoratus erat à Deo occidit, vt irritaret Deum qui illum honorauerat. Cùm enim impar esset ad debellandum Deum, in cædem incidit fraternam. Quare inuidiam fugiamus, pugnæ in Deum magistram, homicidij matrem, naturæ confusionem, amicitiæ expertem, calamitatem absurdissimam. Quid miser homo angeris nihil mali passus, aut quid eum petis, qui de tuo nihil detrahit, aut minuit? Si verò beneficio quoque deuinctus obtrectas, inuides, maledicis, nonne vides te contra tuum commodum contendere? Talis profectò Saul erat, cui beneficiorum magnitudo causa fuit, vt aduersus Dauid insurgeret. Demum admirabili eius musicâ à morbo liberatus, hastam in eum intentauit. Deinde cùm ipse cum suo exercitu ex inimicis seruatus, & à dedecore ex Goliâ proueniente rursus liberatus esset, cùm puellæ dicerent, Saul percussit mille, & Dauid decem millia, ob hanc solam vocem, primùm hominem per se ipsum interficere, & insidiosè amouere tentauit, deinde exulem constituit, contraque eum exercitum duxit. Nec aliud belli causa fuisse apparet, quàm Dauidis successus & gloria. Inuidia ergo genus est inimicitiæ, intractabile quidem atque admodum insuperabile. Nam cùm beneficentia eos qui alioquin sunt infesti, reddat mitiores, malignum tamen & inuidum magis irritat atque ad odium acuit, quanto que magis fortuna crescit, tantò ille maiori premitur dolore atque luctu. Quod animal tam agreste est, quod feritate non vacat? Canes educatione mansuescunt, leones obsequio tractabiles fiunt, inuidi tantùm officijs agrestiores euadunt. Quid quæso Ioseph ex ingenuo seruum fecit? Nonne fratrum inuidia? Veriti enim illi somniorum exitum, seruū fratrem fecerunt, eumque perdiderunt, ne aliquando adorarent. Sed ex diuinâ hoc contigit prouidentiâ, vt astutia illorum inuerteretur. Per ea enim, quibus impedire seditionum consilium putauerunt, paulò pòst illud ad exitum perduxerunt. Christus etiam hic Dominus ob inuidiam tantis est petitus insidijs. *Tota siquidem ratio cur Christum perditum irent, erat quia verebantur ne nimis Christi gloria excresceret, & per consequens eorum auctoritas minueretur.* Si, enim *inquiunt*, dimittimus eum sic, omnes credent in eum. *id est, si patimur eum pergere eâ ratione quâ cœpit, futurum est, vt quemadmodum nunc multi in eum credunt, & magnificè de eo sentiunt, ita mox omnes eum credant esse expectatum Messiam Regem Iudæorum.* Et venient, *inquiunt* Romani, & tollent locum nostrum & gentem. *Vnde apparet cæcitas istorū consultorum. Cum enim per signorum operationem experirentur maximam esse Christi potentiam, satis poterant aduertere, si volebant, se illius potentia & virtute fretos, Deo (quem cum ipso esse miracula loquebantur) auxiliante*

Inuidiæ elogia.

Inuidia beneficiis magis accenditur.

1. Reg. 18.

Gen. 37.

Cæcitas Iudæorum.

tutos

tutos esse posse à Romanis, imò, ipsosmet Romanos debellaturos, maximè cùm expectarent Meßiam temporaliter regnaturum, & ab omnibus gentibus Iudaicum populum liberaturum.

ORIGENES *in aureâ Catenâ*, Est igitur, *inquit* per ea quæ dicuntur ab ipsis considerate eorum insipientiam & cæcitatem. Insipientiam quippe, quia testificabantur illum & multa peregisse miracula, & tamen æstimabant se posse aduersus eum æmulari, velut non posset pro se aduersus eorum æmulationes. Cæcitatis autem hoc ipsum erat: ad facientem enim tot miracula pertinebat, vt se ab eorum insidijs eximeret, nisi fortè non crederēt quòd signa fecit, vel ea putarent non fieri diuinâ virtute. Hi quidem igitur deliberabāt non dimittere eum, opinantes se per hoc esse impedimento volentibus credere in eum, & Romanis ne eis auferrent terram & gentem. *Pulchrè ad hæc*

Iudæi timuerunt vbi nō erat timor.

S. AVGVSTINVS *in Psal.* 13. Illic trepidauerunt timore vbi non erat timor. Id est, in damno rerum temporalium. Dixerunt enim, Si relinquimus eum sic, credent in eum omnes, & venient Romani, & tollent nobis & locum & gentem. Timuerunt regnum terrenum amittere, vbi non erat timor: & amiserunt regnum cælorum, quod timere debuerant: & hoc de omnibus temporalibus commodis intelligendum est, quorum amissionem cùm timent homines, ad æterna non veniunt.

Iudæi amiserunt regnum, volentes seruare regnum.

Et in Psal. 53. O stultitis, & imprudentia! Timuisti perdere terram, & perdidisti cælum: timuisti ne venirent Romani, & tollerent tibi locum & gentem; numquid tibi tollerent Deum? Quid ergo restat? Quid, nisi vt iam fatearis quia tenere voluisti, & tenendo malè amisisti? perdidisti enim locum & gentem occidendo Christum; & perdidisti & locum, & gentem, & Christum.

Obseruat autem hic Euangelista, illam Caiphæ sententiam, Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, *&c. tametsi ex parte proferentis impietate plenam, dictatam tamen à Spiritu sancto. Caiphas quidem vt Christo infensissimus, priuato odio idem iudicabat cum alijs, scilicet Christum occidendum esse ad euitandum odium Romanorum. Sed Spiritus sanctus Caipha hoc dicere volenti (vtpote publico Pontifici & capiti Ecclesiæ) ea verba obiecit, quibus mysterium simul panderet, & verissimam in Christum fidem potiùs confirmaret, ac definiret; scilicet expedire, vt Christus pro populo, id est pro salute populi & mundi moriatur. Alioquin enim secundùm mentem Caiphæ potiùs dicendum fuisset, expedire vt vnus moriatur pro populo, id est potiùs quàm totus populus. Hinc, vt S. Ioannes aduertit, discere possumus, quantam curam Deus semper habuerit Ecclesiæ. Quod si veteris iam deficientis, quantò magis nouæ in eius locum succedentis, & quomodo caput Ecclesiæ dirigat! Quamquam autem Caiphas hic prophetauerit, non idcircò tamen Prophetam dicendum censet*

Prophetia Caiphæ qualis fuerit.

ORIGENES *in aureâ Catenâ, dicens*: Non quicumque prophetizat, Propheta est; sicut non quicumque ius prosequitur, iustus est: sicut qui facit aliquod opus propter vanam gloriam. Caiphas ergo prophetauit quidē, nec tamen erat Propheta: sicut & Balaam. Audebit autē quis dicere, quòd non per Spiritum sanctū Caiphas prophetauerit, quia etiā Spiritus maligni est attestari Iesu & prophetare pro eo, iuxta illud quod dicitur: Nouimus te quòd sis sanctus Dei. Nā eius intentionis est, non fideles auditores efficere, sed incitare in prætorio considentes aduersus Iesum, vt eum perimerent. Deinde quòd dicit, Expedit vobis, quod pars eius prophetiæ fuit; dicit verū, vel mentitur. Nam si verū dicit, saluantur hi qui in prætorio aduersus Iesum nituntur mortuo Iesu pro populo, & pertingunt ad id quod expedit. Quod si inconueniens est, manifestū quòd non fuit Spiritus sanctus qui dedit hæc proferri, quia Spiritus sanctus non mentitur. Si autē quis velit veridicum & in hoc esse Caipham, conuertetur illi qui gratiâ Dei pro omnibus gustat mortem, & qui est Saluator omnium hominum, maximè fidelium. 1. Tim. 4. 1.

Luc. 4. 34.

Fatebitur etiam, cuncta quæ sunt in hoc loco prophetiam esse veridicam, incipiendo ab illo, Vos nihil scitis. Nihil enim nouerant, qui Iesum ignorabant esse veritatem, sapientiā, iustitiam, & pacem, & quòd ipsis quoque erat expediens, vt hic vnus, in quantum est homo, moriatur pro populo. Non enim in quantum est imago inuisibilis Dei, est susceptibilis mortis. Pro populo autem obijt, velut potens totius orbis culpam, in seipsum retorquendo, dissipare ac delere. Ex hoc verò quod dicit, Hoc autem ex semetipso non dixit, docemur quòd aliqua nos homines per nos dicimus, nullâ inducente virtute ad proferendum: quædam verò suadente nobis quadam virtute, etsi non integrè exprimamus, & sic consequenter disponamur ad ea, insectantes ea quæ dicimus, sed non intentione dictorum: velut Caiphas ex se nihil protulit, sed dixit intentionem suam, quia prophetiam dicti non accipiebat. *Vnde ibidem rectè*

S. CHRYSOSTOMVS, Vide, *inquit*, quanta Spiritus sancti virtus sit. A mente etiam malâ valuit verbum proferre prophetiæ. Vide etiam quanta est pontificalis virtus potestatis. Pontifex enim effectus, etiam indignus existens, tamen prophetauit, nesciens quid diceret. Ore enim solùm vsa est gratia, contaminatum autem cor non tetigit. *In quo mira profectò Dei sapientia elucet, vt qua etiam maximo scelere, tamquam instrumento vtatur ad opus infinita misericordia exequendum, ex summâ malitiâ maximum bonum elicere sciens. vti pulchrè ostendit*

Deus etiam malis vtitur ad bonum.

ORIGENES *Hom.* 14. *in cap.* 22. *Num.* Veniamus, *inquit*, ad Ioseph. Tolle malitiam fratrum eius, tolle inuidiam, tolle omne illud parricidale commentum, quo sæuierunt in fratrem vsque quò vendiderunt eum. Si hæc auferas, vide quantam simul peremeris Dei dispensationē. Simul enim abscindes cuncta illa, quæ apud Ægyptum per Ioseph pro salute omnium gesta sunt. Non fuisset interpretatio somnij Pharaonis, si per inuidiam fratrum non fuisset Ioseph distractus, & venisset in Ægyptum. Nemo intellexisset quæ Deus reuelauerat Regi, nemo frumenta congregasset in Ægypto, nemo necessitatem famis sapienti prouisione curasset. Perijsset Ægyptus, perijssent & finitimæ regiones fame. Interijsset etiam ipse Israel, & semen eius quærens panem, si ipsam Ægyptum non fuisset ingressus, nec egressi fuissent ex eâ filij Israel cum mirabilibus Domini. Nemo rubrum mare siccis vestigijs incessisset. Cibum mannæ mortalis vita nescisset, nulla de sequenti petrâ aquarum fluenta proruppissent. Lex à Deo hominibus data non fuisset; quæ in Exodo, quæ in Leuitico, in Numeris etiam & Deuteronomio referuntur ad humani generis scientiā, non venissent. Hereditatem certè paternam, & Terram promissionis nullus intrasset. *Et infrà*: Quòd si etiam noui Testamenti cupis hæc testimonijs confirmari; si auferas

malitiam Iudę, proditionemque eius perimas, abstuleris pariter & crucem Christi & passioné eius. Et si non sit crux, non exuuntur principatus & potestates, nec triumphantur in ligno crucis. Si non fuisset mors Christi, vtique nec resurrectio fuisset, nec extitisset aliquis primogenitus ex mortuis, nec spes nobis resurrectionis fuisset. Ex quibus omnibus colligitur, quia Deus non solùm bonis vtatur
Rom. 9, 21 ad opus bonum, sed & malis. In magnâ enim hac huius mundi domo, non sunt tantummodò vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & alia quidem ad honorem, alia autem ad contumeliam, vtraque tamen necessaria.

S. GREGORIVS *lib. 6. Moralium*, Persecutores igitur, *inquit*, peregerunt hoc quod perniciosè moliti sunt, intulerunt mortem, vt ab eo abscinderent fidelium deuotionem: sed fides inde creuit, vnde se hanc extinguere infidelium crudelitas credidit.

Christus persecutores ad tempus deuitat. *Sequitur:* IESVS AVTEM NON IAM PALAM AMBVLABAT, &c.] S. AVGVSTINVS *in aureâ Catenâ*, Non, *inquit*, quia potentia eius defecerat, in quâ si vellet palàm cum Iudæis conuersaretur, & nihil ei facerent; sed exemplum discipulis demonstrauit, quò appareret non esse peccatum, si fideles eius oculis persequentium se subtraherent, & furorem sceleratorum latendo potiùs euitarent, quam se ostendendo magis accenderet.

Pulchram autem explicationem anagogicam loci huius tradit ORIGENES *ibid. in Catena, vbi ait:* Quo ad anagogiam verò dicatur, quòd Iesus dudum cum fiduciâ ambulabat inter Iudæos, cùm Verbum diuinum per Prophetas in ipsis conuersabatur: sed abijt illuc, nec est Verbum Dei inter Iudæos. Accessit autem ad villam quæ est prope desertum, de quâ dicitur: Multi filij desertæ magis quàm coniugatæ. Villa autem dicitur Ephrem, quæ interpretatur Fertilitas. Fuit autem Ephraim frater Manasse senioris populi obliuioni traditi. Post populum enim obliuioni datum, & prætermissum, prodijt ex Gentibus abundantia. Discedens ergo à Iudæis Dominus, venit in terram totius orbis prope desertam Ecclesiam, quæ dicitur ciuitas secunda, & ibi moratur cum discipulis vsque nunc.

Quomodo Iesus quærendus. VERS. 56. QVÆREBANT ERGO IESVM, &c.] ALCVINVS *in Catenâ aureâ*, Illi, *inquit*, quærebant Iesum non benè: nos autem quæramus eum stantes in templo Dei, mutuò nos consolando, vt veniat ad idem festum nostrum, & suâ præsentiâ nos sanctificet.

S. LVCÆ CAPVT XVIII.

Matt. 20, 17. Marc. 10, 32. VERS. 31. "Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis.

32. tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur:

33. & postquam flagellauerint, occident eum, & tertiâ die resurget.

CHRYSOSTOMVS in Matth. cap. 20. Hom. 66. 84. PRIVATIM autem coram discipulis de passione disserit: non enim coram multitudine hæc efferenda erant, ne sermone hoc turbaretur. Propterea verò discipulis prædicebat, vt expectatione exercitati, faci-
Christus paulatim discipulos de suâ passione docet. liùs passionis dolorem perferrent. Hac quoque de causâ de morte solâ primò faciebat mentionem: cùm autẽ corroborati fuerant, cetera quoque adiecit, quòd scilicet, tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum. Et prudens quidem secundùm tempus rem dispensat: postquam enim illos vitæ æternæ pollicitationibus excitasset, subintulit sermonem de passione. Subiungit autem posteà quoque grauiora, triduanam scilicet resurrectionem.

85. Eorum stoliditatem magnoperè atque ad stuporem vsque miror, qui, quam ob causam Christus ante tres dies resurrexerit, percontantur. Nam si eum quoque omnino non resurrexisse asserant, ecquid temporis minutias ieiunè ac morosè vrgent? Sin autem eum quidem ad vitam redijsse, verùm citiùs quàm promiserat, ex hoc ipso quòd ad vitam redijt, illud quoque vnà demonstratum esse existiment, ipsum omnino verè locutum esse. Nam cùm id quod impossibile & erat & videbatur (si quidem imbecillitatem hominum spectes) præstiterit, profectò in eâ re, quæ potestatem minime excedebat, haudquaquam elanguisset. Tametsi etiam tardè resurrexisse, imbecillitatis, confestim autem, maximæ potentiæ argumentum existat. Ac quidem ipsos, tum ex eo quòd infinitum gentilitiorum deorum catalogum deleuerit, ac de medio sustulerit; tum quòd omnia idolorum fana subuerterit, & impuras ac sacrilegas aras, quæ humano cruore tingebantur, extinxerit, atque diaboli quidem neruos ac robur infregerit, dæmones autem in fugam conuerterit, ac præterea truculentas & immanes nationes mitigarit. Iudæos autem in maximas calamitates coniecerit, eos denique qui fidem amplexi sunt supra cælum euexerit, diuinam ipsius inuictamque potentiam adorare oportebat, non autem de aliquot horis altercari: neque enim quæ maxima omnique sermone præstantiora sunt exiguis rebus euerti queant. Ceterùm quoniam ingens veritatis copia & amplitudo est, ad ipsam quoque rem accedere conabor. Ac primùm velitationis cuiusdam causâ ad eos hęc dicentur: Si debitorem aliquem, qui se creditori suo post tres dies debitam pecuniam persoluturum promisisset, ante præstitutum diem soluisse conspexerimus, vtrùm tandem eum vt mentientem condemnabimus, an potiùs vt promissi fidem magis explentem admiratione prosequemur? Equidem ego hoc posterius existimo, atque omnino vos quoque. Quidnam igitur absurdi est, si Christus item, cùm se tertiâ die resurrecturum dixisset, citiùs tamen

ISIDORVS Epist. 112. Cur Christus ante triduum expletum resurrexerit.

men à morte ad vitam rediјt, tum vt suam potentiam conspicuam redderet,tum vt custodes exanimaret, ac Iudæorum ora comprimeret. Etenim quòd maturiùs resurrexisset,à crimine ac reprehensione alienum erit: at si seriùs reuixisset, suspicionis plena hæc res extitisset. Oportebat quippe coram assidentibus atque custodibus satellitibus resurrectionem fieri: nam si exactis diebus ac remotis custodibus extitisset, suspicionem habitura res erat. Quòd si non resurrexerit, quonam pacto in ipsius nomine Apostoli tanta signa ediderunt? Quonam autem pacto digni quibus fides haberetur, testes non essent, qui per sexcenta pericula & mortis genera resurrectionis veritatem confirmarunt, testimoniumque suum non atramento sed cruore suo consignarunt. Quòd si ad exactam & accuratam huius quæstionis explanationem descendendum sit, illud dixerim: Tertio die resurrecturum se dixit. Habes parasceuen, habes sabbatum vsque ad solis occubitum. Ac post sabbatum resurrexit, attacto quidem vtroque die, medio autem expleto atque confecto. In tribus enim diebus resurrecturum se dixit, non autem post tres dies. Soluite namque templum hoc, inquit, & in tribus diebus excitabo illud. Atque item Propheta vaticinans his verbis vtebatur: Tunc mors lugebit, fortiore morte deuicta. Sanabit nos post duos dies: in tertio resurgemus, & viuemus in eo. Quòd si tres dies ac noctes nobis obijciant, illud dixerim, quòd hoc ipso quòd eas attigerit, id quod pollicitus fuerat, expleuerit. Vnus enim dies quatuor & viginti horarum spatium appellatur: atque siue in primâ, siue in postremâ harum quispiam in lucem prodeat, aut è vitâ discedat, hic ipsi dies computatur. Verbi gratiâ: si sole ad occasum vergente quispiam nascatur, sit autem dies illa prima mensis, hæc ipsi adscribetur. Si autem cùm iam occiderit, alter procreetur, secunda. Qui fit igitur vt cùm vnica dumtaxat, imò fortasse ne vnica quidem hora intercesserit, ille primâ, hic secundâ die in lucem editus fuisse dicatur? Nimirum quia id cunctis perspicuum & manifestum est, quòd ob attactum solum, ille quidem præteritum, hic autem insequentem diem, qui vigintiquatuor horarum curriculo conficitur, expleuit. Quapropter cùm exacta quoque temporum consideratio hoc clamet, quid frustrà seipsos contundunt, qui Veritatem à veritate aberrasse affirmant?

VERS. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

SALVATOR quidem hæc sanctis Apostolis prædixit, Ipsi verò, inquit, non intellexerunt ea quæ dicebantur. nondum enim nouerant accuratè quæ Prophetæ prædixerant. Quare primus discipulorum mysterij adhuc profunditatem ignorans, surrexit, dicens: Miserere tui Domine, non fiat hoc tibi. correptus est autè dum hoc diceret. Postquam verò Christus à mortuis resurrexit, aperuit oculos eorum, sicut quidam Euangelistarum scripsit. illuminati enim fuerunt à Spiritu sancto, qui illis Scripturarū sensum aperuit, ita vt & ipsi dicerent: Habemus & nos firmiorem Propheticum sermonem, cui rectè facitis attendentes, tamquam faci in tenebroso loco lucenti, donec dies splendeat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris. CYRILLVS

87. Attende autem quàm diuersimodè omnes Christi crucem prædixerint. Ac primus quidem Patriarcha Iacob de illâ instituens sermonem, ait: Ex germine fili mi ascendisti, per germen Deiparam Virginem, & immaculatum eius partum significans. Deinde subiungit, Recumbens dormisti vt leo, & quasi catulus leonis. Quis suscitabit eum? non alius profectò, quàm ipse se. Quid autè sibi vult illud, Dormiuit vt leo? Quemadmodum leo non vigilans modò, sed & dormiens formidabilis est, sic & Christus non ante crucem tantùm, verùm etiam in ipsâ morte formidini fuit, maximaque patrauit miracula, solis cursum inuertens, lapides scindens, terram concutiens, velum templi diffindens. Tum in meridie nox ingruebat, tum mors destructa est, & tyrannis eius dissoluta. Multa tum sanctorum defunctorum corpora surrexerunt. Similiter & Dauid de cruce loquens prædixit: Foderunt manus meas & pedes meos, & quæ à militibus gesta sunt adiungit: Diuiserunt sibi vestimenta mea; & vt lancea eum transfixerunt, Videbunt, inquit, in quem confixerūt. Isaias verò ait: Tamquam ouis ad occisionem ductus est. & Dauid iterùm tribunal describens, dicit: Quare fremuerunt gentes, & quæ sequuntur. de proditore, quòd eius cōuiua esset, Qui edebat, inquit, panes meos, magnificauit super me supplantationem. & prolatam in cruce vocem, Deus Deus meus quare me dereliquisti. & sepulturam, Posuerunt me in lacu inferiori. & resurrectionem, Non derelinques animā meam in inferno. Isaias etiam sputa, colaphos, verbera, flagellationemque describens, Dorsum meum, inquit, dedi ad flagella, & genas meas ad alapas, & faciem meam non auerti à confusione sputorum. En vt Prophetæ & crucem & crucis causam prædixerint, cum eius fructu. ait enim Isaias: Propter peccata populi mei

CHRYSOSTOMVS. Gen. 49. LXX. Vulgata habet, ad prædam. Matth. 27, 51. Marc. 15, 38. Psal. 21, 17. Isaiæ 53, 7. Psal. 2, 1. Psal. 40, 9. Psal. 21, 2. Psal. 87, 5. Psal. 15, 10 Isai. 50, 6.

mei veni in mortem. Deinde eius fructum subiungit, dicens. Liuore eius nos sanati sumus:

SVPPLEMENTVM.

Vt ordinem historiæ prosequamur, hic interserendum est illud vbi filij Zebedæi primatum Christus negat, officióque ministerij, non ostensione dominij, nos debere esse maiores ostendit. Quod à S. Luca prætermissum præter S. Marcum cap. 10. vers. 35. ita nobis describit

S. MATTHÆVS CAPITE XX.

Marc. 10, 35. VERS. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo.

21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo.

22. Respondens autem Iesus, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.

23. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.

Marc. 10, 41. 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

Luc. 22, 25. 25. Iesus autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos.

26. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister:

27. & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.

Phil. 2, 7. 28. sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam, redemptionem pro multis.

Quæ fit mater filiorum Zebedæi.

AVCTOR *Imperfecti notat hanc matrem filiorum Zebedæi fuisse Salomen. Ita enim eam vocat S. Marcus cap. 15. v 40 quam S. Matthæus cap. 27. v 56. vocat matrem filiorum Zebedæi. Pro concordiâ verò obserua, matrem hanc instigatam fuisse a filijs, seu potiùs filios locutos per matrem: atque ita S. Chrysostomus Homil. 66. in Matth. & S. Augustinus lib. 2. de Consensu Euang. cap. 64. Matthæum cum Marco conciliant, qui cap. 10. v. 35 ait:* Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, vt quodcumque petierimus, facias nobis, *&c. Theophylactus autem in cap. 10. Marci, ait, verosimile esse vtrumque fuisse factum; nimirum & Apostolos pudore quodam matrem præmisisse, & deinde ipsos seorsim adiisse.*

ORIGENES *in aureâ Catenâ*, Sicut, *inquit*, in regno mundiali io honore esse videntur, qui sedent cum Rege; non fuit mirum si mulier muliebri simplicitate vel imperitiâ talia se debere petere æstimauit: & ipsi fratres adhuc imperfecti, & nihil altiùs cogitantes de regno Christi, talia arbitrati sunt de his qui sedebant cum Iesu.

Quid per sessionem intelligerent filij Zebedæi.

CHRYSOSTOMVS *ibidem*, Videbant enim, *inquit*, se honoratos præ alijs, & audierant, Quia super duodecim thronos sedebitis, vnde primatum ipsius cathedræ petebant accipere. Et quòd quidem plus alijs honoris apud Christum habebant, nouerant; timebant verò Petrum sibi præferri. Vnde & alius Euangelista dicit, quòd quia prope erant Ierusalem, putabant quòd regnum Dei esset in ianuis, id est aliquid sensibile. Vnde manifestum est quòd nihil spiritale petebant, nec intelligentiam superioris regni habebant.

IBIDEM *tamen paulò pòst dicit, matrem sibi nihil terrenum, sed cæleste aliquid pro filijs petiuisse. Ait enim sic:* Non dicimus, quòd rectè peteret hæc mulier, sed hoc dicimus, quia non terrena, sed cælestia filijs suis optabat. Non enim sentit sicut ceteræ matres, quæ corpora natorum suorum amant, animas autem contemnunt: desiderant illos valere in sæculo isto, & non curant quid sint passuri in illo: vt ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum. Æstimo autem quòd hi fratres, cùm audissent Dominum de passione ac resurrectione suâ prophetantè, cœperunt dicere intra se eùm essent fideles: Ecce Rex cælestis descendet ad regna tartarea, vt regem mortis destruat: cùm autem victoria fuerit consummata, quid aliud restat, nisi vt regni gloria subsequatur?

Magna fides mulieris tempore passionis dignitatem pro filijs postulantis.

BASILIVS SELEVCIENSIS *Orat. 24.* O matrem, *inquit*, filiorum impensè amantem, & piam mulierem! materiam inuenit natura, filijs vt gratificetur. Verùm exactè videamus dictionem, quâ mulieris fides inclarescit: Euangelistam intueamur mulieris laudatorem. Tunc, inquit, accessit ad eum mater filiorum Zebedæi. Vis, inquit, mulieris fidem cernere? supplicationis quære tempus. Quando libellum supplicem offert? quod postulationis tempus? Crux erat parata, passio appetebat, Iudæorum instructus erat exercitus, Dominus de morte sermocinatur, discipuli æstuant, ante passionem ad mentionem de passione cohorrescunt, auribus percelluntur, animo perturbantur, ac tunc mater incurrit, secans Apostolorū chorum, Regiam affectans potestatem, & thronum filijs rogans. Quid ais, ô mulier? crucem audis, & thronum rogas? De passione sermo, & regnu inhias? Sine discipulos vacare timori, sine suas in periculum curas partiri. Vnde tantæ tibi dignitatis quæstio? quid eorū quæ dicuntur, siúnetve te commouit ad regni postulationem? passionis commemoratio? crucis expectatio talia te quærere propulit? Video, inquit, passionem, animo tamen resurrectionem prouideo. Video crucem pangi, sed video cælum pandi. Video clauos, sed & thronum imaginor. Vidi pridem matrem Virginem, quæ nixum tulit non à naturâ ortum, sed à gratiâ; & partum dispensationis, non

con-

confuetudinis. Vidi ftellã, quæ Per fidem ad hunc partum ẽmouit. Ioannem audiui clamantem, Ecce
Iof. 1, 29. agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Tam densa vidi miracula, quàm densæ de cælo niues cadunt. Vidi cum quã poteftate imperarit. Ipfum di-
Matth. 19, 21. centem audiui: Sedebitis & vos fuper fedes duodecim. Futura video fidei oculis. Anteuertit, vt apparet, latronis voces mulier. Ille in cruce orationes
Luc. 23, 21 offerebat, Memento mei in regno tuo: hæc ante crucem pro regno fupplicat, Dic vt fedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad finiftram tuam. O defiderium paffione maius! ô defiderium in folam futuri cogitationem intentum! Quæ temporis intercapedo remouebat à cognitione, fides intuebatur.

Verùm hæc magis per amplificationem ex pio erga matrem illam & filios affectu dicta, quam Euangelicis verbis conformia videntur, cùm in ijs non tam matris fides laudetur, quàm filiorum inordinata honoris cupiditas reprehendatur ac comprimatur, Christo ijs respondente: Nefcitis quid petatis.

Hoc enim dicit, *inquit* CHRYSOSTOMVS *in Catenâ*, oftendens quòd vel nihil fpirituale petebant, vel fi nouiffent quæ petebant, non aufi fuiffent tantum quid petere, quod fuperexcedit fuperiores Virtutes.

IBIDEM. Vel ideò dicit, Nefcitis quid petatis. quafi dicat: Ego vos vocaui ad partem dexteram de finiftrâ, & vos veftro confilio curritis ad finiftram, ideò fortitan per mulierem res agebatur. Contulit enim fe diabolus ad confueta arma mulierum, vt ficut Adam per mulierem fpoliauit, ita & iftos feparet per matrem: fed iam non poterat per mulierem perditio introire in Sanctos, ex quo de muliere falus cunctorum proceffit. Vel ideò dicit, Nefcitis
5 quid petatis: non enim folùm debemus cogitare qualem gloriam confequamur, fed quomodo euadamus ruinam peccati, quia & in fæculari bello qui femper de prædâ victoriæ cogitat, difficilè vincit. Ideò petendum erat, Da nobis auxilium gratiæ tuæ, vt omne malum vincamus.

Nefcit quid petat qui prælaturam affectat.

Nefciunt profectò quid petant ambitiofi ac ftulti homines, dum tanto ftudio dignitates requirunt, nec expendunt quantis fe periculis exponant. Nam fi Prælati, qui neceffitate compulfi funt ad onus officij fubeundum, adhuc magno fubdantur periculo, maiori vtique, qui fefe fponte ingerunt, & Prælationem affectant, vti pulchrè

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 34 in cap. 13. Epift. ad Hebræos ait:* Quid dicamus infelicibus illis & miferis, qui femetipfos ad alios regendos præcipitant, & fe in tantorum fuppliciorum abyffum iactant? Omnium quos regis, mulierum, puerorum, virorum, tu rationem redditurus es, tanto igni tuum fubijcis caput. Miror fi poteft faluari aliquis rectorum. Poft tantam enim comminationem quam negligentiæ videmus illatam, video aliquos etiam concurrere & præcipitare femetipfos tantæ moli ac tantæ difficultati regiminis. Si enim qui neceffitate compelluntur, nullum poterunt habere refugium, nec vllam excufationẽ reperient, quando res malè tractauerint, & quando negligenter adminiftrationem gefferint fuam: (nam & Aaron neceffitate compulfus eft, & tamen in periculum venit; fed & Moyfes pericula fæpè fuftinuit, qui regimen illud recufauerat: & Saul cui alius commiffus eft Principatus, poftquam recufauit, in pericula incidit, quia malè fui regiminis adminiftrauit officium:) quantò ergo ampliùs qui cum ftudio & ambitione petunt Principatum, & femetipfos præcipitant, feueriùs punientur? Huiufmodi enim homo multò ampliùs fibi locum veniæ claudit. Oportet ergo timere ac tremere, & propter confcientiam, & propter molem ac magnitudinem curæ. Et neque dum quis ad Principatum trahitur, recufare, & neque dum non trahitur, quifquam femetipfum præcipitare, fed confiderantes tantæ dignitatis amplitudinem, oportet effugere, comprehenfos autem obfequium & reuerentiam oportet oftendere. Nihil immoderatè faciendum eft, fed antequam fiat, præfentiens quis refugiat, perfuadeat fibimetipfi, quòd ad illam rem fumendam indignus exiftat, comprehenfus autem, fimiliter reuerentiam exhibeat. Vbique modeftiam & ingenuitatem debes oftendere.

Principatus aut Prælatura nec affectanda, nec cùm imponitur nimis recufanda.

S. GREGORIVS *lib. 1. & parte Curæ paftoralis c. 1 ait:* Ab imperitis paftoribus magifterium paftorale fufcipitur in magnâ temeritate, quoniam ars eft artium, regimen animarum. Et tamen fæpè qui nequaquam fpiritualia præcepta cognouerunt, cordis fe medicos profiteri non metuunt: dũ pigmentorum vim nefciunt, videri medici carnis erubefcunt. Sunt nonnulli qui intra fanctam Ecclefiam
per fpeciem regiminis, gloriam affectant honoris, Matth 23, 6.
primas cathedras quærentes, & falutationes in foro, qui fufceptum curæ paftoralis officium mini- Marc. 12, 39.
ftrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad hu- Luc. 11, 46
ius humilitatis magifterium ea folâ elatione peruenerunt. Contra quos Dominus per Prophetam
queritur, dicens: Ipfi regnauerunt, & non ex Ofeæ 8, 4.
me: Principes extiterunt, & ego ignoraui. Ex fe autem & non ex arbitrio fummi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam diuinitus vocati, fed fuâ cupiditate accenfi, culmen regiminis rapiunt potiùs quàm affequuntur. Quos tamen internus iudex & prouehit, & non agnofcit: quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat.

Temeritatis eft affectare Prælaturam.

IDEM *eadem parte c 8.* Plerique, *inquit*, qui præeffe concupifcunt, ad vfum fuæ libidinis Apoftolum pertrahunt, qui ait 1. Tim. 3. Qui Epifcopatum defiderat, bonum opus defiderat: qui tamen laudans defiderium, in pauorem vertit protinus quod laudauit, cùm fubiungit: Oportet autem Epifcopum irreprehenfibilem effe. Et fauet ergo ex defiderio, & terret ex præcepto: ac fi apertè dicat: Laudo quod quæritis, fed priùs difcite quid quæratis, ne dum vofmetipfos metiri negligitis, tantò fœdior veftra reprehenfibilitas appareat, quantò & à cunctis confpici in honoris arce feftinatis.

AVCTOR IMPERFECTI *in Matthæum Hom. 35. explicans verba illa, in quibus Ioannes & Iacobus primatum petierunt à Domino, ait:* Bonum opus defiderare, bonum eft; primatum autem honoris concupifcere, vanitas eft: quoniam bonum opus implere, noftræ voluntatis eft & laboris, & ideò noftra eft merces, primatum autem confequi, iudicij eft Dei. Propter quod ex primatu honoris nefcio fi aliquam mercedẽ iuftitiæ adipifci meremur. Nam defiderium primatus ex iactantiâ nafcitur cordis: qui autem humilis eft corde, indigniorem fe alijs arbitratur, fecundùm illud præceptum Apofto-
cum, Superiores inuicem arbitrantes, numquã de- Rom. 12, 10
fiderat fuperior apparere. Primatus enim fugen- Phil. 2, 3.
tem fe defiderat, defiderantem fe odit.

Primatum concupifcere vanitas eft.

De illis quoque dignitatum venatoribus ita pulchrè ad Henricum Senonensem Archiepiscopum S. BERNARDVS *Epist. 42.* Curritur, *inquit*, in Clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tamquam sine curis iam quisque victurus sit, cùm ad curas peruenerit. Videntes quippe illos, qui iam proprios humeros cupitæ sarcinæ submiserunt, non solùm non gemere tamquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari. Non deterrentur periculis, qui cupiditate cæcati non vident, sed fauoribus ampliùs quos illis inuident, prouocantur. O infinita semper ambitio, & insatiabilis auaritia! Cùm primos honorum gradus meruerint in Ecclesiâ, meruerint autem vel vitæ merito, vel pecuniâ, siue etiam carnis & sanguinis (quæ regnum Dei non possidebunt) prærogatiuâ, non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quo vtique magis se mergis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur. Verbi gratiâ: Cùm factus quis fuerit in quacumque Ecclesiâ Decanus, Præpositus, Archidiaconus, aut aliquid huiusmodi, non contentus vno in vnâ, plures sibi, imò quotquot valet conquirere honores satagit, tam in vnâ quàm in pluribus. Quibus tamen omnibus, si locus euenerit, libenter vnius præferet Episcopi dignitatem. Factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat. Quo fortè adepto, rursus nescio quid altius somnians, laboriosis itineribus, & sumptuosis familiaritatibus Romanum statuit frequentare palatium, quæstuosas sibi quasdam exinde comparans amicitias.

Insatiabilis cupiditas honoris.

Huiuscemodi igitur honorum ac dignitatum sectatoribus merito dicatur illud Christi ad filios Zebedæi: Nescitis quid petatis. *Subditur autem,* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? *Ad quod im*

BASILIVS SELEVCIENSIS *Orat. 24.* Christus omissâ, *inquit*, matre cum filijs verba facit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? aut baptismo quo ego baptizor baptizari? Mater regnum postulauerat, obtentu facile arbitrata, sperabatque quod sperabatur, ea solâ postulatione rogantibus ubuentutum. Christus Dominus regni acquirendi modum docebat: Thronus laborum fructus est, & munus rogationis: vis, est passio, labores pro religione suscepti regnú merentur. Non tenuis hæc postulatio; sed passionis imitatio regnú conciliat. Si dignitatem amas, accede ad passionis societatem, ostende te cum Christo crucifixum, & in regni consessu spectaberis. Imis mercare summa. Quid tandem filij? Possumus. Desiderats res pertrahit sd patiendum.

Acquirendi regni modus.

Vbi nota, calicem pro passione sumi, idque, vt aiunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius ad hunc locum, quia Christus tam libenter eam subyt, ac si vini calicem potasset. Calix autē in Scripturis, vti & apud profanos, passim significat cuiusque hominis sortem, siue bonam, siue malam, quæ ei à Deo immittitur. Ducta est hæc metaphora à veteri ritu conuiuantium, quo conuiuy præses vinum pro suo arbitratu temperabat, & cuique portionem accommodam, quam exhauriri debebat, statuebat.

Calix pro quo sumatur.

Addunt hic Græca exemplaria, vti & S. Marcus cap. 10, 38. Καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι, *id est*, Et baptismo quo ego baptizor baptizari? *Vbi Origenes, Chrysostomus & Theophylactus putat, Christum passionem suam vocasse baptismum, eo quod illâ nos purificauerit. Vel, vt alij significantius, eò quod in illam Christus totus immersus fuerit, quod propriè est baptizari.*

CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ*, Potestis, *inquit*, bibere calicem? Ac si dicat: Vos mihi de honore & coronis loquimini, ego autem de agonibus vobis & sudoribus. Non enim hoc est præmiorum tempus. Ex modo autem interrogationis eos attrahit: non enim dixit, Potestis sanguinem vestrum effundere? sed, Potestis bibere calicem? Deinde addit, Quem ego bibiturus sum; vt ex communione ad ipsum alacriores fiant. At illi qui iam martyrij libertatem constanter retinebant, bibituros se pollicentur: vnde sequitur, Dicunt ei, Possumus. Vel dicunt hoc non tam ex fiduciâ suæ fortitudinis, quàm ex ignorantiâ: inexpertis enim leuis videtur esse tentatio passionis & mortis. Vel hoc ex desiderio promittunt: neque enim hoc dixissent, nisi expectassent audire quod petebant. Dominus autem eis prophetat magna bona, id est martyrio dignos effíciendos. *Sequitur enim:*

AIT ILLI: CALICEM QVIDEM MEVM BIBETIS.] S. HIERONYMVS *ad hunc locum*, Quæritur, *inquit*, quomodo calicem martyrij filij Zebedæi, Iacobus videlicet & Ioannes, biberint, cùm Scriptura narret Iacobum tantùm Apostolum ab Herode capite truncatum; Ioannes autem propriâ morte vitam finierit? Sed si legimus in Ecclesiasticâ Historiâ, quòd ipse Ioannes propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & relegatus in Pathmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.

Quomodo S. Ioannes biberit calicem, cum non sit mortuus martyrio.

S. GREGORIVS *Hom. 35. in Euang.* Si, *inquit*, adiuuante nos Domino virtutem patientiæ seruare contendimus, & in pace Ecclesiæ viuimus, & tamen martyrij palmam tenemus. Duo quippe sunt martyrij genera: vnum in mente, aliud in mente simul & actione. Itaque esse Martyres possumus, etiamsi nullo percutientiú ferro trucidemur. Mori quippe à persequente, martyrium in aperto opere est: ferre verò contumelias, odientem diligere, martyrium est in occultâ cogitatione. Nam quia duo sunt martyrij genera, vnum in occulto opere, aliud in publico; testatur Veritas, quæ Zebedæi filios requirit, dicens, Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Cui cùm protinus respondèrent, Possumus: illicò Dominus respondit, dicens: Calicem quidem meum bibetis. Quid enim per calicem, nisi dolorem passionis accipimus? de quo aliàs dicit: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Et Zebedæi filij, id est Iacobus & Ioannes, non vterque per martyrium occubuit; & tamen quòd vterque calicem biberet, audiuit. Ioannes namque nequaquam per martyriú vitam finiuit, sed tamen martyr exstitit, quia passionem quam non suscepit in corpore, seruauit in mente. Et nos ergo hoc exemplo sine ferro esse possumus Martyres, si patientiam veraciter in animo custodimus.

Duplex est martyrium.

Calix quid.

Vt Ioannes martyr fuerit.

HILARIVS *in aureâ Catenâ*, Dominus ergo, *inquit*, collaudans eorum fidem, ait, martyrio quidem eos secum compati posse, sed leuæ eius aut dexteræ assidere alijs à Deo Patre fuisse dispositum. Vnde sequitur: Sedere autem ad dexteram meam, aut ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Et quidem quantum arbitramur, ita honor iste alijs est reseruatus, quòd tamen nec Apostoli ab eo erunt alieni, qui in duodecim

Quibus datum dicatur ad Christi dexteram sedere.

cim Patriarcharum sedibus considentes Israëlem iudicabunt: & quantum sentire est ex ipsis Euangelijs, in regno cælorum Moyses & Elias assidebunt, quibus comitantibus cum gloriæ suæ habitu in monte apparuit. *Vbi Hilarius videtur sentire, Moysi & Eliæ ad dexteram & sinistram Christi sessionem esse deputatam: Euthymius verò putat, Petro & Paulo reseruatam: Chrysostomus verò, nemini:* Quia nemo, *inquit*, potest assurgere ad dexteram Christi, qui est à dexterâ Dei Patris. *Sed hæc nimis arctè ita sumi videntur: Christus enim generatim loquitur, ac si dicat*, quibus, *certantibus scilicet & vincentibus*, paratum est. *Et per dexteram aut sinistram non situm aut positionem intellige, sed præeminentiam præ alijs in regno, quam illi ratione cognationis & familiaritatis cum Christo ambiebant.*

Condonationem regni Christus adscribit Patri. *Nota autem hîc, non dici (vt Arriani volunt) quòd hoc dare, non Christi, sed solius paternæ sit potestatis; sed tantùm antithesim poni inter hos petentes, & eos quibus debetur. Nam Christi etiam esse dare regnum, patet Lucæ cap. 22, 29.* Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum. *Christus tamen hic potiùs dicit esse Patris, primò, quia vt homo semper se Patri subijcit: secundò, vt à se repellat petentes, & ad Patrem mittat: tertiò, quia vt sapientia, & opera sapientiæ Filio, bonitatis Spiritui sancto, ita potentiæ ac prouidentiæ, cuius pars est prædestinatio, appropriantur Patri. Pulchrè hîc*

Christus cur dicat non esse suum dare regnum. S. CYRILLVS *lib. 10. Thesauri cap. 5.* Filios, *inquit*, Zebedæi ad se vocat, nec acriter propter misericordiam suam eos increpat, ne doloris magnitudine mœstitiæque submergeret: sed dicit non esse suum dare. Nec naturæ suæ his verbis impotentiam (vt hæretici dicunt) ostendit: stultum enim omnino id dictum est, præsertim cùm iam præbuisse omnibus hoc inueniatur. Sed quoniam, inquit, iniustam petitis gratiam, quam me non decet vobis largiri, non est meum dare: iustus enim sum iudex, & honores singulis, quos per gratiam affero, quasi debitos laboribus virtutibusque suis distribuo. Ad hæc inani gloriâ moti, à dextris & à sinistris meis sedere concupijstis: id autem dare meum non est; non enim dabo morbum alicui, qui doceo atque hortor vt à morbo caueatis. Ita ergo id dicitur, quemadmodum si ignis, refrigerari petenti ab ipso, diceret: Non est meum dare id tibi, calefaciendi enim non frigefaciendi mihi natura inest. Sic Christus quoque dicit: Iustus sum munerum declarator in certaminibus positis, ac ideò non petentibus simpliciter largiri debeo, nec per iniuriam certantium omnium ad duos solùm honores traducere: sed pro rebus ab vnoquoque gestis, quasi debiti à me honores distribuendi sunt. Illi ergo iure hoc accipient, quibus à Patre meo (qui per me & in me omnia operatur) præparata hæc sunt. Nemo certè hîc suspicari debet, ideò à Patre honores præparatos dici, quia ipse præstare non possit: sed propter dispensationem incarnationis, sicut ab homine dicitur. Solet enim omnia quæ naturam hominis excedunt, Patri, vt Deo, attribuere. Nam cùm ipse quoque Deus secundùm naturam sit, atque vnum & idem cum Patre, omnia profectò poterit sicut Deus. Ab inani ergo filios Zebedæi glo-

Indignati sunt reliqui Apostoli. riâ, improbaq; ambitione deterret, ad modestiamque reducit, vt à sequentibus patet: molestè namque tulisse ceteri discipuli scribuntur, quoniam propositum omnibus honorem petitione mulieris rapi videbant. Et certè quantum ad ipsam, & ad filios suos fuerat, ereptus hic honor à ceteris fuit: Saluator autem (vt scribitur) vtrumque saliter, ne Zebedæi filios turbaret, ad doctrinam ipsorum & omnium, dixit: Gentium Reges & Principes earũ, dominantur ipsis: non sic erit in vobis: sed qui voluerit primus esse in vobis, erit omnium seruus. Deinde seipsum in exemplum proponit. Sicut, inquit, & Filius hominis venit, non vt sibi ministretur, sed vt ministret. Ita & Zebedæi filios, eodẽ sermone honestissimè castigauit, & ceteros accõmodatissimè consolatus est. Hac ergo de causâ, non quia non potuit, Non est meum dare, Zebedæi filijs respondit.

S. AVGVSTINVS *in Psal. 126.* Quid est, *inquit*, Non est meũ dare vobis? Non est meũ dare superbis; hoc enim adhuc erant. Sed si vultis illud accipere, nolite esse quod estis. Alijs paratum est: & vos alij estote, & vobis paratum est. Quid est, Alij estote? Priùs humiliamini, qui iam vultis exaltari. *Qui vult exaltari, humilietur priùs.*

AVCTOR IMPERFECTI *in Matthæum Hom. 35.* Iam, *inquit*, inter seruos Christi non sit de primatu certamen, nec festinet vnusquisque eorum quomodo alijs maior appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur: quoniam non qui maior fuerit in honore, ille est iustior, sed qui iustior fuerit, ille est maior. Conuersatio ergo melior est desideranda, non dignior gradus. Primatus in Christo nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri est inuidendus habenti. Quoniam Principes mundi ideò fiunt, vt dominentur minoribus suis, & spolient, & vsque ad mortem abutantur vitâ eorum ad suas vtilitates & glorias: Principes autem Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis, vt suas vtilitates negligant, & illorum procurent: vt si opus fuerit, nec mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus dicit 2. ad Cor. 12. Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ego ipse pro animabus vestris. Si hæc ergo ita se habent, sæcularem quidem primatum desiderare, etsi ratio non est, vel causa est; quia etsi iustum non est, vel vtile est. Primatum autem Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neque causa; quia neque iustum est, neque vtile. Quis enim sapiens vltrò se subijcere festinat seruituti, labori, dolori, & quod maius est, periculo tali, vt det rationem pro omni Ecclesiâ apud iustum iudicem, nisi fortè qui nec credit iudicium Dei, nec timet vti, abutens primatu suo sæculariter, conuertat primatum Ecclesiasticum in sæcularem? Denique ipsi honores in Christo in primâ quidem facie videntur honores, reuerà autem non sunt honores diuersi, sed sunt diuersa ministeria, vtputa honor oculi videtur, quia illuminat corpus, sed ipse honor illuminandi, non est ei honor, sed ministerium eius: ita & cuiusuis sancti honor, non est honor eius, sed actus & ministeria. *Principatus sæcularis in dominatione, Ecclesiasticus autẽ in ministratione situs est.*

S. LVCÆ CAP. XVIII.

VERS. 35. [a] Factum est autem, cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. *[a] Matth. 20, 29. Marc. 10, 46.*

36. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.

37. Dixerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret.

38. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei.

39. Et

39. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipse verò multò magis clamabat: Fili Dauid miserere mei.

ASTERIVS Ioan. 9, 1. *Cæci illuminatio quid insinuet.* 88. Hic cæcus alius est ab illo cæco à natiuitate, de quo Ioannes meminit, quem Saluator videns stetit, & ad sanandum paratus fuit, curatione humanam sapientiam artemque superante. Cæcitas autem hæc, ait Christus, non propter peccata accidit, sed præparatio est alterius dispensationis aliò tendentis, vtque creator vniuersorum post primam creationem inueniat etiam iam occasionem creandi, atque singulis vniuersa confirmet. Partem hominis, eamque pulcherrimam, non fecit alius, nisi qui primi initij generis creationem demonstrauit. Dominus igitur curationem perficit non solùm verbo, vt aliàs passim, sed & ore, manu, aliaque prouidentiâ, vt per plurimas res fidem infidelibus inderet. Matth. 8, 13. Ioan. 5, 4. Spuit, & lutum facit, terrâ simul vsus, vt vnde totum animal ab initio condidit, inde & partes eius singulas factas esse ostendat: saluâ demonstrans, virtute oris eius per verbum omnia esse facta: si verò & hoc scire libet, vt detestari assuefaciat eos, qui illum paulò pòst sputis fœdabunt; etsi furiosorum audacia maior fuerit omni prouidentiâ & correctione. Ioan. 9, 6. Siloë salutem nostrâ per aquas inchoat, quam Siloë emissus omnibus largitur: tunc enim verè videmus, quando mysticâ mundamur aquâ. Hîc igitur oculi pro te natâ restituti sunt, vt cogitationes parum decentes de Vnigenito, quas nobis caro ingenerauit, repellamus, & magnitudine eorum quæ facta sunt, animi abiectam omnem ac vilem opinionem deponentes, cognoscamus fictile ac luteum vas, beatum lumen ac Diuinitatis splendorem suscepisse, vnde lux nobis tamquam è lucernis administretur. Nequaquam tamen hoc ingratos Iudæos ad intelligentiæ lumen perduxit.

IDEM. 89. Quòd autem hic cæcus alius sit ab illo cæco nato, etiam aliunde manifestum est, maximè verò ex eo, quód illum quidem è templo egrediés sanauerit, hunc verò cùm appropinquaret Iericho. Ac illum quidem curauit, luto è sputo facto oculos illiniens, & in Siloë ablui iubens; huic verò id petenti extinctum lumen oculorum restituit, solo verbo vsus. In oculo autem, exigui membri & partis circumscriptione, omnipotentem variamque Dei sapientiam licet videre, in quo summa eius ars maximoperè relucet. *Oculi graphica descriptio.* Primùm quidem venustas quædam illi indita, & mollissimus est, & sine carne: &, vt ita dicam, in delicato membro soliditas est, & in molli, ordo varijs coloribus distinguitur. Media enim pars nigra est, & illa non tota vnius speciei, sed varijs circulis colligata est. Medium ipsum & centrum profundum est, ambitus extrinsecus desinit in colorem flaueum ex parte. Hunc extrà albedo splendida & lucida ambit, non solam habens albedinem, sed in vitreâ quadam radiantique formâ factam. Rubedo pupillæ circumfusa, vt nigredini venustatem adderet. Adhæc adeo pellucidus est ac læuus in spissitudine, vt rerum vicinarũ formas suscipiat, & tamquam speculum quoddam egregium characteres repræsentet: & circuli medium idcircò *κόρη*, hoc est pupilla vocatur, quia semper formam ex aduersum videnti humanam ostendit. Homines enim mutuò sese intuentes, mutua sibi specula fiunt. Quare oculus in creaturis admiratione sanè dignus est. Hic & Deũ mihi interpretatur, omnem cognoscens creaturam, & per ipsam creatorem ostendit, & è visibilibus animæ inuisibilia explicat. Per hunc cùm alia multa intellexi, tum colorum varietatem, & tenebrarum caliginem, tum denique lucis splendorem. Quòd si oculus non esset, sine teste creatura senesceret, nemine vidente Dei sapientiam, & virtutem in illâ seruatam. Propter hoc igitur admirandum oculorum opificium, etiamnum cæcorum oculi aperiuntur.

90. Sed mirum est quomodo hic cæcus, qui CHRYSOSTOMVS. nec legem nouerat, nec Prophetas legerat, nec Euangelium audierat, nec ab Apostolis fuerat instructus, Saluatorem inuocauerit. Vnde didicit hæc homo ille, qui nec libros perlegerat quippe visu priuatus, nec studijs vacauerat, vnicum habens vitæ propositum mendicationem? Vnde igitur cognouit lu- *Dominus cæcos illuminat.* men mundi qui non viderat? Verè Dominus illuminat cæcos. Multus enim erat populus circa Iesum, & cæcus eum quidem non nouerat, sed effectum sentiebat, atque per affectum rapiebat, quod non hausit aspectus. Sed ô miraculum! alia docetur, & alia prædicat. Rogabat quisnam illac transiret, & audit à populo quòd Iesus esset Nazarenus. Ipse verò non sic ipsum vocat, sed Iesum filium Dauid: & oculati quidem secundùm opinionem loquebantur, cæcus verò secundum veritatem clamabat.

VERS. 40. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Et cùm appropinquasset, interrogauit illum

41. dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine vt videam.

42. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit.

43. Et

43. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum.

CHRYSOSTOMVS. 91. NON frustrà igitur interrogat: poterat enim ipsi & de longinquo sanitatem mittere. Sed calumniatores veritatis Iudæi dixissent vtique vt in cæco nato, Non est hic, sed similis illi. Vocat igitur beneficio affectum, spectandum eum præsentibus exhibens, vt prius naturæ defectum ostenderet, ac tum deinde gratiæ agnosceret maiestatem. Et interrogat quidem illum, sed præsentes docet. Vbi verò petitionis modum cæcus explicuit, Christus cum summà maiestate præcepit ei vt videret, & extemplo vidit, quod redundabat in crimen perfidiæ Iudæorum. Quis enim Prophetarum talia dixit? vel cum tali locutus est potestate? Propriâ siquidem virtute ac nutu infirmissima quæque quæ vult, corrigit & confirmat. Respice, inquit, & vox lux facta est laboranti. Ve[r]bum enim erat lucis veræ.

CHRYSOSTOMVS. 92. Dicit itaque, Vade, fides tua te saluum fecit. Vidésne quomodo pro fide beneficia vendantur? gratia enim diffunditur quam fides suscipit. Et sicut ab vno fonte hi quidem paruis vasis modicum aquæ hauriunt, alij verò maioribus multum, fonte non distinguente mensuras, sed singulis pro capacitate vasculi haurientibus; ita etiam gratia fluit instar fontis, vniuscuiusque autem intentio vasculum est aut poculum, quo secundum capacitatem mentis cuiusque hauritur gratia. Et quemadmodum vnus & idem est solis splendor, sed secundùm fenestras quæ à domesticis aperiuntur, magis vel minùs per domum radij diffunduntur. Propterea quibusdam dicitur, Fiat vobis secundum fidem vestram.

Gratia datur pro capacitate suscipientis.

VERS. 43. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

CHRYSOSTOMVS. 93. HIc autē cæcus & ante beneficium fidem ostendit feruidā, & post beneficium beneuolentiam obseruauit: secutus enim Seruatorem suum, diuinum ei honorem adaptans; nec Christus prohibet. Hic autem necesse est inquirere, cur Christus dæmoniacum quidem curatum sequi volentem prohibeat, cæcum autem illuminatum sequentem non arceat. Quare autem huic quidem sui sequelam permittit aut suadet, illi verò non? Ait enim ei, Vade in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit Deus. Neutrum enim ratione carere existimo. Illum siquidem vt præconem mittit, vt ex suà consistentiâ benefactorem prædicet; erat enim excellens miraculum, videre furiosum sanæ mentis effectum: cæcum verò permittit sequi, quoniam Ierosolymam ascendebat, per crucem perfecturus altum mysterium, vt recentem habentes miraculi memoriam, non existimarent eum infirmitate potiùs quàm misericordiâ pati.

Cur Christus dæmoniacum curatum se sequi prohibeat, cæcū verò illuminatum non.

S. LVCÆ CAPVT XIX.

1. ET ingressus perambulabat Iericho.

2. Et ecce vir nomine Zacchæus: & hic princeps erat publicanorum, & ipse diues.

ASTERIVS. 1. IERICHO metropolis est Chananæorum, quam olim Iesus Naue filius bellando cædendoque intercepit, nunc autem verus Iesus sanare aduenïendo dignatus est. Cæcus quidem illuminatus est, populus verò credidit, omnis lingua Iesum celebrauit, & omnis oculus cęcum vidit videntem, magistrum illum vltrò oblatum miraculi & salutis, non verbis sed operibus Apostolos veritatem edocentem. Omnis quidem iniuria mala est, odioque digna, sed publicanus omnes excedit; non enim vllum legitimum peccandi prætextum habet. In alijs quidem inuenitur mali quædam necessitas, & origo vnde iniquitas procedit: Publicanus feta est & pestis, quæ prætextum non habet, vijs Regijs incumbens: violenta est, & publicâ auctoritate ac vi armata. Publicani enim munus furti quoddam genus est, quod punitioni non subiacet, inuerecundus auaritiæ modus, negotiatio ratione ac titulo carens, impudens mercatura, terminus denique ac finis iniquitatis. Quod Christus declarare volens, vbique meretrices ac publicanos, tamquam maximorum exempla malorum inducit. Hoc morbo Zachæus laborauit, priusquam ad Iesum accederet, qui morbus cæcitate cæci Ierichuntis deterior erat, quia hic corpore, ille animâ ægrotauit.

Publicani munus quā exitiosum.

VERS. 3. Et quærebat videre Iesum, quis esset: & non poterat præ turbâ, quia staturâ pusillus erat.

TITVS. 2. SI quis Iesum videat, non potest nequitijs immorari. Hic itaque percupiebat dulci atque salutari eius conspectu frui, sed duo impedimenta erant huic visioni: nam retardabat eum turba, non tam virorum quàm peccatorum. Erat enim paruus staturâ non tantùm corporali, sed & spirituali.

VERS.

VERS. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum: quia inde erat transiturus.

5. Et cùm venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, & dixit ad eum: Zacchæe festinans descende: quia hodie in domo tuâ oportet me manere.

6. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.

CYRILLVS 1. Tim. 2. 3. ASPEXIT hunc Christus oculis Diuinitatis, & cùm scopus ipsius esset omnes homines saluos facere, blandum se ac beneuolum exhibet, & confidentiam præbens dixit: Festinans descende.

CHRYSOST. 4. Nam ille dumtaxat videre ipsum desiderabat, & Christus ad eum diuertitur, eiusque animum cernens, accelerat accessum. Egregius vtique auceps, ab arbore animam deducit calamo sermonis. Prodidit autem instar arundinis cuiusdam vocem omnia potentem allicere, attraxitque Zacchæum instar pulli alicuius, per alas mentis illum apprehendens, & publicanorum princeps auctoritate Christo non secùs ac visco quodam agglutinatus fuit; de quo dicit Zacharias: Et ostendit mihi Dominus vas aucupis, & dixit mihi: Non transibo populum meum donec capiam eum. Quemadmodum igitur quod aucupis laqueis est irretitum, aut visco captum, non potest ampliùs euadere aut auolare; ita etiam animæ Saluatori coniunctæ, illi non secùs atque aucupis visco agglutinantur, atque immobiles adhærent. Sic David pullus ille illustris captus dixit: Adhæsit anima mea post te. Et Apostolus: Adhærens Domino vnus spiritus est cum eo. Dominus itaque Zacchæum venabatur, & ex arbore deducens dixit: Hodie in domo tuâ oportet me manere. Non tam in exteriori quàm in interno mentis domicilio.

Christus hominum auceps.

Psal. 62, 9. 1. Cor. 6, 17.

VERS. 7. Et cùm viderent omnes, murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset.

8. Stans autem Zacchæus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

CHRYSOSTOMVS. 5. VIDE miraculum. Nondum edoctus est, & obedit: nondum didicit, & custodiuit: nihil adhuc dixerat Saluator, docuerat nihil, nec quidquam de eleemosynâ præceperat, nec amorem paupertatis prædicauerat, sed silebat & quietè illuminabat. Et sicut sol per radios infusus in domum, non illustrat verbo, sed opere; ita Saluator radijs iustitiæ, nequitiæ fugauit caliginem. Nam lux in tenebris lucet. Quapropter Zacchæus stans præ foribus dixit: Dimidium bonorum meorum do pauperibus. Pulchrè autem diuidit iniustitiam, secat auaritiam. Quodlibet vnitum & integrum est validum, diuisum autem debile: propterea substantiam suam in duas diuidit partes. O præclaram vocem, quæ naturam vel potiùs consuetudinem superat & vincit! consuetudo siquidem altera natura est.

6. Notandum hîc accuratè, Zacchæi diuitias non ex solâ iniustitiâ collectas, sed ex paternis facultatibus. Si enim ex iniustitiâ tantùm fuissent, quomodo pro iniustè acquisitis quadruplum reddere potuisset?

7. Vt autem perfectiorem esse legem cognoscamus, alia quidem in duplum, sed si quis bouem aut ouem [illegible] stulisset, maiorem mulctam iniunxit, animalibus hoc cicuribus quę ceteris præstabant, priuilegium concedens cùm propter formæ corporis præstantiam, tum potissimùm propter summam quam humanæ vitæ adferunt vtilitatem. Quam ob causam, non æqualem vtrique horum animalium speciei cum ceteris mulctam statuit, sed habitâ vtilitatis quam adferunt ratione, maiorem quoque proportione quadam mulctam exegit. Iubet enim pro vnâ furto sublatâ quatuor oues rependere, pro boue verò quinque: ouis siquidem quadruplex tributum pendit, nempe lac, caseum, lanam, & agniculos: bos autem triplex quidem, in lacte, caseo, & vitulo; duplex insuper, in arando ac triturando terram: quorum illud quidem sementis frugum initium est, hoc verò finis ad importationem ac purgationem frumenti, & proximam ciborum præparationem. Fur autem quidam est ac plagiarius, sed omnium qui in terrâ sunt optimus.

PHILO de Furto. Exod. 22. 4. 7. 9. Exemplo rationes pro furto.

8. Atque hæc quidem ratione iuxta legem in iudicio mulctabantur, qui ab externis quidpiam rapuerunt. Ijs verò qui contribules spoliauerunt, mors certa erat constituta. Atque hæc quidem est lex de furto. Zacchæus ergo non expectat legis censuram, sed legitima illis quos læserat persoluit, vt se peccato liberet, ac morbum curet.

9. Ingredere domum Zacchęi, & considera, cùm audiuisset Christum in eam ingressurum quomodo eam ornauerit. Non enim curriculo ad vicinos contendit, mensas, sedes, subsellia petens eburnea, nec extraxit è penetralibus Laconica quædam mensarum velamina: sed ornatu Christo gratissimu decorauit. Quis porrò iste? Dimidium, inquit, rerum mearum do pauperibus, & quadruplica-

CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom. 19. Quais [illegible] randum Christo.

plicata reddo quæ rapui. Sic & nos, oro, domos nostras exornemus, vt Christum suscipere mereamur. Hæc pulcherrima sunt portarum velamina: hæc in cælis solummodò fiunt, vbi texuntur. Vbi ista sunt, ibi cælorum Rex habitat. Si verò aliter ornaueris, diabolum & illius chorum conuocas: vilitas enim & deformitas domus, non à vasis inordinatè proiectis, non à neglecto lectulo, non à muris fumo decoloratis, sed ab improbitate habitantium cernitur. Quod sane Christus ostendit, qui ob virtutem inhabitantis, vel vilissimas petere casas non dedignatur. Ad improborum autem ædes, etiamsi aureis contegantur laquearibus, numquam tamen ingredietur. Illa igitur quauis regiâ splendidior est, in quâ Dominus omnium habitat. Hæc verò quamuis aureis tectis ingentibusque columnis constet, cloacis tamen, & omni sorditie confluentibus riuis similis, in quâ diaboli vasa continentur. Quapropter nusquam videmus Christum in splendidas ædes diuertisse, sed Regijs omissis, & molles indutis purpuras posthabitis, publicanorum & piscatorum casas eligebat.

CHRYSOSTOMVS in Ioan. cap. 1. Hom. 87. 10. Exuamus & nos peccata, vt Zacchæus. Quemadmodum enim in morbis ac fistulis, nisi quis priùs fluentem humorem & vulnus sistat, quæcumque imposuerit medicamenta, non amotâ morbi causâ, omnia frustrà contendet: ita & nos nisi manum ab auaritia & malum hunc amorem cohibuerimus, licet eleëmosynam demus, omnia incassum laboramus. Quod enim per eam boni fecimus, accedente auaritiâ satisfit atque disperditur, & priore peius efficitur. Cessemus igitur à rapinâ, & ita eleëmosynas impendamus. Quòd si in præcipitia nos deferimus, quomodo poterimus respirare? Etenim si quis casurum erigeret, vt eleëmosyna; alter autem humi premeret, vt auaritia; nihil ab hac pugnâ expectandum est, quàm vt homo discerpatur. Quod ne nobis accidat, néve auaritiâ deorsum premente, eleemosyna nos derelinquat, leues efficiamur & volemus.

Mali sunt abstinendis ut à malo poenitendo liberemur.

VERS. 9. Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus huic domui facta est: eò quòd & ipse filius sit Abrahæ.

Matt. 18, 11. 10. Venit enim Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

CHRYSOSTOMVS. 11. VIDE autem, quòd antequam faciat opera Abrahæ, non vocet ipsum filium Abrahæ, sed Zacchæum, vili appellatione; vbi verò Patriarchæ opera perfecit, & iniustitiæ immutationem & pauperum dilectionem annuntians, tunc ait quòd & ipse sit filius Abrahæ.

ASTERIVS 12. Quomodo igitur ex Abraham ille, qui ex Iericho est Chananæâ vrbe? Quid commune habent Abrahami genus & Chananæorum? Certè manifestum est, quòd si non secundùm carnem filius Abrahę fuerit, sed moribus & operibus, simul atque ad Christum se contulit, multò magis legitimum filium & factum esse & cognitum, quàm qui ex Abrahæ visceribus prodierunt.

ANONYMVS. 13. Sycomorus pœnitentiam significat, turba verò passiones. Qui igitur illas transcendens per pœnitentiam erigitur ac sublimatur, in seipso Iesum videt, & videtur à Iesu, & suscipit eum ad se diuertentem, salutemque accipit, & efficitur filius Abrahæ.

BASILIVS in Isaie 17. 14. Exibat & ipse de terrâ, & de cognatione suâ, & de domo patris sui. Egressio enim longè perfectissima ascensio est ab omnibus corporeis voluptatibus, quæ nomine terræ explicantur; & fuga à delectatione sensibilium, quæ nomine cognationis innuitur; & vitæ prioris prauæ ac criminibus obnoxiæ per contraria studia conuersio, quæ paternæ domus nomine insinuatur.

VERS. 11. Hæc illis audientibus, adijciens dixit parabolam, eò quòd esset prope Ierusalem: & quia existimarent quòd confestim regnum Dei manifestaretur.

12. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. *Matth. 25. 14.*

EVSEBIVS 15. ABSONVM itaque videbitur dicere seruo nihil operato, sed talentum abscondenti, minas esse intentatas, cùm Euangelium, quod Hebraico ad nos idiomate peruenit, non illi qui absconderat, sed qui luxuriosè viuendo talentum absumpserat, minitetur. Tres enim seruos induxit: vnum quidem, qui facultates Domini cum meretricibus & aulædis decoxerat: alterum verò, qui illas operando auxerat: alium denique, qui talentum absconderat. Ac illũ quidem laudatum, alium verò obiurgatum, alterum verò in vincula coniectum esse. Censeo igitur minas, quæ apud Matthæum in sermonis conclusione otioso illi seruo intermi nantur, per resumptionem ad priorem illum seruum manducantem & bibentem cum ebriosis, dictas esse. Atque hæc quidem referuntur à Matthæo vt à Saluatore in monte Oliuarum dicta sint ad discipulos ibi præsentes, cùm de consummatione sęculi verba faceret: propositam autem parabolam solus Lucas commemorat, vt à Saluatore dictam dum in Iericho commoraretur: quapropter præsumendum est, hanc non esse eamdem *Matth. 14. & 25.* *Matth. 25, 26.* *Matth. 24. 49.*

cum illâ, quandoquidem diuersa sint quæ in ijs referuntur. Hîc enim decem numerantur serui, ibi verò pauciores. Ac hîc quidē vnusquisque vnicam mnam accipit, ibi verò vnus quidem quinque talenta, alter duo, alius verò vnicum capit. Atque hic quidem cuius mna decem mnas acquisiuerat, audit, Euge serue bone, quia in modico fuisti fidelis, èris potestatem habens supra decem ciuitates; cuius verò mna quinque mnas fecerat, audiuit etiam, Et tu esto super quinque ciuitates: in parabolâ verò talentorum dictum est, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Parabolæ modò interpretationem auspicantes dicimus: Æstimabant quidam in primo Saluatoris aduentu regnum eius venire, & hoc putabant mox tunc fieri cùm ascésurus erat Ierosolymam: adeò obstupefecerant eos miracula diuina quæ fecerat. Et ideò instruit eos Saluator, non priùs se recepturum regnum à Patre, quàm ab hominibus iret ad Patrem. Hoc autem in parabolâ proponit dicens, Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti; nobilem quidem se vocans, quòd secundùm carnem natus esset ex Abraham, & Isaac, & Iacob, & ex Dauid ac posteris eius: quare & hominem seipsum appellat. Cùm verò dicit quòd profectus sit in regionē longinquam, suum e terrâ ad cælos ascensum significauit. Cùm verò subdit, Accipere sibi regnum, & reuerti; secundam suam apparitionem gloriosam ac Regiam ostendit. Etenim in dicto aduentu seruos suos mnas dicit accepisse, & diuersimodè illis cooperatus fuisse: inimicos autem quosdam ciues ipsum odisse, & legatione missâ expostulasse cum illo de regno.

Explicatio parabolæ de mná.

Per seruos itaque designauit omnes in ipsum credentes, per mnam verò omnibus ex æquo distributam cognitionem regni cælestis, per negotiationem autem, fructū quem singuli in bonis operibus per cognitionem fecerant. Per ciues eius Iudæos significat ortos ex eâdem progenie secundū carnem, cum quibus quòd ritu legis pariter vteretur, rectè semetipsum illorum conciuem appellauit: ipsi verò odio eum prosequentes, odijque opera ostendentes, non satis habuerunt viuenti adhuc insidias struere, sed vbi etiam ex hominibus vitaque hac excesserit, ditis eum deuouerunt, regnumque eius execrati sunt, & deprecati. Verùm ipse vel inuitis illis assumet regnum: in secundo siquidem aduentu rediens regnabit, ac proborum quidem famulorum primo loco iudicium instituet, illos propter res benè gestas suscipiens ac Regijs muneribus honorans, Rectores ac Principes ciuitatum constituens: otiosos deinde seruos increpabit ac condemnabit, ijs quæ prius habere videbantur donis priuans. Illos autem quos ciues nominat, qui iterum facti erant inimici, hostiliterque contra illum omnia gerebant, & miserant legationem post illum, respuentes regnum ac diris eum deuouentes; in medium iubebit adduci ante Regium gloriæ thronum, & iusto vtens iudicio, meritis illorum conueniens supplicium imperabit.

16. Nobilis profectò erat homo ille, qui cum nullo alio quàm cum solo Deo genus commune habebat. Quemadmodum enim nobiles dicimus illos qui Regio procreati sunt sanguine, sic verè est nobilis, qui ex essentiâ Dei Patris suam habet originem. Atque hic secundū Saluatorem homo nobilis nuncupatur: non solum enim secundùm Deitatem Dominus nobilis est, puritate, impermixtione, sinceritateque naturali præditus, sed etiam secundùm genus humanum ex semine Dauid secundùm carnem exortus.

Basilivs in sta.

Nobilis est Christus.

17. Verùm Euangelista Ioannes verè primam eius ac solam nobilitatem manifestauit, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt. Hic enim, qui ante omnia sæcula erat Verbum Deus, factus est homo nobilis, & cum hominibus vitam in Euangelio descriptam transigens, vbi competenti tempore cum hominibus fuerat commoratus, abijt in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reuerti. Per regionem autem longinquam, eius à terrâ in cælum reditum significauit: accipere sibi regnum, illud nempe quod Propheta Daniel innuit, dicens: Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniens, & datus est ei principatus, & honor, & regnum. Rectè autem dicitur illud accipere: omnia enim quæ Pater ipsi dedit, accepit, iuxta illud: Petes à me, & dabo tibi gentes, & possessionem tuam terminos terræ. quæ ipsi data sunt, & accepit ab antiquo dierum. Rursumque ait rediturum accipere sibi regnum, & reuerti. Quomodo autem rediturus sit, Apostolus declarat, dicens: Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tubâ Dei descendet de cælo. Abitus autem longanimitatem designat. Multis verò de causis oportebat ipsum in dictam regionem longinquam proficisci, ibidemque aliquo tempore commorari, vt interim ipsius serui negotiationem exercerent, seseque probos præstarent.

Evsebivs

Ioan. 1, 1.

Dan 7, 13.

Psal. 2, 8.

1. Thess. 4. 15.

18. Sed quomodo qui cum Patre Rex erat vniuersorum, ascendet ad ipsum accipere

Cyrillvs.

pere regnum? Incarnatur nempe Filius, ac sic dat illi Pater regnum. Ascendens enim in cælum sedet ad dexteram magnificentiæ ac sublimitatis, regnans donec subijciantur illi inimici pedibus eius.

VERS.13. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos. Negotiamini dum venio.

14. Ciues autem eius oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.

CHRYSOSTOMVS. *Denarius est numerus perfectus.*

19. QVID autem sibi vult numerus denarius, tam mnarum quas acceperant, quàm seruorum? Consueuit sacra Scriptura in signum perfectionis vti numero denario: quem si quis numerando excedere velit, ab vnitate iterùm inchoabit, quasi denario producto ad metam. Similiter etiam in septimanâ fit. Incipiens enim à primâ die in septimâ finitur, vbi finito dierum numero à primâ iterum incipitur numerari. Sacra igitur Scriptura perfectum declarat eum qui denarium compleuit: & ideò in dispensatione talentorum, eum qui metam attigit diuini officij, decem ait talenta recepisse, ac decem ciuitatibus præfectum: quoniam perfectio præmiorum, virtutum perfectioni ex æquo respondebit, vti hic numerarius qui est Christus, manifestò declarat. Quidam autem Sanctus dixit: Quoniam sterilis peperit septem. septem ponens pro plurimis. Et hîc etiam perfectus numerus ponitur, insinuans per hoc mensuram plenam.

1.Reg.2. secundùm LXX secundùm Vulg. *plurimos.*

EVSEBIVS

20. Significauit ergo per eos qui mnas recipiunt, suos discipulos, quibus mnas exhibens singulas, parem cunctis dispensationem committens negotiari iussit. Nullum autem aliud negotium erat, nisi doctrinâ regni sui mortalibus per suos discipulos prædicanda. Eadem autem est omnium doctrina, eademque fides: vnum Baptisma, & ob hoc mna vna singulis datur, diuersa autem singulorũ operatio est, & negotiatio illustris, propter quam & homo diues æquè ac nobilis homo longâ viâ mittitur.

VERS.15. Et factum est vt rediret accepto regno: & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisiuit.

17. Et ait illi: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem ciuitates.

18. Et alter venit, dicens: Domine, mna tua fecit quinque mnas.

19. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates.

CHRYSOSTOMVS. in 1. ad Cor.c.15. Hom.39.

21. DVO regna Dei nouit Scriptura. Vnum quidem ex coniunctione, alterum ex creatione. Nam in omnes quidem regnum obtinet ratione creationis; regnum autem obtinet in fideles, & voluntarios, & subiectos ratione coniunctionis. Hoc regnum dicitur etiam habere imperium, & dicitur dari iuxta illud: Dabo tibi gentes. &, Data est mihi omnis potestas.

Psal.2,8.

CYRILLVS

22. Reuertetur itaque accepto regno hominis nobilis: manifestum est autem, verbi ministros à Christo laudes consecuturos, & supremis honoribus afficiẽdos, & oblectandus esse. nam eò quòd pluribus acquisitis ac lucrifactis talentum suum decuplicauerint, vel quintuplicauerint, decem quinque ciuitatibus præficientur; id est, non in illos tantum in quos anteà, sed & in multos alios habebunt principatum.

EVSEBIVS

23. Vel alio modo negotiabuntur, quo salutari Euangelij sermoni credentes, operibusquoque ac factis diuinis verbi doctrinam adimplebunt.

CHRYSOST. in 1. ad Cor.15. Hom.40. *Spirituales diuitiæ feciùs quàm temporales communicatione sui crescunt.*

24. Sed age videamus quomodo mna & talentum rationale multiplicetur. Nam in pecunijs quidem nequit fieri vt quispiam euadat diues, nisi alius priùs factus sit pauper. In spiritualibus autem non ita, sed omnino contrarium, fieri non potest vt quispiam fiat diues, nisi alterum fecerit opulentum: nam si nemini profueris, non poteris effici opulentus. Indicio sit qui talentum defodit: nam ille contrà sapientiâ præditus, dum alijs impertit, facultates auget, sapientes etiam ceteros reddit; qui defodit autem, etiam suis se facultatibus fraudat, multorum vtilitate neglectâ. In ceteris porrò donis eodem pacto se res habet: quod quisquis possidet quantò pluribus dat, tantò multiplicat donum magis; nec ipsi, dum communicat ceteris, desit, sed multos spirituali dono iuuat: & in omnibus spiritualibus firma & stabilis permanet hæc regula.

IBIDEM c.12. Homil.31.

25. Nam & qui quinque talenta accepit, & qui duo, rebus ijsdem donantur, & illud ipsum duo accepisse, beneficentiæ cuiusdam loco est, & singularis prouidentiæ. Nam si quinque, id est supra vires suas accepisset, excidere potuit vniuerso: nunc autem cùm accepit duo, & quæ concredita sunt exauget, laudem tantam reportat quantam qui quinque exercuerat.

EVAGRIVS *In cælo quales sint præfecturæ & ciuitates.*

26. Cùm aliqui in mercedem rectè factorum à Saluatore potestatem acceperint de-

In cælo quales sint præfecturæ & ciuitates. cem aut quinque ciuitatum, quarum post mortuorum resurrectionem declarandi sunt principes; nonnulli verò humi repentes, promissiones hasce considerantes, existiment satrapias se ac dynastias administraturos, quòd rectè vixerint, Christoque sese conformarint: hi enim non secùs ac qui virtutis præmia corporales esse delicias suspicantur, Ierosolymæ ex lapidibus pretiosis constructæ, dominos ac Principes se futuros arbitrantur. Vt autem illos à terrenâ hac & crassâ nimis opinione abducamus, inquirendum quæ ac quales, & vbi sitæ sint illæ ciuitates, quarum præfectos Rex ac Saluator cupit constituere illos qui negotia sua rectè gesserint. Sentimus itaque, plurimas esse ciuitates cęlestis Ierosolymæ, quæ est ciuitas Dei viuẽtis, de quâ dicitur in Psalmis ab ijs qui ad eam
Psal. 47, 9. peruenerunt: Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutũ. Hi enim dum in hac vitâ degebant, multa de supernâ istâ ciuitate eiusque statu inaudiuerant, quamque sanctè Deoque conuenienter in ea viueretur: vbi verò ad eam peruenerunt, omnia quæ hic verbis didicerant, ibi rebus ipsis confirmata cernentes, audita cum visis conferentes di-
Ibid. cũt, Sicut audiuimus, sic vidimus. Verè enim ciuitas est Regis omnium ac Filij Dei, qui (vt sic dicam) Dominus est exercituum, & potestatum. Hæc autem ciuitas non fortuito aliquo casu constituta est, sed ab eo qui cuncta in rerum naturam produxit: quapropter di-
Ibid. citur: Deus fundauit eam in æternum. Hisce etiam consentienter de spe Sanctorum scri-
Heb. 11, 10 bit Paulus dicens: Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus. Tales nempe sunt ciuitates in Scripturâ declaratæ, qualis est cælestis Ierusalem, & per consequens etiam ipsæ cælestes. Cùm igitur Dominus seruis suis, ob diuitias rationales ac spiritales ritè fideliterque impensas, similium ciuitatum præfecturas distribuit, non existimandum hîc humanas præturas ac præfecturas terrestris huius Ierusalem dari; sed eos qui hanc potestatem accipiunt dominandi, propositis ciuitatibus imperaturos, instar Archangelorum principum sacrarum harum ciuitatum, id est Angelorum, breuì implendarum incolis seu animabus iustorum, quæ sunt sacri spiritus. Hanc autem promissionem consequentur qui hîc corpori proprio, & irrationalibus animi passionibus prauisque affectionibus
Col. 3. imperant. Qui enim hic corpus subigunt, & in seruitutem redigunt, ac mortificant membra sua super terram, hi sunt in numero regnantium: atq; vbi sibi ipsis hac ratione profuerint, digni reperiuntur qui aliorum sint iudices, præsides & instructores, non minùs exemplis & operibus, quàm exhortatione ac verbis alios instituentes. Hoc enim est rationalia Domini eloquia doctrinasque diuinas administrare ac fœnerari (secundum illud, Psal. 11, 7.
Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terræ) lucrantes eos quos instituunt ad salutem, & ad fidem perducunt. Quare etiam ciuitatum cælestium Præfecti declarantur, ab ipso Dei Verbo vniuersorum Rege præfecturam accipientes.

27. Illarum autem supernarum ciuitatum *Anonymvs.* figuram aliquam reperire possimus in inferioris Iudææ ciuitatibus. Quemadmodum enim Ierusalem terrestris imago est cælestis, sic etiam existima minores Iudææ ciuitates reprę́sentare minores illas quæ sublimiori illi Ierosolymæ subordinantur. Sicut igitur terrestris Ierusalem ciuitas erat magni Regis, à quo reliquarum vrbium præfecti, qui ad hoc apti erant, constituebantur, eidemque subditi erant: sic & cælestis illius Ierosolymæ, ciuitatis Dei viui, Rex magnus ipse est Dominus; reliquarum verò cælestium ciuitatum præsides ac præfecti erunt, qui à Domino per promissionem acceperint potestatem super decem aut quinque ciuitates.

28 Natura omnia in se habet, vt quæ be- *Isidorvs Epist. 227.* neficia & dona à Deo acceperit, ac profluentem in omnibus suis sensibus bonarum rerum delectum. Quisquis igitur probis actionibus studet, atque operibus docet, quinque talenta conduplicauit, ac quinque ciuitatibus præesse iubetur, hoc est Dei mansionibus ac tabernaculis, non autem tabernaculis dumtaxat: ille enim vni, hic autem pluribus præficietur, quisque videlicet pro sui laboris atque operæ ratione.

29. Simile quidpiam mihi indicari videtur *Nyssenvs in Cantica* in Cantico per Reginas sexaginta. Sex autem omnino sunt præcepta per quæ regnum paratur ijs qui ad dexteram collocantur. Statuamus apud animum, quodlibet horum *Sex præcepta parãt regnum* esse talentum illud herile, quod negotiando à bono ac fideli famulo decuplò amplius effici conuenit, vt hoc modo in gaudium Domini sui ingrediatur, repertus in exiguis fidelis, & propterea multis præfectus. Si ergo per hæc sex præcepta regni anima fit particeps, & in quolibet horum quæstus ac negotiatio est perfecta, mandatum ipsum quasi decuplare, quemadmodum bonus ille seruus ait, vnum heri sui talentum decem aliorum talentorum lucrum acquisiuisse: consentaneâ quadam ratione reperimus, in sexaginta Reginas vnam illam excrescere, quæ per decuplationem sex mandatorum in regni societatem venerit, ita vt multæ sint, vnâ illâ per multiplicem mandatorum characterem

dinisâ,

diuisà, & in quolibet opere præclaro peculiariter velut expressâ.

ATHANASIVS in de... Syn... NICÆ... 30. Plus & minus singulis sua virtus conciliat. Et hic quidem quinque ciuitatibus, ille decem præficitur, alij sedent super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. alij audiunt: Venite benedicti Patris mei, &, Euge serue bone & fidelis. (...m. 19. Matth. 25, 18.)

VERS. 20. Et alter venit, dicens: Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario:

21. timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.

22. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam. Sciebas quòd ego homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminaui:

23. & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam.

CHRYSOSTOMVS. 31. IN sensibilibus autem diuitijs debitores solius obseruationis obnoxij sunt: quantum enim recipiunt, tantumdem illos reddere necesse est, & nihil amplius ab eis expetitur. In diuinis autem eloquijs non solum ad custodiam obligamur, sed etiam ad multiplicationem. Si enim, inquit, illa tantum custodiri, & non in ijs negotiari voluisset, non ea seruis in manus tradidisset. Sed vide Domini humanitatem. Protulit is qui quinque acceperat, alia quinque; & qui duo, totidem alia, & parem vterque recepit mercedem. Pariter enim vtriq; dixit, Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. Prouentus inæqualis, & merces æqualis est. Quid ita? quia nimirum excessum & defectum, non studium aut segnities causarunt, sed quantitatis differentia. Ille siquidem quinque acceperat, & attulit alia quinque; hic verò duo acceperat, & attulit alia duo: vtrobique par studium: nam tam hic quàm ille rem sibi concreditam conduplicarunt. Qui verò vnum acceperat, illud ipsum solitariè attulit, quapropter & punitus est, quippe ab ignauia superatus, & retulit ignominiam quòd mnam suam sudario obuoluisset, hoc est quòd in vanum gratiam accepisset, & mortificasset. mortui namque sudarijs inuoluuntur. Non solùm autem ob inertiam talis pœna iniuncta est, sed quòd pro talento attulerit accusationem. Oportebat enim eum lugere ac dolere quòd talentum non duplicasset: verùm ipse maius peccatum admisit, quòd accusationem propriæ inertiæ debitum ipsimet Domino impegerit.

(Cur impa... talenta ... differentes ... ra... ... sunt.) (Matth. 25.)

ISIDORVS lib. 4. ep. 177. 32. Dicit autem parabola, depositum quidem argenti sacratum esse doctrinam Scripturarum, fœnus autem auditionis, operum esse demonstrationem: nulla enim ex auditione vtilitas existit, quando operum ostentatio dictis minimè respondet. Quoniam autem illud verum est, supplicium remanere Doctorem illum, qui nisi bonum quod fecerit, etiam docuerit, atque alijs prædicauerit; & auditorem quoque pœnas daturum, nisi quod audiuerit quoque opere compleuerit: sic à probro quoque procul abest, qui optima & egerit & dixerit, tametsi persuadere non potuerit audienti, cùm ipsemet Iudex dixerit illi qui nihil ad salutem proximorum contulerat: Oportuit te dare argentum tuum mensularijs, & ego veniens id reperijssem. Hoc est, oportuit contestari, ac vitam ostendere inculpatam. Nam opus rectum ac perfectum ad finem perducere, non est eius qui dicit, sed eius qui audit, vt incorrupti iudicis calculus declarauit.

CHRYSOST. 33. Qui igitur talentum defoderat, non super eo accusatur (integrum enim depositum reddebat) sed quòd illud non multiplicauerit, quòd alios non docuerit, quòd pecuniã nummularijs non tradiderit, hoc est, non adhortatus sit, consilio non iuuerit, non increpauerit, non correxerit proximum. Propterea sine vllà remissione in supplicia ista intolerabilia incidit, in os fornacis, in fluuium ignis. In pauca verò, id est in temporalia fidelem inuentum Dominus super multa constituet, id est bonis futuris cumulabit.

BASILIVS in Isaiæ cap. 1. 34. Quòd autem argentum nominet verbum fidei, ex multis locis demonstratur, maximè autem ex hoc: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ; &, Argentum vestrum reprobum. hoc est, sermo fidei vestræ, quasi moneta adulterina, reprobus est, nec exactã Regiæ imaginis figuram retinet. Arcanos igitur recessus & conclauia cordium vestrorum solerti indagine perscrutemini, ne qua fortè drachma adulterina sit, hoc est, necubi ementitum sit dogma quasi à Spiritu sancto insignitum proprijs characteribus veritatis, quos per Prophetas & Apostolos nobis gratuitò elargitus est: sed per viros insidiosos, qui suamet adinuentione clàm offendicula ponunt, deprehensu difficilia, qui adscititiam monetam, circumferentem formam inimici, thesauris Regalibus superinducentes, opes eximias corruperunt, multisque de suâ electione fidem dubiam iniecerunt. Pauci enim probi trapezitæ, rari admodum sunt (Isaiæ 1, 22.)

 qui

qui cuncta queant explorare, & bona quidem penes se nouerint retinere, ab omni autem specie mali sibi temperare.

TITI. 35. Cur autè dicit seruis datas esse mnas, cùm vnaquæque mna vniuersam veritatis virtutem contineat? Non enim in sermonis multitudine veritatis vis consistit. Quando verò audis cuique vnicam mnam datam, ne diuersam existimes, sed omnes decem eiusdem esse virtutis puta.

VERS. 24. Et adstantibus dixit: Auferte ab illo mnam, & date illi qui decem mnas habet.

25. Et dixerunt ei: Domine, habet decem mnas.

Matt. 13. 12. 25, 29. Marc. 4. 25. Luc. 8. 18. 26. "Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.

CYRILLVS 36. SERVVS igitur ignauus, qui donum quasi mortuū reponit, & non operatur, gratiâ, quam acceperat, exuetur; qui verò meliorem viam ingressi fuerint, diuinæ gratiæ augmentum consequentur, & quod eo maius est, læti æternis bonis perfruentur.

VERS. 27. Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.

CYRILLVS 37. QVI hominem illum nobilem super se regnare noluerunt, ad vnum omnes in illius conspectu trucidati sunt. Hoc accidit Iudæis, qui sunt de sanguine Israel: negantes enim Christi regnum, in extremas calamitates inciderunt, & mali malè perditi sunt.

BASILIVS in Isa. 38. Multi vtique sunt qui in hac vitâ nolint Dominū super se regnare, ij scilicet qui obnoxij sunt fornicationi, & ab irâ superantur, atque auaritiæ seruiunt, nolunt enim Dominum in se regnare, arbitrij sui libertate eius imperium detrectantes. Verùm vbi viderint in secundo aduentu Dominum, illi qui in peccatis viuūt, & secundùm Euangelici huius sermonis modum Christi regnum excutiunt, turbabuntur terrore horribili, illosque dolores ac mala apprehendent.

CHRYSOSTOMVS 39. Quid hic Marcionistæ dicent? Cùm enim dicant Christum esse Deum bonum, Patrem verò malum, videantus quis hæc in Ierusalem fecerit. Qui malus est istóve melior, an non? quomodo igitur non malus, sed bonus? Patet autè quòd Pater & Filius eadē fecerit. Nam Pater quidem ait, Ad vineam meam mittā exercitum; Filius verò, Hostes meos adducite ac trucidate corā me. Quid enim hisce rebus possit grauius accidere? Verū ipsos transfixit. Matres autem liberos comedisse, omnem superat calamitatem. Quis famem, pestem, milliaque huiusce modi mala enumeret! Ignorabatur natura, nesciebatur lex, ipsâ feritate feræ vincebantur, ad hæc in bello illo, fame atque extremâ necessitate compulsi sunt, disponente sic Deo ac Christo. Hæc Marcionistis conueniunt, & ijs qui non credunt infernum, quæ ipsorum impudentiam satis retundere deberent.

SEVERVS 40. Illud autem, Omni habenti dabitur, & quæ sequuntur, intelligi possunt de Iudæis & Gentibus: nam discipulis inquam & fidelibus Gentiū verba eius promptè suscipientibus, & doctrinæ ipsius fundamentum in mente recondentibus, concessa & abundanter data sunt diuinæ gratiæ munera; Iudæis verò, doctrinam eius respuentibus, etiam id quod habere videbantur ablatum est, cultus nempe legis Moysaicæ, & Prophetica diuinitúsque inspirata scripta, quæ Domini aduentum prædixerunt, & nomen Israelis diuulgarunt.

VERS. 28. Et his dictis, præcedebat ascendens Ierosolymam.

T 41. QVIA Dominus dixerat, Appropinquauit regnum Dei, videntes illum in Ierusalem ascendentem, putabant ideò ascendere, vt regnum Dei inchoaret. Istam autem opinionem non animis voluebant dumtaxat, quin & dicebant. Quod cordis ac cogitationum cognitor perspectum habens, corrigit hunc errorem per parabolam: nam sermo nudus facilè despectui habebatur.

SVPPLEMENTVM.

Post hanc historiam nobilis peregrè proficiscentis, qui seruis suis mnas distribuit, iam à S. Lucâ narratam, Barradius, Seruius, aliiq. qui Euangelia concordant, subiungunt curationem duorum cæcorum, quæ in Christi à Iericho egressu contigit, quam sic narrat

S. MATTHÆVS CAP. XX.

Marc. 10. Luc. 18. VERS. 29. "Et egredientibus illis ab Iericho, secuta est eum turba multa;

30. & ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia Iesus transiret: & clamauerunt dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid.

31. Turba autem increpabat eos vt tacerent: At illi magis clamabant, dicentes:

centes: Domine, miserere nostri, fili David.

32. Et stetit Iesus, & vocauit eos, & ait: Quid vultis vt faciam vobis?

33. Dicunt illi: Domine, vt aperiantur oculi nostri.

34. Misertus autem Iesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.

Concordatur Matthæo Marcus cap. 10.

VIDETVR *eadem esse hæc historia cum eâ quam narrat S. Marcus cap. 10, 46. Licet enim S. Marcus vnum tantùm cæcum nominet, S. Augustinus tamen lib. 2. de Consensu Euang. cap. 65 & plerique post eum, censent nihilominus eamdem historiam esse, & verè duos fuisse, vt ex prædicto Matthæi loco patet; sed vnum tantum, vtpote celebriorem, à S. Marco etiam expresso nomine commemoratum. Ait enim cap. 10, 46.* Filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat iuxta viam mendicans. *De quo ita S.* AVGVSTINVS *suprà citatus*: Proculdubio itaque Bartimæus iste Timæi filius ex aliquâ magnâ felicitate deiectus, notissimæ & famosissimæ miseriæ fuit, quòd non solùm cæcus, verùm etiam mendicus sedebat. Hinc est ergo quòd ipsum solum voluit commemorare Marcus, cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparauit, quàm erat illius nota calamitas. Lucas verò (suprà cap. 18, 35.) quamuis omnino eodem modo factum, tamen in alio cæco intelligendus est par commemorare miraculum, & eiusdem miraculi parem modum. Ille quippe hoc factum dicit cùm appropinquaret Iericho; alij autem cùm egrederetur ab Iericho.

De alio cæco agit S. Lucas.

Cæcitatis incommoda.

BASILIVS SELEVCIENSIS *Orat. 36. de duobus hisce cæcis loquens ait:* Cùm ipsis essent oculi demortui, aures necessariò oculorum vicem corpori subseruiebant, & vicinus sensus vsum minimè suum commodabat. Singularum quidem partium corporis noxa communi molesta est: oculorum verò priuatio vitam facit minimè vitalem. Nam si pedes affecti fuerint, corpori cursus adimitur, oculi interim suo aspectu dolorem leuant: & si morbo impediantur, amicos oculus exorat ad subsidium trahens: & si aures virtute suâ destituantur, hîc oculus nutibus necessitatem solatur; extincto verò oculo, sensuum colligatio vniuersa commoritur, inertiâ corpus impeditur, pedes cursum negant, oculum ducem reposcentes. Manus artes exercent simul cum oculo occæcatæ, auris præsentem, si tacet, nequit iudicare; lingua vincitur, nosse non valens cui loquatur. Huic sol astris frustrà stipatus præluceat: luna tædis illustrans noctem, hunc à caligine liberare non valet: non purpurascens vndique ridens mare, non tellus pratis & floribus germinans, vernisque coronata gratijs iucunditatẽ adfert vllam. Sed est contrectatio quædam vita sic condemnata, vita nocte vnâ commensa, mundus inuisibilis, artificij mundani pulchritudo ipsi incognita. Quod enim sol in mundo, hoc oculus in corpore. Proptereà quoque Christus Dominus clamabat: Lucerna corporis est oculus: si oculus tuus fuerit lucidus, totum corpus tuum lucidum erit.

Luc. 11, 34 Hac oppleti miseriâ cæci duo secus viam sedebant, egestatis viribus, & lucis inopiâ detenti.

Lumen omnibus amabile est.

S. AVGVSTINVS *Serm. 52. de Tempore*, Amatis, *inquit*, istam lucem, quam dimittere formidat omnis, qui mortem timet. Amatis, inquam, istam lucem, quomodo eam amore quodam ingenti desiderabat, qui post Iesum clamabat, Miserere mei, fili David. Clamabat cæcus Christo transeunte: metuebat enim ne transiret, & non sanaret. Et quantum clamabat? vt turbâ prohibente non taceret. Vicit contradictorem, tenuit Saluatorem: obstrepentibus turbis, & clamare prohibentibus, stetit Iesus: vocauit eum, &c. Amate Christum, desiderate lumen quod est Christus. Si desiderauit ille lumen corporis, quantò plus lumen cordis desiderare debetis? Ad eum non vocibus, sed moribus clamemus. Viuamus benè, mundum contemnamus. Nihil nobis sit omne quod transit. Reprehensuri sunt nos, quando sic vixerimus, quidam dilectores nostri, homines sæculares, amantes terram, sapientes puluerem, nihil de cælo ducentes, auras liberas corde, nare carpentes. Reprehensuri sunt nos proculdubio, atque dicturi, si viderint nos ista terrena contemnere, Quid pateris? quid insanis? Turba illa est contradicens ne cæcus clamet, & aliquanti Christiani sunt qui prohibent viuere Christianè, quia & illa turba quæ cum Christo ambulabat, & vociferantem hominem ad Christum ac lucem desiderantem ab ipsius Christi beneficio prohibebant, sunt tales Christiani. Sed vincamus illos, viuamus benè, & ipsa vita sit vox nostra ad Christum: stabit qui stat. Nam & ibi magnum mysterium est. Transiens erat ille, quando clamat; quando sanauit, stetit. Transitus Christi intentos nos faciat ad clamandum. Quis est transitus Christi? quidquid pro nobis temporaliter pertulit, transitus eius est. Natus est, transijt: numquid adhuc nascitur? Creuit, transijt: numquid adhuc crescit. Suxit: numquid adhuc sugit? Manducauit & bibit: numquid adhuc facit? Defessus dormiuit: numquid adhuc dormit? Postremò prehensus est, vinctus est, verberatus est, spinis coronatus est, alapis cæsus est, sputis illitus, ligno suspensus, occisus, lanceâ percussus, sepultus, resurrexit: adhuc trãsit. Ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris: stetit. Clama quantum potes, modò te illuminat. Nam in eo ipso quòd Verbum erat apud Deum, vtique stabat, quia non mutabatur; & Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est. Caro per transitum multa fecit, & passa est: Verbum stetit. Ipso Verbo cor illuminatur; quia ipso Verbo caro quam suscepit, honoratur.

Quomodo nobis clamandũ sit.

Qui clamantem impediant.

Cæcus Christo ambulãte clamabat à stante sanatur.

Transire & stare Christi quid significent.

Ioã. 1, 13.

Quando apud nos transeat Christus & quando stet.

S. GREGORIVS *Hom 2. in Euang. ait:* Ecce stat, qui antè transibat: quia dum adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, Iesum aliquatenus in oratione transeuntem sentimus. Cùm verò orationi vehementer insistimus, stat Iesus vt lucem restituat. Quia Deus in corde figitur, & lux amissa reparatur.

Qui malè cæcũ illum imitentur.

S. BERNARDVS *Serm. 1. in Conuersione S. Pauli,* Heu, *inquit*, plures habemus Euangelici illius cæci, quàm noui Apostoli imitatores. Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, vt faciam tibi? Quanta est miseratio tua, Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus serui quærit vt faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non considerauit, non expauit, non exclamauit. Absit hoc Domine, tu magis dic, quid me facere velis. Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem. Videtis, fratres, quia verè ne-

Multi non suam Dei, sed Dei voluntatem sua accommodant. cessaria erat hoc in loco conuersio? sic profectò, sic multorum vsque hodie pusillanimitas & peruersitas exigit, vt ab eis quæri oporteat, Quid vis vt faciam tibi? Non ipsi quærunt, Domine, quid me vis facere? Considerare necesse habent ministri & vicarij Christi, quid sibi præcipi velint, non ipsi considerant, quæ voluntas sit præceptoris: non est obedientia eorum plena: non in omnibus parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt & dijudicant, eligentes in quibus obediant imperanti; imò in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Huiusmodi itaque etsi tolerari se videant, & condescendi ac morem geri infirmitati suæ, proficiant obsecro, pudeatque semper paruulos inueniri, nequando fortè audiant; Quid debui vobis facere, & non feci: & abutentibus patientiâ & benignitate Prælati fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis, cumulus iustæ damnationis.

Cæcus lucem petit. S. Gregorius *Hom. 2 in Euang.* Ecce cæcus à Domino non aurum, sed lucem quærit, parui pendens extra lucem aliquid quærere: quia etsi habere cæcus quodlibet potest, sine luce videre non potest, quod habet. Imitemur ergo, fratres charissimi, eum quem & corpore audiuimus & mente illuminatū. Non falsas diuitias, non terrena dona, non fugitiuos honores à Domino, sed lucem quæramus: nec lucem quæ loco clauditur, quæ tempore finitur, quæ noctium interruptione variatur, quæ à nobis communis cū pecoribus cernitur; sed lucem quæramus, quam videre cum solis Angelis possimus, quam nec initium inchoat, nec finis angustat.

S. Hieronymvs *in cap. 20. Matth. ad vers. 34.* Misertus autem Iesus tetigit oculos eorū, *ait:* Tangit oculos, & præstat artifex quod natura non dederat, aut certè quod debilitas tulerat, donat misericordia. Statimque viderunt, & secuti sunt eum. Qui antè in Iericho contracti sedebant, & clamare tantùm nouerant, posteà sequuntur Iesum, non tam pedibus quàm virtutibus.

S. Gregorivs *iterùm hic pulchrè Hom. paulò antè citatâ:* Sed iam petenti cæco quid factum sit, vel quid ipse fecerit, audiamus. Sequitur: Confestim vidit, & sequebatur eum. Videt & sequitur, *Quid sit videre & sequi.* qui bonum quod intelligit, operatur. Videt autem, sed non sequitur, qui bonum quidem intelligit, sed benè operari contemnit. Si ergo, fratres charissimi, cæcitatem iam nostræ peregrinationis agnoscimus, si credendo in Redemptoris nostri mysteriū iuxta viam sedemus, si exorando quotidie ab auctore nostro vitæ lumen petimus, si eâdem luce iam per intellectum videndo illuminari post cæcitatem sumus: Iesum quem mente cernimus, opere sequamur. Aspiciamus quà graditur, & eius vestigia imitando teneamus. Iesum etenim sequitur, qui imitatur. *Matth. 8, 22.* Hinc namque dicit, Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Sequere enim, dicitur *Ioā. 12, 26.* imitare. Hinc rursus admonet, dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur. *In quibus nobis Christus sit imitandus.* Consideremus ergo quà graditur, vt sequi mereamur. Ecce cùm sit Dominus & creator Angelorum, suscepturus naturam nostram, quam condidit, in vterum virginis venit. Nasci tamen in hoc mundo per diuites noluit, parentes pauperes elegit. Vnde & cùm agnus qui pro illo offerretur, defuit, columbarum pullos & par turturum ad sacrificium mater inuenit. Prosperari in hoc mundo noluit, opprobria irrisionesque tolerauit, sputa, flagella, alapas, spineam coronam crucemque sustinuit. Et quia rerum corporalium delectatione à gaudio interno cecidimus, cum quâ amaritudine illuc redeatur, ostendit. Quid itaque homo pro se pati debet, si tanta Deus pro hominibus pertulit? Qui ergo in Christum iam credidit, sed adhuc auaritiæ lucra sectatur, in superbiâ honoris extollitur, inuidiæ facibus inardescit, libidinis se immunditiâ polluit, prosperari ad ea quæ in mundo sunt concupiscit, Iesum in quem credidit, sequi cōtemnit. Diuerso quippe itinere ambulat, si gaudia delectationesque appetit, cui dux suus viam amaritudinis ostendit. Reuocemus ergo ante oculos peccata quæ fecimus, consideremus quàm terribilis iudex hæc puniturus adueniat. Mentem formemus ad lamenta. Vita nostra ad tempus amarescat in pœnitentiâ, ne æternam amaritudinem sentiat in vindictâ: per fletus quippe ad æterna gaudia ducimur, Veritate pollicente, quæ ait: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. *Matth. [illegible]* Ad fletum verò per gaudia peruenitur, hac eâdem Veritate attestante, quæ ait: Væ vobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis. *Luc. 6, 25.* Si ergo retributionis gaudium in peruentione quærimus, pœnitentiæ amaritudinem in viâ teneamus. Sicque fit vt non solùm vita nostra in Deum proficiat, sed hæc ipsa nostra conuersatio ad laudem Dei & alios accendat. Vnde illic subditur: Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Subiungunt hic qui Euangelicam historiam ordinant, Barradius, cæterique, cœnam Christi in Bethaniâ, vbi eum Maria vnguento perfudit, quod præter Matthæum cap. 26, 6. & Marcum cap. 14, 8. ita fusiùs & enucleatiùs describit

S. IOANNES CAP. XII.

Vers. 1. Iesus ergo ante sex dies Pa- *Matth. 26, 6.*
schæ venit in Bethaniam, vbi Lazarus *Marc. 14, 8.*
fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus.
2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: &
Martha ministrabat, Lazarus verò vnus
erat ex discumbentibus cum eo.
3. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore vnguenti.
4. Dixit ergo vnus ex discipulis eius,
Iudas Iscariotes, qui erat eū traditurus:
5. Quare hoc vnguentum non venijt
trecentis denarijs, & datum est egenis?
6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat.
7. Dixit ergo Iesus: Sinite illam, vt in
diem sepulturæ meæ seruet illud.
8. Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

9. Cogno-

9. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quia illic eſt: & venerunt, non propter Ieſum tantùm, ſed vt Lazarum viderent, quem ſuſcitauit à mortuis.

10. Cogitauerunt autem Principes ſacerdotum, vt & Lazarum interficerent.

11. quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Ieſum.

SANCTVS AVGVSTINVS *lib.4. de Conſenſu Euang. cap.10. ſic ait:* Inde iterùm Ioannes occurrit in Bethaniâ Matthæo & Marco, vbi factum eſt illud de vnguento pretioſo, quo pedes eius à Mariâ caputque perfuſum eſt. Atque hinc deinceps vſque ad paſſionem & reſurrectionem Domini, cum tribus Euangeliſtis Ioannes graditur, in locis iiſdem narratione verſante. *Et paulò inferiùs ait, Ioannem fuiſſe cum alijs in Bethaniâ, vbi vnguento pretioſo fidelis feminæ deuotione perfuſus eſt. Et lib.2. de Conſenſu cap.78.* Hoc videri poteſt parum diligenter intuentibus eſſe contrarium, quòd Matthæus & Marcus, poſteaquam dixerunt Paſcha poſt biduum futurum, deinde commemorauerunt, quòd erat Ieſus in Bethaniâ, vbi de vnguento illo pretioſo dicitur: Ioannes autem ante ſex dies Paſchæ dicit, Ieſum veniſſe in Bethaniam, de vnguento eadem narraturus. Quomodo ergo ſecundùm illos duos, poſt biduum futurum erat Paſcha, cùm poſteaquam id dixerunt inueniantur eum Ioanne in Bethaniâ illud de vnguento, quod ipſe, narrantes; cum tamen ipſe dicat, poſt ſex dies futurum Paſcha? Sed qui ita mouentur, non intelligunt, Matthæum & Marcum illud quod in Bethaniâ de vnguento factum erat recapitulando poſuiſſe, non poſt illā de biduo prædicationem ſuam, ſed antè iam factum, cùm adhuc ſex dies eſſent ad Paſcha. Non enim quiſquam eorum, cùm dixiſſet poſt biduum futurum Paſcha, ſic adiunxit de illo facto in Bethaniâ, vt diceret, Poſt hæc cùm eſſet in Bethaniâ: ſed Matthæus quidem, Cùm autem eſſet, inquit, Ieſus in Bethaniâ: Marcus autem, Cùm eſſet Bethaniæ; quod vtique intelligitur, & antequam illa dicerentur, quæ ante biduum Paſchę dicta ſunt. Sicut ergo ex Ioannis narratione colligitur, ante ſex dies Paſchæ venit in Bethaniam, ibi factum eſt illud conuiuium, vbi de vnguento pretioſo fit commemoratio: inde venit Ieroſolymam, ſedens ſuper aſellum. Deinde poſteà geruntur ea, quæ narrant poſt hunc aduentum eius Ieroſolymis geſta. Ex illo ergo die quo venit in Bethaniâ, atque illud de vnguento factum eſt, vſque ad diem quo iſta omnia geſta atque dicta ſunt intelligimus, etiam Euangeliſtis non commemorantibus, conſumptum fuiſſe quatriduum, vt occurreret dies quem ante biduum Paſchæ duo definierunt. *Plura ſuper hac Concordiâ vide apud P. Seruium in Triumpho veritatis cap.144.*

Conciliatur cum Matthæo & Marco Ioannes.

Hoc autem conuiuium in domo Simonis leproſi inſtitutum fuiſſe, cum Matthæo Marcus teſtatur: quod licet hîc non exprimat Ioannes, idem tamen fuiſſe, clarum ſit ſingula conferenti. Ex quo etiam patet, mulierem iſtam, de quâ illi duo Euangeliſtæ, eſſe Magdalenam, & conuiuium iſtud factū ante Chriſti introitum cum palmis in Ieruſalem. Ait enim Ioannes: Ante ſex dies Paſchæ, *id eſt ſex diebus ante Paſcha, videlicet feriâ ſextâ Chriſtum veniſſe Bethaniam, vbi illi cœna facta ſit in domo Simonis, ſolemnior videlicet aliqua inuitatis ad eam amicis. Ex eo autem quòd dicat Martham iſti conuiuio miniſtraſſe, non ſequitur idcircò, in Mariæ & Marthæ ædibus celebratum fuiſſe; hoc enim non dicit Euangeliſta, ſed tantùm ait,* Fecerunt ei cœnam, *ſcilicet amici, inter quos erat Simon ille leproſus, quem multi putant ante à leprâ mundatum fuiſſe à Chriſto. Et Martha miniſtrabat, ſiue quia vicina, ſiue quia cognata, aut familiaris Simoni, tum ad amicorum & maximè Chriſti obſequium ſemper erat parata.*

Conuiuium in domo Simonis inſtitutum.

THEOPHYLACTVS *in cap.12. Ioan. ait:* Decimâ quidem menſis accipiunt ouem immolandam in Paſcha, & ex eo tempore requirere incipiunt quæ neceſſaria ad feſtum. Denique & cœnâ quæ ante ſex dies, quæ eſt nona menſis, lautiùs epulantur, & initia feſtiuitatis illo die faciunt. Ideò & Ieſus ſimul cœnauit Bethaniam veniens. Oſtendere autem volens Euangeliſta veræ reſurrectionis Lazari ſignum, dicit: Lazarus autem vnus erat recumbentium. Non enim, vt apparuit, ſtatim mortuus eſt; ſed manſit multo tempore ſolita faciens, comedens ac bibens, atque alia agens.

Cur Lazarus accubuiſſe dicatur.

Quod autem hic verſu 3. habetur, Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, *Matthæus habet verſ.7.* Acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum vnguenti pretioſi. *Marcus autem capite 14.3.* Venit mulier habens alabaſtrum vnguenti nardi ſpicati pretioſi. *Vbi Græca etiam legunt νάρδου πιστικῆς. Quid autem per illud* piſtici *ſignificetur, valdè diſſentiunt Auctores.*

Quænam ſit nardus piſtica.

Primò, Auctor Commentarij in Marcum apud S. Hieronymum, piſtici id eſt myſtici *ait. ſed hoc tam contortum eſt quam non Hieronymianum.*

Secundò, S. AVGVSTINVS *in aureâ Catenâ:* Quòd ait piſtici, locum aliquem intelligere debemus, vnde erat hoc vnguentum pretioſum. *Sed hic locus æquè incognitus videtur ac ipſa nardus.*

Tertiò, alij deriuant ἀπὸ τοῦ πίνειν, id eſt potare, *vt* piſtici *idem ſit ac* potabilis. *ſiue liquidi, vt in caput & pedes effundi poſſit: alia enim vnguenta ſpiſſa ſunt. Sed hoc etiam impropriè, nec ſatis genuinâ deriuatione deduci rectè obſeruat Berradius.*

Quartò, alij ἀπὸ τοῦ πιέζειν, id eſt premere, *quaſi πιεστικόν. Sed tunc dicendum potiùs eſſet πιεστόν, id eſt* preſſile *vel* expreſſum. *Vnde Franciſcus Lucas in antiquo quodam manuſcripto teſtatur haberi* peſtici. *Sed hoc longè nimis petitū etiam videtur, præterquam quòd nihil noui vel rari ad vnguenti huius commendationem adferat, nec τὸ πιστικὸν eo ſenſu vſitatum ſit.*

Quintò, THEOPHYLACTVS *Marci 14.* De nardo, *inquit,* piſticâ ſcias, quòd eſt ſpecies quędam nardi, quæ piſtica dicitur, vel quòd ſincera ſit & non adulterata, vel cum fide confecta. *Similiter* EVTHYMIVS *in cap.26. Matth.* Nardi, *inquit,* piſticæ, pretioſæ: piſticum vocans purū, vel non temperatum, ſeu mixtum, vt apparet, & ad puritatem ſeruatum. *(eò quòd videlicet facile ſit nardum pſeudonardo ſiue lauendulâ aliiſve herbis ſimilibus adulterare, Plinio teſte) & ſubiungit:* Aut fortè hæc appellatio quædam erat vnguenti.

Verum nihil de piſticâ nardo apud Plinium, Theophraſtum, Dioſcoridem, alióſve Scriptores rei herbariæ legimus. Et ſi à fide nardus illa nomen accepiſſet, πιστὴ vel πιστοῦ dicenda potiùs fuerat, quàm πιστική.

Sextò ergo & meliùs dici videtur, piſtici *id eſt* ſpicati, *vt habet S. Marcus cap.14,3. Etenim cùm tam in Marco quàm in Ioanne Græca habeant πιστικῆς, & Lati-*

Latinus in Marco illud interpretetur ſpicati, *videtur & in Ioanne ita commode verti poſſe, vti magis patet vtrobique Syra, Græca, Græcoſque Interpretes conferenti; maximè cùm de ſpicatâ nardo conſtet illam eſſe præſtantiſſimam & pretioſiſſimam; de piſticâ autem nihil aliunde habeamus. Nardus ſiquidem & ſpicas habet & folia, atque ex vtriſque vnguentum conficitur: atque illud quidem ſpicatum, hoc foliatum dicitur. Ita Plinius, vbi de nardo agit. Spicatum autem, quia plus ſubſtantiæ ac medullæ habet, excellentius eſt, quod Galenus ναρδ ϛάχυν, Pharmacopæi* Nardi ſpicam *vocant. Vnde non improbabili coniecturâ hic dici poſſet, Græcos in Marco qui Latinè ſcripſit, vocem* ſpicati *vel euphoniæ causâ, vel quia non intelligebant, quæ eſſet ſpicata nardus, & piſtica magis accedebat ad Græcum πίϛιν, vertiſſe per μετάϑεσιν πιϛικῆς pro σπικάτης vel σπικατῆς (ſic enim multa Latina nomina Græciſmo donata eſſe, videre eſt apud Plutarchum aliosque.) Adde, quod quidam M.S. antiquus, teſte Franciſco Lucâ in Ioanne, etiam habet* ſpiſiti: *vnde veroſimile eſt, S. Ioannem, vt qui poſt Marcum ſcripſerit, eamdem vocem Græcam, quaſi apud ſuos Græcos fideles in Marco iam receptam, protuliſſe* piſtici pro ſpicati, *quam inde Latinus Interpres retinuerit ad fidem res tam obſcuræ. Ita Franciſcus Lucas Notat. 465 in Biblia. Quod non mirum videbitur ei, qui conſideret, Græcos, & multas nationes ſic linguas & dictiones ſæpe corrupiſſe aut immutaſſe.*

Tria vnguenta ſpiritalia.

S. BERNARDVS *Serm. 55 in Parvus*, Tria, *inquit*, ſunt vnguenta, compunctio, deuotio, pietas. Compunctio de recordatione peccatorum, deuotio de recordatione beneficiorum, pietas ex conſideratione miſerorum. *Et Serm. 56.* Duo, *inquit*, ſunt pedes Dei, miſericordia & iudiciū. His incedit & perambulat iugiter ſpirituales mentes, exultans vt gigas ad currendam viam: ſi tamen tales ſunt, de quibus meritò dicat. Habitabo in illis, & deambulabo in eis. Hos ergo pedes primò vngit anima peccatrix illo primo vnguento, quod dicitur compunctionis. Denique Maria, quæ peccatrix erat, vnxit pedes Ieſu. Nec mediocre ſanè hoc vnguentum videatur, de quo ſcriptum eſt: Et domus impleta eſt ex odore vnguenti. Nec mirum: cùm etiam in cæleſtibus ſentiatur huiuſmodi vnguenti fragrantia, veritate atteſtante, quæ ait: Gaudium eſt Angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Verùm quantumlibet vnguentum hoc pretioſum videatur, tamen comparatum alteri, quod appellatur deuotionis, & conficitur ex memoriâ beneficiorum diuinorum, quo & vngitur caput Domini, vile, & nullius pretij intelligitur. Denique de illo dicitur, Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. de iſto verò: Sacrificium laudis honorificabit me. Caput ex eo vngis, cùm de ſuis donis Deo gratias agis. Siquidē caput Chriſti Deus. Deitas ergo in Chriſto tangitur, quoties ad laudem ipſius eius beneficia memoramus. Sicut non tam Deitas quàm humanitas neceſſe eſt vt cogitetur, cùm non eius dona, ſed noſtra peccata recordamur. Nam in carnis aſſumptione duos illos pedes ad hoc accepiſſe cognoſcitur, id eſt miſericordiam & iudicium, vt peccator, qui ad caput, id eſt, ad Deitatem acceſſum non habebat, ad pedes, id eſt ad humanitatem accederet. Niſi enim pes ille, quem diximus, miſericordiam, ad hominem aſſumptum pertineret, Paulus de illo non diceret: Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vt miſericors fieret. Et niſi iudicium æquè ad hominem pertineret, ipſe homo Deus de ſeipſo non dixiſſet, Et poteſtatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis eſt. Itaque ad hos pedes viri doloris & ſcientis infirmitatem peccator accedere non dubitans, fidenter loquitur; Nunc antē cum fiduciâ accedimus ad thronum gratiæ. Non enim habemus Pontificem, qui non ſciat compati infirmitatibus noſtris. Peccatrix ergo ad pedes, iuſta ad vngendum caput accedis. Tantò autem vnguentum capitis, illo alio quod pedibus apponitur pretioſius eſt æſtimandum, quantò ſpecies, quibus conficitur, illis conſtat eſſe pretioſiores. Has quippe facilè & abſque labore in noſtrâ regione reperimus: peccatores ſiquidem omnes ſumus: porrò illas difficilè, ac de longinquo valdè, vtpote de paradiſo Dei aſportatas ſuſcipimus. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Quid denique huiuſcemodi vnguento excellentius, de cuius effuſione etiam Apoſtoli murmuraſſe dicuntur, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim venumdari, & dari pauperibus. Sed & nunc quoque cùm fortè videtur quiſpiam vacare Deo, ſanctæque deuotionis & gratiæ, vt meritò credatur vngere caput Chriſti, perſiſtens iugiter in ſanctâ quiete & gratiarum actione, & diuinæ delectatione deuotionis. Non deſunt qui hoc perditionem dicant, & iuſto, vt ſibi videtur, murmure conqueruntur, quòd is qui pluribus prodeſſe poterat, quieſcat ſibi, non quòd ſanctitati inuideāt, ſed quòd prouideant charitati. Ceterùm ipſa charitas Deus huiuſmodi animæ plerumque parcit, quam videt ſpiritualibus ſtudijs delectari, maximeque ſi talem eam nouerit quæ adhuc puſillanimitate & imbecillitate vt mulier ſit, & necdum in virum perfectum profecerit: quod vtique meliùs ipſe diſcernit qui intuetur cor, quàm homines qui in facie tantùm vident, & ſecundùm faciem iudicant, cùm videlicet minimè attendunt, non eſſe eiuſmodi facilitatis deuotè quieſcere, & fructuosè occupari; humiliter ſubeſſe, & vtiliter præeſſe; regi ſine querelâ, & regere ſine culpâ; obedire ſponte, & imperare diſcretè; bonū denique eſſe inter bonos, & bonum inter malos; imò etiam eſſe pacatum inter filios pacis, & his qui oderunt pacem, exhiberi pacificum. Sciens ergo Ieſus, qui ſint, qui ve non ſint idonei implicari curis, pro tali delicatâ animâ, quam pro ſui adhuc teneritudine tractandis negotijs minùs ſufficere ſentit, aduerſus aliud ſentiētes, & ob hoc eius quietem, tamquam infructuoſam, bono quidem zelo, ſed non ſecundùm ſcientiam, inſimulantes, ipſo reſpondet affectu: Quid moleſti eſtis huic mulieri? Nam etſi, quod fatendum eſt, melius eſt ad quod illam trahere tentatis, bonum tamen opus eſt quod operata eſt in me. Sinite eam interim operari bonum, quod poteſt. Noui enim ego quòd adhuc mulier ſit, cùm autem mutatione dexteræ Excelſi de muliere factus fuerit vir (quod & me, quando tamen erit, latere non poterit, quia me prouocante promouebitur, me quoque ſeruante tenebitur) tunc melior erit iniquitas viri, quàm nunc benefaciens mulier: vnde & illud melius ſpero. Nec reputo perditionem, vnguenti huius effuſionem, in quo & mulieris deuotio deſignatur, & mea præfiguratur ſepultura. Huc accedit, quòd iam latè ſuam fragrantiam circumquaque diffundit: quare vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium, dici etiam habeat, quòd & hæc fecit in eius commemorationem.

Duo ſunt Dei pedes, miſericordia & iudicium.

Ioan. 12, 3.

Luc. 15, 7. 10.

Deuotionis vnguentum præſtat illo compunctionis.

Pſal. 50, 19

Pſal. 49, 23

1. Cor. 11, 3

Chriſti caput eſt Deitas, pedes humanitas.

Heb. 4, 15.

Ioan. 5, 27.

Quis vngat pedes Chriſti, & quis caput eius.

Heb. 4, 15.

Iac. 1, 17.

Qui murmurantes Apoſtolos imitentur.

Cur hæc vnguenti effuſio non fuerit perditio.

NON-

Auaritia Iudæ.

Nonnvs *ita hæc Paraphrasticè in Ioannem c.12.* Cur hoc vnguentum non trecentorum maiori denariorum mensurâ venditur, vt pauperibus indigentibus detur, & non pulueris vertigine pereat? Hoc verò ille dolosus dicit, non quòd homo immitis virorum inopum curam susciperet: sed quia solùm fur erat, lucri cupiditate victus. Habebat marsupium in quo æs positum erat, & quæcumque ipse malus custos volebat, à loculo expromebat.

Christus habuit dominium in communi.

Ex eo autem quòd Iudas loculos habuisse dicatur, colligitur, Christum Dominum, tametsi paupertatem celebrarit tantam, vt de seipso dicat Matthæi 8,20. Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet; *habuisse tamen etiam aliquod dominium in communi, sed non in particulari. Nam loculi isti quos Iudas seruabat, ad totum collegium Ecclesiæ, Apostolorum scilicet & discipulorum Christi, pertinebant. Vnde sequitur vlterius, exemplo Christi perfectionis magistri, ipsi perfectioni nihil derogare si qui habeant bona in communi, vt contra Fratricellos definiuit Ioannes* XXII. *Extrauag* Ad conditorem. *Potest enim pro diuersitate statuum & personarum aliquando hoc esse perfectius, aliquando non. Caruit tamen Christus quandoque omni dominio, etiam in communi, vt patet ex loco Matthæi 8 suprà citato; & cùm mulieres eum sequentes alerent, item in cruce. Et hoc tantum videtur velle Nicolaus* IV. *cap.* Exijt, *de Verborum significatione.*

Dominium in communi non obest perfectioni.

Quomodo Christus Mariam excuset.

Vers. 7. Vt in diem sepultvræ meæ servat illvd.] *Vbi nota, Christum modestia causâ Magdalenam non excusare per excellentiam personæ suæ, ob quam melius erat, & maioris meriti, illi impendere, quàm plurimos pauperes alere, vt docet Theophylactus; (idem etiamnum locum habet in ornatu templorum, calicum, altarium, & similium rerum, ad promouendam aliorum deuotionem ordinatarum, cùm singularis aliqua pauperum necessitas non occurrit:) sed ex affectu charitatis, & ex raritate huius occasionis: tum etiam ex instinctu Spiritus sancti, quo nesciens acta, vngendo quasi diuinauit Christi mortē & sepulturam instare. Vngit enim quasi iam nunc sepeliendum. Nec enim mortuum vngere potuit, quia præuenta fuit ab alijs in sepulturâ, & propter sabbatum, & post sabbatum per accelerationem resurrectionis Christi non licuit. Vnde S. Marcus cap.14. ait.* Quod habuit, *id est quod potuit* hæc, fecit; præuenit corpus meum vngere in sepulturam. *Et S. Matthæus cap.26.* Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.

Cur Christus meminerit sepulturæ.

S. Chrysostomvs *in aureâ Catenâ ait*: Rursus etiam propter proditorem rememoratus est sepulturæ: ac si dicat: Grauis sum tibi & onerosus, sed expecta paulum, & abibo; & hoc ostendit cùm subdit: Pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

S. Avgvstinvs *ibidem*, Loquebatur, *inquit*, de præsentiâ corporis sui. Nam secundùm maiestatem suam, secundùm prouidentiam, secundùm ineffabilem & inuisibilem gratiam impletur quod ab eo

Matth. 28, 20. dictum est: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi. Vel aliter: In Iudæ personâ significati sunt in Ecclesiâ mali. Si enim bonus homo es, habes Christum, & in præsenti per fidem & Sacramentum, & habebis semper: quia cùm hinc exieris, ad illum venies qui dixit latroni, Hodie

Luc. 23, 43 mecum eris in paradiso. Si autem malè versaris, videris habere in præsenti Christum, quia baptizaris Baptismo Christi, accedis ad altare Christi, sed malè viuendo non semper habebis. Non autem dixit Habes, sed Habetis: quia vnus malus corpus malorum significat.

Theophylactvs *Matth* 26. Docet nos quòd mulier hæc iuxta diuinam dispensationem hoc fecerit, præsignans mortem illius, & corporis sepulturam. Non enim tulisset Christus vnguento vngi, nisi mysterium quoddam subfuisset. Prædixit autem tamquam Deus, quod esset futurum, quòd in gloriam eius vbique prędicetur res quam fecit mulier. Vide autem Dei misericordiam, quomodo mulierē magnis donis remuneret: facit enim eam memorabilem vbique, quamdiu suũ Euangelium duraturum sit. Quomodo autem sepultura eius præsignatur vnguento? Mos erat Iudæis cum vnguento mortuorum corpora sepelire, sicut & Ægyptij faciebant, vt incorrupta manerent, nec fœterent. Ostendit igitur mulier, inquit, ex hoc quòd vnguentum effudit, corpus meum breuì sepeliendum. Hęc autem omnia dicit demulcens, & dehortans Iudam, per quem sepulturæ tradendus erat.

Mystica explicatio.

Alcvinvs *in Catenâ aureâ quidquid ferè de hoc conuiuio & vnctione dictum est, ita mysticè, pulchrè sanè ac breuiter explicat, dicens*: Quòd ante sex dies venerit Bethaniam, significat quod ille qui sex diebus omnia fecerat, & sexto die hominē creauerat, ipse sextâ mundi ætate, feriâ sextâ, sextâ horâ redimere mundum venerat. Cœna autem Dominica fides est Ecclesiæ, quæ per dilectionem operatur. Martha ministrabat cùm fidelis anima opera suæ deuotionis Domino impendit: Lazarus vnus erat ex discumbentibus, cùm hi qui post peccatorum mortem resuscitati sunt, ad iustitiam vnà cum eis qui in suâ permanserunt iustitiâ, de præsentiâ veritatis exultant, & cęlestis gratiæ muneribus aluntur. Et benè in Bethaniâ celebratur, quæ interpretatur Domus obedientiæ: nam Ecclesia est obedientiæ domus. Vnguentum autem, quo Maria vnxit pedes Iesu, iustitia fuit, ideò libra fuit. Erat autem vnguentum nardi pistici pretiosi. Πίστις Græcè, Latinè fides dicitur. Quærebas operari iustitiam, Iustus ex fide viuit. Vnge pedes Iesu benè viuendo, Dominica sectare vestigia, capillis terge. Si habes superflua, da pauperibus, & Domini pedes tersisti. Capilli enim superflua corporis videntur. Et notandum, quòd primò tantùm pedes vnxerat: hîc autem pedes & caput vnxit. Ibi rudimenta pœnitentium, hîc iustitia perfectarum designatur animarum. Per caput enim Domini sublimitas Diuinitatis, per pedes humilitas incarnationis exprimitur. Vel per caput ipse Christus, per pedes, pauperes, qui sunt membra eius. Domus autem repleta est odore: mundus impletus est bonâ famâ.

Sex dies quid.

Martha & Lazarus quid.

Bethania Domus obedientia.

Vnguentum iustitia.

Pedes Christi sunt pauperes.

Capilli superflua bona.

Domus mundus, odor fama.

S. LVCÆ CAPVT XIX.

29. Et factum est cùm appropin-
quasset ad Bethphage & Be-
thaniam, ad montem qui vocatur Oli-
ueti, misit duos discipulos suos,
30. dicens: Ite in castellum quod
contra est: in quod introeuntes, inue-
nietis pullum asinæ alligatum, cui ne-
mo vmquam hominum sedit: soluite
illum, & adducite.

31. Et

31. Et si quis vos interrogauerit, quare soluitis? sic dicetis ei. Quia Dominus operam eius desiderat.

32. Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum.

33. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos, Quid soluitis pullum?

34. At illi dixerunt, quia Dominus eum necessarium habet.

35. Et duxerunt illum ad Iesum.

CHRYSOSTOMVS in Matt. 21. Hom. 77.

42. Tv verò diligenter expende quot mirabilia peragit, quot prophetias adimplet: asinam inuenturos prædixit, neminem prohibiturũ, & omnes tacituros affirmauit. Duplicem autem adhæc prophetiam, alteram opere, alteram verbis adimplebat: opere quidem, quòd super asinam sederit; verbis verò, quia

Zach. 9, 9. scriptum est à Zachariâ quòd in asinâ sicut Rex sedebit. Per Apostolos autem iumentum soluitur, quia per illos vocati & adducti ad Christum sumus. Nemo autem detinuit: sic nec prohibere potuit, ne Gentes ab idololatriâ remouerentur. Non autem in pullo nudo, sed super Apostolorum iniectas vestes insedit: posteaquã enim pullũ, id est nos nouum populum, adepti essent, vniuersa quę habebat præbentem ...... Quemadmodum

2. ad Cor. 12, 15. Paulus dicebat: Ego autem libentissimè impendam & expendar ipse pro animabus vestris. Quòd autem pullus, cùm esset indomitus & freni expers, non recalcitret aut reluctetur, Gentium obedientiam significat, & repentinam in meliorem vitã mutationem. Mihi verò non idcircò solũ vt prophetiam impleret, in asinâ sedisse videtur, verùm etiam vt viuendi nobis philosophiam traderet. Quoniam enim iumentis opus esse imbecillioribus non ignorabat, modum exemplo dedit, ne aut equis, aut mulis iunctis sublimes feramur, sed asino quando res cogit insideamus, neque vlteriùs progrediamur, sed vbique necessitate vsum terminemus.

APOLLINARIVS Quid per pullum & asinã significetur.

43. Illud autem quod contigit signum fuisse manifestum est: nam Domino à monte Oliuarum in Ierusalem eunti non opus erat asino, quippe qui totam Iudæam & Galilæam pedes obiuerat. Sed per hoc quòd pullo asinæ insederit nobis declaratur, cælestem ducem & Ierosolymæ Regem nouo populo insedisse. Pullus enim significabat vocationis nouitatem, & contrà eorum qui nunc vocantur impuritatem. Matthæus autem exactissimam rerum gestarũ descriptionem faciens, non pulli tantùm, sed & asinæ sequentis mentionem fecit, vt ostendat Israelem nouum hunc populum secuturum vt matrem pullum. Quòd enim Christus pullo insederit, ceteri Euangelistę declarant, qui solius pulli ad Iesum adducti meminerunt. Matthæus verò dicens adductam esse & asinam, ac Dominum desuper sedisse, non ait ex pullo & matre bigam fuisse factam; quomodo enim? sed asinam secutam fuisse. Pullus autem & asina ligata, significauit populos humanis negotijs implicatos, & imparatos ad conscensum Domini, sed diuino iussu solutos, nemine prohibere valente, tametsi (vti & hic asinæ Domini) id impedire voluerint.

44. Bethphage Domus maxillarum interpretatur: maxillæ autem accipiuntur in typum sermonis doctrinalis, & secundùm legem sacerdotibus dabantur. Bethania verò Domus obedientiæ, Ierusalem Visio pacis, missi verò sunt Apostoli, Prophetæ, & Angeli, Christo subseruientes in nostrâ redemptione. Duo autem missi significant duo Testamenta, innominatus verò vicus hunc mundum innuit, qui est contra missos, nam verè Christi asseclis atque discipulis aduersatur, secundùm illud Scripturæ, Amicitia huius mundi inimica est Deo. Asina verò pullusque ligati, vniuersam hominum naturam indicant, quæ in duos populos est aptè diuisa, in Iudæos nempe ac nouum Gentium populum, quos Dominus per Propheticum & Euangelicum sermonem, vel potiùs per Apostolorum atque Euangelistarum doctrinam, solui cupit à vanitate ac fallaciâ mundi huius, & ad se perduci.

ANONYM. Bethphage & Bethania quid.

Iac. 4, 4.

GEOMETRA.

45. Illuc enim vbi obedientia, vbi locus sacerdotibus mancipatur, mittit Dominus Apostolos suos vt soluant asinæ pullum, in quo nec Moysaicus sermo, neque Isaiæ, aut alterius alicuius Prophetæ consederat. Postquam verò venit Christus, qui reuerà erat solus Dominus, tacent multi Domini qui anteà eum possederant. Quando enim malitiæ seruimus, multis sumus passionibus vitijsque subiecti, vbi semel Domini facti sumus, plures Dominos habere non possumus.

NILVS.

46. Quòd si repugnent aliqui non veri domini, sed qui ex consuetudine sibi dominium vindicarint: audiant nos, si audire volunt, non linguâ solùm & demissâ voce, sed ex mandato dicentes: Dominus opus illius habet. Statim dimittent eum, vt Apostolicis ornatus vestimentis, Christi vehiculũ fiat. Illum itaque hominem, qui à Deo factus erat, & in paradiso constitutus, posteà verò à dia-

diabolo seductus, & quasi solutus ab hoc & à paradiso abductus fuerat, quia mandatum Dei soluerat, prauis ligatum affectibus, vti & *Homo per peccatum bestijs assimilatus.* materialium ac carnalium voluptatú amatores in oppositum paradiso vicum, mundum hunc inquam venit ipsemet Dominus in carne apparens beneplacito quidem Patris, in Spiritu sancto, multiplicibus diaboli vinculis soluere ac liberare. Sermo autem hic hominem irrationalibus animantibus assimilauit, quòd nempe diuinam à se rationem repulisset, vitam verò viueret rationis expertem, ac propter hoc inter pecora censebatur, secundùm quod scriptú est: Homo
Psal.48,13 cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Duo autem erant iumenta, propter duos populos, Iudæorum inquam & Gentium, qui ratione capti à diabolo detinebantur: & cùm ad infernum vsque, per mortem peccati vniuersum genus humanú diabolus pertraxisset; tum ecce sponte suscepta passione Dominus pro nobis bellum suscepit, hostem superauit, & antiquum ser-
Ps.106,16 pentem occidit, omnesque eius vires, nempe portas æreas contriuit, & mortis vinculis disruptis soluit hominem, & post victoriam in supernam Ierusalem introduxit, comitantibus illum tam qui ante quàm qui post eius in carne apparitionem ipsi placuerant, & habentibus in manibus ramos intellectuales, in signum victoriæ de diabolo reportatæ. Qui itaque cuncta relinquentes more discipulorum Verbú Dei secuti fuerint, venient quasi *Ingressio Christi in Ierusalem moraliter explicata.* in Bethaniam spiritualem Bethphagen diuinis præceptis obedientes, & vbi deinde sufficientes fuerint ad alios docendos, tunc etiam mittentur à Verbo ad illos qui pecoribus comparati, & quodammodò irrationales facti sunt, & terrenis affectibus tenentur illigati, vt eos rationibus ac sermonibus tam ex veteri quàm ex nouo Testaméto petitis, soluant, & ad Dominum adducant, qui nostrâ salute opus habet. Illi autem priùs mores hominum ordinantes ac componentes, sublime deinde verbum diuinum ijs superimponunt. Alios verò ex oleastris exscindentes, & in pulchras fidei oleas commutantes substernunt, id est Domino subijciunt, alios denique pulchrè obarmant contra dæmonem, eumdemque superare docent. Sunt & qui in signum victoriæ à diabolo reportatæ spirituales Domino ramos offerant, & hi omnes partim præcedentes Christum, partim verò sequentes, vnâ fide Christum vnanimiter laudantes ingrediuntur in supernam Ierusalem, vbi illorum omnium est habitatio.

VERS. 35. Et iactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Iesum.

36. Eunte autem illo substernebant vestimenta sua in viâ.

47. VESTIMENTORVM itaque expansio moralem significat instructionem, ramorum verò amputatio atque substratio, infidelitatis quasi siluestris oleæ excisionem & per fidem rectam Domino subiectionem. Palmarum autem gestatio denotat victoriam quam Christus pro nobis retulit, palmarum enim rami sunt signum victoriæ. Osanna verò gratia ac gloria interpretatur, quod idem est ac si dicant, Gratia & gloria sit filio Dauid. Beatus verò Lucas Osanna omittit, & eius loco reponit Gloria in excelsis. Per hoc autem quòd turbæ, tam quæ præcedunt, quàm quæ sequuntur, idem concinant, omnimoda rectæ fidei in ipsum consentientium consonantia denotatur, tam eorum qui Christi in carne apparitionem præcesserunt fidelium, quàm qui ipsam sunt secuti, & fidei cognitione atque operibus Christo placuerunt. *ANASTASIVS.* *Quid palma, quid canticum Osanna significent.*

48. Assumunt autem discipuli sermonem Dei, & imponunt eum super animas audientium. Ornant verò nos pulchra Apostolorum facta nobis imposita. Volunt enim nos suas vestes calcare, id est Apostolicos sermones perscrutari. *GEOMETRA.* *Quid vestimentorum expansio innuat.*

VERS. 37. Et cùm appropinquaret iam ad descensum Montis oliueti, cœperunt omnes turbę discipulorum gaudentes laudare Deum voce magnâ, super omnibus, quas viderant, virtutibus,

38. dicentes: Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.

49. ASCENDIT Christus Ierosolymam, pro omnium ibi salute ac vitâ crucem subiturus. Insidebat autem pullo asinæ, occurrebantque illi populus & pueri Hebræorum, multis ipsum salutationibus, acclamationibus & plausu excipientes. Atque alij quidem in viâ vestimenta sternebant, alij verò valdè adhuc iuuenes existentes, festiuos palmarum ramos præferebant, & Christo accinebant dicentes, Pax in cælo, Deo videlicet nobis non ampliùs irato aut inimico, sed in terrâ nostrâ, hostium inquam ipsius, ambulanti, ac propterea ab Angelis collaudato. Nam supernus Rex deorsum descendit, & sub obedientiam redegit vniuersa. *CYRILLVS*

VERS. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos.

40. Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

CHRYSOSTOMVS 50. RADIX quidem tenera erat in pueris, sed fructus violentus: Christum enim in immaturâ ætate prædicarunt esse Deum.

TITVS. 51. Verùm quinam, inquies, sunt lapides illi? Illi vtique qui quondam lapides adorabant, Gentes nimirum deceptæ, & diaboli fraude in errorem abductæ. De quibus dictum, Quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Matth. 3, 9

VERS. 41. Et vt appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens:

42. Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

CYRILLVS *Iudæorum cæcitas.* 52. NON enim erant digni percipere Scripturas diuinitus inspiratas, quæ Christi mysterium narrant. In hodiernum enim vsque diem idem velamen ignorantiæ legis veteris manet. Quoties enim legitur Moyses, velamen obnubilat cor eorum, ne videant quod in Christo perfectum est. Ipse siquidem veritas est quæ vmbram fugat. Et quia legis figuris non attenderunt, neque sunt intuiti veritatem, indignos se fecerunt salute quæ manat à Christo. Israelitæ itaque vel ipsius Dei calculo condemnati sunt, & occultata sunt ab Ierusalem quæ nobis Dei pacem conciliant, inter quæ vnicum & primum est fides quæ iustificat impium, & sui possessores purissimo Deo per sanctitatem & iustitiam coniungit.

VERS. 43. Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te vndique:

44. & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, " & non relinquent in te lapidem super lapidem: eò quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. "Matt. 24. 2. Marc. 13, 2. Luc. 21, 6.

TITVS. 53. CHRISTVS autem ipsam deflet, vti & nos amicos solemus, ostendens quòd non punire desideret, sed id inuitus faciat: quapropter & pœnam distulit, & post trigesimum quintum resolutionis suæ annum capta fuit. Longanimitate enim opus erat, vt hi qui digni erant venire ad fidem, ab erroneum numero segregarentur. Non enim indignabatur Saluator cùm patiebatur, sed ex cruce pœnitentes excipiebat. Quando itaque credentes discesserant, & qui reliqui erant saluari nolebant, tum venit infidelium interitus. *Ploratio Christi super Ierusalem quid moraliter.*

54. Prospiciamus ne & nos Dominus deploret. Nos enim sumus illa Ierusalem deplorata, imò etiam illâ infeliciores, si postquam reuelata sunt nobis mysteria veritatis, & sermo salutis nobis prædicatus est, adhuc peccemus. Defleamur ergo, nam nullus infidelis defletur, sed anima dumtaxat fidelis, cum peccantem circumdederint eam inimici eius, & aduersariæ potestates. Etsi enim quis longo tempore rectè vixerit, & alios ad virtutem informarit, vincatur tandem, destruetur domus eius: Omnes enim, inquit, iustitias eius quas fecerat, non recordabor; in peccatis suis comprehendam eum, & in ijs iudicabo illum. CHRYSOSTOMVS. Ezech. 18, 24.

VERS. 45. "Et ingressus in templum, cœpit eijcere vendentes in illo & ementes, "Matt. 21, 12. Marc. 11, 17.

46. dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Isa. 56, 7. Ierem. 7, 11.

55. ERAT autem in templo multitudo mercatorum qui vendebant animalia ritu legis mactanda in hostijs: sed iam aderat tempus abolendi vmbram, & Christi veritatem declarandi. Ob hoc Christus qui vnà cum Patre in templo colebatur, iussit ritum legis corrigi, templum verò fieri domum orationis. Hanc enim & non ob aliam causam è templi atrijs ac porticibus eiecit ementes ac vendentes ea quæ ad sacrificium conducebant. Alius verò Euangelista, Cùm, inquit, fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, & plagas ipsis incussit. Omnes enim qui legalem cultum obseruabant, scire oportebat, eos qui post veritatis manifestationem adhuc seruitutis spiritum seruarent, & in libertatem asseri nollent, seruorum fore pœnis obnoxios. CYRILLVS *Christus eycit vendentes à templo.* Ioan. 2, 15

56. Cauponas Dominus eiecit, qui Regium referebant emporium, & venditores columbarum, qui sacerdotes Spiritus sancti dona vendentes designabant, cùm in columbæ specie Spiritus sanctus apparuerit. Quod autem ait, Tollite ista hinc, perinde est ac si diceret, non iam cruoribus opus est, incruen- ISIDORVS lib. 1. ep. 106.

incruentam ego culparum veniam largior. Deinceps spiritum solum placari volo. Carnalis lex impleta est: Spiritus lex iam imperet, ac salutis obtineat principatum.

VERS. 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem Sacerdotum, & Scribæ, & Principes plebis quærebant illum perdere:

48. & non inueniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

ANNOTATIONES.

Quomodo Christus spiritaliter etiam quotidie doceat in templo. SANCTVS GREGORIVS *Hom.* 39. *in Euangelia*, Quis verò, *inquit*, Redemptor noster prædicationis verba nec indignis nec ingratis subtrahit, postquam disciplinæ vigorem, eijciendo peruersos, tenuit, domum mox gratiæ ostendit. nam subditur, Et erat docens quotidie in templo. Sed quia contra peruersa hæc omnia, verbis Redemptoris nostri per sacras paginas indesinenter instruimur, nunc vsque hoc agitur, quod factum fuisse perhibetur, cùm dicitur, Et erat docens quotidie in templo. Cùm enim mentem fidelium ad cauenda mala subtiliter erudit, quotidie Veritas in templo docet. Sed sciendum nobis est, quia Veritatis verbis veraciter erudimur, si extrema mala nostra formidolosè & indesinenter aspicimus: iuxta hoc, quod per quemdam sapientem dicitur: In omnibus operibus *Eccli. 7, 40* tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

Quomodo omnes etiamnum pendeant ex ore Christi. S. HIERONYMVS *Isa.* 22. Omnis, *inquit*, populus pendebat ex eo, quod quidem non illo tantùm tempore factum est, sed vsque hodie impletur: vt pendeant ex eo, quasi vasa diuersa Dei; sapientia & iustitia, & omnia quibus Christus appellatur. *Addit hic*

S. MATTHÆVS CAP. XXI.

VERS. 15. Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ, mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Hosanna filio Dauid: indignati sunt,

16. & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: Vtique nun-
Psal. 8, 3. quam legistis. "Quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem?

17. Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam: ibíque mansit.

18. Manè autem reuertens in ciuitatem, esurijt.

Marc. 11, 13. 19. " Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in eâ nisi folia tantùm, & ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuò ficulnea.

20. " Et videntes discipuli, mirati *Marc. 11, 20.*
sunt, dicentes: Quomodo continuò
aruit?

21. Respondens autem Iesus, ait eis:
Amen dico vobis, si habueritis fidem,
& non hæsitaueritis, non solùm de ficulneâ facietis, sed & si monti huic dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet.

22." Et omnia quæcumque petieritis *Marc. 11, 20.*
in oratione credentes, accipietis.

EVTHYMIVS *ad hunc locum ait:* Dispensatoriè ordinauit Deus, vt pueri quoque laudarent eum, quò ab omni contradictione excluderentur Iudæi, videntes filios, qui apud se fuerant enutriti ac instructi, mirabiliter ac supernaturaliter motos ad Christi laudem. Vtique stupore plenissimum est hoc miraculum. Tunc enim chorus puerorum lactentium clarè locutus est: siquidem non simpliciter pueri erant, sed pueri infantes ac lactentes. Perfecisti verò, id est, perfectam ex imperfecto ore fecisti. Benè autem dixit, Ex ore infantium: nam os erat infantium. Id autem quod dicebatur, potentiæ Ipsius erat, quæ disertam reddebat immaturam lactentium linguam. Et hoc quoque miraculosè factum est ad discipulorum consolationem, vt de seipsis confiderent, quòd qui disertam fecerat balbutientem linguam, sapientem etiam facturus erat eorum ruditatem. Erat & hoc figura Gentium, quæ cùm ad Theologiam & diuina verba balbutirent, repentè ita perfectè resonarunt, vt ab omnibus exaudiri possent. *Quomodo Christus ex ore infantium laudem perfecerit.* *Psal. 8, 3.*

Vbi nota, illud, perfecisti laudem *Psal.* 8, 3. *Hebraicè haberi*, fundasti fortitudinem tuam, *id est, firmasti, declarasti, & perfectè laudabilem fecisti potentiam tuam, dum ex ore elinguium infantium gloriam tuam exprimis. Licet autem Psalmista ad litteram ibi loqui videatur de genere humano in communi, & vniuerso condito, cuius omnes partes etiam minima, etiam infantes atque idiotæ, Dei creatoris potentiam & sapientiam commendant: ad litteram tamen etiam Christo optimè appropriari potest, vtpote omnium hominum, imò creaturarum nobilissimo. Primò, quia Christus ipse ita hic accipit, & Apostolus ad Hebræos 2, 7. Secundò, quia hominis miseria (vt qui iam suũ, quem initio habebat, in bestias dominatum perdidit) non ita rectè competere potest vt Christo. Tertiò, quia versus iste, vt per se patet, multò clarius Christo competit quàm alijs.*

S. CHRYSOSTOMVS *Hom.* 38. *in Matthæum, infantes pro idiotis accipit, & locum hunc ita mysticè explicat, dicens:* Turba autem quæ præcedebat, & quæ sequebatur, clamabat. Intelligimus quia infantes dicebantur, non ætate, sed simplicitate cordis. Infantes autem lactentes nec intelligere aliquid, nec laudare possunt. Lactentes autem dicebantur, quoniam quasi lactis suauitate, ita mirabilium delectatione excitati, clamabant, sicut scriptum est: Sic exaltaui vocem meam, sicut ablactatus super matrem suam. Lac enim dicitur opus miraculorum, panis autem doctrina perfectæ iustitiæ, sicut ait Apostolus: Et verbum meum, & prædicatio mea, non in persuasione sapientiæ verbi, sed in ostensione spiri- *Mysticè quinam sint infantes & lactentes.* *Psal. 130, 2.* *1. Cor. 2, 4.*

Tt 2 tus

tus & virtutis. Item post modicum sic dicit: Et ego non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Omnis prima inductio fidei, id est simplex doctrina, lac dicitur: quoniam sicut lac sine labore & sine opere dentium manducatur, & manducantem suauitate sua delectat; sic & mirabilia nullum laborem videntibus ponunt, sed videntes admiratione delectant, & ad fidem molliter inuitant. Panis autem perfectionis doctrinam iustitiæ significat, quam accipere non possunt, nisi exercitati sensus circa res spirituales: quoniam qui audit, necesse habet intra se tractatibus quibusdam discutere & meditari, quasi quibusdam dentibus spiritualibus molere. Vnde & lex ruminantia animalia voluit esse munda. Illa enim esca doctrinæ non tantùm carnalibus suauis est, quantum spiritualibus vtilis est ad salutem. Sicut enim infanti si dederis fragmentum panis, quoniam angustas habet fauces, effocatur magis quàm nutritur; sic & homini imperfecto in fide, & puero in sensibus, si altiora mysteria sapientiæ volueris dicere, angustam habens fidem & sensum, magis scandalizatur quàm ædificatur. Et quemadmodum viro perfecto si dederis lac, fauces quidem eius delectat, membra autem eius non confortat; (de pane enim scriptum est, non de lacte, quia confortat cor;) si autem panem manducet, non tantùm fauces eius delectat, quantum præstat ei virtutem: sic & viro perfecto in fide & maturo sensibus si miracula ostenderis, delectatur quidem aspectu, nihil autem proficit ei ad ædificationem sensus, aut ad notitiam veritatis: si autem verbum sapientiæ exposueris ei, & ratione delectatur, & ædificatur in fide. *Sequitur:*

Panis sine esca in Scripturâ quid.

Cibus infantium & virorum quis.

Psal. 10, 5.

VERS. 17. ET RELICTIS EIS ABIIT FORAS.] Vt recedendo compesceret, quos respondendo non poterat: quia malitia non compescitur sermonibus, sed excitatur. Malum enim hominem melius locum dando potes vincere, quàm respondendo. Nam si contendis irrationabilem ratione placare, & illum non placas, & teipsum subuertis. Noluit autem manere in Ierusalem, de quâ iam voluntate recesserat, quæ in mortem Domini sui iam manus armatas tenebat, seipsam magis occisura quàm Dominum, sed mansit apud Lazarum & sorores eius, vt illic requiesceret corporaliter, vbi & spiritualiter repausabat. Nam sanctorum virorum est non ibi quærere mansionem vbi clariores sunt viri, sed vbi fideliores, nec gaudent vbi epulæ largæ sunt, sed vbi sanctitas floret.

Malitia sermonibus non compescitur.

Quos deserat Christus & ad quos diuertat.

S. HIERONYMVS *in cap.* 21. *Matth. ait:* Reliquit incredulos, & vrbem egressus contradicentium, iuit Bethaniam, quod interpretatur Domus obedientiæ; iam tunc vocationem Gentium præfigurans: ibique mansit, quia in Israel permanere non potuit. Hoc quoque intelligendum est, quòd tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maximâ nullum hospitem, nullam inuenerit mansionem; sed in agro paruulo apud Lazarum sororesque eius habitaret: eorum quippe vicus Bethania est.

Paupertas Christi.

IDEM: Discussis autem noctis tenebris matutinâ luce radiante, & vicinâ meridie, in quâ Dominus passione suâ illustraturus erat orbem, esurit in ciuitatem reuertentur, esurit; vel veritatem humanæ carnis ostendens; vel esuriens salutem credentium, & æstuans ad incredulitatem Israelis. Cum-

Quid Christi esuries & ficus arefacta insinuent.

que vidisset arborem vnam, quam intelligimus Synagogam, & concionabulum Iudæorum, iuxta viam, (habebat enim Legem, & ideò iuxta viam erat, quia non credebant in viam:) venit ad eam, stantem scilicet, & immobilem, & non habentem Euangelij pedes, nihilque inuenit in eâ, nisi folia tantùm, promissionum strepitum, traditiones Pharisaicas, & iactationem legis, & ornamenta verborum, absque vllis fructibus veritatis. Vnde & alius Euangelista dicit: Nondum enim erat tempus, siue, quòd tempus nondum venerat salutationis Israel, eò quòd nondum Gentium populus subintrasset; siue quòd præterisset tempus fidei, quia ad illum primum veniens, & spretus, transiisset ad nationes. Et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur, vel in sempiternum, vel in sæculum. Vtrumque enim Græcus sermo significat. Et arefacta est ficulnea, quæ esuriente Domino cibos, quos ille euperat, non habebat. Sic autem aruerunt folia, vt truncus ipse remaneret, & fractis ramis vireret radix, quæ in nouissimo tempore, si credere voluerit, virgulta fidei pullulet, impleaturque Scriptura, dicens, Est arboris spes: iuxta litteram autem, Dominus passurus in populis, & baiulaturus scandalum crucis, debuit discipulorum animos signi anticipatione firmare. Vnde & discipuli mirantur, dicentes: Quomodo continuò aruit? Potuit ergo Saluator eadem virtute etiam inimicos siccare suos, nisi eorum per pœnitentiam expectasset salutem.

Marci 11, 13.

Iob 14, 7.

S. ATHANASIVS *quæst.* 58. Quid peccauit, *inquit*, ficus, quòd eam Christus arefecit? quoniam id proposito fecit. & quomodo? Quoniam Dominus passurus iam erat, ne existimarent eius discipuli, ipsum non omnipotentem esse, sed infirmum, idcoque patietur: in hac inanimatâ re suam declarauit potentiam, vt ostenderet quòd omnes aduersarios suos arriditate percutere posset. Sed quemadmodum dixit ipse, quia non venit ad condemnandum mundum, quin potiùs ad seruandum: suam quidem potentiam in inanimatâ ficu declarat, suum autem erga homines amorem immensâ patientiâ exercet. Dicitur verò peccator quoque ficus, quam execratus est, & ariditate percussit Dominus noster Christus. Est etiam hæc huius rei ratio: quia post transgressionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit suæ turpitudinis peccatum, vt destrueret transgressionis peccatum, & configeret, deleretque in cruce, arefecit operculum peccati, id est folia ficus, quibus Adam tegebatur post transgressionem.

Cur Christus ficum arefecerit.

Ficus est peccator, & cur.

THEOPHYLACTVS *in cap.* 21. *Matth.* Sed & omnis homo exponens se delicijs huius vitæ, ficui comparatur: quia fructum non habet spiritalem, vt esurienti Iesu det, sed folia tantùm & temporalem ac defluentem apparentiam. Hic igitur maledictus audiet, Ite maledicti in ignem. Sed & arefcet. Nam dum cruciatur in flammâ, arescit eius lingua, sicut & diuitis.

Ficus est homo sensualis.

Matth. 25, 41.

Luc 16, 24

ORIGENES *Hom.* 16. *in cap.* 21. *Matth.* Esuriit, *inquit*, Iesus semper in iustis, volens manducare fructum Spiritus sancti in eis. Et sunt eius escæ, gaudium, pax, patientia nostra, & reliqua. Quæ quidem quamdiu fructificamus, non arescimus. Si autem venienti Domino, & quærenti huiusmodi fructum vt manducet in nobis, non exhibuerimus, dicet ad nos: Numquam ex vobis fructus nascatur in sempiternum. Et vide quoniam secus viam erat hæc ficus, quæ folia tantùm habuit sine fructu. Sic enim

Illud de ficulneâ moraliter explicatur.

enim & terra quæ secus viam est, licet fuerit seminata, nullum fructum producit, diripientibus volucribus semina seminata. Quamdiu ergo non venit Iesus ad aliquam ficum, nec quærit fructum eius, sed patienter agit ac sustinet, si fortè proferat fructum, non exsiccatur; si autem venerit esuriens & fructum requirens, & inuentus fuerit aliquis nihil iustitiæ habens, nisi professionem tantummodò fidei (quod est folia sine fructu) mox exsiccatur, etiam hoc ipsum quòd videtur fidelis, amittens.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 23. Variarū in Matth. similiter quærens cur Dominus ficulneam maledixerit non habentem fructum, cum tempus non esset ficorum, ait:* Hoc factum est, vt edoceat quanta pœnâ homo dignus sit, qui modò, cùm tempus sit benè operandi, fructus non ferat. Quod Christus Dominus esurit in homine illud est, vt faciat voluntatem Patris sui qui in cælis est. Infructuosas arbores Dominus in vineâ suâ permanere non patitur, sicut ipse in Euangelio suo testatur: Ecce triennium est ex quo venio & quæro, & fructum in arbore istâ non inuenio. Succide illam, vt quid enim terram occupat? Non te patiar sine fructu consistere, qui infructuosas arbores iussi amputare. Esto itaque, homo, arbusculæ tuæ valdè diligens cultor, vt in eâ arida quæcumque sunt, abscindantur, quæ infructuosa sunt amputentur, quæ fructuosa sunt excolantur.

Christus nil patitur in vineâ suâ infructuosum permanere. Luc. 13, 7.

IDEM *ad vers. 21.* Sed & si monti huic dixeritis, *&c. ait:* Mons ille inuisibilis, qui arbores infructuosas producit; vbi loca petrosa & aspera, vbi præcipitia pendentia, & cauernæ, & non hominibus ad habitandum aptæ, sed bestiis, vbi nulla est planities ad requiescendum in pace, sed ascensionibus & descensionibus plenus est. Quicumque enim diabolo stant, alias ascendunt, alias descendunt. Qui mons est dictus non propter altitudinem dignitatis, sicut Angeli sancti, sed propter inflationem superbiæ; non propter firmitatem virtutis, sed propter immobilem & incorrigibilem malitiam suam. Istum montem tollite de medio sanctorum, vbi fides, vbi spes, vbi charitas, vbi planities pacis, vbi speciosi fontes doctorum, vbi prata florentia rore gratiarum, vbi volucres sancti, assiduè vernantes cantibus delectant. Et mitte te in mare: id est in istum mundum, vbi aquæ sunt salsæ, & non procedentes ad vsum, id est populi iniqui non proficientes ad gloriam Dei, in quos omnia dulcia flumina spiritualium gratiarum currunt, & salsitatem eorum mutare non possunt; sed magis illorum salsitas corrumpit in se dulcedinem venientium fluminum in mare huius mundi, vbi semper dominantur potestas, & diuersorum spirituum periculosa certamina. Sicut enim assidua est in mari tempestas, sic in isto mundo persecutio satanæ, vbi numquam tranquillitas est, sed ascendentibus vndis, id est tentationibus impellentibus & impulsis inuicem, se percutiunt aquæ, & inuicem se frangunt & confringunt, inuicem se confringentes quemdam irrationabilem sonum dant. Sic seipsos homines occasionibus ex ipso mundo nascentibus quasi vndis se inuicem comedunt & impugnant, & ex se quasi insanas voces pelagi dimittunt. Mitte te in mare, vbi sonus confusus, vbi inconstantia æterna, vbi insatigabilis contentio vndarum, vbi timor est, & semper mortis fluit imago.

Diabolus mons dictus ob superbiam.

Mundus mari comparatur.

ORIGENES *in aureâ Catenâ*, Est autem, *inquit*, & in vnoquoque infideli mons secundùm mensuram infidelitatis suæ, qui verbis discipulorum Christi tollitur:

Dicendum hic ordine historiæ vti Gentiles Iesum videre cupiant, quod narrat

S. IOANNES CAP. XII.

VERS. 20. Erant autem quidam
Gentiles, ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo.
21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaidâ Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Iesum videre.
22. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu.
23. Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, vt clarificetur Filius hominis.
24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit;
25. ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. [a]Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.
26. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.

[a] Matth. 10, 39. 16, 25. Marc. 8, 35. Luc 9, 24. 17, 33.

S. BERNARDVS *Serm. 13. in Cant.* Vnum, *inquit*, scio, si Philippum & Andream habuerimus ostiarios, repulsam omnino non patimur, quicumque oleum petimus, quicumque volumus Iesum videre. Incunctanter Philippus dicet Andreæ, Andreas autem & Philippus dicent Iesu. Iesus autem quid? Profectò quod Iesus. Nisi granum frumenti cadēs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Moriatur igitur granum, surgat gentium seges. Oportet pati Christum, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum; non solùm in Iudæam, sed etiam in omnes gentes: quatenus ab vno nomine quod est Christus, millia millium credentium Christiani dicantur, & dicant, Oleum effusum nomen tuum.

Sanctis intercessoribus facilè audimur à Deo.

[b]*Dixerat Dominus,* Venit hora vt clarificetur filius hominis, *in Resurrectione scilicet potissimùm & Ascensione: quoniam autem ad gloriam hanc peruenire non poterat nisi per mortem, mortis suæ mentionem ingerit, ostendens quam sit illa mundo futura fructifera, vt Apostoli eius vtilitatem considerantes, scandalum crucis deponerent, & magistri mortem fortiori animo ferrent ob multiplicem fructum, quem tam mundo quàm Patri allatura erat: mundo quidem, Deum*

illis reconciliando, Spiritus sancti charismata largiendo, & fidei segetem multiplicando: Patri verò, ex vniuerso orbe quamplurimos adducendo. Hoc pulchrè exemplo confirmat

Exod. 1, 7. *Mortuo Ioseph multiplicatur Israel, Mortuo Christo Ecclesia dilatatur.*

S. AVGVSTINVS *Serm. 84. de Tempore.* Quid est, *inquit*, fratres, quòd dum vixit Ioseph, non referuntur creuisse filij Israel, illo autem mortuo, creuerunt & multiplicati sunt nimis? Hæc, fratres, in illo Ioseph figurata sunt, in nostro autem Ioseph Christo Domino in veritate completa sunt. Priùs enim quàm crucifigeretur, pauci in eum crediderunt; postquam verò mortuus est & resurrexit, in vniuerso mundo multiplicati sunt, & creuerunt
Ioā. 12, 24. populi Christiani. Sic enim ipse ait: Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Posteà enim quàm passione pretiosum granum mortuum fuit, de vno illo grano per vniuersum mundum messis Ecclesiæ pullulauit. Non enim,
Psal. 75, 2. sicut anteà, tantùm in Iudæâ nota est Deus, nec
Psal. 112, 3 solùm in Israel nomen eius, sed à solis ortu vsque ad occasum nomen illius collaudatur.

S. GREGORIVS *similiter lib. 29. Moral. cap. 7. explicans verba illa Iob* 38. Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti? *ait:* Portæ mortis sunt potestates aduersæ, quas descendens Dominus aperuit, quia earum fortitudinem moriendo superauit. Tenebrosa ostia tunc Dominus vidit, cùm claustra inferni penetrans crudeles spiritus perculit, & mortis præpositos moriendo damnauit. Quia verò post mortem eius creuit Ecclesia, atque in cunctis est Gentibus dilatata, aptè subiungitur: Numquid considerasti latitudinem terræ. Dum enim Dominus angustias mortis pertulit, fidem suam in Gentibus dilatauit, atque ad innumera corda credentium suam Ecclesiam exten-
Isa. 54, 2. dit, cui per Prophetam dicitur: Dilata locum tentorij, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Ad dexteram enim & ad læuam penetrabis: & semen tuum gentes hereditabit. Quæ latitudo terræ profectò non fieret, nisi & ipse priùs, & vitam quam nouimus, moriendo despiceret, & vitam quam non nouimus, resurgendo monstraret. In morte quippe suâ nostræ oculos mentis aperuit, & quæ esset vita quæ sequeretur, ostendit. Vnde in Euangelio hunc ordinem tenens, discipu-
Luc. 24, 46 lis dicit: Sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes Gentes. Pauci enim ex Israeliticâ plebe ipso prædicante crediderunt, innumeri verò Gentium populi viam vitæ moriente illo secuti sunt.

Verè profectò ac meritò dicit Isaias cap. 1, 9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus. *Id est (vt inquit Origenes Hom. 17.) nisi æternus Pater dedisset nobis Christum, similes extitissemus impiæ Sodomorum ciuitati, quantum ad impietatis magnitudinem spectat, quâ æternæ morti fuissemus adiudicati. Mortem autem Domini vocauit semen, quia sicut semen fructum multiplicem reddit seminatum in terrâ, sic & Iesus dum mortuus est solus, multiplicato fructu viuus surrexit, & qui cum baculo crucis solus transiuit Iordanem, de torrente in viâ bibens, cum duabus turmis comitatus rediit ad Patrem. Et qui dixerat (ait S. Augustinus in Psal. 140.) Patri,* Singulariter sum ego, donec transeam, *quia solus interiit, hoc significare voluit, quòd cùm transisset, multiplicandus esset, quia multi ipsum erant imitaturi, qui dixerat Ioan.* 12. Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum. *Benè autem se granum frumenti vocat, quia ipse, vt nos pasceret & aleret, in agro huius mundi velut seminatus est, dum incarnatus est & natus, vt in terrâ mortuus & sepultus, ex eâ gloriosus & cum magno fructu resurgeret; dicente Prophetâ Isaiâ cap. 4.* Erit germen Domini in magnificentiâ, & gloriâ, & fructus terræ sublimis, & exultatio his qui saluati fuerint de Israel.

Sequitur Vers. 25. QVI AMAT ANIMAM SVAM, PERDET EAM; & contrà.] S. BERNARDVS *Serm.* 30. *in Cantica*, Hippocrates, *inquit*, & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo, Christus & eius discipuli perdere. Quemnam vos è duobus sequi Magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat, Hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Epicurus atq; Hippocrates corporis alter voluptatem, alter bonam valetudinem præfert; meus Magister vtriusque rei contemptum prædicat: quòd vera sapientia in voluptates non effluat. Audisti profectò à sapiente, ne inueniri quidem hanc in terrâ suauiter viuentium. Qui autem inuenit, dicit: Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam. Si super salutem & pulchritudinem, quantò magis super voluptatem & turpitudinem? Quid verò prodest temperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatibus complexionum, ciborumque varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum grauat, pisces de stagno aut de lutosâ aquâ meæ penitus complexioni non congruunt. Puta te quæso Monachum esse, non Medicum, nec de complexu iudicandum, sed de professione, &c.

Hippocrates docet hic animas saluare, Christus in futuro.

S. AVGVSTINVS *epist. 8. ait:* Hoc præceptum, quo perdere iubemur animam nostram, ad hoc valet, vt quisque interimat in se carnalem animæ affectum, quo eum impedimento futuræ vitæ præsens vita delectat.

In quantum animam perdere debeamus.

IDEM *edisserens locum hunc Ioannis* 12. Qui amat animam suam, perdet illam, *dicit:* Huic sententiæ quasi contrarium videtur esse, quod ait Apostolus: Nemo vnquam carnem suam odio habuit: Si ergo nemo est qui carnem suam oderit, quantò Eph. 5, 29.
magis nemo est qui oderit animam suam, cùm anima superior sit, caro autem inferior, & subiecta? Quomodo ergo intelligendum est: Qui amat animam suam, perdet eam? Quia timeo perdere, ideò non amo. Dicit & alibi Dominus: Quid prodest Matth 16.
hominis, si vniuersum mundum lucretur, animæ 26.
verò suæ detrimentum patiatur? Ecce quia sic est amanda anima, vt lucro totius mundi præferatur, & tamen obserue qui animam amat, quia si amat, perdet illam. Non vis perdere eam, noli illam amare: sed si non vis perdere eam, non potes eam non amare. Sunt ergo qui peruersè animam suam amant, & hoc vult Dei sermo corrigere, non vt oderint animam suam, sed vt rectè diligant: malè enim diligendo perdunt eam. Si oderis illam rectè, conseruas illam. Est ergo quidam peruersus amor eius, & quoddam rectum odium eius. Sed amor peruersus ab odio, odium rectum ab amore est. Quis est peruersus animæ amor? quando diligis animam tuam in iniquitatibus, audi quia ab odio venit amor iste peruersus. Qui autem diligit Psal. 10, 5.
iniqui-

Anima quomodo amanda & odio habenda.

Amor peruersus & odiū rectum quid.

iniquitatem, odit animam suam. Odium autem rectum, vide quia ab amore venit: vti Dominus
Ioã.12,25. ait: Qui autem odit animam suam in hoc sæculo, in vitam æternam custodit eam. Vtique quod vis inuenire in vitam æternam, multum amas. Quod amas ad tempus, quid proderit? aut subduceris illi, aut subducitur tibi: cùm fueris tu subtractus, perit ipse amor; cùm fuerit illud subtractum, perit quod amasti. Vnde hoc amandum non est, sed illud quod potest nobiscum esse in æternum. Sed si vis animam tuam in æternum habere saluam, oderis eam ad tempus. Amor animæ est, tantam diligentiam adhibere vt vita præsens conseruetur. Si curris pro hac vitâ centum millia, quot millia debes currere pro vitâ æternâ? Si festinas lucrari dies paucos, & ipsos incertos, (hodie enim homo à morte liberatus, nescis si moriaris cras:) tamen sic curritur propter lucrum paucorum dierum, quia & vsque in senectam pauci dies sunt, quomodo currendum est pro vitâ æternâ? Discamus ergo amare animas nostras: amor noxius recedat, vt amor vtilis succedat. Pleni sunt homines amore malo, fundant illum, & intrabit, & capiet amor bonus. *Subiungit Christus*

Temporalia non sunt amanda sed æterna.

VERS. 26. SI QVIS MIHI MINISTRAT, ME SEQVATVR.] *Quis autem Christo ministret, breuiter & pulchrè nobis edisserit idem* S. AVGVSTINVS *in Psal.* 100. *explicans illa verba:* Ambulans in viâ immaculatâ hic mihi ministrabat. Is, *inquit*, ministrat Christo, quia non quærit quæ sua sunt, sed quæ illius; qui autem quæ sua sunt, quærunt, sibi ministrant, non Christo. *Nec exprimit hic certum aliquod ministerium: quilibet enim in suo statu & officio Christo ministrat, dum officium suum ex Christi voluntate diligenter exequitur.*

Quis Christo ministret.

IDEM *libro de Salutaribus documentis sic ait:* Si in Christo esse volumus sicut S. Apostolus Ioannes dicit, quomodo ille ambulauit, ita nos spiritualiter ambulemus. Quid est ambulare sicut Christus ambulauit? nisi contemnere vanitatem & felicitatem huius sæculi, & non timere aduersa pro nomine eius pati? Speremus quæ promisit, & sequamur quò ipse præcessit. Non vos vllo modo ab amore Christi separet huius sæculi miserabilis dulcedo.

Quid sit Christum sequi. 1. Ioã. 2, 6.

IDEM *lib. de Sanctâ virginitate*, Quid, *inquit*, est Christum sequi, nisi imitari? quia Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, sicut
1. Pet. 2, 21 ait Apostolus Petrus, vt sequamur vestigia eius. Hunc in eo quisque sequitur, in quo imitatur, non in quantum Filius Dei est vnus per quem facta sunt omnia, sed in quantum Filius hominis quæ oportebat in se præbuit imitanda, & multa in illo ad imitandum omnibus proponuntur. Sequantur Agnum omnes fideles, licet non quocumque ille ierit, tamen quousque ipsi potuerint. Beati pauperes spiritu, imitamini eum qui propter vos pauper factus est, cùm diues esset. Beati mites, imitamini eum qui fleuit super Ierusalem. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, imitamini eum qui dixit, Meus cibus est vt faciam voluntatem eius qui misit me. Beati misericordes, imitamini eum qui vulnerato à latronibus, & in viâ iacenti semiuiuo desperatoque subuenit. Beati mundo corde, imitamini eum qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Beati pacifici, imitamini eum qui pro suis persecutoribus dixit: Pater ignosce illis. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; imitamini eum qui pro vobis passus est, relinquens vobis exemplum. Hæc qui imitantur, in his Agnum sequuntur.

In quibus sit Christus imitandus. Math. 5, 3 2. Cor. 4. & 9. Math. 5, 4 Luc. 19, 41 Ioã. 4, 34.

S. BASILIVS *lib. Constit. Monasticæ ait:* Omnis actio, omnis item sermo Saluatoris nostri Iesu Christi, excolendæ pietatis virtutisque obeundæ regula est. Propter hoc enim etiam humanam naturam suscepit, vt in se, velut in tabulâ quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamq; omnibus nobis, maribus simul ac feminis, ante oculos statutam, vnicuique pro viribus imitandam, ceu archetypum, proponeret. Neque enim aliâ de causâ ille corpus nostrum gerit, nisi vt quoad fieri possit nos ad imitanda vitæ ipsius studia conformemus. Quapropter tu quandocumque vel factum ipsius audieris memorari, vel dictum, ea noli ito negligenter, & tamquam aliud agens audire, quin stude potiùs vt mente tecum ipse cogitando rimandoque ad eorum profundum peruenias, eorumque quæ tibi opertè traduntur, particeps fieri contende.

Omnis Christi actio aut dictio nobis regula est.

Sequitur, ET VBI EGO SVM, ILLIC ET MINISTER MEVS ERIT.] *Quæ verba plena sunt consolationis; ac si dicat: Non diffidat minister meus, dum pro me dura patitur, quia sicut Pater semper mecum fuit in passione, ita & ego semper illi adero in omni tribulatione, vt qui pro me aliquid tolerat, non succumbat, sed patientiâ & fortitudine potiatur donec mecum glorificetur. Adest siquidem semper ministris suis Dominus, & tum vel maximè, cum pro eo pugnant, auxiliator assistit, vti pulchrè ostendit*

ORIGENES *Hom. 1. in lib. Iosue dicens:* Iesus Naue fuit de quo solo legitur, quòd dixerit, Sol contra Gabaon ne mouearis: & propterea addit Scriptura & dicit: Quia numquam sic audiuit Deus hominem. Iesus ergo meus solem stare fecit, non tunc solùm, sed magis modò in aduentu suo. Denique dum nos bellum gerimus aduersus inimicos nostros, & colluctamur aduersus principatus & potestates, & rectores tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiæ in cælestibus, Sol nobis iustitiæ indesinenter assistit, nec deserit vmquam, necfestinat occumbere, quia ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus. Non solùm autem duplicato die nobiscum est, sed omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, donec & nos obtineamus aduersarios nostros.

Christus semper adest ministris suis. Iosue 10, 12. Eph. 6, 12. Math. 28, 20.

Sed & illud videamus, quid est quod repromisit Iesus ministro suo. Et honorificabit eum, *inquit*, Pater meus: *honore scilicet æterno, & coronâ gloriæ præmiando, in regno cælorum, iuxta illud Apocalypseos* 3, 5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis eius. *Et versu* 21. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius. *Status illius pulchritudinem nobis aliquot similitudinibus adumbrare conatur*

Quomodo honoret Deus ministros suos.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 6. in Epist. ad Hebræos dicens:* Vultis vt dem vobis similitudinem quamdam illius status. Suspiciamus in cælum, quando nulla se interponit nubes, & clara est omnis eius corona. Deinde ad pulchritudinem aspectus eius aliquantulum temporis perduremus, & intelligamus, quoniam & solum habemus, non quidem tale quale nunc est, sed tantò melius effectum, quantò luteis testis aurum est melius. Et post illud item superius tectum, deinde Angelos, Archangelos, innumera-

Similitudines quibus inuestigatur gloria Beatorum.

numerabiles populos incorporearum virtutum. Deinde ipsa Dei regna, thronum paternum. Deinde aliam similitudinem inquiramus. Si contingat eum qui modò imperat, omnem mundum obtinere, deinde neque bellorum neque curarum habere vllam molestiam, sed in honore esse tantùm, & deliciari, & multa quidem habere tributa vndique, & aurum illi affluere; qualem illum putatis animum habere, si omnia bella totius terræ quiescere videat? talis neque ad similitudinem illius regni perueniet. Est & alia similitudo: Si quis vinctus, & multa mala passus, repentè ad regale solium rapiatur, sed neque sic integrè pertingere potuit ad illius regni similitudinem, *&c.*

S. Avgvstinvs *lib. de Spiritu & animâ postquam de beatitudine illâ multa disseruit, ita exclamat, semetipsum ad eam excitando:* Eacita, *inquit*, nunc anima mea, & erige totum intellectum, & cogita quantum potes, quale & quantum sit Dei bonum. Si enim singula bona delectabilia sunt, cogita intentè, quàm delectabile sit illud bonum, quod continet iucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti, sed tantò differentem,
Quæ bona seruos Dei maneant. quantò differt creator à creaturâ. Si enim est bona vita creata, quàm bona est vita creatrix? si ita iucunda est salus facta, quàm iucunda est salus quæ fecit omnem salutem? si amabilis est sapientia in cognitione rerum creatarum, quàm amabilis est sapientia quæ omnia creauit ex nihilo? denique, si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, quanta & qualis delectatio est in illo qui fecit ipsa delectabilia? O qui hoc bono fruetur, quid erit, & quid illi non erit? Certè quidquid volet, erit, & quidquid nolet non erit. In cælo est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si delectat pulchritudo,
Matth. 13, 43. fulgebunt iusti sicut sol. Si velocitas aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erunt
1. Cor. 15, 44. similes Angelis Dei; quia seminatur corpus animale, & surget corpus spiritale, potestate vtique,
Sap. 5, 16. non naturâ. Si delectat longa & salubris vita, ibi est
Psal. 36, 39 sana æternitas, & æterna sanitas, quia in perpetuum viuent, & salus iustorum à Domino. Si satietas; sa-
Psal. 16, 15 tiabuntur cùm apparuerit gloria Domini. Si ebrie-
Psal. 35, 9. tas, inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorū chori concinunt sine fine Deo. Si quælibet munda voluptas; torrente voluptatis Deitatis suæ potabit eos Dominus. Si sapientia, omnes
Ioan. 6, 45. erunt docibiles Dei. Si concordia, erit illis erit vna voluntas Dei. Si potestas; introibunt in poten-
Isa. 54, 13. tias Domini, & omnipotentes erunt suæ voluntatis,
Psal. 70, 16 vt Deus suæ. Nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum.
Matth. 25, 21. Si honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles super multa constituet, heredes quidem Dei,
Rom. 8, 17 coheredes autem Christi. Si vera securitas, certè ita erunt certi nūquam istud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt nec se suâ sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis inuitis ablaturum, *&c.*

Hisce itaque ysque maioribus bonis, ministris suis in spe repositis, ad viriliter certandum eos excitat, & ne animis aliquando in difficultatibus concidant, suos hic labores & agonem ob oculos ponit. Vnde sequitur

Vers. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac horâ. Sed propterea veni in horam hanc.

28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo: Et clarificaui, & iterùm clarificabo.

29. Turba ergo, quæ stabat, & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est.

30. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos.

31. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

32. Et ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipsum.

33. (Hoc autem dicebat, significans quâ morte esset moriturus.)

34. Respondit ei turba: Nos audiuimus ᵃ ex lege, quia Christus manet in ᵃPsal. 109, 4. 116, 2.
æternum: & quomodo tu dicis, Opor- Isai. 40, 6.
tet exaltari Filium hominis? Quis est Ezech. 37, 25.
iste Filius hominis?

35. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

36. Dum lucem habetis, credite in Isa. 53, 1.
lucem, vt filij lucis sitis. Hæc locutus est Rom. 10, 16.
Iesus: & abijt, & abscondit se ab eis.

37. Cùm autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum:

38. Vt sermo Isaiæ Prophetæ impletetur, quem dixit: ᵃDomine, quis cre- ᵃIsa. 6, 19.
didit auditui nostro? & brachium Do- Rom. 11, 1. Matth. 13, 14.
mini cui reuelatum est? Marc. 14, 12.

39. Propterea non poterant credere, Luc. 8, 10.
quia iterùm dixit Isaias:

40. ᵃExcæcauit oculos eorum, & in- ᵃAct. 18, 27.
durauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.

41. Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.

42. Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharisæos non confitebantur, vt è synagogâ non eijcerentur.

43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.

44. Iesus

44. Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

46. Ego lux in mundum veni: vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et si quis audierit verba mea, & non custodierit: ego non iudico eum. Non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum.

48. Qui spernit me, & non accipit
*Matt. 16, 16. verba mea: habet qui iudicet eum: *sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.

49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar.

50. Et scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *in aureâ Catenâ ait:* Quia Dominus ad passionem discipulos hortatus fuerat, ne dicant quòd ipse extra dolores existens humanos facilè de morte philosophetur, & nos admoneat, propter hoc quòd ipse est sine periculo: ostendit quòd & ipse in agoniâ sit, tamen propter vtilitatem mortem non renuit. Vnde dicitur, Nunc anima mea turbata est. *Vbi nota, Christum cum mortis imminentis mentionem feceret, permisisse excitari in se naturalem quemdam horrorem, vti fit in nobis, atque hac ratione semetipsum turbasse, vti suprà in Lazari suscitatione dictum est, & pulchrè hic* SANCTVS AVGVSTINVS *in Catenâ aureâ,* Audio, *inquit,* Qui in hoc mundo odit animam suam, in vitam æternam custodit eam, & mundum contemnere accendit. Et rursum Dominum audio dicentem: Anima mea turbata est. Sequi iubes animam meam, sed turbari video animam tuam. Quale fundamentum quæram, si petra succumbit? Agnosco Domine misericordiam tuam. Nam qui charitatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris. In se ergo caput nostrum suscepit membrorum suorum affectum: & ideò non est ab aliquo turbatus, sed sicut de illo suprà dictum est, turbauit semetipsum.

Cur & quomodo Christi anima turbata sit.

Vnde subdit: Pater saluifica, *id est eripe me ab hac horâ mortis imminente, sed per correctionem subiungit:* Propterea veni in horam hanc. *Ac si dicat: Verùm absolutè nolo hoc meum naturale desiderium, quo mortem horreo, compleri, cùm ad hoc venerim, vt hanc mortis horam subirem. Itaque vt sequitur, absolutè omnino, Pater, per mortem meam clarifica nomen tuum. Ita hæc interpretantur Augustinus, Chrysostomus & Euthymius, ad hunc locum. Similis est illa Christi oratio in horto Matth 26.*

Quid petat Christus cupiens saluificari & clarificari à Patre.

Posset etiam cum Theodoro Heracleotâ in Catenâ illud clarifica *exponi; Ostende me tuum esse Filium, idque de cælo pronuntia, vt sequitur,* Clarificaui. *Nimirum primò ei claritatem diuinam ab omni æternitate communicando. ita S. Augustinus & Beda. Secundò, per Filium ipsum mundum & omnia quæ in mundo sunt creando. ita Rupertus. Tertiò & optimè S. Chrysostomus,* Clarificaui *per vocem è cælo in Baptismo Christi, & per omnia miracula atque opera virtutum quæ Christus natus edidit:* & iterùm clarificabo, *scilicet in morte & post mortem, quando per miracula, per missionem Spiritus sancti, per conuersionem Gẽtium celebrabitur ipse quasi Filius Dei, & consequenter celebrabitur & Pater. De voce autem illâ quæ audiebatur à turbâ, dicit.*

S. CHRYSOSTOMVS *in Catenâ:* Aperta quidem & benè significatiua erat vox, sed citò ab eis auolauit, quasi à grossioribus & carnalibus, & desidiosis: & hi quidem sonitum tantùm retinuerunt, vnde dicebant tonitruum esse: alij verò, quoniam articulata erat vox, nouerant. Quid autem significauit, Non adhuc, de quibus subditur: Alij dicebant: Angelus ei locutus est.

Qualis vox audita sit de cælo.

Sequitur Vers. 31. NVNC IVDICIVM EST MVNDI.] *Id est, pro mundo, vt scilicet mundus per mortem meam liberetur à peccato, & consequenter à potestate & tyrannide diaboli. Vnde subdit ibidem:* Nunc Princeps huius mundi eijcietur foras.

S. AVGVSTINVS *in Catenâ,* Princeps, *inquit,* huius mundi, id est, princeps malorum hominum qui habitant in mundo. Appellatur etiam mundus in bonis, qui similiter per totum orbem terrarum diffusi sunt: ideò dicit Apostolus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Hi sunt ex quorum cordibus princeps mundi eijcietur foras. Præuidebat enim Dominus post passionẽ & glorificationem suam per vniuersum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat: cui quando ex fide renuntiatur, eijcitur foras. Sed numquid de cordibus veterum iustorum non est eiectus foras? quomodo ergo dictum est, Num eijcietur foras? nisi quia tunc, quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis iam mox futurum esse prædictum est? Quid ergo, ait quispiam, quia diabolus eijcitur foras, iam fidelium neminem tentat? Imo tentare non cessat: sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare.

Diabolus quomodo princeps mundi.

Diabolus vt eiectus sit foras.

IDEM *lib. de Agone Christiano cap. 1. ait:* Princeps huius mundi missus est foras; non quia extra mundum missus est, quomodo quidam hæretici putant; sed foras ab animis eorũ qui cohærent Verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille princeps est: quia dominatur eis qui diligunt temporalia bona, quæ hoc visibili mundo continentur. Non quia ipse dominus est huius mundi, sed princeps cupiditatum earum quibus concupiscitur omne quod transit; vt ei subiaceant qui negligunt æternum Deum, & diligunt instabilia & mutabilia. Radix enim est omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes à fide errauerunt, & inseruerunt se doloribus multis. Per hanc cupiditatem regnat in homine diabolus, & cor eius tenet. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde huic mundo renuntiatur.

1. Tim 6, 10.

Sequitur vers. 32. SI EXALTATVS FVERO, *scilicet in cruce,* TRAHAM AD ME OMNIA, *scilicet spolia diaboli, id est omnes Gentes. Ad emphasim autem*

Christus exaltatus vt omnia ad se traxerit.

autem dicit omnia *non* omnes. *Pulchrè hîc exclamat.*

S. Leo *Serm.* 8 *de Passione:* O admirabilis potentia Crucis! ô ineffabilis gloria passionis, in quâ & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est Crucifixi! Traxisti enim Domine omnia ad te, & cùm expandisses totâ die manus tuas ad populum non credentem & contradicentem tibi, confitendæ maiestatis tuæ sensum totus mundus accepit. Traxisti Domine omnia ad te, cùm in execrationem Iudaici sceleris, vnam protulerunt omnia elementa sententiam: cùm obscuratis luminaribus cæli, & conuerso in noctem die, terra quoque motibus quateretur insolitis, vniuersaque creatura impiorum se vsui negaret. Traxisti Domine omnia ad te: quoniam scisso templi velo, Sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, vt figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Euangelium verteretur. Traxisti Domine omnia ad te, vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoque sacramento vniuersarum vbique nationum deuotio celebraret. Nunc enim & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior seniorum, & sacratior est vnctio Sacerdotum: quia Crux tua omnium fons benedictionum, omnium & causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte, *&c.*

Adhuc modicum, quid significet.

Ad Vers. 35. Adhvc modicvm, lvmen in vobis est.] *Nota,* Modicum *ibi non ad lumen referri, sed ad tempus, vt patet ex Graeco textu, qui legit,* Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι, *id est,* Adhuc modico tempore lux vobiscum est. *Ac si dicat, Ego lux mundi modico tempore adhuc vobiscum ero corporaliter: proinde quamdiu me habetis vobis præsentem, & doctrinâ, exemplis ac miraculis prælucentem, ambulate, id est amplexamini & sectamini hanc lucem, vt sequitur:* Credite in lucem, *ne sublatâ videlicet hac luce, tenebræ errorum vos occupent & inuoluant.*

Vers. 38. Qvis credidit avditvi nostro.] *Id est prædicationi & sermoni audito, quem scilicet ipsi à nobis euangelizantibus audierant. Vbi nota, Hebraicâ metonymiâ potentiam vel actum poni pro obiecto, id est, auditum pro re auditâ.*

Brachium Domini quid significet.

Ibidem. Et brachivm Domini cvi revelatvm est.] *Nota hîc, Christum dici* brachium Domini, *quia à Patre procedit, vt brachium à corpore: tum etiam, quia virtus, potentia, & robur est Dei Patris: denique, quia in carne apud nos virtutis & potentiæ Dei opera exercuit. Ita S. Augustinus & Beda hîc, & S. Hieronymus in cap. 53. Isaiæ.*

Secundo simplicius P. Cornelius ibidem, Brachium *id est diuina virtus quæ in miraculis Christi sese exerebat, quam pauci Iudæorum agnouerunt. q. d. quam pauci agnouerunt Christi Diuinitatem & omnipotentiam.*

Propterea in Scripturis aliquando consecutionem non causam significat.

Vers. 39. Propterea non poterant credere.] *Vbi nota,* Propterea *non causam sed consecutionis necessitatem & sequelæ ordinem significare, ac si diceret: Fieri non poterat, vt cùm Isaias prædixerit eos non credituros, sed excæcandos, ipsi tamen crederent: quia non potest mentiri Scriptura, vel prophetia. Ita S. Chrysostomus ad hunc locum. Secundò, vt S. Augustinus,* Non poterant credere, *quia videlicet obdurati & excæcati erant sicut prædixit Isaias. & tunc illud* non poterant *non absolutam necessitatem, sed vel conditionalem, vel moralem, id est magnam difficultatem. q. d. Non poterant credere, posito quòd suis vitijs, puta, superbia, auaritia, & similibus affixi, eis adhærere obfirmatè vellent. Quod autem in affectu & voluntate est obfirmatio, hoc in intellectu est occæcatio. Propria verò obdurationis & occæcationis causa sunt auaritia, superbia, atque omnis malitia, vt dicitur Sapientiæ 22.* Occæcauit enim illos malitia eorum. *Quando autem Deus aliquos excæcare dicitur, id solùm facit indirectè, quatenus videlicet hominibus improbis lumen veritatis ac gratiæ sensim subtrahit, & ad puniendâ eorum peccata quædam eis obiicit, quæ illis errorum & occæcationis sunt occasio, licet alius finis à Deo intentus sit, vti erant, v. g. miraculorum & curationum in Sabbato patratio, Scribarum & Pharisæorum increpatio, & similia quæ à Christo propter optimum finem fiebant, Iudæis tamen scandali & occæcationis atque obdurationis occasio fuere.*

Obduratio & occæcatio quid sint.

Quod autem hîc legitur excæcauit, *in Isaiâ capite 6, 10. habetur* Excæca cor populi; *quæ sunt verba Dei ad Isaiam, vel potiùs Isaiæ ad Deum.*

S. Ioannes tamen posuit excæcauit, *eodem sensu. Nam cùm Isaias precatur Deum vt populum excæcet, more prophetico certò denuntiat quod Deus illum excæcabit. Denique præteritum more prophetico ob prophetiæ certitudinem ponitur pro futuro,* excæcauit *pro* excæcabit.

Quomodo Isaias viderit gloriã Dei.

Vers. 41. Hæc dixit Isaias, qvando vidit gloriam eivs.] *Scilicet Christi, siue Filij Dei. De illo enim hîc præcessit sermo, & sequitur. Ita S. Augustinus, Nonnus in Paraphrasi, & Leontius in c. 12. Ioan. & passim veteres contra Arianos hinc probant Diuinitatem Christi. Nam gloria hæc fuit gloriosa imago, quâ sanctissimæ Trinitatis eadem essentia, & personæ singulæ repræsentabantur Isaiæ 6. vti docet P. Cornelius ibid.*

Vana gloria & humani respectus malum.

S. Chrysostomvs *Homil.* 68. *in Ioannem ad vers.* 42. Verumtamen ex Principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur; dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei, *sic habet*: Omnia quidem nobis fugienda necessariò sunt quæ animam nostram corrumpunt; sed illa longè magis quæ plura peccata ex se pariunt. Talis est gloriæ inordinatus amor. Ecce enim hi propter gloriæ cupiditatem fidem contempserunt. Multi enim crediderunt, sed non confitebantur Dominum, ne de synagogâ eijcerentur, quod etiam superiùs dixit: Quomodo potestis credere, gloriã ab inuicem quærentes & accipientes, & gloriam quæ à Deo est non quærentes? Non ergo Principes erant, sed serui, seruiebant enim vltimam seruitutem. Hanc igitur bestiã fugiamus: varia namque est & multiformis, & vbique proprium virus disseminat, *&c.* Ioã. 5. 44.

S. Avgvstinvs *Serm.* 45. *de Verbis Domini, ait:* Doctrina Pharisæorum est, gloriam ab inuicem quærere, & gloriam quæ à solo Deo est non quærere. De his Apostolus Paulus dicit: Ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ignorare Dei iustitiam, & suam velle statuere, hoc est ab inuicem gloriam quærere, & gloriam quæ à solo Deo est, non requirere. Hoc est fermentum Pharisæorum, à quo Dominus cauere iubet. Rom. 10, 3

Idem *Tractatu* 53. *in Ioannem ad hunc locum ait:* Videte quomodo notauerit Euangelista & improbauerit quosdam, quos tamen in eum credidisse dixit, qui in hoc ingressu fidei si proficerent, amorem quoque humanæ gloriæ proficiendo superarent, quam superauerat Apostolus dicens: Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi,

sti, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego
mundo. Ad hoc enim & ipse Dominus crucem
Cur Crux in fronte. suam, vbi eum dementia superbiæ impietatis irri-
sit, in illorum qui in illum crederēt frontibus fixit,
vbi est quodammodò sedes verecundiæ, vt de no-
mine eius fides non erubescat, & magis Dei glo-
riam, quàm hominum diligat.

Et lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 14. de respectu humano & amore laudis resecando sic ait: Huic cupiditati
meliùs resistitur, quàm ceditur. Tantò enim quis-
que est Deo similior, quantò ab hac immunditiâ
mundior; quæ in hac vitâ etsi non funditus eradi-
catur ex corde, quia etiā benè proficientes animo,
tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ supere-
tur dilectione iustitiæ; vt si alicubi iacent quæ apud
quosque improbantur, si bona, si recta sunt, etiam
amor humanæ laudis erubescat, & cedat amori ve-
ritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fi-
dei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei
timor vel amor, vt Dominus diceret: Quomodo
potestis credere, gloriam ab inuicem expectantes?
Item de quibusdam qui in eum crediderant, &
verebantur palàm confiteri, ait Euangelista: Dile-
Ioā. 12, 43. xerunt gloriam hominum magis quàm Dei. Vnde
Matth. 6, 1 respiciendum est ad Dominum dicentem: Videte
ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt
videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis
apud Patrem vestrum qui in cælis est. Sed rursus,
ne hoc peruersè intelligentes hominibus placere
metuerent, minusque prodessent latendo quòd
boni sunt, demonstrans quo fine innotescere debe-
rent, Luceant, inquit, opera vestra coram homini-
bus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Pa-
6 trem vestrum qui in cælis est.

S. Chrysostomus *Hom. 2. in Ioannem, explicans hunc locum, ait:* Nullo pacto fieri potest, vt is qui
tanto studio sæculari gloriæ seruiat, diuinam vn-
quam assequatur. Idcircò his verbis reprehendun-
tur: Quomodo potestis credere qui gloriam ab in-
Ioan. 5, 44. uicem recipitis, & gloriam quæ à solo Deo est non
quæritis? Intolerabilis quædam ebrietas est inanis
gloria, ideoque quem suæ subiecit ditioni, is ægrè
in sanitatem restituitur: & quam pestifera rabie in-
fecit animā, à cælo abscindens, terræ affigit, neque
eam ampliùs sinit vt ad verā lucem dirigere possit
intuitum; sed in huius sæculi sordibus semper eius
persuasione deuoluitur, & dominos nobis tam
potentes imponit, vt etiam sine iussu aliquo nos ex-
superent, nobisque perpetuò dominentur. *Vide plura in ipso Chrysostomo, qui isto loco huius mali infamiam & damna fuse prosequitur.*

S. LVCÆ CAPVT XX.

Matth. 21, 23. Marc. 11, 27. 1. Et factum est: in vnâ dierum,
docente illo populū in templo,
& euangelizante, conuenerunt Princi-
pes Sacerdotum, & Scribæ, cum senio-
ribus,

2. & aiunt dicentes ad illum: Dic
nobis, in quâ potestate hæc facis?
aut: Quis est, qui dedit tibi hanc po-
testatem?

1. Qvod si nouisses, ô Pharisæe, Cyrillvs
Scripturas, recordareris hūc
esse sacerdotem, qui secun-
dùm ordinem Melchise-
dech offert Deo in se cre-
dentes per cultum qui legem transcendit.
Quid igitur anxiatis, eiectis ab atrijs sacris,
quæ opportuna videbantur legalibus victi-
mis, eo vocante ad verā iustificationem per
fidem, & Euangelicam viam proponente.

Vers. 3. Respondens autem Iesus,
dixit ad illos: Interrogabo vos & ego
vnum verbum. Responde mihi:

4. Baptismus Ioannis de cælo erat,
an ex hominibus?

5. At illi cogitabant intra se, dicen-
tes: Quia si dixerimus, De cælo, dicet:
Quare ergo non credidistis illi?

6. Si autem dixerimus, Ex homini-
bus, plebs vniuersa lapidabit nos: certi
sunt enim, Ioannem Prophetam esse.

7. Et responderūt se nescire vnde esset.

8. Et Iesus ait illis: Neque ego dico
vobis in quâ potestate hæc facio.

2. Clementer & benignè illos Christus Evthymivs
excipiens vicissim quærit de Ioanne
Baptistâ, non vnde esset oriundus, sed vnde
legem baptismatis suscepisset. Ipsum enim
de se testimonium dicere graue videbatur &
iactabundi. Mittere verò ad Ioannem, ar-
guisset quodammodò ignorantiā doctrinæ
Ioannis de ipso traditæ. Nam Ioannes cùm
ab omnibus tamquam è cælo lapsus colere-
tur, de Saluatore vnde potestatem acceperit
testatur. Cùm enim quidā illi significarent Ioan. 3, 27.
quòd Iesus baptizaret, respondit Ioannes
& dixit: Non potest homo accipere quid-
quam, nisi fuerit ei datum de cælo. Ipsi vos
mihi testimoniū perhibetis, quòd dixerim:
Non sum ego Christus, sed quia missus sum
ante illum. Et rursùm: Qui de sursum venit, Ioan. 3, 31.
super omnes est. Et infrà: Pater diligit Filiū: Ibid. v. 35.
& omnia dedit in manus eius. Qui credit in
filium, habet vitam æternam. Ex testimonio
igitur Ioannis manifestum est in quâ pote-
state hæc fecerit Saluator, & quis illi talem
potestatem dederit.

3. Sic Pharisæos peruersè percontantes, Athan.
vicissim percontatus est Saluator, vt senti-
rent suam ipsorum prauam intelligentiam.
Ne respondeas, enim inquit, stulto iuxta Prou. 26, 4
stultitiam suam, ne efficiaris ei similis: sed
responde stulto iuxta stultitiā suam, ne sibi
sapiens esse videatur. Ceterū responsio quæ
maximè talibus cōuenit, silentiū est, vt suam
ipsorum insaniam agnoscant interrogantes.

SVP-

SVPPLEMENTVM.

Interponenda hîc est parabola duorum filiorum dißimiliter patri obtemperantium, quam in hunc modum describit

S. MATTHÆVS CAP. XXI.

VERS. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidã habebat duos filios, & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vineâ meâ.
29. Ille autem respondens, ait: Nolo.
Posteà autem, pœnitentiâ motus, abijt.
30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter, At ille respondens, ait: Eo, domine, & non iuit.
31. quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Iesus: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.
32. Venit enim ad vos Ioannes in viâ iustitiæ, & non credidistis ei: publicani autem, & meretrices crediderunt ei: vos autem videntes, nec pœnitentiam habuistis posteà, vt crederetis ei.

Primus filius significat publicanos, secundus Pharisaos.

PRIMVS *hic filius, vti Christus ipse versu 31 insinuat, significat publicanos & meretrices, qui primum factis legem Dei repulerunt: secundus vero significat Pharisæos, qui legem semper in ore habebant, iam tamen non implebant, vnde ibidem vers. 31. ait Christus.* Publicani vos præcedunt, *scilicet vita & fidei exemplo, ita vt præ vobis introeant regnum cælorum, quo vos numquam introibitis, possetis tamen, si velletis. Mysticè Publicani significant Gentes, Pharisæi Iudæos, quos per hosce duos filios significari docet*

Primus etiam significat Gentiles, secundus Iudaos. Zach. 11, 7.

S. HIERONYMVS *ad hunc locum dicens:* Hi sunt duo filij, qui & in Lucæ parabolâ describuntur, frugi & luxuriosus: & de quibus Zacharias Propheta loquitur: Assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum, & paui gregem. Primò dicitur Gentilium populo per naturalis legis notitiam: Vade & operare in vineâ meâ, hoc est, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qui superbè respondit: Nolo. posteà verò in aduentu Saluatoris, actâ pœnitentiâ, operatus est in vineâ Dei, & sermonis contumaciâ labore correxit. Secundus autem filius, populus Iudæorum est, qui respondit Moysi, Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus; & non iuit in vineam, quia interfecto patrisfamilias filio, se putauit heredem. Alij verò non putant Gentiliû & Iudæorum esse parabolam, sed simpliciter peccatorum, & iustorum, ipso quoque Domino propositionem suam posteà differente. Porrò quod dicitur, Quis ex duobus fecit voluntatem patris? & illi dicunt, Nouissimus; sciendum est in veris exemplaribus non haberi Nouissimum, sed Primum, vt proprio iudicio condemnentur. Si autem Nouissimum voluerimus legere, manifesta est interpretatio, vt dicamus, intelligere quidem Veritatẽ Iudæos, sed tergiuersari, & nolle dicere quod sentiunt: sicut & Baptismum Ioannis, scientes esse de cælo, dicere noluerunt.

Exod. 24, 7. *Alia explicatio.*

S. CHRYSOSTOMVS *Hom 40. in Matth. ad v. 28.* Homo quidam, &c. Quis est ille, *inquit*, nisi Deus, qui omnes homines creauit, paterno affectu diligit: qui cùm sit naturâ Dominus, tamen magis vult diligi quasi pater, quàm timeri vt Dominus. Proptereà in principio mandatorũ legis non dixit, Timebis Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, sed, Diliges. Dilectionem enim ab hominibus exigere, non est dominij, sed paternitatis. Sequitur: Qui duos filios habuit. Vnum quidem Gentium populum, alterum Iudæorum. Quoniam maior filius erat Gentium populus, minor autem populus Iudæorum, quoniam Gentes erant ex patre Noë, Iudæi autem ex Abraham. Et accedens ad primũ, dixit: Fili, vade hodie operari in vinea meâ. Hodie, id est in tempore sæculi huius. Quomodo autem locutus est filijs suis? non in facie vt homo, sed in corde vt Deus. Homo in auribus verbum sonans, sed Deus in mentibus suggerit, intellectum, &c. Quid est operari in vineâ? iustitiã facere. Vineam enim iustitiam diximus suprà, quam generaliter quidem in naturâ omnium hominum Deus plantauit, specialiter autem dedit eam in libro Iudæis, cuius diuersæ vites sunt diuersæ species iustitiarũ, in quâ vineâ vnusquisque secundùm proprias vires, aut paucas vites operatur, aut multas. Nescio autem si totam vineam quis hominũ possit operari. At ille dixit: Nolo. Quomodo dixit, Nolo? in cogitatu. Qui enim habens intellectum boni & mali, relinquit bonum, & sequitur malum, in cogitationibus suis contra Dominum respondere videtur, quia Nolo, id est contra intellectum creatum sibi à Deo. Nisi enim dixerit in corde suo, Nolo, non potest fieri, vt aliquando peccet, dicente Propheta: Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso. Gentes enim à principio relinquentes Deum & iustitiam eius, & transeuntes ad idola & peccata, in cogitationibus suis respondere videntur, Volumus facere iustitiam, quam scimus ex nobis. Accedens autem ad alterũ, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo, Domine, & non iuit. Iudaicus enim populus, id est minor filius, interrogatus per Moysen & per Ioannem quasi à Deo per eos loquente, spopondit se omnia facturum quæcumque præceperat Dominus. posteà autem auersi mentiti sunt Deo, sicut de illis dicit Propheta: Filij alieni mentiti sunt mihi. Subiungit, Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Quos reos proponit in causâ, ipsos & iudices petit, vt à nullo mereantur solui, qui seipsos condemnant. Magna est fiducia iustitiæ, vbi aduersario ipsius causa committitur. In parabolis ergo figurat personas eorum, vt non intelligant, quomodo ipsi aduersus se sententiam dicerent. At illi responderũt, Primus. Vide quomodo, sicut iam diximus, attracti parabolæ veritate ipsi aduersum se sententiam protulerunt, dicentes priorem filium patris voluntatem fecisse, id est populũ Gentium, quia melius est non promittere & facere iustitiam Dei, quàm promittere & mentiri.

Deus magis vult diligi vt pater, quàm timeri vt Dominus.

Deus in mentibus nostris nos alloquitur.

Vinea est iustitia.

Quis contradicat Deo.

Psal. 35, 2.

Psal. 17, 46. *Ab aduersario veritas extorquetur.*

S. LVCÆ CAPITE XX.

VERS. 9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc. [a] Homo plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse

[a] Matth. 21, 33. Marc. 12, 11. Isaiæ 5, 1. Ier. 2, 21.

ipse peregrè fuit multis temporibus.

10. Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum dimiserunt eum inanem.

11. Et addidit alterum seruũ mittere. Illi autẽ hunc quoque cædentes, & afficientes contumeliâ, dimiserunt inanem.

12. Et addidit tertium mittere: qui & illum vulnerantes eiecerunt.

13. Dixit autem Dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cùm hunc viderint, verebuntur.

14. Quem cũ vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicẽtes: Hic est heres, occidamus illum, vt nostra fiat hereditas.

15. Et eiectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis dominus vineæ?

16. veniet, & perdet colonos istos, & dabit vineam alijs. Quo audito, dixerunt illi: Absit.

CYRILLVS 4. VNIVERSAM hic filiorum Israel historiam quasi in compendiũ redactam reperias. Vinea enim Israel est quam plantauit Deus, qui & peregrè profectus est multis temporibus, cùm tamen impleat omnia, nec quidquam relinquat eorum quæ existunt. Quomodo ergo se absentauit à vineâ? quia scilicet postquam visus est in specie ignis descendisse in montem Sina, non ampliùs visibiliter præbuit eis suam præsentiam, vnde visus est humano quasi loquendi modo peregrè proficisci. Nulla tamen interpolatio contigit quâ non mitteret Deus Prophetas & iustos commonentes. Sed ecce, inquit Ieremias, verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud. Iere.6, 10. Deliberat etiam secũ Dominus vineæ quid agat, non quasi carens ministris, (non enim deerant sancti qui voluntati eius ad nutum obtemperarent,) sed quia pertentatâ qualibet viâ homines ad salutem perducendi, populo verò nequaquam adiuto, aliud maius adiungit, dicens, Mittam filium meum dilectum, forsitan cùm hunc viderint, verebuntur. Sed post Prophetas, genuinum quoque occidunt filium. Exclusi sunt igitur Iudæorum primates quasi Dominicę volũtati repugnantes, & sterilem reddentes vineam sibi commissam. Cultura autem vineæ commissa est sacerdotibus noui Testamenti. Scribæ verò & Pharisæi illud audientes dixere, Ne fiat istud. vnde licet cognoscere, quòd vbi senserunt virtutem ænigmatis, recusarint illud pati, nihilo tamen inde euaserunt meliores, ob suam pertinaciam & inobedientiam erga fidem Christi.

5. Dicta est & vinea regnum Dei, quemadmodum expressit Dominus inductâ parabolâ agricolarum, qui quidem in se colendæ vineæ curam susceperant, fructus verò minimè reddebant. Ideò auferetur, inquit, à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Ac si diceret: Diuina eloquia auferentur à vobis, lex nimirum & Prophetæ, quia vitam vestram minimè instituitis ad eorum præscripta & consilium, eorumque sensus & intelligentiæ dabuntur genti quæ piè vitam suam instituendo faciat fructus eius. Vos enim filium videntes non estis veriti neque conuersi. Quænam autem est illa verecundia aut conuersio? Quemadmodum exercitus sibi mutuò aduersantes, dũ æquali marte pugnare videntur, sibi mutuò reluctantur, neque declinant; verùm vbi altera pars euaserit superior, alia confusa fugit: sic & anima per impudentiam obuallata, sine vllâ verecundiâ restitit; ipsa verò despicientis sermone correpta, pudore suffunditur: & quoniam hæc hominis mutatio fit in occulto, conuersio appellatur. Fortè igitur, inquit, suscipient & reuerebuntur filium meum principes illi Iudæorum, vtilem priùs pudorem ignorantes, qui vineam, id est populum Israel colere debebant. Vineã, enim inquit, de Ægypto transtuli. Eodem ferè modo in Ieremiâ populus ille increpatur: Ego autem plantaui te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa es mihi in prauum vinea aliena? Seps circumposita, id est mandata. A Deo posteà prærogatæ sunt vires quibus pręualeret aduersus hostes, ne've caderent aut prædæ pateret. Plantatio electa, quia prodijt ex semine Patriarcharum. Turris autem est templum. Torcular verò ipsa est Synagoga Iudæorum, & præparatio quæ fit per legis obseruationem, & præmeditatio excolens animum ad pietatem. Et quidem prælum promouet ad vnitatem, torcular verò ad perfectiora prouehit. Atqui pro exspectatâ vuâ, spinas edidit, hoc est, pro eo vt exhilararet & recrearet, totam se comparauit vt stimulis pungeret ac lancinaret. Iuxta enim Euangelicam parabolam, quemnam Prophetarum non occiderunt? Propterea minatur se ablaturum sepem eius, id est legalia præcepta & Angelicam custodiã, quâ contra hostes defendebantur. Ceterùm quæ hoc sermone dicũtur, putandum est eadem dici aduersum nos, qui ad hóc vocati vt fructus iustitiæ proferamus, diuitiarum cupiditate corrumpimur. Resumptis itaque & singulis quibusque comminationibus diligen-

BASILIVS in Isa.16.

Matth. 21, 43.

Parabola vineæ explicata.

Psal.79.9. Iere.2,21.

ter expensis, sensuque earum solerter explorato, excutiemus ipsi, ne nihil eorum quæ dicuntur nos ipsos attingat.

BASILIVS in Hesaië. Hom. 5. 6. Humanas siquidem animas vineam appellat, quam circumdedit sepro, cum eâ securitate tutelâve, quæ ex præceptis resultat, tum ipsâ custodia Angelorum. Immittet enim Angelus Domini in circuitu timentium eum. (Psal. 33, 8.) Deinde quasi valla nobis defixit, positis in Ecclesiâ Doctoribus. Antiquorum prætereà beatorumque hominum exemplis in sublime erexit nostra studia, vultque quasi clauiculis charitatis amplexibus proximis inniti ac adhærere, vt iugi affectu sursum versus feramur. Quin & à nobis exposcit, vt & fossiones suscipiamus. Foditur autem anima in deponendis mundi curis, quas cordibus nostris esse pondera constat. Oportet nos itaque putari afflictionibus attritos, quod in vtilitatem cedit afflictorum. Nec licet etiam siluescere, hoc est nostra opera ad ostentationem facere, sed fructuorim vero vinitori operum nostrorum exhibitionem asseruemus.

IDEM in Isa. 5. *Deus præmittit punitionis minas.* 7. Peculiare hoc est diuinæ erga homines clementiæ, vt non clàm aut silenter supplicia ingerat, sed intendens comminationes ea ad futura prædicat, boc modo peccatores ad pœnitentiam inuitans. Ad eumdem igitur sensum etiam hic accipimus hanc comminationem, quâ à peccato quis conuertatur. Quid igitur est quod interminatur? Auferam sepem, & erit in direptionem. Numquid & vnusquisque nostrûm sanctum habet Angelum custodem, & in peccatum incidens obnoxius fit huic comminationi, & tutelâ destituitur, aut sacrarum priuatur securitate virtutum? quibus anima spoliata, hostium prædæ exposita fit, & conculcationi illius gloriabundi, qui dicit, Obambularâ terrâ, en adsum. Tale quiddam & Psalmus de vineâ dicit, Vt quid destruxisti maceriam, siue sepem eius? & exterminauit eam aper de siluâ. (Psal. 79, 13) Et quidem hæc comminatio incubuit Israelitis, quando ob peccatum aduersus Dominum traditi Gentibus, in direptionem abierunt & hostium conculcationem.

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Philip. c. 2. Hom. 6. 8. Ne existimetis autem, istud de Ierusalem dumtaxat dici, sed & de omni homine. Nam cùm omnia quæ oportuerat impleuerit benignus Deus, illa verò pro vuâ spinas fecerit, sepem auferet, & murum diruet, ac patebimus direptioni. Audi quid & Psalmista dicat. Exterminauit eam aper de siluâ, & singularis ferus depastus est eam. (Psal. 79, 14) Vbi quidem aper de siluâ, & singularis ferus, Medus ac Babylonius dicitur: hic verò diabolus est, atque omnis illius virtus. Nam Scriptura, quando rapacitatem illius demonstrare vult, ita inquit: Tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. (1. Pet. 5. 8.) Quando verò virus illius perniciosum ac lethale, serpentem vocat & scorpionem. Calcare, inquit, super serpentes & scorpiones. (Luc. 10, 19) Cùm simul venenum & robur, draconem nominat, quemadmodum eo loco: Draco iste quem formasti ad illudendum ei. (Ps. 103, 26) Et draconem & serpentem tortuosum, & aspidem vbique illum vocat: tortuosa enim ac varia bestia, & magnis pollet viribus, verùm si tantùm vigilemus, erit instar passerculi.

BASILIVS in Isa. 5. 9. Quoniam autem vinea est Israel, Dominus mandat nubibus, id est Prophetis istis sublimibus, qui virtute Spiritus sancti eleuati, vitalium verborum stillas auditorum animis instillabant. Qualis erat Moyses cùm diceret: Concrescat vt pluuia doctrina mea. (Deut. 32, 2) Itaque cælestes illæ virtutes mandatum accipiunt, ne pluant super vineam spiniferam, quæ Dominum meum propriis coronauit spinis. Quapropter non est nunc ampliùs Propheta in Israel, non Princeps, non Dux, sed intolerabilis siccitas aëris, nec quidquã habet spiritualis nebulæ, quâ in mandatorum Domini obseruatione continebatur. Sed vinea hæc Israeliticus populus inaratus manet & incultus, quòd fructus quos edere debuerat, non reddiderit Domino: quin & seruos ad se præmissos flagris concidit, obruit lapidibus, & occidit: denique in filium ipsum Domini vineæ ad necem vsque manus violentas iniecit. Quam ob rem Deus per Isaiam ad Iudæos ait: Et cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis. (Isa. 1, 15.) & causam subiungit: Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. (*Iudæorum manus plenæ sanguine.*) Proptereà signa depromendæ supplicationi accõmoda conuerterunt in occasionem exasperandæ iræ Dei. Veluti si quispiam filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, isque manus filij sanguine cruentatas supplex extendat ad patrem, vehementer infensum dexteram amicitiæ efflagitans, quò apud ipsum veniæ locum inueniat; an non diceremus, filij sanguinem in manu filiicidæ ad iram tantò acriùs patrem exacerbaturum, tali iniuriâ affectum? Eiusmodi ratione sunt Iudæorum preces, ad quas cùm manus extenderunt, Deo & Patri memoriam renouant piaculi in vnigenitum Filium admissi, perque singulas extensiones, manus suas ostentant sanguine Christi plenas. Hi enim dum in pertinaci excæcatione persistunt, heredes sunt paternæ cædis. Dixit enim populus ille: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. (Luc. 23, 25) Dispensationis autem, non negligentiæ est, quòd Christus post Prophetas venerit: Deus

enim

enim non tumultuariè omnia facit, sed ob multam suam benignitatem vtitur condescensione. Atque hoc est, cur modò Christus, & non olim venerit. Et ostendit in Euangelio se idcircò seruos primo loco misisse, ne ad filij cædem descenderet. Si enim filium post seruos venientem non tulerint, multò minùs id fecissent si ante seruos venisset. Nam cùm minora mandata non custodierint, quomodo maiora seruassent? Quando itaque Gentiles petent cur nunc Christus venerit, non illud eos dicere sinamus, sed an emendati sint interrogemus.

Diuersa tempora quibus diuersi serui missi sunt. 10. Hoc autem ne quæsieris; ego enim eius causam edisseram. Propone tibi humanam naturam instar vnius ætatis alicuius: ac illos quidem, qui primis temporibus vixerunt, infantiam nostri generis referre, illorum autem successores adolescentiam, & qui deinde subsecuti sunt virilem ætatem, reliquos denique senectutem repræsentare. Quando itaque anima nostra adoleuerit, & corporis nostri membra luxata fuerint, ac bello dissoluta, tunc præclarè philosophabimur, & maximorum dogmatum cognitionem accipiemus.

Apollinarius. 11. Primum autem seruum dico fuisse illos, qui tempore Eliæ vixerunt, & à Iezabel vt plurimùm sublati sunt. Secundum verò, qui circa tempora Amos, Oseæ, & Isaiæ prophetarunt. Apud Matthæum hi sub vnico ordine comprehenduntur vsque ad postremos ab obitu Ieremiæ, Ezechielis ac Danielis. Marcus verò & Lucas Prophetarum missionem trifariàm diuiserunt, dicentes missum esse primum, secundum & tertium seruum, vt gratiosè introducant eos qui fuerunt tempore Isaiæ; illis qui fuerunt Ezechielis tempore postremis existentibus. Et iuxta hanc diuisionem illud, Hi sunt an-
Luc. 13. 7. ni tres ex quo venio quærens fructum in ficulneâ hac, & non inuenio; de Prophetis dicitur, vt quartus annus sit aduentus Domini: subiungit deinde parabola audax illud in Dominum facinus, quòd videlicet ipsum è vineâ eiecerint, hoc est extra ciuitatem ac templum occiderint.

VERS. 17. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum
Psal. 117, 22. est: "Lapidem quem reprobauerunt æ-
Act. 4, 11. Rom. 9, 33. dificantes, hic factus est in caput an-
1. Pet. 2, 8. Isa. 28, 16. guli?

18. Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

Eusebius. 12. LAPIS autem dicitur Christus, propter terrestre corpus, abscissus sine manibus secundùm visionem Danielis, pro- *Dan. 2. 34*
pter ortum ex virgine: non enim opus habebat virili semine diuinâ virtute eius vices *Christus cur lapis appelletur.*
supplente, & mater eius virgine existente nuptias inexpertâ, & nouo modo ex sancto Spiritu fecundatâ. Lapis autem erat, non argentum aut aurum, quia non Rex aliquis gloriosus, quales illi qui per symbola Danie- *Dan. 7. & 9.*
lis sunt expressi, sed homo humilis & abiectus. quapropter & lapis offensionis, ac pe-
tra scandali est nuncupatus. Verùm dicet *Isa. 8, 14. & 1. Pet. 2,*
hic quis, Nónne dicit Dominus: Ecce ego *8.*
mittam in fundamentis Sion lapidem pro- *Isa. 28, 16.*
batum, angularem, pretiosum, & qui crediderit in eum, non confundetur? Alius verò occlamat, & vocat ipsum lapidem reprobatum, ac lapidem offensionis. Isaias etiam *Isa. 8, 13.*
audet dicere Dominũ esse lapidem, & illum obseruari præcipit, dicens: Dominum ipsum sanctificate, & ipse erit timor tuus. Et si in ipso confisus fueris, erit tibi in sanctificationem, & non vt lapidi offensionis occurrens, neque vt petræ ruinæ. Domus autem Iacob in laqueo, & in conualle sedentes in Ierusalem.

13. Saluator siquidē qui lapis erat electus, *Cyrillus*
à Synagogâ Iudæorum, quibus plurimum prodesse studebat & proderat, reprobatus, hic factus est in caput anguli. Angulo autem comparat Scriptura sacra vtriusque populi, Israelitici scilicet & gentilis, in vnam fidem concursum. Compegit enim Saluator vtrumque populum in vnum nouum hominem, concilians eos Patri in vno corpore. Similis itaque est angulo duos parietes coagmentanti.

14. Iudæorum duas hîc perditiones de- *Chrysost. in Matth. 21.*
notauit: alteram, quia offenderunt & scandalizati sunt; alteram, quia capti calamitosi & ærumnosi semper vixerunt, & viuent.

VERS. 19. Et quærebant Principes Sacerdotum, & Scribę, mittere in illum manus illâ horâ: & timuerunt populum: cognouerunt enim quòd ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

20. "Et obseruantes miserunt insi- *"Matth. 22, 15.*
diatores, qui se iustos simularent, vt *Marc. 12, 13.*
caperent eum in sermone, vt traderent illum principatui & potestati pręsidis.

21. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, scimus quia rectè dicis & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces:

22. licet nobis tributum dare Cæsari, an non?

23. Considerans autem dolum illo-

rum,dixit ad eos: Quid me tentatis?

24. Ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem,& inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris.

"Rom.13, 7. 25. Et ait illis: " Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.

26. Et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe: & mirati in responso eius, tacuerunt.

APOLLINARIVS. Simile habet Theophyl.hic. 15. HERODIANI quidem cum Pharisæis accesserunt ad Dominum, & ipsi laqueum parauerunt quem difficile (vt arbitrabantur) euadere posset. Nam si dixisset, dandum tributum Cæsari, accusassent eum apud populum quasi Gentem in seruitutem redacturus esset. sin prohibuisset dare, Regij illum comprehendissent. Disce hinc encomia atque testimonia veritatis semper proferre,& omne opus rectum confidenter peragere. Hæc enim via Dei est, neminem curare,nec personam hominis accipere. Verùm ipsi hæc dicunt, quò ipsum ad Cæsaris contemptum inducant, ac Regi tributum dandum neget.

TITVS. 16. Duo characteres sunt, & duæ imagines; vna quidem visibilis, altera verò inuisibilis: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo: illi quidem censum, Deo verò timorem. Res ipsas discernit: non enim exigit Deus denarium,sed fidem. Hęc est salus animæ, ille verò corporis census.

APOLLINARIVS. 17. Cum verò quædam seruitus videatur, homini & Deo censum tribuere; nihil in hoc mali situm esse, Saluator docet, iubens Regias pecunias Regi reddere, & Dei iustificationes Deo reseruare, & indesinenter in ipsius seruitio permanere. Ipsi autem videntes quod Christum in sermone capere non possent, abierunt.

Gen.1. GEOMETRA Simile habet Origenes Hom.39. in Lucam. 18. Sublimiori verò sensu,homo,vt in Genesi est scriptum, factus est ad imaginem Dei. Posteà verò propter peccatum & inobedientiam eiectus de paradiso, assumpsit etiam imaginem terrenam. Sicut autem nummus atque denarius habet imaginem Imperatorum mundi; sic qui facit opera tenebrarum harum, portat imaginem eius cuius habet opera, quam præcepit Saluator esse reddendam & proijciendam, assumendamque eius imaginem, iuxta quam à principio ad similitudinem Dei conditi sumus. His etiam congruentia Paulus ait, dicens: Sicut portauimus imaginem terreni, 1.Cor.15, 49. portemus & imaginem cælestis. Hoc ergo significat, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

ISIDORVS 19. Simpliciter verò si quòd idolum erigatur,illud auctori malitiæ imputandum est: sin autem virtutis aliquod symbolum constituatur,illud consecrandum bonorum largitori Deo.

"Matt.22, 23. Marc.12, 18. VERS. 27. " Accesserunt autem quidam Sadducæorum,qui negant esse resurrectionem, & interrogauerunt eum,

"Deut.25, 5. 28. dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: " Si frater alicuius mortuus fuerit habens vxorem,& hic sine liberis fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorem, & suscitet semen fratri suo.

29. Septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est sine filijs.

30. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio.

31. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt.

32. Nouissimè omnium mortua est & mulier.

33. In resurrectione ergo, cuius eorum erit vxor? siquidem septem habuerunt eam vxorem.

34. Et ait illis Iesus: Filij huius sæculi nubunt & traduntur ad nuptias;

35. illi verò, qui digni habebuntur sæculo illo,& resurrectione ex mortuis, neque nubent,neque ducent vxores:

36. neque enim vltrà mori poterunt: æquales enim Angelis sunt,& filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis.

GRAECVS 20. FILII siquidem, inquit, huius sæculi, hoc est qui mundanam ac carnalem vitam degunt,liberorum gignẽdorum causâ nubunt; qui verò nobilem & virtutibus illustrem vitam ducunt, digni habiti honore resurrectionis, erunt omnino superiores vitâ mundi huius. Vitam enim agent decentem sanctos & propinquos Dei. pares enim Angelis sunt & filij Dei, sanctis conueniens obsequium exhibentes. Nam sicut multitudo Angelorum plurima quidem est,non autem propagata per generationem, sed ex creatione consistens: ita & his qui resurgunt, non est opus vlteriùs nuptijs. Nunc autem quoniam Adam per peccatum immortalitatis donum perdidit, liberorum procreatione genus humanum conseruatur. Auxiliumque hoc generationis iam tunc ab initio à Deo cuncta præuidenre prouisum est atque hominibus indi- Post resurrectionem æquales erimus.

inditum. Faciens enim Deus hominem,
Gen.1,27. masculum & feminam creauit eos. In resurrectione itaque nobis ipsis meliores erimus, corruptione deposita, corpus habentes spiritale, hoc est spiritalia dumtaxat spectans. Mens verò tum nullis condescēdet ineptijs, sed voluntas per Spiritum sanctum Deo erit penitus conformata, vti est sanctorum Angelorum.

ANNOTATIONES.

Vers. 36 *An post resurrectionem sit futura diuersitas sexus.* Aequales enim Angelis svnt.] *Hinc, & ex eo quod versu praecedenti dicitur, post resurrectionem non fore nuptias, quidam Patres videntur negare, post resurrectionem futurum esse sexum femineum: nam is non est in Angelis. Ita sentire videntur S. Hilarius in cap. 22. Matthæi, S. Hieronymus in Epistola ad Ephesios cap. 5. S. Basilius in Psal. 114. & 112. S. Athanasius Serm. 3. contra Arianos. Imò S. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei c. 17 testatur, multos (propter illud Pauli ad Ephesios 4,13* Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi,) *putare, omnes resurrecturos in sexu virili. Verùm ipsemet ibi & capite sequenti contrarium docet, vti & Tertullianus lib. de Resurrectione cap. 60. S. Hieronymus Epist. 61. & passim Scholastici Doctores in lib. 4. Sententiarum dist. 44. idque tum, quia sexus non est vitium, sed natura, vnde etiam erat in paradiso; eadem autem numero natura resurget: tum quia hic dicitur,* neque nubent, *scilicet feminæ,* neque ducent vxores, *scilicet viri. Erunt ergo illic, vti hic, viri & feminæ. Sed Christus nuptias tātùm negauit in resurrectione futuras, non autem negauit fore feminas. Imò hoc ipso eas supponit tunc futuras, verùm non ad vsum nuptiarum, vt rectè aduertit Beda in cap. 22. Matth. & hoc tantùm volunt etiam Patres suprà dicti, Hieronymus, Basilius, Athanasius,*
Homines quomodo post resurrectionem sint futuri similes Angelis. *scilicet non fore sexûs diuersitatem quoad vsum, non autem negant illam fore quoad substantiam. Sunt ergo homines in resurrectione similes futuri Angelis, non sexu, sed vitâ spiritali atque immortalitate, & consequenter in carentiâ nuptiarum: hæ enim inuentæ sunt ad speciem perpetuandam, & indiuiduum non in se, sed per prolem, cùm ipsummet mori debeat. Quod explicans S. Lucas ait:* Neque vltrà mori poterunt, & filij sunt Dei, *cùm sint filij resurrectionis, id est corpore & animo Deo similes, iuxta illud 1. Ioan. 3,2.* Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. *vtpote ad resurrectionem beatam pertinentes. Damnati similiter mori non poterunt, quia similes non Angelis, sed dæmonibus.*

Notat hinc Auctor Imperfecti in Matthæi cap. 22. nullam esse tam Angelicam virtutē quàm castitatem:
Virginitas Angelis æquales facit. *& S. Basilius Tractatu de Virginitate paulò ante finem, hinc docet, virginitatem esse semen futuræ incorruptionis. Imò virgines maximam illam cum Angelis similitudinem quæ in cælis futura est, hic in terrà præuenire atque inchoare, eiusque perfectionem promereri.*

Vers. 37. Quia verò resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum,
Exo.3,6. " sicut dicit Dominum, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob.

38. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum: omnes enim viuunt ei.

21. Scimus autem, Marcionis ac Valenti- *Titus.*
ni asseclas de hac lectione continuò *Simile habet Victor*
dimicare, ad animas sermonem hunc trans- *in Marci*
ferentes: eam enim viuere, & de hac Domi- *c.12.*
num dixisse illud, Quæ sunt Dei Deo. Verùm Sadducæis non erat hic de animis disceptatio, sed de corporibus; non quòd animaillo temporis interuallo, quo à corpore soluta fuit, in nihilum abierit; sed quòd interea quasi otiosa & inefficax, propria munia, quæ in corpore solet, non obierit. Siquidem ex vtroque vna communis hominis vita constituitur: quare vt homo ex mortuis verè resurgat, vtrumque rursum simul coëat oportet. Hic nonnulli Prophetica scripta legentes hallucinantur circa Scripturę sensum, exempli gratiâ circa hunc Isaiæ locum: Ele- *Isa 65,23.*
cti mei non laborabunt in vacuum, neque filios generabunt in maledictionem; & circa
illam Deuteronomij benedictionem: Bene- *Deut.28,4.*
dictus fructus ventris tui. existimantes hæc fore in resurrectione mortuorum, non considerantes spiritales benedictiones, quas Sad-
ducæis (qui ex Iudæis erant) corporaliter ac- *Matth.22,*
cipientibus, dixit Dominus quòd errarent *29.*
non scientes Scripturas.

22. Quòd si volueris magnum resurre- *Nyssen.*
ctionis discere miraculum, ascende ad anti- *Simile habet Nyssenus Orat.3*
quissimam illam hominum generationem, *in Pascha,*
& in illâ resurrectionem inuenies esse adum- *& Cyrillus*
bratam. Nam brutorum quidem natura, *Ierosolym.*
animata prodijt, illorum corpore cum ani- *Catechesi*
mâ simul creato. Adami verò corpus inani- *18.*
me priùs è luto formatum, ac deinde anima per vitæ spiraculum introducta fuit, hac ratione iam inde ab initio rerum omniū condirore, mortuorum resuscitationem præludente atque inchoante. Neque etiam ex aliâ
materiâ quàm è terrâ puluerulentâ primum *Resurrectio*
hominem Deus efformauit, incredulum vel *probatur.*
ex hoc conuincens, quòd tametsi quis mortuus ac immobilis, ac in puluerem versus fuerit, per animā tamen facilè fit ad resurrectionem reducendus, quæ corpus resumens illud societate ac conuictu suo viuificante vitæ particeps efficiet: non enim resumet corpus corruptibile, sed Deus illud quidem ad tempus dissoluet, donec omnes ex hoc vasculo peccati sordes eiecerit. Nam vbi reperit illud peccati mortalitate conquassatum, in mortis conflatorio dissoluit, & rursus ex confracto vas nouum effinget. Ne mireris autem, mortuorum reformationem omne ratione superiorem esse: tantum est enim in statuis efformandis artificium plasmatoris, vt etiam ex materiâ aquæ homuncionem in

ventre effingat, quod mihi ipso resurrectionis miraculo magis mirandum esse videtur. Nam ibi corpus mortui reformatur, & quasi terrenum vas figulus refingit, quorum ferè similia per artificium fieri videmus: hic verò nuda guttula retum formatarum materies existit, exque guttula animal componitur O mirabile ex aquâ quidpiam efformandi artificium! Neque illud dumtaxat mirabili ratione efficitur, quòd aqua efformetur in animal viuens, verùm etiam quòd fluctiuagus quasi fœtus interiùs fabricetur. Riui enim sanguinis vndequaque circumfluentes efficiunt vt semen difficulter coalescere ac solidari possit, nihilominus tot fluctibus atque procellis agitatum in viuū hominem efformatur. O pictorem mirabilem in conquassatâ tabulâ firmiter pingentem! nam sanguis instar sindonis fœto substernitur. Hoc & Salomon obstupescens, dicit: In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine. Proponitur enim (vti ad viuum describit) tabulæ instar femina, colorum verò materiam superinijcit vir, vt pictor autem in matrice ex vnico colore multicompositam variegat imaginem, & quod mirum est quomodo ex feculentâ materiâ lucidam oculis ingeneraüit pupillā? quomodo ex fluidâ substantiâ naturam ossium compegit? quomodo ex vili semine neruorum firmauit robur? quomodo venas sanguinum canales figurauit? quomodo cerebrum cranio inclusit & adaptauit? quomodo infans in obscurâ tabula viuaciter delineatus, incōfusam membrorum proportionem accepit, & quasi vterus radio quopiam fuisset illustratus, singulis membris conuenients à fictore assignatus est locus? Amictus enim lumine tamquam vestimento est occultus ille embryonis viuificator, quem & Dauid deprædicans clamat: Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto. Hanc igitur ex guttulâ plasmationem considerantes, non ambigimus de illâ quæ ex terrâ fit efformatione. Cum enim artificem video ex aquâ statuam effingentem, faciliùs ipsum è terrâ eam formaturum credo. Quemadmodum enim si quis in aquâ aliquid scribat aut delineet, multò id faciliùs in cerâ faciet. Sic etiam qui in fluido semine membra tam aptè depingit atque figurat, multò faciliùs in puluere illa poterit exprimere atque formare. Qui autem ante vllum virtutis opus tantam etiam in vtero corporis curam habet, quomodo illud post plurima virtutum opera in terram redactum inhonoratum relinquet? An fortassis existimatis quòd corpus eorum qui Deum quæsiuerunt etiam à piscibus deuoratum, non inuenietur? Quomodo cùm in promptuario cognitionis animi reconditas habeat mille impermixtas & inconfusas cogitationes atque scientias, corporum naturam iam immutatam atque permixtam non possit discernere ac restaurare, quasi diuinum Numen arti humanæ in rebus efformandis concederet. Etenim nos arenam, vitrum, aurū, & æs, & argentum igni tradentes, lapillos inde discernimus atque elicimus, nihil in illis lapidosum antea cernentes, & vinum aquâ miscentes rursum ab inuicem separamus, & vtrumque naturæ suæ restituimus. Enimuerò Dei potentia & sapientia, innumeris modis humanam artem ac cognitionem superans, multimodam corporum contemperationem in naturæ penuarijs ac cellulis optimè discernit atque conseruat: non enim corpus, tametsi mille mortibus dissolutum diffluat, omnino aboletur aut è rerum naturâ penitus eliminatur; quapropter facilè ad antiquam formam reducitur, particepsque honorum ac præmiorum efficitur, quibus illud affici pat est.

Generatio na mirum opus. (margin)

Sap. 7, 1. (margin)

Psal. 103, 2 (margin)

Ps. 138, 15 (margin)

ANNOTATIONES.

Vers. 37. Ex animarū immortalitate probatur resurrectio. (margin)

NOTA, *Sadducaos contra quos hic agit Christus, vti & quosdam Philosophos, negasse resurrectionem, quia negabant animæ immortalitatem. sunt enim naturaliter coniuncta. Vnde Christus hic, & S. Paulus 1. ad Corinthios cap. 15. & Auctor librorum Machabaorum lib. 2. cap. 12, 43. ex animarum immortalitate probant resurrectionem.*

Christus autem hic alia clariora testimonia non adfert ex alijs libris, sed tantùm ex Pentateucho, quia illud solum recipiebant Sadducai. Ita Origenes, Hieronymus & Beda in cap. 22. Matth. sentiunt. Vocat autem Deum Abraham, Deum Isaac, & Deū Iacob. *q. d. Ego sum, qui glorior de Abraham, Isaac & Iacob, quique fœdus cum illis inius de dandâ eorum filijs terrâ Chanaan, pro quâ me ipsi in limbo sollicitant, egoque illis fidem meam præstabo. Ita autem de eis non gloriarer nisi viuerent, maximè ego qui sum Deus. Viuunt ergo secundum animam, ac consequenter secundum corpus in resurrectione viuent.*

VERS. 39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei: Magister, benè dixisti.

23. SADDVCÆORVM ore obstructo æmuli illorum Scribæ, cùm illis se æquare non possent, Dominum susceperunt, & tamquam rectè locuto testimonium dederunt. *Anonym.*

VERS. 40. Et ampliùs non audebant eum quidquam interrogare.

24 QVI sic? Sciebant enim conatus suos fore irritus, & in vanum laqueos ei posituros.

VERS. 41. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christum, filium esse Dauid?

42. & ipse Dauid dicit in libro psal-
[Matt.22, 44] morum: "Dixit Dominus Domino
[Marc.12, 36] meo, sede à dextris meis,
[Psal.109,1] 43. donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?

44. Dauid ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius eius est?

[THEODORETVS in Dialogo Inconfusus.] 25. EDISSERE autem nobis qui duarum naturarum confusionem in Christo doces, quid seruatorem Christum existimabant Iudæi? hominem vtique: quòd autem etiam Deus erat, omnino ignorabant. Hoc ergo cùm ignorarent, eos didicisse oportuit. Audi igitur ipsum eis dicẽtem: [Ioan.10, 32.] Multa opera ostendi vobis à Patre meo, propter quodnam eorum lapidatis me? Cùm autem dixissent, Propter blasphemiam, quòd cùm homo sis, facis te ipsum Deum, subiunxit: In lege vestrâ scriptum est: Ego dixi, dij estis. Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest Scriptura solui, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? Ecce ostendit Iudæis se esse Deum, non autem hominem, neque enim opus habebant discere quod nouerant. Quòd autem Deus etiam esset, non nouerant. Hoc autem ipsum etiam fecit in Pharisæis. Cùm enim vidisset eos tamquam ad communem hominem [Matth.22, 41.] accedere, illos sic interrogauit: Christus cuius filius est? illos respondentibus: Dauid; subiunxit: Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dominum? deinde ratiocinatur: Si ergo eius Dominus, quomodo filius eius est? Tu autem attende sacræ doctrinæ. Non enim sustulit quominus vocetur filius Dauid, sed adiecit, oportere etiam credi eum esse filium Dauid. Hoc enim apertè docet illud, Si ergo Dominus eius est, quomodo est filius eius? [non dixit enim, Si Dominus est, filius non est, sed, Quomodo filius eius est?] pro eo quod est, Quâ ratione Dominus? & quâ ratione filius? Hæc autem Diuinitatem & humanitatem apertè indicant. Si verò Deus solùm voluisset vocari, & non filius Dauid, oportebat ergo & cæcos, & Chananæam, & etiam turbas docere, ne eum vocarent filium Dauid. Nam & cæci clamabant, [Matth.15, 22.] Fili Dauid miserere mei; & Chananæa, Fili Dauid miserere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur; [Matt.21, 9] & multitudo populi, Osanna filio Dauid. Et non modò non ægre tulit, sed etiam fidem laudauit.

[CHRYSOSTOMVS in Actâ.] 26. Nullum fortius est quàm quod à Prophetis desumitur argumentum, hoc & quàm facta ipsa maius robur obtinet: signa siquidem facienti Christo sæpenumerò contradixerunt; quando autem Prophetam citabat dicens, Dixit Dominus Domino meo, [Psal.109,1] sede à dextris meis; tacebant, omnino nihil habentes quod ei opponerent: nec audebant aut poterant eum quidquam ampliùs interrogare. Sed & alibi sæpiùs meminit Scripturarum.

VERS. 45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis:

46. "Attendite à Scribis, qui volunt [Matt.23, 6.]
ambulare in stolis, & amant salutatio- [Marc.12, 38.]
nes in foro, & primas cathedras in syn- [Luc.11,43]
agogis, & primos discubitus in conuiuijs:

47. qui deuorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem maiorem.

27. INGVRGITARE se, hoc loco idem est ac viduarum bona consumere: non enim qualicumque modo comedebant, sed deuorabant, & ad prauitatem tegendam abutebantur oratione, quod eos facit pœnâ grauiori obnoxios. [CHRYSOSTOMVS. *Pharisæorum hypocrisis & ambitio.*]

28. Hæc dixit discipulis suis tali adhortatione indigentibus. Cùm enim constituisset illos totius orbis doctores, monet eos ne Iudæorum doctores imitentur, qui ventri seruiebant, & pessima quæque committebant, ac propterea magis damnandi erant, quòd cùm doctorum speciem præ se ferrent, malitiæ verò doctores existerent, atque ea quæ fugere oportebat amarent, nempe stolarum insignia, & salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuijs. [TITVS.]

Plura de Scribarum & Pharisæorum perditis moribus, & eorumdem increpatione, vide suprà ad Caput 11. S. Lucæ Vers. 42. & seqq.

S. LVCÆ CAPVT XXI.

1. RESPICIENS autem, vidit eos, [Matt.12, 42.]
qui mittebant munera sua in
gazophylacium, diuites.

2. Vidit autem & quamdam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo.

3. Et dixit: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes misit.

4. Nam omnes [illegible] ex abundanti sibi miserunt in munera Dei: hæc autem

ex eo quod deest illi, omnem victum suum quem habuit, misit.

CYRILLVS 1. DIXERAT aliquando Saluator, Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur: nunc dona sua in gazophylacium mittentes despicit. Sed vt ex magnis opibus multa quidem erant, vti verosimile est, quæ à singulis huc inferebantur; simul tamen etiam pauca erant, & offerentium manibus indigna. Post illos deinde muliercula, graui paupertatis onere depressa intrauit, quæ vix modicum quid, idque cum sudore parauerat, & tenui ac quotidiano victui necessarium duos inquam obolos (hoc est, omnia quæ habebat) obtulit, ac si vitam propriam pro nihilo duceret. O rem mirabilem! Quæ aliorum misericordiam implorabat, mutuum dabat Deo ipsi fructuum omnium largitori, qui ipsam abolet paupertatem. Diuites videlicet omnes superabat, iustoque calculo à Deo coronatur.

Eleemosynæ facultatibus sunt proportionandæ.

MAXIMVS in Mystagogiâ Ecclesiasticâ. 2. Quapropter Dominus viduam duo minuta offerentem non repulit. Quænam autem erat hæc vidua, & quænam hæc duo minuta? Vidua quidem est anima prauitate viduata, & antiquâ lege, quasi viro, destituta, verùm nondum intimâ Dei coniunctione digna. Proferens autem ipsi instar arrhabonis duo minuta, sermonem nimirum ac victum moderatum, vel fidem ac bonam conscientiam, aut boni habitudinem atque efficacitatem, vel contemplationem operationemque illis conducentem, vel virtutem scientiæ proportionatam, vel (vt his quidpiam adiungam) tam legis scriptæ quàm naturalis sermones, quos anima possidens, ad præceptorum executionem & vetitorum fugam, & ad Deo totâ vitâ inhærendum, adducitur, & omnibus prauis moribus ac consuetudinibus, non secùs ac viris viduatur, vel si quid aliud dictis spiritualibus, & merè contemplatiuum, puro intellectu præditis historiâ iuxta litteram expletâ, ratio suggesserit. Omnia enim humana quæ videntur esse magnæ virtutis, praua sunt, si sublimibus Theologicis rationibus expendantur. Etenim tametsi quis parua, eaque ex vili ac nullius pretij materiâ, alius verò dîtior aurea pretiosaque numismata proferat, vtraque tamen æqualiter Regio insignita sunt charactere, isque plus offert qui maiori affectu & ex toto corde oblationem profert.

Duo minuta quid mysticè & moraliter.

VERS. 5. Et quibusdam dicentibus de templo, quòd bonis lapidibus & donis ornatum esset, dixit:

Matt. 24, 1 / Marc. 13, 1 / Luc. 19, 44

6. Hæc, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

THEOPHANES. 3. QVOD spectanda forent quæ ad structuram templi eiusque ornatum pertinebant, manifestant historiæ, & huc usque quædam conseruantur reliquiæ, quibus percipiuntur quæ olim fuerint fabricarum vestigia. Sed omnium maximè admirationi est diuina illa Saluatoris nostri prædictio, quòd discipulis templum circumeuntibus, & cùm amplitudinem tum structuræ pulchritudinem ipsi commonstrando mirantibus, ipse contra taliter ædificiorum istorum contemplatione obstupefactis prætignificarit, istis ipsis, quæ tantopere mirabantur, locis non relictum iri lapidem super lapidem qui non destrueretur. Decebat enim locum illum, qui impiorum fuerat domicilium, propter incolarum & cultorum audaciam omnimodam pati desolationem. Vt autem prædictiones opere completæ sunt, totum templum & ambitus cum vniuersis quæ in illo erant statuis affabrè factis, omnimodam ab eo tempore denuò omnique sermone maiorem desolationem sustinuit, ita vt ne fundamentorum quidem vestigia vllo in loco appareant, etsi quis illa videre desideret. Quòd si quis dixerit, illorum adhuc aliquas superesse partes, etiam eorum omnimoda abolitio est expectanda, ita vt die desolationis crescente, virtus prædictionis ineffabili ratione effectui mandetur. Scio autem nonnullos Interpretes hanc prædictionem aliter explicare, quasi non de totius sed de partis alicuius destructione dictum sit. Quòd verò discipuli mirantes ipsi templum ostenderint, illi occasionem dedit hæc prædicendi.

CHRYSOSTOMVS Orat. 7. contra Iudæos. 4. Quandoquidem Iudæi templum & ciuitatem instaurandam putent, conuertam me ad Prophetas, quibus videntur maximè credere, atque ex his perspicuum faciam, neque ciuitatem neque templum vmquam posthac restituendum. Quamquam nihil erat mihi necesse demonstrare quòd non restituetur: neque enim hoc meum erat, sed illorum, docere contrarium, scilicet esse restituendum. Nam ipse quidem ex ipso tempore congruum habeo testimonium, mihi patrocinans: ipsi contrà cùm ex ipso rerum euentu deijciantur, nec alioqui quidquam eorum quæ dicunt, queant demonstrare, tamen nihil aliud quàm ostentant sese, cùm oporteat ipsos hoc testimonium exhibere quod exhibeo. Nam illa quæ dico, ex ipso rerum euentu doceo esse vera: corruit enim ciuitas, nec tam longo iam tempore instaurata est. Contrà, quæ dicunt isti, nudis verbis nituntur. Arqui debebant ipsi docere, futurum

Modus litium & processum

vt ciuitas rursus instauretur, quandoquidem in forensibus iudicijs videmus sic fieri probationes. Nam quoties inter illos aliqua incidit cōtrouersia, & alter alterū scripto conuenit, deinde is aduersus quem agitur, inficiatur ea quæ obijciuntur, cogitur is qui negat, posteà restes & alias adferre probationes, quibus doceat non esse vera quæ scripto continentur, non is qui scriptum produxit. Eodem modo conueniebat & istos hoc facere, nobisque in medium producere Prophetam qui prædixerit omnino futurum vt ciuitas restituatur. Nam quod prorsus est necesse, Prophetas vobis prædixisse venturum istius captiuitatis in quâ estis finem, si venturus est, nimirum perspicuum est omnibus qui vel inspexerint libros Propheticos. Mos enim erat apud Iudæos vetus, vt Prophetæ diuinitus afflati, prædicerent illis quæ imminerent, seu bona seu mala. Quâ gratiâ, & quam ob rem? Propter insignem illorum improbitatem, ne quid eorum quæ contingunt simulacris imputarent. Atque vt certiùs scias hanc esse causam prædictionis, audi quid dicat Isaias ad populum illum: Scio enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, (hoc est, inflexibilis) & frons tua ærea, (hoc est impudens.) Sic & nos frequenter solemus eos qui nesciunt erubescere, χαλκοπρόσωπους, id est, æream habentes faciem appellare. Et prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicaui tibi. Deinde prædictionis causam applicans, subijcit: Ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc. Equidem esse verum quod dico, ex ijs quæ illis acciderunt demonstrabo. Tres seruitutes grauissimas pertulerunt Iudæi, quarum nullam Deus illis ingessit non prædictam, sed singula illis prædicenda curauit, & locum, & tempus, & personam, & afflictionis speciem, & reditum, aliaque cuncta summâ cum accuratione prænuntians. Ac primo loco dicam de captiuitate quam passi sunt in Ægypto. Deus loquens ad Abraham his verbis vtitur: Sciro prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo. Generatione autem quartâ reuertentur huc cum magnâ substantiâ. Vides vt & numerum annorum expresserit, scilicet annos quadraginta; & seruitutis modum, quoniam affligent, iubendo eos lateres facere. Quòd & iudicatus sit Ægyptios & submersurus. Addit & reditus modū, quòd adepturi essent aurea vasa & argētea. Hęc est vna seruitus exactissimè prędicta. Secūdam autem Ieremias accuratè prędixerat, ita loquens: Quia hæc dicit Dominus: Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: & suscitabo super vos verbum meum bonum, vt reducam vos ad locum istum, & reducam captiuitatem vestram. Vides vt rursus hîc & ciuitatem expresserit, & annorum numerum? Eoque Daniel non ausus fuit supplicationē facere ante tempus præfinitum, ne frustrà temereque rogans audiret, quod audiuit Ieremias: Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te. Verùm vbi vidit septuaginta annos esse completos, simulque tempus vocare ad reditum; tunc orat non simpliciter, sed in ieiunio, sacco & cinere, vt ipsemet testatur. Iam duas quidem captiuitates sermo noster demonstrauit illis accidisse, quemadmodum à Prophetis erat prædictum; superest vt iam tertiam adijciamus, quæ facta est sub Antiocho cognomento illustri. Alexander enim Macedonum Rex, vbi Darium Persarum Regem deuicisset, in sese transtulit imperium. Hoc autem extincto, quatuor post illum Reges successerunt, è quorum vno prognatus Antiochus longo pòst tempore, & templum incendit, & Sancta sanctorum deuastauit, & sacrificia sustulit, & Iudæos subegit, denique totam illorum religionem ac ritus destruxit. Et hæc omnia ad vnum vsque diem exactissimè prædicta sunt à Daniele, & quando hæc essent futura, & quomodo, & à quo, & quâ ratione, & vbi finem acceptura, & quam tandem mutationem sortitura. Arietis siquidem vocabulo designat Darium Regem Persarum; hirci verò Græcorum, videlicet Alexandrum Macedonem: quatuor cornua vocat eos qui post illum extiterunt postremum cornu ipsum signat Antiochum. Leuaui autem, inquit, oculos meos: & ecce aries vnus cornibus ventilabat: & omnes bestiæ non poterant resistere ei. De potentiâ loquitur Persicâ, quæ petuasit totam terram. Deinde de Alexandro Macedonum Rege loquens, simul ac narrans congressum eius cum Dario, atque victoriam, Et ecce, inquit, hircus venit vsque ad arietem illum cornutum, & efferatus est in eum, & percussit arietem, (dicendum enim compedio) & comminuit duo cornua eius. Post hæc narrans mortem Alexandri, & quatuor Regum successionem, Cumque creuisset, inquit, fractum est cornu magnum, & exorta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cæli. Hinc transiens deinceps ad Antiochi regnum venit, & declarans quòd ex vno horum sit ortus, sic ferè ait: De vno autē ex eis egressum est cornu vnum validum, & factū est grande

Marginal notes (left column): Ad Iudaeos cur missi sint Prophetae. — Esai. 48,4. — Ibid. — Captiuitatis Iudaeorum quomodo praedicta. — Gen. 15,16 — Exod. 12, 33. — Ierem. 29, 9.

Marginal notes (right column): Iere. 7, 16. — Dan. 9, 3. — Dan. 8, 3. — Ibid. — Ibid. v 9.

de, valdè. Deinde deſignans, quòd Iudaicam ditionem funditus deſtruxerit, ait: Et ab eâ
Ibid. v. 11. & 12. tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius. Robur autem datum eſt contra iuge ſacrificiũ propter peccata. Nam altari ſubuerſo, & ſanctis conculcatis, idola collocarunt in eis, & ſacrificia obtulerunt dæmonibus immundis. Deinde repetens denuò hanc eamdem quæ ſub Antiocho illuſtri facta eſt, captiuitatem, excidiumque ac deſolationem templi, etiam ipſum tempus addidit. Exorſus denuò ab Alexandri regno vſque ad finem libri, commemorans obiter & omnia quæ Ptolomæi & Seleuci copiæ conflictantes inter ſeſe fecerunt, quæque horum ductores geſſerũt, dolos, victorias, exercitus, pugnas nauales, prælia pedeſtria: deinde progreſſus in Antiochum; definit iterùm, dicens: Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent
Dan. 11, 31 ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificiũ (hoc eſt ſollẽnes & quotidianas victimas) populus autem cognoſcens Deũ ſuum præualebit, (Machabæorum res ſignificans, quæ acciderũt ſub Iudâ & Simone) & ruent in gladio & flammâ, (nimirum iterùm narrans incendium ciuitatis:) Cumque corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo: ſignificans quòd in medijs illis malis poterunt reſpirare, & emergere ex afflictionibus quibus inuoluti ſunt. Deinde cauſam etiam aperit, ob quam permiſit Deus illos in tantis
Dan. 11, 10 malis verſari: Quia, inquit, eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi. Hoc eſt, propterea hæc permiſit Deus, vt eos repurgaret, oſtenderetque qui eſſent inter illos probati. Deinde commemorans Re-
Dan. 11, 36 gis illius potentiam, ait: Et faciet iuxta voluntatem ſuã Rex, & eleuabitur, & magnificabitur. Mox blaſphemum illius animum ſignificans, addit: Et aduerſus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur donec compleatur iracundia: declarans, quòd non ex proprio conſilio, ſed propter iram Dei aduerſus Iudæos ille ſic inualuerit. Verùm ne nunc quidem adhuc demonſtratum eſt de quo fuit inſtituta quæſtio. Quid autem hoc eſt? videlicet quòd illis etiam tempora præfinierit in his malis, velut illic annos quadringentos, & poſteà ſeptuaginta. Videamus igitur, an his quoque præfiniat tempus aliquod. Hoc verò licebit inuenire in his quæ poſt hęc dicentur. Quoniam enim audierat, multa magnaque mala, ciuitatis incendium, ſubuerſionem, familiarum captiuitatem, poſteà deſiderat finem illorum diſcere, & quæ futura ſit earum calamitatum commutatio. Percontans autem loquitur in hunc
Dan 12, 6. modum: Vſquequò finis horũ mirabilium? Et ait: Vade Daniel, quia clauſi ſunt ſignatique ſermones, vſque ad præfinitum tempus. videlicet recte ſignificans obſcuritatem eorum quę dicerentur. Deinde quanto tempore ſint illos contriſtatura hæc mala, prædicens ait: A tempore quo ablatum fuerit iuge ſacrificium: id eſt, ex quo Antiochus hunc morem quotidie ſacrificandi ſuſtulit & immutauit dies mille, ducenti nonaginta, hoc eſt tres anni cum dimidiato, ac paulò amplius. Deinde quòd tunc eſſet futurus horum malorum finis ac terminus, ſubijcit: Beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque; ducentis nonaginta addens quadraginta quinque. Quoniam enim in menſe & dimidio menſis accidit vt fieret ille conflictus, in quo victoria illa facta eſt, & omnium malorum vrgentium commutatio, cùm ait, Beatus qui expectat & peruenit vſque ad dies mille trecentos triginta quinque, rerum immutationem declarat. Neque ſimpliciter dixit, Qui peruenit, ſed, Qui expectat & peruenit, ij ſcilicet qui teſtimonium præbuerant in diebus afflictionum, nec à pietate deſciuerant, & deinde conſecuti ſunt relaxationem. Age, quid his eſſe poteſt dilucidius? Vides vt non vſque ad annum vnum aut menſem, ſed vnum vſque diem, ſummâ curâ, & captiuitatem, & captiuitatis ſolutionem Propheta prædixerit. Ceterùm ſupereſt, vt de præſenti, in quâ Iudæi modò verſantur captiuitate diſſeramus, atque oſtendamus vt nullus Prophetarum liberationem aut ſolutionem eius futuram prædixerit, ſicut prædictis vni quidem triginta, alteri ſeptuaginta, alij denique trium annorum & medij ſpatium fuit præfinitum. Quòd autem de hac vaticinatus ſit Propheta, Ioſephum adducamus in teſtem, qui res Iudaicas optimè nouit. Eodẽ autem,
inquit, modo Daniel & de Romanorũ prin- Iudaic. Antiq. L. 8. c. 14.
cipatu ſcripſit, quodque ab illis tollẽda eſſet Ieroſolyma, ac deſolandum templum. Qui cùm Iudęus eſſet, non auſus eſt addere quod eſſet reſtituenda, quandoquidem neque tempus aliquod Propheta præſcriberet. Vbi igitur dixerit Daniel, fore vt templum redigeretur in ſolitudinem, nos deinceps conſideremus. Nam vbi precationem illam in Dan. 9, 3.
ſacco & cinere perfecerat, venit ad eum Gabriel, & ait: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam. Ecce hîc, inquit aliquis, & tempus expreſſum eſt. Tempus non captiuitatis, ſed poſt quantum temporis eſſet reditura captiuitas. Poſſumus & aliud tempus dicere, quamdiu eſſet duratura captiuitas, rurſum tempus poſt quod eſſet ventura. Mox & cauſam exprimit: Vt conſummetur præuaricatio, & finem

finem accipiat peccatum. Multa, inquit, peccant, sed malorum finis tunc erit, cùm Dominum suum occiderint. & hoc dixit Christus: Implete mensuram patrum vestrorum. Seruos occidistis, addite & herilem sanguinem. Vide quomodo concordent sententiæ. Christus dixit, Implete; Propheta ait, Consummetur præuaricatio & signétur peccata. Quid enim est, Signentur? ne quid prætereà reliquum fiat. Atque Propheta quoque signabit visionem, hoc est, sistet posthac Prophetia. Ideò Christus dixit: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem, & vnctio quoque auferetur. Quando tandem hoc factum est? quando Prophetiæ prorsus sublata? quando vnctio sic est sublata, vt numquam sit reditura? Etsi nos sileamus, ipsi lapides clamabunt, adeò manifesta est ipsa rerum vox: nec enim possunt aliud tempus proferre quo hæc gesta sunt, quàm hoc longum & magnum, sed maius etiam futurū. Post hæc exactiùs etiam de his loquens ait, Scito ergo & animaduerte: ab exitu sermonis, vt iterùm ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, quæ conficiunt annos quadringētos octoginta tres. Non enim hîc dicit hebdomadas dierum aut mensium, sed annorū. Nam à Cyro vsque ad Antiochum qui dictus est Illustris, & captiuitatem illam, sunt anni trecenti nonaginta quatuor. Itaque declarans quòd non de captiuitate sentiat, quæ fuit sub Pompeio, Vespasiano & Tito, vlteriùs profert tempus, mox docens nos, vnde oporteat supputare. Demonstrat non esse numerandum à die reditus, sed ab exitu sermonis, vt iterùm ædificetur Ierusalem. At non fuit exstructa sub Cyro, sed sub Artaxerxe cognomento Longimano. Post descensum enim rursum ascendit Cambyses, deinde Magi. Post hos Darius Hystaspæ filius, deinceps Xerxes Darij filius, post hunc Artabanes, post Artabanem Artaxerxes. Et dum hic regnum obtineret, anno vigesimo regni illius Nehemias reuersus ciuitatem instaurauit: & hęc Esdras accuratissimè descripsit. Nos igitur hinc quadringentos octoginta annos numeremus, & haud dubiè veniemus ad hanc subuersionem. Eoque dicit: Et rursum ædificabitur platea & muri. Cùm itaque, vt ait, restituta fuerit, suumq́; statum receperit, ex hoc supputa hebdomadas septuaginta. Vide hanc captiuitatem nondum sortitam esse finem: quocircà ait, Post sexaginta hebdomadas exterminabitur, & iudicium non erit in eâ. Ciuitatem autem & sanctuarium dissipabit cum duce venturo, & exscindentur sicut in inundatione, neque reliquiæ erunt residuæ, neque radix rursum germinans, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Cùm audias consummationē, quid adhuc superest quod expectes? Vsque ad consummationem enim, inquit, perseuerabit desolatio. Porrò quòd hactenus dicta vana non sint, age à rebus etiam ipsis exhibeamus testimonium. Nam si numquam tentassent ædificare templum, dicere poterant: Si voluissemus aggredi templi instaurationem, omnino potuissemus, & perfecissemus. Nunc autem res ipsa demonstrat, eos non semel aut bis, sed ter aggressos, & impetum fecisse, vt nulli dubium esse possit, quin Ecclesiæ sit victoria. Quando verò hoc aggressi sunt? Sub Adriano motâ seditione conati sunt pristinam Rempublicam instaurare, haudquaquam intelligentes quòd arbitrio Dei bellum gereretur, iubentis io perpetuum eam ciuitatem deuastari. Porrò Deum bellantem superare impossibile est. Impetu igitur facto in Cæsarem, rursus eum adegerunt vt funditus deleret ciuitatem, deuictis ac subactis illis, omnibusque reliquijs abolitis, ne in posterum possent impudentes agere, statuam suam in loco collocauit. Deinde sciens futurum vt illa tempore collaberetur, quò illius victoriæ immedicabilem inureret notam, & illius impudentiæ monumentum, nomen suum ciuitatis ruinis imposuit. Quoniam enim ipse dicebatur Ælius Adrianus, ideò & ciuitati nomen Æliæ iussit imponi, inde & Ælia dicitur in hodiernum vsque diem, cognomine euictoris & euersoris. Post hunc sub Constantino rursus eadem aggressi sunt: at ille amputatis eorum auriculis, ac rebellionis signo impresso corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia ac verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erāt sparsi, erudiens, ne in posterum eadem conarentur. Sed hæc prisca sunt, referam recentiora. Cùm Iulianus, qui Imperatores omnes impietate superauit, vocaret illos ad sacrificandum idolis, & ad suam impietatem pertrahere conaretur, ac mox obijceret illis priscum culturę ritum, dicens, A vestris maioribus Deus hoc modo cultus est, etiam nolentes tum fatebantur hæc quæ nos nunc demonstrauimus, quòd fas non esset extra ciuitatem immolare victimas: sed totam, inquiebant, religionem violant, quicumque sacrificant in terrâ alienâ. Proinde si vis nos videre sacrificantes, redde nobis ciuitatem, restitue templum, & sacrificabimus nunc quemadmodum olim. Nec intelligebant se conari impossibilia; neque perpendebant, quòd si homo illa demolitus esset, potuisset homo illis ea restituere. Verùm cùm Deus esset

Matth. 23. 32.
Luc. 16. 16.
Dan. 9. 25.
1. Esdr. 2.
Dan. 9. 25.
Contra Deū nulla vis valet aut consilium.

esset qui ciuitatem illorum subuerteret, fieri nequaquam potuit, vt quę Deus decreuerat, vmquam verteret humana potentia. Nam quæ Deus sanctus, inquit, statuit, quis dissipabit? ac manum eius excelsam quis auertet? Verùm esto sanè, templum reddiderit: num & ignem cælestem è sublimi vobis poterat demittere? qui si defuisset, impium & impurum fuisset sacrificium. Ob hoc enim perierunt filij Aaron, quòd ignem alienum induxerint. Nihilominus ad omnia obcæcati, obsecrabant & supplicabant, vt cum ipsis susciperet & aggrederetur instaurationem templi. At is qui & pecunias impendit, & præfectis negotium demandauit, viros primates & artifices vndequaque accersi iussit, nihil non fecit, nihil non tentauit, paulatim ac sensim hoc agens, sperans que futurum, vt si posset illos ad sacrificandum inducere, facilè illos reuocaret ad cultus simulacrorum. Simul & illud fore sperabat insanus ille ac vecors, vt Christi sententiam frustraretur, qui non patitur templum illud instaurari.
1. Cor. 3. 19 Verùm qui comprehendit sapientes in astutiâ illorum, protinus ipsis factis declarauit illi, quòd Dei decretum omnibus est potentius, quodque valida sunt opera sermonum Dei. Nam simul atque tentassent hunc impium conatum, cœpissentque nudare fundamenta, multamque terram exhausissent, restaretque vt iam structuram aggrederentur: protinus ignis exiliens è fundamentis exussit multos, & intempestiuam pertinaciam interrupit. Hęc vbi resciuit Imperator, quamquam tantâ vesaniâ deditus erat illi negotio, veritus tamen ne vltrà progressus in suum ipsius caput ignem accerseret, destitit, extinctus cum tota gente. Iam considera victoriam insignem. Non hoc accidit sub pijs Cæsaribus, ne quid dicere possint, quòd Christiani superuenientes, opus perfici vetuerunt, sed tum, cùm res nostræ afflictæ, cùm omnes de vitâ periclitaremur, cùm omnis libertas esset sublata, cùm floreret paganismus, cùm fideles alij quidem in ædibus suis latitabant, alij verò in solitudines demigrarunt, tum demum hæc acciderunt, ne qua illis vel impudens reliqua fieret occasio tergiuersandi. Etiámne adhuc dubitas Iudæe? cùm perspicias, & ex Christi prædictione, & ex Prophetarum vaticinijs, & ex ipsarum rerum demonstratione testimonium aduersus te confirmatum? Verùm nihil mirum est: istiusmodi quippe fuit tua natio ab initio effrons & peruicax, semperque rebus euidentibus repugnare solita.

VERS. 7. Interrogauerunt autem illum, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signum cùm fieri incipient?

8. Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum: & tempus appropinquauit: nolite ergo ire post eos.

5. VEL forsitan non dicit Pseudo-Christos ante consummationem venientes, sed eos qui fuere tempore Apostolorum. Postquam enim venit Christus, omnia ad nostram salutem perfecturus; in diebus illis, vt inquit in Actis Lucas, malus ille diabolus immisit seductores in discipulos Theonam & Iudam, & vbi subintulit nomen Iesu, ait, Ne seducamini. TITVS. Act. 5. 17.

6. Statim quidem Samaritæ Dositheum (qui post tempora Saluatoris fuit) dixerunt esse eum quem Moyses prædixerat, plurimique seducti sunt ex illis, quòd ipsum pro Christo colerent. Alij verò Apostolorum tempore Simonem Magum, Magnam Dei virtutem appellabant, illú existimantes esse Christum. In Phrygiâ Montanum alij, atque alibi etiam alij alios pro Christo habuerunt: neque vmquam impostores deficient. Expectandi enim quamplurimi similes prioribus, à quibus ipsamet veritas prædictionum Saluatoris testimonium accepit. EVTHYMIVS *Pseudo-Christi quinam fuerint.*

ANNOTATIONES.

MVLTI ENIM VENIENT IN NOMINE MEO.] *Talis fuit Primò Theodas, de quo Act. 5, 36. Secundò, Ægyptius ille, de quo Actorum 21, 38. & Iosephus lib 2 Belli Iudaici cap. 12. Tertiò, Simon Magus, Actorum 8, 10. nam ille, teste S. Hieronymo ibidem dicebat:* Ego sum sermo Dei, ego speciosus, ego Paracletus, ego omnipotens, ego omnia. *Tales Menander, Saturninus, & alij posteri Simonis, de quibus Irenæus lib. 1. cap. 21. Talis fuit Barchocabas, qui se finxit Messiam sub Adriano Imperatore, de quo Eusebius lib. 4. cap. 8. Talis nostro sæculo fuit Dauid Georgius, Ioannes Leydanus caput Anabaptistarum, multique alij, pluresque erunt sub tempora Antichristi. Tales etiam Tropologicè sunt omnes hæretici, quia alium Christum nobis venditant, & alias leges quæ non sunt Christi, sed Antichristi. Ita S. Augustinus ep. 80. ad Hesychium, Origenes, & alij Patres.* VERS. 8. *Pseudo-Christi qui fuerunt.*

VERS. 9. Cùm autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis.

7. NON statim itaque, inquit, erit finis ciuitatis, neq; statim Ierosolyma capietur, sed post multa bella. Vel finem quoque communem vocat vniuersi consummationem. TITVS.

VERS.

VERS. 10. Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.

11. Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo, & signa magna erunt.

CYRILLVS 8. DAT hîc clara ac manifesta signa consummationis sæculi. Erunt enim, inquit, bella, & seditiones, & pestilentiæ, & fames, terroresque de cælo. Quemadmodum

Matth. 24. 29. Marci 13. 25.

enim alij referunt Euangelistæ, stellæ cadent de cælo, cælum verò sicut liber complicabitur, & virtutes cælorum commouebuntur. Hæc autem contigerunt ad captiuitatem Ierosolymæ portendendam: scriptum enim in

Act. 11, 28.

Actis, tempore Claudij magnam famem vti & crebros terræmotus extitisse.

CHRYSOSTOMVS in Acta Homil. 21.

Terræ motus quale signum.

9. Terræ autem motus aliquando quidem iræ est indicium, aliquando verò visitationis & prouidentiæ. Nam & cùm Dominus crucifigeretur, terra mota est. Et alibi ait: Tunc erunt terræ motus per loca. Apostolis etiam

Act. 4. 31.

orantibus locus commotus est in quo erant congregati, quod signum erat exauditionis ac visitationis.

ANNOTATIONES.

VERS. 10

Signa præuia vrbis & orbis excidio.

SVRGET GENS CONTRA GENTEM, &c.] *Nota hic cum S. Augustino Epist. 80. ad Hesychium, Christum confusè Apostolis de vrbis & orbis excidio rogantibus respondisse, ut semper suspensi ad vtrumque se comparent atque præmuniant. Dantur autem hic signa vtrique excidio præuia. Itaque Primò de excidio orbis hæc rectè accipiunt S. Hilarius in cap. 24. Matthæi, & S. Gregorius Homiliâ 1. in Euang. & Irenæus l. 1. cap. 25. Illud enim commune & vniuersale excidium præcedent bella, fames, pestis, & pseudochristus. Secundò, rectè etiam S. Chrysostomus cum suis accipiunt de excidio vrbis: & de eo etiam accipi, patet hic suprà v. 8. & statim infrà v. 12. & Matthæi c. 24. 7. & seq.*

Atque excidio quidem vrbis hæc conuenire, euentus docuit. Primò siquidem surrexit gens in gentem: nam postquam Ierosolymitani præsidium Romanorum ceperunt & trucidarunt, mox Ascalonitæ, Ptolemaienses, Damasceni, Alexandrini, Syri, Romani, & omnes vicinæ Gentes in bella contra Iudæos surrexerunt, idque vsque ad excidium vrbis, vti scribunt Iosephus à capite 11. libri 2. Belli Iudaici vsque ad finem libri 7. & Hegesippus lib. 2. c. 11. 14. 16. 17.

Secundò, famem præcessisse, patet ex Act. 11, 28. & ex Iosepho Antiquitatum lib. 20. c. 2.

Tertiò, de peste ac terræmotu nihil peculiare habet Iosephus, sed hinc & ex Matthæi 24. non dubium est præcessisse, & vtrumque ferè famem comitari solet. Manifestiùs autem hæc præcedent excidium vniuersi.

Prodigia quæ præcesserunt excidium Ierosolymitanum.

Quartò addit hic S. Lucas, quod non ita exprimit S. Matthæus, terroresque de cælo, & signa magna erunt, *scilicet ante excidium orbis, quæ tunc frequentissima erunt, & maximè terribilia, vt patet ex Apocalypseos cap. 2. Hæc etiam vrbis excidium præcessere. Primò enim ante eius obsidionem cometes in formâ gladij supra vrbem visus est: secundò, horâ nonâ nocturnâ lux, meridianæ instar, in templo per mediam horam fulsit: tertiò, bos immolandus agnum peperit in ipso templo: quartò, templi porta maxima & ænea vltrò est aperta: quintò, in aere visa sunt acies & prælia: sextò, audita est vox in templo clamans,* Migremus hinc: *septimò, mannus quidam per septem annos & quinque menses continuo clamabat,* Væ, væ Ierosolymis, *donec cinctâ vrbe, in muro clamans,* Væ Ierosolymis, populo, & mihi, *saxo hostili ictus interijt. Vide de his Iosephum lib. 7. Belli cap. 12.*

VERS. 12. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequentur, tradentes in Synagogas & custodias, trahentes ad Reges & præsides, propter nomen meum.

13. Continget autem vobis in testimonium.

10. IN testimonium, inquit, pro, In accusationem non credentium. Priusquam autē hæc euenerunt, ab illis persecutionem passi sunt beati discipuli, in vincula coniecti, ante præsides ducti, & ad Reges missi sunt. Verumtamen contigit ipsis in testimonium, id est in testimonij gloriam cessit. CYRILLVS

VERS. 14. Ponite ergo in cordibus vestris, non præmeditari quemadmodum respondeatis.

15. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri.

11. MONET autem, ne præmeditentur quid responsuri sint. Accipietis enim, inquit, à me sapientiam & linguam inexpugnabilem, cui non possint resistere & contradicere aduersarij vestri. Præscindens verò humanæ pusillanimitatis occasiones, illos à domesticis tradendos dicit, verùm subiungit, illos omnino ab se seruandos ac protegendos. CYRILLVS

VERS. 16. Trademini autem à parentibus & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis:

17. & eritis odio omnibus propter nomen meum:

18. & capillus de capite vestro non peribit.

19. In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.

12. AD vigilandum eos animo præparat, afflictiones quidem ipsis tribuendo, affligendi autem potestatem ceteris permittendo. Non enim dixit, Luctamini cum illis, & concertate, & contra insidiantes insurgite; CHRYSOSTOMVS in Matth. Hom. 34.

te, sed, ad extremas angustias atque pericula redigemini. Dignum est autem admiratione, quomodo hæc audiētes non resilierint, quomodo non dixerint: Quò igitur fugiemus, si omnia tribunalia, si Reges, si Duces, si Iudæorum synagogæ, si populi Gentium, si Principes denique ac subditi aduersus nos futuri sint. Et quod longè horribilius est, si amici in inuicem arma sumant, quomodo seruabimur, cùm pauci simus & ignari? Illud autem vel ad petram consternandam sufficiat, quòd odio futuri simus omnibus hominibus. Verùm in prōptu est consolatio, quòd per patientiam saluandi simus. Hæc etiam alioquin animos eorū erigere possent atq; confirmare, quòd tantam prædicationis suæ virtutem audiebāt futuram, vt omnis sanguinis coniunctio virtute illius contemneretur, omnis affinitas sperneretur, omnis potestas vndique pelleretur. Nam si nulla naturę vis aduersus sermonem vestrum potest reluctari, sed vniuersa deprimitur atque resoluitur; quidnam aliud vincere vos poterit? Et quod maximè mirandum, nullā hæc legione, nullis armis gesta, sed mala dumtaxat patienter perferendo, perfecta sunt. Etenim habebant in medio sui [ciuitates ac synagogæ] duodecim homines; vinculis, flagellis, carceribus, quibuscumque poterant modis vt silerent, comminabantur, nec potuerunt ora eorum obstruere: sed sicut nemo solares radios vincire potest, sic nullus linguam eorum potuit compescere: quod idcircò fiebat, quia non homines, sed virtus Spiritus sancti loquebatur. Hac igitur ratione Paulus Agrippam & Agrippæ ministros, Neronem flagitiosissimum mortalium facilè superabat. Vide autem, vt hæc partim à Christo, partim etiam à discipulis fiant. Nam Christi mittentis erat omni illos metu ac sollicitudine liberare: omnia verò generosè perferre, illorum erat fortitudinis: odio haberi, & nō animo deijci, illorum erat tolerātię. Quòd autem perseuerantes saluarentur, spiritū mittentis erat proprium. Ne enim dicerent ipsum totum perfecisse, ait illis, Patientia vobis necessaria est.

Apostoli omnes persecutiones per patientiam vicerunt.

BASILIVS in Isaiæ cap 3.

Iudæi vt sint à Deo deserti.

13. Quòd autē in Iudæā seditiones & bella, & tamen essent futura ante vrbis captiuitatem, etiam ipse Isaias prophetauit, dicens: Ecce etiam dominator Dominus exercituum auferet à Iudæā, & ab Ierusalem fortem, & præualentem. Iudaicus enim populus simul atque malitiosum iniuit consilium aduersus Dominum, ipse quidem infirmitate carnis est ab eis appensus cruci, vixit autem virtute Dei, infirmitatem illis reliquit. Illius autem infirmitatis causa est, quòd non sit apud illos robur panis & robur aquæ. Vbi autem infirmæ dapes, ibi necesse est tales esse qui istis enutriuntur. Auferet etiam aut gigantem, id est, qui naturæ beneficio vnam aliquam obtinet prærogatiuam: & potentem, qui proprio studio dexteritatem naturæ ad perfectionem perduxerunt: bellatorem. Bellatores proinde nulli iam apud Iudæos; neque enim vlli amplius delectui militiæ adnumerantur. Et Iudicem: Iudicum enim manibus traditi sunt, qui eos redegerunt in captiuitatem, quòd ex tribu Iudæ exoleuerint Principes. Et seniorem: prudentiā scilicet ornatum. Et quinquagenarium principem: eò quòd omnem sineret circa eos dispensationem, Reipublicæ administrationem decenti priùs ordine constitutam permisceri & confundi, à parte summam totius insinuans. Et admirabilem consiliarium: ad instituendam autem hominum vitam, non parum frugis bonæ & vtilitatis resilit ex consilio, quòd nemo solus par sit moderandis omnibus. Ex quo itaque malignum agitauerunt consilium, quonam pacto Dominum in manus Præsidis traderent, ab eis Dominus ipse admirabilem consiliarium abstulit, ipsum scilicet Dominum Iesum. Et sapientem architectum: nempe Spiritum sanctum, vt iam dissoluti cùm sint, & à se inuicem intercisi ac dissecti, non iam possunt per spiritualem substructionem effici Dei templum. Et prudentem auditorem: tristis enim res est, vbi sermo fuerit plenus intelligentiæ & sententiarum, prudens autem nemo adsit apertis auribus. Et instituam iuuenes principes eorum: grauissimum autem est ciuitatem sub adolescentulorum esse principatu. Est enim adolescentia perquam leuis, & ad flagitia quæque apprimè mobilis. Et corruet populus, homo ad hominem, & homo ad proximum suum: dubio procul enarrat Propheta ac luculenter edisserit quæ facta sunt ante extremam expugnationem & captiuitatem Ierosolymorum, postquam in dispersionem sunt traditi: non iam deducens sermonem per ænigmata, sed nudè & perspicuè res gestas enarrans, quomodo inter sese collisi sunt & corruerunt, seditione insuper ac mutuis cædibus impleuerunt ciuitatem, nullo interim timore hostium eos circumquaque obsidentium compulsi ad ineundam perutilem concordiam: sed pro extremā clade ciuitatis mox expugnandæ, sibi male metuentes, muris humi deiectis, hostibus per ambitiosam principatus obtinendi cupiditatem vrbi infusis, ob amorem primatûs mutuis se cædibus collidebant: deinde confusionem propriè describit, dicens: Et offendet puer aduersus senem, ignobilis contra nobilem. Seditioni enim proprium est, nihil dignoscere, nihil discernere: ita vt

puer

puer quoque erga senem se implacabilem ac morosum exhibeat, ignobilis verò velit se haberi honoratiorem ingenuo ac nobili. Hæc autem quæ sequuntur, perspicuè refert ad tempus captiuitatis Iudaicæ: quando famе & inediâ ad tabem vsque macerati, ita vt ad extremam redacti famem, seipsos inuicem manducarent, eos qui opulentiores videbantur implorantes sibi vt præsiderent. subiungit enim: Quia apprehendet homo fratrem suum, dicens: Vestimentum habes, princeps esto noster. & respondens in die illâ dicet: Non ero princeps, non enim est in domo meâ panis, neque vestimentum. Ea quæ per seditionem illam gesta sunt, veluti per historiam deinceps insinuat sermo propheticus, sub exitum enarrans extremam populi ruinam; adeò vt ne vnico quidem abundarent vestimento qui ab ipsis tunc ad Præfecturam rapiebantur. Ac tunc quidem in Iudaicâ illâ seditione erant quidam qui indignos se plane nouerant excipiendo in alios principatu, propter conscientiam in se existentis inopiæ, nunc vero metuo ne in præsentibus adsint etiam nonnulli qui nondum induti sint Christum, neque viscera miserationis, tametsi alios apprehendant. Intrudûtur enim multi, multi item sunt qui ambitiosiùs affectent principatum, multi suamet auctoritate creati, dum splendorem gloriæ præsentis student assequi, nec futurum illud iudicium præuident. Atqui Moyses non talis fuit, qui cùm per omnia moriger, & ab omnibus hoc nomine optimè audiret, quando ad populum illum mittebatur, dicebat, Obsecro te Domine, elige alium quem mittas: ita vt videri possit contentiosiùs reclamasse dum confessione propriæ imbecillitatis excusat, & deprecatur eam legationem, docens indignum se esse principatu. Hæc autem dicta sunt, quò intelligatur Isaias & quæ de Iudaicâ seditione prædixit, etiam vltimæ isti calamitati quæ superuentura est, conuenire. Dominus autem clariorem faciens prædictionem captiuitatis, subiungit:

[a] Matt. 24. 15. Marc. 13. 14. Dan. 9, 27. VERS. 20.[a] Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius:

21. tunc qui in Iudæâ sunt, fugiant ad montes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in eam.

22. quia dies vltionis hi sunt, vt impleantur omnia quæ scripta sunt.

23. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic.

24. Et cadent in ore gladij: & captiui ducentur in omnes Gentes, & Ierusalem calcabitur à Gentibus: donec impleantur tempora nationum.

14. PER prædicta signa tempus denotat futuræ desolationis omnimodæ illius loci. Nemo enim, inquit, post futuram obsidionem & quæ illum subsequetur desolationem, expectet aliam fore innouationem, sicut Cyri Persarum Regis & illustris Antiochi, ac etiam Pompeij tempore accidit. Sæpè enim obsidionem passa ciuitas, maiora postmodum cum honore incrementa cepit: nunc verò extremam illi desolationem atque omnimodam abolitionem instare cognoscetis, inquit, quando eam videritis circumdari ab exercitu. Desolationem autem Ierosolymæ vocat templi euersionem, & sacrificiorum quæ secundùm legem Moysaicam in eo offerebantur, abolitionem. Nemo enim existimauerit ita ciuitatis desolationem sumendam esse, quasi nullus illam in posterum inhabitaturus esset, sed quòd non ampliùs eam Iudæi incolerent, sed Gentiles. Desolationem autem eius appellat, non ampliùs eam à suis & secundùm ritum legalem constitui. Ostendens autem templum non ampliùs instaurandum esse, neque Iudæos iterum in vnam congregandos Rempublicam, prædictis etiam tempus addit, definiens quando Ierusalem à Gentilibus destruenda foret. dicit ergo: Donec impleantur tempora nationum, per hæc designans vitæ consummationem, & consummationis tempus. Quòd verò dies excidij sint futuri quando impleta fuerint quæ scripta sunt per Danielem, maximè autem & illud, Væ prægnantibus & nutrientibus in diebus illis (scilicet obsidionis Ierusalem;) sufficienter Flauius etiam Iosephus in suâ historiâ narrauit, qualiter scilicet aduenientibus Romanis, & vrbem capientibus, multæ cateruæ populi Iudaici in ore gladij perierint, sed & plures necati sint fame, ita vt etiam feminæ præ intolerabili cibi indigentiâ suas ipsarum proles igne assarint & comederint. Hæc verò accidebant primò quidem sub Tito & Vespasiano, post hos autem tempore Adriani Principis Romanorum, quando Iudæis ipsis patrium solum factum est inaccessum. Vnde sequitur: Et Ierusalem conculcata est à Gentibus, vt non alios habeat incolas & ciues, præter alienigenas & externos, qui pro prioribus incolis illam inhabitant. Ab illis autem cingetur exercitu Ierusalem, quin & ipsumet sanctum quod in ipsâ est, ad extremam

Euersio Desolatio Ierusalem.

deducetur desolationem, & in derisum ac despectum illius in medio sancti ponetur statua aenea obsessis, secundùm dictum Danielis.

CHRYSOSTOMVS aduersus Vituperatores vitae Monasticae. 15. Verùm illos eiusmodi continuò corripuere clades, vt nulla iam penitus calamitas sit, quae possit eorum casibus vllâ ratione comparari. Itaque primi & soli ex omni hominum memoriâ ea passi sunt quae modò memorabimus. Atque horum praenuntiator certissimus ipse Christus est, sic dicens: Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet. Igitur ea quidem omnia, quae illi passi sunt, prosequi, non huius est temporis; pauca tamen ex multis strictim breuiterque necessariò dicenda sunt. Verbis autem vtar non meis, sed Iosephi historiographi Iudaei hominis, qui eam historiam conscripsit diligenter. Quid ergo ait ille? Cùm enarrasset incensum templum, communesque illos casus enuntiasset, ita intulit: Et templum quidem hoc in statu erat, eorum verò qui per ciuitatem fame occumbebant, infinita paenè cadebat multitudo, atque inenarrabiles clades continebat. Nam per vnamquamque domum, sicubi ciborum vestigium vllum fortè appareret, bellum inerat, atque aduersus seinuicem manus conferebant, qui hactenus erant amicissimi, ac infelix animae viaticum eripiebant, ne morientibus quidem quòd cibo indigerent fides habebatur: sed eos quoque qui animam efflabant, lattones perscrutabantur, ne quis fortè simulatâ morte cibum sinu occuluisset. Alij verò famem hiantes, canum instar rabie furientium ferebantur, amentiâ praecipites, atque ostijs impingebant vt ebrij. Prae desperatione autem, & quòd aliquid semper inuenire se posse existimarent, in eamdem domum vnâ horâ bis terque irrumpebant. Cuncta verò subigebat dentibus saeua necessitas, & ea quae ne sordidissimis quidem & brutis animantibus vsui fuissent legentes, manducare sustinebant. Ne cingulis quidem ipsis atque calceamentis postremò abstinuerunt, scutisque detracta coria mandebant. Esca autem, inquit, erat foeni laceri quod reliquum inueniri poterat. Purgamenta item cuiusque rei nonnulli colligentes, minimum eorum pondus Atticis quatuor vendebant. Et quid me necesse est famis improbitatem in rebus inanimis persequi? Opus vnum eius enarrare pergo, quod neque apud Graecos neque apud barbaros contigisse vmquam memoratur, dictu horrendum, atque incredibile auditu. Atque ego ne viderer portenta confingere, calamitosissimum hunc casum libenter missum facerem, nisi plurimos eius haberem testes.

Matth. 24, 21.

De Bello Iudaico lib. 7. c. 7.

Fames quanta in Ierusalem obsessa.

Praetereaque patriae friuolam & planè leuem gratiam teferrem, si quae rebus illa passa est, ea verbis supprimere, atque subducere historiae conarer. Mulier quaedam fuit ex his quae supra Iordanem incolebant, Maria nomine, patre Eleazaro, castello Bethezo, (quod significat interpretatum Domû hyssopi) genere & diuitijs insignis. Haec vnà cum reliquâ multitudine Ierosolymam confugerat, ac simul obsidebatur: cuius omnem substantiam tyranni diripuerant, quam secum domo asportauerat, atque in oppidum intulerat. Ceterùm reliquias reconditorum omnes, & si quid esculentum praeparasset, ingressi quotidie satellites diripiebant. Dira autem atque acerba indignatio subibat mulierem, ac frequentet conuitijs & maledictis omnibus raptores prosequens, contra seipsam magis irritabat: cùm verò nullus eam, neque miserans, neque irâ concitatus occideret, ciboque alios inuenire laboraret, essetque iam penitus difficile quidquam reperire, famesque praetereà per viscera & medullas serperet, ac fame ipsâ vehementiùs ardens incitaret indignatio, iracundiâ simul & necessitate dictante consilium, naturam ipsam violare proficiscitur: filiumque arripiens (erat autem illi paruulus & sugens vbera) Infelix, inquit, puer, cuinam te in bello & fame & seditione seruabo? nempe enim à Romanis, etsi vixerimus, seruitus nos manet, anticipat autem seruitutem fames, instant saeuiores vtrisque grassatores. Perge igitur, mihi cibus esto, grassatoribus furiarum taeda, omniique mortalium generi fabula, quod solum Iudaeorum calamitatibus deest. Atque haec dicens necat filium: indeque illum coquens, ipsa dimidium comedit, partemque reliquam operiens seruabat. Adsunt continuò grassatores, nefario nidore attracti, comminanturque ni quod parauerat in conspectum daret, eam se statim necaturos. At illa cùm partem illis bonam seruasse se diceret, nati reliquias apetuit: tum illos protinus horror ingens cepetat, ac mentium stupor, atque ad aspectum ipsum diriguerant, & velut aenei defixi, stabant. Tum illa, Meus, inquit, est natus, isque charissimus, meumque istud opus est. Edite, quid cunctamini? namque & ipsa comedi: nolite fieri neque muliere molliores, neque matre misericordiores. Quòd si vos reueremini, hostiamque meam auersamini, siue opus exectamini, ego quidem manducaui, quodque reliquum est mihi manebit. Post haec illi quidem trementes exierunt, hac vnâ tantùm in re timidiores, eamque solam escam matri concedentes. Tanti statim sceleris famâ ciuitas tota repleta est, eamque cladem, adeoque miserandum facinus sibi quis-

Exemplum tragicum mulieris famelicae comedentis.

quisque ante oculos ponebat, idque non secus ac si ipse admisisset, abhorrescebat. His autem qui fame cruciabantur, mors votis omnibus expetebatur, eamque sibi nonnulli consciscebant: beatique cunctorum voce dicebantur hi, qui priusquam eiusmodi facinus audissent aut vidissent, vitâ excessissent. Nec mora: Romanis quoque ea calamitas annuntiata est. Ex his autem partim non credebant, nonnulli rem miserabantur, plurimi verò in odium ipsius gentis, etiam vehementiùs animati sunt. Hæc autem, atque his multò quoque atrociora illi passi sunt: non modò quia Christum cruci suffixerunt, sed quia postmodum Apostolos ea loqui prohibebant, quæ ad salutem nostram pertinerent. Quod profectò B. Paulus illis crimini dans, hæc eis prænûntiauit euentura mala

1.Thessal. 3, 16. dicens: Peruenit enim ira Dei super illos vsque in finem.

Evsebivs 16. Propter quod erit tribulatio magna, congruenter propheticis Domini ac Seruatoris nostri prædictionibus per Vespasianum post annos quadraginta expletis. Deinde etiam subiungit Dominus sermonem de vniuersi consummatione, cùm ait.

ANNOTATIONES.

Vers. 20 CVM AVTEM VIDERITIS CIRCVMDARI AB EXERCITV IERVSALEM.] *Matthæus cap. 24, 15. & Marcus cap. 13, 14. habẽt,* Cùm autem videritis abominationem desolationis: *vbi* abominatio *sumitur pro re fœdâ & abominabili,* desolationis *id est desolãte, & extremũ exitium afferẽte. Patet ex Danielis cap. 12,* 11. Et à tempore, *inquit*, cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem. *Vel per hypallagen* abominatio desolationis,

Quæ sit desolatio abominationis. *id est, desolatio abominabilis. Grauis hic est quæstio, quænam sit hæc abominatio. Primò Hilarius & Auctor Imperfecti in cap. 24. Matthæi, & Irenæus lib. 5. contra Hæreses cap. 25. putant esse Antichristum, qui in templo adorabitur vt Deus. Sed mysticè hoc verum: nam ad litteram passim docent omnes, hîc agi de excidio, non orbis, sed vrbis, & templi Ierosolymitani, quæ desolatio mox à nece Christi contigit.*

Secundò, alij accipiunt de statuâ Tiberij, quam Pilatus etiam in vrbem induxit, teste Iosepho lib. 18. Antiquitatum, cap. 16. aut de statuâ Adriani, aut vt Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius in cap. 24. Matthæi, de statuâ Titi, quam aiunt in templo positam.

Tertiò, S. Augustinus Epist. 80. ad Hesychium, & Origenes in Matth. melius intelligunt exercitum Romanorum qui desolauit Ierusalem. atque ita videtur exponere S. Lucas hic versu 20. citatus.

Quartò, alij magis propriè existimant hanc abominationem esse profanationem templi factam à seditiosis homicidis ac sceleratissimis Iudæis, vel abominationem esse ipsosmet seditiosos qui templum occuparunt, & castrorum more muniuerunt contra ciues suos, quorum & plurimos occiderunt. Seditiosos, inquam, non illos Zelotas tempore Titi, quorum Dux Simon; sed alios priores sub Sestio Præside Iudææ, qui primus Iudæis rebellare incipientibus Ierusalem obsedit anno Christi 68. Neronis 12. Sed cùm à Iudæis fusus fugatusque esset Sestius misit eò Nero sequenti anno Titum & Vespasianum, qui deuictâ priùs & deuastatâ Galilææ & Iudææ, tandem Ierosolymam anno Christi 72. Vespasiani templum ceperunt, & incenderunt.

Probabilior videtur hæc sententia, Primò, quia hæc abominatio apud Danielem cap. 9, 27. dicitur fore in templo, & apud Matthæum cap. 24, 15 dicitur in loco sancto, & de templi desolatione & sacrificiorum desitione, de quâ etiam propriè agit Daniel; ergo hæc est illa abominatio.

Secundò, nisi ad hoc tempus referamus, non cohæret cum sequentibus. Iubet enim Christus fugere, visâ abominatione: atqui cùm Titus obsedit Ierosolymam, nec ex Ierosolymis quisquam fugere potuit (fuit enim arctissima obsidio;) nec ex Iudæâ, quæ illa cum Galilææ iam victa & superata erat.

Tertiò, quia, teste Iosepho lib. 5. Belli cap. 2. vetus sermo erat, tunc vrbem capiendam, cùm seditio exorta esset, templumque Dei propriè Iudæorum manus violassent. Vnde secutâ statim clade Sestij ac Romanorum, plurimi Iudæi futuræ cladis coniectores ad alias regiones commigrarunt, vt idem Iosephus ait lib. 2. cap. 25. Inter illos autem qui aliò migrarunt, multos fuisse Christianos, testis est Epiphanius Hæresi 29. & 30. & Eusebius lib. 3. Hist. cap. 5. qui eos ait diuinitus admonitos in Pellam vrbem secessisse, vti constat de S. Simeone Ierosolymorum Episcopo. Hic enim S. Iacobo fratri Domini (qui occisus est anno Christi 63. Neronis 7.) vt rectè ex Iosepho probat Baronius, successit, mansitque vsque ad tempora Traiani, sub quo martyr obijt. Imò & cathedram eius (non dubium quin & ceteram Ecclesiæ supellectilem) in tuto collocatam, docet Eusebius lib. 7. Hist. cap. 14. qui eam ad sua vsque tempora integram seruatam asserit. Quæ omnia optimè respondent Christi monitis, vt fugiant visâ abominatione, quasi signo futuræ desolationis ac cladis. Secundùm hanc sententiam itaque dicendum videtur, quòd S. Lucas hic, vbi dicit, Cùm videritis circumdari Ierusalem, *&c. simul apponat circumstantiam aliam: hæc enim duo simul contigerunt, scilicet profanari templum, quæ est abominatio: & Sestium cum exercitu obsidere Ierusalem. Atque hæc est sententia Baronij anno Christi 68.*

Vers. 14. ET CADENT IN ORE GLADII.] *Id est per aciem gladij necabuntur. Vnde Iosephus lib. 7 Belli Iu-* *Quot homines occisi & capti sint in excidio Ierosolymitano* *daici cap. 17. ait, tempore obsidionis Ierosolymitanæ mortua esse vndecies centena hominum millia. Addit hic Lucas,* Et captiui ducentur in omnes gentes. *Ex Iosepho ibidem patet capta fuisse nonaginta & septem millia. Et insuper subiungit:* Et Ierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora nationum, *siue omnium gentium, ad finem vsque mundi. Ita Euthymius.*

Vers. 25. Et "erunt signa in sole, & Matth. 24, 29.
lunâ, & stellis: & in terris pressura Gen- Marc. 13, 24.
tium præ confusione sonitus maris, & Isai. 13, 10
fluctuum: Ezech. 32, 7.
26. arescentibus hominibus præ ti- Ioel. 3, 15.
more, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.

17. VIDETVR autem hîc dictionis ordinem confudisse, eò quòd non se- Evsebivs

paratim

paratim posuerit quæ de loci obsidione dicta sunt, ab ijs quæ ad sæculi consummationem referuntur. Diuini vtique Spiritus dispensatione hæc obscuritas contigit: de industriâ enim Dominus à multorum cognitione abscondit, quæ in secreto discipulis manifestauit ac tradidit. Hæc itaque legamus, quasi disiunctim dicta sint, in hunc modum. q.d. Obseruate sæculi consummationem, ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, & quæ sequuntur. Vltimæ autem obsidionis loci, post quam nulla amplius expectanda erit eius instauratio, hoc signū habetote: Cùm videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius, & quæ sequuntur, indicio erunt.

CHRYSOSTOMVS. 18. Hæc mihi quidem videtur prædictio esse belli Iudaici, & vltimæ desolationis loci: illud verò, Erit tribulatio magna, esse dictum de Antichristo & pseudoprophetis: hoc denique, Erunt signa in sole & lunâ, &c. dicta esse de tempore aduentus Christi.

EVSEBIVS. 19. Tunc enim cùm vitæ corruptibilis consummatio agetur, & secundùm Apostolum species huius mundi transibit, nouumque sæculum succedet, in quo vice sensibilium luminariū ipse Christus fulgebit quasi iubar & Rex noui sæculi, cuius tanta erit Diuinitatis virtus & gloria, vt sol qui nunc radiat, atque luna, ceteraque sidera, aduentu maioris luminis occultanda sint, & maioris virtute abscondenda.

Christi quantus splendor in resurrectione.

CHRYSOSTOMVS. 20. Quantò enim lumen solis, lucernæ lumen antecellit, tantò, imò amplius, hoc lumen, solis lucem superat. Atque hoc manifestans dixit quòd sol obscurabitur, id est, propter præsentiā huius splendoris non tam clarus apparebit. Quemadmodum enim in hoc sæculo, noctu quidem lunare iubar fulget, & lucifer ante solis ortum coruscat, ac reliquus astrorum chorus proprio suo lumine totum cælum coronat, sed confestim hæc omnia sole obfuscantur atque dispatent, sole nimirum proprio suo lumine diem mundo exhibente: sic in gloriosâ Christi apparitione sol obtenebrescet, & luna non dabit lumen suum, eò quòd illorum lumina propter gloriam apparentis vnigeniti Dei Filij obfuscanda sint & abscondenda. Et stellæ cadent de cælo, priori spoliatæ amictu, vt potioris lucis amictu potiantur.

BASILIVS in Isa. 13. 21. Perspicuè autem Isaias sæculi consummationem, & vniuersi in melius commutationem describit. Sulatis enim, inquit, lux tum deficiet, lunæ item corpus erit solito splendore destitutum. Non tunc lumen suum exerent stellæ cæli. Non, quidem obtenebrescent ob illustre iubar ab exortu solis prosiliens; hoc enim etiamnum hodierno die fit: Scriptura hic autem nihil eorum quæ naturæ ductu contingunt, exprimit, sed absolutam stellarum obtenebrationem, & vniuersi immutationem.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 22. Ceterùm hoc erit, cùm creatura reformabitur, & solare lumen apparentis Christi luce vincetur. Nam creaturâ incipiente mutari, etiam elementa mutabuntur ac renouabuntur, eritque ingens confusio, id est tribulatio atque mortalitas: nam superueniens terror intolerabilis erit, & multis ad perniciem sufficiet. Vides, vt de consummatione loquitur: nam mala, inquit, superuenient orbi vniuerso, non autem Ierosolymæ, vt suprà dixit. Deinde subiungit.

ANNOTATIONES.

ET ERVNT SIGNA IN SOLE ET LVNA, &c.] *S. Matthæus cap. 24. v. 29. hæc signa magis explicat, dicens:* Statim autem post tribulationem dierum illorum, sed obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo. *Vbi nota, hæc signa non videri fore post resurrectionem, vti volunt SS. Hieronymus & Chrysostomus ad prædictū Matthæi locum, sed ante, vti ex S. Lucâ hic & Ioelis capite 2, 31. patet, vbi ait:* Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. S. AVGVSTINVS *Epist.* 80. Sol, *inquit*, id est Ecclesia, obscurabitur; & stellæ, id est fideles, etiam firmissimi, cadent à fide & gratiâ. *qui sensus allegoricè bonus est. Nam hæc planè ad litteram accipienda esse, communiter alij Patres docent, & satis ex hoc loco Lucæ patet.* VERS. 25. *Quæ signa sint futura in sole & lunâ.*

Quæritur hîc vnde hæc solis obscuratio oritura sit. Respondet hic in Catenâ Eusebius Num. 19. & Chrysostomus Num. 20. vti & Hilarius cum S. Hieronymo in cap. 24. Matth. hoc euenturum ex eo, quòd tanta futura sit Christi claritas ad iudiciū venientis, vt solem obscuratura sit. Verùm cùm ex hoc loco Lucæ & Ioelis supra citato sit ostensum, signa hæc aduentum Christi præcessura esse, verosimilius videtur id fore ex eo quòd Deus concursum suum soli subducendo, lumen ei adempturus sit, vti factum in Christi passione: aut quòd eum fumo vel nebulâ densissimâ occultaturus sit, accedente fortè etiam extraordinariâ quadam & prodigiosâ eclipsi, aut etiam pluribus, vti sentit Lactantius lib. 7. cap. 16. *Vnde sit sol obscurādus.*

Huius rei typum expresserunt excidia illa atrocissima Babylonis, Tyri, Ægypti, & Iudææ, de quibus Prophetæ loquentes per catachresin, dicunt solem obscuratum iri, item lunam & stellas; non quòd reuerà hæc tunc contigerint, sed vt significent cladis atrocitatem, quia videlicet ita homines tum anxij affligebantur, ac si cælum omne ijs obscuraretur ac commoueretur, & quia excidia illa & prodigia, quæ tunc fiebant, erant typus excidij vniuersalis, vbi reuerà ista contingent. Ita P. Cornelius ad Isaiæ cap. 13, 9.

Quæritur hic secundò, quomodo stellæ casuræ sint. Videtur Euthymius sentire, propriè illas de cælo casuras, tamquam nulli amplius vsui futuras. S. CHRYSOSTOMVS *hic Num.* 20. Cadent, *inquit*, priori spoliatæ amictu, vt potioris lucis amictu vestiantur. *Propriè itaque verisimilius non cadent, sed obscurabuntur, & lumen suum retrahent, vt hominibus cala* *Stellæ quomodo de cælo cadant.*

exci-

excidisse videantur: ita enim explicat Ioel. cap 3,15. dicens: Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. *Vbi nota, Scripturam subinde loqui de rebus non vt in se sunt, sed prout hominibus apparent: ita S. Hieronymus, & passim Scholastici. Secundo etiam stellæ dicuntur cometæ, dracones, & meteora quæ in aëre gignuntur.*

Allegoricè quomodo sol & stellæ obscurabuntur. S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 41. in cap. 24. Matth. ita allegorice:* Sol obscurabitur, id est, notitia Christi silebit. Luna non dabit lumen suum, id est, Ecclesia sanctitatis suæ claritatem non demonstrabit. Stellæ cadent de cælo, id est qui videntur sancti transgredientur, & cadent de dignitate cælesti. Nam
Isa. 14, 12. quod de diabolo dictum est, Quomodo cecidit Lucifer de cælo, qui manè oriebatur; sic interpretantur Apostoli, vel sancti, non de altitudine cæli ad terram, sed de Angelicâ dignitate ad ignominiam tenebrarum. Quomodo autem multi transgredientur Christianorum, significat Daniel. Et de eruditis, inquit, cadent multi. Sicut ergo tempestas suscitat nubila, nubila autem cooperiunt solem: sic impiorum persecutio suscitabit transgressionem, transgressio autem Christianitatis obscurabit can-
Ioel. 2, 31. dorem. Vnde Propheta dicit alio loco: Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem. Id est, Ecclesia, aut propter assiduam occisionē Sanctorum, aut quia ipsi Christiani contra iustitiam Christianitatis inter seipsos furentes bellabunt.

VERS. 26. Nam virtutes cælorum mouebuntur.

EVSEBIVS 23. VIRTVTES quæ primum sæculum in priori illâ mundi constitutione gubernabant, quæque præsunt sensibilibus partibus vniuersi, tunc mouebuntur, vt potiorem statum attingant. Absoluentur enim in sæculo nouo à ministerio quo Deo seruiunt circa sensibilia corpora secūdùm cor-
Rom. 8, 21 ruptionis statum, assereturque in libertatem gloriæ filiorum Dei. Omnis enim creatura ingemiscit ac parturit vsque adhuc, corruptioni sensibilium corporum subiecta, & proprium statum seruans in quo constituta est à Domino vniuersi; apparente verò Saluatore, à præsenti hoc statu liberabitur, & in melius commutabitur.

CHRYSOSTOMVS ad Olymp. *Meditatio iudicij extremi.* 24. Quod autem maius est, ipsæ virtutes cælorum mouebuntur, & quidem meritò. Nam etsi nullius sceleris sibi consciæ sunt, neque iudicium subituræ: tamen vniuersum hominum genus conspicientes, atque infinitas nationes causam dicentes, non sine metu illic adstabunt. Tantus videlicet tunc terror erit. Ad formidandi illius diei cogitationem curre, tecumque horrendum illud tribunal considera, incorruptum iudicem, igneos amnes, eos qui pro tribunali raptantur, ardoreque flammę æstuant, peracutos gladios, atroces pœnas, cruciatum sempiternum, tetram caliginem, exteriores tenebras, pestiferum vermem, vincula quæ nullà vi frangi queant, dentium stridorem, eiulatum consolationis expertem, orbis theatrum, vel potius theatrū vtriusque naturæ, hoc est superioris & inferioris. Tunc relaxantur omnes cælorum conuexorum valuæ, ita vt omnem virtutem inuoluant atque concutiant.

25. Hæc inquam considera, eaque argu- IDEM.
menta è quibus elabendi ratio nulla sit. Neque enim accusatoribus iudex ille opus habet, nec testibus, nec argumentis, nec proba- *Strictū Dei iudicium.*
tionibus: verùm omnia vt gesta sunt, in medium proferet, atque ante oculos eorum qui deliquerunt. Tum nemo, qui è supplicio eripiat, affuturus est: non pater, non filius, non filia, non mater, non alius quispiā cognatus, non vicinus, non amicus, non patronus, non pecuniarum largitio, non opum amplitudo, non auctoritatis ac potentiæ tumor; verùm hæc omnia, non secùs ac puluis è pedibus excussa sunt, ac solus is, qui causam dicit, ex ijs quæ ab ipso gesta sunt, vel absoluitur vel condemnatur.

26. Assume in meditationem extremum BASILIVS ad Virginē lapsam.
diem (non enim sola tu sæculum æternum viues) & anxietatem, & suffocationem, & mortis horam, & sententiam Dei vrgentem, & Angelos festinantes, & animam in his grauiter conturbatam, quę à peccatrice conscientiâ amarè flagellatur, & ad ea quæ hîc sunt miserabiliter se conuertit: & ineuitabilem longæ illius peregrinationis necessitatem. Describe mihi in mente tuâ vltimam communis vitæ subuersionem, cùm veniet Filius Dei in gloriâ suâ cum Angelis suis: cùm tuba illa magno & horrendo sono edito excitabit eos qui à condito sæculo dormierunt, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui verò mala perpetrarunt, in resurrectionem iudicij. Reuoca in memoriam diuinam illam Danielis visionē, quomodo nobis iudicium ob oculos ponit.
Aspiciebam, inquit, donec throni positi sunt, Dan 7, 9.
& antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: thronus eius flammæ ig-
nis: rotæ eius ignis accensus. Fluuius igneus *Descriptio iudicij extremi.*
rapidusque egrediebatur à facie eius. Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt. Bona, mala, manifesta, occulta, res, verba, cogitationes, omnia aceruatim vt ab omnibus Angelis & hominibus exaudiri possint, manifestè reuelabuntur. Ad hæc quales necesse est esse eos, qui malè vixerunt? Vbi itaque anima illa mergetur, quæ in tot spectatorum conspectu derepentè turpitudine plena visa est? Quali verò corpore infinita illa & intolerabilia flagella sufferet? vbi ignis inextinguibilis, & vermis indesinenter castigans, & antrum inferni

tenebricosum ac horrendum, & eiulatus amari, & vlulatus indecorus, & ploratus, & stridur dentium, & finem non habent mala. Ab his non datur liberatio post mortem, neque est aliqua industria, neque ars effugiendi amara illa supplicia.

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Rom. c. 8. Hom. 14.

27. Hæc licet nunc effugere. Mentem itaque ac cogitationem ad diem illum conuertito, in quâ Christus ipse venturus est. Non tunc mulorum iuga videbis, neque aureos currus, neque dracones clypeosque, sed quæ horrore multo plena cùm sint, tantam nobis mentis percullionem emotionemque afferunt, vt vel ipsæ incorporeæ virtutes ad ea obstupescant. Cælorum enim, inquit, virtutes mouebuntur. Tum enim vniuersum cælum aperitur, tum conuexorum illorum valuæ relaxantur: descendit autem vnigenitus Dei Filius, non viginti, non centum hastatis satellitibus stipatus, sed chiliadibus, myriadibus Angelorum, Archangelorum, Cherubim, Seraphim, ceterarumque virtutũ, eruntque omnia & timore & terrore plena, terrâ ipsâ cum vehementiâ & fragore elisâ, hominibus ijs omnibus qui vnquam fuerunt, ex quo creatus est Adam vsque ad illum diem, è terrâ exurgentibus & euulsis, ipso Christo tantâ eum gloriâ sese ostendente, vt luna, & sol, & omne aliud lumen occultetur à splendore illo illuminatum. Quæ tandem oratio repræsentabit illam beatitudinem, claritatem, gloriam? Heu me miserum! Etenim succurrit mihi nunc vt lacrymer, & ingemiscã valdè, dum animo lustro quibus excidimus bonis, à quâ alienati sumus felicitate: nam alienati certè sumus (vicem interim narro meam) nisi si quod magnum admirandumque opus ediderimus. Ne mihi igitur quisquam hîc gehennam allegat: quauis enim gehennâ grauior tantæ illius gloriæ priuatio, quibusuis supplicijs deterior quietis illius alienatio. Considera mihi igitur vitæ illius statum, vt ex hac consideratione percellaris.

ANNOTATIONES.

VERS. 26 VIRTVTES CÆLORVM MOVEBVNTVR.] *Origenes in cap. 24. Matthæi, & S. Chrysostomus hîc Num. 24. & 27. per virtutes illas intelligunt Angelos, qui attoniti ad tantas mutationes & terrores obstupescent; aut vt Eusebius suprà Num. 23. commouebuntur, quia tamquam ministri iustitiæ Dei commouebunt ordinem vniuersi, & modum mouendi cælos mutabunt. Magis tamen propriè & S. Lucæ conformius intelligendum videtur, vt ipsamet sidera & cæli cardines, quæ hîc appellantur virtutes, id est firmamenta cælorum, commoueantur, idque ad homines qui hoc videbunt percellendos. Hoc enim Deo & factu facile est, & terrori incutiendo apprimè conueniens, & tantæ perturbationi conforme. Vel etiam sic posset accipi, vt videlicet cæli mutent motus suos, aspectus & influentias. Itaque omnia in terris perturbabuntur, accedentibus fulgetris, nubibus, cometis, alijsque meteoris ac tempestatibus, quibus ita aër infestetur atque turbetur, vt cæli cardines conuelli videantur.*

VERS. 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ, & maiestate.

CYRILLVS

28. VENIET, inquit, Filius hominis, non amplius in humilitate aut paruo apparatu ad nos, sed in gloriâ & virtute Diuinitatis, & in vtraque quidem permagnâ secundam celebrabit apparitionem, cùm primam prosecutus sit cum infirmitate & humilitate.

29. Quapropter modò semper in nube apparet Deus. CHRYSOSTOMVS.

ANNOTATIONES.

VERS. 27 *Quod sit signũ filij hominis, & quomodo parebit.*

ET TVNC VIDEBVNT FILIVM HOMINIS] *S. Matthæus c. 24 v. 30 habet:* Et tunc parebit signum filij hominis in cælo. *Scilicet signum sanctæ Crucis. Hoc enim signum est, & quasi vexillum Christi, & causa victoriæ fidelium; & quæ infidelium & impiorum olim scandalum fuit, tunc eorumdem condemnatio erit atque tormentum, vti pulchrè S. Chrysostomus, Hieronymus, Beda, Hilarius, & Auctor Imperfecti ad Matth. cap 24 & fusè S. Augustinus Serm. 130. de Tempore. Hanc autem ipsissimam fore Christi Crucem, docet Chrysostomus Homiliâ de S. Cruce, & VValdensis tomo 3. de Sacramentis tit. 20. cap. 158. Imò & Sibylla lib. 6. Carm. Anselmus tamen in Elucidario & Abulensis in cap. 24. Matth. putant tantum fore signum Crucis ex aëre & in aëre formatum. Docent autem Chrysostomus & Augustinus locis iam citatis, & Cyrillus Catechesi 15. hoc vexillum Crucis ab Angelis deferendum esse ante conspectum Christi Iudicis descendentis ad iudicium.*

VERS. 28. His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra: " quoniam appropinquat redemptio" vestra. Rom. 8, 23.

EVSEBIVS

30. ACCEPTIS enim Dei promissis quæ speramus, erigemur qui antè curui fueramus, & eleuabimus capita nostra, humiliati quondã, eò quòd redemptio nostra, quam sperabamus, aderit, illa scilicet quam tota creatura expectat secundùm doctrinam Apostolicam, quã Paulus suscipiens suspirat salutaribus votis. Opportunè siquidẽ tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum gloriâ, quemadmodum prophetauit Daniel dicens: Et ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum. Ac tunc Dan. 7, 13. quidem Propheta diuino Spiritu afflatus, quod futurum erat prçuidit: tempore autem consummationis, vt Saluator ait, omnes videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magnâ, & viuificatiuâ & illumina-

minatiuâ sæculi noui, & cum gloriâ Patris, Diuinitatis scilicet. Quando autem hæc erunt? cùm videlicet implebuntur tempora nationum. Prædefiniti enim nationibus diei impletio signú erit consummationis mundi. Quanta autem & qualia illa signa futura sint, cum Matthæo Lucas refert. Oportebat enim ad magni luminaris, Dei scilicet Verbi, secundam præsentiam, quæ cum magnâ
Præuia signa diei iudicij. potestate ac gloriâ existet, solem & lunam ceteraque astra retrocedere, & occultari, quò Filius hominis splendore inusitato nouum sæculum illustret, prioris mundi figurâ transeunte, secundú Apostoli testimonium dicentis: Præterit enim figura huius mundi. Eius autem figurâ prætereunte, transibit vnà sol, & luna, atque astra. Sol autem tunc obscurabitur, non quòd proprio suo priuandus sit lumine, sed quòd præsentiâ melioris sit obfuscandus. Verùm instauratione vniuersi factâ defectum ac laború suorum vicariam accipiet remunerationem, septuplicatum lumen recipiens. Tunc & luna erit lucida vt sol, sed & astra similiter commutabuntur in melius. Sed sol quoque tunc & luna quiete fruentur, nec vllus ampliùs erit astrorum vsus aut necessitas, nocte ampliùs non existente. Illa igitur etiam quiescent quasi rude donata, vnà cú cælo. Neque tamen nouum hoc sæculum suo lumine aut sole, lunâ astrisque omnino destituetur, sed Sol illud iustitiæ Christus illustrabit, qui animas sanctas illuminat.

Quæ autem euentura sint orbi post luminarium obtenebrationem, ex quibus fiet angustia Gentium, consequenter exprimit dicens: Et in terris pressura gentiú, præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus. Vbi videtur docere, principium transmutationis vniuersi futurum ex defectu substantiæ humidæ. Hac enim primâ deuoratâ vel congelatâ, vt non ampliùs audiatur sonitus maris, nec contingant arenam fluctus eius, causâ exuberantis siccitatis, ceteræ mundi partes non ampliùs vaporem solitum obtinentes, ex substantiâ humidâ emissum, transmutationem patientur. Vnde etiam existent signa in sole & luna & astris. Dissolutione autem omnium factâ, & consummatione mundi, & figurâ eius transeunte (prima siquidem transibunt, vt secúda succedant,) consequés erat vt & luminarium fierent transmutationes, quæ vltimis temporibus erunt defectionis indicia. Et sic cùm apparitio Saluatoris repugnantia Deo prodigia debeat confutare, à siccitatibus furoris procemia exordium sument, vt nec tempestas nec fremitus maris vltrà audiatur. Quo facto, subsequetur angustia superstitum hominum, vnde sequitur, Arescentibus, id est tabescentibus hominibus præ timore & exspectatione quæ superuenient vniuerso orbi. Quæ autem tunc ingruant mundo, consequenter ostendit subdens, Nam virtutes cælorum mouebuntur. Cùm enim Dei Filius veniet in gloriâ, elatam filij peccati tyrannidem confuraturus, ministerio Angelorum cæli fores à sæculo clausæ patebunt vt excelsa spectentur. Sic itaque sensibilibus transeuntibus, intelligibilia & cœlestia constituentur, & immutabile regnú sæculi numquam transituri stabilietur, & cælum terraque, vt Propheta ait, noua erunt, & dignis salutares reddentur promissiones, propter quod & Saluator dicit: His autem fieri incipientibus, leuate capita vestra, & quæ sequuntur.

Vers. 29. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam, & omnes arbores:
30. cùm producunt iam ex se fructum, scitis quoniam propè est æstas.
31. Ita & vos cùm videritis hæc fieri,
scitote quoniam propè est regnú Dei.

31. Hæc talia ac tanta quæ prædicta Evsebivs
sunt signa, nempe Ierosolymæ ab Ethnicis euersionem, temporum gentilium consummationem, tempora apostasiæ, ac à fide defectionem, signa quoque in astris & luminaribus, in terrâ confusioné Gentium,
sonitum & tumultum maris, Hæc, inquit, Matth. 24.
omnia cùm videritis, scitote quia propè est 13.
in ianuis regnum Dei; quod omnino aliud est à prædictis. Illa siquidem procemia sunt, & futurorum bonorum signa, quemadmodum tenera arboris fici folia, ac rami, futuræ messis indicia sunt, & fertilitatis, fructuum, ac seminum reliquorum. Prædicta itaque, futuri sæculi, ac in eo constituti nobis cælorum regni, preludia atq; indicia sunt. Ipsum autem regnum & quæ in eo sunt, nec sermone explicari, nec mortalibus excipi auribus possint, quapropter silentio transeunda sunt: nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sicut autem in hac vità sol hieme recedente, ac succedente vere, radium calidum mittens, fouet atque viuificat condita humi semina, priscam figuram exuentia, pullulant autem noua varium habentia virorem; sic & gloriosus Vnigeniti Dei aduentus viuificatiuis radijs nouum sæculum illustrans, illudum condita per totum mundum semina, dormientes nempe in terræ puluere, melioribus quàm antè corporibus producet in lucem, ac morte confutatà, noui deinceps sæculi vità regnabit.

Vers.

VERS.32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

EVSEBIVS 32. SED qualis generatio? noua vtique quam ipse constituit. Generationem autem inquit, non illos tantùm qui tunc viuebant homines, sed qui illis essent instituto ac moribus similes; sic enim & alibi generatio sumitur, vt in illo Psalmo, Hæc est generatio quærentium Dominum.

VERS.33. Cælũ & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

TITVS. 33. HIC & elementorum consummationem prædicit, simul & declarat Ecclesiam cælo & terrâ esse digniorem cùm dicit, Verba mea transire non possunt, tametsi elementa prætereant. Facilius enim est aboleri quæ fixa sunt & immobilia, quàm verborum aliquod meorum intercidere.

VERS.34. Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis huius vitæ: & superueniat in vos repentina dies illa:

35. tamquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.

EVSEBIVS. 34. EXCITAT hîc discipulos vt semper parati sint ad aduentum Domini: ad quem vt nos prepararet, omnem suam doctrinam & sermonem ordinauit, sobrios nos esse iubens & vigilantes totâ hac vitæ mortalis nocte, ne quod nulli adhuc cognitum est tempus consummationis superueniat, & apprehendat incautos, sed eius lectionem accuratè discamus, momenta singula obseruantes.

CLEMENS in Pædag. lib 2. c. 2. 35. Est autem ebrietas, nimius vsus vini. Debacchatio verò, quod ex huius vsu suscipitur dedecus. Crapula verò fastidium & nausea quæ est in ebrietate, à motione capitis Græco vocabulo dicta. Cura autem huius vitæ quamuis nihil inhibitorum continere videatur, si tamen ad cultum diuinum non coadiuuet, vitanda est.

TITVS. 36. Cauete verò ne lumina mentis vestræ grauentur: cura namque præsentis vitæ, & crapula & ebrietas fugant prudentiam, quassant fidem, naufragia operantur.

CLEMENS in Pædag. sup. 37. Cor quidem multo potu obruitur, vini autem temulentia maris minis comparatur, in quâ corpus, tamquam nauis, demersum, turpitudinis profundum subijt, decumanis vini fluctibus obrutum. Gubernator autem, mens scilicet, supereminentis ebrietatis fluctu circumagitur: & in mari versans caligat, & propter procellæ tenebras à portu veritatis aberrat, donec in saxa in mari latentia irruens, seipsum in voluptates impactum perdiderit. Vinum siquidem mentem obruit, & passiones voluptatesque instar agminis apum excitat.

38. Quemadmodum igitur cibo, vt non esuriamus, ita etiã potu ne sitiamus vtendum est, diligenter cauendo ne labamur: vini enim ingestio res valdè lubrica est & periculosa. Ita autem erit anima nostra pura, sicca & luminosa. Ipsa verò sicca anima, est sapientissima & optima, atque adeò etiam contemplatiua. Quæ verò vini vaporibus est humectata, quasi quadam nube velatur. IDEM.

VERS.36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

39. STATE ergo succincti lumbos vestros in veritate. Si enim lumbi cingulo constricti sint, faciunt vt corpus somnum non admittat, laborum sensu relaxationem somni reijciente. Quali autem vigiliâ opus est? memoriæ scilicet, pietatis, intelligentiæ, vt semper orantes Deum conuenientes ei offeramus supplicationes, quò & mala ista hîc effugere, & ibi visionem Dei consequi mereamur, non procul constituti, sed proximâ statione dignati. NYSSENVS Orat. 11. in Cant. Eph. 6. 14.

VERS.37. Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliueti.

38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

SVPPLEMENTVM.

Inserenda hoc loco parabola illa de decem virginibus quam à ceteris Euangelistis omissam describit

S. MATTHÆVS CAP. XXV.

VERS.1. Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiàm sponso & sponsæ.

2. Quinque autem ex eis erant fatuę, & quinque prudentes:

3. sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleũ secum:

4. prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

5. Moram

5. Moram autem faciente ſponſo, dormitauêrunt omnes, & dormierunt.

6. Mediâ autem nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obuiàm ei.

7. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades ſuas.

8. Fatuæ auté ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur.

9. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis.

10. Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.

11. Nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis.

12. At ille reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos.

Matt. 13, 33. 13. * Vigilate itaque, quia neſcitis diem, neque horam.

Scopus parabolæ. HVIVS *parabolæ, vti & præcedentis ferè capitis totius, ſcopus eſt, vt ſemper bonis operibus inſiſtamus, & parati ſimus ad incertum Domini aduentum. Quòd autem hic de decem iſtis virginibus ſcribitur,* quòd exierunt obuiàm ſponſo & ſponſæ, *in Græco ſolùm habetur;* ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου, *hoc eſt,* Exierunt obuiá ſponſo, *omiſſo ille* & ſponſæ. *quod etiam omittunt Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius. Eſt tamen omnino retinendum, & legendum cum Romanâ editione Vulgatâ, & Syro, Origene, Hilario, & S. Auguſtino epiſt. 120. Vbi pro meliori parabolæ intelligentia*

Ritus nuptiarum antiquus. *Nota Primò, Nuptias apud veteres noctu celebrari ſolitas, & ſponſum veſpere ædes ſponſæ ſuæ adire conſueuiſſe, vbi lautè atque honorificè exceptus, ſponſam inde ad ædes ſuas, aut certè ad amplã conuiuij domum deducebat, ibique nuptias celebrabat ac conſummabat. Pueri autem & virgines vtrique honoris causâ obuiam prodibant, præferentes pronubas tædas, maximè ex ſpinâ albâ, eaſque quinque, teſte Plutarcho in Problematis. Hac de re vide Alexandrum ab Alexandro lib. 2. Genialium dierum c. 5. & ibidem Tiraquellum in Notis. Iudæi autem non videntur copiam aut vſum ceræ habuiſſe, ſed olei. Vnde hîc & ferè ſemper in Scripturis mentio fit lampadum ac lucernarum, & rarò vel vix vnquam candelarum.*

Sponſus Chriſtus. Sponſa Eccleſia. *Nota Secundò, Partes in hac parabolâ maximè notandas eſſe, Primò,* ſponſum, *qui eſt Chriſtus. Secundò,* ſponſam, *quæ eſt Eccleſia, cuius iam aguntur ſponſalia, ſed in futurâ reſurrectionis gloriâ erunt nuptiæ æternæ. Tertiò,* virgines, *quas S. Chryſoſtomus cum ſuis, & S. Auguſtinus atque Gregorius, ſolas & omnes veras virgines accipiunt. Verum hæc acceptio nonnihil arctior videtur pro ſcopo Chriſti ſuperiùs aſſignato. Rectè tamẽ ab Eccleſia in Officio diuino virgini-*

Virgines fideles. *bus, vtpote nobiliſſimis eius membris, accommodatur. Hîc tamen nomen virginum non ita propriè ac ſtrictè pro primario ſuo ſignificato ſumi videtur, ſed nonnihil laxiùs, vel potius ipſæ virgines aſſumuntur ad aliquid aliud ſignificandum, ſcilicet ipſos fideles, vtpote fide ſinceros atque integros, vti P. Cornelius explicat illud Pauli 2. ad Corinthios cap. 11, 2.* Deſpondi vos vni viro, virginem caſtã exhibere Chriſto. *Decem autem hîc numerantur, quia denarius multitudinis & vniuerſitatis eſt ſymbolum, & familiaris Scripturæ propter Decalogum. Ita Hieronymus & Origenes hîc.*

Quartò, Lampas *eſt fides, vt aiunt Hieronymus, Hilarius, Origenes; aut mens fidelis.* *Lampas eſt fides.*

Quintò, Oleum *ſunt bona opera, ſine quibus fides mortua eſt & quaſi extincta, cum ijs verò viua eſt & accenſa.* *Oleum bona opera.*

Sextò, prudentes *ſunt ea quæ fidem habent cum operibus miſericordiæ, charitatis, & aliarum virtutum.* *Prudentes virtutis ſtudioſi.*

Septimò, fatuæ *ſunt, quæ ſolam habent fidem. Ita Origenes, Hilarius, & Auctor Imperfecti. Harum lampades extinguuntur: licet enim reuera ſint extinctæ, tamen hominibus exteriùs per profeſſionem fidei & communionem Sacramentorum, ſpeciemque honeſtam ardere videbantur: in morte verò & iudicio, ijs euaneſcentibus, videbunt eas extingui.* *Fatuæ ſunt impij Chriſtiani.*

Octauò, vas *eſt conſcientia aut anima.* *Vas, conſcientia.*

Nonò, mora ſponſi *eſt tempus pœnitentiæ ac bonorum operum huius vitæ. Ita S. Hieronymus & Hilarius hîc.* *Mora tẽpus præſens.*

Decimò, dormitare *eſt mori;* dormire, *mortuum eſſe.* *Dormitio mors.*

Vndecimò, mediâ nocte. *Hinc S. Chryſoſtomus & Euthymius probabile putant, ſecundum aduentum Chriſti ad iudicium mediâ nocte futurum: & S. Hieronymus in Aureâ catenâ citatus eam vocat Apoſtolicam traditionem, vt eâ de cauſâ in Paſchate populum ante mediam noctem dimittere non liceat, eò quòd Chriſtus, ſicut olim tempore mediæ noctis in Ægyptum ad cædem primogenitorum & liberationem Hebræorum venit, ita & mediâ nocte ad iudicium venturus credetur. Verùm quidquid hac de re ſit, incerta hæc eſt traditio, alijque æquè probabiliter putant manè venturum eſſe Chriſtum.* Mediâ nocte *ergo, id eſt, inexſpectatè: itaque Hilarius, S. Gregorius & Hieronymus alijque accipiunt.* *Media nox inopinatus Chriſti aduentus.*

Duodecimò, clamor *eſt vox tubæ mortuos ſuſcitantis, & ad iudicium citantis. Ita Origenes & Chryſoſtomus ad hunc locum.* *Clamor vox tubæ mortuos ſuſcitantis.*

Reliqua autem ferè ſolùm ſunt emblemata, tantùmque ſignificant, eos qui hîc fuerint negligentes, poſt mortem nimis ſerò velle eſſe diligentes, ſibique bona opera tunc fruſtra velle comparare. Imò, vt ait Auctor Imperfecti, in tam horrendo iudicio nemo erit qui ſibi ſatis confidat, aut ſufficientia bona opera habere videatur.

Qui itaque hanc parabolam de virginibus corpore interpretantur, ita eam explicant, vt per illam ſignificetur, non ſatis eſſe ſeruare virginitatem, niſi hanc reliquæ virtutes comitentur.

S. CHRYSOSTOMVS *in Aureâ catenâ,* Ideò, *inquit,* ponit parabolam hanc in virginum perſonâ, vt oſtendat, quòd licet virginitas magnum quid ſit, tamen ſi ab operibus miſericordiæ ſit deſerta, cum adulteris foras eijcietur. S. HIERONYMVS *in Epiſt. de Laude virginitatis ſimiliter dicit:* Nihil virginitas ſola proficiet, quæ cæleſtis regni gloriam ſperat, niſi & aliud habuerit cui promittatur perpetua vita. Ante ergo omnia pudicitiam integritatemque ſeruantibus, & eius remunerationem ſperantibus, man- *Virginitas ſine alijs virtutibus nil prodeſt.*

mandatorum sunt custodienda præcepta, ne gloriosæ castitatis & continentiæ labor in irritum deducatur. Supra mandatum enim esse virginitatem, Apostolus ait inquiens: De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Tunc autem proderit magis fecisse quàm iussum est, si quod iussum est feceris. Cupiens diuinum implere consilium, ante omnia serua mandatum. Tres sunt species per quas regni cælestis possessio acquiritur. Prima est pudicitia, secunda mundi contemptus, tertia verò iustitia: quæ vt connexæ plurimùm se possidentibus præstant, ita non possunt diuisæ prodesse. In primis igitur quæritur pudicitia, vt faciliùs subsequatur mundi contemptus: quia ab illis mundus contemni leuiùs potest, qui matrimonij nexibus non tenentur. Mundi verò contemptus exposcitur, vt iustitia conseruetur, quam difficilè implere possunt, qui sæcularium bonorum cupiditatibus, & mundanarum voluptatum negotijs implicantur. Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitiæ, & secundam, quæ est mundi contemptus, non obtinet, pænè sine causâ possidet primam, quando secundam non habet, propter quam quæsita est prima. Si primam & secundam habet, cui tertia, quæ est iustitia, desit, frustrà laborat, quoniam superiores duæ propter tertiam præcipuè requiruntur. Quid enim propter mundi contemptum prodest pudicitiam habere, & propter quod eam habeas, non habere? Vel, cur res mundi contemnas, si iustitiam, propter quam pudicitiam & mundi contemptum habere te conuenit, non custodias? Iustitiam autem voco, non peccare, & legis præcepta seruare. Præceptorum verò obseruatio duplici genere custoditur, vt nihil eorum quæ prohibentur facias, & cuncta quæ iubentur, implere contendas, &c.

Virginitas ad mundi contemptũ & iustitiã ordinatur, sine quibus nil prodest.

S. AVGVSTINVS *lib. 83. Quæstionum, examinans & explicans Euangelium decem Virginum, ait:* Decem numerus virginum, quarum quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum & malorum discretionem significat. Quapropter si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis exclusisque commune est? Deinde quid sibi vult numerus in vtraque parte quinarius? quid autem significat oleum? Mirum videtur item, quòd sapientes petentibus non communicant, cùm & inuidere fas non sit eas, quæ ita perfectæ sunt vt à sponso recipiantur (quo nomine nullo dubitante Dominus Iesus Christus significatur,) & misericordes esse oporteat ad præstandum ex eo quod habent; præscribente illâ sententiâ eiusdem Domini dicentis: Omni poscenti te tribue. Quid est autem quod possit dando non sufficere vtrisque? Hæc maximè augent quæstionis difficultatem; quamquam & cetera diligentiùs considerata, vt omnia in vnam rationem concurrant, nihilque in vnam partem dicatur, quod impediat aliam, magna cautio adhibenda est. Videntur itaque mihi quinque virgines significare quinquepartitam continentiam à carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim Deo fit, vt illi placeatur in interiori gaudio conscientiæ, partim coram hominibus tantùm, vt gloria humana capiatur; quinq; dicuntur sapientes & quinque stultæ; vtræque tamen virgines, quia vtraque continentia est, quamuis diuerso fomite gaudeant. Lampades autem sunt, quia manibus

Varia quæstiones circa parabolam virginum.

Luc. 6,30.

Quinque virgines quid mysticè significent.

Lampades quid.

gestantur, opera, quæ secundùm continentiam istam fiunt. Dictum est autem, Luceant opera vestra coram hominibus. Omnes verò acceperunt lampades suas, & venerunt obuiàm sponso. Intelligendum est ergo, Christi nomine censeri, de quibus agitur: non enim possunt qui Christiani non sunt, sponso Christo venire obuiàm. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, non sumpserunt oleum secum. Multi enim quamuis de Christi bonitate multùm sperent, gaudium tamen non habent, dum continenter non viuunt, nisi in laudibus hominum. Non ergo habent oleum secum: nam ipsam lætitiam oleo significari arbitror. Propterea vnxit te Deus, inquit, oleo exultationis. Qui autem non propterea gaudet, quia Deo intrinsecùs placet, non habet oleum secum. Prudentes verò acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus. Id est, lætitiam bonorum operum in corde atque conscientiâ posuerunt: sicut Apostolus monet, Probet se homo, & sic laudem habebit in semetipso, & non in altero. Tardante verò sponso dormitauerunt omnes: quia ex vtroque genere continentium hominum, siue eorum qui coram Deo exultant, siue eorum qui in laudibus hominum acquiescunt, moriuntur hoc interuallo temporis, donec in aduentu Domini fiat resurrectio mortuorum. Mediâ autem nocte, id est, nullo sciente, aut sperante (quippe cùm ipse Dominus dicat: De die autem illâ & horâ nemo scit. & Apostolus: Dies Domini tamquã fur in nocte veniet. Ex quo significatur eum penitus latere, cùm venerit:) clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiàm ei. In ictu oculi, in nouissimâ tubâ omnes resurgemus. Ergo surrexerunt omnes virgines illæ, & aptarunt lampades suas, id est, rationes reddendas operum suorum. Oportet enim nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Dixerunt stultæ sapientibus: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Quorum enim facta alienâ laude fulciuntur, eâdem subtractâ, deficiunt. Itaque hominum, qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est. Responderunt prudentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis. Vnusquisque enim pro se rationẽ reddet, nec alieno testimonio quisquam adiuuatur apud Deum, cui secreta cordis apparent, & vix sibi quisque sufficit vt ei testimonium perhibeat conscientia sua. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Inde est quòd Apostolus ait: Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico. Quapropter cùm de seipso quisque, aut non omnino, aut vix posset veram ferre sententiam, quomodo potest de alio iudicare, cùm nemo sciat quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Non consilium dedisse putandæ sunt, sed crimen earũ ex obliquo commemorasse. Vendunt enim oleum adulatores, qui siue falsa siue ignorata laudando, animas in errorem mittunt, & eis vana gaudia tamquam fatuis conciliando, non intelligunt illis dictum esse, Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt. Melius est autem obiurgari à iusto, quàm à peccatore laudari. Corripiet, vel emendabit, me iustus in misericordiâ, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ite ad vendentes, & emite vobis. id est, Videamus nunc, quid vos adiuuent

Matt. 5,16

Oleum quid.

Psal. 44,8.

Mora sponsi quid.

Gal. 6,3.

Quid clamor, occursus, &c.

Matth. 24,36.

1. Thess. 15,52.

2. Cor. 5,10

Vt cuique vix suum oleum sufficiat.

Prou. 20,9.

1. Cor. 4,3.

Fatuæ vnde oleum habent.

1. Cor. 2,4.

Isa. 3,12.

Psal. 140,5

Adulatores quale clerũ vendant. uent, qui vobis laudes vendere consueuerunt, & vos in errorem inducere, vt non coram Deo, sed ab hominibus gloriam quæratis. Euntibus illis emere, venit sponsus: id est, inclinantibus se illis in ea quæ foris sunt, & solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non nouerant, venit ille qui iudicat. Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias: id est, quibus bonum coram Deo testimonium conscientia perhibebat, intrauerunt ad nuptias, id est, vbi munda anima, puro & perfecto, sempiternoque Dei Verbo fecundata copulatur. Et clausa est ianua: id est, receptis illis qui sunt in

Ianuam claudi, quid sit, &c. *1. Cor. 15, 51.* Angelicam vitam immutandi (quia omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:) clausus est aditus ad regnum cælorum. Non enim post iudicium patet precum aut meritorum locus. Venerunt virgines fatuæ, sed non dictum est, quòd emerunt oleum, & ideò intelligendæ sunt, nullo iam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustijs & magnis afflictionibus implorare Deum. Quod verò sponso dixit obuiàm venire virgines, sic intelligendum puto, vt ex ipsis virginibus constet ea quæ dicitur sponsa. Nunc enim desponsata est Ecclesia, & virgo est ad nuptias deducenda, id est, cùm se contineat à corruptione sæculari. Illo autem tempore nubet, cùm vniuersâ mortalitate in eâ pereunte, immortali coniunctione fruetur.

2. Cor. 11, 2. Desponsaui enim vos vni viro, inquit, virginem castam exhibere Christo.

ORIGENES *in aureâ Catenâ*, Vel sensus, *inquit*, omnium qui receperunt verbum Dei, virgines sunt. Tale est enim verbum Dei, vt de suâ munditiâ accommodet omnibus qui per suam doctrinam recesserunt ab idolorum culturâ, accesserunt autem per Christum ad Dei culturam. Vnde sequitur, Quæ accipientes lampades suas exierunt, &c. Accipiunt enim lampades suas, id est organa sua naturalia, & egrediuntur de mundo & erroribus, & veniunt obuiàm Saluatori, qui semper paratus est venire, vt ingrediatur simul cum dignis ad beatam sponsam Ecclesiam.

Quinque sensus spiritualiter. S. HIERONYMVS *ibidem*: Sunt enim quinque sensus qui festinant ad cælestia, & superna desiderant. De visu autem & auditu & tactu specialiter

1. Ioã. 1, 1. dictũ est: Quod vidimus, quod audiuimus, quod oculis nostris perspeximus, & manus nostræ pal-

Psal. 33, 9. pauerunt. De gustu: Gustate & videte quoniam

Cant. 1, 4. suauis est Dominus. De odoratu: In odorem vnguentorum tuorum currimus. Alij autem sunt quinque sensus terrenis fecibus inhiantes, per fatuas videlicet virgines significati. *Sed hic notandum est*

Olei id est misericordiæ defectu damnantur virgines. S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 6 in Epist. 1. ad Timotheum*: Virginibus fatuis non incestus, non adulterij, non inuidiæ, non liuoris, non ebrietatis, non infidelitatis, aut peruersæ fidei crimen inuritur, sed olei tantùm defectus: quia scilicet misericordiam non exercuerant, neque eleëmosynas fecerant. id enim significat oleum. Et illi item qui supremæ damnationis sententiam luent, quibus dicitur,

Matth. 25, 41. Discedite maledicti in ignem æternum, solùm quòd Christum non pauerint, crimine exagitantur, nullaque ceterarum mentio fit. Vides certè vt eleëmosyna sola neglecta, gehennæ ignibus tradat.

Cur incerta sit dies mortis & aduentus Dei. *Conclusio autem totius parabolæ est*, Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam. S. CHRYSOSTOMVS *Homil. 51 in cap. 25. Matthæi de inexspectato Domini aduentu agens*, Quâ, *inquit*, ratione homini absconditus est dies mortis suæ? Videlicet, vt semper benefaciat, semper mortem suam sperans. Eâdem ratione, & ab omnibus hominibus absconditus est dies aduentus Christi, vt non vna tantùm generatio saluetur, sciens aduentum ipsius, sed omnes, dum in singulis quibusque generationibus Christi aduentus speratur. Vnde interrogantibus se discipulis suis, Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel; respondit: Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate. Illud autem scitote, quia si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Paterfamilias

Quomodo assiduè vigilandum in custodiâ domus nostra. est vnusquisque secundùm animâ in domo patris sui, fur autem diabolus est, domus autem nostri corpora, ianuæ sunt sensus. Sicut ergo per ianuas citò ingreditur latro, & spoliat patremfamilias, sic per sensus facilè inuenit diabolus occasionem ad animam, & facit eam captiuam. Si ergo vis esse securus, vigila, pone seram ianuæ tuæ, id est legem diuini timoris ori too, vt dicas cum Prophetâ: Dixi, *Psal. 38, 2.*

Custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ. Posui ori meo custodiam. Item Sapientia docet: Obstrue aures tuas spinis, ne audias verba *Eccl. 28, 19*

maligna. Sed quoniam fragiles sunt nostræ seræ, nisi Deus illas securas fecerit; quia nisi Dominus cu- *Ps. 126, 1.*

stodierit ciuitatẽ, frustrà vigilat qui custodit eam: rogemus Dominum: Pone Domine custodiam ori *Ps. 140, 3.*

meo, & ostium circumstantiæ labijs meis. Item quia fragiles sunt seræ fenestrarum nostrarum, Dominum innocemus, cum Prophetâ dicentes: *Ps. 118, 36.*

Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam: auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Quid ergo? Nescit anima quando per illos introitus fur ingreditur super eam? Verè nescit. Et quidem quando ducitur ad peccatum, scit; quando autem ingreditur, nescit. Ideò vigilare debet, & claudere omnes istos introitus: os quidem narrationibus sanctis, aures auditionibus pijs, oculos consideratione mirandorum operum Dei, mentem cogitationibus occupare cælestibus. Si ergo, te negligente domum corporis tui hoc modo seruare, ingressus fuerit fur diabolus, & furatus fuerit vestimenta iustitiarum, quibus te renatum in Baptismo induit Deus: si furatus fuerit aurum intellectus tui, si diuinorum eloquiorum argentum, si quæ dedit tibi Deus cùm te adoptaret in filiũ, ceterasque diuitias spirituales tollens de dormiente, fecerítque te mendicum & nudum sicut serpens Adam, quid facies? quomodo nudus ante conspectum Domini tui accedes? Et ille quidẽ nudatus abscondit se inter ligna paradisi, tu autem sub quâ scissurâ petrarum te abscondes à facie Domini, cùm venerit confringere terram? Et Adam quidem à Deo quæsitus est & inuentus, tu autem abijcieris & peribis.

Post illam de Virginibus subiungit S. Matthæus ibidem aliam de talentis.

VERS. 14. "Sicut enim homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. *"Luc. 19, 12.*

15. Et vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim.

16. Abijt autem qui quinque talenta accepetat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque.

17. Similitet & qui duo accepetat, lucratus est alia duo.

18. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui.

19. Post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis.

20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

21. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

22. Accessit autē & qui duo talēta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum.

23. Ait illi dominus eius: Euge serue bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

24. Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti:

25. & timens abij, & abscondi talentum tuum in terrâ: ecce habes quod tuum est.

26. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male, & piget, sciebas quia meto vbi non semino, & congrego vbi non sparsi:

27. oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens ego recepissem vtiq; quod meum est cum vsurâ.

28. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.

*Matt. 13, 12. Marc. 4, 25 Luc. 8, 18. 19, 26. 29. *omni enim habenti dabitur, & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.

30. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

NOTA, hanc parabolam similem esse illi de quâ S. Lucas supra cap. 19. vers. 11. sed in nonnullis discrepat. Vnde S. Chrysostomus putat diuersas esse parabolas, aut vnam diuersimodè repetitam. Hic autem maxime notanda, & ad scopum parabola (qui est, ostendere quomodo acceptis Dei donis ad eius gloriam rectè vti debeamus) applicanda occurrunt,

Primò, homo, qui Christus, peregrè profectus in cælum, quasi longo tempore abfuturus: ita S. GREGORIVS in Catenâ aureâ, Homo, inquit, ille qui peregrè proficiscitur, Redemptor noster est, qui in eâ carne quam assumpserat, abijt in cælum. Carnis enim locus proprius terra est, quæ quasi ad peregrinandum ducitur, cùm per Redemptorem nostrum in cælo collocatur.

Homo proficiscens est Christus.

Secundò, serui sunt omnes fideles. Vndè S. HILARIVS in aureâ Catenâ, Seruus, inquit, ille qui quinq; talenta accipit, populus ex lege credentium est; ex quâ profectus meritum ipsius rectè impletâ Euangelicæ fidei operatione duplicauit. Ille seruus, cui duo talenta commissa sunt, Gentium populus est, fide atq; confessione & Filij iustificatus & Patris, Dominum nostrum Iesum Christum Deum atque hominem ex spiritu & carne confessus est. Hæc ergo huic sunt duo talenta commissa. Sed vt populus Iudæorum omne sacramentum quod in quinque talentis, id est in lege cognouerat, id ipsum fide Euangelij duplicauit: ita iste incremento duorum talentorum, intellectum atque operationem promeruit. Iste seruus qui vnum talentum accepit, & in terrâ recondidit, populus est in lege persistens, qui propter inuidiam saluandarum Gentium in terrâ acceptum talentum abscondit: in terrâ enim talentum abscondere, est nouæ prædicationis gloriam sub obtrectatione corporeæ passionis occultare.

Serui sunt fideles.

Tertiò, talenta sunt omnia Dei dona, sine quibus nihil possumus, tum gratia gratum facientis, tum gratis data, tum externa, opum, status, honoris v. g. talentum est sacerdotium, Episcopatus, Magistratus, & similia quæ Deus vni quinque, alteri duo, id est impari ratione distribuit.

Talenta sunt omnia Dei dona.

Quòd autem dicatur illa distribuere secundùm propriam cuiusque virtutem, partim emblema est (ita enim prudentes domini diuidere solent, & sua seruis credere; nam certum est, contra Pelagianos, gratiam saltem primam non dari secundùm vires naturales, aut merita naturæ & liberi arbitrij;) partim pertinet ad propositum. Deus enim sæpè gratias gratis datas, & status viribus naturæ contemperat, nec aliquem ad statum aliquem vocat, nisi ei ferendo par sit, & naturâ idoneus. Imò, cùm quoduis donum permanens cuiquam donare disponit Deus, priùs dat illi capacitatem seu dispositionem proportionatam naturalem vel supernaturalem, aut meritum quo ad donum hoc idoneè se præparet.

Inæqualis distributio quid importet.

Quartò, cum talentis operari, est per bona opera & auxilium animarum gratiam in se & alijs accumulare.

Operatio cum talentis.

Quintò, defodere talentum, fit ex negligentiâ, gratiâ non vti, nec ei cooperari. Vbi nota, defossionem hanc tribui illi qui vnum tantùm talentum accepit, non quòd alij, qui plura acceperunt, non sæpè idem faciant, sed vt intelligatur ex eo quòd tam acriter exceptus est qui vno tantùm abusus est, longè acriorem futuram censuram in eos qui pluribus abutuntur.

Defossio talenti quid.

Sextò, ponit rationem Deus, scilicet in morte & iudicio, maximè vniuersali.

Ratio cum seruis.

Septimò, illud supra multa te constituam, S. Lucas

Remuneratio super multa.

supra

suprà cap. 19 habet supra decem ciuitates. *Est enim parabola sumpta à Rege, qui solet seruos remunerari gubernaculis prouinciarum & ciuitatum. Significat autem per catachresin, eos fore consortes gloriæ & regni ac gaudij Dei, sed maioris vel minoris, pro meritis.*

Murmuratio otiosi. *Octauò, illud responsum otiosi serui,* Scio quia durus es, *emblema est. Sic enim serui negligentiam suam Domini seueritate excusabat. Quod autem sequitur de talento apud nummularios deponendo, tantùm significat, omni modo & operâ saltem faciliori, & quæ ferè caret periculo, gratiam Dei augendam esse.* *Talenti apud nummularios depositio.* *Vbi nota, nummularios vocari eos, qui ex cambio vel mutuo lucrum faciunt, quod in cambio ob varios titulos qui interueniunt licitum esse, Doctores docent, in puro autem mutuo illicitum & vsura est. Modus autem iste lucri certus, obuius ac facilis est. Itaque Dominus hic non tam ex re in se iustâ loquitur, quàm parabolicè, idque partim ex Gentium consuetudine atque vsu (apud multas enim earum vsura habita sunt licita;) partim ex consequentiâ verborum serui, qui duram auaritiam Domino impingebat; & vt significet in re parabolæ, id est in spiritualibus Deum bonorum suorum vsuras æquissimo iure exigere, pro quibus ipse longè maiores redditurus sit.*

Ablatio talenti. *Nonò, ab inutili seruo iubet tolli talentum quod fiet in die iudicij, & hîc sæpè, imò semper in gratiâ gratum faciente.*

Talentum otiosi serui datur diligenti. *Decimò, quòd talentum otiosi serui iubet dari illi qui habet decem. Hoc etiam emblema est, innuens Primò, sanctos, & eos qui diligenter gratiâ Dei vtuntur, dignos esse maiori gratiâ atque illa ipsâ etiam quam indigni habent, idque subinde fieri in hac vitâ, vt ex his in illos transferatur. Secundò, sanctos in cælis gaudio afficiendos & de suis talentis, & de reproborum, quatenus suis se meliùs vsos, aut coronam reprobis paratam se accepisse videbunt. Vnde concludit Christus,* Omni habenti, *scilicet lucrum talentorum, & gratiæ à se comparatum,* dabitur *plus talentorum;* ei autem qui non habet, *scilicet lucrum,* etiam quod videtur habere, *id est talentum, quod quia otiosum illi erat, potiùs non habere quàm habere videbatur,* auferetur ab eo, *iuxta sensum Numero 9. datum.*

Diuersi vt diuersis talentis vti debeant. S. GREGORIVS *Hom. 9. in Euang.* Sciendum, *inquit,* est, quòd nullus piger ab hac talenti acceptione securus est: nullus namque est, qui veraciter dicat: Talentum minimè accepi, non est vnde rationes ponere cogar. Talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam prædicationis, ministerium debet ex talento. Alius terrenam substantiam accepit, erogationem talenti debet ex rebus. Alius nec internorum intelligentiam nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem quâ pascitur, ipsa ars ei in talenti acceptionem reputatur. Alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse familiaritatis locum apud diuitem meruit, talentum profectò familiaritatis accepit. Si ergo nihil ei pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur. Habens ergo intellectum, curet omnino ne taceat: habens rerum affluentiam, vigilet ne à misericordiæ largitate torpescat: habens artem quâ regitur, magnoperè studeat vt vsum atque vtilitatem illius cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud diuitem, damnationem pro retento talento timeat, si, cùm valet, non apud eum pro pauperibus intercedit. Talentum quippe ab vnoquoque nostrûm venturus Iudex exigit, quantum dedit. Vt ergo de talenti sui rationibus redeunte Domino quisque securus sit, cum tremore penset quotidie quid accepit. Ecce namque iam iuxtà est, vt ille qui peregrè profectus est, redeat. Quasi quippe peregrè abijt, qui scilicet de hac terrâ, in quâ natus est, longè discessit. Sed profectò reuertitur vt de talentis rationes ponat, quia si à bonâ actione torpescimus, de ipsis donis quæ contulit, nos districtiùs iudicat. *Vt rationes talentorum sint expendenda.* Consideremus ergo quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos à spiritali opere terrena cura impediat: ne si in terrâ talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam prouocetur. Piger etenim seruus, cùm iam culpas iudex examinat, talentum de terrâ leuat; quia sunt plerique qui tunc se à terrenis desiderijs vel operibus subtrahunt, quando iam per animaduersionem Iudicis ad æternum supplicium trahuntur. Antè ergo de talenti nostri ponendâ ratione vigilemus, vt cùm iam Iudex ad feriendum imminet, lucrum nos quod fecimus excuset.

Plura loca Patrum huic parabolæ conuenientia vide suprà ad Caput 19. S. Lucæ in parabolâ de distributione mnarum. Nunc extremi Iudicij descriptionem expendamus, quam subdit hîc S. Matthæus

VERS. 31. Cùm autem venerit Filius hominis in maiestate suâ, & omnes Angeli cum eo, tum sedebit super sedem maiestatis suæ:

32. & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis:

33. & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.

34. Tunc dicet Rex his qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi:

35. [a] esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: *[a] Isa. 58. 7. Ezech. 18. 7.*

36. nudus, & cooperuistis me: [b] infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. *[b] Eccli. 7. 35.*

37. Tunc respondebunt ei iusti, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?

38. quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te?

39. aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te?

40. Et respondens Rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis?

41. Tunc dicet & his, qui à ſiniſtris
Pſal. 5, 9. Matt. 7, 23. Luc. 13, 27. erunt: "Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.

42. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum:

43. hoſpes erã, & non collegiſtis me: nudus, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me:

44. Tunc reſpondebunt ei & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtrauimus tibi?

45. Tunc reſpondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non feciſtis vni de minoribus his, nec mihi feciſtis.

46. "Et ibunt hi in ſupplicium æter-
Ioã. 5, 29. Dan. 12, 2. num, iuſti autem in vitam æternam.

CAPITE 21. *S. Lucæ, & Matthæi 24. dicta ſunt multa in extremo iudicio euentura timoris & horroris plena, videlicet quòd* ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellę cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, & plangent omnes tribus terræ. *Et poſt multa, quibus non virgulta ſolùm, ſed & cedri magna Libani concutientur, venturum modo dicit Filium hominis in maieſtate ſuâ: quibus verbis omnis malorum infelicitas edicitur, totaque ſanctorum conſolatio ac bonum prænuntiatur.*

Aduentus Domini iuſtis lætus, peccatoribus terribilis.

S. HIERONYMVS *in Pſal. 49. exponens verba illa,* Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit, *ſic habet:* In die iudicij Deus manifeſtè veniet: quia vt in Apocalypſi legitur, videbit eum omnis ocu-
Apoc. 1, 7. lus: ignis in conſpectu eius ardebit. Duplicem hic ignis intelligitur habere virtutem, illuminat enim, & exurit. Gaudeant iuſti, quia illuminantur ex eo: timeant peccatores, quia exurendi ſunt ab eo. Et in circuitu eius tempeſtas valida, quæ flagellat & corripit peccatores, triticumque ſecernit à paleis. Et quos ignis exurit, tempeſtas inuoluit. Et in alio lo-
Luc. 3, 17. co dicit: Purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili. Diſcerneréque tunc dicitur populum ſuum. Diſcernit terrenos, vt cùm cæleſtes ponuntur ad dexteram, hi ad ſiniſtram collocentur. Vel diſcernet populum ſuum in iudicio, quando dicturus erit, Ite maledicti in ignem æternum; & ad ſan-
Pſal. 49, 21. ctos, Ite in vitam æternam. *Et infrà ibidem:* Exiſtimaſti iniquè quòd ero tui ſimilis, dum ſcilicet non vindico in præſenti, arbitratus es ea mihi placere, ſicut tibi placent tua mala. Arguam te, & ſtatuam illa contra faciem tuam: tua ſcilicet peccata, & aliorum quæ poſt te reliquiſti. Vtinam nos in hoc ſæculo poneremus ante nos peccata noſtra, & non Deus ea in iudicio ſtatueret ante faciem noſtram, vbi iam non caſtigatio, ſed iudicium mortis accedit: intelligite hæc qui obliuiſcimini Dominum, & ſua mandata: ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat: ne quando rapiat ad mortem, vel ad diem iudicij.

IDEM *in cap. 7. Danielis explicans verba illa,* Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, *ſic habet:* Sedens & vetuſtus dierum dicitur Deus, vt æterni iudicis habitus demonſtretur. Quodque capilli eius lanæ mundiſſimæ comparantur, purũ oſtenditur ſincerumque iudicium, & nullam perſonam in iudicando recipiens. Senex quoque deſcribitur, vt maturitas comprobetur ſententiæ. Thronus eius flamma ignis, vt peccatores tormentorum magnitudinem pertimeſcant, & iuſti ſaluentur, ſic tamen quaſi per ignem. Rotæ eius ignis accenſus, ſiue currus eius. Et in Ezechielis cap. 1. quadrigæ ſedes inducitur, & omnia Dei flammea ſunt, vt lignum, fœnum, ſtipulam, arſura in die iudicij nouerimus. Et in Pſalmis legimus,
Habitus Dei iudicis qualis.
Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu omnes inimicos eius. *Pſal. 96, 3.* Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius, vt peccatores traheret in gehennam. Iudicium autem ſedit, & libri *Apoc. 20, 12.* aperti ſunt. Conſcientiæ & opera ſingulorum in vtramque partem vel bona vel mala omnibus reuelantur. Bonus liber eſt ille, quem ſæpè legimus, *Liber vitæ & mortis.* liber viuentium; malus liber, qui in accuſatoris tenetur manu, qui eſt inimicus & vindex, de quo & in Apocalypſi legitur: Accuſator fratrum noſtro- *Apoc. 12, 10. Ier. 17, 13.* rum. Liber iſte terrenus eſt, de quo Propheta dicit: In terrâ ſcribantur.

S. AVGVSTINVS *lib. 20. de Ciuitate Dei cap. 14.* *Conſcientia libro in iudicio aperienda.*
De die iudicij ait Ioannes in Apocalypſi: Et vidi mortuos magnos & puſillos, & aperti ſunt libri: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ vniuſcuiuſque, *Apoc. 20, 12.* & iudicati ſunt mortui, ex ipſis ſcripturis librorum ſecundùm facta ſua. Libros dixit eſſe apertos, & librum. Libri, quos priore loco poſuit, intelligendi ſunt ſancti, vt illis oſtenderetur quæ Deus fieri iuſſiſſet. In illo autem qui eſt vitæ vniuſcuiuſque, quid horum quiſque non feciſſet, ſiue feciſſet. Liber qui apertus dicitur, quædam vis eſt intelligenda diuina, quâ fiet, vt cuique opera ſua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur, vt accuſet vel excuſet ſcientia conſcientiam, atque ita ſimul & omnes & ſinguli iudicentur.

IDEM *in Pſal. 49. explicans verba illa,* Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit, *ait:* Qui venit occultus, veniet manifeſtus. Venit occultus iudicandus, veniet manifeſtus iudicaturus. Venit occultus vt ante iudicem ſtaret; veniet manifeſtus, vt etiam de iudicibus iudicet. Silet modò non exercens iram, ſed expectans pœnitentiam. Dicit alio
Chriſtus in mundum venit occultus, ad iudicium veniet manifeſtus.
loco: Tacui, numquid ſemper tacebo? Quando ergo *Pſal. 49, 2.* non tacebit, Deus manifeſtè veniet, Ignis ante ipſum præcedet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Timeamus, mutemur, & nõ timebimus. Ignem palea timet, auro quid facit? Qui non deſiderant Dei faciem, timeant vel ignem; ſupplicia terreant, quem præmia non inuitant. Veniet dulcedo præſentiæ, non mutaris, non excitaris, non ſuſpiras, non deſideras: amplectaris peccata tua & delicias carnis tuæ, ſtipulas ad te cõgeris, veniet ignis. Ignis in conſpectu eius ardebit. Si credamus futurum iudicium, fratres, benè viuamus. Tempus miſericordiæ nunc eſt, tempus iudicij tunc erit. Pœnitebit & tunc, ſed fruſtra pœnitebit. Modò pœniteat cùm fructus eſt pœnitendi: modò adhibeatur ad radices arboris cophinus ſtercoris, id eſt cordis luctus,

Quomodo segregandi iusti ab impijs. ctus, & lacrymarum, ne veniat ventus, & eradicet. Cùm enim eradicauerit, iam ignis expectatur. Modò etsi fracti sunt rami, possunt sursum inseri; tunc omnis arbor quæ non facit fructum bonum, *Matth. 3, 10.* excidetur, & in ignem mittetur. Ignis in conspectu *Psal. 49, 2.* eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Valida tempestas, ventilatura iam magnam aream. Hac tempestate erit illa ventilatio, qua separabitur à sanctis omne immundum, à fidelibus omnis simulatio; à pijs & trementibus verbum Dei, omnis contemptor & superbus. Modò enim mixtura quædam iacet, à solis ortu vsque ad occasum. Proculdubiò ista tempestas quamdam separationem factura est. Alij erunt iudicantes cum Domino, qui sedebunt super sedes duodecim; alij verò iudican-*Psal. 49, 5.* di, sed ad dexteram ponendi. Aduocabit autem cælum sursum. Cælum omnes sanctos perfectos iudicaturos, aduocabit eos sursum sessuros, secum iudicaturos duodecim tribus Israel, Et terram discernere populum suum. Vocabit terram non conterendam, sed discernendam. Terram discernit, alios ponens ad dexteram, alios ad sinistram.

VERS. 32 ET SEPARABIT EOS AB INVICEM, SICVT PASTOR SEGREGAT OVES AB HOEDIS.] S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 80. in cap. 25. Matth. in expositione illius loci, ait*: Nunc non segregati, sed mixti sunt vniuersi, tunc verò ita distincti, vt pateant vniuersi. *Iusti ouibus, impij hædis comparati.* Hac etiam appellatione mores vtriusque partis aperiuntur, cùm alij hœdi, alij oues nuncupentur: vt aliorum sterilitas, quia nihil ab hœdis producitur, aliorum fertilitas ostendatur: vberes enim & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, alij lactis copiâ, alij elegantiâ lanæ, alij fœtu, quibus omnino hœdi carent. Vnde ouibus dixit: Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum à constitutione mundi. Quibus bonis hoc nomen compensari potest, vt benedictus sis, & à Patre ipso benedictus? Nec dicit, Accipite, sed, Hereditate quasi propriâ, quasi vestrâ, quasi paternâ, quæ vobis à principio debebantur. Hæc autem retribuuntur, non solùm quia in carcere existentibus succurrerunt, sed quia visitauerunt: non quia ægrotantibus medicauerunt, sed quia venerunt ad illũ: nec quia sumptuosam mensam esurientibus erogauerunt, sed illorum inopiam leuauerunt adhibitis necessarijs. Impijs autem non dicit, Ite maledicti Patris mei, sed Maledicti, non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt. In ignem æternum, non vobis, sed diabolo, & angelis eius paratum.

IDEM *Hom. 54. enarrans locum illum*, Et congregabuntur ante eum omnes gentes, *ait*: Sicut in nocte rerum facies non apparet, sed gemma quasi lapis videtur, & lapis quasi gemma existimatur: sic ante aduentum Christi humanorum cordium differentia non apparebat, sed & mali quasi boni sustentabantur, & boni quasi mali contemnebantur. Tunc segregabuntur ab inuicem, &c. Sicut tempore hiemis inter virides & aridas arbores discretio non est; cùm autem venerit tempus illud beatum vernale, discernuntur: ita tunc vnusquisque secundùm quidem fidem suam, & secundùm opera sua manifestabitur, impijs quidẽ nulla proferentibus folia, nullum ostendentibus fructum, sancti autem *Ouiũ bona & hædorũ vitia, iustis illa, hæc impijs accommodata.* & folijs vestientur vitæ æternæ, & fructibus ornabuntur gloriæ. Oues sunt homines iusti, propter mansuetudinẽ, quia ipsi neminem lædunt; propter patientiam, quia cùm ab alijs læsi fuerint, sustinent. Et sicut ouis ad mortem ducitur, & non clamat, sic & sancti maledicuntur, & non remaledicunt; percutiuntur, & non repercutiunt; bona eorum diripiuntur, & illi non contradicunt; dolorem sentiunt, & clamorẽ non emittunt. Hœdos autem, homines peccatores dicit, quia in capris naturaliter hæc sunt vitia: libido præ ceteris animalibus, superbia, rixa; semper enim se percutientes incedunt: item inuidi, sibi alterutro inuident, sicut significat Salomon de inuidis dicens: Sicut capra, sic aspicit *Eccl. 11, 32.* ruinam proximi sui. Item capræ multùm trahuntur concupiscentiâ gulæ: propter gulam namque suam per saxa & præcipitia ambulant, & super præcipitia se suspendunt. Item clamoribus super omnia garrulæ. In omnibus his vitijs peccatores abundant, & ideò hœdis sunt assimilati. Meritò iustos ad dexteram collocat, quia non cognouerunt sinistram: meritò impios ad sinistram, quia numquam cognoscere voluerunt dexteram. Vias enim *Prou. 4, 27.* quæ à dextris sunt nouit Dominus, peruersę autem sunt, quæ à sinistris sunt. *Per hædos itaque impij significantur, quia hoc animal fœtes, asperum, inuidum & lasciuum est, luxuriosum, & per præcipitia incedens. Vnde etiam in Lege veteri pro peccato offerri solitum. Oues autem, vti dictum, ob contrarias conditiones, pios repræsentant.*

VERS. 34. TVNC DICET REX HIS QVI A DEXTRIS EIVS ERVNT: VENITE BENEDICTI, *&c. Id est, dilecti à Patre ab æterno, & electi ad gratiam, & ob perseue-* *Cur iusti* *rantiam in eâdem ad gloriam. In istis verbis multa* *primo loco* *sunt consideratione digna. Primum, quòd cum iusti &* *iudicentur.* *peccatores iudicandi sint, sententia primum fertur in bonos, vt Deum intelligamus promptiorem esse ad miserendum & præmiandum benè acta, quàm ad vindicandum male facta. Ideo B. Paulus 1. ad Thessalonicenses 5 dixit*: Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, *scilicet in gloriosis corporibus, & post eos impij, immortales quidẽ, sed passibiles & obscuri. Quòd autem impios inuitus damnat Deus, pulchre ostendit*

AVCTOR IMPERFECTI *Hom. 46. in Matthæum de* *Deum inuitum hominẽ damnare.* *Christo Ierusalem deflente verba faciens*, Miserabili, *inquit*, lamentatione plangebat Iudæos, dicens, Ierusalem, Ierusalem: nam Deus inuitus compellitur cum magno dolore peccatores damnare. Non enim sic dolet, quia ipse ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem, qui omnes cupit saluare. Nam quemadmodum in nobis alienum est benefacere, sic & Deo contra naturam est malefacere, aut perdere. Sed dicet aliquis: Cùm in potestatę Deus habeat perdere & saluare, quis eum inuitum compellit condemnare, si non vult? Tu, qui non desideras misericordiam Dei. Sed dicis: Quis est homo qui non desiderat misericordiam Dei? Tu, qui permanes in peccato. Desiderare autem misericordiam Dei, est conuerti ad Deum. Ille enim desiderat misericordiam Dei, qui timet iram eius: qui autem non timet iram eius, non desiderat misericordiam eius, sed contemnit. Ierusalem, Ierusalem, quæ vsque nunc luctata es contra misericordiam meam tuis peccatis, nunc autem ipsam superasti: volo enim tui misereri, sed vires misericordiæ faciendæ non habeo; incessabilibus enim iniquitatibus tuis misericordia mea quasi lassata, à proposito suo defecit.

S. BERNARDVS *Serm. 5. in Natali Domini, explicans locum S. Pauli 2. Cor. 1.* Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, *sic habet*: Benedicitur Pater misericordiarum, cui proprium est mise-

misereri semper & parcere. Sed fortè, si quis dicat, Quomodo illi proprium est misereri, cuius iudicia

Psal. 35, 7. abyssus multa? Neque enim dicitur, Omnes eius

Ps. 24, 10. viæ misericordia, sed Misericordia & veritas. Non minùs iustus quàm misericors est, cui misericordia & iudicium decantatur. Verum id quidem: cuius

Deus ex se nostri miseretur, & quòd condemnet coactus facit. vult, miseretur, & quem vult indurat; sed quòd miseretur, proprium illi est: ex se enim sumit materiam, & velut quoddam seminarium miserendi. Nam quòd iudicat & condemnat, nos enim quodammodò cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio quàm animaduersio procedere videatur.

Ezech. 18, 33. Ipsum audi dicentem: Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non magis vt conuertatur & viuat? Rectè ergo non Pater iudiciorum vel vltionum dicitur, sed Pater misericordiarum: non modò quòd Pater videatur misereri potiùs quam indignari; & quemadmodum pater filiorum, misereatur timentium se: sed eò magis quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio, iudicandi vel vlciscendi magis ex nostro.

Quin imò idipsum, quod malos tandem puniat, diuinæ bonitatis opus esse, pulchrè ostendit S. CHRYSOSTOMVS *Homil. 3. in Epist. ad Philemonem, dicens:*

Condemnatio impiorũ, vt etiam opus bonitatis sit. Deus bonus, atque ideò bonus, si quidem cruciat. Cùm nihil nostri indigeret Deus, solâ bonitate condidit nos. Cælum quoque, terram, mare, & quæ in eis sunt, propter nos condidit omnia. Quantæ

Matth. 5, 45. hoc benignitatis indicium? Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Nonne id supremæ bonitatis est? Non, dixit Marcionita quidã, cum quo ego contendebam, sed asseruit hoc bonitatis illius iudicium videri posse, si peccatorum rationem minimè exigeret; si autem hanc exigit, non esse illa bonitatis indicia. Ego autem ex abundanti ostendi, nisi rationem exigeret, non esse bonum, atque adeò inprimis esse bonum, quia hanc exigit. Dic enim, quæso, nisi ille à nobis rationem exigeret, esséetne vita humana? Nonne feris quoque ipsis immaniores euaderent homines? Si enim metu quoque pœnarum ac iudiciorum imminente, pisces transgressi sumus, inuicem deuorantes, leones ac lupos quoque transcendimus, dum singuli quæ sunt aliena diripimus, nisi rationem à nobis exigendam pro indubitato teneremus, quanta confusio res humanas inuoluere? Quis iam labyrinthus mundanas perplexitates posset æquare? quàm plena omnia iniquitatis ac temeritatis vidisses? quis esset reueritus patrem? quis pepercisset matri? quis vllum voluptatis, vllum vitij genus omisisset? Quòd autem hæc ita se habeant, ex vestrâ solâ domo conabor ostendere. Si seruis alicuius vestrûm persuadeatur, quælibet in vos patrauerint, siue illi iugum dominationis excutiant, siue in corpora ipsorum dominorum effrenatâ ferantur audaciâ, siue asportent omnia, siue vniuersa confundant, & deteriora etiam hostibus faciant; illi non intentabunt minas, non cruciatus admouebunt, neque dignâ plectent pœnâ, nec verba quidem molesta audient; num ista bonitatis esse videntur? At ego summæ immanitatis esse mõstrabo, non modò per hanc planè insulsam benignitatem, vxores ac filios perdere; verùm illos ipsos per viscera perire permittere: namque & ebriosi, & impudici ac petulantes, & iniuriosi, bestijsque omnibus stolidiores euadent. Hoccine, oro, benignitatis est, ingenuã pessumdare animam, & nos ipsos atque alterutrum perdere? Vidésne vt pœnas repetere, id tandem clementiæ plerumque sit opus? Et quid seruos dicam per huiusmodi impunitatem ad scelera promptiùs currere? & filios si quis impunè permittat, cuncta præsument; neque castiget errantes, ad quæ non prærupta vitiorum euasuri sunt? Quòd si coram hominibus ea castigatio meretur laudẽ, ac bonitatis insigne est, (esset autem, non castigare, crudelitas;) quantò magis id in Deo erit? Igitur quoniam supremè bonus est, idcircò gehennæ præparauit incendium. Vultis & aliã ex parte diuinam agnoscere benignitatẽ? Non modo eo metu coërcet improbos, verùm & qui boni sunt, non eos sinit fieri malos. Nam si nulla esset meritorum discretio, neque secundùm opera cuique præmia recompensarentur, omnes profectò mali fierent. At nunc quoque istud non mediocriter consolatur bonos. Audi denique quid Propheta

testatur: Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Non gratulando insultans, absit; sed metuens ne patiatur eadem, emendare intima sua, vitamque omnem corrigere studet. Quantæ verò istud prudentiæ est? Ita sanè, inquies, sed si tantummodò comminatus esset, non etiam supplicia inferret, satis esse poterat. Si modò quando supplicia infert, minas tamen esse arbitraris, atque ideò negligentior sis; si tantummodò minatus esset, tunc omnino desidiæ manus dedisses. Niniuitæ si sciuissent minas sibi tantùm intentari, numquam profectò pœnitentiam egissent: quoniam verò pœnituerunt, ad verba vsque minæ illæ peruenerunt. Melior euade, & ad verba vsque minæ deseuient; si autem contemnis animar, rem ipsam experieris. Hi qui sub diluuio fuerunt, si minas timuissent, numquam ad experimentum rei peruenissent. Psal. 57, 11. Ionæ 3.

Considerandum hic etiam est, quam sit Deus propensus vt hominibus bene faciat, quandoquidem res tam modicas tam magnifice remuneretur. Infirmus, *inquit*, eram; *& non refert se curatum, quoniam hoc difficile videbatur. sed visitatum. Non dixit*, In carcere eram, *& magnâ pecunia summâ me redemistis*, *sed*, venistis ad me. *Mira profectò dignatio est quòd tantilla charitatis opera pauperibus exhibita, tamquam sibi præstita recensere, & amplissimo cælestis regni præmio remunerari dignetur. Ponit autem hic Christus exempli causâ vnicam speciem virtutis, charitatis scilicet, seu potius misericordiæ, pro omni genere virtutum. non dubiũ enim est quin propter alias etiam virtutes & peccata multi sint saluandi aut damnandi. Tantum ergo adfert opera misericordiæ, quia vt ait S. Chrysostomus ad hunc locum, illa sunt maximè obuia, & ad communitatem maximè pertinent, nec ab ijs quis excusare se facile potest: tum etiam, vt ea nobis hac ratione commendaret. Vnde rectè*

Quomodo Christus etiam minima remuneretur.

Cur tãtùm operum misericordiæ his fiat mentio.

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 55. in Matthæum*, Frange, *inquit*, esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Dices, Quis hæc omnia poterit facere? Imò verò, dic quæso, quis non potest? Quid enim ex illis difficile, aut quid arduum? Quæ certè ita facilia facta sunt, vt multi mensuram eorum in agendo excesserint, non iniusta chirographa modò lacerando, verùm etiam omnibus suis se nudantes, non tecto & mensâ pauperes, tantummodò recipientes, verùm etiam magno se sudore conficientes, vt inopes nutriant; qui non cognatis tantummodò, verùm etiam inimicis beneficia contulerunt. Si verò tu difficilia putas, magni-

magnitudinem præmiorum considera diligentiùs, & facillima tibi reddentur Ideò ait: Tunc erumpet quasi manè lumen tuum. Erumpet vel scindetur, dixit; non, Apparebit: vt velocitatem & copiam dantis exprimeret, vtque hoc verbo intelligamus, valdè illum nostræ salutis cupidum esse, quodque muneribus plenus ex largiendi festinatione quasi prorumpit, cùm nihil sit quod inæstimabile dandi desiderium prohibere possit. Quibus omnibus infinitam profectò bonorum copiam paratam nobis esse ostendit.

Sancti mirabuntur munificentiam Dei in rebus paruis remunerandis.

VERS. 37. TVNC RESPONDEBVNT EI IVSTI, DICENTES: DOMINE, QVANDO TE VIDIMVS ESVRIENTEM, &c.] *Quibus verbis significatur humilitas & admiratio Sanctorum, quâ stupebunt sua opera etiam minima sic magni fieri à Iudice, vt & sibi impensa agnoscat quæ pauperibus fecerunt. Enimuerò si minima etiam ita laudet ac remuneretur Christus, quid de heroicis Sanctorum facinoribus ad Dei cultum & proximorum vtilitatem gestis censendum est? Quo in ordine erunt Apostolorum prædicationes, egestates, nuditates, itinera, martyria, innumeraque incommoda pro Deo & bono fratrum tolerata? & sic de cæteris, Martyribus, Doctoribus, Confessoribus, Virginibus?*

Euthymius *autem in cap. 25. Matth. putat hoc responsum Sanctorum tantùm emblema esse parabolæ, ad hoc inductum, vt cognoscatur responsio Christi Vers. 40. videlicet:* Quamdiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. *Quod verum videtur, si de vocali Sanctorum responsione ista accipias; nam mentaliter hoc vel quid simile responsuros esse, satis verosimile videtur.*

Quod autem in Latino est quamdiu, *Græcè habetur* ἐφ' ὅσον, *id est,* in quantum. *Vbi*

Quomodo Sanctis datur gloria.

Nota primò, gloriam Sanctis dari quasi hæreditatem vt filijs. Secundò, etiam quasi mercedem quæ datur meritis ac dignis. Deus enim non dat gloriam filijs quatenus homines sunt ab ipso creati, siue digni sint siue indigni, sed dignis tantum.

Christi fratres minimi quinam sint.

Per fratres autem minimos propriè hic significat Apostolos, & illis similes qui Christo iudici assidebunt, vt qui per voluntariam paupertatem in hoc mundo minimi & abiectissimi Christo se totos manciparunt. Consequenter tamen significantur omnes pauperes Christiani, qui in Baptismo Dei filij & fratres Christi per gratiam Dei effecti sunt. Infideles autem ac reprobos tametsi olim, dum in hoc mundo agerent, fratres fuerint, vel esse potuerint, hic tamen Christus nec nomine dignos censet.

Animaduertit etiam Origenes Hom. 34. in Matthæum, Iudicem hic misericorditer benefacta hominis largius prædicare atque ampliare, malefacta autem breuiare, vnde dicit: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, *&c. Sed & iusti immorantur in vnoquoque verbo humilitatis causâ. Iniusti autem cursim dicunt prætereuntes crimina sua, quia proprium malorum est culpas suas excusando, aut nullas velle ostendere, aut leues, & paucas. Illis itaque dicetur horrendum illud,* Discedite à me, *quo verbo significatur pœna damni, quæ est priuatio Dei:* in ignem æternum, *quo declaratur pœna sensus. Vnde colligunt Theophylactus & Beda contra Origenem, æternitatem pœnarum, & in inferno verum fore ignem, qui longè acrior erit & alterius conditionis à nostro, vt docent S. Ambrosius ad cap. 14. S. Lucæ, S. Hieronymus in cap. 63. Isaiæ, & Damascenus lib. 4. in fine.*

Ignis inferni qualis.

S. LVCÆ CAPVT XXII.

1. APPROPINQVABAT autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha. *Matth. 26, 2* *Marc. 14, 1*

Philo de Septenario & festis.

1. SVNT autem apud Iudæos
festiuitates numero decem,
quas describit lex. Prima
quidem est omnis dies. Se-
cunda, est septima quæque
dies, quam Hebræi Sabbatum patriâ linguâ
vocant: tertia verò, Nouilunium: quarta, est
transitus, quam Pascha nominant: quinta,
primitiæ spicarum, seu sacer manipulus: sex-
ta, Azymorum: septimanarum post illam
septima celebratur: octaua est sacrificium
menstruum: nona, ieiunium: decima, taber-
naculorum, quæ est reliquarum conclusio
solemnitatum. Inchoandum à primâ. Lex 1.
omnem diem esse festum scribit: vtique qui
sine peccato viuunt, meritò in virtutibus de-
lectantur, & omnem diem festum ducunt.
Quapropter Moyses continui huius festi
excellentiam probè cognoscens, eam humanæ
naturæ conditione superiorem censuit, at-
que ipsimet Deo consecrauit, cùm dicit, Fe- *Deut. 23, 2*
sta Domini, quasi fieri non possit, vt hoc,
quod non dicitur tantùm sed reuerà festum
est, perpetim celebremus. Post continuam 2.
hanc festiuitatem celebratur secundo loco
post sextum quemque diem septimus ille sa-
cer, qui & mundi natalis est, quo & ab omni
opere abstinere præceptum, non vt ad otium
ignauiamque lex inducat (vbique enim ad
labores instigat) sed vt continuos labores
nonnihil relaxet, & corpora moderatâ quie-
te reficiat, quò iterùm instauratis viribus
opus resumant. Etenim corporales quidem
septimis diebus labores prohibens, angustio-
res actiones exercere concessit, vt sunt ser-
mones & documenta quæ ad virtutem exci-
tant: nam septimo quoque die sexcentæ per
totam vrbem virtutum scholæ panduntur.
Doctrinæ autem duo capita sunt præcipua,
pietas ac religio erga Deum, & erga homines
humanitas atque iustitia. Ex quibus fit ma-
nifestum, Moysem neminem, qui factis eius
scriptis ac explicationibus vtatur, otiosum
aut operis expertem relinquere: sed cùm
animâ constemus ac corpore, & animæ &
corpori propria studia distribuit, quò optimè
vitam institueremus, actionem cum cõtem-
platione ita coniungentes, vt vna alteri suc-
curreret; & corpore laborante animus quie-
sceret, illo verò quiescente laboraret. Neque
seruis dumtaxat quietem lex dedit die septi-
mo, sed & pecoribus. Tantâ porrò venera-
tione septenarium prosequitur, vt etiam alia,

quæcumque commune aliquid cum ipso habent, honorem apud illũ consecuta sint. Quare ad septimum annum semper nouas tabulas, seu debitorum remissionem instituit, inopibus succurrendo, & locupletes ad benignitatem instigando, & seruum etiam emptitium libertate donando. Quin & terram inaratam sinere præcipit: primùm quidem, vt septenarium honoret: secundò, ne omnia quæstus causâ faciamus, sed voluntarium damnum subeamus, vt inuoluntariam iacturam, si quando contigerit, æquiore animo feramus: tertiò, quòd neminem omnino deceat homines onere grauare ac premere. Etenim si terræ partibus, quæ nec voluptatis participes naturâ esse possunt, quies est concedenda; quomodo non hominibus potiùs, quibus non sensus tantum communis cum brutis animantibus adest, verùm etiam rationis vis eximia? Quarto, vt mores societati hominum vtiles consignaret: etenim iubet anno septimo nullum occludere locum, vt inopes fructibus vltrò oblatis securius vti possent, & quicũque armenta & pecora nutriunt, ad graminis pastum illa ducant, campos vberes ac pastioni aptissimos eligentes.

Deinde hebdomadibus septem annorum institutis, quinquagesimum totum sacrum declarauit. Hoc anno alienatas possessiones censet reddendas esse prioribus dominis, quò hereditatum sortes familijs conseruentur. Cùm enim tempora persæpe necessitatis coincidant, per quæ nonnulli sua vendere cogantur, etiam horum indigentiæ vrgente necessitate prouidit, & ementes decipi prohibuit; dum his quidem vendere permisit, illos autem quibusnam conditionibus emerent clarè admodum edocuit, hac cautione: Nolite, inquit, date prædia ad possessionum iacturam, sed ad definitum annorum numerum, qui annotum quinquaginta cancellis circumscribitur: non enim prædiorum venditiones, sed fructuum esse debent. Quæ autem lege statuta sunt aduersus debitores fœneratorum, superioribus paria sunt: vt fœneratores quidem non colligant vsuras ab eiusdem gentis hominibus. Emptitijs verò & non naturâ seruis, vt mercenarijs vtantur, securitatem libertatis præbentes: ac statim his qui pro ipsis pretia deponere poterant: itidemque inopibus: aut quoties aduenerit annus septimus à seruitutis initio, aut quoties quinquagesimus: etiamsi forte acciderit, vt pridie quis in seruitutem fuerit abductus.

Venditionis & emptionum cautio ratione anni quinquagesimi.

3. Ordinis rationem secuti, tertium diem festum describimus, nouilunium videlicet: Primùm quidem, quia mensis principium est: numeri autem & temporis principium est in honore. Deinde, quòd iuxta lunam nihil expers lucis sit in cælo. Tertio, quòd minori & imbecilliori, eo tempore is qui præstantior atque potentior est, necessariam vtilitatem atque officium impertiatur: nam in nouilunio incipit sol splendore sensibili lunam illustrare, ipsa verò proprium decus spectantibus exhibet. Porrò, hæc est perspicua probitatis humanitatisque doctrina, vt nunquam homines propriorum bonorum inuidiâ laborent, verùm rerum cælestium naturas imitantes, procul etiam ab animi finibus liuorem arceant, bonaque sua in medium adducant, dignisque communicent.

Nouilunij solemnitas.

Post nouilunium Festum quartum est, 4
quod à transitu nominant Hebræi, nempe Pascha: in quo sacrificant per cœtus populares, exorsi à meridie ad vesperam vsque. Solemnitas hæc in memoriam reuocat coloniam maximam, cùm gratiarum quoque agendarũ causâ instituta sit. Hanc ab Ægypto multis myriadibus miserunt iuxta oracula edita. Quapropter tunc, vt verisimile est, derelictâ regione inhumanitate redundante, & hospitum expulsionem procurante, & (quod grauissimum est) Dei honores brutis animantibus attribuente, pro eximio & gestiente gaudio sacrificarunt, cùm sacerdotes non expectassent. Quod autem tunc factum erat, lex facere permisit semel per singulos annos, ad gratiarum actionis recordationem. Atque hæc iuxta veterem allegoriam enarrantur. Quibus autem motis est contextum argumentum ve ad allegoriam conuertere, per Paschalia seu transitus solemnia, animi purgationem subindicant. Aiunt enim, sapientiæ amatorem aliud nihil studere, quàm traiectum à corpore & affectibus. Quæque verò domus circa illud tempus conformitatem & maiestatem templi præ se ferebat, cùm hostia mactata ad congruum epulum pararetur: & qui ad conuiuia publica vocati conuenerant, aspersionibus purificantibus purgati essent: quippe qui aduenerant, non vt ad cetera conuiuia indulgendi gratiâ ventri, & abdomini, inter pocula & fercula; sed ad patrium morem accuratè seruandum, cum precibus, votis, & hymnis. Porrò celebratur victima communis decimaquartâ mensis, quæ quidem duabus hebdomadibus constat, ne quid expers septenarij existat eorum quæ honore digna sunt.

Exod. 12.

Paschalis victima.

Hæc verò auspicatur quidquid illustre & venerandum in singulis est. Huic autem transitus festiuitati coniunctum est festum Azymorum, quod distinctum & insolitum cibi vsum habet, vnde & nomen sortitur. Duplex autem huius Festi ratio assignatur, vna

5. Azymorũ dies duplex, cuius ratio.

vna gentis est proptia, propter memoratam transmigrationem; altera communis, ex naturæ conuenientiâ, & vniuersitatis concentu. Ceterùm quam alienum à falso sit quod dicitur, animaduertendum est. Cùm hic mensis numero & ordine iuxta circulum solarem septimus sit, virture tamen primus est. quam ob causam primus etiam in sacris Voluminibus inscribitur. Causa verò (vt ego quidem existimo) hæc est. Vernum æquinoctium imaginem ac simulacrũ contigit esse principij illius in quo hic mundus est fabricatus. Quorsnois igitur Deus in memoriam reuocans mundi originem, ver ostendit, in quo florent & pullulant omnia. Quaptopter non abs re primus hic mensis in legibus descriptus est: quandoquidem initij primi effigies est. quodammodò ab illo tamquam archetypo & primo sigillo expressa. Huius autem Festi decimaquinta dies mensis media est, quâ luna plenum orbem colligit: consultò, quòd nullæ tenebræ sint per illam diem, [lunâ à vespere vsque in auroram lucente.] Festum autem rursus per septem dies celebratur, ob oumeri huius prærogatiuam, vt nihil eorum quæ ad tranquillitatẽ spectaot & gratiarum actionem Deo debitam, desideretur in sacrâ hebdomade. E septem verò diebus duas, pri[...] videlicet & vltimam, sanctas nominaui[...]cipio, vt pat est, & fioi priuilegium concedens: simul etiam constituens, velut in iostrumento musico, extremorum conceotũ connectere. Panis autem non fermentatus adhibetur, nempe propter maiotes, qui diuino comitatu ad sacram coloniam missi, panes azymos intulerant, [intolerabili anteà fetmento vsi:] aut quia ad id tempus (vernam dico tempestatem, in quâ Festum celebrari contigit) frumenti seges immatura est, agris spicas ferentibus, sed nondum appetente messis opportunitate, [propter fructum adhuc immaturum, paulò post maturescendum] lex apptobauit ex similitudine cibum absque fermento. Hic enim etiam inchoatus imperfectúsque est, ad spem bonæ recordatioois: perinde ac si natura iam anoua muoera geneti hominum pareret, & pro rerum ad victum oecessariarum copiâ & abundantiâ. Porrò illud quoque ab Eloquiorum sacrorum Interpretibus dicitur, edulium non fermentatum, naturæ munusculum esse: fermentatum verò, artis opificium. Cùm igitur verna festiuitas mundi originis monumentum esset, & antiquissimos terrigenas necesse fuisset mundi donis rudioribus vti, voluptate noodum ea deliniente; lex diuina escam tempori aptissimam proposuit, vt per singulos anoos veneraodi austerique victus suscitabula excitaret.

Septimi mensis ordo, effectus.

Vera natiuitas.

Vsus panis azymi ratio.

Festus etiam dies est posterus festi, cui cognomen ab euentu impoòitur, Manipulus. hæ siquidem primitiæ altari nuucupantur, & regioois quam gens propria nacta est, ac totius territorij: ita vt eiusmodi primitiæ nationis etiam propriæ fiot, & cum vniuerso hominum genere communes: & vt qui verè Deus est colatur, pro hac natione & alijs, quòd fecundissimam terram obtinuerint. Eteoim nihil est in istâ terrâ triste & fœdũ: imò etiam quæ saxosa & salebrosa esse videntur, venis mollibus cincta distinctaque sunt, & sulcis valdè profundis: quæ quidem venæ ob fidelem certamque fetacitatẽ aptæ sunt ad animaliũ procreationem. Ceterum multa per primitias repræsentantur: ac primùm Dei memoria, deinde remuneratio iustissima fertilitatis & copiæ fructuum, quæ fit Deo, vt reuerà auctori & causæ. Hordeum autem primitiarum manipulus est, ad eorum vsum qui frugaliter viuuot. Enimuerò quia pium non fuisset, ex omnibus primitias dare, cùm pleraque ad voluptatem potiùs quàm ad necessarium vsum traducta sint; neque iustum sit frui participemque fieri alicuius ex esculentis, nisi quibus decorum & fas est, agantur & habeantur gratiæ: lex iussit vt cibi genus secundo loco honoratum, hordeum pto primitijs offerretur. Noo enim frumenti prætogatiuam sortitum est: cuius primitias, quæ insigniotes sunt rursus ex integro in aliud magis opportunum tempus distulit.

6. Festum manipuli. Leu. 23, 10

Hordei primitiæ.

Cùm manipuli celebritas tot tantaque habeat priuilegia, præcurrit, vt ptidiana, alteri Festo solemniori: nam ab illâ die numeratur Pentecoste, septem hebdomadarum sacrum numerum obsignante vnitate. Appellationem autem nactum est Festum instans primorum fœtuum à quinquagenario numero, io quo duos panes fetoientatos è tritico confectos offerre mos est, quasi primitias frumenti præstantissimi cibi, [appellatum est etiam hoc Festum primitiarum] an propterea, quòd priusquam fruges annuæ ad homioum vsum veniant, recentis frumenti fetus primus, & fructus primus spectabilis, primitiæ adducuntur, vt exiguo signo & iudicio gratum & memorem beneficij prodant animum? [gratiæ siquidem in auctorem earum refundendæ:] an quia per excellentiam primus atque optimus fetus, tritici fructus est? [vt videlicet per eius oblationem alia inferioris speciei, vt secales & speltæ, semina purificentur.] Sunt autem fermentati panes, quòd lex interdixisset adferre infermentata liba super altare: non vt contentio exoriatur in ijs quæ iniunguntur, verùm vt per vnicam speciem quodammodò dare atque accipere integrum sit: accipere quidem

7. Festum septem hebdomadarum.

Azyma altari non imposita.

quidem gratiarum actionem ab offerentibus, dare verò nullâ interpositâ morâ, quæ more constituta sunt offerentibus, non tamen ita vt vsui sint. Etenim semel consecratis,ij quibus fas est, vtentur: fas autem est sacerdotibus. Est etiam fermentum duorum quoque aliorum nota, quorum vnum est perfectissimum & integerrimum alimentum, quo melius & conducibilius ad quotidianum vsum non est reperire. Optimus autem est frumenti fructus inter sata, vt pro præstantissimo congruat optimas primitias facere. Alterum est notæ insignioris, quòd omne fermentatum extollatur. Animi verò gaudium est, rationis expers elatio. Prætereà nullam ob rem magis gaudere solet homo, quàm ob copiam & abundantiam rerum necessariarum: propter quæ æquum est læto animo gratias agere eos, qui inaspectabilis iucunditatis, quæ in intelligentiâ est, gratiarum actionem sensibus patentem per fermentatos panes exhibent. Panes autem sunt, at non frumentum, primitiæ: quoniam nihil ampliùs deest eorum quæ ad fruitionem alimenti pertinent, frumento constante. Ferunt enim, triticum postremum satorum omnium exoriri solere, & ad messem adesse. Nam duo sunt optimi duobus temporibus gratiarum agendarum modi: tum præteriti, quòd in eo egestatis & famis malis vexati non fuerimus, in fertilitate & copiâ rerum degentes: tum futuri, propterea quòd suppeditationes & apparatus in futurum procurauimus.

Sacerdotes consecratis vtuntur.

8. Sequitur deinceps Hieromenia, siue sacri mensis festum, circa quod moris est in templo tubâ canere, dum victimæ adducuntur: vnde etiam tubarum Festum verè appellatur: cuius duplex est ratio, vna propria gentis, & altera communis omnibus hominibus. Atque illa quidem propria, commemorationem prodigiosi atque miraculosi operis continet, quod eo tempore accidit, quo Legum oracula promulgata sunt. Enimuerò tunc vox tubæ è cælo sonitum edidit, quem probabile est ad fines vsque vniuersitatis peruenisse. Vt etiam absentes eiusmodi sonus percelleret, cùm secum commentarentur, vt probabile est, ea quæ adeò magna essent, magnorum effectuum signa certa existere. Quid verò maius aut conducibilius ad homines venire posset, quàm leges generales? Cõmune autem illud est cum omnibus hominibus: tuba nimirum est instrumentum belli, tum ad excitandos homines classico, tum ad receptui canendum. Est etiam aliud bellum diuinitus inuectum, quando natura dissidet in seipsâ, partibus eius sibi inuicem insidiantibus. Atque ab vtroque bellorum genere res terrestres labefactantur, & pereunt, ab hostibus quidem, arboribus cæsis & exustionibus: ab ijs verò quæ secundùm naturam fiunt, siccitatibus, deflagrationibus à sole excitatis, niuoso frigoris rigore, temperatum annuatum consensu ad inconcinnitatem desinente. Quapropter festum diem ab instrumento bellico, tubæ, denominatum, lex declarauit ad gratias Regi pacifico agendas, qui seditionibus tam in ciuitatibus, quàm in partibus vniuersi extinctis, prosperitates ac fecunditates cōcessit, cùm nullum fructuū exitij fomentum permiserit suscitari.

Sacri mensis festum tubarum Feriatio.

9. Ieiunij festum post tubarum clangorem celebratur, quod maximum omnium Moyses enuntiauit, & patriâ linguâ Sabbatum sabbatorum nominauit. Hoc autem est (vt Græci & Romani consueuêre loqui) septimanæ septimanarum, & sanctis sanctiores; idque pluribus de causis. Ac Primùm quidem propter continentiam quam semper iniungit, & nunc per linguam & ventrem, & ea quæ ventri subiecta sunt, exhibere expresse iubet, cùm diem delectum ei consecrauit. Nam qui didicit ab esculentis & poculentis abstinere, quæ adeò sunt necessaria, ecquæ superuacaneorum non despiceret? Secundò au[illegible] quoniam quisque incumbit precibus & [illegible]licationibus: cum homines otio fruentes, [illegible] in re nullâ à diluculo ad vesperum occupati sint, quàm Deo acceptissimis orationibus offerendis, quibus Numen placare & conciliare student, dum peccatis veniam poscunt, & bona sperant, non propter se, sed propter benignam & propitiam eius naturam, qui veniam ante supplicium statuit. Tertiò propter tempus in quo ieiunium celebrari contigit: etenim ad illud iam omnia collecta conuectaque sunt, quæcumque terra per annum produxit. Quocircà confestim ijs quæ orta sunt inferciri, inexplebilis cupidinis opus esse arbitrandum est; tum verò ieiunare, nec cibum attingere, perfectæ pietatis: quæ quidem mentem edocet, confidendum non esse ijs quæ prompta parataque sunt, quasi sanitatis aut vitæ causæ essent. Quocircà qui post messem & conditos fructus abstinent à frugibus, tantùm non vociferantur, Naturæ quidem dona beneficiaque lubentes accepimus, eaque condita seruabimus: sed nihil quod caducum ac fragile est agnoscimus nostræ incolumitatis causam: salutis verò auctorem Deum, qui hunc mundum regit, prædicamus, cui per hæc, & absque his alere & conseruare licet. Proinde maiores etiam nostros in deserto annis quadraginta nutriuit. Deut. 8. Matth. 4. Ceterùm ieiunij dies celebratur mensis decimo; quia decas absolutissima est. Idcircò vt inedia

Ieiunium solemne Sabbati Sabbatorum.

edia esurialium feriarum numero perfecto fieret, constitutum, propter alimenta optima eius quod optimum in nobis est: vt ne quis existimaret, famem, quod omnium maximè intolerabile est malum, inducere sacrorum antistitem: sed eius potiùs influxus, qui in corporis canales permanat, succisionem exiguam sufflaméve. Sic enim futurum erat, vt dilucidus riuus, à fonte rationis scaturiens, leniter placideque in animum ferretur: quandoquidem cibi continui obruunt corpus, & rationis vsum vnà peruertunt. Quòd si cohibeantur alimenta, ratio, velut in itinere sicco, profectionem tutam atque inoffensam facere poterit. Alioqui consentaneum erat, (cùm omnia ex animi sententiâ ad fertilitatem processissent, super rebus perfectis) in penus & cupediarum abūdantia egestatis recordationem seruare, à cibis abstinendo, & preces fundendo, ne in posterum ad veram experientiam indigentiæ necessariorum veniretur.

10\. *Festum tabernaculorum.* Postremum Festum è solemnibus Tabernacula nuncupatur, quorum tempus incidit in æquinoctium autumnale. Hinc duo constant; & honorandam esse æqualitatem, vt iustitiæ originem, & lucis nullam admittentis vmbram cognatam; atque etiam, post omnium fructuum maturitatem perfectionemque decere grates agere Numini ad perfectionem cuncta ducenti. Etenim autumnus adultus (vt nomen vtique Græcum declarat,) tempus est colligendis & comportandis fructibus aptum, ob naturæ animantes amantis prouidentiam. Et profectò in tabernaculis iniunctum est versari festiuitatis tempore, eò nimirum quòd non ampliùs opus sit in agri culturâ laborantes sub dio degere, nullo iam terræ fetu relicto, omnibus verò fructibus in cellis reconditis: quòd damna consequi soleant, tum ex solis ardore, tum pluuiarum impetu: & propter longæ profectionis maiorum commemorationem: quâ per desertum susceptâ, in densis tabernaculis diuturno tempore per singulas stationes conuersabantur. Decet autem in diuitijs meminisse paupertatis, & ignominiæ in gloriâ, & in pace periculorum. Rursus initium huius Festi decimâ quintâ mensis appetit, propter dictam etiam in vernâ tempestate causam: vt non interdiu tantùm, sed etiam noctu plenus sit mundus luminis pulcherrimi, solis & lunæ radijs ad illam diem sibi inuicem ex aduerso exorientibus, sine notarum discrimine; quibus confinium caligo non discernit. Porrò super septem illis diebus, octauam signat; eamque exodium, hoc est corollarium appellauit. Non, vt verisimile est, festi solùm, sed omnium etiam annuarum solemnitatum, quas enumerauimus: nam vltima est anni & clausula, metaque stabilior & sanctior: cùm illi qui iam reditus à regione acceperant, non ampliùs curis anxijs de sterilitate agitati formidarent. Equidem hæc luculentiùs & fusiùs tractaui ob sacram hebdomadam, cùm ostendere vellem, vsuuenire, vt omnes anni festiuitates originem trahant ab hebdomade, quæ sermonis huius mater existit.

2\. Vmbra nostrorum fuerunt Festa Iudaica, quantumuis Iudæum pudeat. Et ideò si quæsieris ab illo de Paschâ & azymis, nihil magni proferet; vel si quid magnum, nihil tamen quale nos, cùm veritatem non nouerit. Nam ille quidem dicet, quòd detinentes Ægyptios sic Deus mutauerit, vt ipsi nos propulsarent qui nos antea vi detinebant, neque massam fuerant fermétari. Sin me quispiam interrogauerit, non Ægyptum, non Pharaonem audiet, sed ab errore dæmonum, tenebrarum, & diaboli libertatem: non Moysen, sed Dei Filium: non rubrum mare, sed Baptisma, innumeris abundans bonis, in quo vetus homo suffocatus est.

CHRYSOSTOMVS in 1. ad Cor. 5. Hom. 15. Iudaica festa vmbra nostrorum.

3\. Primùm autem dicamus, quamobrem ex omnibus finibus fermentum expellitur. Quodnam hoc ænigma? Oportet vt omnem malitiam fidelis eijciat: vt enim Iudæus perit, cùm apud illum vetus inuenitur fermentum, sic apud nos is in quo inuenitur malitia. Non enim in vmbrâ quidem tantùm supplicium, in nobis autem non multò maius. Nam si domos sic à fermento expurgent, & vel de murium foraminibus sint solliciti, multò magis nos animam oportet perscrutari, vt omnem immundam abijciamus cogitationem. Sed hoc quidem olim apud eos fiebat, nunc autem minimè: vbique enim est fermentum vbi Iudæus. in medijs enim ciuitatibus azymum fit, quod magis est ludibrium quàm vetus lex. Cùm enim veritas venerit, nullus est ampliùs locus typis ac figuris.

4\. Lex futurorum bonorum vmbram continens, vnum illud propositum habet, vt varijs mandatis homo ab immixtâ naturæ suæ malitiâ purgetur. Huc spectat circumcisio, huc Sabbati, huc ciborum, huc variæ animalium immolationis, huc omnium denique legis cærimoniarum & institutorum obseruatio. Quemadmodum igitur per circumcisionem, quæ spiritu peragitur, natura cupiditates abijcit, vitam carni obnoxiam amputans, & circumcidens; per sabbatum autem instituimur, vt quiescentes à peccatis abstineamus, & animalium mactatio nos docet, vt perturbationes & vitia mactemus; & ciborum immundorum interdictio nos monet,

NYSSENVS in Pascha. Ad quid nos instituant Festa antiqua.

monet, vt ab impurâ immundaque vitâ recedamus: sic & hæc celebritas illam indicat celebritatem, ad quam animus per azyma præparatur, dum septem diebus à fermento iubet abstinere. Quod autem innuitur, est eiusmodi.

Septem dierum numerus prætereuntem huoc temporis cursum significat, qui per hebdomadas circumuoluitur. Diligenter enim quotidie cauendum est, ne dies instans vllas hesternæ malitiæ reliquias conseruet, ne quid acerbitatis aut amaritudinis hodierno fermento veteris improbitatis mixtio pariat. Amaritudo enim è vitâ torporem & ignauiam expellit; & illius loco fortem & duram & asperam viuendi rationem introducit: siquidem omnis disciplina principiò videtur non lætitiam, sed molestiam afferre. Quare qui vitæ totius hebdomadem nullâ veteri malitiâ commistam, sed ab ipsius fermento liberam transigit, temperantiam in victu tamquam obsonium adhibens, is ab omni tenebricosâ mixtione seipsum auocat. Hoc enim quartædecimæ lunæ cursus significat. Nam cùm totum ipsius cursum nouem & viginti dies cum dimidio conficiant, quo quidem spatio luna tum crescendo circulum perficit, tum decrescendo minuitur, vt omni prorsus luce deficiat; fit, vt horum dierum dimidium numeri quatuordecim dies & paulò ampliùs contineat. Cum igitur proprio cursu progrediens nocturno spatio sic orbem suum luce compleuerit, vt diei splendori nitorem adiungat suum, sequitur, vt neque vesperi neque manè tenebras vllas sinat interponi, quibus continua lucis series interrumpatur, cum in elementis perpetua luminis successio maneat. Priusquam enim solis occidentis radij planè deficiant, è regione cernitur luna, quæ luce suâ mundum illustrat: & rursum antequam hinc cursu confecto luna discedat, lucis eius reliquijs diei splendor adiungitur. Atque ita ex illâ nocte, quâ luna plena est, tenebræ penitus excluduntur, mutuâ solis & lunæ tum vesperi tum manè successione. Quod igitur luci sensibus expositæ quartadecimâ die contingit, vt per totam noctem atque diem nullam tenebrarum mixtionem admittat, id spiritalis lex vult esse documentum, vt per totam vitæ hebdomadam præclarum vnum Pascha & à tenebris remotissimum celebrantes, omne temporis spatium in luce transigamus. Hæc est celebrandi Paschatis apud Christianos institutio atque obseruatio. Idcircò quartamdecimam hanc diem attendimus, vt ex hac luce quæ sensu percipitur, & in materiâ sita est, lucem materia seiunctam, & quæ solâ mente comprehenditur, intelligamus, & dum videmus lunam plenam inquirere, quæ perpetuum ex se lumen totâ nocte præbeat, nihil aliud nobis eâ re legem præscribere existimemus, nisi vt omne tempus quod nox diesque demetitur, virtutibus illustratum & splendidum, & nullis tenebrosis actionibus permixtum inquinatúmve traducamus. Etenim solis medium suum cursum tenentis, atque æquali spatio & interuallo diem noctémque dimetientis accessus, humanæ naturæ ex morte ad vitam redeuntis, vti & magni Paschatis festi mysterium nobis innuit, quod omnis hominum vita celebrat, spem concipiens resurrectionis. Nam æquinoctium in quo hominem Dominus terræ peccatis affixum vitæ rursum restituet, per resurrectionis hoc festũ indicat, fore vt non ampliùs æquo marte cum aduersario nostro concurramus, aut mala bonis commisceantur, sed vt lux, id est vita proba virtúsque præualeat, idololatriæ tenebris die crescente euanescentibus. Hanc ob rem etiam luna, decimo quarto cursus sui die, ex aduerso solis, faciem suam ex eius oppositione fulgore repleuit, vt omnes penitus tenebræ pellerentur, nec vlla eorum pars aut vestigiũ superesset. Luna enim solem excipiens, non priùs occidit, quàm veris solis fulgoribus suos commiscuerit, ita vt continuâ quadam luce tam nox quàm dies illustretur, nec illæ tenebræ intercedant, quæ noctem diemque diuidant.

5. Et hæc quidem hactenus: verùm ad reliqua pergamus, illud considerantes, quòd Moyses suos è malis educturus, primogenitis Ægyptiorum omnibus mortem intulerit, suo hoc facto nos docens prima peccandi initia radicitus tollere. Nam si ipsam præcisè historiam spectauerimus, quo pacto Dei sententia iusta videatur? Iniuriantur enim Ægyptij, & pro illo recèns geniti infantes puniuntur, qui ob imperfectam ætatem nec boni nec mali differentiam nouerũt. Vbi iustitia? vbi Ezechiel clamans, Anima quę peccauerit, ipsa morietur, nec patris delicta suscipiet natus? Quomodo igitur historia rationi aduersatur? An non igitur facilius fuerit ad analogicũ sensum spectantes, ex eo quod contigit credere legislatorem typicam aliquam doctrinam elicere? Quod ergo hac historiæ figurâ docemur est huiusmodi: oportere scilicet primas cogitationes & prima peccandi initia, & vias primas radicitus tollere. Nam qui principia destruxit, is quod ex ijs sequitur simul deleuit. Numquam enim homicidium aut adulterium oriri potest, nisi alterum ex irâ, alterum ex cupiditate nascatur. Qui primogenitum interimit, is partum quoque qui ex primogenito nascitur, simul inter-

Nyssenus de Vitâ Moysis.

Ezech. 18, 4

Principia peccatorum opprimenda

interimit. Sicuti in occidendo serpente, qui caput oppressit atque percussit, is totum quod à capite trahitur corpus mortificauit, quod minimè vmquam fieri poterit, nisi sanguis in ostijs infundatur, qui percussorem facilè repellit: non enim ingressum percussorem eijcere, sed ne omnino subingrediatur cauere lex iubet. Cautio autem & custodia tuta est, vt sanguine agni superliminare simul & postes perungamus; ita per ænigmata nos ea lex instruit, & sæculi quoque doctrina philosophatur. Nam animam in rationalem, concupiscibilem & irascibilem Philosophi partiuntur: quarum duas postremas, irascibilem dico & concupiscibilem, subesse aiunt, ac vtramque rationalem sustinere: rationalem verò vtrisque innixam vtramque continere, & ab vtrisque sustineri, vt ad fortiter quidem agendum per iram excitetur ac roboretur, ad boni autem fruitionem concupiscentia efferatur. Quousque igitur anima hoc ordine seipsam tutatur, rectis cogitationibus quasi quibusdam clauis firmata, vtrimque ab inuicem in omni operatione ad bonum promouetur, ratione videlicet, subiectis sibi potentijs, securitatem præbente, & mutuum vicissim ab illis obsequium & auxilium recipiente. Si verò is ordo conuersus fuerit, & quod suprà esse debet, subijciatur, & cupiendi ac irascendi vis rationem de loco suo deiectam conculcet, tunc percussor ingreditur, tunc nulla sanguinis vis ipsi resistit: nihil enim fides in Christum his prodest, qui peruersione huius ordinis corrumpuntur. Primo enim superliminare inungi, deinde vtrumque postem tingi sanguine iubet. Quomodo igitur quis supremam partem inunxerit, si supremam partem non inuenerit? Diuersitate autem nominum Israëlitici & Ægyptij, hic vel ad virtutem vel ad vitium & sanguinis diuersam habitudinem intelligimus. Conuenienter igitur Ægyptiæ prolis initia tollenda esse didicimus, vt deficiat malum iam inde à primordijs suis è medio sublatū. Sed ad hunc quoque spiritualem sensum, quæ sequuntur spectant. Iubent enim nutrimentum assumendum esse, id est corpus vnde sanguis effusus est, quo repellitur Ægyptiorum percussor, si aditum nostrum illo signatum perspexerit. Edendi verò modum non remissum quemdam tradit, vt in conuiuijs fieri solet, vbi conuiuæ sedent, manibus liberis & pedibus non ad iter calceatis, & ad

Exo. 12, 11 hæc effusis induti vestibus. Sed contrà quasi ad iter pedes iussit comedendo habere ductis calceis calceatos, cingulo sustineri ac comprimi vestem ne effundatur, ac in manibus baculum teneri, quo canes arceantur. In hac itaque dispositione festinanter agnū comedere iubentur, non operosâ cocorum arte præparatum, sed igni, vt contigit, assum, & cum omni celeritate raptim illū absumere, quousque totum animalis corpus consumptum fuerit, dumque ex ijs quæ ossibus adhærent, comedunt quidquid esculentum est, & ab eo quod intus est abstinent: prohibitum enim est ne ossa comminuant animalis huius, sed quod ex illâ manducatione reliquum fuerit, igni tradere iubentur. Ex quibus omnibus manifestum est, altiorem aliquem sensum Scripturam spectare. Patet autem, hoc viatoris habitu & apparatu significari quasi quibusdam inuolucris, planè cognoscendam esse vitam nostram, quòd nimirum ad visendum obiter hoc æuum accedimus, & simul atque nati sumus ad exitum necessitate quadam compellimur, ad quem præparatos nos esse vult pedibus & manibus, reliquoque ad iter apparatu. Ne igitur spinis vitæ huius (spinæ autem sunt peccata) nudi & inermes pedes lædantur, calceorum eos duritie muniamus. Isti autem calcei sunt, tenuis ac durus victus, qui debilitat atque frangit spinarū acumina, quibus à paruo renuique principio ad interiora vsque peccata ingrediuntur. Pedibus autem circūfusa vestis & ad plantas vsque demissa, impedimento vtique fuerit illi qui hoc iter celeriter decurrere conetur. Hic itaque consequenter talaris & effusa vestis, rectè intelligatur voluptuosa & vitiosa vita quæ latissimè patet. Hanc moderata ratio ceu cingulum viatoris coarctat.

Ritus comedendi agni quid significet.

Habitus viatoris.

Quòd autem pro modestiâ cingulum capiatur, etiam membra corporis quæ cingulo connectuntur, testimonio sunt. Baculus verò, quo & ipsas feras repellimus, spes est. Hac enim inducimur, vt labores simul & dolores sufferamus, & ardentiùs plerumque in latrantes canes insurgamus. Ex igne autem cibum nobis propositum, fidem scilicet ardentissimam, prompti suscipiamus, ex ea quidquid obuium est sumentes, id quod reconditū in durioribus & intellectu difficilioribus sententijs latet, tamquam sermonem qui nec temerè nec curiosè scrutandus sit, relinquamus, iuxta id quod in ænigmate nobis declaratur, dutum cibum igni tradentes. Hæc autem dicimus, quoniam diuinorum oraculorum, quæ quidem obuium habent intellectum, non ignauiter nec quasi coacti debemus pertractare, sed vt famescentes comedere cum desiderio, & libenter, vt hic cibus nobis ad bonam animæ valetudinem prodesse queat. Alia verò quæ sic latent, vt si quis quæreret, quæ sit substantia Dei, quid ante creationem fuerit, quæ sit necessitas eorum

Agnus assus.

Ossa non comminuta.

rum quæ fiunt, aliaque quàm plurima, quæ curiosè multi quærunt: hæc omnia Spiritui sancto relinquenda, qui Dei profunda inuestigat, & scit, vt Apostolus ait. (1.Cor.2,10) Nam ignem pro Spiritu capi plerumque in sacris litteris, nemo illas edoctus negabit. Hoc est etiam quod Sapientia monet, Fortiora te ne scruteris. (Eccl.3,22.) Hoc est, ossa verbo Dei ne confringas: non enim est tibi opus absconditis. Sic Moyses ab Ægypto populum educit, & quicumque eius vestigia sequitur. Oportet autem nos qui talem ducem sequimur, non omnino pauperes esse, nec diuitiarum Ægypti expertes, nec penuriam eorum pati, quæ alienigenis in pretio sunt, sed mutuò ab ipsis accipere, ac apud nos retinere: quod præcepto Moysis tunc in Ægypto populus facere iubetur. Verum id non tam facilè percipiens quisquam mentem legislatoris ita intellexerit, ac si ille defraudare mandarit commodantem, & ad iniustitiam dux exstiterit: quod tamen velle Moysen nemo rectè dixerit, (*Spolia Ægypti.*) qui sequentium legum naturam respexerit, quibus iniuria in proximum passim vetatur. Conuenientior est sublimior sensus eo, qui ad litteram exponenti occurrit, quasi nimirum Scriptura iubeat, vt ij qui honestè ac liberaliter ex virtute vitam instituunt, eruditionis Gentilium diuitias sibi comparent, quibus alieni à fide homines exornantur. Moralem naturalemque Philosophiam, Astronomiam, Dialecticam, ceterasque scientias quibus alieni ab Ecclesiâ florent, accipere ab illis, ac illos ijs auferentes, si fieri possit, priuare, & in meliores vsus transferre iubemur, vt quæ nobis vsui futuræ sint, cùm opus fuerit diuini mysterij templum his spiritualibus opibus exornare. Multi siquidem Gentilium eruditionem tamquam donum quoddam Ecclesiæ offerunt: cuiusmodi Magnus ille fuit Basilius, qui cùm Ægyptias opes in iuuenili ætate sibi egregiè comparasset, Deoque consecrasset, verum Ecclesiæ tabernaculum eiusmodi opibus exornauit.

THEODORETVS. *Spolia Ægypti quo sensu iusta.*

6. Iuxta historiam autem, multum in Ægypto populus laborem subijt, lateres coquens, parietes vrbesque ædificans. Dominus igitur Deus aliquam illos laborum mercedem referre cupiens hæc præcepit. Nemo autem existimet, solum Pharaonem Dei populum iustè afflixisse, & reliquos Ægyptios illis mercedem persoluisse. Nam & hi illius iniurijs ac iniustitiæ communicabant, Regis crudelitatem imitantes. Fugientibus autem ex Ægypto Iudæis, in perpetuam salutis ac libertatis obtentæ memoriam Paschæ festum celebrare iussit: quocircà etiam legem ferens dixit: Cùm rogabit te filius tuus dicens, quid est Pascha? dices quòd hodiernâ die eduxerit Patres nostros Dominus de Ægypto, & seruatis nostris primogenitis, deuastator vniuersa Ægyptiorum primogenita percussit. Philo quidem Pascha transitum interpretatus est, Iosephus verò transgressionem, (*Pascha quid interpretetur.*) nomen hoc primogenitorum Hebræorum salutem significat. Iussi sunt enim fasciculum hyssopi accipere, eoque in occisi agni sanguinem intincto ostiorum limina postesque inungi, vt deuastator Ægyptiorum primogenita occidens, viso sanguine, Hebræorum domos pertransiret. Decimâ quartâ autem lunâ eum immolabant circa vesperam; (*Ritus manducationis agni.*) eâdem quippe vesperâ Christus est traditus Iudæis. Cum lactucis autem agrestibus illum manducari præcepit, in memoriam amaræ vitæ in Ægypto transactæ, ac difficillimæ seruitutis ac cum azymis, non solum ad significandum itineris festinationem, & cibi extemporaneam præparationem, sed vt indicetur, ne vestigium quidem vllum Ægyptiacorũ morũ apparere debere.

Hæc autem omnia mysteriorum nostrorum sunt ænigmata: vngimus enim Sanguine Agni nostri non tantum limen, sed etiam vtrosque postes. Secundùm visibiliter quidem lingua labiaque continguntur atque sanctificantur, intellectualiter verò, pro limine quidem ratio, pro postibus verò vis irascibilis ac concupiscibilis inunguntur. Sed & hoc nobis congruit quod neque crudus, neque elixus comedatur, sed assus igni. Non enim dumtaxat litteram inspicimus, verùm etiam sensum perscrutamur, neq; humanas rationes cum diuinis commiscemus, quod Isaias reprehendit in ijs qui aquam cum vino miscent, sed solo igne vtimur, sancti nempe Spiritus gratiâ.

7. Igni assas agni carnes edebant Hebræi, (ISIDORVS Epist. 119.) magnum diuinæ incarnationis mysterium per huiuscemodi esum typicè adumbrantes, ac Dei agnum prædicentes, qui diuinæ essentiæ ignem, modo sermone omni præstantiore, cum eâ carne connectit, quæ nunc à nobis editur, vitiorumque adfert remissionem.

8 Non autem relinquendam esse carnem (THEODORETVS.) in sequentem diem sic intelligimus, quòd videlicet futura vita symbolis non indigeat, res enim ipsas in illâ videbimus. Ossa verò ouis conterunt qui malè diuinos sermones intelligentes, ad proprias suas iniquitates illos contorquere conantur. Quòd autem hæc non de ouibus tantùm, sed & de hœdis accipiantur, hoc diuinam rursus benignitatem demonstrat. Non enim pro iustis dumtaxat, sed etiam pro peccatoribus Dominus Iesus salutarem suam passionem sustinuit. Sic enim hæc intelligenda esse ipse nos docuit.

euit. Nam per agnos quidem ipse sanctorum collectionem repręsentauit, per hœdos verò teptoborum. Hœdum enim pro peccato offerri lex iussit, verùm qui diuinorum partícipes sunt mysteriorum, quasi ouem assumũt, quippe perfectam virtutem possidentes; reliqui verò quasi hœdos, qui nempe peccatorum maculas per pœnitentiam detergunt.

VERS. 2. Et quærebant principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodo Iesum interficerent: timebant verò plebem.

Chrysostomus in Matth. 26. Hom. 80. 9. MOYSES quidem vnum præcepit esse Principem Sacerdotum, & illo defuncto creari alium. Tunc verò cùm inciperent Iudaici ritus dissului, multi erant Principes Sacetdotum annuatim creati. Principes itaque Sacerdotum hîc eos dicit, qui iniquis modis in die festo moliuntur Iesum occidere, nec metuunt diuina, ne scilicet ex tempore facto maius incurrant peccati contagium; sed vbique timent humana: populum enim valde formidabant. Sed ô misericordiam atque benignitatem Christi, qui ad tam nequam homines, vt eos seruaret, Apostolos quoque licet ab ipsis occidendos, miserit, & per eosdem quasi supplicationem proposuerit. Pro Christo enim legatione fungimur.

Matt. 26. 14. Marc. 14, 10. VERS. 3. "Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim.

Chrysostom. in Ep. ad Philip. c. 2. Hom. 6. 10. NON aggreditur satanas, nisi permiserit Deus: neque enim gregem porcorum inuadere ausus fuit, Deo non permittente, multò minùs animas hominum. *Satanas nil potest nisi permittente Deo.* Permittit verò Deus vt vel erudiat, vel pœnam sumat, vel illustriores nos reddat, quemadmodum Iob. Vides ipsum non progredientem, neque audentem propiùs accedere, sed metuentem ac trementem? Et quid dico de Iob? Cùm enim in Iudam insiliret, quousque eum Christus à sacro Apostolorum choro non absciderat, non ausus fuit totum eum rapere, inque ipsum introgredi. Itaque tum quidem eum externè inuaserat, introgredi verò in eum nondum audebat. Postquam verò cognouit eum à sacro cœtu auulsum, vehementiùs in ipsum insilijt, quàm quouis sermone dici queat, nec priùs destitit, quousque eum duplici morte interemerat.
Auaritia malum. Vnde igitur in hoc consilij venit? ex auaritiâ. Fur erat, triginta argenteis Dominum prodidit, Dominum inquam orbis. Quid ista insaniâ peius? Quapropter & omnes Euangelistæ ista narrarunt, vt nos refrænarent. Procul malum hoc fuge. Non enim hoc solum est auarum esse, multas pecunias desiderare, sed omnino pecunias amare. Grauis est auaritia, plura quàm opus sit desiderare. Non enim auri talenta tunc erant, quæ proditionem suadebant. Triginta aureis ipsum tradidit. Itaque auaritia non demonstratur in eo, si plura accipiantur, sed multò magis si pauca. Vide quantum malum iste propter modicum aurum commiserit, imò verò non propter aurum, sed propter argenteos. Non potest, non potest, inquam, fieri, vt homo auarus vnquam Christi faciem videat.

VERS. 4. Et abijt, & locutus est cum principibus Sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis.

5. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare.

6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, vt traderet illum sine turbis.

Chrysostomus in Matth. 26. 11. VIDE quanta sit Iudæ malignitas, qui sponte ad prodendum abijt, & argento id facit. Pepigit, inquit, cum Magistratibus: nam propter Iudæorum seditiones quosdam præfecerunt Romani qui eos in ordinem redigerent. Iam enim principatus eorum secundùm prophetiam translatus erat. Quoniam autem multitudinem timebat, tempus quærebat, quo solum posset circumuenire.

VERS. 7. Venit autem dies Azymorum, in quâ necesse erat occidi Pascha.

Eusebius de Paschate. Pascha qui celebretur. 12. NON importunum fortasse fuerit quædam altiùs repetere de Paschate Hebræis in figurâ olim tradito, quomodo videlicet Iudæi rerum futurarum vmbras gerentes, primi Paschæ festum celebrarint. Capiebant itaque sibi pecus aliquod ex grege (erat autem ferè agnus vel ouis,) illud deinde inter sese immolabant, eiusque sanguine ostiorum limina postesque singuli inungebant, quò euersionem vastatoris euaderent. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. *1. Cor. 5, 7.* Causam autem cur ipse immolatus sit, assignauit Baptista, dicés: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. *Ioan. 1, 29.* Proprio vtique illius salutaris victimæ Sanguine vniuersum genus humanum curatum est, carnibus rationalibus enutritum, doctrinis videlicet, & regni cælestis sermonibus, atque promissionibus diuinis deliciamur. Etenim suum Sanguinem pro salutis nostræ lytro dedit: eo animam corpusque nostrum obsignantes ac munientes, omne genus dæmonum nobis

insidiantium eijcimus, & festum transitûs celebrantes ad diuina trâsire satagimus, non secùs ac Israëlitæ olim ex Ægypto ad desertum transiuerunt. Nos igitur etiam non tritum ac desertum iter ingrediamur, à veteri quidem consuetudine discedentes, & soli terum diuinarum vacationi animum adijcientes, terram transcendamus, acceptum Deo transitum celebrantes, viam quæ ad ipsum ducit ineamus, vetus fermentum ex animis nostris eijcientes, & veras lactucas siluestres, asperâ viuendi ratione proferentes. Tempus autẽ huius solemnitatis peropportunum accidit, non media hiemis tempestate (hęc enim tristis est ac permolesta) sed nec mediâ æstate vrente solstitio, & in agro versantium formositatem obfuscante, quando horæ diei ac noctis inæqualiter diuisæ sunt, solstitium verò vel potius æquinoctium autumnale visu minimè delectabile est, agris suis frugibus viduatis, & quasi prole orbatis, verùm in æquinoctio verno, quæ anni tempestas pulcherrima, & quasi corporis totius caput existimatur; cum Sol quidẽ primam orbitæ suæ partẽ obequitauit, luna verò plena lumine noctis cursum, clari similis diei, exornat Ac hibernorum quidem fragorum terriculamẽta dissipat, longa verò interualla cõiungit, & aquarum remittit inundationes, ac noua illucescente serenitate, nauigãtibus æquora fiunt pacatiora, ac viatoribus sudum cælum redditur. Ad hæc segeo agrique commissa sibi semina excludunt atq; protrudunt ad fructus faciendos, & agricolis Dei donis lætantibus in benedictione laborum præbet retributionem. Hoc est festiuitatis huius tempus, Ægyptijs quidem dæmonum amicis interitum, Hebræis verò Dei festa celebrantibus malorum adferens liberationem. Hoc tempore olim mũdus & vniuersa sunt condita, hoc tempore terra germinauit, hoc luminaria creata sunt, hoc totius mundi Saluator salutis nostræ mysteria consummauit, & suum festum instituit. Hoc luminare magnum pietatis suæ radijs vniuersum illustrauit, ita vt orbis natalem hoc tempus exhibere videatur. Sed & transitus nuncupatur, & ouis occisæ symbolum præfert, vti & panum azymorum seu cibi infermentati, quę omnia in sacrâ hac solemnitate completa sunt. Ipse enim Saluator, dum in corpore versabatur, ouis erat, & Sol iustitiæ. Ver autem diuinæ ac salutiferæ eius conuersationis, peruersam hominũ vitam in melius commutat. Quin & etiamnum Ægyptijs dæmonibus calamitates atque flagella diuinitus immittuntur. Quotquot verò orbis incolæ, ab idololatriâ & impijs erroribus liberati sunt, vbique terrarum festos dies agunt, prauis istis spiritibus populorumq; seductoribus modò quiescentibus & malorum omnium positâ tempestate. Nouorum fertilitas fructuum diuersis Spiritus sancti gratijs, Dei Ecclesiam coronat. Et simpliciter, omne genus hominum ad nos conuersum est, & vniuersæ regiones verbum agricolæ & spiritalem agriculturam nactæ, pręclaros virtutũ flores protulerunt. Quin & à vitiorum tenebris liberatis lumen ac dies cognitionis Dei affulsit nobis, per noua videlicet Christi documenta: olim enim hæc figurarum vmbris tegebantur, modò verò clarè reuelata sunt, & ad lumen adducta. Nos autẽ quotannis festi huius solemnitatem recolimus, & resuscitamus purgationem ipsi festo præmittentes, præparationis causa, quadraginta dierum exercitiunem, ad imitationem Moysis & Eliæ suscipimus; ipsam verò festiuitatem in sæculum indelebili modo renouantes. Ad Deum igitur iter nostrum dirigentes, lumbos quidem continentiæ cingulo præcingamus; gressus vero animæ quasi calceis munientes, ad cursum cælestis vocationis pręparemus. Diuinorum autem eloquiorum baculis instructi, & orationis virtute ad inimicos propulsandus vsi, in cæli iter cum omni alacritate decurramus, festinantes à terrenis ad cælestia, & à mortali hac vitâ ad imm ortalem transeuntes. Sic enim nostra ibi pro transitu sacrificia suscipiẽtur, si hic rectè vixerimus. Aliud etiam est & quidem maius festum, quod Pentecosten Hebræi vocant, quod regni cælorum imaginem refert. Dicit igitur Moyses: Inchoante te falcem in messem, septem septimanas numerabis tibi ipsi, & ex nouâ messe nouos panes offeres Deo. Prophetico nempe spiritu præfigurauit, messis quidem typo gentium vocationem, per recentes verò panes animas ad Deum adductas ex Ecclesiâ gentium, quibus maximum benignissimo Deo fit sacrificiũ. Rationalibus enim Apostolorum falcibus demessi, & omnibus totius orbis Ecclesijs in vnum congregatis, vnanimi consensu fidei Christo incorporati, ac veris diuinorum eloquiorum doctrinis enutriti, & per aquam atque ignem Spiritus sancti regenerati, Deo placentes ac sapidos per Christũ panes offerimus, Prophetica Moysis symbola, solemnioribus vtique sacrificijs ipso opere complentes. Nos enim ipsi festum illustrius instituimus, quippe qui cum Domino resurgimus, & regni ipsius participes sumus. Quapropter non ampliùs post hoc festum laborare sustinemus, sed speratæ in cælis quietis imaginem præ nobis ferre erudimur, cùm neque in orationibus genua flectamus, neque ieiunijs nos ipsos maceremus. Qui enim à Deo resurrectione digni sunt habiti,

Tempore veris.

Deut. 16, 9

Tempore Paschali cur flexio.

habiti, iam ampliùs in terram relabi nequeunt. Nec fieri poteſt vt à paſſionibus liberati eadem patiantur quæ accidunt illis adhuc ſubiecti. Quocircà poſt Paſcha per ſeptem integras ſeptimanas Pentecoſten celebramus, priùs quidem certamen quadraginta dierum exercitatione ante Paſcha per ſex ſeptimanas vitilitet ſuſtinentes. Sex enim numerus eſt laboris atq; operationis, quamobrem & ſex diebus vniuerſa Dominus perfeciſſe dicitur, illis nempe diebus operans. Secunda verò feſtiuitas quæ ſeptem hebdomadibus agitur, multiplicem atque longam nobis quietem adfert: ſeptenarius ſiquidem quietem perfectionemque deſignat, quem numerum Pentecoſtes feſtum continet: ſeptem autem hebdomadas vnitate excedens, hac feſtũ omnino Aſcenſionis Chriſti diem obſignat. Meritò igitur ſacris Pentecoſtes diebus futuræ vitæ quies deſignatur, quando anima ſummo gaudio, corpus verò quiete omnimodâ perfruetur: cum ipſo enim ſponſo exiſtentes ieiunare non poſſumus. Iudæi quidem iuxta legem Moyſis ſemel quotannis paſchalem agnum immolabant, decimaquartâ videlicet primi menſis ad veſperum. Nos verò in lege nouâ ſingulis diebus Dominicis Paſcha noſtrum immolantes ſalutari Corpore ſatutamur, ſemperque Sanguinis Agni participes efficimur, continuò lumbos noſtros caſtitate temperantiaque ſuccingimus, ſemper pedes habemus expeditos in præparationem Euangelij, ſemper baculos in manibus habemus, & virgę ex radice Ieſſe promananti innitimur. Semper ex Ægypto migramus, ſemper humanæ vitæ ſolitudinem ſectamur: ſemper ad Deum proficiſcimur & tranſitum celebramus. Hæc enim non ſemel dumtaxat in anno facimus, ſed continuò, & quotidie, vt Euangelicus ſermo ſuadet. Quapropter etiam ſingulis ſeptimanis ſalutarem ac Dominicum diem celebramus, veri illius per quem ſaluati ſumus Agni myſteria recolentes. Neque corpus ferro circumcidimus, ſed ancipiti verbo Dei vniuerſa animæ mala configimus: neque corporalibus azymis vtimur, ſed tantùm azymis ſinceritatis ac veritatis. Nam gratia nos à veteri conſuetudine malâ liberauit, & nouum hominem induimus, qui ſecundùm Deum creatus. Lex noua nobis data eſt, noua circumciſio, nouum Paſcha, quod à Iudaiſmo occulto, & antiquâ conſuetudine ac ſeruitute nos liberauit. Quin etiam Saluator non egit Paſcha cum Iudæis, circa tempus paſſionis: non enim quando illi agnum immolabant, tunc & ipſe fecit Paſcha cum diſcipulis ſuis. Nam illi quidem hoc egerunt in paraſceue, quando paſſus eſt Dominus: vnde

Pentecoſtes feſtum.

Paſcha Christianorum.

Eph.4.24.

Quando Chriſtus Paſcha fecerit.

nec introierunt in atrium Pilati, ſed ipſe Pilatus ad eos exiuit: Dominus verò die præcedenti, feriâ nempe quintâ Sabbati, cum diſcipulis accubuit, & côueſcens ipſis dixit, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum. Vides vt Saluator non cum Iudæis Paſcha comederit, cùm nouum id fuerit & inuſitatum: vetus nempe & exoleta Iudæorum paſcha manducandi conſuetudo non erat deſiderabilis, ſed nouum myſterium noui Teſtamenti, quod diſcipulis ſuis tradidit, meritò erat deſiderabile; quandoquidem plurimi Prophetæ ac iuſti noui Teſtamenti myſteria cernere auidiſſimè deſiderauerint.

Iudęos autem ab initio à veritate aberraſſe dico: ex quo enim veritati inſidiati ſunt, verbum veritatis à ſe expulerunt, vt clarè factorum Euangeliorum Scriptura teſtatur. Nam Dominum refert primâ die azymorum Paſcha comediſſe, quæ erat decima quarta lunæ, quando præceptum erat immolare Paſcha. Iudæos autem reprehendit, quòd non primo die azymorũ, quo, vt Lucas ait, oportebat immolare Paſcha, ſed die ſequenti, quæ erat ſecunda dies azymorum, & decimaquinta lunæ, quâ Saluatore noſtro à Pilato iudicato non introierunt prætorium. Non igitur primo die azymorum, quando ſecundùm legem oportebat immolare Paſcha, illud comederunt: nam cùm ipſi poſt Saluatorem noſtrum Paſcha fecerunt, patet eos inſidijs Saluatori ſtruendis impeditos & malitiâ ſuâ excæcatos ab omni veritate aberraſſe. Nos verò illa myſteria per totum annum recolimus: omni enim die ſabbatum præcedenti ſalutiferæ paſſionis memoriam facimus per ieiunium quo Apoſtoli abſente adhuc ſponſo ieiunarunt. Omni verò die Dominico meminimus ſalutaris eiuſdem reſurrectionis, & Corporis Dominici Paſcha in nobis reſuſcitamus, & Sanguine eius pretioſo animas noſtras communimus.

13. Phaſe ipſum feſtiuitatis tempus nominatur. Significat & tranſitum, vtpote populi Iſraelitici à ſeruitute Ægyptiorum liberati, ſicco pede per mare Rubrum in Terram promiſſionis proficiſcentis. Sic igitur & nos viriliter quaſi mare quoddam tranſuadare oportet, quod facimus, cùm vitę huius impedimenta abijcientes, quietam vitam amplectimur, & carnis amore poſthabito continentiam exercemus, ex ignoratione veritatis ad rerum diuinarum cognitionem adducimur, & mortem cum immortalitate commutamus. CYRILLVS

14. Quæ autem de agno dicta ſunt, myſterium ſunt animæ per aduentum Chriſti redemptæ à ſeruitute tenebrarum, ab Ægy- MACARIVS Hom 47.

 ptijs

pitijs spiritibus, à vero Phataone, qui præfecit homini stimulatores operis, spiritus malignos, cogentes eum, velit nolitve, committere praua sua opera, lutúque ac lateris complere constructionem. Qui etiam arcentes eum à cælesti sapientiâ, abduxerunt ad crassa, terrena ac lutosa opera praua. Vbi enim excidit e suâ sublimitate anima, incidit in regnum hominii infestum, & in principes crudeles, compellentes eam construere ipsis vitij peccatique ciuitates. Si verò ingemiscat anima, per spiritualem Moysen initium redemptionis consequitur. Ipso quoque mense recentiù florum liberatur, tempore nimirum veris, quando terra animæ, pulchros floridosque iustitiæ ramos potest emittere, præteritâ graui ignorantiæ tenebrarum hieme, atque excæcatione summâ ex peccatis obscœnisque actionibus prognatâ. Porrò omne tunc fermentum vetus ex vnaquaque domo aboleri præcipit, veteris nimirum qui corrumpitur hominis actiones atque consilia, mactari quoque agnum & immolari, eiusq; sanguine illini fores. Christus enim verus, bonus, atque immaculatus agnus mactatus est, & Sanguine eius vncta limina cordis, vt fiat effusus in cruce Sanguis Christi, animæ quidem vita & redemptio, Aegyptijs verò dæmonibus luctus & mors. Deinde post vnctionem iubet ad vesperam comedere agnum & azyma cum lactucis agrestibus, circumcinctos renibus, sandalijs calceatos, & baculos in manibus tenentes. Nisi enim anima, quantum in ipsâ est, priùs sit vndequaque per bona opera præparata, non conceditur illi vt de agno comedat. Et licet suauis sit agnus, & azyma bona, amaræ tamen & asperæ sunt lactucæ. Cum summâ ergo afflictione ac molestiâ edit anima de agno & bonis azymis, affligente eam inhabitante peccato. Et ad vesperam iubet edere illum. Vespertina autem hora, media inter lucem & tenebras est. Sic quoque anima in ipsâ redemptione constituta, media est inter lucem & tenebras, virtute diuinâ assistente, nec permittente tenebras in animam insurgere, & illam absorbere. Anima autem è tenebris exiens, accipit argentea & aurea vasa, videlicet suas probas cogitationes septuplo feruidiores, quibus inseruit Deo, & Deus in eis conquiescit. Dispersérant enim qui priùs vicini ei erant, dæmones, & occuparant ac dissiparant cogitationes eius. Abeunt filij Israel celebrato Paschate. Proficit quoque anima, quæ vitâ sancti Spiritus acceptâ, Agnum degustauit, eiusque Sanguine vncta, comedit verum panem Verbum viuum. Columna ignis & columna nubis illos præcedit custodiens:

Diaboli tyrannis.

Per Pascha immolationem euaditur.

Ritus comestionis agni

Spiritus sanctus suffulcit hos, fouens & dirigens in intelligentiâ animâ. Quamprimùm enim anima Aegyptios effugit, accedens diuinâ potentia opitulatur, deducens eam ad veritatem: vbi verò cognouerit Rex tenebrarum peccati, ab eo animam deficere, & regni sui cogitationes, quibus olim detinebatur, effugere (hæc enim sunt eius facultates,) existimauit ac spem sibi fecit horribilis ille, illam reuersuram ad eum. Vbi verò intellexit animam omnino eius tyrannidem euitare, cæde primogenitorum & furto cogitationum impudentiùs accurrit, veritus ne forsan animâ prorsus effugiente, nemo reperiatur qui voluntatem & opus eius impleat. Persequitur ergo eam afflictionibus, tentationibus, ac bellis inuisibilibus. Hic probatur, hic tentatur, hic apparet amor, quo eum qui eduxit ex Aegypto complectitur: traditur enim vt probetur, & varijs modis tenetur. Videt namque potentiam hostis irruere, & interficere volentis, nec tamen posse: Domini enim medius inter eam & Aegyptios spiritus consistit. Spectat autem ab interiori parte mare amaritudinis & afflictionis aut desperationis, & nec in posteriora quidquam efficere potest, quippe quæ videat hostes promptos, nec in anteriora secedere. Metus enim mortis & graues ac variæ afflictiones quibus circumdatur, mortem ei ob oculos ponunt. Desperat ergo de se ipsâ anima sententiam mortis in se habens, propter circumdantem illam malorum multitudinem: & vbi Deus eam metu mortis collabi conspexerit, tum præbet ei auxilium, eam an in fide stet probans. Talem enim Deus viam constituit ad vitam deducentem, videlicet in afflictione, in angustiâ & tentationibus. Cùm igitur anima abnegauerit semetipsam, tum manu validâ & brachio excelso Spiritus sancti Illuminatione vim tenebrarum dirumpit, & transit horrenda euitans loca, atque traijciens mare tenebrarum & ignis omnia deuorantis. Hæc sunt mysteria animæ, quæ verè complentur in homine qui ad promissam vitam peruenire contendit, & è regno mortis liberatus, à Deo arrhabonem accipit, Spiritus sancti effectus particeps. Anima deinde à suis hostibus liberata, acerbo mari virtute diuinâ traiecto, vbi hostes conspicit, quibus anteà inseruiebat, ante oculos interijsse, ineffabili exultat gaudio, & glorificata consolationem accipit à Deo, & in Domino requiescit. Tum Spiritus quem accepit, Deo canticum canit nouum, tympano nempe corporis, & citharæ siue animæ chordis rationabilibus ac subtilissimis cogitationibus, & plectro diuinæ gratiæ, & ad Christum viuificum

Anima sancta throno Dei.

uificum laudes mittit. Quemadmodum enim per tibiam spiritus traociens sonum edit, ita per sanctos & Spiritu præditos homines Spiritus sanctus psallit, & precatur Deum ut puritate cordis. Gloria sit ei qui redemit animam è seruiture Pharaonis, thronumque suum eam constituit, atque iotroduxit in regoum vitæ æternæ. Hæc de Paschate dicta sint, nunc ad ea quæ sequuntur transeamus.

VERS. 8. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, vt manducemus.

9. At illi dixerunt: Vbi vis paremus?

10. Et dixit ad eos: Ecce introëuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum in quam intrat,

11. & dicetis patrifamilias domus: dicit tibi Magister: Vbi est diuersorium, vbi pascha cum discipulis meis manducem?

12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.

13. Euntes autem, inuenerunt sicut dixit illis, & parauerunt pascha.

CYRILLVS 15. TYPOS cognoscimus, veritatem honoremus. Vbi enim, inquit, venit dies io qua oportebat occidi pascha, delegit duos Apostolos (erant autem Petrus & Ioannes) eosque misit in ciuitatem, dicens illis supradicta. Verùm cur hominem tam accuratè ijs quos mittebat, describit? Non enim dixit, Ite ad quemuis obuium, sed & signum dedit, amphoram aut vas. Quid igitur ad hæc dicemus? Anteà eum Iudæis pactus erat Iudas vt traderet eum: oe itaque cognito oomine istius homiois, domum panderet Pharisæis, quibusdam signis illos dirigit (sciebat enim & deflebat amentiam discipuli cædem magistri cogitantis) Occurret, inquit, vobis homo quidam amphoram aquæ baiulans. Aliquod hic mysterium declarari necesse est. Huc enim intrauit aqua, significans quòd per sacrum Baptisma Christus cunctos oos sordibus liberet, ita vt per illud nos fiamus templum Dei sanctum, & participes diuinæ eius naturæ per Spiritum sanctum. Aliam interpretationem quære apud sanctum Maximum.

TITVS. 16. Iesus itaque comedit Pascha legale cum discipulis, nobis autem reliquit Pascha cæleste. Veoit veritas, & comedit Pascha, aboleuit figuram, vt obtineret locum ipsa veritas.

VERS. 14. Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo. Matt. 26, 20. Marc. 14, 17.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 17. SED quomodo, si Pascha manducauit, contra præscriptum legis maoducauit? Noo enim fas erat illud discumbentes comedere. Quid ergo diceodum? quòd videlicet cùm comedissent legale Pascha, accubuerint, maoducantes quosdam alios cibos.

SVPPLEMENTVM.

Inserenda hic est solemnis illa pedum Apostolicorum lotio, quam describit

S. IOANNES CAP. XIII.

1. ANTE diem autem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Matt. 26, 1 Marc. 14, 1 Luc. 22, 1.

2. Et cœnâ factâ, cùm diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ:

3. sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit:

4. surgit à cœnâ. & ponit vestimenta sua: & cùm accepisset linteum, præcinxit se.

5. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes?

7. Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà.

8. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum.

9. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, sed & manus, & caput.

10. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes.

11. Sciebat enim quisnam esset qui trade-

traderet eum: propterea dixit: non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta sua: cùm recubuisset iterùm, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis?

13. Vos vocatis me Magister, & Domine: & benè dicitis: sum etenim.

14. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus, & Magister: & vos debetis alter alterius lauare pedes.

15. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

a Ioan. 13, 20. 16. "Amen, amen dico vobis: Non
Matth. 10, 24. est seruus maior domino suo: neque
Luc. 6, 40. apostolus maior est eo, qui misit illum.

17. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

18. Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed vt adimpleatur
a Psal. 40, 10. scriptura: "Qui manducat mecum panem, leuauit contra me calcaneum suum.

19. Amodò dico vobis, priusquam fiat: vt cùm factum fuerit, credatis quia ego sum.

a Matt. 10, 40. 20. "Amen, amen dico vobis: Qui
Luc. 10, 16 accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

De cœnâ ceteris copiosius Ioannes scripsit. SANCTVS AVGVSTINVS *lib. 4. de consensu cap.* 10. Deinde, *inquit*, in ipsâ cœnâ, de quâ Euangelistarum nullus tacuit, quàm multa & quàm excelsa verba eius Ioannes commemorat, quæ alij tacuerunt, non solùm de commendatione humilitatis, quando pedes discipulorum lauit; sed cùm expressus per buccellam traditor eius exijsset, remanentibus cum illo vndecim, in sermone ipsius mirabiliter stupendo, maximeque diuturno, idem Ioannes immoratus est, vbi dixit: Qui videt me, videt & Patrem: vbi multa locutus est de Spiritu sancto paracleto, quem missurus eis erat: & de clarificatione, quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset, & quòd vnum nos faceret in se, sicut ipse & Pater vnum sunt, non vt ipse & Pater, & nos vnum, sed nos vnum sicut ipsi vnum; multaque alia, mireque sublimia. *Cur Ioannes narret lotionem pedum potiùs quàm alij.* Ipsam Dominicam cœnam, de quâ nullus eorum tacuit, multò opulentiùs, tamquam de cellario Dominici pectoris, vbi discumbere solebat, exhibuit. Et quia illud præceptum verissimum ac saluberrimum est, *Eccl. 3.* Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus; qui Euangelista Christum longè ceteris altiùs commendat, apud eum discipulis pedes lauat.

VERS. 1. ANTE DIEM FESTVM.] *Id est (vt benè in Catenâ superiùs notat Eusebius Num. 11) decimâ quartâ lunâ ad vesperam, quando immolauit Christus cum Iudæis agnum paschalem, quæ vespera præcedebat ipsum festum Paschæ, siue primum diem azymorum, qui celebrabatur decimâ quintâ lunâ manè, quo passus est Christus. Hanc autem decimam quartam lunam alij Euangelistæ vocant primum azymorum ratione vesperæ. Nam vespera illius pertinebat ad sequentem diem primum azymorum, secundùm computum Festorum, licet ordine temporis pertineret ad decimamquartam lunam. Vide fusius de hac re Toletum, Maldonatum, aliosque Interpretes.*

EVTHYMIVS *ad illud*, Cùm dilexisset suos, Suos, *inquit*, vocat discipulos, vtpote domesticos, propter obedientiam. *Sui qui sint & cur sic dicti.* Sui autem appellati quoque sunt omnes Iudæi tamquam cognati: imò etiam omnes simul homines, tamquam creaturæ ipsius. Addidit autem, Qui erant in mundo: nam qui iam in virtute mortui erant, eius etiam proprij dicebantur, Abraham videlicet, Isaac & Iacob, quique tempore illorum iusti erant. Cùm ergo dilexisset discipulos ad id vsque temporis, tunc magis dilexit eos. Nam, In finem, idem significat quod Vehementer. Quia enim iam moriturus erat eosque relicturus, dilectionem intendit, ad accensionem vehementioris memoriæ ipsius. *Quid sit in finem diligere.* Signum verò intentionis fuit lotio pedum illorum: nam qui aliquem feruenter amat, ne extremum quidem eius ministerium deuitat.

BEDA *in cap. 13. S. Ioannis*, In finem, *inquit*, dilexit eos id est, in tantum dilexit, vt ipsâ dilectione vitam ad tempus finiret corporalem: mox de morte ad vitam, de hoc mundo transiturus ad Patrem. *Transitus legalis & Euangelicus.* Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis suis. Vnde rectè vterque transitus, & legalis videlicet & Euangelicus, sanguine consecratus est. Ille agni paschalis, iste eius de quo dicit Apostolus: Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Iste Sanguine fuso in cruce, ille in crucis modum medio limine, & superliminari, medius aspersus in postibus. In finem dilexit eos: vtique vt & ipsi de hoc mundo, vbi erant, ad suum caput quod hinc transisset eius dilectione transirent. Quid est enim In finem, nisi, in Christum? Finis enim legis Christus, ait Apostolus, ad iustitiam omni credenti. Finis perficiens, non interficiens: finis quò vsque eamus, non vbi pereamus. *Christus finis est.* Sic omnino intelligendum est, Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim est finis noster, in illum est transitus noster. *Rom. 10.* Intelligendum In finem dilexit eos, vsque ad mortem dilexit eos, qui tantum dilexit, vt ipse moreretur propter eos.

Illud itaque in finem *hunc duplicem admittit sensum, scilicet* in finem *id est vitæ, siue vsque ad mortem, vt etiam illud explicant Cyrillus & Rupertus. Vel vt suprà cum Euthymio Chrysostomus & Theophylactus accipiunt*, in finem *scilicet* amoris, *siue vsque ad perfectionem dilectionis, dilexit eos. q. d. Hactenus Christus valdè dilexit discipulos suos, sed iam iturus ad Patrem, perfectissimum eis amorem ostendit, scilicet lauando eis pedes, Eucharistiam instituendo, & ardentissimâ charitate eos exhortando. Prior quidem sensus Ruperti & Cyrilli simplicior, sed posterior ille Chrysostomi & Euthymij nonnihil significantior est. Vnde priorem videtur Christus velle, secundum autem innuere. Sequitur* *Quomodo Christus suos dilexit in finem.*

VERS. 2. ET COENA FACTA.] *Id est (vt S. Augustinus apud D. Thomam in Catenâ) iam peractâ, & ad conu-*

conuiuantium mensam, vsumque perductâ. Non enim ita debemus intelligere cœnam factam, veluti iam consumptam atque transactam: adhuc enim cœnabatur quando surrexit, & pedes lauit discipulis; nam posteà recubuit, & buccellam traditori dedit. Vnde nota hîc, triplicem fuisse cœnam. Primam scilicet agni legalis, secundam communem, & tertiam Eucharisticam, siue sacram. Hîc ergo facta cœna, scilicet agni legalis, sed ante sacram cœnam siue Eucharisticam lauit Christus suorum discipulorum pedes. Volebat enim hac lotione ostendere, quantâ tum puritate tum humilitate accedendum sit ad venerabilem Eucharistiam. Ita passim Interpretes. Vnde hæc lotio non fuit illa communis apud Iudæos & Gentiles, quâ ante celebria conuiuia hospitum pedes lauabantur, sed traducta hîc est ad mysticam & sacram cærimoniam. Locuturus autem Euangelista de tantâ Domini humilitate (vt S. Augustinus obseruat) priùs eius celsitudinem voluit commendare, vnde ait

Triplex Christi cœna qualis.

Lotio quid denotet.

Christi humilitas in lotione. VERS. 3 SCIENS QVIA OMNIA DEDIT EI PATER IN MANVS, &c.] *Ac si dicat, cùm sciret se esse tantum, vt omnia haberet in suâ potestate, essetque Deus de Deo, & ad Dei dexteram rediturus atque sessurus, tamen adeò se demisit, vt flexis genibus Apostolorum pedes lauerit, etiam ipsius proditoris.*

Tria motiua huius lotionis. *Vel ita etiam explicari possit, vt hîc tria sint motiua, quæ Christum mouerint ad hanc lotionem. Primum,* Quia omnia dedit ei Pater in manus, *scilicet hominum salutem omnimodam ei concredidit, quæ salus Christum impulit, vt stupenda hæc opera hominibus ante mortem ederet, & imitanda relinqueret. Secundum:* Quia à Deo, *inquit,* exiuit. *q.d. Decuit vt Filius Patri summam hac lotione humilitatem, charitatem ac reuerentiam exhiberet. Tertium.* Quia ad Deum vadit, *id est, instat mors, & vltimus actus pro salute hominum, quem decet esse excellentissimum.*

Cuius sit humiliari, & superbire. THEOPHYLACTVS *in cap. 13. Ioannis aptè ad hunc locum ait:* Considera igitur, quòd si humilis ti opus est eius qui à Deo egressus est, & ad Deum vadit; superbire & fastuosum esse profectò opus est eius qui à dæmonibus exiuit, & ad dæmones vadit.

Dignatio mira Christi discipulorum pedes lauantis. S. AVGVSTINVS *Serm. 28. ad Fratres, ad illud versus 4.* Et posuit vestimenta, *&c. sic ait:* Hodie audiuimus, quòd ille qui habet omnia in manu, vestimenta etiam deponit. Sed quid mirum, si pro discipulis vestimenta deponit, qui etiam carnem pro inimicis suis dedit? & quid mirum, si more famuli præcinxit se linteo, qui formam serui accipiens, habitu inuentus est vt homo? Quid mirum, si fudit aquam in peluim, qui dignatus est fundere sanguinem pro nostrâ redemptione.

Mysteria huius lotionis. S. AMBROSIVS *Prologo in lib. de Spiritu sancto ad Gratianum ait:* Veniamus ad Euangelium. Inuenio Dominum spoliantem se vestimentis, & præcingentem se linteo, mittentem aquam in peluim, lauantem pedes discipulorum. Hæc erat aqua ros ille cælestis, hoc prophetabatur, quòd illo rore cælesti discipulorum suorum Dominus Iesus pedes lauaret. Et nunc extendantur pedes animorum nostrorum, vult Dominus Iesus & nostros lauare pedes. Non enim Petro soli, sed vnicuique dicit fideli: Nisi lauero tibi pedes, non habebis mecum partem. Veni ergo Domine Iesu, exue te vestimenta quæ propter me induisti. Esto nudus, vt nos misericordiâ tuâ vestias. Præcinge te propter nos linteo, vt nos tui muneris immortalitate præcingas. Mitte aquam in peluem: laua non solùm pedes, sed etiam caput: nec solùm corporis nostri, sed etiam mentis vestigia. Volo exuere omnes nostras sordes fragilitatis, vt & ego dicam: Nocte exui tunicam meam, quomodo induam eam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? *Cant. 5, 3.* Quanta ista maiestas est? Quasi minister pedes famulorum tuorum lauas, quasi Deus rorem mittis è cælo. Nec solùm pedes lauas, sed etiam vt tecum recumbamus inuitas, & exemplo nos tuæ dignationis hortaris, dicens: Vocatis me Dominum & magistrum, & benè facitis: sum enim. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister; & vos inuicem lauate pedes vestros. Volo ergo & ego lauare pedes fratrum meorum, volo Domini implere mandatum. Volui me non verecundari, non dedignari quod ipse priùs fecit. Bonum mysterium humilitatis, quia dum alienas sordes lauo, meas abluo. Sed non hoc omnes haurire poterant mysterium. Lauare quidem voluit & Abraham pedes, sed hospitalitatis affectu. Volebat & Gedeon lauare pedes Angelo Domini qui apparuit sibi, sed volebat vni, volebat quasi is qui deferret obsequium, non qui donaret consortium. Hoc mysterium magnum est, quod nemo cognouit. Denique Petro dixit: Quod ego facio, tu nescis, cognosces posteà. Hoc, inquam, diuinum mysterium est, quod etiam qui lauerunt requirunt. Non est ergo simplex aqua cælestis mysterij, per quam consequimur vt partem cum Christo habere mereamur. Est & quædam aqua, quam mittamus in peluim animæ nostræ, aqua de vellere ex libro Iudicum, aqua de libro Psalmorum. *Iud. 6.* Aqua est res cælestis oraculi. Veniat igitur, Domine Iesu, hæc aqua in meam animam, in meam carnem, vt huius humore pluuiæ nostrarum conualles mentium, atque intimi cordis arua viridescant. Veniant in me stillicidia tua, gratiam immortalitatemque rorantia. Dilue gressus mentis meæ, ne iterùm peccem. Ablue animi mei calcaneum, vt possim abolere maledictum, ne morsum serpentis interiore pede sentiam; sed sicut ipse insisti sequentibus te, vt serpentes & scorpiones illæso possim calcare vestigio.

Quem Christus primo loco lauerit. VERS. 6. VENIT ERGO AD SIMONEM PETRVM.] *Notat hîc Chrysostomus, Christum primùm venisse ad Iudam vt eum emolliret, & daret exemplum amoris inimicorum. Vnde Origenes & Leontius existimant Petrum fuisse vltimum. Verosimilius tamen S. Augustinus, Rupertus & Beda putant Christum, vti & alias, ita & hîc incepisse à Petro. Nec enim verosimile est alios Apostolos non recusaturos fuisse hanc Domini demissionem æquè ac Petrus recusauit.*

Sancti honorati se magis humiliant. ET DICIT EI PETRVS: DOMINE, TV MIHI LAVAS PEDES?] *Hæc est humilium consuetudo, vt tunc se magis deprimant, cùm se à Deo magis viderint honorari. Sic Abraham Gen. 18. Domini præsentiâ honoratus, ait:* Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis? *& lib. 2. Reg. cap. 7. cùm Dominus per Nathan Dauidi multa præclara promisisset, humi sedens dicebat:* Quis ego sum Domine? & quæ est domus mea, quia adduxisti me vsque adhuc? *Vide qualiter sanctus vir se indignum fateretur acceptis bonis, cùm illi maxima conferrentur. Similiter vt extollat collatum munus, & dicat se plus à Domino accepisse quàm posset ipse desiderare. Sic etiam hîc facit Petrus, &c.*

VERS. 7. RESPONDIT IESVS: QVOD FACIO TV NESCIS MODO, SCIES AVTEM POSTEA.] ORIGENES *in Catenâ aureâ,* Insinuat, *inquit,* Dominus quod hoc erat mysterium. Quando enim & exsiccando pedes eorum, faciebat eos decoros debentes euangelizare honesta, vt ostendere valeant iter sanctum,

Mysterium lotionis vt Petrus ignorarit.

ac pergere per eum qui dixit, Ego sum via. Oportebat autem lauari pedes discipulorum à Iesu deponente vestimenta, vt mundos pedes mundiores efficiat, vel vt immunditiam pedum discipulorum suscipiat in proprium corpus, per linteum quo solo præcinctus manebat. Ipse namque languores nostros portauit. Attende etiam quòd cùm debeat pedes discipulorum abluere, non aliud tempus elegit, quàm cùm diabolus iam intrauerat in cor Iudæ, vt eum proderet, & futura pro hominibus dispensatio imminebat: nam ante hoc non erat opportunum pedes discipulorũ lauari à Iesu. Quis enim pedum eorum sordiciem intermedij temporis vsque ad passionem lauisset? Sed neque tempore passionis; alter enim Iesus non aderat, qui pedes eorum lauaret: sed neque post dispensationem; illo namque tempore Spiritu sancto superueniente eorum loti sunt pedes. Huius ergo mysterij, dicit Dominus Petro, tu non es capax, sed post hæc nosces, cùm illud perceperis illustratus.

Mysterium lotionis vt Petrus postea cognouerit.

SCIES AVTEM POSTEA.] *Primò scilicet, cùm paulò pòst (vt inquit Cyrillus) versu 14. Dominus dicturus est se hoc facere, vt det illis, cæterisque posteris omnibus exemplum summæ humilitatis ac charitatis. Secundò, quia hac lotione intelliges post missionem Spiritus sancti significatam esse pœnitentiam, quæ præmitti debeat Eucharistiæ. Ita S. Cyprianus lib. de Cœnâ Domini, S. Pacianus epistolâ 1. contra Nouatianos, & alij veteres. Tertiò, hinc nonnullæ Ecclesiæ, vti Mediolanensis, auctore S. Ambrosio lib. De ijs qui mysterijs initiantur, cap. 6. & S. Bernardo Sermone de Cœnâ Domini, ante sacram Communionẽ vsurpant hanc corporalem pedum ablutionem quasi sacramentale quoddam, quo vt inquit S. Ambrosius, muniamur & roboremur. Addit S. Bernardus, eam valere ad remissionem venialium.*

VERS. 8. DICIT EI PETRVS: NON LAVABIS MIHI PEDES IN ÆTERNVM.] *Id est, numquam hoc patiar; hoc quippe in æternum non fit, quod numquam fit.* ORIGENES *apud D. Thomam in Catenâ,* Et hoc, *inquit,* accipimus exemplum, quoniam possibile est quemquam secundùm purum propositum dicere propter ignorantiam quod sibi non prodest. Petrus enim ignorans hoc esse conueniens, primò quidem quasi dubitans suauiter dicit: Domine tu mihi lauas pedes? secundò: Non lauabis mihi pedes in æternum. quod erat prohibitiuum operis perducentis eum ad habendum partem cum Iesu: in quo etiam non tantùm Iesum arguit inconuenienter lauantem pedes discipulorum, sed etiam condiscipulos indecenter suos pedes porrigentes. Cùm ergo non esset expediens Petro proprium responsum, non permisit illud Dominus verificari.

Quomodo Petrus dicatur non habiturus partẽ cum Christo.

VERS. 8. RESPONDIT EI IESVS: SI NON LAVERO TE, NON HABEBIS PARTEM MECVM.] *S. Augustinus mysticè hæc accipit, quasi dicat: Nisi per pœnitentiam lauero peccata tua venialia, non dabo tibi sacram Eucharistiam.*

S. Cyrillus autem cum Chrysostomo sic capiunt, ac si dicat: Nisi susceperis humilitatis documentum quod ego hac lotione pedum tibi trado, non habebis partem mecum.

Sanctus verò Basilius Oratione de Peccato, q. d. Si, ô Petre, te resistentem non lauero, id est, si obstinatè persistas in hac inobedientiâ, tamquam inobediens non habebis partem mecum; hoc est, nihil tecum volo habere commune, non habebo te amicum, nec socium mensæ, præsertim Eucharisticæ.

Vt Petrus se totum offerat lauandum.

VERS. 9. DICIT EI SIMON PETRVS: DOMINE, NON TANTVM PEDES, SED ET MANVS ET CAPVT.] *Petrus videlicet etsi nondum intelligeret plenè quid sibi vellet sermo Domini, tamen cùm audiret sibi periculum esse vt ab illius secluderetur consortio, quem vnice diligebat: idque vehementer, vt nihil aliud magis abhorreret (dura siquidem amantis mentis diuortia) quàm vehemens fuerat priùs in recusando, tam vehemens, imò vehementior subitò factus est in admittendo, vtrobique præ amoris magnitudine modum seruare nesciens; ita vt qui priùs etiam iussus pedes solos lauandos præbere noluit, iam etiam vltro manus & caput, id est se totum lauandum offerat. Totum, inquit, me laua potiùs quàm à te diuellar, & eijciar. Porro hoc factum Petri nobis insigne est exemplum, vt per humilitatem nos planè diuinâ dignatione indignos censeamus, & tamen per obedientiam auidè Dei dona, quæ ipse in salutem nostram præparauit, amplectamur. Dedit siquidem nobis Christus in cibum pretiosissimum corpus suum. Nostrum est nos eius participatione indignos prorsus reputare. At quoniam ei placuit, pro infinitâ suâ erga nos charitate in eius sumptione vitam & salutem animæ nostræ constituere, dicens Ioannis 6.* Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis; *non debemus per humilitatem nimis deprimi, sed potius per obedientiam ac Christi amorem vehementi salutis nostræ desiderio æstuantes, ad tantorum donorum, cum gratiarum actione participationem summâ deuotione nos præparare atque suscipere.*

Nos exemplo Petri non debemus nimiùs recusare dona Dei.

VERS. 10. QVI LOTVS EST, NON INDIGET NISI VT PEDES LAVET.] *Videtur hic Christus alludere ad eos qui se in balneis lauant, qui toti loti ac mundi quidem exeunt, sed quia pedibus terram calcant, atque adeò pedes inquinant, eos deinde solos lauant.*

Mysticè quid lotio pedum insinuet.

Nota autem, Christum per anagogen more suo à lotione corporali ad spiritalem assurgere q. d. Qui lotus est spiritaliter per Baptismum quo ego vos ablui, aut lotus est per pœnitentiam, hic totus est mundus, sed tamen indiget vt solos pedes lauet, id est vt animi affectus, qui ex terrenis rebus in quibus versantur, subinde hic maculantur, & leues sordes contrahunt, sæpè purget contritione, mortificatione, & corporis castigatione, ac similibus virtutum exercitijs, quorum hæc mea lotio symbolum est, maximè ante Eucharistiam. Ita ferè S. Augustinus, Rupertus, & Beda in Ioannis cap. 13.

Resumptio vestimentorum mysticè quid.

VERS. 12. POSTQVAM ERGO LAVIT PEDES EORVM, ACCEPIT VESTIMENTA SVA, &c.] ALCVINVS *apud D. Thomam in Catenâ ait:* Mysticè autem impletâ redemptionis nostræ purgatione per Sanguinis sui effusionem, accepit vestimenta sua, tertiâ die de sepulchro resurgens, & eodem corpore iam immortali vestitus, & cùm recubuisset, ascendens in cælum in dextrâ paternâ Diuinitatis recumbens, inde venturus est ad iudicandum.

Exemplum Christi imitandum.

VERS. 15. EXEMPLVM ENIM DEDI VOBIS, &c.] S. CHRYSOSTOMVS *explicans illa verba Hom. 70. in Ioannem, ait:* Non est idem si frater sui fratris lauet pedes, ipse enim erat Dominus & Magister, vos inuicem conserui. Quid ergo signat hæc particula Ita? Secundùm possibilitatem. Propterea enim à maioribus rebus accipit exempla, vt saltem minus faciamus. Etenim magistri pueris litteras quàm pulcherrimas scribunt, vt vel in deterius imitentur. Vbi nunc qui conseruos despiciunt? vbi qui honores expetunt? Proditoris pedes Dominus lauauit, sacrilegi furis, & ipso proditionis tempore, cùm nulla

nulla esset speranda emendatio, mensam communem posuit, & tu elatis superciliis intumescis. Pedes inuicem lauemus, inquit, numquid & seruorũ? Et quid mirum si seruorum? siquidem inter nos seruus & liber differunt verbotenus, differunt illic reipsâ: ipse enim naturâ Dominus erat, nos serui, neque id recusauit. Nobis autem satis videtur si liberis vt seruis, & emptis mancipiis non vtimur. Qui sedet super Cherubim, proditoris pedes lauit: tu homo terra & puluis effeceris & intumescis? Et quo hoc dignum supplicio? Quòd si veram elationem concupiscis, hîc ego te viam docebo. Non enim nosti, qui præsentibus rebus & magnis inhiat, is vilis est & abiecti animi? Itaque numquam humilitas est sine magnitudine animi, neque superbia sine pusillanimitate. Quemadmodum pueri vilium rerum spectacula admirantur & obstupescunt, pilis, trochis, & talibus inhiant, magnas autem res ne cognitione quidem capere possunt: ita & hic sapiens non reputat præsentia, ergo neque ea optabit ab alio accipere. Qui sapiens non est, contrà afficietur, ad araneas & vmbras & somnia, & his viliora conuertetur.

S. LVCÆ CAPVT XXII.

15. Et ait illis: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.

Cyrillvs 18. Ipsi enim vsitatum est iustitiã fidei, mundationem Baptismi, & Spiritus sancti participationẽ, & virtutem Religionis, Dei regnum appellare. Non gustabo igitur, inquit, Pascha hoc (quod videlicet per manducationem typicè significabatur) donec impleatur in regno Dei, hoc est donec tempus aduenerit, quo regnum Dei prędicetur. Impletur enim in nobis, qui supra legem verum pascha celebramus. Etenim non gregalis aliquis agnus Christianos sanctificat, sed ipse potiùs Christus, qui per mysticam consecrationem pro nobis offertur, quà benedicimur & viuificamur: factus est enim nobis panis viuus qui è cælo descendit, & vitam dat mundo.

Epiph. cont. Ebionæos. 19. Hinc etiam Ebionæorum de esu carnium dementia redarguetur. Primùm quidem Domino edente pascha Iudæorum, quod agnus erat & azyma. Dixit autem, non simpliciter pascha, sed, Hoc pascha: vt ne quis ad suam rapiat opinionem. Pascha autem erat, vti dixi, carnes agninæ assatæ igne, & aliæ. Verum ipsi dissipatâ verborum veritatis consequentia, dictum immutauerunt, id quod omnibus manifestum est ex coniunctis verbis. Et discipulos quidem fecerunt dicentes, Vbi vis vt paremus tibi vt edas pascha? Et ipsum videlicet dicentem: Non desiderio desideraui carnes, hoc pascha comedere vobiscum. Vnde verò non deprehendetur ipsorum malitia, cùm consequentia clamet, vocem non esse appostitiam. Nam pro eo, quod dixit, Desiderio desideraui, ipsi apposuerunt aduerbium Non. Ipse verò reuerà dicebat: Desiderio desideraui hoc pascha comedere vobiscum. At illi adscriptâ voce Carnes, seipsos seduxerunt, malitiose agentes ac dicẽtes, Non desiderio desideraui hoc pascha carnes comedere vobiscum. Clarè autem ostenditur quòd & pascha perfecerit, & carnes ederit.

20. Atqui comedamus & nos hoc Pascha spiritualiter, transcendentes nostras passiones, vt in die azymorum luceat spirituali lumine conuersatio nostra, nec vllam vetustatem antiquæ malitiæ retineat. Hanc autem duo sunt quæ præparent & adornent, actiua scilicet & contemplatiua vita, feruor zeli, & mansuetudo pacifica, vita bona, & vera dogmata. Occurret autem istis præparatoribus homo, id est, humana conditio, Spiritus sancti gratiam gestans in corde quod facilè conteritur. Hanc conditionẽ assecuti, abeamus in domum mentis, cuius paterfamilias intellectus monstrabit nobis cœnaculum magnum stratum, quod est sublimis huius mentis capacitas, in quâ nihil sit asperum, nihil distortum. Hîc Iesus cum discipulis suis (qui sunt omnes sermones rerum gestarum) mysteria perficit. Quando enim Dei sermo in nobis operatur, tunc verè pascha comedimus, eiusq; participes sumus. quamobrem rerum gestarum sermones vnà cum operibus coniungere assuescamus. Duorum autem Lucas videtur meminisse poculorũ. Et de vno quidem dicit, Accipite, & diuidite inter vos. quod veteris Testamenti figuram quis esse dixerit. Et de altero, quòd illum, postquam fregit panem & distribuit, ipse distribuerit discipulis, quod & noui Testamenti nominat. Primum autem panis, & deinde poculum: primùm enim laboriosior actio & difficilior, deinde post labores lætitia diuinæ gratiæ subsequitur. Solet nimirum in communi victu liquidum alimentum siccorum ciborum esse vehiculum, quam etiam consuetudinem Dominus in mysticâ ac spiritali refectione obseruauit.

Anonym. Quomodo Pascha mysticè comedatur.

21. Tres cœnas Dominum Paschæ tempore fecisse comperimus, & quidem in diuersis locis. Vnam nempe in Gethsemani, quòd & peluim exhibet in die sabbati, primo seu Dominico die inchoãte, quapropter & nos peluim exhibemus, in Baptismi imitatione. Aliud autem in Bethaniâ secundâ

Evtych. Patriarcha. Triplex cœna Christi.

heb-

hebdomadę die inchoato: & manifestum est quòd hoc non sit Pascha, quapropter subiungit Matthæus dicens, Primâ autem die azymorum, interrogauerunt discipuli, Vbi vis paremus tibi Pascha? Primam azymorum fortè Dominicam vocans, tamquã primam hebdomadis, quâ azyma offerebantur, quam & Ioannes Pascha vocat, sextam ante Pascha collocans. nam Ante sex dies, inquit, Paschæ venit Iesus in Bethaniam. Sexta enim ante decimamquartam est prima quâ cœnam habuit, inchoans secundam, & veri agni delectum faciens. Quòd enim hora venerit vt transiret ex hoc mundo, quid aliud significat, quàm Dominum secundùm humanitatem electum esse, vt qui agnus appellatur, quòd capax sit passionis, ostenditque omnes electos ad alteram vitam pertinere, iuxta illud, Ego elegi vos, propter quòd non estis de hoc mundo. Quamobrem etiam dies ille, ex quo hoc accidit, Pascha nuncupatur & sepultura, iuxta significationem vocis. Vt igitur legem impleret, quæ iubet decimo die mensis primi accipere ouem, & custodiri in decimum quartum eiusdem, hic ipse sacerdos & in victimam se elegit, & in quintum diem seruauit, mysticè deinceps decimo quarto die inchoante immolatur. In hac itaque primi diei cœnâ factus est delectus in Bethaniâ, & exhinc conseruatio. &, Quærunt discipuli dicentes, Vbi vis paremus Pascha? Et cùm intinxisset panem, dedit proditori, & post buccellam introiuit in eum satanas, id est desideriũ prodendi Dominum, & exiuit continuò id faciens. Domino autem ex præscientiâ dicente, Vnus ex vobis tradet me, & quòd non legale sed mysticum ac desideratum Pascha post biduum fieret, hoc autem & ipsi sciebant, ideoque superflua prædictio: nam post tertiam & quartam inter secundam & quintam, instabat Pascha, nempe decimoquarto die mensis inchoante. Secundam autem, vt quæ in Bethaniâ fuerit, cœnam Dominus præteriens dixit, Post duos dies, hoc est tertio aut quarto abhinc die. Et illa fuit quoque in Bethaniâ vbi & testamentum conditum est, Ioannes autem, omissâ tertiâ illâ mysticâ, quæ in Sion contigit, transit ad locum traditionis. Tertia autem & mystica illa cœna est, de quâ Lucas ait, Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequã patiar. Ergo antequam pateretur, Pascha comedit, mysticum nempe. nam sine passione Pascha non dicitur. Semetipsum igitur mysticè immolauit, quando inter cœnandũ in manus suas accipiens panem, benedixit ac fregit, antitypo siue figuræ seipsum immiscens. Similiter & calicem, de genimine vitis miscens ac benedicens, Deoque ac Patri offerens dixit, Accipite & manducate; &, Accipite & bibite: Hoc est corpus meum; &, Hic est sanguis meus. Totum igitur sacrum Corpus Domini eiusdemque sacratissimus Sanguis sumitur, tametsi tantùm particula suscipiatur. Diuiditur enim indiuisibili modo in omnibus partibus existens propter commistionem: quemadmodum sigillum omnibus se communicat, & figuram suam imprimit, vnicum tamen permanet atque immutatum, & post sui communicationem non minuitur, tametsi res innumeræ illo obsignentur. Et quemadmodum vox ab vno prolata & per aërem diffusa, tota quidem penes illum à quo procedit, manet, & in aëre facta, tota etiam ab omnibus illam audientibus excipitur, nemine eorum plus minúsve referente, cùm tota sit indiuisibilis, & eadem in omnibus qui illam auribus hauriunt, tametsi illi numero sint mille aut plures. Vox enim nihil est aliud quàm concussio aëris. Nemo igitur dubitet, quin post consecrationem & sanctam resurrectionem in Sacramento sit immortale, sacrosanctum, ac viuificum Corpus ac Sanguis Domini, non minùs sub speciebus quàm in exemplis allatis, post verba sacra à sacrificante prolata, & diuinâ virtute speciebus impressa, totum nempe in totis ac totum sub singulis earum particulis. In ipso enim Dominico Corpore habitat omnis plenitudo Diuinitatis ipsius Verbi ac Dei corporaliter, id est, realiter ac substantialiter. Confractio autẽ panis pretiosi, mactationem refert. Quocircà etiam Pascha desideratum appellatur, quippe salutis & immortalitatis, perfectæ cognitionis conciliatiuum. Et quemadmodum postquam Corpus Domini manducauerant, hymno dicto exierunt in montem oliuarum; sic & nos, sacro Corpore ac Sanguine accepto Deo gratias agimus, & singuli in domum propriam reuertimur. Post Sanctorum itaque participationem magnâ illâ Feriâ quintâ participes etiam facit vini & olei illos, quibus prædixerat: Non bibam amodò de genimine vitis huius, priusquam illud vobiscum bibam nouum in regno Patris mei, hoc est, in sancta resurrectione. Vnde & Canones dicunt, hanc non esse abolendam, & priores aboleuisse. Hæc igitur est tertia cœna quæ in Sion celebratur. Post mysticum itaque Pascha quod à Domino in Sion celebratum fuit decimáquartâ lunâ inchoante, illud Iudæorum Pascha, quod postridie, quæ erat parasceue, decimâ quartâ iam præterlapsâ, celebrabatur, non iam amplius Pascha erat, vtpote legali adimpleto. quare etiam repudiatur.

[Margin notes: Matth. 26, 17. — Ioan. 12, 1. — Matth. 26, 23. — Ioã. 13, 26. — Christi Corpus vnum idemq́ in mille hostiis — Coloss. 2, 9]

22. Do-

CYRILLVS 22. Dominus noster ex mortuis resurgẽs, loco manipuli semetipsum obtulit Deo Patri pro salute vniuersæ conspersionis humanæ. Christus enim tamquam primitiæ spicarum, & noui instar fructus in figurâ manipuli intelligitur, cùm sit primogenitus ex mortuis, & resurrectio ac via nostra, omnia vetera innouans, & obfuscata reformãs. Obtulit autem manipulum Deo: nam excitatus à mortuis Emmanuel, vt nouus homo ad cælum ascendit, immortalitatis fructum proferens, vt modò pro nobis coram facie Dei Patris appareat. Non autem semetipsum dumtaxat ipsi exhibet, semper enim cum Deo Patre est vti Deus, nec vmquam ab eo discedit; sed nos potiùs, qui propter peccatum & transgressionem Adæ ab eius facie excideramus, iræ filij effectos, & subiectos seruituti peccati, ante eius faciem repræsentat. Vides vti lex nobis & conueniens resurrectionis tempus præfigurauit, nempe diem tertium. Perendie enim, inquit, offeret Sacerdos manipulum coram Domino. Induxit autem nobis extempore accuratam Pentecostes præfigurationem, dicens, septem hebdomadas perendie numerandas, & tunc fideles celebraturos Pentecosten.

EVTYCH. 23. Non ampliùs manipulos offerimus, ipsummet Dominum offerentes, loco manipuli, Deo & Patri: neque septem hebdomadas numeramus & Pentecosten, sed aliam eaque perfectiorem cognitionem per Spiritus sancti aduentum significatam, quam nos tamquam perfectam Spiritus sancti præsentiam celebramus. Non ampliùs tubarum ac tabernaculorũ Festa resurrectionis figuram continent, verâ Domini nostri resurrectione manifestatâ. Non ampliùs tres anni tempestates typicè celebrantur: vniuersa enim vita hodie vnica festiuitas est. Pro omnibus Festis legalibus Christi Festum successit, cuius Ecclesia sanctam celebrat resurrectionem decimâ quartâ lunâ. Quemadmodum enim ille à mortuis resuscitatus, semetipsum pro nobis Deo Patri exhibens, manipuli figuram impleuit: sic & pro agno semetipsum decimâ quartâ inchoante mysticè sacrificãs, figuram cum re figuratâ coniunxit. Figura itaque mysticè est instar primitiarum, & quasi arrhabo oblationis realis: oblatio verò realis omnino perfecta est, iuxta illud, Non comedam istud donec impletum sit in regno Dei: quod obtinuit per sanctam suam resurrectionem; hæc enim est regnum Dei. Quapropter semel mortuus ampliùs mori non potest. Hoc quòd ita sit, vide mysticè. Nos etiam in sacro Baptismate morimur, vti & in martyrio, vel etiam sine martyrio re ipsâ; neque mystica nostra mors per realem aboletur, quamuis in illâ consummetur ac perficiatur. In Baptismo enim primam mysticè vitam acquirimus, & quasi primitias quasdam resurrectionis, nempe remissionẽ peccatorum atque adoptionem filiorum, atque etiam coheredes Christi efficimur. Non igitur mystica per realia abolentur, tametsi in ijs perficiantur. Cùm itaque Ecclesia decimaquartâ die mensis, aut Feriâ quintâ Maioris hebdomadæ, memoriam huius rei celebret, quo etiam die à Christo Pascha hoc mysticum fuit peractum, & semetipsum instar primitiarum obtulit ac sacrificauit: siue in Feriam primam, aut secundam aut tertiam, aut quartam aut etiam Dominicam decimusquartus dies mensis incidat (hoc enim quæritur) mystici tamen Paschatis festum Ecclesia Feriâ quintâ celebrat, quâ & Dominus illud mysticè obtulit. Verùm mystici huius Festi adimpletionem, resurrectionis inquam solemnitatem, decimâsextâ eiusdem, aut die Dominico illi proximo celebramus. Verùm modò ad mysteriorum rationem veniamus, & Euangelicam consonantiam atque sequelam prosequamur atque obseruemus, quæ sic habet:

Christi sacrificium antiqua aboleuit.

VERS. 17. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos.

18. dico enim vobis quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

24. In Actis Apostolorum introducitur Petrus ad Cornelium sic loquẽs: Qui cum ipso comedimus & bibimus post eius è mortuis resurrectionem; ita vt noua potio seu nouus calix intelligi possit ille, quem cum Apostolis post suam è mortuis resurrectionem bibit, corporis sui resurgentis templum confirmans, & impiam mendacis gloriæ opinionem expellens. Dei autẽ regnum, suam vocat resurrectionem. Habet hoc & aliam explicationem. Per noui enim calicis sumptionem, futuri, quam in cælis expectamus, regni potionem intelligimus; diuinarum nempe intelligentiarum promissam nobis reuelationem, cùm specula & ænigmata cessabunt: videbimus autem Deum tunc facie ad faciem, vt inquit diuinus Apostolus. SEVERVS. Act. 10, 41.

EVTYCH. 25. Potus enim salutarem doctrinã significat, quam nobiscum Saluator bibit, communicans semper nobiscum post resurrectionem, quæ regnum cælorum nuncupatur. Nouum autem est, cùm recens alicui est cognitum. Exhilaratur autem tam qui docet quàm qui docetur, de salute audientium atque discentium, vti Gregorio Theo-

 logo

Gregorio Theologo placet. Hic vtique est calix, quem sibi inuicem distribui in cœnâ iussit, non autem mysteria Communionis. Vlteriùs verò pergens Lucas dicit, quòd panem & calicem ipse dederit Apostolis.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 26. Audiant omnes qui quasi porci, cùm iam comederint, euersâ calcibus mensâ temulenti consurgunt, cùm agere gratias debeant, & in hymno finire.

"1.Cor.11 24. VERS. 19. " Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.

20. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

CYRILLVS *Gratia agenda ante Communionem.* 27. GRATIAS quidem agit, hoc est, in formulâ orationis Patrem alloquitur, ostendens quodammodò, ipsius liberalitate ac beneplacito salutarem hanc nobis ac viuificantem benedictionem impartitam esse. Iac.1,17. Omnis enim gratia & omne donum perfectum, ad nos à Patre descendit per Filium in Spiritu sancto. Figura fortè erat quod gestum est, vt nos accenderet ad gratiarum actionem, maximè cùm mysticam huius doni oblationem recolimus, vt viuificantem gratiam impetremus. Quasi dicat: Hoc igitur facientes gratias agite cum Deo & Patre Filium laudantes cum sancto Spiritu, atque ita ad sacram mensam accedite, credentes quòd viuificabimur, & benedictionem tam corporalem quàm spiritalem refereris.

CHRYSOSTOMVS in Matt.c.26. 28. Dicit autem, causam passionis remissionem esse peccatorum, hoc enim, inquit, pro vobis tradetur. Et quemadmodum Moyses dicebat, Hoc æternum vobis erit memoriale; sic & ipse ait, Hoc facite in meam commemorationem, donec veniam, sicut illud fecistis in recordationem miraculorum in Ægypto factorum, ac salutis primogenitorum. Moriturum autem hîc etiam se ostendit, & propterea testamenti mentionem fecit. Atque prioris quoque memoriam renouat, nam & illud per sanguinem fuerat dedicatum.

CHRYSOSTOM. in Ioannis cap. 6. Hom.64. *Per Communionem Christo incorporamur.* 29. Necessarium est autem mysteriorum discere miraculum, quid tandem sit, & quare sit datum, & quæ rei vtilitas. Vnum corpus sumus, & membra ex carne & ossibus ipsius Christi. Sequamur initiati quæ dicuntur. Vt autem non solùm per dilectionem, sed re ipsâ in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est. Volens enim suum in nos amorem indicare, per corpus suum se nobis commiscuit, & in vnum nobiscum redegit, vt corpus cum capite vniretur: hoc enim vehementer amantium est, vti Iob significat de seruis, à quibus maxime amabatur, qui suum amorem præ se ferentes dicebant: Quis det de carnibus eius vt saturemur? Quod Christus fecit, vt maiori nos charitate sibi deuinciret, & vt suũ in nos desiderium declararet, non se solùm desiderantibus spectandum præbens, sed & se tangi permittens & manducari, & dentes carni suæ infigi, & desiderio sui omnes impleri. Ab illâ igitur mensâ tamquam leones ignem spirantes, surgamus diabolo formidolosi, & caput nostrum mente reuoluentes, & quam nobis exhibuit charitatem. Parentes sæpenumerò liberos suos alijs alendos tradunt, ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, & bonas vobis prætendens de futuris exspectationes: quippe qui vobis hîc me ipsum trado, multò magis in futuro. Volui frater esse vester, carnem propter vos & sanguinem assumpsi: vobis vicissim ipsam carnem & sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado. Hic sanguis floridam nobis reddit Regiam imaginem: hic decus indelebile, hic animæ generositatem tabescere non sinit, eam irrigans iugiter ac nutriens. *Virtus sanguinis Christi.* Nam ex cibis quidem sanguis in nobis nascens, non statim hoc efficitur, sed aliud quiddam; hic autem non ita, sed statim animum irrigat, eamque vi quadam magnâ imbuit. Hic mysticus sanguis dæmones procul pellit, Angelos & Angelorum Dominum ad nos allicit. Hic sanguis effusus vniuersum abluit orbem terrarum. Multa de hoc sanguine beatus Paulus in Epistolâ ad Hebræos sapienter disseruit. Hic sanguis adita mundauit & Sancta sanctorum. Si verò figura ipsius tantam habuit virtutem, & in Hebræorum templo, & in Ægypti medio, superliminaribus inunctis: multò magis veritas. Hic sanguis aureum altare sanctificauit, sine hoc Sacerdos summus in penetralia ingredi non audebat. Hic sanguis sacerdotes creabat, hic sanguis in figurâ peccata purgabat, in quâ si tantam vim habuit, si vmbram ita mors horruit, quantoperè, quæso, ipsam formidabit veritatem? Hic est salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic mentem nostram igne reddit splendidiorem, hic auro clariorem animam facit. Hic sanguis effusus est, & cælum fecit accessu facile. Admiranda profectò Ecclesiæ mysteria, admirandum sacrarium. Ex paradiso fons scaturijt, à quo sensibiles fluuij emanabant. A mensâ hac

prodit

prodit fons, qui fluuios spirituales diffundit. Si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, & recreabitur. Nam,& siccitates resoluit, & cuncta refouet inflammata, non à sole, sed à iaculis igneis: supernè enim principium habet, & inde radicem, vnde & irrigatur. Multi fontis huius riui,quos emittit Paracletus,& mediator est Filius,non ligone aut bidente viam faciens, sed nostrum affectum aperiens. Hic fons lucis est, fons diffundens radios veritatis, huic supernæ virtutes adstiterunt, fluctuum eius pulchritudinem inspicientes:nam manifestiùs quàm nos illæ propositorum virtutem & fulgorem inaccessibilem intuentur. Quemadmodum enim si quis liquefacto auro manum vel linguam intingat, quamprimùm deauratur, ita hæc nobis proposita animam reddunt pretiosam. Efferuet enim vehementiùs igne fluuius, neque incendit, sed abluit tantùm quidquid comprehenderit. Hic est quo Christus emit, quo vniuersam ornauit Ecclesiam. Vt enim homo seruos auro emit & ornat, ita nos Sanguine suo Christus. Qui huius sanguinis sunt participes, cum Angelis & Archangelis & supernis virtutibus commorantur; ipsam regiam Christi stolam induti,spiritalibus armis muniti,imò ipsum induti sunt Regem. Sed sicut magnum est & admirabile, ita si purè accesseris, ad salutem accessisti, sin prauâ conscientiâ, ad pœnam & supplicium. Nam si qui Regiam purpuram coinquinant,haud secùs quam qui scindunt,puniuntur: quid mirum,si qui immundâ conscientiâ Christi Corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clauis cruci affixerunt?

CHRYSOSTOMVS in Matth.26. Ad populum Antiochenum Hom.60.

30. O quàm multi nunc dicunt, desiderarem ipsius videre speciem, imaginem, vestes, calceos? Ecce ipsum vides, ipsum tangis, ipsum induis. Et tu quidem vestem videre desideras, ipse verò tibi seipsum præbet, non videndum solùm, sed & manducandum, & palpandum, & induendum. Ne torpeamus igitur, tanti digni charitate & honore putati. Nónne videtis quantâ promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tantâ nos quoque alacritate ad hanc mensam: quin imò cum longè maiori trahamus, tamquam infantes lactanei, Spiritus gratiam,& vnus sit nobis dolor, hac escâ priuari.

CHRYSOSTOMVS in Epist.1. ad Cor.cap.11 Hom.27.

31. Cogita quid fecerint Apostoli, quando sacri illius conuiuij fuere participes. An non ad preces & hymnos canendos conuersi sunt, & ad sacras Vigilias atque ad doctrinam illam sacram omni philosophiâ plenam? Cùm enim Iudas ad eos qui eum in crucem acturi erant vocandos abijsset, tum illis res magnas planè & admirandas narrabat & præcipiebat. Tu autem priusquam quidem communices, ieiunas, vt quomodocumque dignus appareas. Quando autem communicaueris, cùm te oporteret magis augere temperantiam, omnia perdis. Atqui non sunt paria, esse sobrium ante & posteà. Nam in vtroque quidem oportet esse sobrium & temperantem, maximè autem postquam sponsum excepisti. Anteà quidem,vt sis dignus accipere; posteà autem,ne appareas indignus ijs quæ accepisti. Quid ergo, oportétne ieiunare postquam acceperis? Non hoc dico,neque te cogo. Nam est quidem hoc quoque bonum:sed non ad hoc tibi vim facio,sed suadeo,ne te delicijs ita impleas vt sis inexplebilis. Nam si numquam oporteat deditum esse delicijs, idque Paulus significauerit, dicens, Quæ in delicijs viuit est mortua: multò magis tunc morietur. Et si hoc, cùm alio tempore fiat, perdit, multò magis post Sacramentorum communionem. Tu verò pane vitæ accepto facis rem mortis, & non horrescis frui mensâ Christi? deliciaris enim isto die quo dignus es habitus carnes eius linguâ tangere. Manum tuam expurga, & castiga linguam & labra, quæ ingressui Christi fuere vestibula: & appositâ mensâ sensili, ad mensam illam mentem extende, ad cœnam Dominicam, ad vigiliam discipulorum quæ fuit sacrâ illâ nocte. Audiuisti sacros hymnos, vidisti spirituales nuptias, mensâ regiâ exceptus es, repletus es Spiritu sancto, duxisti choros cum Seraphim, fuisti socius supernarum potestatum: ne abijcias tantam lætitiam, ne effundas thesaurum, ne inducas ebrietatem ægritudinis animæ matrem, lætitiam diaboli, quæ innumerabilia parit mala.

Sobrium esse oportet maximè post Communionem.

32. Insaniunt igitur, qui dicunt post mysticam benedictionem sanctificationem cessare, si quæ reliquiæ remanserint in diem subsequentem. Non enim mutabitur sacrosanctum Christi Corpus, sed virtus benedictionis & viuificatiua gratia in ipso est permanens.

CYRILLVS ad Calosyrium.

VERS. 21. [a]Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensâ.

[a]Matt.26, 21. Marc.14, 20. Ioan.13, 18.

33. NE mireris autem quòd Dominus proditori non persuaserit vt virtutem & pulchram & amplectendam duceret, tametsi frequenter de hac in Christi consortio audiuisset: sed limites liberi cognoscens arbitrij, cogitat non vi aut tyrannide,sed persuasione ac beneuolentiâ hominum salutem procurari. Quocircà quilibet habet potesta-

ISIDORVS

tem propriæ salutis, quo & coronandi & puniendi iustè quæ prædicta sunt, sustineant.

VERS. 22. Et quidem filius hominis, "secundùm quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem traditur.

"Psal. 40, 10.

TITVS. 34 ILLVD autem, Vadit seu Abit, vim habet significãdi potiùs discessum, quàm mortem. Sicut etiam ad Iudæos dixit, Vado ad eum qui me misit. Interpretatur autem dictio voluntarium seu spontaneũ. Verumtamen væ Iudæ, iuxta vocem Saluatoris: nam Christus quidem secundùm Patris beneplacitum tradidit semetipsum pro nobis, quò omni nos malo liberaret atque eximeret; verùm Iudas omnium Saluatorem ac Redemptorem Christum manibus occidentium tradens, conueniens tanto sceleri supplicium à diabolo hereditabit.

VERS. 23. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset.

BASILIVS in Asceticis 35. SICVT enim in corporalibus passionibus sunt multæ quas non sentiunt ægrotantes. Porrò magis adhibent fidem coniecturæ Medicorum, quàm propriam attendant insensibilitatem: sic & in animæ passionibus, si quis in se peccatum non sentiat, credere tamen debet his qui meliùs cognoscere illa possunt. Hoc & Apostoli ostenderunt, quando de sincero suo in Domi-
Matth. 26, 17. num affectu certi, audiuerunt, Quia vnus vestrûm me traditurus est, magis ipsis Domini verbis fidem habuerunt, & inter se dissenserunt dicentes, Numquid ego sum Domine?

SVPPLEMENTVM.

Non omittendum hîc quod de proditoris post buccellam sumptam egressu narrat

S. IOANNES CAP. XIII.

"Luc. 22, 21. VERS. 23. "Erat ergo recumbens vnus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus.

24. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est, de quo dicit?

25. Itaque cùm recubuisset ille supra pectus Iesu, dicit ei: Domine quis est?

26. Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.

27. Et post buccellam, introiuit in eum satanas. Et dixit ei Iesus: Quod facis, fac citiùs.

28. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei.

29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei Iesus: Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festũ: aut egenis vt aliquid daret.

30. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox.

31. Cùm ergo exisset, dixit Iesus: Nũc clarificatus est Filius hominis: & Deus clarificatus est in eo.

32. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso: & continuò clarificabit eum.

SANCTVS AVGVSTINVS *Tractatu 61. in Ioannem,* Sed profectò, *inquit,* latet hîc aliquid, & pertinet ad sinum, in quo recumbebat, qui ista dicebat. Per sinum quippe quid significatur aliud quàm secretum? *Quid recubatio in sinu Christi sibi velit.*

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 71. in Ioannem,* An parum, *inquit,* hîc didicisse eum arbitraris, cùm tantâ frueretur magistri benignitate? Quòd si de hoc etiam causam quæris, amoris dicam; quare inquit, Quem diligebat? Ego autem & aliâ ratione hoc dictum arbitror, ne nimiùm sibi tribuere videretur. Cur enim aliàs non dixit, sed cùm Apostolorum Princeps innuit? Ne ergo arbitrareris tãquam maiori Petrum innuisse, amoris causam adfert. Cur autem recubuit supra pectus? Nondum debitam de eo conceperant opinionem, præterea & mœrorem ita lenit. Credibile enim est tunc mœstos fuisse. Nam si animo, multò magis facie erant perturbati. Eos igitur verbis consolatus Christus, permittit vt Ioannes supra pectus recumbat. Et considera discipuli humilitatem: nomen subticet, tantùm, Quem diligebat, inquit, quemadmodum *Cur Ioãnes supra pectus Christi recubuerit, & nomen suum non expresserit.* Paulus: Noui hominem ante quatuordecim annos. 2. Cor. 12, 2. Tunc primùm proditorem indicat Iesus, neque tamen nominatim, sed illum esse cui intinctum panem porrigeret. Qui modus reprehensiuus fuit, quòd neque mensæ communicationem reuereretur. Hæc panis porrectio quem non mouisset? sed non Iudam, cuius impudentiam videns diabolus in cor eius intrauit. Donec enim in aliorum numero fuit, non est ausus in eum ingredi, sed extrà oppugnabat: postquam verò palàm factus est, licenter iam irrupit. Neque inemendabilis erat ampliùs in aliorum numero tolerandus, ideò iam eijcitur, quem mox diabolus comprehendit.

VERS. 27. ET POST BVCCELLAM TVNC INTROIVIT IN EVM SATANAS.] *Vbi nota, Iudam interfuisse celebrationi Paschæ & Eucharistiæ, vt passim docent Patres. Post hanc igitur, cum adhuc mensæ accumberent, dedit Christus Iudæ hanc buccellam, vt hoc signo Ioanni proditorem ipsum esse ostenderet. Christus autem hoc signo buccellæ potiùs vsus est quàm alio, quia hoc signum pacis est & amicitiæ. Vnde non tantùm personam proditoris, sed & qualitatem demonstrauit,* *Iudas indicatur proditor per buccellã, & quidem illa mysteriũ.*

scili-

scilicet quòd Iudas simili amicitiæ symbolo, puta osculo, Christum proderet. Statim verò, acceptâ buccellâ, intrauit in eum satanas. Licet enim iam ante ingressus esset, cùm illi persuasit animo hanc proditionem designare, vt dictum est versu 2. tamen iam ingressus est complete, quia scilicet tanto beneficio adeo non peremptus est Iudas, vt magis obfirmaret animum, statimque egressus sit ad proditionem perficiendam.

S. CYRILLVS *lib. 9. in Ioannem cap. 16. ad hunc locum sic ait:* Nemo autem putet panem illum diabolici fuisse ingressus causam. Nemo ita insaniat, vt benedictionem tanti mali causam arbitretur: sed maximè attendat, vniuersamque rem animo diligentiùs voluat. Nam quoniam etsi nihil omnino ei defuit, qui vnà cum ceteris amoris charitatisque Christi particeps fuit, & tamen in malis perseuerabat consilijs, nullâ pœnitentiâ tactus, nullâ Christi admonitione commotus, nullo saltem rubore, cùm scire omnia Christum videret, affectus: imò verò magis magisque in horas cupiditate patrandi sceleris ardens, idcircò desolatam destitutamque ab omni auxilio animam eius diabolus videns, & mentem nullâ custodiâ munitam aspiciens, ingressus in eam est. Tritum sanè id diabolo esse inuenies: solet corda piorum prauis tentare cogitationibus, & voluptatum ardore ad delinquendum detrudere: sed illuc maximè impellit, quò per seipsos inclinari perspicit, ita infirmitatem nostram ad arma nequitiæ suæ conuertit, & ingenij nostri morbo aduersus nos vtitur. Voluptate carnis alius laborat, per hanc aggreditur; alius auaritiâ superatur, hunc habendi cupiditate magis incendit: ita nostris affectibus quasi armis vsus nos expugnat. Et sicut optimus dux exercitus turres & vineas ibi peragit, vnde capi obsessa vrbs faciliùs potest; eodem satanas modo per imbecilliorem animi partem nos euertit, præsertim si viderit nihil apud nos admonitiones exhortationesque virtutis posse; ac maximè, si mysticam benedictionem sperni à nobis conspexerit. Hæc enim maximopere si cum pietate suscipitur, vires ipsius confringit. Proditor autem sæpiùs redargutus non erubuit charitatem Christi, contempsit honorem, & gratiam eius abiecit, benedictionem aspernatus est, in vno fixus hærebat, illud solummodò voluebat, quomodo pecuniolam sibi pararet. Non ergo vt consiliatorem, sed vt cogitationum suarum Dominum in corde diabolum retinet. Quare fugiamus, oro, fugiamus cupiditates animi, vnde secutura detrimenta videmus. Sed si dominantis (vt quidam dicit) spiritus in te ascenderit, non cesseris ei. Nam etsi potestatis nostræ non sit, facere ne tales spiritus, id est, cogitationes in mentem nostram ascendant: possumus tamen quod ascenderit eijcere, nec committere vt magnas propter negligentiam nostram agat radices. Aliter non dubitemus, quin peruicacia diaboli paulisper possit imperare. Ita huiusmodi quid patietur, quale Psalmista canit, Antequam humiliatus essem, ego deliqui. Priùs enim quàm peccati consummatione delinquimus, peccatum voluntate amplectentes, ianuas animæ diabolo patefacimus, cuius rei proditor nobis exemplum est.

Diabolus propensiones nostras obseruat, vt per eas nos deijciat.

Psal. 118, 66.

IBIDEM *vers. 27.* ET DICIT EI IESVS: QVOD FACIS FAC CITIVS.] *Id est citò. quasi dicat: Non timeo non curo, ego permitto, quin imò desidero accelerari mortem meam, Ita S. Augustinus & Chrysostomus ad hunc locum.*

Cur Christus dicat, Quod facis fac citius.

S. CYRILLVS *cap. 17. lib. 9. in Ioannem.* Dictum, *inquit*, modò ab Euangelista ingressum fuisse in cor Iudæ diabolum, cui nunc Christus, quia totum hominem possederat, dixit: Quod facis, fac citiùs, id est, tuum opus quod semper facere tibi cordi est, facies citiùs ô diabole. Ignoranti ergo hæc omnia diabolo, nec intelligenti patibulum crucis suarum virium fore detrimentum, dicebat: Quod facis, fac citiùs. Ita minantis magis quàm hortantis hæc oratio est. Nam quemadmodum si vir fortis, aduersus quem fremens quispiam feratur, ipse verò viribus suis fretus casurum illum non dubitet, magnâ voce minitans dicat, Quod facis, fac citiùs, vt meæ dextræ vires experiaris; non properantis mori esse verba diceremus, sed præscientis potiùs quia cadet aduersarius. Sic Dominus noster Iesus Christus, velociùs currere diabolum ad ea quæ præparauit iubet, vt citiùs victus atque vinctus à tyrannide suâ orbem demittat: quem sic oppressit, vt neglecto creatore ad colendas creaturas deuexerit. Huius sermonis vires non iniuriâ ignorarunt discipuli, cùm Christus eis non reuelauerit: Principem enim huius sæculi, quisnâ verè naturâ esset, latere volebat: ac ideò etiam in alijs, cùm de cruce, morte resurrectioneque suâ diceret, præcipiebat discipulis, ne cui hæc aperirent. quod faciebat vt crucifixus mortem affigat, & salutem hominibus morte sua adferat.

VERS. 31. CVM ERGO EXIISSET, &c.] S. CYRILLVS *ibidem.* Proditor quidem, *inquit*, diabolo militaturus exiuit. Christus autem orationem incœptam, reipsâ nos docens, non auribus omnium illa tradi oportere, quæ coniunctissimis solummodò congruunt. Non enim sancta canibus danda sunt, nec pedibus suum turpiter conculcandæ sunt margaritæ. Post recessum igitur proditoris, in congruenti iam tempore discipulis mysterium reuelat, dicens, Nunc clarificatus est filius hominis: passionem quippe suam his verbis significat in ianuis iam adesse. Christo autem clarificato, Deus etiam Pater in Filio clarificatus est: non quia gloriæ clarificationisque adiectio illi accessisset, (non enim indiget his rebus natura ineffabilis) sed quia clarum hominibus factum est cuius Filij Pater sit, idcircò clarificatus est. Gloria enim certè est, talem habere filium, qualis ipse est: propterea dicit, Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum. Simul enim clarificatus est Pater per Filium, & Filius à Patre; æqualiter enim vtriusque clarificatio facta est. Sed illud ad vtilitatem legentium etiam addamus: si glorificauerimus Deum, glorificabimur omnino ab eo. Viuo enim ego, dicit Dominus, quia glorificabo glorificantes me. Glorificatur autem in nobis & per nos Deus, cùm sordibus peccati abiectis, illustrem virtutibus vitam viuimus. Hoc enim pacto ad gloriam Dei homines viuere dicuntur.

Iuda egresso agit Christus cum alijs Apostolis.

Quomodo Filius & Pater clarificati sint.

Deus glorificat glorificantes se.
1. Reg. 2, 30.

S. LVCÆ CAPVT XXII.

VERS. 24. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.

25. Dixit autem eis:[n] Reges Gentium dominantur eorum: & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur.

[n] Matth. 20, 25. Marc. 10, 42.

26. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.

APOLLINARIVS. *Magistratus non ambiendus.* 36. ILLA autem contentio quæ inter illos oborta est, quisnam eorum videretur esse maior, videtur hinc mota fuisse, quòd Domino ex hominibus emigrante, existimarent aliquem ex ijs ducis instar ac Domini cum potestate ceteris præficiendum esse. Verùm Dominus contrarium illos docuit, non quærendum esse primum locum aut aliorum præfecturas, sed neque vti in ceterorum hominum præfecturis, sic inter illos primatum consistere in hoc quòd in alios Magistratum gerant, sed aliorum vtilitati consulant, cum submissione suum ministerium adimplentes: quoniã ceterorum hominum nullus, sed vnus est verus omnium Dominus ac magister, qui in cælis est. Pusillorum itaque vtilitas, nostrum est lucrum existimandum, atque illius procurandæ causâ libenter alijs seruire debemus.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 37. Si enim voluerimus magni ac mirabiles videri, non modò tales non erimus, verùm etiam ceteris omnibus abiectiores futuri sumus. Sin verò humiliter nos gesserimus, non modò non petibit nobis honor, quin potiùs nostra gloria reddetur illustrior, & fiet maior. Gentilium enim est ambire principatum: nostrum verò non est externa quærere.

VERS. 27. Nam quis maior est, qui recũbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.

APOLLINARIVS. 38. NVN putes, inquit, discipulum tui indigere, te verò non illius: ego enim qui nullius egeo, quo vniuersa opus habent cælestia & terrestria ad ministerialem gradum condescendi, & in vtilitatem hominum operando vitam expleui.

VERS. 28. Vos autem estis, qui permansistis mecũ in tentationibus meis:

29. Et ego dispono vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum,

30. vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.

CYRILLVS 40. INTELLIGIS quomodo assumptæ humanitatis mensuram non transcenderit pretiosam nondum crucem passus; tunc enim quasi vnus è nobis loquitur: post resurrectionem verò è mortuis, manifestauit nobis gloriam suam, tempore id exigente; tum enim dixit datam sibi esse omnem potestatem & in cælo & in terrã. Loquitur igitur humano more, cùm dicit: Dispono & ego vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, & quæ sequuntur. Anne igitur & nos post resurrectionem à mortuis, quando viuemus cum Christo ipsi conformes effecti per gloriam corporis incorruptibilitatem induti, cibis iterùm opus habebimus aut mensis? Nequaquam. Sed ex his quæ sunt apud nos spiritalia designat: nam prerogatiuâ quadam funguntur apud Reges terrenos, qui eis quasi conuiuæ consident. Ex humano ergo iudicio ostendit, qui apud eum primis honoribus afficiendi sint. Erunt siquidem & alij qui alijs honoribus digni habebuntur, sed non communi mensæ adhibendi sunt.

40. Quæ autem est illa in mensâ Regiã manducatio? Cogitationes omnes sicut Regales de Regali sanctissimę Trinitatis mensâ participantibus, & fulgure claris coruscantibus, quo nihil aut melius aut illustrius potest cogitari. SEVERVS.

41. Talium bonorum plena erit mensa, de quâ participabunt illi quibus Christus testamentum disposuit, vt edant & bibant in mensâ eius, eò quòd perseuerauerint cum illo in tentationibus, pane quidem cælesti qui alimentum est animarum sanctarum enutriti, vino verò noui geniminis veræ vitis potati, quam ipsemet Deus vniuersorum excolens, nouum inde illis dignis genimen propinabit. IDEM.

VERS. 30. Et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.

42. HOc etiam hic in terrã contigisse comperimus. Immisit enim Spiritum in Apostolos & virtutem sanctam, quæ in spiritualibus animorum eorum thronis consedit; & qui ipsis aderant, dicebant, quòd essent pleni musto. Petrus igitur incepit illos iudicare, dicens de Iesu, quòd virum potentem in verbo & signis crucifixissent. Cernis vt iudicandi initium fecerint? vt ipsis data sit potestas sedendi in hoc mundo & iudicando, & apparente etiam Domino consessuri sint cum eo vt iudices in resurrectione mortuorum. MAXIMVS Act. 2. 13.

43. Quid autẽ est, Iudicantes? non vt sedentes, sed vt iudicantes; sicut & Regina Austri & Niniuitæ non credentes iudicabunt. CHRYSOSTOMVS

VERS. 31. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum:

32. ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.

44. Cur

CHRYSOST. in Matth. 16. 44. CVR autem non dixit, Ego nõ dimisi, sed, Ego rogaui? Humiliùs iam loquitur ad passionem iturus, vt humanitatem suam demonstret. Nam qui super confessionem eius Ecclesiam ita fundauit atque muniuit, vt nullum periculum, neque mors ipsa eum posset superare, qui claues regni cælorum ei concessit, & tantam commisit potestatem, nec vmquam pro ijs omnibus oratione indiguit, non enim rogauit, sed maximâ auctoritate illi dixit: Ædificabo super te Ecclesiam meam: &, Dabo tibi claues regni cælorum. Quomodo igitur opus habuerit oratione, vt vnius hominis commotum animum stabiliret? Quare ergo ita dixit? Propter causam profectò quam exposuimus, & propter discipulorũ infirmitatem, qui nondum decentem omnino de ipso habebant existimationem. Quomodo igitur negauit? Non dixit quippe, Vt non neges, sed, Vt non deficiat fides tua, vt non prorsus pereat. Hinc discimus, virtutem duabus hisce rebus consistere, nempe inspiratione supernâ, & nostrâ promptitudine ac diligentiâ. Propereà & ipsum Apostolorum Principem labi permisit, vt humiliorem ipsum redderet, atque ad maiorem charitatem induceret. Cui enim, inquit, plus condonauerit, magis diliget.

Matth. 16, 18.

Luc. 7, 12.

45. Permisit autem Deus ipsum labi, eò quòd eum totius terrarum orbis principem esset creaturus, vt propriorum memor lapsuum, in posterum alijs etiam tentatione circumuentis atque labentibus succurrere nosset atque ignoscere. Ait enim: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Hanc mihi, inquit, vicem redde mei ergã te auxilij: nisi enim meam adeptus fuisses prouidentiam & curam, per te ipsum insultum satanæ sustinere nequaquam valuisses. Tua itaque perpendens, alijs quoque indulgens esto. Illi enim Confirma, subintelligi debet, Titubantes confirma, illis condescendendo, manus porrigendo, humanitatem multam exhibendo.

Cur Deus lapsum eum permiserit.

MACAR. Hom. 5. *Diabolus vt cribret homines.* 46. Filij enim huius sæculi similes sunt frumento in cribrum coniecto; quippe qui commouentur fluxis huius mundi & perpetuis terrenorum desideriorum cogitationibus, iactante animas satanâ, qui perturbat omne genus humanum peccato obnoxium à tempore lapsus Adæ, qui transgressus mandatum, in principis malitiæ potestatem redactus est, sui ipsius illi potestate traditâ, vnde & princeps huius sæculi appellatus est. Hac ille potestate acceptâ, perpetuis fraudum & perturbationum cogitationibus cribrat omnes filios huius sæculi. Et quemadmodum aliud est cribrum, aliud triticum, & alius est cribrans; sic princeps malitiæ terrenis rebus, & crassis cupiditatibus vniuersos detinet homines, ijsque eos agitat, conturbat ac commouet, adeò vt collidantur, absque vllâ intermissione captiuans, perturbans & delens omne genus Adami peccato obnoxium; quemadmodum Dominus Apostolis futurum principis nequitiæ aduersus eos insurrectionem prædixit, Expetiuit, inquit, satanas vos ad cribrandum sicut triticum.

CHRYSOST. in Matth. 26. 47. Cúrnam si omnes expetijt, non dixit, Pro omnibus rogaui? quia nimirum vehementius eum tangens & ostendens, multò peiorem eius quàm aliorum lapsum esse, ad eum conuertit orationem.

VERS. 33. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.

34. [a] At ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. [a] Matth. 26, 34. Marc. 14, 30.

CHRYSOSTOMVS in Matth. 48. QVID hoc est, ô Petre? quando Christus dicebat, Vnus ex vobis me tradet, tunc, ne esses ille, metuebas, & nullius tei conscius, cogebas vnum de discipulis interrogare ipsum: nunc verò liquidissimè, ipso clamante, Quia omnes vos in scandalum incidetis, contradicere audes: neque id semel solùm facis, sed bis & sæpiùs. Vnde id tibi accidit? Ex multo certè amore, & multâ voluptate. Nam quoniam à sollicitudine illâ & anxietate proditionis liberatus erat, & proditorem nouerat, nimium sibi ipsi confisus hæc dicebat, & in alios insurgebat, dicens: Et si omnes in te scandalizati fuerint, ego tamen non scandalizabor. Hæc vtrique erant securitatis & iactantiæ verba. Nam & in ipsâ cœnâ quisnâ inter eos maior esset disceptabant, adeò inanis gloriæ passio animos adhuc eorum turbabat: Christus autem ab his passionibus eum liberare volens, non impellebat ad negationem, (quod absit,) sed fauorem suum ab eo subtraxit, & humanam redarguit naturam. Perspice autem quomodo post resurrectionem hinc eruditus submissiùs loquatur. Cùm enim dixerat, Domine, hic autem quid? coargutus nihil opponere ausus est, vt hic, sed tacuit: cúmque audiuerat in Ascensione, Non est vestrũ nosse tempora, aut momenta, non repugnauit: deinde in cœnaculo, & sindone, cùm vocem audiuerat, Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. quamuis nec quid diceretur quidem, statim intellexerat, acquieuit tamen nec quidquam contradixit. Hęc omnia casus ille perfecit. Ioa. 21, 21. Act. 1, 7. Act. 10, 15.

MACAR. 49. Etenim oportet sermonem à iactantiâ immunem reddere, & cogitationem à suspi-

suspicione, ne transgredientes contraria faciamus.

Matt. 10, 9 VERS. 35. Et dixit eis: "Quando misi vos sine sacculo, & perâ, & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis?

36. At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.

37. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me. "Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.

Isa. 53, 12

38. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hîc. At ille dixit eis: Satis est.

CHRYSOST. in locû Pauli, Salutate Priscam. 50. ETENIM multi viduarum domos subuertentes, orphanos nudantes, ipsique omnibus abundantes, & lupis nihil meliores, ex alienaque miseriâ viuentes, cùm vident interdum fidelium aliquos pluribus vestiri amiculis, continuò eis legem Christi obijciunt, & dicunt: Nónne præcepit vobis Christus ne duas tunicas habeatis, vel calceamenta? quomodo vos ergo legem illam præuaricamini? & post hæc, cùm abunde fratrem risetint, & probris affecerint, discedunt. Igitur ne talia fiant, agè & illorum impudentiam obruremus. Et possemus quidem ab eis facile liberari, hoc vnum illis obijcientes, dicendo, Si Christum vt fide dignum probas, meritò hæc obijcis, & à nobis quæris: sin ei non credis, quare legem eius opponis? Aut quando accusare nos vis, dignus tibi videtur fide Christus; quando autem eum admirari oportet & adorare, nullius est apud te momenti totius orbis Dominus? Verum ne hæc inopiâ defensionis dicere nos putent, ad solutionem eius quod quærebatur, veniamus. Quænam ergo solutio? Videndum est in huiusmodi, quibus & quando ea Christus imperauerit: non enim obiter & nudè inquirenda sunt hęc, sed operæpretium fuerit simul & personam, & tempus, & omnia hæc diligenter perscrutari. Itaque cùm hæc diligenter perscrutamur, inuenimus quòd ipsa non sint omnibus imperata, sed solis Apostolis: & neque illis in omne, sed ad præscriptum ac determinatum tempus. Et vnde hoc manifestum? Ex dictis ipsis: vocans enim duodecim discipulos, & dans illis potestatem super morbos & spiritus, sic dixit, Ne possideatis aurum vel argentum. Attende quanta Magistri sapientia, quomodo leue hoc præceptum fuerit. Nam

Cur Christus modò iubeat tolli peram, mo derelinqui.

cùm priùs dixisset, Infirmos curate, leprosos mundate, dæmonia eijcite, magnamque eis gratiam liberaliter dedisset, tunc tandem hæc imperauit, nimirû paupertatem signorum potestate leuem & facilem reddens. Quòd autem hæc solis Apostolis imperata sint, ex dictis manifestum est. Verumtamen quæstio nondum soluta est: nam si præcepta sunt hæc solis Apostolis, quid in causâ est, quòd licet præceptum fuerit ne haberent calceos vel geminas vestes, inueniri sunt eas possidere? nam alius possedit penulam, alius verò sandalia. Quid igitur ad hæc dicemus? Christus neque Apostolos semper huius legis necessitate obstringi voluit, sed eos absoluit ab hac lege, cùm iam ad salutarem crucem iturus esset. Et vnde hoc liquet? Ex Saluatoris sermonibus: nam passionem aggressurus, vocatis illis, dixit: Quando misi vos sine sacculo & perâ, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram; & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.

Iam fortè dicet aliquis, Apostolos quidem his dictis à crimine absolutos. Sed vltrà quæritur, quare Christus contraria præceperit. Nam interdum dicit, Ne possideatis peram; interdum autem, Qui non habet marsupium, tollat & peram. Quare hoc fecit? Sane hæc admodum digne fecit, pro suâ sapientiâ, curaque quam pro discipulis gerebat. Sub initium enim vocationis hoc faciebat, vt discipuli periculum virtutis suæ facerent: & posthac in orbem terrarum exituri, hoc exemplo animati magis considerent. Verùm vbi iam potentiam suam agnoscere cœperunt, voluit vt & ipsi domi virtutis specimen aliquod præberent, permisitque ipsosmet suas ferre tentationes, ne scilicet perpetuò otiosi desiderent, & ad finem vsque in omnibus quasi pueri gestarentur. Et quemadmodum qui artem natandi docent, principiò multâ diligentiâ discipulos gestant: post vnum autem & alterum & tertium diem subtractâ dexterâ ijs præcipiunt vt seipsos iuuent, & nonnumquam illos patiuntur mergi sinunt, ita vt & multum salsuginis forbeant: ita sanè & cum discipulis suis Christus faciebat. Nam initio nihil illos pati sinebat, vel paruum vel magnum, sed vbique aderat muniens & circumuallans eos, faciensque vt omnia vbertim eis affluerent: cùm verò tempus esset vt se vitos præstarent, subtraxit aliquamdiu beneficium, præcipiens eis vt etiam per se ipsos multa perficerent. Atque hanc ob causam, cùm non haberent calceos, vel zonam, vel baculum, vel æs, nihil eis deerat. Ceterùm quo

quo tempore permisit eis, vt marsupium haberent & peram, & calceos, inueniebantur & esurientes & sitientes, & nudi incedentes. Vnde liquidum est, cur passim eos periclitari & affligi sinat, nempe vt mercedem aliquam habeant, & ne qui dicere possint, Apostolos nihil de suo in medium contulisse, sed facta omnia diuino nutu. Non enim difficile erat Deo vsque ad finem in eo successu custodire: sed noluit ob varias necessariasque causas. Vna quidem hæc quam diximus. Alia autem hac non minor, nempe vt modestiæ assuefierent. Tertia verò, vt ne maior illis quàm hominibus debetur, honor exhiberetur. Itaque propter hæc & his multò plura, cùm permissurus esset eis multa inexpectata accidere, noluit priorem legem tam arctam manere, sed eius seueritatem nonnihil relaxauit. Vt & ita non esset eis grauis & intolerabilis vita, si vbique deteliquerentur, & simul durtam hanc legem seruare cogerentur. Quare ergo hoc dicit? Iudæorum insidias indicare volebat, idque manifestè, & non per ænigmata, ne iterùm secum confunderentur. Itaque sicut cùm audis Christum dicentem, Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate super tecta; non intelligis, quasi præcipiat relictis foris & triuijs eos super tecta debere prædicare, neque enim hoc vsquam fecerunt discipuli: sed cùm dicit, Super tecta, & In lumine, fiduciam & libertatem publicè prædicandi insinuat. Cùm verò dicit In aure, & In tenebris; significat vt vbique terrarum narrent, quod in paruâ mundi parte, & in vno Palæstinæ loco audiuerant. Non enim in tenebris & in aurem eis dicta erant, sed sæpè in altis montibus, in conuentibus & synagogis. Ita & hic intellige. Nam sicut ibi audiuimus tecta, ita & hic arma. Non igitur sentimus, quòd talibus verbis iusserit haberi gladios, sed quòd per gladios insinoarit imminere insidias, & passurum se à Iudæis, quæ & passus est: Atque hoc ex sequentibus manifestum est. Nam vt dixit emendum gladium, mox

Isaiæ 53. 12. adiecit: Quia oportet adimpleri ea quæ de me sunt scripta, Et cum iniquis reputatus est. Discipulis autem dicentibus, Hic sunt duo gladij, & non intelligentibus dictum, ait, Satis est.

CYRILLVS 51. Etenim, inquit, quæ sunt de me, finem habet. Vbi nempe secundùm carnē mortem oppetierit. Persecutoribus autē accident, quę à Prophetis sunt prædicta. Hæc igitur Dominus prædixit de futuris regioni Iudæorum, sed discipuli non intelligebant profunditatem dictorum, putantes ob futurum proditoris insultum gladijs opus esse, dicunt ei, Ecce duo gladij hic. Et quid ad ipsos Saluator? Satis est, inquit, tantùm non deridens responsum, quia sciebat discipulos vim dictorum minimè intelligere, existimantes opus esse, vt dicebat, gladijs ad insultum futurum sustineodū. Ad illos igitur, Certe, inquit Dominus, sufficiunt gladij duo ad resistendum exercitui in ipsum emisso, cui repellendo ne myriades quidem multæ gladiorum sufficiant.

52. Ceterùm liber quædam referre quæ nonnulli fideles de sacerdoribus passim dicunt. Atque isti quidē qui domos ædificant, atque agros emunt, nihil putant se habere: quòd si Sacerdos quispiam splendidiore veste indutus fuerit, aut necessario alimento non egeat, aut famulum ideò habeat, ne ipse cogatur à decoro discedere, statim hoc illi diuitias nominant. Quid ergo? At ipsum circumire oportebat? Nec quidquam te discipule pudet? Dedecus filiorum patet sine honore. Ceterùm quando hæc aduersus istos afferimus, quid subitò philosophantur? Scriptum est, inquiunt, Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas. Hi verò terna & quaterna habent vestimenta, & lectos constratos. Hei mihi! cogor ego nunc suspirare, ac nisi mihi decorum tuendum esset, multas etiam profunderem lacrymas. Quî fit? quoniam in aliorum quidem festucas adeo diligenter ac subtiliter inquirimus, nostras verò trabes, quas in oculis habemus, ne sentimus quidem. Dic mihi, cur isthæc tibi ipsi non dicis? quoniam hoc, inquit, Magistris dumtaxat præceptum est. Ergo cùm Paulus ait, Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus, ad solos Magistros verba facit? Rursus cùm dicit, Carnis curam ne feceritis in desiderijs, nónne omnibus generatim loquitur? Quid verò cùm ait, Esca ventri, & venter escis, Deus autem & hunc & has destruet? Et rursum vbi dicit, Quæ in delicijs est, viuens mortua est, de viduâ loquens, cum fortasse & vidua magistet est? An non ipse fuit qui dixit, Docere autem mulieri non permitto. Quam igitur veniam habebit homo ea faciens, quorū causâ mulier vetula punitur? Verùm hæc nemo ne cogitare quidem aggreditur, hæc nemo examinat; nemo hæc sibi ipsi dicit. Vultis & alia addam? Omnis ex vobis qui non renuntiat, inquit Christus, omnibus quæ possidet, non est me dignus. Quid verò vbi dicit, Difficile est diuitem intrare in regnum cælorum? Quid verò cùm ait, Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram? Nemo hoc perpendit, nemo cogitat; sed tantùm in res alienas inquirimus & vehementes sumus. At hoc nihil aliud est quàm participes criminum fieri. Verùm vt crimi-

CHRYSOSTOMVS in Epist. ad Philipp. Hom. 9.
Eccl. 3. 13.
Matt. 10. 9
1. Tim. 6. 8
Rom. 13. 14.
1. Cor. 6. 13
1. Tim. 5. 6
Matth. 10.
Matth. 19. 23.
Luc. 6. 24.

crimina quibus sacerdotes obnoxios esse dicitis, diluam, audite: Narrat enim Lucas Christum dixisse discipulis, Quando misi vos sine sacculo & perâ, & zonâ, & calceamentis; numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerũt: Nihil. Ergo posthac vobis comparate. Sed quid facto opus fuit, dic mihi, vnam habere tunicam? Quid ergo? cùm lauanda hæc erit, domi nudum sedere oportuit? vel nudum circumire necessitate inuitante, nullamque decori habere rationem? Cogita cuiusmodi id fuisset, Paulum qui orbem terrarum ideò peragrabat, vt tot præclara opera ederet, inopiâ vestis coactum domi sedere, ac tantis rebus impedimentum adferri. Quid verò si vehemens ingruisset hiems, ac pluisset, aut etiam gelasset, num tabescendum fuit atque obmutescendum? nequaquam. Quid igitur causæ tunc fuit, cur id Christus præciperet? potentiam suam volebat ostendere, idque in posterum præstari etiam à se posse, sed non præstitit. Multò erant hi admirabiliores Israelitis, quotum tamen neque calcei neque vestes vsu consumebantur; quamquam solitudinem illam peragrarent, vbi ardentiores incidebant solis radij, & qui vel lapides ipsos possent in cineres commutare. Quâ igitur de causâ hoc fecit? tuâ causâ. Nam quoniam futurum erat, vt non perpetuò valeres, sed vulnera acciperes, propterea facultatem tibi medicamentorum parandorum præbuit: quod hinc satis constare potest. Dic enim mihi, an non poterat ipse illos nutrire, qui Israelitis dedit murmuratoribus, scortatoribus, idololatris? Attamen noluit: sed per te ipsos nutrit, vt tu sanctificeris. Et animaduerte mihi benignitatis exuberantiam. Voluit discipulos suos viliores esse, vt tu aliquantulum respirares. Etenim si illos nullius indigos præstitisset, multò sanè admirabiliores futuri erant, multò clariores: sed saluti tuæ subsidium detractum esset. Noluit igitur illos fieri admirabiles, sed maluit viles fieri, vt tu salutem consequereris; & viles illos esse passus est, vt tu salutem consequi posses. Non enim æquè se venerandum præbet doctor qui accipit, sed ille potissimùm honore afficitur qui non accipit. Verùm intereà non iuuatur discipulus, sed fructum amittit. Vides sapientiam benigni atque hominum amantis Dei? Nam quemadmodum ipse propriam gloriam non quæsiuit, nec sua spectauit; sed cùm in gloriâ esset, voluit tuâ causâ vilis fieri, idem etiam in Doctoribus seruauit, vt cùm eos venerandos præstare posset, maluerit abiectos esse tuâ causâ, vt tu haberes vnde lucrum ferres, vnde ditesceres & abundares in spiritalibus.

Cur Deus discipulos suos voluerit esse pauperes.

53. Fortasse spiritualis hic intelligendus est gladius, non verò sensibilis: nisi enim ipse priùs voluisset, captus minimè fuisset. Ante passionem enim vel solâ interrogatione dicendo, Quem quæritis, sese inuadeotes prostrauit, ac retrò euertit. Petrum deinde sacerdotum principis seruũ gladio percutientem cohibuit atque increpauit, ipsique Malcho aurem restituit. Et discipulis de materiali ac sensibili gladio intelligentibus dixit, Satis est: non quasi duo gladij suffecissent, sed quòd satis sit, quasi dicat, non tam sensualiter hæc esse accipienda, quæ spiritualiter dicta sunt.

TITVS. *Quod gladij duo hic insinuent.*

54. Prædicitur enim hic modus in futurâ dispensatione obseruandus. Duplex siquidem est ordo hominum. Ac alij quidem mandata seruant, alij verò illa transgrediuntur ac violant. Ac diligentibus quidem & rectè agentibus maiorum rerum labor conceditur, desidibus verò atque socordibus nullum aliud onus imponitur, sed conceduntur illis induciæ, ne omnes ex desperatione pereant. Dedit autem discipulis præceptum ne quidquam possiderent, nullam tamen illius transgrediendi occasionẽ dedit, cùm nihil ipsis rerum necessariarum deesse passus sit. Atque hi quidem mandatum hoc seruabant: alij verò sacculos habebant, quos partim quidem increpabat, partim verò suæ permisit voluntati, ac futurum eis rerum statum manifestabat; Qui habet, inquiens, saccum, tollat similiter & peram. Qui enim legem hanc transgreditur, erga res, quas hic inordinatè appetit, consimilem ferè in futuro affectum retinebit. Qui verò legem hanc seruabunt, etiam extremam pro me vestem dabunt, & vitam suam exponent, vt mortem pro me appetant. Quòd autem gladij symbolo suam suorumque discipulorum passionem insinuet, ex sequentibus patet. Respondentibus enim illis ac dicentibus, Ecce duo gladij; Satis, inquit, hoc est, ad illa videlicet quæ symbolis hisce insinuantur significanda, & ad scopum propositum: nam gladij duo necessitatem repræsentant, & symboli intelligentiã ac sensum declarant. Vnus namque nobis Domini, alter verò discipulorum proponit passiones; vt Domini sui amore omnia sua etiam vestimenta dimiserint, & nudi hic & rebus omnibus exuti in terrâ cum gaudio conuersati sint, & quando res & tempus ferebat ac postulabat, pro eodem etiam vitam profuderint ac sanguinem. Atque hæc quidem eorum quæ dicta sunt est theoria, quæ quidem personis diuersis minimè vsa est, sed in progressu orationis symbolicam nnuit significationem. Nunc ad sequentia transeamus.

PHOTIVS ad Amphilochium.

SVP-

SVPPLEMENTVM.

Sermones hîc Christi post cœnam ad Apostolos habitos solus inter Euangelistas conscripsit

S. IOANNES CAPITE XIV.

VERS. 1. Non turbetur cor vestrum.
Creditis in Deum, & in me credite.
2. In domo Patris mei mansiones
multæ sunt. si quò minùs dixissem vobis:
Quia vado parare vobis locum.
3. Et si abiero, & præparauero vobis
locum: iterùm venio, & accipiã vos ad
meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis.
4. Et quò ego vado scitis, & viam
scitis.
5. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus
quò vadis: & quo modo possumus
viam scire?
6. Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas,
& vita: nemo venit ad Patrem,
nisi per me.
7. Si cognouissetis me, & Patrem
meum vtique cognouissetis: & amodò
cognoscetis eum, & vidistis eum.
8. Dicit ei Philippus: Domine, ostende
nobis Patrem, & sufficit nobis.
9. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscũ
sum: & non cognouistis me? Philippe,
qui videt me, videt & Patrem.
Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem?
10. Non creditis, quia ego in Patre,
& Pater in me est? verba, quæ ego loquor
vobis, à meipso non loquor. Pater
autem in me manens, ipse facit opera.
11. Non creditis quia ego in Patre,
& Pater in me est?
12. Alioquin propter opera ipsa credite.
Amen, amen dico vobis, qui credit
in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet,
& maiora horum faciet:
a Ioan. 16, 23. Matth. 7, 8. 21, 22. Mar. 11, 24.
13. quia ego ad Patrem vado. a Et
quodcumque petieritis Patrem in nomine
meo, hoc faciam: vt glorificetur
Pater in Filio.
14. Si quid petieritis me in nomine
meo, hoc faciam.

Tria quæ Apostolos turbabant.

TRIA *potissimùm erant quæ Apostolos & perplexos & anxios reddebant, videlicet quòd Christus Dominus ac Magister eorum, per mortem ab eis esset discessurus, quòdque vnus ex ipsis tam immane scelus esset perpetraturus, quale erat Magistrum ac Dominum, à quo tanta receperant beneficia, hostibus tradere: denique, quòd Petrus eum esset negaturus, ipsique dispergendi, quos satan expetierat vt cribraret sicut triticum. Postulat hîc ergo Christus, vt Apostoli, licet corporaliter dispersi, corde saltem imperturbato permaneant, dicens,* Non turbetur cor vestrum: creditis in Deum, & in me credite. *q. d. Etiam consequenter sperate, vt hac fide atque fiduciâ omnem turbationem superetis, & promissorum meorum participes efficiamini, si scilicet aciem mentis per fidem ac spem in me defigatis. Diuina vtique misericordia opus est, vt humani cordis perturbationes moderetur, ne fluctibus suis homines absorbeat, & pereant. quasi sub signaculo illud claudens, ne vbi impetus passionis impulerit illud, ibi circumferatur, vti pulchre ostendit*

Cor hominis inquieto mari assimilatur, quod solus Deus pacare potest.

S. GREGORIVS *lib. 28. Moralium cap. 9. explicans locum Iobi 38.* Quis conclusit ostijs mare, *&c.* Quid, *inquit*, est mare, nisi cor nostrum furore turbidum, iræ amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurum, cui Deus terminum posuit, ne omnia bona animæ subrueret. Circumdat illud terminis suis; quia cor nostrum tentationibus tumidum, occultis donorum distributionibus mitigat, ne ad consensum mali veniat. Et posui vectem & ostia. Quid per vectem, nisi robur charitatis accipimus? per ostia autem virtutes intelligimus. Hæc itaque ostia, scilicet operationũ virtutes, mare sæuiens dissipat, nisi eas ex occulto mentis opposita charitas astringat. Facilè autem omne virtutum bonum tentatione eoidis irruente destruitur, nisi ab intimis fixâ charitate solidetur. Vnde & Paulus, dũ quædam virtutum ostia mari tentationis opponeret, illicò eisdem ostijs quasi robur vectis adiunxit, dicens: Super omnia autem hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. Perfectionis enim vinculum charitas dicitur, quia omne bonum quod agitur, nimirum per illam, ne pereat, ligatur. Tentatione enim citiùs quodlibet opus euellitur, si solutum à vinculo charitatis inuenitur. Si autem mens Dei dilectione constringitur, cùm tentationum motus quælibet ei iniusta suggesserint, obicem se illis ipsa dilectio opponit, & prauæ suasionis vndas vecte intimi amoris frangit. Huc vsque venies: quia dum electus quisque tentatur vitijs, & tamen facere malè suggestæ renititur, quasi mare clausum tenetur: quod etsi intus tumultuosis cogitationum fluctibus mentem percutit, statuta tamen benè viuendi littora non excedit: quod mare quidem in tumorem se erigit, sed dum fixâ deliberatione cordis illiditur, fractum redit. Et quia omnia hæc ex Dei dono originem habent, dicit Deus ipsi Iob: Quis conclusit ostijs mare? quasi diceret: Mea sunt hæc dona, quibus posui terminum fluctuanti cordi tuo. Vides quàm ingentia bona diuinus amor & charitas in nobis operatur? Colos. 3, 14

Licet autem cordis fluctuantis terminum ponere Dei donum sit, tamen etiam hominis curæ demandata est, vt illius internos motus compescat, vti pulchrè similitudine quadam confirmat.

Motus animi vt compescendi sint.

S. BASILIVS *in epistolâ 169. ad Iulianum, ita scribens:* Naucleto profectò non permittitur, vt tranquillum, vbi vellet, reddat pelagus; nobis contrà admodum facile est, vt vitam nobis ipsis reddamus tranquillam, si internos animi tumultus, qui ea affectionibus inordinatis aduersum nos insurgunt, compescuerimus, mentemque reddiderimus ijs quæ forinsecus contingunt, superiorem.

S. HIE-

S. Hieronymvs *similiter epist. 22. quæ est ad Eustochium, sic ait:* Nolo sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Paruus est hostis, interfice: ne zizania crescant, elidantur in semine.

Vt igitur discipulorum suorum timorem moderaretur, ait eis Iesus, Non turbetur cor vestrum; *& ad infirmos adhuc illorum animos confirmandos atque excitandos, addit quasi quietis quamdam promissionem,*

In cælo mãsiones multæ. *dicens:* In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *q. d. Etiamsi me modò non comitemini, sequemini tamen suo tempore, nec vobis locus deerit. Sunt enim ibi mansiones multæ, adeò vt non timendum sit ne præoccupentur, suus quippe cuique in cælo erit locus, ac destinata pro meritis gloria. Ita passim Patres.*

Cyrillvs *cap. 31. lib. 9. in Ioannem,* Multas, *inquit,* mansiones ait in domo Patris esse, capacitatem cæli ostendens, quæ tanta est, vt nullâ egeat ad suscipiendos electos præparatione. Hæc multitudo mansionum, differentiam quoque gloriæ significat: omnes enim vitæ suæ congruentem honorem suscipient. Si ergo multæ, inquit, non essent mansiones, hac abirem de causâ, vt locum vobis præpararem; nunc verò cùm multæ sint præparatæ iam, non hac de causâ, sed vt viam vobis faciam, & inuium iter præpararem, abiturus sum. Inaccessum namque cælum erat hominibus priùs, nec vllus vnquam hominum ante Christum cum sancto Angelorum consortio fuit. Hunc ascensum posteà nobis Christus præparauit, & iter fecit in cælum carni nostræ.

Vtrumque autem verum est, & quòd parata essent multæ mansiones, & quòd Christus iret parare illis locum. Nam paratæ quidem erant mansiones ab æterno ex Dei prædestinatione, quasi in actu primo: Christus verò parabat eas in actu secundo, quia inuium iter in cælum aperuit ac strauit, persoluitque pretium ipsarum mansionum. Ita Cyrillus supra citatus ac Augustinus. Denique misit etiam Spiritum sanctum, qui eos cælo dignos efficeret.

Sequitur versu 4. Et qvo ego vado scitis, et viam scitis.] *Sed quomodo ergo statim discipuli respondent se nescire? Scitis itaque hic idem est ac si dicat scire potestis, scilicet ex meis dictis, licet actu nesciatis. Vel etiam* Scitis, *nimirum confusè & obscurè, nescitis autem distinctè atque in particulari, quomodo videlicet ego sum via, Pater autem meus meta & terminus. Vnde subdit*

Christus quomodo sit via, veritas & vita. Vers. 6. Ego svm via, et veritas, et vita.] *Vt pulchrè ac breuiter* S. Bernardvs *Serm 2. de Ascensione.* Sequamur, *inquit,* Domine te, per te, ad te: quia tu es via, veritas, & vita. Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio.

Secundò vt S. Cyrillus hic, & Leo Serm. 2. de Resurrectione: Ego sum via charitatis & sanctæ conuersationis; sum veritas doctrinæ diuinæ & fidei: sum vita beatitudinis æternæ. q. d. Nemo venit ad Patrem, nisi per charitatem ambulet in me qui sum via; & per fidem credat mihi, qui sum veritas; & per spem confidat in me, qui sum vita æterna.

Tertiò & simplicissimè, Ego sum via, veritas, & vita. *q. d. Ego sum via quam quæris, via inquam non fallax, sed vera ac viuifica, sine qua ducit ad vitam. Ita Hilarius.*

Christus quatuor ob causas via dicitur. *Vnde nota Primò, Christũ dici viam propter doctrinam, quâ nobis viam in cælum ostendit. Ita Cyrillus.*

Secundò, propter fidem in Christum, quæ vita est ad vitam æternam.

Tertiò, propter imitationem ipsius. Ita S. Leo Sermone 2. de Resurrectione.

Quartò, propter meritum Christi, quo nobis viam in cælum aperuit.

S. Avgvstinvs *Tractatu de Epicureis ac Stoicis,* *Christus tùm sit via, ad nos venit.* *ait:* Quia via est Christus, & piger viator venire nolebas ad viam, ad te venit via. Non errabis, quia ipsa est veritas, ad Christũ pergens per Christum.

Et Tractatu in Psalmũ 90. Si Christus tibi via fuerit, hoc eximium bonum consequêris, quòd à laqueo venantium liberaberis. *Hunc pulchrè*

S. *Leo Serm. 16. de Passione cap. 8.* Iustè, *inquit,* nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio; & benignè incitat ad obedientiam, qui ducit ad gloriam. *Per Christum itur ad Christũ.* Vnde meritò Dominus ipse nobis factus est via, quia nisi per Christum, non itur ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis eius incedit. In quo planè itinere nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis. Ibi sunt insidiæ inimicorum, persecutiones infidelium, minæ potentium, contumêliæ superborum, quæ Dominus virtutum & Rex gloriæ ideò omnia in infirmitatis nostræ formâ & in carnis peccati similitudine percurrit, vt inter præsentis vitæ pericula, non tam optandum sit nobis declinando ista effugere, quàm tolerando superare.

Alij sic interpretantur hæc verba, Ego sum via *incipientium,* veritas *proficientium,* & vita *perfectorum.* Ego sum via *ducens,* veritas *lucens,* vita *pascens. Ad quod aptè* S. Ambrosivs *lib. de Bono mortis cap. 12. ita ad Christum orat:* Suscipe nos quasi via, confirma quasi veritas, viuifica quasi vita. Pande ergo illud verè bonum tuum, illud diuinum, in quo & viuimus, & sumus, & mouemur. Mouemur quasi in viâ, sumus quasi in veritate, viuimus quasi in vitâ æternâ.

Vers. 9 Qvi videt me, videt et Patrem.] *Qui videt Christum quomodo videat Patrem.* *Quasi dicat: Cùm ego & Pater vnum & idem simus, puta vnica essentia diuina, qui videt me per humanitatem quam assumpsi, siue videat oculo corporeo siue etiam mentali, scilicet vt ex signis & miraculis cognoscat meam Diuinitatem; hic eo modo quo me videt, videt & Patrem meum, quia ego & Pater vnum sumus. Hinc veteres contra Arianos colligunt filium esse ὁμόιον Patri.*

Vers. 11. Ego in Patre, et Pater in me est.] *Quomodo sit Pater in Filio, & Filius in Patre.* *Hic Primò significatur distinctio personarum. non enim rectè quis dicitur esse in seipso.*

Secundò significatur etiam identitas naturæ: nam Pater & Filius idem sunt & existunt in naturâ diuinâ. Hinc Pater est in Filio, & Filius est in Patre. Probat hoc Christus ex effectu, quia scilicet doctrinam suam atque opera habet à Patre & cum Patre communia, ergo & naturam. Ita Cyrillus & Leontius ad hunc locum.

Tertiò significatur intima & perfectissima inhabitatio vnius personæ in aliâ, & è conuerso quam Damascenus lib. 1. Fidei Orthodoxæ cap. 11. vocat περιχώρησιν, id est, vt Scholastici vertunt, circuminsessionem, *de quo mysterio disputat Hilarius lib. 4. de Trinitate, & S. Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. vlt. vbi* singula, *inquit,* sunt in singulis personis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & vnum omnia.

Vers. 12. Qvi credit in me, opera qvæ ego facio, et ipse faciet, et maiora horvm faciet.] *Iansenius rectè obseruat ad hunc locum, quòd*

non

Quomodo credentes maiora ipsis facturi Christo.

non semper facturos maiora credentes in Christum polliceatur, sed cùm gloria Dei id postulauerit. Si autem hæc modò non fiant, vel imperfectioni fidei tribuendum illud est, vel propter necessitatis cessationem. Dicitque Maiora fient, si expedierit, & iusta sese obtulerit occasio maiora faciendi. Vel maiora secundùm hominum æstimationem, qualia erant, vmbrâ Petri ægrotos sanari. Vel maiora, id est plura. Et subiungit: Quia vado ad Patrem: *q. d. Ego post mortem acceptâ victoriâ triumphans ad solium Patris gloriosus conscendam; ac proinde maiora per vos opera faciam, quàm per meipsum in hac vitâ luctans ediderim. Sed ea, inquit, oportet, vt à Patre petatis & à me. q. d. Loco præsentiæ meæ corporalis relinquam & dabo vobis petitionem in nomine meo, id est, si petatis per fidem, virtutem & merita mea, vti facit Ecclesia in omnibus Collectis.*

Quid sit petere in nomine Christi.

VERS. 15. Si diligitis me, mandata mea seruate.

16. Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum,

17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eũ, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.

18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos:

19. Adhuc modicum: & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me: quia ego viuo, & vos viuetis.

20. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.

21. Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

Solis diligentibus & mandata seruantibus vt Spiritus sanctus detur.

SANCTVS CYRILLVS *lib. 9. in Ioannem cap. 44. ad vers. 15. sic ait:* Cùm petituris omnia se largiturum pollicitus sit, ne falsò hæc dicta videantur (multi enim in eius nomine petunt, & non accipiunt) paucissimis statim verbis ea posuit, quibus hæc facta pollicitatio est. Diligentibus ergo ipsum & præcepta eius seruantibus, gratia solummodò spiritualium bonorum conceditur.

S. AVGVSTINVS *Tractatu 74. in Ioannem more suo subtiliter,* Sed quomodo, *inquit*, Dominus dicit, Si diligitis me, mandata mea seruate, & ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, cùm hoc dicat de Spiritu sancto, quem nisi habeamus, nec diligere Deum possumus, nec eius mandata seruare? Quomodo diligimus vt eum accipiamus, quem nisi habeamus, diligere non valemus? Aut quomodo mandata seruabimus vt eum accipiamus, quem nisi habeamus, mandata seruare non possumus? An forte præcedit in nobis charitas quâ diligimus Christum, vt diligendo Christum eiusque mandata faciendo, mereamur accipere Spiritum sanctum: vt charitas non Christi, quæ iam præcesserat, sed Dei Patris diffundatur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis? Peruersa est ista sententia. Qui enim se Filium diligere credit, & Patrem non diligit, profectò nec Filium diligit, sed quod sibi ipse confinxit. *Et paulò post:* Restat ergo vt intelligamus Spiritum sanctum habere qui diligit, & habendo mereri vt plus habeat, & plus habendo plus diligat. Iam itaque habebant Spiritum discipuli quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant, nec tamen eum adhuc habebant sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergo, & non habebant, qui quantum habendus fuerat, nondum habebatur. Habebant itaque minùs, dandus erat eis ampliùs. Habebant occultè, habituri erant manifestè, quia & hoc ad maius donum Spiritus sancti pertinebat, vt eis innotesceret quod habebant.

Quē alium paracletum promittat Christus.

Ex eo autem quod hic dicit, Et alium paracletum dabit vobis, *patet, Christum fuisse etiam* παράκλητον, *id est, Aduocatum, exhortatorem, & consolatorem, vti & Spiritus sanctus est; sed hic propriè secundæ & tertiæ significationis tantùm videtur haberi ratio. q. d. Ego hactenus vos consolabar, docebam, regebam, ac proinde ob meum discessum tristamini; sed confidite, Ego alium mittam qui vos non ad tempus vt ego, sed qui totâ vitâ vos consoletur, doceat, ac protegat.*

Spiritus sanctus cur Spiritus veritatis dictus.

Vocat autem Spiritum veritatis *Primò, vt ait Cyrillus, quia est Spiritus Filij, vel procedens à Filio, cui appropriatur sapientia & veritas.*

Secundò, vt S. Basilius lib. 2. de Spiritu sancto c. 18. quia Spiritus sanctus Filium, qui est in mundo, manifestauit.

Tertiò, vt vult Euthymius, vocat Spiritum veritatis, *id est verissimum & præstantissimum, vt opponatur Angelo, animæ & vento, qui spiritus sunt, sed analogicè & participatiuè.*

Quartò, vt S. Chrysostomus, Veritatis, *id est verax & dignus fide.*

Quintò & optimè idem Chrysostomus; quia omnis veritatis est auctor, ac solus pulchræ & integræ veritatis est largitor ac doctor. Veritatis, inquam, omnis, sed maximè Euangelicæ ac noui Testamenti, quæ triplex est. Prima scilicet, res ipsa per vmbras & figuras veteres significata. Secunda, promissionum complementum. Tertia, rerum diuinarum vera cognitio ad salutem necessaria. Opponitur autem spiritui malo, ac mundi, qui mendax est, errans & fallax. Vnde sequitur, Quem mundus, *id est mundani ac carnales,* non potest accipere. *Ita*

Mũdus non potest capere Spiritum sanctũ.

S. BASILIVS *lib. de Spiritu sancto cap. 22.* Mundus, *inquit*, hoc est carnis cupiditatibus dedita vita, velut oculus imbecillis, nõ ferens solis radios, Spiritus gratiam non recipit. Mundus ergo non potest Spiritum sanctum capere, sed qui mundũ oderunt. Vnde Isaias ait cap. 42. Qui stabiliuit terram, & quæ in eâ sunt, deditque spiritum populo qui est super illam, & spiritum calcantibus eam. Nam qui conculcant terrena, iisque superiores euaserunt, digni prædicati sunt dono Spiritus sancti.

S. GREGORIVS *lib. 5. Moralium cap. 19. exponens illa verba Iob cap. 4.* Porrò ad me dictũ est verbum absconditum, *dicit*: Potest per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligi, de quâ Ioannes dicit, Vnctio eius docet vos de omnibus. Quæ nimirum aspiratio humanam mentem tan-

gendo subleuat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desiderijs inflammat; vt nihil ei iam nisi quæ superna sunt libeat, & cuncta quæ inferiùs de humanâ perstrepunt corruptione, contemnat. Absconditum ergo verbum audire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere, quæ profectò sciri non potest, nisi à quo haberi potest. Vnde Veritatis voce de hac absconditâ locutione dicitur, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Quia sicut Spiritus sanctus inuisibilis est, ita omnem quem repleuerit, ad desideranda inuisibilia accendit. Et quoniam mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda inuisibilia non assurgit. Sæculares enim mentes, quantò se foris per desideria dilatant, tantò ad receptionem illius sinum mentis angustant. Et quoniam pauci sunt, qui à desideriorum carnalium sorde purgati, ad perceptionem sancti Spiritus ipsâ hac purgatione dilatantur, verbum hoc absconditum dicitur, quia illud à quibusdam procul dubio in corde percipitur, quod à maximâ hominum parte nescitur. Vel certè ipsa afflatio sancti Spiritus, verbum absconditum est, quia sentiri potest, sed exprimi per verba non potest.

Mundani cur non capiant Spiritum sanctum.

VERS. 18. NON RELINQVAM VOS ORPHANOS, VENIAM AD VOS.] *Primò propriissimè, vt Euthymius & Augustinus. Veniam, inquiunt, corpore quando post resurrectionem vobis apparebo.*

Secundò, Veniam spiritu, cùm videlicet post ascensionem mittam vobis Spiritum sanctum. Ita Cyrillus.

Tertiò, veniam spiritu, sed inuisibiliter, cùm è cælo continuo vos spiritualiter visitabo, & consolationes ac dona spiritualia communicabo. Ita S. Chrysostomus.

VERS. 19. ADHVC MODICVM, ET MVNDVS ME IAM NON VIDET.] *Id est me non videbit, scilicet post mortem instantem, nec corpore, vt patet; nec etiam mente, quia non credet in me; nec etiam spiritu videbit me in gloriâ cælesti. Vos autem omni hoc modo me videbitis,* quia ego viuo, & vos viuetis, *quia per meam vitam & resurrectionem vos etiam aliquando ad gloriam resuscitabo. Ita S. Chrysostomus ad hunc locum.*

Quomodo nos viuemus quia Christus viuit.

S. AVGVSTINVS *Tract. 75. in Ioannem explicans eadem verba, ait:* Quid est, quia ego viuo, & vos viuetis? Quare autem de præsenti dixit, se viuere, illos autem de futuro esse victuros: nisi quia vitam etiam carnis vtique resurgentis qualis in ipso præcedebat, & illis est pollicitus secuturam? Et quia ipsius mox futura erat resurrectio, præsentis posuit temporis verbum propter significandam celeritatem. Illorum autem quoniam sæculi differtur in finem, non ait Viuitis, sed Viuetis. Duas ergo resurrectiones, suam scilicet mox futuram, & nostram in sæculi fine venturam, duobus verbis præsentis temporis & futuri eleganter breuiterque promisit. Quia ego, inquit, viuo, & vos viuetis: quia ille viuit, & nos viuemus. Per hominem quippe mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur: quoniam nemo ad mortem nisi per illum, nemo ad vitam nisi per Christum. Quia nobis viximus, mortui sumus; quia viuit ipse, viuemus & nos. Mortui sumus illi, quando viximus nobis; quia verò mortuus ille pro nobis, & sibi viuit, & nobis. Quia enim viuit ille, & nos viuemus.

IDEM *in aureâ Catenâ ad id quod sequitur vers. 20.* In illo die vos cognoscetis, *&c. sic ait:* Vos cognoscetis contemplando, quamuis & nunc credendo nouerimus quia ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis. Quia quando viuemus eâ vitâ quâ mors absorbetur, tunc perficietur hoc ipsum quod nunc inchoatum est iam per ipsum, vt sit in nobis, & nos in ipso.

S. CHRYSOSTOMVS *ibidem,* Vel in illo die, *inquit,* cùm resurgam, cognoscetis, quia cùm viderunt eum resurrexisse & esse cum eis, tunc certissimam fidem didicerunt. Magna enim erat virtus Spiritus sancti, quæ omnia eos docebat. Quod autem dictum est, Ego sum in Patre, substantiæ est: quod autem dicit, Et vos in me, & ego in vobis, concordiæ est & auxilij quod est à Deo. Consueuit enim Scriptura multoties ijsdem verbis in Deo & hominibus positis non similiter vti.

Vt Christus sit in Patre, & nos in illo, & ille in nobis.

S. HILARIVS *lib. 8. de Trinitate,* Vel hoc, *inquit,* dicit, vt cùm ille in Patre per naturam Diuinitatis esset, nos autem in eo per corporalem eius natiuitatem, & ille rursus in nobis per Sacramenti mysterium inesse crederetur. Ipse enim testatus est, Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.

ALCVINVS *similiter apud D. Thomam in Catenâ,* Per dilectionem, *inquit,* & obseruantiam mandatorum eius tunc perficietur hoc ipsum, quod nunc inchoatum est per ipsum, vt sit in nobis, & nos in ipso. Et vt omnibus non tantùm Apostolis hanc beatitudinem promisisse videatur, adiungit

VERS. 21. QVI HABET MANDATA MEA, ET SERVAT EA, ILLE EST, QVI DILIGIT ME, &c.] S. AVGVSTINVS *ibidem pulchrè & breuiter sic ait:* Qui habet in memoriâ, & seruat in vitâ; qui habet in sermonibus, & seruat in operibus; qui habet in audiendo, & seruat faciendo; qui habet faciendo & seruat perseuerando, ipse est qui diligit me. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio.

Quis habeat & seruet mandata.

Qualem autem prærogatiuam obtineat qui diligit, ostendit subdens ibidem: Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum. Sed quid est, diligam, tanquam nunc non diligat? Exponit per id quod sequitur: Et manifestabo ei meipsum: id est, ad hoc diligam vt manifestem, & ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Nunc enim ad hoc nos dilexit vt credamus, tunc ad hoc vt videamus, quia & nos nunc diligimus credendo quod videbimus, tunc autem diligemus credendo quod credidimus.

VERS. 22. Dixit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?

23. Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:

24. qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius, qui misit me, Patris.

25. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens.

26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.

27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est.

29. Et nunc dixi vobis priùs, quàm fiat: vt cùm factum fuerit, credatis.

30. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam.

31. Sed vt cognoscat mundus quia
Act. 2, 22. diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

R*oganti Iudæ causam hic exponit Dominus, quare suis se manifestaturus esset, & non mundo: quia videlicet sui eum diligunt, mundus autem non diligit eum.*

S. Avgvstinvs *Tractatu 76. in Ioannem*, Dilectio, *inquit*, Sanctos discernit à mundo, quæ facit vnanimes habitare in domo. In quâ domo Pater & Filius mansionem faciunt, qui donant & ipsam dilectionem, quibus donent in fine etiam ipsam suam manifestationem, de quâ discipulus magistrum interrogauit, vt non solùm illi qui tunc audiebant per os eius, sed etiam nos per Euangelium eius hoc nosse possemus. Quæsierat enim de Christi manifestatione, & audiuit de dilectione atque mansione. Est ergo quædam Dei manifestatio interior, quam prorsus impij non nouerunt, quibus Dei Patris & Spiritus sancti manifestatio nulla est. Filij verò potuit esse, sed in carne, quæ nec talis est qualis illa, nec semper illis adesse potest qualiscumque sit, sed ad modicum tempus, & hoc ad iudicium, non ad gaudium; ad supplicium, non ad præmium. Vnde sequitur

Quomodo Sancta Trinitas dicatur venire ad nos & manere.

Et ad evm veniemvs.] *Vbi nota, Deum & sanctissimam Trinitatem, quæ vbique est, ac proinde immobilis, dici venire & manere per nouam scilicet operationem quam hoc vel isto loco exercet, maximè per gratiam vti hic, & per nouam operationem in iusto, quia scilicet iusto gratiam dat, conseruat, promouet atque tuetur, & vnà cum arbitrio, ipsum iuuans, cooperatur. Ita SS. Augustinus, Cyrillus, & Chrysostomus ad hunc locum.*

S. Avgvstinvs *ibidem Tract. 76. ait*: Ecce facit in Sanctis cum Patre & Filio sanctus etiam Spiritus mansionem: intus vtique tamquam Deus in templo suo. Deus Trinitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos. Veniunt subueniendo, venimus obediendo: veniunt illuminando, venimus intuendo: veniunt implendo, venimus capiendo: vt sit nobis eorum non extranea visio, sed interna, & eorum in nobis non transitoria mansio, sed æterna.

Signum Dei amoris.

S. Gregorivs *apud D. Thomam in Catenâ ad hunc locum ait:* In quorumdam etenim corda venit, & mansionem non facit, qui per compunctionem quidem respectum Dei percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerunt, obliuiscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent. Qui ergo Deum verè diligit, in eius corde Dominus & venit & mansionem facit, quia sic eum Diuinitatis amor penetrat, vt ab hoc amore tentationis tempore non recedat. Ille enim verè amat, cuius mentem dilectio praua ex consensu non superat. Tantò autem quisque à superno amore disiungitur, quantò inferius delectatur. *Vnde subditur*

Ver. 24. Qvi non diligit me, sermones meos non servat.] S. Gregorivs *Hom. 30. in Euangelium diei Pentecostes, ad hunc locum sic ait:* Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Hinc in Epistolâ suâ Ioannes dicit: Qui dicit, Quia diligo Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. Verè enim diligimus, si per mandata eius à nostris nos voluptatibus coarctamus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Ad vosmetipsos, fratres, introrsum redite, si Deum verè amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris, lingua mens & vita requirantur. Numquam est amor Dei otiosus: operatur etenim magna, si est; si operari renuit, amor non est.

Quid sit Spiritum sanctum mitti in nomine Filij.

Vers. 26. Qvem mittet Pater in nomine meo.] *Id est, vt ait Cyrillus,* per me, *quia scilicet Spiritus sanctus etiam procedit à Filio: vel* propter me, *siue merita mea. Vel, vt etiam aptè atque optimè Theophylactus & Euthymius,* in nomine meo, *id est meo loco, vt prosequatur quod Christus cœpit, & vt negotia eius tractet atque perficiat.*

Didymvs *in aureâ Catenâ ad hunc locum ait:* Spiritum autem sanctum à Patre in suo mitti nomine Saluator affirmat: cùm propriè nomen Saluatoris sit Filius, siquidem naturæ consortium, & vt ita dicam proprietas personarum ex ipsâ voce significatur. Filij quippe tantummodò est in nomine Patris venire, saluâ proprietate Filij ad Patrem. Nullus autem alius venit in nomine Patris: sed v. g. in nomine Domini omnipotentis. Quo modo igitur serui qui in nomine domini veniunt, per hoc ipsum quòd subiecti sunt & seruiunt, indicant dominum, (serui quippe sunt domini:) sic & Filius qui venit in nomine Patris, portat eius nomen per hoc quòd vnigenitus Dei Filius approbatur. Quia ergo Spiritus sanctus in nomine Filij à Patre mittitur: ostendit quia vnitate sit iunctus ad Filium. Vnde & Filij dictus est Spiritus per adoptionem suam, filios faciens eos qui se recipere voluissent. Iste autem Spiritus sanctus qui venit in nomine Filij missus à Patre, docebat omnia eos qui in fide Christi perfecti sunt. Omnia autem illa, quæ spiritualia sunt & intellectualia veritatis & sapientiæ sacramenta. Docebit verò non sicut qui artes aliquas & sapientiam studio industriaque didicere, sed quasi ipsa ars atque doctrina & sapientia, veritatis spiritus inuisibiliter menti insinuat scientiam diuinorum.

Doctrina Spiritus sancti, qualis.

S. GREGORIVS *ibidem*, Nisi autem, *inquit*, idem Spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligit, quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exteriùs in vacuum laborat. Sed & ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per vnctionem spiritus non loquatur.

Pacis nomine quid significetur

VERS. 27. PACEM RELINQVO VOBIS, &c.] *Notant Interpretes in hac pace tria potissimum includi, videlicet, primò, reconciliationem hominis cum Deo; secundò, illam quæ inde sequitur tranquillitatem & mentis securitatem, atque internorum motuum debitam ac pacificam compositionem: tertiò denique consequentem inde hominum inter se concordiam.*

Aliter etiam pacis nomine significatur salutatio & apprecatio omnium rerum prosperarum, quia Christus iam eis valedicit. q. d. Do vobis meam benedictionem, non falsam & breuem, vt mundus dat sed re ipsâ spondeo vobis ac do opem & gratiam, ceteraque omnia auxilia, quibus securè ac prosperè ad æterna gaudia pertingatis.

S. AVGVSTINVS *Serm. de Verbis Domini*, Est autem, *inquit*, pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis. Nec poterit ad hereditatem Domini peruenire, qui testamentum pacis noluerit obseruare: nec potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano.

VERS. 28. SI DILIGERETIS ME, GAVDERETIS VTIQVE.] *Quasi diceret: Si quod sincera dilectio postulat exhiberetis, gaudendum, non dolendum erat de meo discessu, cùm is mihi & vobis sit maximè vtilis ac commodus futurus. Vado enim ad Patrem qui maior me est, id est, vado à consortio hominum ad Deum, ab humanâ miseriâ, à cruce ac contemptu ad diuinam felicitatem, gloriam, & exaltationem. Ita S. Cyrillus hic.*

Quo sensu Pater sit maior Filio

Illud autem, Pater maior me est, *est quasi Achilles Arianorum, quo potissimùm nituntur probare Filium Patre minorem esse. Sed respondet S. Augustinus & Patres passim, Patrem maiorem esse Filio, non quà Deo, sed quà homine: quia quatenus homo ibat ad Patrem.*

Secundò, aliqui subtiliùs respondent, Patrem maiorem esse Filio, etiam quà Deo, quia videlicet Patris nomen honorificentius est quàm nomen Filij; quod ita intelligendum est, vt nimirum Pater dicatur maior, non essentiâ, non magnitudine ac maiestate, nõ tempore neque virtute, sed ratione honoris, puta principij & originis. Ita S. Athanasius Orat. 2. contra Arianos, Hilarius lib. 9. de Trinitate, Nazianzenus Orat 4. de Theologiâ.

VERS. 30. VENIT ENIM PRINCEPS MVNDI HVIVS.] *Quasi diceret: Iam iam venturus est diabolus per suos satellites vt me capiat & occidat*, SED IN ME NON HABET QVIDQVAM. *Id est, nihil in me iuris habet, quia nihil peccati in me inueniet, vnde ipsi omne ius in homines, propter quod etiam homines mori fecit. Ita Cyrillus atque Chrysostomus. Vel vt alij*, In me non habet quidquam, *id est, non poterit me vincere & perdere, vti sperat: licet enim moriturus sim, tamen id non fiet vi aut potentiâ ipsius, sed propriâ voluntate meâ: nec per mortem ipse me superabit, sed ipse è contrà deuincetur.*

VERS. 31. SVRGITE, EAMVS HINC.] *Aliqui putant sequentia in viâ dicta extra Ierusalem, præsertim cùm serum esset, & longiuscula via, vt facilè hoc dici & intelligi a discipulis in viâ potuerit. Verùm vt notat in Concordiâ suâ P. Serrius, probabilius videtur, quod Christus domo aut loco non exierit, tum quia Ioannes non dicit factum, tum quia finito sermone eum egressum fuisse ait cap. 18, 1. Christus ergo dicit*, surgite, *quia parabat se ad abitum in montem Oliuarum, vt ibi caperetur; sed vt solent chari & amici, qui ægrè extremum vale dicunt, ægrè a se mutuo auelluntur; sic Christus rursum stando nouum & longiorem rursus sermonem protraxit.*

S. IOANNES CAP. XV.

VERS. 1. Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est.

✠ Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus adferat.

3. [b] Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. *b Ioan. 13, 10.*

4. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis.

Christus secundùm quid vitis sit & Pater agricola.

SANCTVS AVGVSTINVS *Tract. 80. in Ioannem, sic ait:* Iste locus Euangelicus, fratres, vbi se dicit Dominus vitam, & discipulos suos palmites, secundùm hoc dicit quòd est caput Ecclesiæ, nosque membra eius. Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Vnius quippe naturæ sunt vitis & palmites. Propter quod cùm esset Deus, cuius naturæ non sumus, factus est homo, vt in illo vitis esset humana natura, cuius & nos homines palmites esse possemus. Quid ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid addens, Vera, hoc ad eam vitem retulit, vnde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur ouis, agnus, leo, petra, lapis angularis, & cetera huiusmodi, quæ magis ipsa sunt vera ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cùm dicit, Ego sum vitis vera, ab illâ se vtique discernit, cui dicitur: Quomodo conuersa es in amaritudinem vitis aliena? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est vt faceret vuas, fecit autem spinas? Ego, inquit, sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Numquid vnum sunt agricola & vitis? Secundùm hoc ergo vitis Christus, secundùm quod ait: Pater maior me est. Secundùm autem id quod ait, Ego & Pater vnum sumus, & ipse agricola est: nec talis, quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium: sed talis vt det etiam intrinsecus incrementum. Nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Sed vtique Deus est *1. Cor. 3, 7.* Christus, quia Deus erat Verbum. Vnde ipse & *Ioan. 1, 1.* Pater vnum sunt, & Verbum caro factum est, quod non erat, manet quod erat.

Nota primò, Christum hic semetipsum viti comparare, cùm ob fructuum copiam ac suauitatem, tum vt insinuet vinum suum Eucharisticum, pariter & mortem suam. Vide Toletum ad hunc locum fusiùs.

Quæ sit falx quâ palmites vitis purgentur aut tollantur.

Nota secundò falcem quâ Christus putat & purgat hanc vitem, Primò esse sermonem Dei, vt indicatur versu 3. Secundò, tribulationes & afflictiones. Ita Cyrillus

rillus ad hunc locum. Tertiò, illustrationes, terrores & increpationes Dei ad sarmenta & vitia animæ purganda. Quòd si nec sic fructum ferat, vt habetur versu 2. tollet eum, *scilicet separando illum occultè à communione spiritus & gratiæ Christi: vel etiam publicè subinde separando à Christo per excommunicationem, aut permissionem lapsus in hæresim: aut denique etiam in morte eum à Christi Sanctorumque consortio segregando.*

Quomodo nos Deum, & Deus nos colat.

S. AVGVSTINVS *apud D. Thomam in Catenâ*, Colimus, *inquit*, Deum, & colit nos Deus. Sed sic Deum colimus, vt non meliorem eum faciamus. Colimus enim eum adorando, non arando. Quòd autem ille nos colit, meliores nos reddit. Cultura ipsius est in nos, quòd non cessat verbo suo exstirpare mala semina de cordibus nostris, aperire cor nostrum tamquam aratro sermonis, plantare semina præceptorum, exspectare fructum pietatis.

Dominus amicos suos castigat.

S. GREGORIVS *lib. 7. Epist. 32.* Magnas, *inquit*, omnipotenti Deo gratias retuli, quia percussit vt sanaret, afflixit vt ad gaudia vera perduceret. Hinc enim scriptum est: Quem diligit Dominus castigat; flagellat autem omnem filium quem recipit. Hinc per semetipsam Veritas dicit: Pater meus agricola est, & omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & eum qui fert fructum purgabit eum, vt fructū plus afferat. Palmes enim infructuosus tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes verò fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, vt ad vberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis attritis, aristis & paleis nudantur: sic oliuæ prælo pressæ, in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearū tunsi calcibus, in vinum liquescunt. Gaude igitur bone vir, quia in hoc flagello tuo & prouectu conspicis, quòd ab æterno iudice amaris.

VERS. 3. VOS MVNDI ESTIS PROPTER SERMONEM.] *Quasi diceret: Propter doctrinam meam cui creditis & obeditis. Vnde sequitur vers. 4.* MANETE IN ME, *scilicet vt palmites non aridi, per nudā fidem, sed viui per charitatem.* ET EGO IN VOBIS, *scilicet manebo, sicuti vitis est in palmitibus, vt nimirum eis vitale alimentum subministrem. Ita S. Augustinus & Beda ad hunc locum.*

In solo Deo tuta mãsio.

S. GREGORIVS *in sextum Psalmum pœnitentialem ait:* Qui manet in verbo, non fraudatur à regno. Aliter namque fructum facere non possumus, nisi in eo maneamus. Idcoque ait: Manete in me, & ego in vobis. Vbi enim manendum, nisi in ipso? Deficient domus, palatia corruent, destruentur ciuitates, ab imis sedibus turres euellentur. Postremò cælum & terra transibunt, verbum autem

Matth. 24, 35. Domini manet in æternum. Maneamus ergo in eo qui manet in æternum. Non sequamur vanitatem, deserentes veritatem, nec confistemur sicut ceteri qui spem non habent, sed sustineamus eum. Et si moram fecerit, expectemus, ne contingat nobis

Eccl. 2, 10. quod per Prophetam dicitur: Væ his qui perdiderunt sustinentiam!

VERS. 5. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.

6. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

7. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint: quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.

8. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

9. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Manete in dilectione meâ.

10. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione meâ, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.

11. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur.

Solus is qui manet in Christo fert fruct.

ALCVINVS *apud D. Thomam in Catenâ*, Omnis, *inquit*, fructus boni operis ab illâ radice procedit, qui nos suâ gratiâ liberauit: & suo auxilio prouehit, vt fructum plus afferre valeamus. Vnde cum repetitione & superiorum explanatione subdit, Ego sum vitis, & vos palmites. Qui manet in me, credendo, obediendo, perseuerando; & ego in eo, illuminando, subueniendo, perseuerantiam dando, hic, & non alius, fert fructum multum.

Aliter nos in Christo, & ille in nobis.

S. AVGVSTINVS *ibidem*, Non eo autem modo, *inquit*, illi in ipso, sicut ille in illis. Vtrumque enim prodest, non ipsi, sed illis. Ita sunt quippe in vite palmites, vt viti non conferant, sed inde accipiant vnde viuant. Ita verò vitis est in palmitibus, vt vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis: ac per hoc vt manentem in se haberent Christum, & manerent in Christo, discipulis prodest vtrumque, non Christo. Magna vtique gratiæ commendatio, corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Nónne huic resistunt veritati, ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes, non assertores, sed præcipitatores liberi arbitrij? Qui enim à semetipso se fructum æstimat ferre, in vite non est: qui in vite non est, in Christo non est: qui in Christo non est, Christianus non est. Ne itaque quisquam putaret saltem paruum aliquē fructum posse à semetipso palmitem ferre, subdit: Quia sine me nihil potestis facere. Non ait, Parum potestis facere, quia nisi palmes in vite manserit, & vixerit de radice, quantumlibet fructum à semetipso non potest ferre. Quamuis autem Christus vitis non esset nisi homo esset, tamen istam gratiam palmitibus non præberet, nisi etiam Deus esset.

Sine Christo nihil possumus.

Sine Christo igitur nihil possumus facere, fructus puta, quod sit fructus vitis, sine Christi, vel gratia ipsius, vti præcessit, id est, nihil vitâ æternâ aut gratiâ dignum & meritorium, cuius contrarium volebant Pelagiani. Ita S. Augustinus & Tridentinum sess. 6. cap. 16. Vnde malè nonnulli hinc inferunt, omnia opera infidelium esse peccata. Perperam etiam Caluinus per nihil *putat tolli cooperationem liberi arbitrij. Melius itaque contra eum hinc inferas, si nihil sine gratiâ possum, ergo cum gratiâ aliquid possum, & vt Apostolus ait 1. ad Cor. 15, 10.* Gratia Dei mecum.

Quomodo gratia & liberum arbitrium concurrant ad opus bonum.

Nota autem, Christum in eo ponere similitudinem, quòd sicut palmes omnem vigorem & succum ad vuas producendas habet à vite, sic homo à gratiâ Dei haurit omnem succum & vim ac vigorem producendi opera supernaturalia ac meritoria vitæ æternæ. Dissimilitudo autem est in hoc, quòd homo liberè cooperetur gratiæ, palmes non. Nam à liberâ hominis cooperatione habet opus bonum præcisè quòd sit liberum, sicut ab influxu gratiæ habet quòd sit opus supernaturale. Sicut ergo palmes præter vigorem à radice acceptum, etiam naturâ suâ aliquid confert ad vuarum productionem, tum quia sola radix sine palmite vuas non fert; tum quia si alius palmes non frugifer inseratur in vitem, nihil producet: sic etiam liberum arbitrium nisi cum gratiâ simul ad operis productionem concurrat, non erit meritorium, quia non liberum. Dicendum tamen, etiam ipsam liberi arbitrij cooperationem esse à gratiâ, hoc sensu, quòd videlicet, nisi liberum arbitrium ipsâ gratiâ præuentum esset, eleuatum, roboratum & incitatum ad cooperationem, & nisi gratiam adiutricem & cooperantem haberet, non posset operari, aut quidquam facere conducens ad vitam æternam.

Igitur magnum quidem damnum est, nihil posse facere: verùm non vsque ad hoc sistit, sed vlterius producit sermonem, dicens: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, *id est, agricolæ non potietur manu:* & arescet, *hoc est, si quid habebat à radice, amittet, denudatus eius auxilio & vitâ:* & colligent eum *messores Angeli*, & in ignem, *æternum scilicet*, mittent, & ardet.

Palmes aut in vite sit aut in igne.

S. AVGVSTINVS *ad hunc locum breuiter & pulchrè*, Ligna, *inquit*, vitis tantò sunt contemptibiliora si in vite non manserint, quantò gloriosiora si manserint. Vnum ex duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis: si in vite non est, in igne erit.

Notat hic etiam Cyrillus, nos Christo quasi viti palmites iungi, tum spiritualiter, fide, spe, charitate, & gratiâ, tum etiam corporaliter, vt vitis sit Christi humanitas, cuius nos palmites sumus, propter eamdem naturam. Cyrilli verba sunt hæc cap. 17. lib. 10. in Ioannem. Hinc, *inquit*, eâ de causâ vitem se appellasse manifestè ostendit, vt quasi oculis hoc exemplo cerneremus, manentes in eo vt palmites, ex vite humore tracto, spiritalem posse fructum adferre: Resilientes verò ab eo, vel quia in fide, vel quia in seruatione mandati deficiunt, non modò nihil fructus producturos, sed æternum etiam ignem passuros. Qui enim à pietate vel charitate Christi decidit, supplicijs seipsum tradit, sicut decisus palmes ad nihil aliud, quã ad ignem vtilis est. Optimo nobis ipsi Apostoli exemplo sunt, qui quoniam manserunt in Christo, nec vllâ vi ab eo separari potuerunt, æternas laudes consecuti, fructum suæ virtutis conuersionem orbis attulerunt. Vnde immarcescibiles apud Deum habituros coronas non dubitamus. At auaritiæ seruus Iudas, à vite spirituali decisus, gratiâ Spiritus amissâ, foras eiectus, igni, vt inutile sarmentum, traditus est. Dupliciter igitur ad manendum secum Christus nos inducit, partim cupiditate gloriæ, quam fructuosi palmites consequentur, partim formidine ignis, cui tradentur qui ab eo se separant.

Deinde ostendens quid sit manere in eo, subdit: Si manseritis in me, & verba mea in vobis. *Ad quod iterùm breuiter & pulchrè* S. AVGVSTINVS *in Catenâ*, Tunc autem, *inquit*, sunt dicenda verba eius in nobis manere, quando facimus quæ præcepit, & diligimus quæ promisit. Quando verò verba eius manent in memoriâ, nec inueniuntur in vitâ, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. Quid autem velle possunt, manendo in Saluatore, nisi quod non alienum est à salute? Aliud quippe volumus quia sumus in Christo, & aliud volumus quia sumus adhuc in hoc sæculo. De mansione autem huius sæculi nobis aliquando subrepit, vt hoc petamus quod nobis non expedire nescimus. Sed absit vt fiat nobis si maneamus in Christo, qui non facit quãdo petimus, nisi quod expedit vobis. Ad verba autem eius pertinet Oratio, Pater noster. Ab huius Orationis verbis & sensibus non recedamus in petitionibus nostris, & quidquid petimus, fiet nobis.

Quid sit verba Christi in nobis manere.

Pater clarificatus est in Filio pro nobis oblato.

S. CYRILLVS *lib. 10. in Ioan. cap. 19. ad vers. 8.* In hoc clarificatus est Pater, &c. Clarificatum, *inquit*, Patrem suum esse dicit, quoniam ineffabilis eius bonitas atque misericordia nota omnibus coronam quasi gloriæ illi attulit. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum dederit, in quem qui crediderit non pereat, sed habeat vitam æternam. (*Ioan. 3. 16.*) Vita igitur omnium Patris opus est, quod per Christũ est factum, propterea dicebat ad Patrem: Ego te clarificaui, opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem. Ipse namque salutem nobis ex Patre attulit, non vt minister, sed vt sapientia & virtus Patris, absque quâ nihil omnino fieri potest. Clarificatus igitur Pater est, proprio Filio pro redemptione hominum dato, quem voluit hominem fieri, non vt quidquam boni sibi acquirat, qui semper perfectissimus est, sed vt homines plurimum ferant fructum, & Christi efficiantur discipuli.

Per charitatem manemus in Deo, & Deus in nobis.

S. AVGVSTINVS *lib. de Spiritu & animâ, cap. 16. sic ait:* Manete in dilectione meâ, dixit Christus Dominus. Per dilectionem namque sibi rationalem creaturam copulauit, vt eam semper haberet, & in ipso semper maneret, de eo & in eo delectans, gaudens & exultans. Per dilectionem creatori suo, & sibi inuicem rationalis creatura copulata est. Solum namque dilectionis vinculum est, quod ligat vtrosque in idipsum. Per amorem Dei omnes ei adhæremus, per amorem proximi omnes ad inuicem vnum sumus, vt bonum commune omnium fiat singulorum, & quod quisque in se non habet, in altero possideat. Charitas est via Dei ad homines, & via hominum ad Deum. Per charitatem enim venit Deus ad homines, venit in homines, factus est homo. Per charitatem homines diligunt Deum, eligunt Deum, ad Deum currunt, ad Deum perueniunt. Sic etiam familiaris est Deo charitas, vt ipse mansionem habere nolit, vbi charitas non fuerit. Si ergo charitatem habemus, Deum habemus, quia Deus charitas est.

Dilectio per obseruantiã præceptorũ demonstratur.

S. AMBROSIVS *apud D. Thomam in Catenâ ad hunc locum ait:* Quis ambigat quòd dilectio præcedat obseruantiam præceptorum? vnde enim præcepta seruet, non habet qui non diligit. Quod ergo hîc ait, ostendit non vnde dilectio generetur, sed vnde monstretur, vt nemo se fallat dicendo quòd eum diligat si eius præcepta nõ seruat: quamuis quod dicit, Manete in dilectione meâ, non apparet quam dixerit dilectionem, vtrùm quâ eum diligamus, an quâ ipse nos diligit, sed ex verbo superiore dignoscitur. Dixerat quippe, Ego dilexi vos, & continuò subiecit: Manete in dilectione meâ. Illa ergo quâ dilexit eos. Quid est ergo, Manete in dilectione meâ, nisi, manete in gratiâ meâ? Et quid est, Si præcepta mea seruaueritis, manebitis

tis in dilectione meâ, nisi, Ex hoc scietis, quòd in dilectione meâ quâ vos diligo manetis, si mea præcepta seruatis? Non ergo vt nos diligat, priùs præcepta eius seruamus: sed nisi nos diligat, præcepta eius seruare non possumus. Hæc est gratia quæ humilibus patet, superbos latet. Sed quid illud est quod adiungit: Sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione? Vtique eam hîc dilectionem Patris intelligi voluit, quâ eum diligit Pater. Sed numquid & hæc gratia intelligenda est, quâ Pater diligit Filium, sicut gratia est quâ nos diligit Filius, cùm simus nos filij gratiâ, non naturâ: Vnigenitus autem naturâ, non gratiâ. An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sanè. Nam dicendo, Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos, gratiam mediatoris ostendit: mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Christus. Igitur hoc rectè possumus dicere, quòd cùm ad naturam Dei non pertineat humana natura, ad personam tamen Filij Dei per gratiam pertinet, quâ nulla est maior, nulla protius æqualis. Neque enim illam susceptionem vlla hominis merita præcesserunt, sed ab illâ susceptione merita eius cuncta cœperunt.

VERS. 11. HÆC LOCVTVS SVM VOBIS, VT GAVDIVM MEVM.] *Quo scilicet gaudeo tum de Dei visione & gloriâ, tum propriè de hominum dilectione & salute.* IN VOBIS SIT: *vt scilicet de ijsdem rebus gaudeatis & exultetis lætitia spirituali, quæ tandem omnino impleatur in cælo.*

Ioan. 13, 14. VERS. 12. Hoc est præceptū meum,
Eph. 5, 9. vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.
1. Thess 4, 9. 13. Maiorem hac dilectionem nemo
habet, vt animam suam ponat quis pro
amicis suis.
14. Vos amici mei estis, si feceritis
quæ ego præcipio vobis.
15. Iam non dico vos seruos: quia
seruus nescit quid faciat Dominus eius.
Vos autem dixi amicos: quia omnia
quæcumque audiui à Patre meo, nota
feci vobis.
16. Non vos me elegistis: sed ego ele-
Matth. 28, 19. gi vos, & posui vos, vt eatis, & fructum
afferatis; & fructus vester maneat: vt
quodcumque petieritis Patrem in nomine
meo, det vobis.

Omnia præcepta fundantur in charitate. SANCTVS GREGORIVS *in aureâ Catenâ*, Cùm, *inquit*, cuncta sacra eloquia Dominicis sint plena præceptis, quid est quòd de dilectione quasi de speciali mandato hîc dicit, nisi quia omne mandatum de dilectione est, & omnia præcepta vnum sunt? quia quidquid præcipitur, in solâ charitate solidatur. Vt enim multi arboris rami ex vnâ radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vnâ charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.

In quo sita sit vera charitas. S. AVGVSTINVS *ibidem ait:* Vbi ergo charitas est, quid est quod possit deesse? Vbi autē non est, quid est quod possit prodesse? Discernitur autem ista dilectio ab eâ quâ se inuicem diligunt homines, sicut homines. Vnde adiunctum est, Sicut dilexi vos. Vt quid enim nos dilexit Christus, nisi vt possimus regnare cum Christo? Ad hoc ergo & nos inuicem diligamus, vt dilectionem nostram discernamus à ceteris, qui non ad hoc se inuicem diligunt vt Deus diligatur, quia nec verè diligunt. Qui autem se propter habendū Deum diligunt, ipsi se diligunt.

Et infrà ex libro 8. de Trinitate: Ex vnâ autem eademque charitate Deū proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum. Cùm ergo duo sint præcepta charitatis, in quibus tota lex pendet & Prophetæ, dilectio Dei & proximi, non immeritò plerumque Scriptura pro vtroque vnum ponit, quia qui diligit Deum, consequēs est vt faciat quæ præcepit Deus: consequens ergo etiam est vt proximum diligat, quia & hoc præcepit Deus. Quia ergo superiùs dixerat: Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: sit ex hoc consequens, quod idem Ioannes in Epistolâ suâ dicit, vt quemadmodum Christus pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus animas pro fratribus ponere. Hoc Martyres ardenti dilectione fecerūt, ideò ad mensam Christi non sic eos commemoramus, quemadmodum alios, vt etiam pro eis oremus, sed magis vt eorum vestigijs hæreamus. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensâ pariter acceperunt.

Nota autem, vbi in sequenti versu dicitur non esse maior charitas quam si quis ponat animam pro amicis suis; amicos vocari non qui diligunt, sed qui diliguntur, quales etiam possunt esse inimici. Alioquin rectè S. Bernardus Sermone de Feriâ quartâ Hebdomadæ sanctæ, Tu, *inquit*, Domine maiorem habuisti, ponens eam etiam pro inimicis. Cùm enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & Patri. Quænam alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore huic similis charitati? *&c.*

VERS. 15. IAM NON DICO VOS SERVOS.] *Græcè est,* Οὐκ ἔτι ὑμᾶς λέγω δούλους, *hoc est,* Non ampliùs dico vos seruos, *vt hactenus ante meum aduentum vos, omnesque Iudæos vocaui & habui, seruos inquam tum naturali conditione ac statu, tum seruitute legis veteris,* quia seruus nescit, *scilicet plerumque,* quid faciat, *siue quid facere intendat,* Dominus, *quæ scilicet sint eius consilia secreta. Ego autem hæc omnia vobis communicaui: omnia, inquam, quæ audiui, vt legatus Patris ea vobis annuntiarem. Quare vos nobiliori conditione & nomine dono amicorum. Ita Irenæus lib. 4. contra Hæreses, cap. 27.*

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 1 in illud* Vos amici mei estis, Vnde, *inquit*, tibi munus tantum venit, vt ad Christi amicitias posses accedere; vt ad familiaritatem Domini posses peruenire? Si ex merito nullum in nobis meritum, nisi quod contulit Christus: si ex precibus nullus precum effectus, nisi quas Dominus Deo Patri commendat: igitur si neque ex merito, neque ex precibus, neque vllâ prærogatiuâ istud nobis potuerit prouenire, restat vt benignitas Dei hoc nobis per Christum contulerit, qui pro nobis corpus induit, crucem pertulit, inferos penetrauit, & resurgens victor in cælum ascendit, & nos in amicitias suæ benignitatis allegit, dicens: Vos amici mei estis, si feceritis quæ mando vobis. Benignitas Christi proponit præmium, confert dignitatem, vt de nobis exigat seruitutem: beneficijs prouocat, vt officia nostra eliciat. Nec est gratuitum quod seruitur, quia præmium est, quo *Amicitia Christi non ex meritis nostris, sed ex eius benignitate existit.*

seruitus ista pensatur: vt iam negotiatio sit ista, non seruitus: mercatio sit, non famulatus. Per vsuram enim redditur, quidquid in isto tempore per nostra obsequia fœneratur: vt contemptus in homine confundatur, qui ad cultum Christi eius amicitijs noluit prouocari. Erubesce igitur quisquis es, erubesce qui per amicitiaa Christi vocatis, nec obsequeris: qui familiaris diceris, nec eius mandatis intendis. Nam qui præmijs in obsequium cogeris, qui donis ad officia inuitaris, quid faceres si gratuitum subires seruitium, qui tam liberale Christi contemnis imperium, vt iam qui amicitijs noluit pensare obsequium, contemptus sui gratuitum incurrat supplicium. Non enim tibi seruus, ô homo, præmijs inuitatus obsequitur, aut donis & muneribus illectus quispiam famulatur, quem conditio subijcit, famulatus addicit, seruitus ipsa compellit, cùm discreta ista separataque consistant; dum alius est dominus, alius seruus; alius imperans, alius qui dignitate suspicitur, alius qui conditione subijci demonstratur. Deniq; tunc & homo ipse beatus est, si imperanti animo seruiat corpus, si virtutibus subiecta sint vitia, si contraria prosperis cedant, si bonis aduersa succumbant. Ex teipso nascetur iudicium, dum famulis dominaris, & dominanti ipse non seruis: & tu tamen sine præmio imperas, ille tibi præmijs, quod desiderat, suadet. Denique volo, inquit Christus, & amicum adsciscere te, volo te familiarem allegare, volo tibi amabilem me exhibere; si tamen tu quæ mando perficias, si quæ iubeo adimpleas. Ceterùm amari non potes, si contemnis; contemni non potes, si seruieris: seruus non eris, si parueris; amicus firmaberis, si quæ mando perfeceris. Da quod exigo, & accipe quod promitto: imple quod iubeo, & posside quod dispono. Etenim quid obseruanti promittitur, si contemnenti præmium dispensatur? aut quomodo poterit in obsequium quispiam prouocari, si contumax indignè cœperit numerari? Tunc enim amicus dignus est nuncupari, si mandata implere contendit Christi.

[a] t. Ioan. 13, 1. 1, 7.

VERS. 17. [a] Hæc mando vobis, vt di-
ligatis inuicem.
18. Si mundus vos odit, scitote quia
me priorem vobis odio habuit.
19. Si de mundo fuissetis, mundus
quod suum erat diligeret: quia verò
de mundo non estis, sed ego elegi vos
de mundo, propterea odit vos mundus.
20. Mementote sermonis mei, quem
ego dixi vobis: [b] Non est seruus maior
domino suo. Si me persecuti sunt, &
vos persequentur: si sermonem meum
seruauerunt, & vestrum seruabunt.
21. Sed hæc omnia facient vobis pro-
pter nomen meum: quia nesciunt eum,
qui misit me.
22. Si non venissem, & locutus fuis-
sem eis, peccatum non haberent: nunc
autem excusationem non habent de
peccato suo.
23. Qui me odit: & Patrem meum
odit.
24. Si opera non fecissem in eis quæ
nemo alius fecit, peccatum non habe-
rent: nunc autem & viderunt, & ode-
runt & me, & Patrem meum.
25. Sed vt adimpleatur sermo, qui in
lege eorum scriptus est: [c] Quia odio ha-
buerunt me gratis.
26. Cùm autem venerit Paraclitus,
quem ego mittam vobis à Patre spiri-
tum veritatis, qui à Patre procedit, ille
testimonium perhibebit de me:
27. & vos testimonium perhibebi-
tis, quia ab initio mecum estis.

[b] Ioan. 13, 16. Matt. 10, 24. 24, 9.

[c] Psal. 34, 19. Luc. 24, 49.

SANCTVS AVGVSTINVS *Tract. 87. in Ioannẽ*, Meritò, *inquit*, Magister bonus dilectionem sic sæpè commendat, tamquam sola præcipienda sit, sine quâ non possunt prodesse cetera bona, & quæ non potest haberi sine ceteris bonis quibus homo efficitur bonus. Pro hac autem dilectione patienter debemus etiam mundi odia sustinere: necesse est enim vt nos oderit, quos cernit nolle quod diligit. Sed plurimum nos de seipso Dominus consolatur, qui cùm dixisset, Hæc mando vobis vt diligatis inuicem, adiecit atque ait, Si mundus vos odit, scitote quoniam me priorem vobis odio habuit. Cur ergo se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore, si non vis odium mundi sustinere cum capite.

Cur Christus totus dilectionem inculcet.

S. CYRILLVS *lib. 9. cap. 26. in Ioannem*: Mirabili quodam atque diuino in conformandis firmandisque animis vtitur artificio. Nam quemadmodum periti Medici futuris nonnumquam remediorum præparatione morbis se opponunt: sic ipse discipulorum ac omnino fidelium animos non à præsentibus solùm liberat, verùm etiam à futuris malis doctrinâ & mandatis suis præseruat. Nam quoniam non ciuitatis aut regionis vnius, sed totius orbis terrarum Doctores futuri erant, ad Euangelicam vitam homines traducentes, quos vbique omnes quasi Euangelij legem ac regulam imitaturi erant: necessariò nullam curam sibi faciundam esse monet, ne à mundo, id est ab hominibus voluptati impietatique deditis, odio habeantur. Sed num, dicet quispiam, ad acquirenda odia hæc oratio nos hortatur? Nequaquam. Non enim simpliciter, sed pro salutari doctrinâ contemnendum esse odium dicit. Quòd autem benè consulentibus atque docentibus improborum odium immineat, atque ideò corroborandi Apostoli fuerant, facilè perspicies, si naturam huius rei considerabis. Solent enim qui mundanis sordibus inhærent, vt licentiùs voluptates suas persequantur, ad probitatem reducentes acerbiùs inuadere. Nam & Iudæi legis litteræ toto animo affixi, reuocantes ad spiritum, hostes ducunt: & Gentes à cultu creaturarum abduci, propter consuetudinem iniquo animo ferunt. Quæ cùm ita se habeant, futurum erat, vt tam à Iudæis quàm à Gentibus odio discipuli haberentur. Quare monendi fuerunt, ne molestum id putantes, aut morem vnicuique gerere studentes, prædicandi liberta-

Christus discipulos præmunit contra hominum odia.

Concionator ad vtilitatem non ad voluptatem dicat.

bertatem amitterent. Monendi enim sunt homines propter characterem, hortandique vt ad veritatem conuertantur, etiam si hac de causâ odio nos persecuturi sint. Vnde Paulus de seipso dicebat: Si placere hominibus vellem, Christi seruus non essem. Et. Si enim ego vos contristo: & quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? Patet igitur, non prodesse, sed adulari auditoribus eum, qui non ad vtilitatem, sed ad voluptatem loquitur. Qui verò Saluatoris doctrinam sequitur, Saluatori solummodò gratus esse studebit, & odio haberi à vitiosis hominibus spiritales diuitias non paruas arbitrabitur. Cùm ergo, inquit, mundi odium vobis opponitur, cùm salutaria verba multitudo non feret, non turbabimini, si mundi honores penitus contẽnetis, si hoc mihi ipsi (qui & Dominus & Magister sum) accidisse memoriâ tenebitis. *Vnde subiungit*

VERS. 20. MEMENTOTE SERMONIS MEI QVEM EGO DIXI VOBIS: NON EST SERVVS MAIOR DOMINO SVO: SI ME PERSECVTI SVNT ET VOS PERSEQVENTVR.] S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 76. in Ioannem,* Ostendit, *inquit,* per hoc maximè futuros imitatores. Quoniqueenim Christus fuit in carne, contra ipsum certabatur, post eius in cælum ascensionem aduersus discipulos pugnatum est. Et cùm pauci, tanti populi bellum suscepturi perturbarentur, eorum animos erigit, quòd maximè eis lætandum sit, si ab illis odio habeantur: ita enim passionis meæ participes eritis. Non ergo perturbari debetis. Non enim me meliores estis: nam, vt prædixi, Nõ est seruus maior domino suo. Inde tertiò eos consolatur, quòd Pater vnà cum ipsis iniuriam accipit. Hæc omnia facient vobis, inquit, propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me. *Hoc est, illum offendunt. Ad hac omnem eis veniam aufert, & aliam adfert consolationem*

VERS. 22. SI NON VENISSEM ET LOCVTVS FVISSEM EIS, PECCATVM NON HABERENT: NVNC AVTEM EXCVSATIONEM NON HABENT DE PECCATO SVO.] S. AVGVSTINVS *Epist. 105. ad Sixtum presbyterum hæc sic explicat:* Non vtique peccatum nullum haberent, qui pleni erant magnis multisque peccatis; sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset; qui cùm audissent eum, non crediderunt in eum. Hanc eos excusationem non habere asserit, quâ possint dicere, Non audiuimus, ideò non credidimus.

VERS. 26. CVM VENERIT SPIRITVS PARACLETVS, QVEM EGO MITTAM VOBIS A PATRE.] *Hinc Græci recentiores volunt Spiritum sanctum à solo Patre procedere. Sed nota cum S. Hilario lib. 8 de Trinitate, & S. Augustino lib. 4. de Trinitate, cap. 20 hîc potiùs contrarium insinuari, scilicet Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio. Nam hîc Filius dicit,* Mittam *Spiritum sanctum. Indiuiduus autem persona non mittitur, nisi quæ procedit ab eâ quam mittit, vt docent omnes Theologi. Mittitur autem persona diuina, cùm ex voluntate eius à quo procedit, alicubi incipit esse nouo modo quo ibi prius non erat: v.g. hîc per gratiam & efficaciam verborum & miraculorum exteriùs & interiùs infundendo lumen & affectum doctrinæ Christianæ: hisce enim modis Spiritus sanctus testimonium Christo perhibuit. Dicit autem hîc Christus,* Quem ego mittam à Patre, *non autem,* à Patre & me: *vt indicet quia Filius habet à Patre essentiam, & consequenter vim spirandi & mittendi, vt scilicet cum Patre eâdem numero spiratione spiret, & eâdem missione mittat Spiritum sanctum. Sic dicitur Geneseos* 19, 24. Pluit Dominus à Domino de cælo, *&c. id est, pluit Dominus Filius à Domino Patre; quia licet vna sit vtriusque actio creandi & pluendi, eam tamen habet Filius à Patre. Atque ita exponit Hilarius lib. de Synodis, & Conc. Smyrnense in Tripartitâ historiâ lib. 5. cap. 3.*

S. IOANNIS CAPVT. XVI.

VERS. 1. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.

2. Absque synagogis facient vos: sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.

3. & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me.

4. Sed hæc locutus sum vobis: vt cùm venerit hora eorum, reminiscamini quia ego dixi vobis.

5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis?

6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.

7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.

8. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitiâ, & de iudicio,

9. de peccato quidem, quia non crediderunt in me:

10. de iustitiâ verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me:

11. de iudicio autem, quia Princeps huius mundi iam iudicatus est.

12. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò.

13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso: sed quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis.

14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Proptereà dixi: quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

SANCTVS CYRILLVS *lib. 10. in Ioan. cap. 34* Particularioribus, *inquit,* silentio traditis, ad ea orationem conuertit, quæ animus eorum poterant roborare. Nam quod non expectatum præter opinionem *Mala præuisa minùs feriunt.*

nem subitò ingruit, magnos etiam plerumque animos turbat: quod autem præuidimus, quamuis grauiùs inferatur, leuius tamen propter præmeditationem videtur. Sed illud puto etiam significari occultiùs. Si enim, inquit, vobis testibus tot tantaque mirabilia feci, sic Paracletus quoque in vobis similia faciet, nec tamen Iudæi ad meliora reducentur. Nolite conturbari si oratione vestrâ conuertere illos non poteritis; sed mementote vbique sermonis mei, non esse discipulum supra magistrum, sed nec seruum domino suo maiorem.

IDEM *cap. 35. ad illud*, Absque synagogis facient vos, *&c. ait:* Summum periculorum omnium prædixit: non vt formidine ad ignauiam discipulorum reduceret animos (alienum enim hoc est ab eo, qui ad liberam prædicationem audientes hortabatur) sed vt maximus mortis pauor (quoniam præsciretur) contemptus, fortiores ad subeunda pericula redderet. Nam qui mortis contemnunt, ij quomodo minora timebunt? Vt ergo ad ferenda omnia

Christiani extra synagogam eiecti, & ad cædem destinati. paratiores sint, nec præsentem corporis interitum timeant, minoribus prætermissis, ad tantam crudelitatem Iudæos deuenturos prænuntiat, vt gratos se Deo cæde illorum fieri arbitrentur. Quòd autem à synagogâ diligentes Christum eijciebantur, Eu-

Ioan. 12. angelista docuit, dicens, multos ex principibus credidisse Christum, sed Pharisæorum metu non confessos fuisse, ne à synagogâ pellerentur. Et rursus

Ioan. 9. ait: Iam enim lanxerunt Scribæ & Pharisæi, vt si quis ipsum Christum esse confiteretur, à synagogâ detruderetur. Sed non hæc, inquit, aduersus vos solummodò facient, verùm etiam ad tantum atro-

Act. 7. citatis prorumpent, vt sacrificij vim in cæde vestrâ positam putent. quod duobus, Stephano dico & Paulo, verum fuisse, satis erit ostēdere. Stephanum enim lapidibus, quasi quidpiam Deo gratum per-

Act. 23. agerent, temerario furore interfecerunt: Paulum autem frendentes dentibus persequebantur, adeò vt nonnulli iurauerint non priùs comedere atque bibere, quàm eum interimerent. Sic enim in Actibus legimus. Vtilis ergo hæc prædictio fuit, formidinem malorum extenuans, & ad fortitudinem discipulos roborans. Magnitudo enim timoris periculorum, cùm præsciamus, mirum quemdam in modum imminuitur.

VERS. 6. SED QVIA HÆC LOCVTVS SVM VOBIS, TRISTITIA IMPLEVIT COR VESTRVM.] S. BERNARDVS *Serm. 3 de Ascensione*, Sed illi, *inquit*, sanctissimæ carni eius assuefacti, verbum de discessu eius audire non poterant, vt eos relinqueret, pro

Quomodo Christus debebat discedere vt veniret Spiritus sanctus. quo omnia reliquissent. Quare hoc? Quia intellectus illuminatus erat, sed nondum purgatus affectus. Vnde & benignus Magister blandè eos consolabatur, dicens: Expedit vobis vt ego vadam, Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Quid est quòd Christo commorante in terris, Spiritus sanctus ad eos venire non poterat? An carnis illius consortium abhorrebat, quæ de ipso & per ipsum in Virgine & de Virgine concepta erat & nata? Absit: sed vt ostenderet nobis per quam ambularemus viam, formam apponeret cui imprimeremur. Et ille quidem illis plorantibus eleuatus in cælum, Spiritum sanctum misit, qui affectum eorum, id est voluntatem mundauit, imò potiùs alterauit, vt iam magis Dominum velint adscendisse, quàm priùs detinuisse volueraant. Impletum est quod eis prædixerat, Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Sic

a ergo illorum intelligentia per Christum illuminata est, & voluntas emundata per spiritum, vt sicut bonum nouerint, sic & velint, quod solum perfecta religio est.

S. AVGVSTINVS *similiter in Catenâ aureâ ait:* Numquid autem hîc positus eum non poterat mittere, quem scimus super eum baptizatum venisse atque mansisse? imò verò à quo scimus eum numquam separabilem fuisse. Quid est ergo, Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos? nisi non potestis capere spiritum, quamdiu secundùm carnem nosse persistitis Christum? Christo autem discedente corporaliter, non solùm Spiritus sanctus, sed & Pater & Filius adfuit spiritualiter.

VERS. 8. ET CVM VENERIT ILLE, ARGVET MVNDVM DE PECCATO.] *Id est conuincet Iudæos & alios homines mundanos, hostes meos, licet non omnibus persuasurus sit, re ipsâ tamē redarguet de peccato tum infidelitatis, tum quouis alio.* QVIA NON CREDIDERVNT IN ME. *Quasi dicat, Clarè demonstrabit eis Spiritus sanctus doctrinâ & miraculis per Apostolos factis, & in mentibus hominum per internas inspirationes, vt agnoscant se esse in pristinis peccatis, eò quòd ab illis liberari non possint nisi per fidem in me, quam hactenus non habuerunt. Ita S. Cyrillus, & Leontius.* *Spiritus sanctus vt arguat de peccato.*

ET DE IVSTITIA.] *Quia scilicet conuincet falsam esse mundi iustitiam, Iudæorum quidem, qui eam quærebant in cærimonijs legis; & Gentium, quia ex operibus legis naturalis: Christum verò ideò ab eis iniustum habitum conuincet esse iustum, iustitiæque omnis fontem ac parentem. Ita Cyrillus & Leontius ibidem.* *Quomodo arguatur mundus de iustitiâ.*

QVIA VADO AD PATREM.] *Quasi dicat, Scandalo est eis & quasi argumento me esse iniustum, quòd eum homo merus ac vulgaris & non diuinus videar, noua tamen doceam. Sed mox patebit contrarium, me scilicet à Patre esse missum, quia videlicet ad eum redibo, vt ampliùs mundus me non videat, nec infirma carnis meæ visu scandalizetur. Ita S. Chrysostomus & Leontius cum suis.*

DE IVDICIO *verò primùm S. Chrysostomus sic exponit, quasi dicat, Spiritus sanctus conuincet iudicium mundi esse falsum, quo me iudicabat mira facere ope dæmonis. Nam ostendet dæmonem à me iudicatum esse, expulsum ac condemnatum.* *Quomodo de iudicio.*

Secundò Theophylactus, ac si dicat: Spiritus sanctus condemnabit mundum ignauia, quia vulneratum à Christo satan vincere noluit.

Tertiò Cyrillus, Spiritus redarguet mundum quasi seductum & in damnato dæmone spem suam habentem, seu quod omisso Deo diabolum in creaturis adorarit, id est in idolis.

Quartò alij: Spiritus sanctus docebit me iustum iudicem esse viuorum & mortuorum, cùm videat suum principem à me esse iudicatum & expulsum.

Quintò denique ac optimè, quasi dicat, Spiritus sanctus ita mundum arguet, vt mundus cognoscat suum iudicium seu condemnationem suam, cùm se in suo capite ac principe diabolo (quem in idolis colebat, & factis imitabatur) condemnatum videat, ex eo quòd Apostoli eum ex idolis & mentibus ac corporibus hominum eijciant. Damnatum, inquam, quia si Deus Angelis peccantibus non pepercit, nec parcet mundo peccanti. Ita S. Augustinus, Beda & Rupertus ad hunc locum.

VERS. 12. ADHVC MVLTA HABEO VOBIS DICERE, &c.] *S. Leo Serm. 2. in Pentecosten ait:* Quid ergo est quòd Dominus promittens discipulis Spiritum sanctum, qui iam dixerat, Omnia quæ audi-

ui à

ui à Patre meo nota feci vobis; adhuc inquit: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò: Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, ille vos diriget in omnem veritatem? Numquid sese Dominus inferioris scientiæ volebat intelligi, aut minus aliquid quàm Spiritum sanctum a Patre didicisse, cùm ipse sit veritas, & nihil Pater dicere, nihil possit docere sine Verbo, ideoque dictum sit: De me accipit, quoniam quæ accipit Spiritus à Patre, dat Filius? Non itaque alia insinuanda erat veritas, nec alia prædicanda doctrina, sed oportebat capacitatem eorum qui docebantur augeri, & multiplicari constantiam illius charitatis quæ omnem formidinem foras mitteret, & furorem persequentium non timeret. Quod vtique Apostoli, posteaquam Spiritus sancti nouâ abundantiâ repleti, ardentiùs velle, & efficaciùs posse cœperunt, proficientes à præceptorum scientiâ ad tolerantiam passionum, vt sub nullâ iam tempestate trepidantes fluctus sæculi, & elationes mundi fide supergrediente calcarent, & morte contemptâ omnibus gentibus Euangelium veritatis inferrent.

Prædicatores sciant quid, quãdo vbi, & quibus prædicent.

Monentur his verbis prædicatores, vt non tantùm attendant quid dicant, sed & quibus, & quo tempore, quæque loquantur. Considerent vt ea tantùm proferant quæ audientes ædificent, & non turbent. Vnde meritò Prædicatores sancti nubibus comparantur quæ pluant quando & vbi oportet. Ita pulchrè

S. HIERONYMVS *in cap. 26. Iobi exponens illa verba*, Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum, *ait*: Nubes sanctos Doctores interpretamur Ecclesiæ, qui aquas Euangelij portant populis effundendas, & gubernandas à Spiritu sancto deferunt, vt irrigentur terræ populorum, & de hac cælesti pluuiâ virtutum fruges spirituali operatione multiplicentur. Quas aquas de supernâ abundantiâ defluentes ligat Deus in nubibus suis, vt vnicuique secundùm capacitatem cordis sui tantum doctrinæ tamquã aquam effundat, quantum suscipientis possibilitas patitur, ne simul fortassis effusę, obsint cordibus minùs valentibus abundantiorem suscipere doctrinam.

IDEM *explicans illa verba Isaiæ* 50. Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lapsus est verbo: *vel vt in versione Septuaginta Interpretũ*, Κύριος δίδωσί μοι γλῶσσαν παιδείας, τοῦ γνῶναι ἡνίκα δεῖ εἰπεῖν λόγον. Dominus dat mihi linguam disciplinæ, vt sciam quando oporteat me loqui verbum; *ait*: Verba hæc de Christo Domino ac veris prædicatoribus accipienda sunt, qui sciunt quando debeant loqui, & quando reticere. Magnæque scientiæ est dare in tempore conseruis cibaria, & audientium considerare personas.

IDEM *ad illud*, Scidit petram, & fluxerunt aquæ, *ad Isaiæ cap. 48. ait*: Scinditur autem sermo diuinus, & in multas partes diuiditur, vt quem totum suscipere non possumus, sumamus in partibus.

Hoc etiam perfecit hic Iesus, dum quædam reseruauit Spiritui sancto, qui docturus erat omnem veritatem, discipulorum salutem atque eorum munus concernentem, idque non solùm scientiâ speculatiuâ, cum quâ etiam multi pereunt, sed scientiâ practicâ, quâ præditi, rectè operantur iusti.

Quomodo Spiritus sanctus clarificet Christum.

VERS. 14. ILLE ME CLARIFICABIT.] S. AVGVSTINVS *Tractatu 100. in Ioannem*, Hoc, *inquit*, potest intelligi, quia diffundendo in cordibus credentium charitatem, spiritalesque faciendo, declarauit eis quomodo Filius Patri esset æqualis, quem secundùm carnem priùs tantummodò nouerant, & hominem sicut homines cogitabant. Vel certè quia per ipsam charitatem fiduciâ repleti, & timore depulso annuntiauerunt hominibus Christum: ac sic fama eius diffusa est in toto orbe terrarum. Vt sic dixerit, Ille me clarificabit, tamquam diceret, Ille vobis auferet timorem & dabit amorem, quo me ardentiùs prædicantes, gloriæ meæ per totũ mundum dabitis odorem, commendabitis honorem. Quod enim facturi fuerant in Spiritu sancto, hoc eumdem Spiritum dixit esse facturum: quale est etiam illud Matthæi decimo, Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

Subiungit, ET DE MEO ACCIPIET, *id est de meâ essentiâ. Ita Nazianzenus Oratione de Fide; & consequenter de meâ voluntate ac scientiâ; hæc enim annuntiare debet. Ita Cyrillus & Chrysostomus ad hunc locum. Hinc Patres etiam probant Christi Diuinitatem, & processionem Spiritus sancti etiam à Filio.*

VERS. 16. Modicum, & iam non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad inuicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem?

18. Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid loquitur.

19. Cognouit autem Iesus, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterùm modicum, & videbitis me.

20. Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos, mũdus autem gaudebit; vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

21. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

22. Et vos igitur, nunc quidem tristitiam habetis, iterùm autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Quid sit modicũ quo Christus videtur & non videtur.

ILLVD modicum *S. Augustinus & Beda sic accipiunt, quasi dicat*, Modicum, *id est vsque ad Ascẽsionem, non videbitis me; & rursum post modicum, scilicet tempus huius sæculi, quod comparatione Dei & æternitatis est modicum, rursum me videbitis in communi resurrectione, idque perpetuò.*

Secundò, SS. Cyrillus, Chrysostomus atque Leontius, ita intelligunt, ac si dicat, Cito passurus sum & mori-

moriturus, nec videndus; sed post modicum aliud tempus me videbitis, quia citò, puta post triduum, à morte resurgam, & me videndum vobis exhibebo.

Deus vt vadat & veniat ad animam nostram.

S. BERNARDVS *Serm. 74. in Cantica, pulchrè ad illud modicum alludit, ostendens vicissitudines visitationum & desolationum animæ deuotæ.* Præteriens, *inquit*, teneri vult, abiens reuocari. Neque enim hoc irreuocabile verbum. It & redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculo, & subitò probans. Et ire quidem illi, quodammodò dispensatorium; redire verò, semper voluntarium est: vtrumque autem plenum iudicij. At penes ipsum horū ratio. Nunc

Ioan. 14. & 16.

verò constat in animâ fieri huiusmodi vicissitudines euntis & redeuntis verbi, sicut ait: Vado, & venio ad vos. item: Modicum, & non videbitis me, & iterùm modicum, & videbitis me. O modicum & modicum! ô modicum longum! Pie Domine, modicum dicis quòd non videmus te? Saluum sit verbum Domini mei, longum est, & multum valdè nimis. Verumtamen vtrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis. Habes vtrumque in Prophetâ.

Hab. 2, 3.

Si moram fecerit, inquit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Quomodo non tardabit, si morā fecerit, nisi quod ad meritum satis est, sed non satis ad votum? Porrò anima amans votis fertur, trahitur desiderijs, dissimulat merita, maiestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens in salutari, & fiducialiter agens in eo. *Et infra ait:* Fateor & mihi aduentasse verbum, in insipientiâ dico, & pluries. Cumque sæpiùs intrauerit ad me, non sensi aliquoties cùm intrauit. Adesse sensi, adfuisse recordor, interdum & præsentire potui introitum eius, sentire nunquam, sed nec exitum quidem. Nam vnde in animam meam venerit, quóve abierit, denuò eam dimittens: sed & quà vel introierit vel exierit, etiam nunc ignorare

Ioan. 3, 8.

me fateor, secundùm illud: Nescis vnde veniat,

Psal. 76, 20.

aut quò vadat. Nec mirum tamen, quia ipse est cui dictum est: Et vestigia tua non cognoscentur. Sanè per oculos non intrauit, quia non est coloratum. Sed neque per aures, quia non sonuit. Sed neque per nares, quia non aëri miscetur, sed menti: nec infecit aërem, sed fecit. Neque verò per fauces, quia non est mansum, sed haustum. Nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Quà igitur introiuit? An fortè nec introiuit quidem, quia non deforis venit? neque enim est vnum aliquid ex ijs quæ foris sunt. Porrò nec de intrà me venit, quoniam bonum est, & scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum, & ecce supra hoc verbum eminens. Ad inferius quoque meum curiosus explorator descendi, & nihilominùs infrà inuentum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse: si intus, & ipsum interius erat. Et cognoui verum quidem esse quod legeram, Quia in ipso viuimus, mouemur & sumus: sed ille beatus est, in quo est ipsum, qui illi

Act. 17, 28.

viuit, qui eo mouetur.

Deus animæ per interualla absens videtur & præsens.

Expedit autem valdè ad benè viuendum, vt modicam credat iustus absentiam Dei, modicum vitæ huius tempus in quo peregrinus expectat aduentum Domini, venturus citò vt illum coronet, modicum cogitet tempus tribulationis quo abest Deus relinquens amicos in exteriori homine, quos in interiori non deserit, nisi derelinquatur ipse prior, vti pulchrè

ORIGENES *Hom. 3. in Cantica*, Nunc, *inquit*, præsens est sponsus & docet, nunc absens dicitur & desideratur, & vtrumque vel Ecclesiæ vel animæ studiosę conuenit. Cùm enim pati persecutiones permittitur Ecclesia, absens ei videtur. Et rursum cùm in pace proficit, & in fide ac bonis operibus floret, præsens ei esse intelligitur. Alia iterùm est visitatio, in quâ anima visitatur paululum, & iterùm deseritur vt probetur; ac rursus requiritur vt caput eius sustentetur, & vt tota complectatur, ne fortè aut in fide titubet, aut corpus eius tentationum pondere prægrauetur.

VERS. 20. AMEN, AMEN DICO VOBIS, PLORABITIS ET FLEBITIS VOS.] S. AVGVSTINVS *in aureâ Catenâ*, Hoc, *inquit*, sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte Domini, & confestim de resurrectione lætati. Mundus autem, quo nomine significati sunt inimici à quibus Christus occisus est, tunc lætati sunt occiso Christo, quando fuere discipuli contristati. Vnde sequitur: Mundus autem gaudebit.

ALCVINVS *ibidem*. Sed & cunctis fidelibus conuenit hic sermo Domini, qui per lacrymas pressurasque præsentes ad gaudia æterna contendunt. Flentibus autem iustis mundus gaudet, quia in præsenti delectantur, alterius vitæ nulla gaudia sperantes.

Iusti flent Primò, propter peccata propria antiqua.

Iusti autem in hoc mundo flent Primò, propter peccata propria. Ita Psal. 6. lauabat Regius Vates per singulas noctes lectum fletibus, & lacrymis copiosis stratum suum rigabat, cuius oculus furore turbabatur, dum indignabatur in semetipso propria considerans mala. Sic & S. Petrus, vt Pontifex Clemens eius discipulus refert, exaratum habebat vultum fletibus, dum negationis peccatum ad memoriam reducebat. Nec vmquam cantantem audiebat gallum, quin vberrimis lacrymis compungeretur. Mirabilia sunt quæ narrat se vidisse Climacus de lacrymis ac pœnitentijs quorumdam Religiosorum.

Secundò, ob suas imperfectiones.

Secundò lacrymantur vbertim iusti legem Dei audientes, dum varijs se adhuc imperfectionibus implicitos cernunt, vti pulchrè S. GREGORIVS Hom. 20. in Ezechielem, explicans illa verba cap. 4. Ibi lauabant holocaustum, *sic ait:* Qui se per fidem in conuersatione sanctâ Domino deuouerunt, holocaustum Domino facti sunt. Sed quia adhuc multa in se de corruptibili suâ carne patiuntur, quia adhoc in eis cordis munditia sordidis cogitationibus inquinatur, quotidie ad lacrymas redeunt, assiduis fletibus affliguntur. Sanctorum enim dicta & facta considerant, & cùm se indignos pensant, in portarum ostio holocaustum lauant.

IDEM *Hom. 6. in Matthæum:* Nihil tam agglorinat Deo, vt illæ lacrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit. Qui enim talis vitæ seruat tenorem, etiamsi in medio vrbis videatur habitare, quasi in eremi tamen vastitate requiescit, & inter solitudines montium, & secreta conuallium. Nullo enim tumultu rerum strepituque concutitur, nihil de præsentium auocatione conspiciens, neque vllam satietatem de huiusmodi luctu lacrymisque percipiens, siue propria peccata, siue etiam lamentetur aliena.

Tertiò, ex dolore mali proximi.

Tertiò lacrymantur etiam dum proximo compatiuntur. Sic Iob 30. Flebam, *inquit*, super eo qui afflictus erat; *quicumque nimirum ille fuisset, etiamsi incognitus & inimicus, flebam dum considerabam eum miserijs pressum;* & compatiebatur anima mea pauperi.

Quartò, præ desiderio Dei & cæli.

Quartò flent propter dilationem præmij, & præ desiderio Dei ac cæli, sicut S. Paulus ad Rom. 8. aiebat: Scimus

Scimus quòd omnis creatura ingemiscit,& parturit vsque huc. Non solùm autem illa, sed & nos primitias spiritus habentes intra nosmetipsos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.

Mali è contrà gaudent de ijsdem de quibus iusti dolent. Sap. 8, 2.

At econtrà mali gaudent, primò, in peccatis suis: Prou. 2, 14. Qui lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.

Secundò, in concupiscentijs suis, dicentes, Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrûm exsors sit luxuriæ nostræ, vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.

Tertiò, malis aliorum delectantur, vti pulchrè ostendit S AMBROSIVS *lib. de Noe cap. 30. exponens verba illa Genesis 9. in quibus Cham discooperuit verenda patris sui ebrij, dicens:* Omnes mores pessimi, erroribus delectantur alienis. Ridet Cham nudatum patrem vidés. Omnis namque improbus, quoniam ipse deuius disciplinæ est, aliorum lapsus, non solùm pro sui erroris solatio accipit quos consortes inuenerit culpæ, verumetiam improbo lætatur affectu, tamquam sua ipse delicta correxerit. Mala mens ergo lætatur præter propositum quid alicui accidisse sapienti, cùm vtique corporis lapsos in vitio esse non debeat, etiamsi lapsus putetur.

Quartò, gaudent cùm Dei & cæli obliuiscuntur, & Deum eorum oblitum arbitrantur, iuxta illud Psalmi 9. Dixit enim in corde suo: Non mouebor à generatione in generationem sine malo. Oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem. *Item:* Dixit in corde suo, non requiret. *Sicut itaque tristantur cùm Dei reminiscuntur, eò quòd ipsum naturaliter tunc vt scelerum suorum, quæ deserere nolunt, vindicem reformident; ita gaudent tristes istas, vti vocant, cogitationes depellere, & omnimodam, si possint, Dei memoriam deponere, tamquam sibi molestissimam. Sed perniciosa omnino ac pessima illorum lætitia est, & in sempiternum luctum terminanda, vti econtra breuis ac saluberrima iustorum tristitia cum gaudijs perpetuis commutanda. Vnde subditur,* Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Quale autem, quamque ingens futurum sit illud gaudium, exposuit istâ similitudine, quâ nato filio masculo in mundo, consolatur se mulier, omnium quæ præterierunt dolorum prorsus oblita. Et sicut quondam noluit Iacob, vt natus illi filius, cuius ortu interijt mater, vocaretur Benoni, hoc est filius doloris, sed Beniamin, id est filius dexteræ, quoniam non tam dilectissimæ sibi vxoris mortem, quam ortum infantis considerabat. Sic & iusti licet similes ceruis incuruentur dum pariunt; cælestis tamen Pater bonis eorum operibus nomen dat dexteræ, non tam considerâs quæ hîc patiuntur tristia, quàm quæ inde illis eueniant bona: in præsenti siquidem sæculo partus bonorum operum tempus est, vt Ecclesia multos Deo filios generet. Cui partui dum insistunt iusti, graues à carne & à mundo dolores & afflictiones patiuntur. Verùm non tantùm post dolores istos momentaneos & breues, sed etiam per illos ipsos in vitâ æternâ gaudium & maximum & sempiternum succedit.*

Iustorum tristitia in gaudium vertitur.

VERS. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam: [a] Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

[a] Matth. 7, 7. 21, 22. Marc. 11, 24. Luc. 11, 9. Ioan. 14, 13. Iac. 1, 5.

24. Vsque modò non petistis quidquam in nomine meo: Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum.

25. Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis.

26. In illo die in nomine meo petetis: & non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis:

27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia ego à Deo exiui.

28. Exiui à Patre, & veni in mundū: iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.

29. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis.

30. nunc scimus, quia scis omnia, & non opus est tibi vt quis te interroget: in hoc credimus quia à Deo existi.

31. Respondit ei Iesus: Modò creditis?

32. [b] Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.

[b] Matth. 26, 31. Marc. 14, 31.

33. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis: In mundo pressuram habebitis: sed confidite, ego vici mundum.

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *apud D. Thomam in Catenâ*, Dicit ergo, *inquit*, Et in illo die, scilicet cùm resurrexero, me non rogabitis quidquam, id est, non dicetis, Ostende nobis Patrem, & quò vadis: quoniam scietis per Spiritum sanctum: vel, Non rogabitis me, id est, non indigebitis mediatore ad impetrandum, sed sufficiet nomen meum, quod inuocantes omnia accipietis. quod firmat promissione, dicens:

AMEN, AMEN DICO VOBIS, SI QVID PETIERITIS PATREM IN NOMINE MEO, DABIT VOBIS.] *Quia autem hæc Domini promissio videri posset in multis inefficax esse & inanis; eo quòd plerique multa petant Patrem in nomine Filij, nec tamen impetrent, obseruandum Primò, quibus istud sit dictum, scilicet Apostolis, & in illis, his qui eis essent futuri similes; non autem hæc promissio dirigitur ad illos qui Christo aduersantur.* Quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit, *vti etiam promittitur Psal. 144.* Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet. *Si itaque spiritum habentes filiorum Dei, & peccata detestantes, ad precandum Deum accesserimus, ea impetrabimus quæ postulamus.*

Vt audiamur à Deo Patre, debemus primò habere conditionem filij. Ioan. 9, 31.

Secundò obseruandum est quòd dicat, Si petieritis.

Petere autem, est desiderare: desiderium autem actus est non oris, sed animi & voluntatis. Non ergo petunt Patrem, qui ore tantùm preces pronuntiant, & non etiam ex animo id quod ore petunt, desiderant, suum desiderium elevatione animi in Deum & ardore declarando. Vnde non mirum est si non exaudiantur, qui mente distracti, orationes voce multiplicant, vti pulchrè

S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 16. inter varias in Matthæum*, Nonnulli, *inquit*, introëuntes Ecclesiam, in mille versus extendunt orationem suam, quasi apud Dominum multitudine sermonum opus sit, tamquam ignoranti quid postules, qui antequam cogites nouit. Nam & illi quidem quid dicunt nesciunt. Labia mouentur solummodò, mens autem sine fructu est, & aures eius surdæ sunt. Tu non audis orationem tuam, & Dominum vis audire precem tuam; &c.

Tertiò, si petierimus vera bona, & non vana.

Tertio notandum, dici Si quid petieritis, *ea scilicet quæ Christi nomine digna sunt, vera bona & non vana, & quæ nihili pendenda sunt, qualia sunt bona temporalia. Vnde rectè* S. AVGVSTINVS, Si quid petieritis, hoc est, *inquit*, aliquid quod in beatæ vitæ comparatione non sit nihil. *Sicut enim à potentissimo Rege obolum postulare nullus debet, sic nec à Deo modica bona, sed ea quæ diuinâ munificentiâ fuerint digna. Sic Alexandrum adiens mendicus, & eleemosynam postulans, ciuitatem accepit: cumque pauper se tanto dono fateretur indignum, Alexander dixit: Minora præstare non potest Alexander.*

Quartò, si petamus per merita Christi.

Quartò, aduertendum quod dicatur, Si petieritis in nomine meo: *id est, propter merita Christi. Petere enim per Christum nos docet, tamquam mediatorem inter Deum & hominem. Hinc Ecclesia omnes Collectas concludit breui hac clausulâ,* Per Christum Dominum nostrum.

Quintò, si benè petamus.

Quintò etiam in hac promissione subaudiendum aliquid, quod in omnibus similibus sententijs est intelligendum, scilicet si rectè ac debitè petieritis in nomine meo. *Hanc conditionem insinuat S. Iacobus in Epistolâ suâ cap. 4 dicens:* Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis. *Non rectè autem petunt, qui non pro magnitudine eius quem petunt, & rei quam petunt, ardenter, instanter & reuerenter petunt; quique non cum firmâ petunt fiduciâ. Non rectè petunt in nomine Christi, qui indigna petunt nomine Christi, qui præsentia bona aut malorum præsentium depulsionem, precantur absolutè, & non sub conditione ordinis ad Dei gloriam, aut propriam salutem.*

Sextò, si pro nobis oremus vbi oportet.

Sextò, hic etiam notat S. Augustinus, quòd Christus dicat, Dabit vobis: *vbi ea beneficia significantur, quæ ad eos qui petunt propriè pertinent. Nam alioqui Sancti pro alijs orantes, non semper audiuntur, quia alij indigni sunt qui accipiant quæ eis Sancti precantur. Exaudiuntur autem omnes Sancti pro se orantes, dum rectè sibi petunt in nomine Christi, etiamsi ad horam promissa differantur. Dum tamen negantur illis quæ petuntur, dantur certè vtiliora. Si ergo hisce adhibitis conditionibus quidquam Patrem in nomine Filij postulauerimus, vtique vel illud vel illo potiora assequemur.*

S. AVGVSTINVS *Tract. 102. in Ioannem ad id quod sequitur Vers. 24.* Vsque modò non petistis quidquam in nomine meo; Hoc duobus, *inquit*, modis intelligi potest. Vel quia non in nomine meo petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognouistis: vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Vt igitur in eius nomine non nihil, sed gaudium plenum petant, (quoniam si aliquid aliud petût, idem aliquid nihil est:) exhortatur dicens: Petite & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Id est, hoc in nomine meo petite, vt gaudium vestrum sit plenum, & accipietis: isto enim bono in petendo perseuerantes Sanctos suos, nequaquam misericordia diuina frustrabit.

Plenitudo gaudij in Christi nomine petenda est.

Alij sic intelligunt illud Petite & accipietis *scilicet quæ petitis, & tunc gaudium vestrum erit plenum, quia nimirum videbitis vos per Christum à Patre impetrare quæcumque petitis.*

Impletur & alià ratione gaudium fidelium in Christo, dum accipiunt quæ in illius nomine petunt; quia nimirum Spiritum sanctum & illius dona accipientes, (hæc enim maximè in Christi nomine petenda sunt) fortes efficiuntur contra vitia, & à conscientiæ accusatione liberantur, atque ob id spiritali gaudio replentur, quod gaudium est Spiritus sancti fructus, vti pulchrè

S. CYRILLVS *lib. 11. in Ioannem cap. 7.* Orandum, *inquit*, est in nomine Saluatoris, si exaudiri à Patre volumus: vt accipientes quæ petierimus, spiritali gratiâ repleti, & prudentiores per Spiritum facti, aduersus sordidas possimus voluptates militare, & ita amore virtutis in dies ardentiores & fortiores ad opera sanctificationis facti, retributionis spe gaudeamus: & mœstitiâ conscientiæ criminum depulsâ, gaudio Christi mentes nostras repleamus.

Triplex gaudij genus.

Triplex est autem genus gaudiorum. Alia siquidem sunt gaudia vacua, alia semiplena, alia plena.

Gaudium mundi est vacuum.

Gaudium vacuum est gaudium mundi, de quo scriptum est ab Isaiâ cap. 29. Sicut somniat esuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion. *Vanum itaque est mundi gaudium, vtpote in bonis temporalibus, quæ vana sunt, fundatum. Vnde pulchrè probat* S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 54. ad Populum, illa lætitiæ tantùm nomen habere, cùm omnia sint in tristitiâ, vti fusè ibidem ostendit, dicens:* Quantam habet tristitiam superbus? quomodo cruciatur dum non extollitur, innumeras sibi contumelias inferens, multum odij, multum inimicitiæ, liuoris multum, multum inuidiæ. Quòd si à maioribus contemnitur, dolet, si non super omnes insurgat, roditur. *Et sic de ceteris particulatim ibidem probat, quàm à vero gaudio mundana lætitia sit vacua, & econtra tristitia plena.*

Gaudium spiritale huius vitæ est tantum semiplenum.

Alterum est gaudium semiplenum, spiritalium scilicet donorum quæ in hac vitâ possidemus: de quo scriptum est ab Isaiâ cap. 1. Vinum tuum mixtum est aquâ. *Semiplenum dicitur, quia hîc non plenè satiat animam, quia nimirum bona spiritalia dum viuimus, cum periculo possidemus, & cum multis imperfectionibus. Gaudium enim Sanctorum in hac vitâ non est perfectum, sicut nec victoria quam de hostibus reportant, vti docet* S. HIERONYMVS *explicans verba illa Ps. 86.* Sicut lætantium omnium habitatio est in te, Quare, *inquit*, non dixit, Lætantium omnium habitatio in te? & in alio Psalmo, In cõuertẽdo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati, & non dixit, Consolati? Hoc totum quare dicit? Quoniam in præsenti sæculo, quamuis aliquis sanctus sit, quamuis renuntiet sæculo, non habet perfectam victoriam. Manifestum est itaque, quoniam in præsenti sæculo non est certa lætitia, ergo lætitia nostra quasi lætitia est. Psal. 125. 1

S. AVGVSTINVS *exponens illud Psal. 41.* Transibo in locum tabernaculi admirabilis, *&c.* De illâ, *inquit*, æternâ & perpetuâ festiuitate, sonat nescio

quid

quid canorum & dulce auribus cordis, sed si non perstrepat mundus. Ambulanti in hoc tabernaculo admirabili Dei, & miracula Dei in redemptionem fidelium consideranti, mulcet aurem sonus festiuitatis illius, & rapit ceruum ad fontes aquarum. Sed quia, fratres, quamdiu sumus in corpore hoc, peregrinamur à Domino, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem: etsi vtcumque nebulis fugatis ambulando per desiderium ad hunc sonum peruenerimus interdum, vt aliquid de illâ domo Dei nitendo capiamus; onere tamen quodam infirmitatis nostræ ad consueta recidimus, & ad solita ista dilabimur. Et quomodo ibi inueneramus vnde gauderemus, sic hîc non deerit quod gemamus. Etenim ceruus iste manducans die ac nocte lacrymas suas, raptus desiderio ad fontes aquarum, interiorem scilicet dulcedinem Dei, effundens super se animam suam, ambulans in locum tabernaculi admirabilis vsq; ad domum Dei, & ductus interioris & intelligibilis soni iucunditate, vt omnia exteriora contemneret & in interiora raperetur: adhuc tamen homo est, adhuc hîc gemit, adhuc carnem fragilem portat, adhuc inter scandala huius mundi periclitatur. Quare, inquit, tristis es anima mea, & quare conturbas me? Ecce iam quadam interiore dulcedine lætati sumus, ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim & raptim, perspicere potuimus. Quare adhuc conturbas me, quare adhuc tristis es? Et quasi responderet illi anima eius in silentio, Quare conturbo te, nisi quia nondũ sum ibi, vbi est dulce illud, quò sic rapta sum quasi per transitum? Numquid iam bibo de fonte illo, nihil metuens? Iam nullum scandalum pertimesco? iam de cupiditatibus omnibus tamquam edomitis victisque secura sum? Nónne aduersus me diabolus vigilat hostis meus? Nónne laqueos mihi quotidie deceptionis intendit? Non vis vt conturbem te posita in sæculo, & peregrina adhuc à domo Dei mei? Sed spera in Dominum, respondet conturbanti se animæ suæ. Interim habita in spe, salutare vultus mei Deus meus.

Ex quibus patet, Sanctorum in hoc sæculo gaudium solùm esse semiplenum, & dolore mixtum ac timore, vtpote procedens ex testimonio conscientiæ bonæ, iuxta illud Pauli 2. Cor. 1. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, *quæ semper est timorata. Licet autem istud iustorum gaudium in hac vitâ perfectum non sit, magnum tamen est.*

Gaudium plenum est cæleste. *Gaudium ergo plenum solùm illud est quod in cælis habetur, vbi Sancti replebuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius inebriabuntur, vti Psal. 35. canit Dauid: quæ ebrietas consummatum gaudium significat illorum, qui satiabuntur ab vberibus consolationis Dei. Tunc itaque gaudium nostrum spiritale erit verè plenum. vnde* S. AVGVSTINVS *Tract. 102. in Ioannem,* Quando, *inquit*, gaudium nostrum tantum erit, vt aliquid ei iam non sit addendum, proculdubiò tunc erit plenum. Quidquid ergo petitur quod pertinet ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum; quidquid autem aliud petitur, nihil petitur. Non quia omnino nulla res est, sed quia in tantæ rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est.

VERS. 25. HÆC IN PROVERBIIS.] *Id est, (vt Cyrillus ait lib. 11. cap. 8. in Ioannem) per occultum & obumbratum sermonem,* LOCVTVS SVM VOBIS. *Illa nimirum quæ dixi de Paracleto, de modico, de itu ad Patrem, de gaudio vestro. Hæc enim vobis iam videntur ænigmata, sed experientia vos hæc omnia clarissimè docebit.* VENIT HORA, CVM IAM NON IN PROVERBIIS Act. 1, 3.
LOQVAR VOBIS, SED PALAM DE PATRE ANNVNTIABO VOBIS.] *Tum per me post resurrectionem per quadraginta dies, quibus aperiam vobis sensum Scripturæ. Ita Chrysostomus. Tum vel maximè per Spiritum sanctum, quem mittam in Pentecoste, omnia vobis annuntiabo. Ita S. Augustinus & Beda.*

VERS. 30. NVNC SCIMVS, QVIA SCIS OMNIA.] *Ex eo scilicet, quòd videamus te arcanas nostras cogitationes ac desideria de Modico scire, ac præuenire respondẽdo suprà vers. 19. vt tibi non sit opus rogare aliquem, vt scias quid ille scire desideret. Hinc consequenter firmiùs credimus te à Deo exiuisse, adeóque esse Deum. Deus enim solus est* καρδιογνώστης.

VERS. 32. HÆC LOCVTVS SVM VOBIS.] *Scilicet de mundi odio & persecutione, suprà cap. 15, 18. & 19.* VT IN ME PACEM HABEATIS. *Id est, vt in me confidentes, animo sitis tranquillo, stabili, atque inter aduersa imperterrito, nec me abijciatis à mente vestrâ. Non enim nunc solùm quando comprehendar fient vobis aduersa, sed donec eritis* IN MVNDO PRESSVRAM HABEBITIS. Quare (*inquit* S. GREGORIVS *lib. 16. Moral.*) sit vobis de me interiùs quod consolando reficiat, quia erit de mundo exteriùs, quod sæuiendo grauiter premat.

S. IOANNIS CAPVT XVII.

VERS. 1. Hæc locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt filius tuus clarificet te:

2. [a] sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. [a] Matt. 28, 18.

3. Hæc est autem vita æterna: Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.

4. Ego te clarificaui super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam:

5. & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priusquam mundus esset, apud te.

6. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt.

7. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt:

8. quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.

9. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo,

rogo, ſed pro eis, quos dediſti mihi: quia tui ſunt:

10. & mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: & clarificatus ſum in eis.

11. Et iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: vt ſint vnum, ſicut & nos.

SANCTVS CHRYSOSTOMVS *Hom. 79. in Ioannem*, Chriſtus, *inquit*, de patientiâ verba faciens, ſe proponit vnde exemplum ſumant. Propterea poſt hanc admonitionem ad orationem conuertitur, erudiens eos vt in tentationibus omnibus omiſſis ad Deum confugiamus. Cùm enim dixiſſet in mundo tribulationem habituros, & eorum mouiſſet animos, eos rurſus perorationem erigit.

IDEM *in Catenâ*: Propter hoc autem in cælum oculos eleuauit, vt nos doceret extenſionem quæ eſt in orationibus, vt ſtantes ſurſum aſpiciamus, non oculis carnis ſolùm, ſed & mentis.

S. AVGVSTINVS *Tract. 104. in Ioannem*, Poterat, *inquit*, Dominus noſter vnigenitus & coæternus Patri, in formâ ſerui & ex formâ ſerui, ſi hoc opus eſſet, orare ſilentio: ſed ita ſe Patri exhibere voluit precatorem, vt meminiſſet ſe noſtrû eſſe doctorem. Proinde eam quam fecit orationem pro nobis, notâ fecit & nobis: quoniam tanti magiſtri non ſolùm apud ipſos ſermocinatio, ſed etiam ipſius pro ipſis ad Patrem oratio, diſcipulorum eſt ædificatio. Et ſi illorum qui hæc dicta aderant audituri, profectò & noſtra qui fueramus cõſcripta lecturi. Quapropter hòc quod ait, Pater, venit hora, clarifica filium

Deus obſeruat tempora. tuum, oſtendit omne tempus, & quid quando faceret vel fieri fineret, ab illo eſſe diſpoſitum qui tempori ſubditus non eſt: quoniam quæ futura erant per ſingula tempora, in Dei ſapientiâ cauſas efficientes habent, in quâ nulla ſunt tempora. Non ergo credatur hæc hora fato vrgente veniſſe, ſed Deo potiùs ordinãte. Nec ſiderea neceſſitas Chriſti connexuit paſſionem: abſit enim vt ſidera mori cogerent ſiderum conditorem. Non itaque Chriſtum tempus vt moreretur impegit, ſed tempus Chriſtus quo moreretur elegit: qui etiam tempus quo de virgine natus eſt cum Patre conſtituit, de quo ſine tempore natus eſt.

S. HILARIVS *ex lib. 3. de Trinitate in Catenâ aureâ obſeruat quod Chriſtus*, Non diem, non tempus,

Quomodo Pater clarificat Filium. ſed horam veniſſe dicit. In horâ, diei portio eſt. Et quæ erat hæc hora? Iam nunc conſpuendus, flagellandus, crucifigendus erat: ſed clarificat Pater filium. Sol de curſu operis defecit, & interitum ſuum cum eo reliqua mundi elementa ſenſerunt. Ad onus Domini in cruce pendentis terra tremuit, & in eum qui mortuus erat intra ſe contineſta eſt non capere. Proclamat Centurio, Verè Filius Dei erat iſte: prædictioni conſentit effectus. Dominus dixerat: Clarifica filium tuum, non ſolùm nomine conteſtatus eſt eſſe ſe Filium, ſed & proprietate, quâ dicitur Tuum. Multi enim nos filij Dei, ſed nõ talis hic Filius. Hic enim proprius & verus eſt filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione. Ergo poſt clarificationem eius veritatis confeſſio ſecuta eſt. Nam verum Dei Filium Centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret, quod aliquis perſequentium non negaſſet. *Illud itaque* clarifica Filium, *idem eſt ac ſi diceret: Ne me vt vilem & infamem ob mortem crucis contemnant homines, glorifica me Pater miraculis, reſurrectione & corporis gloriâ, aſcenſione in cælum, miſſione Spiritus ſancti, & Gentium omnium conuerſione, idque non propter me, ſed vt omnis claritas mea ad te redeat quaſi ad fontem & auctorem gloriæ meæ. Hoc eſt quod dicit,* Vt filius clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatẽ

omnis carnis. *q.d. Quia, ô Pater, dediſti Filio poteſtatem omnium hominum, ad hoc vt omnibus, quantum in ſe eſt, daret vitam æternam; & vita æterna conſiſtit in tui cognitione, ideircò da vt Filius tuus clarificet te, id eſt, vt clarum & cognitum te faciat omnibus hominibus. Vbi nota, Chriſtum non tam de omnibus hominibus, quàm de omnibus electis loqui, vt patet verſu 6. Vitam autem æternam ibi Metonymicè ſumit pro cauſâ & viâ ad vitam æternam, id eſt pro fide, quæ eſt quaſi inchoatio viſionis & vitæ æternæ.* *Vita æterna vt conſiſtat in Patris ac Filij cognitione.*

VERS. 3. HÆC EST AVTEM VITA ÆTERNA, VT COGNOSCANT TE SOLVM DEVM VERVM, &c.] *Hinc Arriani inferunt, Filium non eſſe Deum verum; Macedoniani verò, Spiritum ſanctum non eſſe Deum verum.*

S. Auguſtinus & Beda reſpondent ſic eſſe connectenda verba, vt ſenſus ſit, Vt te & qui miſiſti Ieſum Chriſtum, cognoſcant eſſe ſolum verum Deum. *Sed ſic non reſpondetur Macedonianis ad Spiritum ſanctum; quare plenius S. Chryſoſtomus, Cyrillus atq; Leontius reſpondent,* ſolum *non excludere Filium & Spiritum ſanctum, ſed tantùm idola & falſos deos. Pro quo*

Nota, ſolum *non eſſe hic ſubiectum, ſed prædicatum. Non enim ſenſus eſt, vt agnoſcant te qui ſolus es verus Deus; ſed hic, videlicet, vt cognoſcant te qui es ille Deus, qui ſolus es verus. quod clarius articulum addendo exprimit textus Græcus,* Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσί σε, τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. *Nam Filium etiam eſſe Deum ſatis inſinuat, cùm ait, in eius cognitione conſiſtere vitam æternam, ſicuti in cognitione Patris. Vita enim æterna neceſſariò conſiſtit in ſummo bono & vero Deo, vt notat S. Ambroſius lib. 5. de Fide, cap. 2. Modeſtiæ ergo cauſâ Chriſtus expreſsè non ſe vocat Deum, ſed miſſum, ſcilicet Meſſiam & redemptorem mundi. Hinc etiam colligitur, ad ſalutem requiri expreſſam fidem incarnationis. Pater autem non poteſt plenè cognoſci ſine Filio & Spiritu ſancto.*

VERS. 5. ET NVNC CLARIFICA ME TV PATER APVD TEMET IPSVM.] *Quaſi dicat: Fac, ô Pater, vt aſcendam & ſedeam apud te, atque ita glorificer & agnoſcar non tantum homo eſſe, ſed etiam Deus. Sic enim in Aſcenſione Domini, ob diuinam naturam, ipſi communicatam humanitas euecta eſt glorioſiſſimè ad dexteram Patris. Atque hac ratione diuina natura humanæ naturæ ſuam gloriam quam habuit ab æterno, communicauit, vti S. Auguſtinus, Cyrillus & Leontius explicant.*

VERS. 9. EGO PRO EIS ROGO, NON PRO MVNDO.] *Nota contra Prædeſtinatos & noſtros hæreticos, Chriſtum etiam pro omnibus omnino hominibus rogaſſe, immò pro omnibus eſſe mortuum, vt patet ex 2. Corinth. 5, 15. & Lucæ 23, 34. etiam pro crucifixoribus orauit, dicens:* Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt. *Peculiariter tamen Chriſtus hîc orat pro ſuis diſcipulis oratione efficaci, vt Deus eos in gratiâ & fide datâ cuſtodiat. Ita S. Auguſtinus Tractatu 107. & explicat illud* non pro mundo, *de iis qui* *Chriſtus pro omnibus orat, ſed peculiariter pro ſuis diſcipulis.*

viuunt

viuunt secundùm concupiscentiam mundi, & non sunt in eâ sorte gratiæ, vt ab illo eligamur ex mundo, *id est, qui in finem mansuri sunt infideles & peccatores.*

Secundò & clariùs ex vers. 11. & 20 intelligitur Christus hîc propriè tantùm praecisè orare pro Apostolis suis atque fidelibus, quia illi soli præsentes erant, iisque valedicens benedicebat, vnde pro iis solis videtur orare, vt conseruentur à Patre in eâ fide, charitate atque concordiâ in quâ iam erant. Pro mundo autem & pro incredulis orauit tum aliàs sæpè, tum in cruce, vt nimirum conuersi ac pœnitentes remissionem acciperent. Nec enim omnia omnibus & vbique sunt petenda.

Quomodo Christus rogat vt vnû simus. VERS. 11. PATER SANCTE, SERVA EOS IN NOMINE TVO, QVOS DEDISTI MIHI, VT SINT VNVM, SICVT ET NOS.] *Id est, vt sint vnum scilicet consensu, spiritu & voluntate, sicuti nos vnum sumus naturâ. Ita S. Ambrosius lib. 4. de Fide cap. 2. Vnde Cyrillus & Athanasius Serm. 4 contra Arianos notant, vocem* sicut *similitudinem quamdam & imitationem significare, non verò identitatem. Secundo Cyrillus hîc, & etiam Hilarius lib. 8. de Trinitate hæc referunt ad Ven. Eucharistiam, quasi oret Christus, vt per sumptionem Corporis sui, vnum & secum & inter se vere corporaliter & naturaliter fiant, sicut verè & naturaliter ipse vnum est cum Patre.*

VERS. 12. Cùm essem cum eis, ego
*Ioã. 18, 9 seruabam eos in nomine tuo. " Quos
dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis
*Ps. 108, 8. perijt, nisi filius perditionis, "vt Scri-
ptura impleatur.

13. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

14. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

15. Non rogo vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo.

16. De mundo non sunt: sicut & ego non sum de mundo.

17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.

18. Sicut tu me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum.

19. Et pro eis ego sanctifico meipsum: vt sint & ipsi sanctificati in veritate.

20. Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me:

21. vt omnes vnum sint sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum sicut & nos vnum sumus.

23. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum: & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti.

24. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

25. Pater iuste, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti.

26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: vt dilectio quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

SANCTVS AVGVSTINVS *Tract. 107. in Ioannem,* In nomine, *inquit,* Patris seruabat discipulos suos Filius homo, cum eis humanâ præsentiâ constitutus: sed etiam Pater in nomine Filij seruabat, quos in nomine Filij petentes exaudiebat. Neque hoc tam carnaliter debemus accipere, velut vicissim nos seruent Pater & Filius, amborum in nobis custodiendis alternante custodiâ, quasi succedat alius quando discesserit alius: simul enim nos custodiunt Pater & Filius & Spiritus sanctus, qui est vnus verus & beatus Deus. Quando ergo seruabat discipulos suos Filius præsentiâ corporali, non expectabat Pater ad custodiendum succedere Filio discedenti, sed eos ambo seruabant potentiâ spirituali: & quando ab eis abstulit Filius præsentiam corporalem, tenuit cum Patre custodiam spiritualem. Quia & custodiendos quando Filius homo accepit, custodiæ paternæ non eos abstulit: & cùm Pater Filio custodiendos dedit, non dedit sine ipso cui dedit, sed dedit homini Filio, non sine Deo eodem ipso vtique Filio. Sequitur ergo Filius & dicit: Quos dedisti mihi custodiui: & nemo ex his perijt nisi filius perditionis, *id est, perditioni propter voluntaria sua scelera destinatus, scilicet Iudas. Vbi obserua Hebraismum, Nomen* filius, *quando iungitur Genitiuo pœnæ vel præmij, exponendũ esse per* dignus *vel* reus: *sic* filius mortis *dicitur* reus mortis. *Quomodo Pater Filiû & Filius Patri det homines custodiendos.* *Iudas cur filius perditionis.*

VERS. 14. EGO DEDI EIS SERMONEM TVVM, ET MVNDVS EOS ODIO HABVIT.] S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 81. in Ioannem,* Iterùm, *inquit,* causam adfert, quare digni sint quorum Pater curam habeat. Propter te, inquit, odio habiti sunt, & propter sermonem tuum, itaque digni sunt protectione tuâ. Cùm itaque virtuti operam damus, & mali homines persequuntur & nos derident, nolimus ægrè ferre, neque dolere: ita enim se res habet, semper odium apud malos parit virtus. Inuident enim benè viuere volentibus, sibi excusationem arbitrati si aliorum gloriam carpunt. Odio habent qui contraria quàm ipsi faciunt, & pro viribus adnituntur, vt illorum vitam criminibus inurant: sed non propterea doleamus. Hoc enim virtutis signum est, ideò Christus ait: Si de mundo essetis, mundus quod suum est amaret. *Virtus odio habetur.*

Quid sit sanctificari in veritate. VERS. 17. SANCTIFICA EOS IN VERITATE.] *Id est, per Spiritum sanctum perfectam eis veritatem Euangelicam infunde, vt vitâ & verbo sint orbis Do-* *Ioā 15,19.* *ctores, Sacerdotes, & Ecclesiarum Principes. vnde sequitur:* Sermo tuus, *id est doctrina tua per me tradita,* veritas est. *q.d. Non Moyses, non Philosophi, sed sermo tuus hanc veritatem docet.*

Secundò hîc etiam accipi potest illud sanctifica eos, *id est, eos vt sanctos praecones ac ministros Euangelij segrega, designa & consecra, sed* in veritate, *non in vmbris, sicut vmbraticè olim consecratus est Aaron cum suis, Leuitici cap. 8. & 9 dicebantur enim illi sanctificari, cùm Sacerdotes ac Leuitæ consecrabantur. Vnde sequitur:* Sermo tuus veritas est, *hoc est, Euangelium non est vmbra vti lex vetus, sed in Spiritu & veritate consistit. Simile quid habetur cap. 4, 24.* Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. *Et hic etiam paulo pòst*

VERS. 19. ET PRO EIS SANCTIFICO MEIPSVM.] *Id est offeram meipsum iamiam tibi in hostiam sanctam in cruce,* VT SINT ET IPSI SANCTIFICATI IN VERITATE.

Quam claritatem dederit Christus discipulis. VERS. 22. ET EGO CLARITATEM QVAM DEDISTI MIHI, DEDI EIS.] *Hic aliqui per* claritatem *intelligunt dilectionem qua clarificauerat eum Pater, ostendendo in Baptismo eum esse Filium suum dilectum, in quo ei benè complacuit.*

S. Cyrillus verò & Leontius, explicant claritatem hanc esse Diuinitatem Christi in Eucharistiâ iam recens ab ipso institutâ.

Tertiò etiam optimè sic exponitur, quasi dicat: Claritatem. hoc est gloriam filiationis diuinæ, quam habeo per naturam & vnionem hypostaticam, dedi eis, vt nimirum illi eamdem habeant per adoptionem.

VERS. 24 VT VIDEANT CLARITATEM QVAM DEDISTI MIHI.] *Scilicet animæ & corporis mei, quam mihi dare prædestinasti ab æterno, quia dilexisti me. Ita S. Cyrillus. Potest tamen secundò æquè rectè accipi de gloriâ Diuinitatis. In hac enim vitâ consistit essentialis beatitudo; sed tunc* quia, *quod sequitur, non significat causam, sed signum; quasi dicat, Ex eo quòd ab æterno me dilexeris amore infinito, quasi ex signo manifesto colligitur quòd mihi dederis gignendo Diuinitatem non ex amore libero, sed ex naturali fecunditate. Deinde genitum dilexit, quia eum sibi per omnia genuerat similem.*

VERS. 25. PATER IVSTE.] *Vocat hîc Patrem iustum, eò quòd solis suis qui Christū receperunt, præmia beatitudinis præparârit, alijs incredulis exclusis ac damnatis. Hoc enim est opus iustitiæ. Sic Chrysostomus.*

S. LVCAS CAP. XXII.

Matth. 26 36. Marc. 14, 32. Ioan. 18, 1. VERS. 39. Et egressus ibat secundùm consuetudinem in montem oliuarum: secuti autem sunt illum & discipuli.

ISIDORVS. 55. CVR autem in montem est egressus? vult nempe semetipsum facere manifestum, ne se abscondere videatur, aut fugere: festinauit enim ire ad locum Iudæ notum. In ipso autem loco dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem.

ISIDORVS l. 2. Ep. 76. 56. Nulla ratio inueniri potest, per quam quispiam à calamitatibus liber atque immunis sit. Verùm citius quispiam in maximâ tempestate citra gubernatoris & claui opem salutem consequeretur, quàm huius vitæ procellas, nullius tentationis periculo facto, effugeret. Nam cùm tentatio sit vita hominis super terram, quî fieri potest, vt qui in tentationis loco sit, minimè tentetur? Nam quod à Saluatore dictum est, Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem, perinde est ac si dixisset, Ne ab eâ opprimamini. In tentationibus siquidem versari cùm generosum sit ac gloriosum, non dixit, Ne incidatis, sed, Ne intretis, id est ne ab ijs obruamini & superemini. Nam si his verbis (quemadmodum alijs placet) hoc intellexit Saluator, ne vllo modo in tentationem prolabamur, rationi parum consentaneū hoc esset, cùm & Prophetæ & Apostoli, & ij viri qui virtute maximè excelluerunt, in multas & maximas tentationes inciderint. Verùm, in tentationem quidem non incidere, fortasse impossibile est: ei verò minimè succumbere, possibile. Ac vulgus quidem mortalium imperitiâ obrutum, ita in calamitatibus afficitur, vt eorum animi consolationem omnem respuant. Qui autem prudenti iudicio gubernantur, eas propulsant, non modò fortiter ferendo, sed etiam coronas animo & cogitatione versando.

Tentatio est vita hominis. *Iob 7, 1. Matth. 26, 41.* *Quid sit intrare in tentationem.*

SVPPLEMENTVM.

S. Ioannes ait cap. 18.

VERS. 1. Hęc cùm dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius.

2. Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locū: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

S. Matthæus cap. 26.

VERS. 36. Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis: Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.

37. Et assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contristari & mœstus esse.

38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hîc, & vigilate mecum.

Qualis quantaque tristitia fuerit in Christo. NOTA, *quod versu 37. dicitur,* Cœpit contristari & mœstus esse, *Græcè est* λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, *id est ita angi, vt homo quasi exanimetur. Vnde S. Lucas infrà vers. 43. hunc angorem agoniam vocat, & Christus hîc ait,* Tristis est anima mea vsque ad mortem. *hoc est, ita angor ac si iam morerer. S. Marcus cap. 14. 33. ait* Et cœpit pauere & tædere, *Græcè est* ἐκθαμβεῖσθαι, *quod est* obstupescere, *aut* pauere ad stuporem.

potem. *Hinc patet, veram tristitiam fuisse in Christo. Licet enim esset beatus & in summo gaudio, tamen Deo supernaturaliter extendente animæ capacitatem per concursum specialem, quo concurrebat cum animâ Christi, vt simul summum gaudium & summam tristitiam, sed respectu diuersorum obiectorum saltem formalium, elicere & suscipere posset; ita factum est, vt simul summam tristitiam vt patiens, & summam lætitiam vt comprehensor haberet, sicut communiter contra Caluinum docent Theologi. Hanc autem tristitiam non tantùm in appetitu sensitiuo, sed etiam in voluntate, saltem secundùm eius partem inferiorem, quæ spectat bonum naturæ, fuisse patet, quia dicit,* Non sicuti ego volo, sed sicut tu, *& sanctus Lucas infrà vers. 42.* Non mea voluntas sed tua fiat. *Causa verò primaria tantæ tristitiæ Christi non videtur fuisse discipulorum fuga & scandalum, vt volunt Hilarius & Hieronymus, sed viua apprehensio instantium tormentorum & mortis: quia subdit,* Transeat à me calix iste. *Hæc tamen tristitia non fuit Christo necessaria aut naturalis, ita vt rationis aut voluntatis imperium præueniret, sicut in nobis fit; sed fuit omnino libera, & liberè assumpta, iuxta quod Theologi dicunt in Christo non fuisse passiones, sed propassiones. Omnes enim in Christo appetitus sensitiui oriebantur secundùm rationis dispositionem. Hinc enim omnes inferiores vires, tam in Adamo quàm in Christo perfectè erant subdita. Hoc enim requirit iustitia originalis, vti ex S. Augustino lib 14 de Ciuitate cap. 9. Theologi docent.*

S. LVCÆ CAPVT XXII.

VERS. 40. Et cùm peruenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem.

Matth. 26. 39. Marc. 14. 35. 41. "Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat dicens:

CYRILLVS 57. SVADEBAT discipulis quæ tempori congruebat, dicens, Orate ne intretis in tentationem. Sed ne solis verbis eis prodesset, ipse præit exemplo: & præcedens paulùm, orabat in genua prouolutus. Verùm cur non vnà cum sanctis discipulis, sed seorsum orat solus? vt discamus placentis Deo orationis modum. Nam & alibi dixit: *Orandû in absconditò.* *Math. 6, 6* Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito, &c. Vbique enim inueniemus eum semotum orantem; vt discas animo attento, & corde tranquillo, cum sublimi Deo orandum esse. Non autem quasi egens alieni suffragij precibus insistebat, qui est omnipotens virtus Patris: sed vt discamus non esse in tentationibus dormitandum, sed magis orationibus insistendum. Valdè autem stultum est de certaminibus se iactitare, sed modestâ oportet prudentiâ audaciam & molestiam temperare.

ISIDORVS *Flexus genuum quid significet.* 58. Quid autem sibi vult flexus genuum? Humanus quidem vsus est, pronos terræ supplicare maioribus, facto ostendentes foriores esse qui rogantur. Sic fecisse videtur *Gen. 33, 3* Patriarcha Iacob fratris iram placaturus, sese hac humiliandi formulâ ipso inferiorem in occursu ostendens. Procidit enim, inquit, tertiò in terram. Et fratres Iosephi dum eum non cognoscerent, ipseque illorum notitiam dissimularet, ipsum propter eius eminentem dignitatem proni adorarunt. Procidit etiam in genua coram Chetæis magnus ille Abraham, aduena nempe coram incolis, per hoc quod faciebat, ostendens quantum incolæ aduenis antecellerent. Quid igitur honoris diuinæ exhibendum est excellentiæ? Palàm est autem humanam naturam nihil habere condignum Deo. Bonorum siquidem nostrorum, cùm ipse sit creator noster, minimè indiger. Nos autem homines honorifica signa quæ inuicem exhibemus, nos excellentioribus inferiores esse confitentes, ad obsequia incomparabilis naturæ transtulimus, illa quæ apud nos honorifica sunt, naturæ omnem honorem & laudem excedenti deferentes. Quapropter etiam Daniel genua sua inflectit Domino, pro captiuo populo misericordiam petens. Et qui languores nostros portauit ac pro nobis intercessit, per hominem quem assumpsit genu flectit orando, sanciens non esse superbiendum orationis tempore, sed per omnia humilitati conformandum, quia Deus superbis resistit, humilibus verò dat gratiam, & omnis qui se exaltat humiliabitur. Nos autem genuflectentes re ipsâ ostendimus nos per peccatum in terram prolapsos esse; ac cùm surgimus, nos iterùm per diuinam benignitatem erectos & ad cælum reuocatos esse. Hinc neque Dominicâ die, neque à Paschate vsque ad Pentecosten genua flectimus, quandoquidem dies resurrectionis imago sit futuri sæculi, vti & Pentecoste atque octaua quæque seu Dominica dies. nam dies Dominica, & prima & octaua nuncupatur. Hanc etiam octauæ figuram Psalmista in pluribus locis obseruat. Etenim totam Pentecosten resurrectionis tempus appellamus. Cùm itaque & resurrectionis & interminabilis vitæ, seu æterni sæculi præ se ferat imaginem, iubet nos stantes orare, quò stabilis illa & semper in eodem statu permanens, & omnino vesperum tenebrasque nesciens vita designetur. Habet & hic ritus aliam significationem, nimirum nos qui in Baptismo cum Christo resurreximus, debere superna spectare ac quærere, & mentem à terrenis atque præsentibus ad cælestia ac futura debere transferre. *Tempore Paschali cur stando oretur.*

BASILIVS *de Spiritu sancto.* 19. Omnes autem spectamus ad Orientem cùm precamur: pauci tamen nouimus, quòd id facientes antiquam inquitamus patriam, videlicet paradisum, quem conseruit Deus in

in Eden ad Orientem. At in primâ sabbati erecti perficimus deprecationes, sed rationem non omnes nouimus. Non solùm enim quòd veluti simul cum Christo resuscitati, quæ sursum sunt quærere debeamus, in die resurrectionis datæ nobis gratiæ standu precantes nosmetipsos commonefacimus, sed quòd is dies videatur aliquo modo imago venturi sæculi. Eoque cùm sit principium dierum, non primus à Moyse, sed vnus appellatus est, Facta est, inquit, vesperè & manè dies vnus: tamquam qui sæpe recurrat, vt vnus sit idem & octauus, vnum illum singularem ac verum octauum per se significans, diem inquam post horum temporum statum numquam finiendum, (hoc est æternitatem.) Necessarium igitur in hoc die Ecclesia suos alumnos docet, stantes absoluere preces suas, vt assiduâ commonitione vitæ illius numquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin & totum tempus vsque ad Pentecosten, admonitio est resurrectionis quam in illo sæculo expectamus. Nam vnus ille & primus dies septies multiplicatus, septem sacræ Pentecostes hebdomadas absoluit. A primo enim incipiens in principium desinit per similes qui in medio intercedunt dies quinquagies euolutus. Vnde & æternitatem similitudine refert, dum velut in motu circulari, ab iisdem orsus signis in eadem definit: in quo corporis erecto habitu precari potiùs nos Ecclesiæ ritus docuerunt, nimirum per euidentem commonitionem quasi transferentes mentem nostram à præsentibus ad futura. Insuper & quoties genua flectimus, & rursus erigimur, ipso facto & lapsum & erectionem nostram ostendimus.

Gen. 1. 4.

VERS. 42. Pater si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

CYRILLVS *Christi oratio conformis voluntati Patris.*

60. VIDES quàm beneuolè ac humaniter Christus deprecationem instituat. Si enim, inquit, vis, transfer calicem. Quòd autem eadem fuerit eius cum Patre voluntas, finis ipse ostendit, quò & nos petamus illa impetrare, quæ ipse nobis cognouerit conuenire. Ad hæc etiam Iudæorum improbitatem accusat, non quidem quòd inuitus ipse aut contra voluntatem pateretur, (aliàs enim coactè fecisset,) sed de perditione ac ruinâ synagogæ dolebat. Non enim volebat Israëlem esse occisorem Domini sui, ne propereà extrema lueret supplicia: verùm cùm passionem detrectare non posset, eam delegit secundùm Patris beneplacitum: oratque secundùm humanam quidem naturam propensus ad perturbationes, verùm propter Diuinitatem omnino lædi aut vulnerari non poterat.

61. Pater, inquit, si vis transfer calicem istum. Non autem dicit Si vis, quasi ignorans an Patri placeret: neque enim maior cognitio est cognitione Filij, quâ Patrem ipse solus perspicaciter neuit, secundū illud. Sicut nouit me Pater, & ego noui Patrem. Sed quid de vnigenito Filio Dei dico? Neque enim ipsi Prophetæ videntur hoc ignorasse, sed cum magnâ certitudine prædixerunt, quòd illud oporteat fieri, & in eo cuncta consistant. Porrò cùm ipse esset cruci affigendus, dixit, Pater, venit hora, clarifica filiū tuum; crucem ipsam, gloriā appellans. Quomodo igitur illam hic deprecatur, ibi verò vrget ac flagitat? Quòd enim crux gloriosa sit, audi quid Euangelista dicat: Nondum enim erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. Hoc est, nondum erat data gratia, quoniam inimica hominum mors nondum erat destructa, quòd nempe Christus crucem nondum sustinuisset. Crux enim inimicos nostros dissipauit, & Deum hominibus reconciliauit, e terrâ cælum fecit, mortis arcem deiecit, diaboli robur confregit, peccati vim aboleuit, terram errore liberauit & veritatem reduxit, dæmones extirpauit, eorumque templa sustulit atque aras subuertit, nidorem extinxit, virtutem plantauit atque inseruit, Ecclesiam fundauit ac liberauit. Crux est voluntas Patris, gloria Filij, exultatio Spiritus sancti, & Pauli gloriatio. Crux sole splendidior, quippe quæ illo obscurato fulserit, & radijs suis atque fulgoribus solis radios obfuscarit. Crux mortis nostræ chirographum disrupit, & vincula carceremque confregit. Crux amoris in nos Christi demonstratio. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat.

CHRYSOSTOMVS.

Ioan. 10, 21.

Crucis videlicet gloria & gloria.

Ioan. 7, 39.

Ioh. 3, 16.

62. Cùm igitur alia sit voluntas humana & alia diuina, loquitur quidem vt homo, naturæ nostræ imbecillitatem ostendens, quippe qui nostras passiones in se susceperat. Subiungit verò sublimiorem illam ac Deo dignam voluntatem, quam humanæ præferebat, & pro hominum salute mortem oppetere cupiebat. Dicens enim Non mea, humanam voluntatem significabat: subiungens verò, Sed tua, suam cum Patre in Diuinitate conformitatem indicabat, vbi propter naturæ communionem nulla diuersitas voluntatum intercedit. Patris igitur voluntatem nominans, Filij etiam voluntatem declarauit, quæ nempe omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quod nihil est aliud quàm illos morte non succumbere, neque à vitâ sempiternâ impediri.

NYSSEN. *Duplex voluntas Christi.*

1. Tim. 2.

Huma-

Humanæ autem infirmitatis & timoris verba passionesque Dominus per dispensationem ostendit, quò vere ipsum passionum naturæ nostræ participem fuisse credamus. Nam Verbum Dei verè homo factum est, & humana cuncta compleuit.

AMPHIL. 63. Ceterùm hic naturas discerne, diuinam nempe ab humanâ: non enim casu aut per defectionem Deus in hominem degenerauit, aut per accretionem & profectum homo factus est Deus: sed simul erat & Deus & homo. Quando carni passiones tribuis, & Deo miracula, necesse est vt homini ex Mariâ tribuas infirmitatis humanæ sermones, sublimes verò ac Deo conuenientes ei qui in principio erat Verbum. Excelsis enim istis verbis nobilitas inhabitantis Verbi ostenditur, per humilia verò vilis carnis infirmitas noscitur. Hæc enim ex carnis fragilitate, non autem ex personæ diuinæ sublimitate proferuntur.

ATHAN. de Incarnat. cont. Apollinarium. 64. Cùm autem dicit, Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat; duas voluntates ibi ostendit, alteram humanam, quæ est carnis; alteram diuinam. Siquidem diuina natura prompta est, humana verò ob imbecillitatem deprecatur passionem. Spiritus enim promptus est, caro autem infirma. Eodem modo quo & Petrus expauescens Dominicam passionem, in hæc verba prorupit, Absit à te, Domine. Sed increpans eum Dominus, respondit: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Ita quoque & hîc intelligitur. Cùm enim esset in similitudinem hominum, deprecatur hanc afflictionem vt homo: quatenus autem Deus & substantia diuina impatibilis, alacriter illam ipsam passionem & mortem excepit, vtpote qui Deus erat sub hominis imagine, vtroque mortuus, semetipsum suis viribus vt Deus, excitauit. Nam crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. Virtus autem Dei quæ est Filius, dicitur pati ex infirmitate, id est ex coniunctione cum corpore, per communicationem idiomatum, & vt homo passionem deprecatur, viuit verò ex propriâ virtute.

Matth. 16, 23. Marc. 8, 33 1. Cor. 13, 4

Humana voluntas Christi diuinæ in omnibus conformis. 65. Omni enim naturæ rationali innata est libera voluntas: etenim cur Christi anima ratione prædita fuisset, nisi & libero motu fuisset arbitrio. Liberè itaque volebat quod illam diuina voluntas velle cupiebat: nam caro non tantùm nutu rationis mouebatur, cùm & Moyses reliquique Sancti diuino nutu moti fuerint. Sed cum ipse vnus atque idem Deus esset & homo, & secundùm diuinam, & secundùm humanam voluit voluntatem. Vt autem duæ in Christo erant naturæ, diuersæque facultates atque potentiæ naturales, ita etiam, imò potius, differebant voluntates. Humana nempe cœpit in tempore, & passiones irreprehensibiles seu primos, vt aiunt, motus sustinuit, nec physicè seu ex naturâ suâ omnipotens erat: diuina verò erat ipsius Verbi Dei, atque adeò ex naturâ suâ omnipotens. Naturales autem & irreprehensibiles passiones appellantur, quæ non sunt in nostrâ potestate, ac propter primæ transgressionis condemnationem in hominum vitam irrepserunt. Quales sunt fames, sitis, labor, dolor, lacrymæ, corruptio & inexorabilis mors, metus, lucta, sudor sanguineus, naturæ infirmitas, auxilium Angeli: has igitur & similes passiones quæ hominibus naturaliter accidunt, assumpsit, vt omnes sanctificaret. Et erant quidem in ipso naturales nostræ passiones, & secundum naturam, & supra naturam. Secundùm naturam quidem in ipso oboriebâtur, quoniam carni quæ carnis sunt propria pati permittebat: supra naturam verò in ipso erant, quia motus isti naturales rationem ac voluntatem minimè præueniebant. Nihil enim Dominus coactè vel agit vel patitur, sed omnia voluntariè: volens enim esuriuit ac sitiuit, volens timuit, volens mortem oppetijt. Hæc autem lex timoris duplicem sensum habet. Est enim metus quidam naturalis, qui nolit animam à corpore separari, propter naturalem illam sibique propriam quam ab auctore naturæ inditam habent sympathiam, ob quam Christus naturaliter formidauit agoniam seu luctam, mortemque deprecatus fuit. Timiditas autem naturalis est vis quædam retrectatiua interitus, cùm omnia ex non esse in rerum naturam producta sint, essendi seu existendi quemdam appetitum naturalem habent. Atque hic impetus, seu sui conseruandi desiderium omnibus rebus à naturâ inditum est. Dei itaque Verbum homo factum, naturalem hunc appetitum habuit, & ostendit, cibum, potum, somnum appetendo, & naturaliter hæc expertus fuit, atque etiam passionis tempore, mortis hanc quasi retrectationem atque formidinem voluntariè assumpsit. Tametsi autem hoc iuxta ordinariam naturæ legem contingebat, non tamen coactè vt in nobis accidit: voluntariè enim ac liberè naturales illas affectiones admittebat, vt timoris, anxietatis, luctæ, & similium, quæ culpâ carent passionum, quibus nullum subest peccatum. Est rursum alia timiditas & anxietas, quæ ex rationis perturbatione & incredulitate in mortis agone existit, [& vel inuitis inopinatò accidit] vt cùm noctu aliquo strepitu facto metuimus. Hanc autem definientes dicimus quòd sit anxietas præterna-

Christus quas assumpserit passiones.

ternaturalis: atque istâ Dominus non fuit captus. Quocircà dicit Dominus: Modò anima mea turbata est: vbi illud Modò significat, illum voluisse turbari tempore passionis. Tametsi & aliàs sæpenumerò semetipsum dispensatoriè turbarit: non enim tempus passionis ignorabat. Quòd autem verè voluerit pati, simul ostenditur. Nam quod nondum erat, tamquam quod præsens esset vocabat, vt quasi viderentur iam accidisse quæ dicebat. Secundum naturam enim & veritatem hæc omnia, vti & cetera, contigerunt. Patiente tamen corpore nihil omnino passa est Diuinitas, vti nec animâ perturbatâ ac contristatâ quidquam perturbationis ac tristitiæ ostendit aut sensit, neque defecit aut orauit mente in deliquium incidente atque precante. Etsi autem quæ contigerunt, non fuerint signa deuictæ naturæ, fuerunt tamen manifesta indicia veræ naturæ. Quòd verò natura non fuerit superata, manifestum est ex eo, quòd ista minimè coacta vel inuita sustinuerit.

ATHANASIVS de Passione. *Christus infirmitatem simulando diabolum supplantauit.*

66. Cùm autem diabolus omnia fecisset, vt cognosceret si hic esset Saluator, & à conserendis manibus abstineret, si certo cognoscere posset quis esset, nimirum non inexpertus, quàm sibi res futura esset cum homine inaccesso, & diuinis viribus prædito. Dominus igitur videns illius vafritiem, scienſque eum non sui teuerentiâ, sed vt homines in seruitute retineret, istas insidias captionesque facere, quò in omnes tyrannidem exerceret, in occulto habuit suam Diuinitatem, ne ille per formidinem vitato congressu illæsus abiret, sed contrà despicatim quasi cum homine manus conserturus, ad pugnam veniret, & ab hominibus inciperet supplantari. Non aliter quàm si quis animaduersâ in compare atque æmulo suo formidine secum decertandi, imbecillem se fingat, quò illum pelliciat ad pugnam: & ille dum pro verâ habet illam simulatam imbecillitatem, audacter in certamen prodeat, mox domandus illius generosi athletæ viribus. Ita quoque Dominus sub specie humanæ infirmitatis prouocans aduersarium, hominem quem induerat, suis viribus aduersus inimicum corroborauit. Atque ideò sub tempus mortis anxius esse & mœrere cœpit, & obsecrabat calicem transire, clamabat spiritum quidem promptum esse, carnem autem infirmam, vt aduersarius noster cum eo quasi cum homine congressurus, vires eius diuinas experiretur. Atque ita inductus, ludificatusque adorsus est Dominum. Et nunc quidem cùm animaduerteret eius fortitudinem, animo fiduciaque contractiore fuit: nunc autem cùm videret imbecillitatem corporis, audaciam resumpsit. Ac iam deinde cernere erat diabolum quidem cum omni exercitu, principatibus ac potestatibus in fugam se dare; Dominum contrà, humanis armis diabolicas legiones persequi. Nec longum deinde in medio interuallum, cùm inimicum omnibus rebus suis spoliauit.

67. Illud autem, Non quemadmodum ego volo, sed vt tu, nihil aliud innuit, quàm ipsum vere fuisse carne circumdatum, quæ mortem extimesceret: carnis enim proprium est mortem formidare, & refugere & agonizare. Hanc autem catenem modò quidem solam & nudam quasi relinquit, vt dum propriæ illius virtutis infirmitatem arguit, eius naturam verè assumpsisse credatur; modò verò non abscondit, vt discas eum non fuisse exilem & merum hominem. Quemadmodum enim pro tali fuisset habitus, si semper humanas tantùm operationes ostendisset; ita si semper Diuinitatis opera perfecisset, Verbum carnem factum fuisse non credidissent. Idcircò vtriusque naturæ tam verba quàm opera intermiscet, ne Paulo Samosateno Marcioni Manetique hæreseos morbo & insaniæ occasionem daret. Quapropter etiam mortem futuram prædicit vt Deus, & rursus vt homo refugit. Tu verò qui dicis in Christo vnam esse voluntatem, eamq; totam diuinam, simplicem atque incompositam, vel humanam, eamq; (vt quibusdam placet) compositam, quæ non sit extranea Diuinitati, secundum Seuerum & tu naturas confundis. Etenim duas naturas, vel naturales voluntates, sine confusione commixtioneve quid vnum fieri non possunt, nisi hypostaticè. Rursus alij qui filium Patri extraneum dicût, tres inducunt voluntates, inter se minimè conuenientes, vti & hypostases. Si dixeris vnam tamquam illius solius esse voluntatem atque operationem, cogeris etiam dicere vnam tamquam solius Patris, & tamquam vnius Spiritus sancti esse, & sic in multitudinem deorum sermo incidet. Si verò habitu vel affectione tantùm vnam dicas cum Nestorio, personæ distractionem inducis. Sin præternaturalem dixeris, naturam subsistentiamque volentis corruperis. Sed fortè ad vnitatem iterùm reduces suffragia, & ad voluntatē, quam vnam censes tripartiendam, vt cognoscatur in quantum diuina sit, in quantum verò humana, & quatenus creata sit ac increata.

MAXIMVS

68. Sed hæc quidem de voluntate dicta sint: illud autem, Transeat à me calix, non est hoc, Non adueniat mihi, aut, Non appropinquet; omne enim quod transit, illi priùs quod transit appropinquat & aduenit: nisi enim aduenerit, transire non potest.

DIONYSIVS ALEXANDRINVS

69. Ap-

69. Appropriatur enim ipsi hominum persona, vt qui factus sit homo: quapropter suam quæ inferior est, voluntatem fieri deprecatur. Petit verò Patris, quippe potiorem (vtpote diuinam) fieri voluntatem, quæ secundùm Diuinitatem ipsi cum Patre est eadem. Nam Patris erat voluntas, vt per omnem probaretur tentationem, deducente nempe ipsum mirabiliter Patre, & in omni tentatiune dirigente, non tamen in eam inducente, sed superiorem ipsum faciente. Quod autem Saluator petit, neque impossibile, neque inefficax, neque contrarium erat Patris voluntati. Quòd enim possibile fuerit, ipse Marcus restatur, introducens Christum dicentē: Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt si vis, &c. vti & Lucas, qui refert eum dixisse, Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Spiritus igitur sanctus Euangelistis omnem Saluatoris nostri affectum inspirauit, vt ex singulis vocibus constat. Nihil autem Christus petit nisi quod Pater vult. Hæc enim verba, Si vis, obedientiæ sunt & submissionis, non autem ignorantiæ aut dubitationis indicia.

Marc.14. 36.

Luc.22,42

Marc.14. 36.

70. Propterea alia Scriptura ait: Omnia tibi possibilia sunt. Etsi Matthæus iterum sermonem humilitatis plenum subiungat, dicens, Si non potest, &c. Nisi enim sic sensus accommodetur, fortè aliqui impiè illud, Si non potest, interpretentur, quasi quidpiam Deo sit factu impossibile: sed tantum æquiualet huic, ac si dicat, Si non.

Matth.26. 42.

71. Sed simul vt hæc dixit, natura eius humana confirmata à Diuinitate ac virtute paternâ, solidiorem instituit postulatiunem, nec quidquam petit, nisi quod Patri placet, & in eius gloriam cedit, idque constanter atque absolute petit. Audi enim hîc Ioannem magna Saluatoris nostri verba operaque commemorantem. Calicem, inquit, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Bibere autem calicem, id est ministerium suum adimplere, & omnem tentationum dispensationem viriliter sustinere, Patre sic disponente, vt difficillima quæque grauissimaque sustineat.

72. Illud autem, Vt me dereliquisti, consequens est ijs quæ antè petierat, quasi dicat: Quid mihi vsque modò mors ipsa coniungitur, & necdum calicem transfers?

73. Hanc autem fuisse mentem Saluatoris, ex breui ac concisâ hac voce colligo. Siquidem & verum dixit, & non dereliquit calicem, sed ebibit illum, & transiuit. Cuius rei symbolum mihi videtur fuisse acetum quod illi propinatum fuit. Vappa autem vini acidi significabat mutationem illam quam suscepit, pro passione impatibilitatem, pro morte immortalitatem, pro corruptione incorruptionem; & pro eo quòd iudicatus fuit ac condemnatus, iudicandi potestatem; proque eo quòd tyrãnis fuerit subiectus, Regiam recipiens dignitatem. Spongia verò, vt autumo, totius Spiritus sancti cum toto Christo intimam coniunctionem atque vnionem significauit, calamus autem, sceptrum, Regnũ & legem diuinam insinuauit: hyssopus denique, viuificam ac salutarem resurrectionem, per quam & nos incolumes fecit.

ANNOTATIONES.

PATER, SI VIS, TRANSFER CALICEM ISTVM A ME.] *S. Matthæus cap.26,39. habet:* Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. *S. Marcus vero c.14,36.* Abba Pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. *Vbi nota, absolutè hoc Deo fuisse possibile, impossibile tamen erat posito decreto diuino de homine, & rigidâ iustitiâ per Christi mortem redimendo; quod decretum Christo erat cognitum: vnde hic efficaciter & absolutè non vult contrarium sua rationali & Patris voluntati, sed tantum exponit desiderium seu voluntatem inefficacem & conditionatam, quâ naturaliter horrebat mortem; liberè tamen, & secundum rationem illam, sese totum Deo contrarium volenti omnino subdebat. Itaque actus efficax voluntatis Christi conformis erat rationi ac voluntati diuinæ, in obiecto tam materiali quàm formali: inefficax verò voluntas eiusdem in obiecto illi contraria erat, sed in regulâ & directione conformis. Volebat enim tam Deus, tam Christus ex deliberatâ ratione, vt voluntas quatenus naturalis potentia est, hunc actum inefficacem exprimeret, Primò, vt contra Monothelitas ostenderet se habuisse voluntatem, non tantùm humanam, sed etiam diuinam. Secundò, ad ostendendam grauitatem doloris. Tertiò, vt in tribulationis collnctatione doceret optimum remedium esse, non ad homines, sed ad Deum per orationem confugere, & eius voluntati se resignare.*

Ver. 42. | *Christi voluntas quomodo se habuerit in acceptandâ passione.*

VERS. 43. Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum. Et factus in agoniâ, prolixiùs orabat.

44. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

74. PROVERBIVM dicitur de vehementer dolentibus aut concertãtibus, quòd sudent sanguinem, quemadmodum & amarè flentibus, quòd sanguinem fleant.

THEOPHYLACTVS.

75. Dicens autem, Sudor eius quasi guttæ sanguinis, ostendit illum non communem sudorem, sed verè sanguinem sudasse. Nam illud, Sicut guttæ, non significat sudorem instar sanguinis fuisse, sed per hoc potiùs indicare voluit, non tenui tantum humore, & quasi ostentationis causâ Dominicum corpus fuisse irrigatum ac madefactum, at reuerà totum sudore sanguineo diffluxisse. Grumos autem dixit, vt repræsentaret id quod contigit. Indicauit nempe tam per intensam

tensam precationem, tum per sudoris spissitudinem Saluator, se verè & non phantasticè hominem assumpsisse, seséque passionibus, in quibus nulla est culpa, subiacuisse.

76. In hoc autem quod dicit, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterùm sumendi eam, ostendit sibi voluntariam esse passionem. Prætereà vt aliud quidem est, anima posita & resumpta, aliud verò Diuinitas eam ponens atque resumens, aliam quoque atque aliam dixit, non in duas personas diuidens, sed duarum naturarum differentiam ostendens.

77. Et quemadmodum carnæ mortem voluntariè sustinens, illi immortalitatem indidit, sic & volũtate seruilem quasi passionem suscipiens, illi audaciam & robur inseuit, quò in ipsum credentes ad magna martyrij certamina corroboraret. Idcircò & sudorum grumi mirabili prorsus ratione instar guttarum sanguinis ipsi defluxerunt, vt fontem timoris atque formidinis, ex naturà nostrà quasi aboleret atque exsiccaret. Hoc enim tamquam in mysterio egit, cùm si vel timidissimus quisque & ignauissimus fuisset, numquam in agone aut anxietate sanguinem sudasset, sed tantum humorem ac sudorem naturaliter. Simile etiam est, nec mysterio vacat, quòd Angelus Saluatori adfuerit qui illum confortaret: nam & hoc propter nos per dispensationem gessit. Pro pietate enim ac religione certantibus ac sacra certamina sustinentibus, Angeli cęlestes auxilium ferunt.

78. Illud autem, Pater, transfer à me calicem, non quasi mortem vereretur dixit, sed vt diabolum acciret ad sibi crucem struendam, vt qui verbis fraudulentis Adamum circumuenerat, diuinis quoque verbis deciperetur. Non autem alia erat voluntas Filij, & alia Patris. Qui enim vult idem quod vult Pater, eamdem cum Patre voluntatem habere reperitur. Dicit igitur, Non mea, sed tua voluntas fiat. Non enim cupit calicem transferri, sed fructũ passionis Patri defert, cum vti principium suum honorans. Cùm enim sententiam Patres vocent affectionem, affectio autem seu intentio prudenter circa rem occultam versetur quasi ex consulto, quomodo quidam dicunt, Dominum
Γνωμικῶς. suprà hæc omnia voluntatem habuisse sententiosam vel manifestò inconsideratam.

ANNOTATIONES.

VERS. 44 Qualem sanguinem sudarit Christus. ET FACTVS EST SVDOR EIVS SICVT GVTTÆ SANGVINIS.] *Græcè est ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος, id est* quasi grumi *&* crassæ guttæ sanguinis. *& vt ait Irenæus l. 4. c. 32 quasi globi sanguinis. Theophylactus suprà Num 74. & Euthymius ad hunc locum, videntur negare Christum verè sanguinem sudasse, dum dicunt illam locutionem S. Lucæ esse prouerbialem hyperbolen, vt cùm de homine valdè anxio dicimus quod sanguinem sudat. Dicendum tamen omnino & credendum est, Christum verè ac propriè sanguinem sudasse. Defluxerunt enim guttæ in terram, vt ait S. Lucas: ita etiam SS. Hilarius, Augustinus & Hieronymus exponunt. Quinimò S. Athanasius dicit anathema ijs qui Christum verum sanguinem sudasse negant. Quare vocula ὡσεὶ, siue* quasi, *apud S. Lucam hìc non similitudinem, sed veritatem significat, vt & alibi sæpè, vt Ioannis 1.* Quasi vnigenitum à Patre. *Quod autem aliquis sanguinem sudare possit, docet etiam Aristoteles lib. 3. de Animalibus cap. 19 maximè in delicatis complexionibus, & ijs qui poroso ac raro sunt corpore, & sanguinem habent subtiliorem. Sudor enim nihil aliud est quam serum siue pars aquosa sanguinis. Cum sero autem etiam subtilior sanguis ex vehementi anxietate in porosis corporibus nonnumquam excernitur: nam angor inflammat corpus, & extenuat sanguinem, ac poros aperit, atque ita sanguinem excernit, maximè si iam exsudarit omnem sudoris materiam. Sicut etiam, vt Medici tradunt, præ nimiâ libidinis vi, natura, deficiente semine, sanguinem fundit; & vbera, deficiente lacte, si emungas dant sanguinem. Physica autem huius sanguinei sudoris causa probabilius fuisse videtur non tam tristitia & dolor, quam actus fortitudinis & audaciæ, quo Christus deliberatâ & efficaci voluntate atque actu appetitus à voluntate imperato, mortem, & acerbissimos dolores, qui viuacissime ei proponebantur, amplectebatur, & naturalem horroris affectum superabat, & hinc agonia existebat, vt ait S. Lucas. Ex tali itaque actu verosimiliter secutus est sudor sanguineus.* Qualis possit esse causa physica sudoris sanguinei. *Non malè tamen aliqui sudorem hunc sanguineum non naturalem sed miraculosum fuisse asserunt, præsertim cùm S. Lucas dicat eum grumorum instar in terram vsque defluxisse: quamquam & ad hoc responderi possit, Christum sudasse tantùm subtilem sanguinem, sed valdè copiosè, ita vt sudor iste sanguineus ad partes extimas corporis protrusus tum per se, tum propter aërem frigidum circumstantem, in grumos condensatus sit. Allegoricam causam dat S. Augustinus in Sententijs, sent. 68. scilicet vt significaret Christus, de toto corpore, quod est Ecclesia, emanaturas esse Martyrum passiones. Tropologica verò causa est, vt ostenderet peccati grauitatem, doloris acerbitatem, & amoris vehementiam, & vt in nobis excitaret spem, dilectionem, & sui imitationem.* Causa allegorica & tropologica eiusdem sudoris. *Non enim, inquit S. Bernardus Serm. 3. in Dominicam Palmarum, contentus fuit Christus lacrymis oculorum, sed totius corporis sanguineis lacrymis peccata nostra fleuit, & lauare voluit.*

VERS. 45. Et cùm surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitiâ.

46. Et ait illis: Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem.

79. ETENIM fieri non potest, vt quilibet humo omnis sempet mali expers permaneat. Totus enim, inquit, mundus in maligno positus est, & quod amplius est dierum hominis, labor & dolor. Sed hìc fortè quæsiuerit quis, quid sit tentari, & in tentationẽ incidere, vel in eam intrare. Qui nem- THEOPHYL. Tentari, incidere in tentationem, & intrare in eam qui differant.

pe

pe intrat in eam, deuictus est à malo, superabitur autem quisquis non certauerit [iuuat autem Deus.] Talis igitur in tentationem incidit atque intrauit, in eaque versatur, atque ab illa quasi captiuus detinetur. Qui verò illi resistit ac sustinet, is quidé tentatur, sed non intrauit, neque incidit in tentationem. Deductus igitur est Christus à spiritu, non vt intraret in tentationem, sed vt tentaretur à diabolo. Et Abraham quoque non intrauit in tentationem, sed neque Deus eum in tentationem induxit, sed tentauit, non autem in tentationem præcipitauit. Quin & discipulos Dominus tentauit: siquidem malus tentator in tentationes pertrahit, quippe qui sit tentator malorum; Deus autem cùm tentat tentationes transfert, vtpote qui intentator malorum sit. Nam Deus, vt Iacobus ait, intentator malorum est. Diabolus verò tentando ad perditionem pertrahit, Deus verò suos exercendo ad salutem perducit.

SVPPLEMENTVM.

Fusiùs nonnihil hæc deducit, & quæ sequuntur, subiungit

S. MATTHÆVS CAP. XXVI.

VERS. 40. Et venit ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis vnâ horâ vigilare mecum?

41. Vigilate, & orate vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

42. Iterùm secundò abijt, & orauit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

43. Et venit iterùm, & inuenit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati.

44. Et relictis illis, iterùm abijt, & orauit tertiò, eumdem sermoné dicens.

45. Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam, & requiescite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum.

46. Surgite eamus: ecce appropinquauit qui me tradet.

VBI nota, quòd S. Lucas, sicut ista satis prolixè cum suis circumstantijs à S. Matthæo narrata breuiter perstringit, ita etiam accuratè suprà vers. 42. supplet, quod S. Matthæus omisit, nimirum vt Christo oranti Angelus apparuerit, qui eum in agoniâ & sudore sanguineo confortarit. Satis autem probabile videtur, Angelum istum apparuisse formâ humanâ, & Christum confortasse voce externâ, et proponendo Patris voluntatem, & gloriam item ac fructum ex passione Christo, hominibus, & Angelis prouenturum. Nam non poterat Angelus immediatè interiores Christi potentias immutare, eumque docere aut illuminare; tum quia Christus superior erat Angelis, tum quia ab instanti conceptionis suæ perfectam præ Angelis rerum omnium acceperat scientiam. Vnde sicut exteriùs tantùm tentari potuit, ita & confortari, vti ex S. Dionysio D. Thomas docet Parte 3. quæst. 12 art. 4. Hæc autem confortatio non in primâ, sed in tertiâ & vltimâ Christi oratione videtur contigisse, vti insinuat D. Lucas, atque adeò videtur extitisse quasi fructus orationis perseuerantis. Deinde post hanc tamquam à cælesti Patre datam corroborationem, videtur illa Christi agonia cessasse, nec Christus ampliùs orasse, sed fortiter ad mortem se composuisse. Vnde videtur apud S. Lucam ὕστερον πρότερον *narratum esse. Nam post hanc Angeli corroborationem, narrat Christum reuersum increpasse discipulos, quod ex S. Matthæi loco suprà recensito, constat post primam Christi orationem factum esse.* *Qualis fuerit Angeli apparitio & confortatio Christi orantis.*

Quòd autem hic apud Matthæum versu 45. Christus discipulis dicat, Dormite iam & requiescite, *S. Chrysostomus, Euthymius, & Theophylactus putant ironicè dictum: quasi diceret, Iam non est dormiendi tempus: sed simpliciter S. Augustinus lib. 3. de Consensu cap. 4. & Beda, putant hoc seriò dictum, vt scilicet Christus compatiens infirmis discipulis aliquantulum somni ijs indulserit, donec appropinquante Iudâ, vt habet Marcus cap. 14. dixit,* Sufficit, surgite, eamus. *Vbi nota, Christum obuiàm eundo Iudæis, & passim totâ passione, tria maximè obseruanda indicasse: primò, innocentiam suam; secundò, Maiestatem ac potestatem; tertiò, liberam voluntatem, ne putaretur ex infirmitate aut coactus pati, sed summâ dignatione, humiliatione, ac liberali amore.*

S. LVCÆ CAPVT XXII.

VERS. 47. [a] Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit Iesu vt oscularetur eum. [a] Matth. 26. 47. Marc. 14. 42. Ioan. 18, 3.

48. Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo Filium hominis tradis?

80. PAPÆ! quanta Domini patientia & malorum tolerantia est, vt & proditorem osculetur, & amicis compellet verbis! Non enim dixit, O scelestę, imò scelestissime proditor, hæccíne mihi pro tot tantisque beneficijs rependis? Sed quomodo compellat? Iuda, inquit; quæ miserentis & à scelere illum reuocantis potiùs vox erat, quàm irati: & non dixit, Magistrum, Dominum, aut Benefactorem; sed, Filium hominis, hoc est, mansuetum ac benignum, tradis. Nam esto neque magister fuisset, neque Dominus, neque beneficus, tamen tam sincerè, tam benignè ac humaniter erga te affectum, vt & ipso proditionis tempore te osculetur, ipso etiam osculo proditionis signo THEOPHYL.

existente: hunc, inquam, tradis? Benedictus Dominus qui tantæ malorum tolerantiæ, tantæque nobis humilitatis exemplum dedit. Etenim ne nobis à fratrum admonitione abstineremus, tametsi ex nostris verbis nullus fructus promanet, exemplum hoc nobis Dominus reliquit. Quemadmodum enim vulnera incurabilia, neque leuibus neque austeris pharmacis curantur: sic & anima interdum vbi semel vitijs capta, iisque penitus immersa fuerit, ad illa quæ iuuare illam possint se conuertere renuit; & tametsi quis mille offerat remedia, nihil proficit, sed quasi omnino surda aut potiùs mortua esset, nullum ex admonitionibus fructum capit, non quòd non possit, sed quòd nolit iuuari. Hoc & Iudæ accidit. Verùm Christus etsi hæc omnia præsciret, nihil tamen à principio vsque ad finem ex parte suâ intermisit, omnia quæ ipsum retrahere poterant exhibens. Quod cùm sciamus, oportet & nos etiam omnino depositos continuò admonere, tametsi nullum ex admonitionibus emolumentum proueniat.

ANNOTATIONES.

VER. 47. ADHVC EO LOQVENTE, ECCE TVRBA, &c.] *S. Matthæus cap. 26, 47. ait:* Ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladijs & fustibus, missi à Principibus Sacerdotum & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. *Origenes & Hieronymus ad illum locum dicunt, à Iudâ Iudæis signum datum fuisse ne Christus faciem transformando sese occultaret & laberetur. Sed frustra hoc dici videtur: nec enim Iudas Christi transfigurationi interfuit, & si interfuisset, potuisset timere ne sibi etiam se transformaret aut faceret inuisibilem. Alij causam dant, quod Christus similis erat Iacobo, qui dictus frater Domini, id est consobrinus. Theophylactus denique optimam assignat causam, videlicet vt milites, qui Christum vel numquã viderant, vel non nouerant, eum agnoscerent. Addit S. Marcus cap. 14 dixisse Iudam,* Tenete, & ducite eum cautè, *quia scilicet verebatur ne Christus quo modo elaberetur, vti sæpè fecerat, atque ita ipse de suis argenteis tantùm promissis & necdum datis, (vt ex Matthæi cap. 26, 15 colligitur) periclitaretur. Plura de immanissimo Iudæ scelere vide apud D. Chrysostomum, Homiliâ de Proditore Iudâ.*

Cur Iudas signum dederit Iudæis.

Osculatus est autem Iesum, quia nimirum osculum erat signum salutandi Iudæorum, vt passim ex Scripturâ patet. Et hoc symbolo verosimile est Apostolos aliunde redeuntes Christum salutare consueuisse. Hoc etiam primi Christiani sunt vsi, vt insinuat Apostolus 1. ad Cor. 16, 20. scribens: Salutate inuicem in osculo sancto. *de illâ etiam consuetudine agit Tertullianus libro de Oratione.*

Osculum antiquum salutationis signum.

Nota hîc ad concordiam Euangelistarum, Iudam, ne proditor videretur, aliquantulũ turbas antecessisse, & quasi aliunde ad Christum rediisse. Christus verò vt cor eius leniret, ait ei: Amice, ad quid venisti? *quasi diceret: Si ad proditionem, vti scio te facere, veneris, quorsum, inimicus existens, tum amicum das osculum; sin ad salutationem, vti præ te fers, quorsum amicus, tot in me adducis inimicos? Mox vt eum confunderet subdit, vt notat Lucas suprà vers. 48.* Iuda, osculo filium hominis tradis? *Deinde Iudas osculatus est Iesum, moxque retrocessit ad suos, ita vt Christo hostibus suis obuiam procedente, Iudas iam cum illis staret. Deinde Christus liberè & animosè rogat quem quærant, vti in hæc verba describit S. Ioannes.*

SVPPLEMENTVM EX S. IOANNIS CAP. XVIII.

VERS. 4. Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, & dixit eis: Quem quæritis?

5. Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis.

6. Vt ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

7. Iterùm ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum.

8. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire.

9. Vt impleretur sermo, quem dixit:
" Quia quos dedisti mihi, non perdidi " Ioan. 17, 12.
ex eis quemquam.

NOTA *hîc cum SS. Chrysostomo & Cyrillo in prædictum locum Ioannis, turbã huius oculos ita diminitus* ἀορασίᾳ *seu impotentiâ videndi detentos fuisse, vt Christum iam osculo proditum, & eis obuiam procedentem agnoscere non possent, multò minùs comprehendere. Colligitur autem hoc ex eo, quòd interrogati quem quærerent, non responderunt, Te quærimus, sed,* Iesum Nazarenum, *quasi non visum. Christus respondet,* Ego sum. *quo dicto, veluti fulmine vnà cum turbis, vt insinuat S. Ioannes suprà vers. 6. prostratus etiam fuit Iudas in terram. Ita S. Augustinus lib. 3. de Consensu cap. 5. idque retrorsum, vt caderent in dorsum, vt pateret hostes Christi virtute atque potentiâ prostratos esse. Vide hîc fusiùs S. Augustinum Tractatu 111. in Ioannem.*

Allegoricè casus in dorsum significat casum irreparabilem reproborum & Iudæorum. Ita S. Cyrillus in Ioannem, & S. Gregorius Hom. 9. in Ezechielem, & lib. 31. Moralium cap. 18.

S. LVCÆ CAPVT XXII.

VERS. 49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio?

50. Et percussit vnus ex illis seruum prin-

principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dexteram.

51. Respondens autem Iesus, ait: Sinite vsque huc. Et cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum.

ISIDORVS Epist. 291. 81. QVi cum Iesu consuetudinem habet, ac mente Iesu consentaneâ præditus est, contumelias Magistro illatas vlciscitur, vt Petrus: qui, quoniam contumaciæ morbo laborabant Iudæi (vt qui ne ad legem animum adijcerent, ipsis, vt, quidquid Christus loqueretur, audirent, imperantem) famuli, qui ad Sacerdotem attinebat, aurem amputauit; hinc videlicet Sacerdotem inobedientię legis seruum esse ostendens, atque ad reluctationis suæ præcisionem gladio indigere.

SVPPLEMENTVM.

S. MATTHÆVS CAP. XXVI.

addit quæ sequuntur.

VERS. 52. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum,

"Gen. 9, 6. Apoc. 13, 13. " Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

53. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?

"Isa. 53, 10 54. " Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri?

Quomodo intelligendũ sit, Omnes qui accipiunt gladiũ, gladio peribunt. NOTA *hîc ad illud versu* 52. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, *hoc non intelligendum in bello iusto, vt volunt Anabaptistæ, Lutherus & Erasmus, sed de ijs qui accipiunt gladium propriâ auctoritate ac temerè, vti hic Petrus. Ita S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap.* 70. *Quia licet Dominus, inquit, iusserat vt discipuli eius ferrum ferrent, non tamen vt ferirent. Hic ergo Petri peccatum est geminum: primò, percutiendo præter imò contra voluntatem Christi: secundò, quia hæc non tam erat defensio quàm vindicta. Nec enim ipse Christum tanta turba eripere poterat, sed potiùs illam in Christũ & se acriùs concitabat, seque & Christum euidenti mortis periculo, licet Petrus, vt ait Chrysostomus, amore & feruore Christi abreptus, hac non considerarit.*

Illud autem, gladio peribit, *hoc est, dignus est qui gladio pereat iuxta legem Geneseos* 9, 6. *Ita Theophylactus & alij. loquitur enim hic Christus quasi Legislator. Addit autem S. Lucas suprà versu* 51. Sinite vsque huc, *id est, vt Euthymius exponit, Desinite vlteriùs vos vindicare. Satis est, satis est, vti solemus altercantibus inclamare. Hinc videtur colligi, omnes discipulos cum Petro pro Christo voluisse pugnare.*

VERS. 53. EXHIBEBIT MIHI PLVS QVAM DVODECIM LEGIONES ANGELORVM.] *Nota, Christum vti nomine militiæ Romanæ, quia Romani tum Iudæis dominabantur. Continet autem legio, inquit S. Hieronymus hîc, & Vegetius lib. 2. de Re militari, sex millia hominum, & sic duodecim legiones essent septuaginta duo millia Angelorum.*

Miracula quæ elucent in Christi captiuitate. *Vbi aduerte Christi maiestatem in dictis & miraculis. Primum enim miraculum fuit ἀορασία, de quâ superiùs dictum est. Secundum, tanta militum in terram prostratio, vt, sicut innuit D. Leo Sermone de Passione, priuati virtute sentiente ac monente, se sustinere non valerent, non secùs ac fit in paralyticis. Tertium, est sanatio auris Malchi, idque tum ne criminationi esset locus, quasi videlicet Christus restitisset publicis ministris iustitiæ, tum ad exemplum mansuetudinis ac patientiæ. Quartum, vt notat S. Augustinus Tractatu* 112. *in Ioannem, quòd verbo Christi efficaci factum sit vt Iudæi nullum discipulorum, ne Petrum quidem repugnantem, comprehenderent.*

S. LVCÆ CAPVT XXII.

VERS. 52. Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotũm, & magistratus templi, & seniores: Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus.

53. Cùm quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.

82. NON certè hîc inculpat Dominus præsides Iudæorum, quòd non sibi maturè insidias mortis præparassent: non vtique hoc vult significare; sed Cùm possetis, inquit, me quotidie apud vos docentem in templo tenere, non me tenuistis. Distuli enim, existimans oportere potiùs pati tempore opportuno, quod est præsens. Quare nolite, inquit, dimicare, quoniam hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum: id est, paruum tempus concessum est vobis exercendæ in me vestræ superbiæ, Patre votis meis fauente. Vnam itaque horam habetis contra me, id est paruum omnino & constitutum tempus, quod videlicet medium est inter crucem & e mortuis resurrectionem. Hæc autem potestas data est tenebris, id est diabolo & Iudæis, insurgendi in Christum, vt ipse quidem ea quæ sub cælo sunt per passionem suam saluet, ac tertiâ die resurgens mortis conculcet potestatem; ipsi verò vnà cum proditore pœnam persoluant sempiternam. CYRILLVS Matth. 26, 12.

83. Quomodo igitur non est causa proditionis Iudæ, & negationis Petri, cùm quidem hæc præsciuerit, & illos nihilominùs elegerit? Verùm eadem ratio locum habet in diaboli ac primi hominis creatione. Quibus respondemus, Si autẽ oportebat Christum ab aliquo discipulo tradi, vt Scriptura impleretur, vtique causa fuit adimpletionis Scriptu- ATHANASIVS

Rerum futuritio est prior natura præuisione Dei.

ræ, non autem proditionis Iudæ. huius enim ipse Iudas causa fuit, quam Deus præuidens futuram, per Scripturam prædixit: non enim præuisio præscientiáve est causa futuritionis rerum, sed contrà futuritio rerum earum præuisionis causa existit. Non enim futuritio sequitur præuisionem, sed præuisio futuritionem. Quare qui præuidet, nullo modo causa est cur res futuræ sint, & sic Christus nullà ratione causa est proditionis, sed proditio causa fuit præcognitionis Christi; atque eadem ratio militat pro diabolo ac protoplasto, quæ pro negatione Petri.

ANNOTATIONES.

ADdit hic *S. Matthæus cap.* 26, 56 Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt. *Vbi nota, fugam illam externam secundùm se quidem non videri illicitam, sed imperfectam. Fuerit tamen etiam illicita, si, vt videtur, ex nimiâ timiditate ac diffidentiâ Christi processerit. Vnde eo inconsulto fugerunt. factoque suo quasi negarunt eius potestatem, ipsumque esse Christum. Et hoc fuit scandalum quod discipuli tempore comprehensionis in Christo passi sunt, quod tamen non tam fidei fuisse videtur, quàm inconstantiæ, quia scilicet ex timore Christum deseruerunt, & Petrus Christum, vti paulò pòst dicetur, etiam voce negauit, quod tantùm pusillanimitatis & non infidelitatis erat peccatum, sicuti qui iam rogatus ab hæreticis negat se Christianum, directè non peccat contra fidem, sed contra fidei professionem: vnde non perdit fidem, sed charitatem. Ita S. Augustinus Tractatu* 113. *in Ioannem, S. Cyrillus Alexandrinus lib.* 12. *Thesauri cap.* 1. *& S. Leo Serm.* 9. *de Passione.*

Quale peccatum fuerit fuga discipulorum.

S. Marcus cap. 14. *Vers.* 51 *addit:* Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille reiectâ sindone, nudus profugit ab eis. *S. Epiphanius Hæresi* 78. *& Hieronymus, vel quisquis ille sit auctor, in Psal.* 37. *putant fuisse Iacobum fratrem Domini. S. Gregorius verò libro* 14. *Moralium cap.* 23. *S. Ambrosius in Psalmum* 36. *& Beda ad caput* 14. *S. Marci, & ex iis Baronius, putant fuisse Sanctum Ioannem. Verùm ex narratione S. Marci satis colligitur istum iuuenem non fuisse Apostolum, qui, vt ipse versu* 50. *ait, omnes iam fugerant, sed alium aliquem fortè filium aut seruum villæ quæ erat iuxta hortum, qui ob rumorem transeuntium è lecto surgens accurrerit, discipulus, vt videtur, Christi. Nam, vt ait Marcus, sequebatur eum, vnde & eum Iudæi tenuerunt, id est apprehensâ veste tenere voluerunt. Verba enim Hebræa sæpè conatum tantùm & inchoationem operis significant, non actum perfectum. S. Marcus hanc de iuuene narrationem tam studiosè hîc addere videtur, vt ex fugâ huius adolescentis significet, quàm graue fuerit Iudæorum odium in Christum, vt ipsum sequentes apprehenderent: & quanta fuerit circa Christum trepidatio, quamque nemo ausus fuerit apud ipsum consistere.*

Quis fuerit iuuenis qui relictâ sindone nudus fugit.

"Matt. 26, 57 Marc. 14, 43. Ioan. 18, 14 VERS. 54. " Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis Sacerdotum.

CHRYSOSTOMVS 84. QVARE ad Caipham ipsum deduxerunt? vt videlicet ex sententiâ ipsius tamquam principis sacerdotum cuncta facerent. Illuc enim omnes conuenerant Christum præstolantes, atque huic rei inuigilantes. Sed neque tunc Pascha comederant, sed aliâ die, legem soluentes. Dixit enim Ioannes quòd manè erat, & subiunxit, & ipsi non introierunt in prætorium, vt Ioan. 18. non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha.

SVPPLEMENTVM.

Inserenda hîc Christi in transitu ad Annam deductio, quam describit

S. IOANNES CAPITE XVIII.

VERS. 13. Et adduxerunt eum ad
" Annam primùm, erat enim socer "Luc. 3, 2.
Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius.
14. Erat autem Caiphas, "qui consi- Ioã. 11, 49
lium dederat Iudæis: Quia expedit,
vnum hominem mori pro populo.
15. Sequebatur autem Iesum Simon
Petrus, & alius discipulus. Discipulus
autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis.
16. Petrus autem stabat ad ostium
foris. " Exiuit ergo discipulus alius, qui "Matt. 26, 58.
erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & Marc. 14, 54.
introduxit Petrum. Luc. 22, 54
17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria:
Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum.
18. Stabant autem serui & ministri
ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus
stans, & calefaciens se.
19. Pontifex ergo interrogauit Iesum
de discipulis suis, & de doctrinâ eius.
20. Respondit ei Iesus: Ego palàm
locutus sum mundo: ego semper docui
in Synagogâ, & in templo quò omnes
Iudæi conueniunt: & in occulto locutus sum nihil.
21. Quid me interrogas? interroga
eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce, hi sciunt quæ dixerim ego.
22. Hæc autem cùm dixisset, vnus
assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici?
23. Respondit ei Iesus: "Si malè lo- "Matt. 26, 57.
cutus sum, testimonium perhibe de Marc. 14, 55.
malo: si autem benè, quid me cædis? Luc. 22, 54

24. Et

24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.

V*Bi nota, Christum primùm ad Annam ductum fuisse, sed obiter quasi in transitu; quia verosimile est, domum Annæ fuisse in viâ euntibus ad Caipham. Nam in domo Caiphæ primum Christi examen, & alapam de quâ sanctus Ioannes suprà, & omnes Petri negationes contigisse, patet ex S. Matthæo cap. 26. Marco cap. 14 & Lucâ cap. 22. Quare quod S. Ioannes cap. 18, 24. post alapam & primam Petri negationem subdit*, & misit eum Annas ligatum ad Caipham, *hoc est, iam miserat eum Annas ad Caipham: per ἐπανάληψιν enim reuocat, quod omiserat. Ita Origenes. Imò Cyrillus hunc versum illum 24. transposuit proximè post decimum tertium, hoc modo:* Et adduxerunt eum ad Annam primùm. Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Caiphas, *&c.*

S. LVCÆ CAPVT XXII.

VERS. 54. Petrus verò sequebatur à longè.

Matt.26, 69. Marc.14, 66. Ioan.18, 25. 55. " Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum.

56. Quem cùm vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat.

57. At ille negauit eum, dicens: Mulier, non noui illum.

CHRYSOSTOMVS in Matth.26. 85. INGENS Petri ardor fuit, qui nec ceteris quidem fugientibus fugit, sed substitit, & simul etiam introiuit.

SVPPLEMENTVM.

Fusiùs hîc ceteris Christi coram summo Sacerdote accusationem prosequitur

S. MARCVS CAPITE XIV.

Matt.26, 59. VERS. 55. " Summi verò Sacerdotes, & omne Concilium, quærebant aduersus Iesum testimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant.

56. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum: & conuenientia testimonia non erant.

57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes:

Ioan.2, 19. 58. Quoniam nos audiuimus eum dicentem: " Ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactum ædificabo.

59. Et non erat conueniens testimonium illorum.

60. Et exurgens summus Sacerdos in medium, interrogauit Iesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his?

61. Ille autem tacebat, & nihil respondit. Rursum summus Sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti?

62. Iesus autem dixit illi: Ego sum: " & videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cæli. Matt.24, 30.

63. Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes?

64. Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis.

65. Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & ministri alapis eum cædebant.

66. " Et cùm esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis summi Sacerdotis, *&c.* Matt.26, 69. Luc.22, 55. Ioan.18, 17.

N*Ota ad vers.* 58. EGO DISSOLVAM TEMPLVM HOC, *&c. hæc dixisse Christum Ioannis capite 2. 19. excepto quòd S. Marcus hic addit, id eos dixisse de templo manufacto, cuius loco aliud non manufactum Christus se dixerit ædificaturum. Nihil enim tale habet S. Ioannes, nec dixerat ibidem Christus* ædificabo, *vel vt S. Matthæus cap. 26.* reædificabo, *sed* suscitabo, *scilicet à mortuis. Sensum itaq; deprauant accusatores illi: quia, vt docet S. Ioannes cap. 2. Christus ibi non de templo Salomonis, sed de corpore suo loquebatur. Meritò itaque hos Matthæus falsos testes vocat, quia, vt SS. Chrysostomus & Hieronymus ibidem docent, tam verba quam sensum Christi deprauant.*

VERS. 59. ET NON ERAT CONVENIENS TESTIMONIVM ILLORVM.] *Græcè habetur*, Καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν. *id est*, & neque sic congruentia erant testimonia eorum. *Quia scilicet hæc verba Christi, etiamsi fortè videri possent inanis esse iactantia, neminis tamen erant iniuriosa, vt inde reus mortis peragi posset.*

VERS. 63. SCINDENS VESTIMENTA SVA.] *Nota, hoc fuisse etiam vsitatum apud Gentiles, vt patet ex Homero & Virgilio; sed maximè apud Iudæos, vt nimirum in luctu, item auditâ blasphemiâ, quasi præ zelo honoris Dei vestimenta scinderent, vti fecit Ezechias lib. 4. Regum cap. 19. Impius autem Pontifex hîc contra Iuris ordinem non iudicem agebat, sed accusatorem, & ipsos accusatores facit Iudices Christi, & executores sententiæ iniquæ.*

VERS. 66. ET CVM ESSET PETRVS IN ATRIO DEORSVM.] *S. Matthæus cap. 26, 69. ait*, sedebat fo-

ris in atrio, *quod atrium hic foris dicitur, non respectu primi ostij domus, sed respectu aulæ interioris, vbi erat Christus in concilio. S. Lucas supra vers. 55. insinuat Petrum cum alijs sedisse ad ignem, S. Ioannes verò cap. 18. ait*, Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. *Pro quorum locorum conciliatione dici potest primò, quòd stare Hebraicè sæpe tantùm significat* esse præsentem, *vt Ioannis 1, 26.* Medius autem vestrûm stetit. *id est præsens fuit*, quem vos nescitis. *Secundò, eos modo sedisse, modo stetisse, vti solent famuli in atrijs Principum.*

S. LVCÆ CAPVT XXII.

VERS. 58. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus verò ait: O homo non sum.

ᵃ Ioan. 18, 26. 59. ᵃ Et interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat: nam & Galilæus est.

60. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuò adhuc illo loquente cantauit gallus.

61. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi

ᵇ Matth. 26, 34. Marc. 14, 30. Ioā. 13, 38 Domini sicut dixerat: ᵇ Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis.

62. Et egressus foras Petrus fleuit amarè.

CHRYSOSTOMVS 86. BREVI spatio Petrus ter Christum negat; nec illud in domo, sed foris in atrio: & quamuis gallus cantasset, casum suum tamen à seipso non sensit, sed Magistri admonitione indiguit: cuius inspectio vox illi facta est.

ANNOTATIONES.

Petrus quoties negarit Christum. SED *hic oritur magnum dubium, quoties videlicet Petrus Christum negarit. Caietanus putat Petrum sexies negasse Christum, scilicet ter in domo Caiphæ, vt habent tres Euangelistæ, & ter in domo Annæ, vt habet S. Ioannes suprà citatus: & hoc videtur colligi ex S. Augustino lib. 3. de Consensu cap. 6. Sed hæc omnia ostendi suprà ex Cyrillo, contigisse in domo Caiphæ. Communior vtique est & magis placet sententia Cyrilli, Ambrosij, Euthymij & aliorum, tenentium tantùm ter negasse, primùm scilicet in atrio, Matth. 26, vers. 69. secundò ibid. vers. 71* Exeunte illo ianuam, *atrij scilicet, in vestibulum quod solet esse ante atrium in magnis ædibus. Nec enim Petrus post primam negationem domo & malorum consortio exiuit, sed atrio tantùm in vestibulum iuxta portam, idque vt dissimularet, & vexatione se liberaret. Ne tamen reus crederetur, paulò pòst rediJt in atrium & ad ignem, ibique secundò interrogatus ab ancillâ aliâ, & alijs post ancillam conclamantibus, vt indicat S. Ioannes, secundò negauit cum iuramento, vt ait S. Anselmus cum Bedâ. Denique paulò pòst, cùm grauiùs vrgeretur ab accedente cognato Malchi, vti narrat S. Ioannes c. 18, 26. his verbis*, Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? *negauit tertiò cum anathematizatione, id est deuotione ac execratione sui ipsius.*

VERS. 62. ET EGRESSVS FORAS FLEVIT AMARE.] *Fletus & pœnitentia Petri.* *Scilicet postquam Christus eum respexit, oculis inquam tum corporis, S. Lucas enim ait:* Conuersus Dominus respexit Petrum, *idque fieri potuit, quòd Christus finito concilio ex aulâ in atrium, vbi Petrus erat, eductus, ipsum respexerit, vti Chrysostomus sentit. Tum vel maximè respexit eum oculis mentis. Huius enim illustratione ac motione tactum est cor Petri vt culpam agnosceret, pœniteret ac fleret. Ita S. Augustinus libro 3. de Consensu cap. 6. S. Leo Serm. 9. de Passione, & Ambrosius, qui cùm dicit*, Lacrymas Petri lego, non lego satisfactionem; *haudquaquam fauet hæreticis nostras satisfactiones negantibus, quia S. Ambrosius ibi per satisfactionem intelligit excusationem, quòd nimirum Petrus suam culpam non excusarit, sed confessus sit cum lacrymis, quæ sanè satisfactoria erant. Ait autem Clemens Romanus, adeò pœnituisse Petrum, vt totâ vitâ, quoties audiret galli cantum, procidens in genua lacrymas funderet, & peccati veniam peteret. Hinc etiam oculi eius ex assiduo fletu apparebant, quasi sanguine respersi, vt docet Baronius ex Nicephoro lib. 2. cap. 37.*

VERS. 63. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes.

64. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius: & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?

65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

87 CHRISTVS hîc longanimitatis ac tolerantiæ exemplum præbuit in Iudæorum iniurijs perferendis, qui cùm contumelias contumelijs accumulantes ipsum conuitijs onerarent, in nullo quidem ipsos accusauit vt à malitiâ suâ & nequitiâ desisterent; tantum autem aberat vt se vlcisceretur, vt ne in minimo quidem ipsis contradixerit aut testiterit, quin etiam beneficijs illorum inhumanam crudelitatem compensare studuerit, & bonorum largitionibus, illorum prauitates remuneratus sit, ac denique crucem pro crucifigentibus sustinuerit. BASILIVS *Patientia Christi.*

VERS. 66. ᵃ Et vt factus est dies, conuenerunt seniores plebis, & principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in consilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis: ᵃ Mat. 27, 1 Marc. 15, 1 Ioā. 18, 28.

67. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi:

68. Si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis.

69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei.

Theod. *Christus equalis Patri.* 88. Christvs à Principibus Sacerdotum interrogatus an ipse esset Christus, ait illis: Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Quid igitur nobis hic significatur, cùm de Deo & sessio & thronus dicitur? Regia nempe & vniuersis imperans ac dominans dignitas designatur. Nemo enim prudens dixerit, secundum picturas quas videmus de Deo opinandum esse, vel tribunal quoddam esse positum cui credamus inniti Dominum omnium, sed nec omnino dexterum vel sinistrum esse penes diuinam naturam: proprium enim est corporũ, figura, & locus, & sessio. Ad virtutis itaque ac potestatis æqualitatem explicandam his verbis vtitur, quę illam quodam modo significat cum ait, Erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei, quòd nimirum eiusdem throni sit, nec honore secundus Patri, vti fortasse quispiam posset existimare: siquidem id A dextris significare videtur, iuxta nostram consuetudinem, quod supra nos est exprimens. Quomodo igitur æqualis dignitatis & in eodem cum Patre consessu Filius reperiatur, nisi sit naturâ Filius Patris in se proprietatem habens, sed potiùs factura sit, vti Christomachi insanientes dicunt. Vel enim necesse est vt fateantur non ab vno solo qui verè Deus sit mundum regi, sed assistere illi alterum quemdam creatum atque inductitium Deum, & sic non est vnus nobis Deus secundùm Scripturam: vel si Deus vnicus sit, necesse est vt Filium etiam Deum esse confiteantur, & eiusdem consequenter naturæ cum Patre. Sic enim vnus erit Deus per identitatem naturæ, in vnam Diuinitatem sanctissimâ Trinitatẽ conueniente, tametsi singulis personis singula & propria nomina imposita intelligantur, atque adeò ternarius numerus existat saluâ substantiæ singularitate. Cùm igitur Filius eiusdem sit cum ingenito Patre substantiæ, quomodo igitur creatura existimetur iuxta hæreticorum amentiam, & non potiùs propria Patris genitura, vti vere est? Vt enim Iudæos grauius infidelitatis supplicium manere significaret, Vestræ, inquit, impietati breue est tempus permissum vsque ad crucem: post cuius passionem antiquam iterùm gloriam resumam, etiam in hac carne æquali cum Patre consessu dignatus.

Vers. 70. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum.

71. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuimus de ore eius.

89 Hoc autem dicente Christo, furcensuit Pharisæorum cohors, vsurpans ignominiæ vocem: nullo ampliùs testimonio opus esse dicunt, quippe qui ipsi audiuerant sermones eius. Sed ô praui & insensati! Voluistis discere si ipse esset Christus. Docuit ipse vos, dicens, Vos dicitis, quoniam verè est Filius Dei & Patris, cum quo & Diuinitatis thronum obtinet. Hinc ipsi vel maximè discere poterant quoniam ipse est Christus. Sed salutis via, perditionis illis occasio facta est. Hoc dicto vtique illos confutauit, quoniam propter signa quæ præcesserant, veritas hæc illos non omnino latebat. Nam hunc solùm ait esse Christum, quem anteà facta ipsa fuerant locuta. Cyrillus

SVPPLEMENTVM.

Inserenda hic infamis Iudæ proditoris mors, quam post Christi in concilio condemnationem, dum ad Pilatum morti tradendus duceretur, contigisse insinuat

S. MATTHÆVS CAP. XXVII.

Vers. 1. Manè autem facto, consilium inierunt omnes Principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent.

2. Et "vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. "Matt. 15, 16. Luc. 23, 1. Ioã. 18, 28.

3. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset; pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus,

4. dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris.

5. Et proiectis argenteis in templo, recessit: "& abiens laqueo se suspendit. "Act. 1, 18

6. Principes autem Sacerdotum, acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam; quia pretium sanguinis est.

7. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.

8. " Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldema, hoc est, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. "Act. 1, 19

9. Tunc impletum est quod dictum

est per Ieremiam Prophetam, dicentem: "Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israel:

Zach. 11, 12.

10. & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

Cur Iudæi Christum tradiderint Pilato.

*A*o *illud quod versu 2 dicitur*, Et tradiderunt Pontio Pilato Præsidi, *nota, quosdam ex Talmud putare, neminem Iudæis licuisse crucifigere, sed tantùm strangulare, lapidare, vrere, aut caput præscindere. Verum hoc non ita esse, patet ex Deuteronomy cap 21, 22. vbi dicitur* Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti, appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno. *Verisimilior ergo causa cur Iudæi non occiderent Christum, sed Pilato occidendum tradiderint, esse videtur, quia Romani deuictis Iudæis ius necis ademerant, vti patet Ioannis 18, 31. vbi dicunt:* Nobis non licet interficere quemquam. *Quare quod Stephanum lapidauerunt, & Christum sæpe lapidare voluerunt, fortè non iure, sed tumultu factum fuerit.*

VERS. 3. VIDENS IVDAS QVOD DAMNATVS ESSET.] *Scilicet à Iudæis in concilio, & mox damnandus à Pilato propter obstinationem & instantiam Principum Sacerdotum, ipsum accusantium.*

Iudas argenteos reddit.

VERS 5. ET PROIECTIS ARGENTEIS IN TEMPLO.] *Nota, quòd Principes Sacerdotum fuerint in domo Pilati Christum accusantes Vel Iudas ergo retulit argenteos ad Principes in domo Caipha, aut in prætorio Pilati, cumque illi nollent eos recipere, abijt in templum, ibique eos proiecit. Vel certè Sacerdotes aliqui, & fortè etiam Principes aliqui post concilium, alijs ad prætorium cum Christo abeuntibus, ipsi ad templum iuerunt, de more sacra curaturi, eisque Iudas nummos retulit. Nam communis sententia est cum S. Leone Serm. 3. de Passione, hæc omnia, adeoque Iudæ mortem contigisse ante Christi mortem ipso die parasceues, vt insinuat Matthæus.*

Se suspendit.

Sequitur: ET LAQVEO SE SVSPENDIT.] *Hinc & ex Syro apertè refelluntur Beza & Bulingerus, qui ex Græco Actorum cap. 1, 18.* καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, *id est ad verbum,* Et præceps factus crepuit medius, *putant Iudam non suspendio, sed præcipitio crepuisse. Alij, vt Œcumenius in Act. 2 Theophylactus & Euthymius ex Papiâ tradunt, Iudam se suspendisse quidē, sed è fune elapsum diu superuixisse, & adeò intumuisse, vt per viam currus transire non possent, & sanie ac vermibus repletum, tandem in prædio suo ex casu quodam crepuisse Verùm hæc sunt contra communem sententiam, neque satis respondent nostro Interpreti Actorum 1. qui satis insinuat ipso suspendio Iudam crepuisse. Notat Iuuencus ex quadam traditione, Iudam ex ficu se suspendisse, sicuti Hebræi arborem vetitam ex quâ Adam & Eua comederunt, ficum fuisse tradunt.*

VERS. 9. QVOD DICTVM EST PER IEREMIAM.] *Alij volunt legi* per Zachariam, *c. scilicet 11, 13 de quo varia vide apud Franciscum Lucam Notat 455. Eusebius lib. 10. Demonstrationum Euangelicarum cap. 4. putat vel iam olim irrepsisse nomen Ieremiæ. Vnde quidam Codices olim, teste S. Augustino lib. 3 de Consensu cap. 7. & Syrus etiam nunc nomen Ieremiæ non habet. Ita S. Hieronymus ac Rupertus, & multi recentiores. Vel certè olim Ieremias hæc scripsit, sed temporum iniuriâ exciderunt. Nam passim omnes Codices Græci & Latini, etiam tempore Hieronymi, Origenis & Eusebij, habuerunt nomen Ieremiæ, & verba Matthæi hic nonnihil diuersa videntur à verbis Zachariæ. Vnde Origenes & Hieronymus testantur se legisse hæc verba in quodam codice Ieremiæ, sed apocrypho.*

S. LVCÆ CAPVT XXIII.

1. ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum.

2. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, " prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.

"Matt. 22, 21. Marc. 12, 17.

1. SED quando prohibuerit tributum dare Cæsari? Misistis siquidem ad eum discipulos vestros cū Herodianis, tentantes & dicētes, Magister, licétne nobis tributum dare Cæsari an non? Tune ad illos Christus, Ostendite, inquit, mihi numisma census. & ait illis: Cuius ille denarius habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Cæsaris. Reddite ergo, inquiebat, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Quomodo igitur prohibuerit tributum dare Cæsari? Sed vnicus hic illis erat scopus præfixus, vt illum morti traderent, qui ad vitam ducit.

CYRILLVS Matth. 22, 17. & Luc. 20, 22.

SVPPLEMENTVM.

Inter versum primum & secundum c. 23. Lucæ inserendum quod habet

S. IOANNES CAP. XVIII.

VERS. 29. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc?

30. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quēquam.

32. " Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans quâ morte esset moriturus.

"Matt. 20, 19.

VBI *nota, ad verba illa versus 32.* Vt sermo Iesu impleretur, *quem videlicet prædixerat Matthæi*

thai 20, 18. & Luca 18, 31. dicens: Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum. *quia nimirum a Romanis agendus erat in crucem, quod supplicium apud illos erat proprium seditionis & affectati regni, ut docet Lipsius lib. 1. de Cruce cap. 14. Quod crimen cum Iudæi Christo impingerent, erat hoc, utpote contra Cæsarem, à Cæsaris Præfecto puniendum. Unde ipse cruci etiam hanc causam inscripsit,* Rex Iudæorum. *Ex Epistolâ autem Pilati ad Tiberium, quam habet Hegesippus lib. 5. patet, Iudæos Christo etiam Magiam obiecisse.*

S. LVCÆ CAPVT XXIII.

ᵃMatt. 27, 11. Marc. 15, 2. Ioan. 18, 33. VERS. 3. ᵃ Pilatus autem interrogauit eum, dicens: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait: Tu dicis.

ANONYMVS. 2. DERIDENS quodammodò accusatores Pilatus percontabatur, Túne es Rex Iudæorum? Per hæc autem Christum Dominum reuerà Regem esse non negatur, sed, vt Ioannes ait, distinxit regni speciem, cùm dixit regnum suum non esse de hoc mundo. Ad cuius deinde maiorem declarationem addit: Si ex hoc mũdo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. (Ioan. 18, 36.)

SVPPLEMENTVM.

Hanc Pilati interrogationem, & responsionem Christi paulò fusius describit

S. IOANNES CAPITE XXIII.

ᵃMatt. 27, 11. Marc. 15, 2. Luc. 23, 4. VERS. 33. ᵃ Introiuit ergo iterùm in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum?

34. Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?

35. Respondit Pilatus: Numquid ego Iudæus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36. Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.

38. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cùm hoc dixisset, iterùm exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam.

OBserua vbique Christi modestiam & prudentiam in respondendo. Primò petit à Pilato an à semetipso hoc dicat. Ac si diceret: Scio Iudæos ista de me dixisse tibi, sed stimulo conscientiam tuam vt memineris, ista hostium meorum criminationes esse, cùm ipse de me hactenus nihil tale audiueris. Pilatus autem stibiratus respondet, Numquid Iudæus sum, *&c. Christus denique ad rem respondit:* Regnum meum non est de hoc mundo. *id est, regnum meum non est terrenum, humanum, & temporale, vt Tiberius sibi à me timere debeat, sed est cæleste, spiritale, & transcendens omnia mundi regna. Vbi* (Prudentia Christi in responsis.)

Nota primò, Christum, quatenus hominem, duplex habuisse regnum, etiam ante mortem. Primum nempe spiritale, quod est Ecclesia. Hanc enim instituit, & certis legibus, modis & Sacramentis ordinauit, & per vicarios regit. Et de hoc regno passim loquuntur Psalmi & Prophetæ. Secundo etiam habuit Christus propriè & directè ab instanti conceptionis suæ regnum totius mundi, saltem quoad potestatem per excellentiam, licet eâ non sit vsus. Pro quo (Regnum Christi quale.)

Nota secundò, triplex esse regnum: primum nempe quod est summum & diuinum, Deo soli proprium: deinde secundum, quod est infimum, scilicet humanum, quale habent Reges terreni: tertium denique est medium, videlicet regnum Christi, quod excellit omnia regna humana; primò origine, quia a Deo manat, non ab hominibus; secundò firmitate, quia æternum est; tertiò obiecto, quia ad omnia, etiam Angelos, se extendit. Hinc enim Christus vocatur Apocalypseos 9 24 Rex Regum & Dominus Dominantium. *Item Matth. 28, 18. ait,* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ. *Hoc enim debitum erat Christo ratione vnionis hypostaticæ cum Verbo, vt scilicet esset hæres vniuersorum, ac proinde nulli, nec Pontifici, hoc communicauit. Humanum autem regnum Christus non habuit, ne Iudæorum quidem, vt contra Armacanum docent Theologi in 3 partem quæst. 22. art. 1. Licet enim Christus esset Filius Dauid, tamen iamdiu regnum familiæ Dauidis cessauerat.*

S. LVCÆ CAPVT XXIII.

VERS. 4. Ait autem Pilatus ad principes Sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine.

3. ET Pilatus quidem ipse Saluatoris innocentiam & puritatem testatus est, Iudæorum verò insidias patefecit. Sciebat enim, inquit, quoniam per inuidiam tradidissent eum. Quapropter etiam lauit manus dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, tametsi posteà Iudæorum deuictus amicitiâ, adiudicauit fieri petitionem eorum, & tradidit eum vt crucifigeretur. (Matth. 27, 24. Luc. 23, 24. Marc. 15, 15.)

VERS. 5. At illi inualescebant, dicentes: Commouet populum, docens per

vniuersam Iudæam incipiens à Galilæâ vsque huc.

CHRYSOSTOMVS in Act. 3. 4. DVo Iudæorum crimina, & quòd Pilatus volebat dimittere, & quòd illo volente ipsi noluerint; & quòd sanctum & iustum negauerint, & postulauerint vt virum homicidam donaret illis, principem verò vitæ interfecerint. Ostenditur autem hîc illorum impudentia atque immanitas, quòd Ethnicus, & ille quidem qui ipsum iam primùm viderat absoluerit, cùm nihil vmquam magni ex illo audiuisset; illi verò signis enutriti contrarium fecerint.

VERS. 6. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset.

7. Et vt cognouit quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus.

8. Herodes autem viso Iesu, gauisus est valdè, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eò quòd audierat multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.

9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

CHRYSOSTOMVS. 5. NIHIL hîc dicendum, cùm ipsemet Christus silētium seruet. Quid enim respondendum sit homini nihil responsione dignum proferenti? præsertim quod doctrinæ tradendæ tempus iam tum nullum esset. Sed neque conueniebat quoque vt cælestia signa coram illo ederet, qui præstigijs spectandis quàm virtutis diuinæ miraculis cognoscendis auidior erat. Dominus proinde tempus illud silentium postulare cernens, tacuit omnino. secundùm illud Salomonis, Tempus tacendi, & tempus loquendi. Sępenumerò enim est silentium loquelâ vtilius. Quare optimè loquendi ac tacendi tempus discernens Paulus, interdum silentium, interdum verò sermonem præcipit, dicens: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, & hæc quidem silentij lex est; sed si quis bonus ad ædificationem fidei, & hoc loquendi est tempus. Rursum: Nolite mentiri inuicem, & hoc silentij tempus; sed loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, & hæc loquendi est potestas. Et iterùm: Cùm consisteret peccator aduersum eum, obmutuit, ad mali retaliationem immotus manens: vbi verò sermone opus est, aperit in parabolis os suum, loquitur problemata, implet os suum laude, calamum scribæ facit linguam suam. Hęc ille. quibus similia habet Sapiens: Est tacens qui inuenitur sapiens: & est odibilis qui procax est ad loquendum. Est tacens non habens sensum loquelæ: & est tacens sciens tempus aptum. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus: lasciuus autem & imprudens non seruabunt tempus.

Tempus loquendi, tempus tacendi. Eccl. 3. 7. Ephes. 4. 29. Colos. 3. 9. Psal. 38. 2. Psal. 44. 2. Eccli. 20. 5

VERS. 10. Stabant autem principes Sacerdotum & Scribæ constanter accusantes eum.

11. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste albâ, & remisit ad Pilatum.

THEOPH. *Innocentia Christi ab Herode declarata.* 6. TV autem considera quòd per ea quæ facit diabolus impeditur, congerit opprobria & derisiones in Christum: ex quibus declaratur, quòd Dominus seditiosus non sit, alioqui non derideretur plebe redditâ suspecta, & nouitatibus gaudente. Ceterùm per quæ ille Christum deridet, per ea ipsum ab omni prorsus noxâ & iniustitiâ alienum esse propalàm declarat. Neque enim candido vestitu conuenienter illum induisset, si quod facinus dicto vel facto designasset. Quare Iudæi quoque hic confunduntur, falsæque accusationis rei peraguntur: quandoquidem eum quem de multis accusauerant, candidâ veste ornatum, ab Herodis tribunali discedere conspicantur. Nam etsi totum quod Herodes hîc fecit, irrisionis tantùm causâ fecerit; attamen id ipsum quod fecit, non fecisset, si quid iustâ irâ dignum in eo deprehendisset. Missio autem Christi à Pilato ad Herodem, fit amicitiæ communis exordium, quasi Pilato non vsurpante sibi subditos ditioni Herodis. Vnde subditur:

VERS. 12. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsâ die: nam anteà inimici erant ad inuicem.

7. HERODES & Pontius, qui anteâ dissidebant propter simultates quas habebant inter se, tunc conuenerunt aduersus Dominum: quapropter quis eos iusto odio prosequatur; quoniã ob res quidem proprias sibi inuicem infensi erant, sed in veritatis oppugnatione, & in Dominum contumeliosâ debacchatione conspirantes, amici facti sunt, atque inuicem amplexati.

VERS. 13. Pilatus autem conuocatis principibus Sacerdotum, & magistratibus, & plebe,

14. dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc

hunc hominem, quasi auertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inueni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis.

15. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei.

16. Emendatum ergo illum dimittam.

17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, vnum.

18. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam,

19. qui erat propter seditionē quamdam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem.

20. Iterùm autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Iesum.

21. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.

22. Ille autem tertiò dixit ad illos:
Matt. 27, 23. Quid enim mali fecit iste? nullam
Mar. 15, 14 causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum & dimittam.

23. At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum.

24. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.

25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Iesum verò tradidit voluntati eorum.

Athanasius. Christus dolores nostros quomodo tulerit. Deut. 21, 23. Gen. 3, 18.

CVM enim subditi seruituti peccati, suppliciorum quoq; peccato debitorum rei essent, ipse à peccato liber cùm esset, & per iustitiæ viam ambulasset, peccatorum in se pœnam assumpsit, & per crucem quidem veterem aboleuit execrationem. Nam Christus à legis execratione nos liberauit, factus ipse pro nobis execratio. Scriptum est enim: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Per spinas verò Adami pœnis finem attulit. Post supplicium enim suum ille audijt, Maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi. Per fellis autem amaritudinem, mortalitatis laborem & vitæ humanæ difficultatem atque inanitatem in se sumpsit. Per acetum verò, hominum in deterius commutationem ipse absumens, ad meliora reditum præparauit. Per purpuram regnum indicauit, per calamum impotentiam imbecillitatemque diaboli insinuauit. Per lotionem, nostram stabiliuit libertatem, nostras ipse iniurias, illusiones, ac flagella sustinens, & Adamo latus consolationis adaperiens, non iam feminam inde per quam mors intret educens, sed fontem vitæ, qui duplici riuo vniuersum orbem viuificet, cuius & lauacro nos renouamur, & stolam immortalitatis recipimus: & iam nati eo nutrimur, in diuinā mensā quasi modò geniti infantes lacte educati. Passio enim Saluatoris nostra est medicina, vti rectè Propheta docens exclamat: Ipse peccata nostra portat, & pro Isa. 53, 12. nobis dolet. Et nos reputauimus eum esse in labore, & in plagā, & in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Disciplina pacis nostræ super eum: liuore eius nos sanati sumus. Omnes quasi oues errauimus. Ipse idcircò sicut ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperit os. Et quemadmodum pastor oues dispersas videns vnā ouem suscipiens, & in aliquod quod illi placet pascuum ducens, per illam alias quoque ad se oues allicit: sic & Dei Verbum videns humanum genus toto cælo aberrare, formam serui accipiens, eamque sibi ipsi accommodans, vniuersam ad se naturam humanam pertraxit atque conuertit, & malè pastam lupisque expositam ad diuina pascua reduxit. Atque hæc est causa cur Saluator nostram naturam assumpserit, salutaremque sustinuerit passionem, ac ad mortem missus sit & sepulcro mandatus, vt nempe antiqui illius & inueterati hostis nostri vires dissolueret, & corruptione irretitos liberaret, immortalitatemque concederet.

SVPPLEMENTVM.

Inserenda hic crudelis illa Christi flagellatio cum coronatione, quam describit

S. MATTHÆVS CAP. XXVII.

VERS. 27. Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorium, congre- Marc. 15, 16.
gauerūt ad eum vniuersam cohortem: Ioan. 19, 18. Psal. 21, 17

28. & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei,

29. & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dexterā eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum.

30. Et

30. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.

31. Et postquam illuserunt ei, *&c.*

Subiungit hic

S. IOANNES CAP. XIX.

VERS. 4. Exiuit ergo iterùm Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam.

5. (Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo.

6. Cùm ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam.

7. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

8. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit.

9. Et ingressus est prætorium iterùm: & dixit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit ei.

10. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?

11. Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatũ habet.

12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.

13. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithóstrotos, Hebraicè autem Gabbatha.

14. Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex vester.

15. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.

16. Tunc ergo tradidit eis illum vt crucifigeretur. [a] Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt. [a Matth. 27. 33. Marc. 15, 22. Luc. 23, 33]

17. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraicè Golgotha.

ANNOTATIONES.

Nota hic Primò, Flagellationẽ apud Romanos fuisse vile supplicium seruorum, sicuti liberorum erat fustigatio, vt patet cap. Seruorum ff. De pœnis. [Flagellatio seruorum pœna.]

Nota Secundò, Damnatos ad mortem, etiam liberos, quasi iam viles & seruos effectos, à Romanos flagellari solitos.

Nota Tertiò, Christum non fuisse flagellatum iam damnatum, crucifixionis causâ, sed ante, vt scilicet eius atrocitate Pilatus leniret Iudaos. Hæc tamen flagellatio suffecit, ne denuò Christus iam damnatus flagellaretur. Nam non bis, vt volunt aliqui, sed semel tantùm flagellatũ Christum patet, si quis Matthæum & Marcum cum S. Ioanne conferat: omnes enim de vnâ & eadem flagellatione loquuntur. [Christus tantùm semel flagellatus.]

Nota Quarto, S. Hieronymum in Epitaphio Paulæ, & S. Paulinum epist. 34 Prudentium, & alios veteres testari, Christum, vt commodiùs flagellaretur, columna alligatum fuisse, quam Beda dicit fuisse marmoream, & etiamnum dicitur extare Romæ in templo S. Praxedis. Quàm autem fuerit atrox hæc flagellatio, hinc Primò colligi potest, quòd Christus fuerit adstrictus columnæ, vt esset omnino ad libitum flagellantium. Secundò, quòd Pilatus, omnibus criminibus Christo obiectis, & odio inexplebili Iudæorum per eam voluerit satisfacere. Tertiò, ex militum & quidem plurium petulantiâ, quæ tanta fuit, vt etiam non iussi Christum spinis coronarint. Fortè etiam Iudæi eos pecuniâ corruperunt, vt acriùs Christum diuerberarent. Quartò, quia Christus istam flagellationem, vtpote notabilem & atrocem, æquè ac crucem suam prædixit, Psalmo 72, 14. & Matthæi 20, 19. Quintò, quia etiam flagellis, id est funiculis vel loris, more seruorum cæsus est. Ita Euthymius & alij. Addit hic Paulus à Palatio, traditum à grauissimis Auctoribus, Christum flagellatum primò virgis spineis, secundò chordis cum stimulis ferreis, tertiò catenis aduncis. Quidquid hac de re sit, certum est fuisse atrocissimam. [Flagellatio Christi quã atrox fuerit.]

Nota denique, castissimi corporis Christi vel solam denudationem propter verecundiam vel maximam illi fuisse pœnam. Bis autem, vel vt alij, ter denudatus fuit Christus: primò ante flagellationem, secundò, vt alij tradunt, ante coronationem, quod cum ingenti dolore accidisse necesse est, ob vestem vulneribus flagellorum adhærentem; tertiò ante crucifixionem.

Circa coronationem verò Christi nota Primò, Christum coronatum ex militum petulantiâ, Pilato non iubente, sed permittente, vt faciliùs Christum omnino deformatum, morte liberaret. [Coronatio Christi qualis.]

Secundo, Christum cum hac coronâ crucifixum esse, vt referunt passim picturæ, & docent Origenes in Matthæi cap. 27. Tertullianus libro contra Iudæos c. 13. & satis innuit S. Matthæus.

Tertiò, Christum hic per ludibrium inauguratum Regem coram totâ cohorte per omnia Regum insignia. [Quomodo & cur Christus vt Rex ludificatus sit.]

Pri-

Primò enim, thronus fuit lapis aut scamnum, idque in morem tribunalis altum, vt docet Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 8. Secundò, corona fuit spinea, quam multi putant fuisse ex iunco marino, cuius spinæ longissimæ sunt & acutissimæ. Alij putant fuisse rhamnum: ita Gretzerus lib. 1. de Cruce cap. 22. Tertiò, paludamentum fuit chlamys, quæ erat vestis strictior & breuior pallio quam milites super arma induebant. Videtur autem hæc chlamys fuisse detrita alicuius militis Romani, & quia purpurea, signum erat Imperatoris. Quartò, sceptrum erat arundo. Quintò, fuere ista acclamationes & reuerentia, erant sputa, alapæ, verbera, genuflexiones, & ridicula salutationes. Denique, iustâ Dei vindictâ paulò pòst simili prorsus illusione, quâ Christus, per ludibrium coronatus est Agrippa Rex Iudæorũ, licet absens, Alexandriæ per comœdum, qui eius personam sustinebat, vt narrat Philo Iudæus in Flacco.

Tropologicè Primò, Christus voluit exhibere ideam vanitatis & afflictionis regnorum, & honorum mundi. Secundò, hæc ludibria vertere in arma victoriæ suæ contra superbissimũ Luciferum. Tertiò docere regnum mundi situm esse in honoribus, pompis, delicijs, suum verò in contemptu honorum, voluptatum, & sui ipsius. Plura vide apud S. Athanasium Sermone de Cruce & passione, Hieronymum, & Theophylactum in Matthæi cap. 27. & Tertullianum lib. de Coronâ militis. Vbi inter alia docet, Christianos ob reuerentiam spineæ coronæ Christi, coronis, quibus floribus intertextis Gentiles vtebantur, abstinuisse. Hanc etiam coronam velut humilitatis notam repræsentant Sacerdotes & Monachi tonsurâ suâ, vti docent Germanus Constantinopolitanus Patriarcha in Theoriâ rerum Ecclesiasticarum, & Beda lib. 5. Hist. Anglicanæ cap. 22.

Ad illa autem quæ ex Ioannis 19 capite suprà sunt allata, obseruandum, quomodo post varias Pilati instantias Iudæi inclamarint, Filium Dei se fecit. *Vnde timens Pilatus ne filius Iouis esset, aut Herculis, aut alterius dei, seorsum rogat Christum,* Vnde es tu? *Christoque tacenti obijcit se habere potestatem necis ipsius. Christus respondet:* Non haberes potestatem aduersum me, nisi tibi data esset desuper. *quia scilicet potestas, id est facultas siue vis naturalis, item auctoritas & iurisdictio in alios omnes propriè data erat Pilato à Deo mediante Cæsare. In Christum verò data, id est permissa erat. Christus enim vt homo, cùm Dei esset Filius, liber erat, nullique potestati humanæ subiectus, imò omnium ipse erat Rex ac Dominus, vt suprà dictum. Primò ergo Pilatus peccauit defectu iurisdictionis, secundò defectu ordinis iudiciarij, quem, cedens tumultui Iudæorum, non seruauit; tertiò defectu æquitatis, idque ne accusaretur apud Cæsarem.*

S. LVCÆ CAP. XXIII.

Matt. 27, 32. Marc. 15, 24. VERS. 26. "Et cùm ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villâ: & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.

CYRILLVS 9. BAIVLAVIT quidem crucem Saluator à Prætorio vsque ad Caluariæ locum, quoniam & Abraham ascendens in ostensum sibi montem vt immolaret Filiũ suum Isaac, iussit imponi filio suo lignum, quod accidit in figuram Christi sibi humeris suis crucem baiulantis, iuxta illud, Cuius Principatus super humerum eius. Isa. 9, 6. Principatus enim ipsius extitit, quo omnibus quæ sub cælo sunt imperauit. Mediâ autem viâ Cyrenæum Christo occurrentem angariauerunt, eique crucem quoque imposuerunt.

10. Siquidem decebat victorem iam de diabolo triumphantem non alteri concedere, sed sibi suum gestare trophæum; deinde etiam Simonem, vt omnibus innotesceret, Dominum non suam mortem, sed hominum obire. ATHANASIVS de Passione.

ANNOTATIONES.

NOTA *Primò, Simonem hunc, qui post Christum crucem baiulauit, Cyrenensem dictum ab oppido Cyrene, ex quo ipse erat oriundus, eratque Cyrene metropolis Decapoleos in Syriâ, vti Strabo lib. 17 & Mela lib. 1. testantur. S. Ambrosius & Beda hîc, & S. Leo Serm. 8. de Passione obseruant hunc fuisse gentilem, mysterio vt significaretur, pro incredulis Iudæis, gentes crucem Christi amplexuras esse; nam traditio est eum posteà conuersum fuisse. Vnde Alexander & Rufus (de quibus S. Marcus cap. 15, 21.) eius filij, videntur Christiani fuisse noti discipulis Christi.* Quis Simon & quomodo crucem baiulauerit.

Nota Secundò, Christum primò solum per vrbem portasse crucem, vt ex Ioannis cap. 19, 17. patet, idque quia moris erat vt crucifigendi suam ipsi crucem ferrent, vti Plutarchus lib. de Serâ Numinis vindictâ, Euthymius in cap. 27. Matthæi, & S. Athanasius Serm. de Cruce, testantur.

Nota Tertiò, Non videri Simonem crucem gestasse cum Christo, vt pingitur, sed solum gestasse, sequendo Christum. Nam Euangelistæ dicunt, imposuerunt ei. *Ita Patres passim. S. Ambrosius hîc notat mysterium insinuari, Christum nimirum idcircò priùs solum gestasse crucem, ac deinde Simoni impositam; vt videlicet priùs ipse crucis suæ trophæum erigeret, ac deinde martyribus & nobis traderet erigendum. Vide plura apud S. Gregorium lib. 8. Moralium cap. 26.*

VERS. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum: quæ plangebant, & lamentabantur eum.

28. Conuersus autem ad illas Iesus, dixit: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.

29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.

30. Tunc incipient dicere montibus: "Cadite super nos; & collibus: Isaiæ 2, 19 Oseæ 10, 8 Apoc. 6, 16
Operite nos.

31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

11. NON itaque quærendum est, cur ISIDORVS Christus, quando triumphantis

more crucem adibat, mulieres quæ plangebant, eumque lamentabantur, adeo ob eiusmodi planctum & luctum non commendari, vt obliquè quoque reprehenderit. Manifestum enim est, quòd licet illi qui ad cruciatum inuitus rapitur, commiseratio nonnullum solamen adferre soleat; attamen crucem cupidè vltroque affectanti, eiusmodi sympathia molestiam parit veriùs quàm leuamen. Quia ergo illæ mœstæ afflictæque eum lugebant, quem æquius erat plausu lætaque acclamatione excipere, quippe qui mortem iam tum extinctum, diabolum debellatum, & infernum euersum & conculcatum ibat; ob id, vt quidem existimant, illas increpauit. Verùm veriùs futura illis mala quæ imminebát insinuauit. Non enim deflere par erat eum qui peccatum debellabat, & per mortem suam diabolum deperibat, & omnes ab ipso detentus in libertatem asserebat.

Cur Christus mulieres ipsum deflentes quasi reprehēderit

CYRILLVS 12. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Seipsum, vti autumo, Dominus lignū viride vocat, hoc est vigorosum, frugiferum & floridum. Huius autem fructus erant, viuifica doctrina, exhortationes, & per signa supernaturalia diuinæ potentiæ manifestationes. Etenim tantâ virtute & dignitate ornatum tantâ ignominiâ & dedecore affecerunt, totque malis omni ex parte circumdederūt milites Romanorum, à Pilato nimirum condemnatum. Si igitur, inquit, eiusce modi fecerunt in me, quid facient ligno arido & infructuoso, obsidentes populum Israel, in quo nihil deprehendent iustum, nihil admiratione dignum, nihil denique tale propter quod consentaneum erit veniam illi donari? comburent igitur ipsum propter impietatem quam in Christum Saluatorem exercuit, vltionem inferentes.

VERS. 32. Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerētur.

Matt. 27. 33. Marc. 15. 22. Ioan. 19. 17 33. "Et postquā venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum; & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris.

ATHANASIVS Deut. 21. 23. 13. MALEDICTVS enim omnis, inquit, qui pendet in ligno. Idcircò & Iudæi conati sunt ipsum in lignum agere, quò magis fieret execrabilis, vt si hac ratione suspenderetur, nemo offenderetur, aut ipsum magni faceret. Quocircà etiam duos latrones vtrimque crucifixerant, quæ omnia fecerunt vt eorum suspicionis fieret particeps, atque impleretur quod dictum, Et cum iniquis reputatus est. Verum non communica- Isa. 53. 12.
uit iniquitati aut suspicioni illorum: nam, quod mirandum est, illis coniunctus, nullum ab ijs accepit nocumentum. Idem etiam [diabolus] in aduentu Christi moliebatur mendaciorum appositione veritatem obnubilare studens. Verùm nec ibi nec hic efficere id valuit, sed hac ipsâ ratione virtutem Christi reddidit illustriorem.

14. Non in alio autem quàm Caluariæ loco crucifigitur, quem Rabbini Hebræorum Adami sepulturam esse tradunt, nam ibi ipsum post maledictionem sepultum esse, confirmant. Idcircò vbi primi hominis corpus fuerat corruptum, ibidem & Iesus proprium corpus collocauit: & vbi anima hominis à morte fuit superata, ibidem & Christus ostendit se verè humanam sibi animam appropriasse, quò tam quam homo sublimis in morte appareret, & vt Deus mortis sententiam solueret, vt vbi corruptio cœpisset, ibi & incorruptio oriretur: atque vbi mors regnauerat, ibidem qui immortalis erat in formâ humanæ animæ comparens, immortalitatem ostenderet, atque ita nos suæ incorruptionis participes redderet, vt & immortalitatis in spe, per resurrectionem è mortuis, quando & corruptibile incorruptionem & mortale immortalitatem induet. Et quemadmodum per vnum hominem peccatum 1. Cor. 15. 15.
& mors, sic & per vnum hominem gratia & immortalitas regnauit.

15. Sicut enim, inquit, in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Etenim ignominia in gloriam versa est, passio impassibilitatē conciliauit, lignum supplicij lignum seruitutis aboleuit, claui radicatum iam peccatum euulsere, corona spinea omnem maledictionem absumpsit, crux infamis opprobrium in decus permutauit; claui Dominicæ manus terebrarunt, & membris nostris ac passionibus admoti earum radices euulserunt. Acetum Christus bibit, & homines ad deteriora prolabentes ad meliorem frugem reuocauit. Spinea corona capiti eius circumplectitur, & omne genus pœnarum atque supplicij ex veteri maledicto promanans detruncatur. Lancea latus aperuit, & salutaris nobis fons inde profluxit. Natura assumpta passa fuit, quæ verò eam assumpserat Diuinitas impatibilis remansit. Impassibile autem Dei Verbum templi sui, humanæ inquam naturæ passiones sibi adsciuit & appropriauit, crucem dico & mortem, & cetera omnia quæ per dispensationem assumpsit, diuinâ eius naturâ nihil patiente.

16. Verùm & humanis id exemplis declarare conabor. Regalis purpura vellus erat, cui cōmixtus sanguis purpureus, purpureum præbebat colorem. Quando igitur vellus hoc

hoc digitis interstinguitur, & complođitur stamen effectum, quidnam immutationem recipit, an vellus, an tinctura? manifestum quòd vellus. Oportet itaque hominem velleri, colori verò Dei Verbum comparare, quod in passione humanæ naturæ erat coniunctum, sed mansit immutatum, nec passioni subiacuit. Quòd si dictum exemplum non suffecerit, addam & alterum: Fieri potest vt arbor solaribus illustrata radijs exscindatur. Inter exscindendum autem videtur ipse solis radis priùs cædentes ferri istum excipere ante ipsum lignum, verùm ipse splendor ac lumen quod ibi est, neque findi, neque exscindi ferro potest. Sic & Diuinitas Christi, neque diuisioni, neque passioni subiacebat: vti autem lignum, sic humanitas & cædi poterat, & patiebatur. Atque hæc quidem exempla dicta sint pro faciliori mortalis hominis captu, vt subobscurum aliquem sensum ac intelligentiam tremendæ illius dispensationis cōcipere possimus: non enim omnia possumus assequi; quoniam natura creata increatam illam diuini Verbi naturam comprehendere minimè potest.

CONTRA APOLLINARIVM. 17. Nullibi autem in Scripturis mentio fit Sanguinis Dei, neque Deus propter carnem quidquam passus traditur. Arianorum enim hæc sunt commenta. Illi enim hanc blasphemiam impudenter obijciunt, cùm Filium non fateantur esse verum Deum, sed fictitium Deum appellare didicerint. At Scripturæ sacræ in carne Dei, seu carnis Dei hominis facti, sanguinem & passionem ac resurrectionem prædicant, quodque voluntate Dei in carne Christi passio perfecta fit, & Deus per carnem nihil sit perpessus. Patitur enim Christus non secundùm Diuinitatem, sed secundùm humanitatem, hoc est Christus in carne passus est, sed non Deitas in carne, quæ blasphemia procul absit.

PHOSTERII. 18. Patitur autem Dominus gloriæ non secundùm Deitatem, sed secundùm carnem quam animatam sibi inseparabiliter coniunxit, secundùm quam & moritur, animâ nempe à corpore separatâ: nam Diuinitas & corpori & animæ inseparabili modo vnita erat. Descendit itaque Dei Filius propriâ suâ animâ ad animas Sanctorum, atque animâ corpori reunitâ rursum resurrexit. Et vt simpliciter dicam, Euangelium veritatem prædicauit, cùm ait Vnigenitum pro nobis passionem pertulisse. Verè enim in carne passus est, verè secundùm humanam naturam crucifixus est, Deitate illi coëxistente atque hypostaticè vnitâ, sed non expertâ passionem, cùm esset impatibilis atq; incommutabilis. Vnde duæ clarè deducuntur ac cognoscuntur consequentiæ, Christum nempe pro nobis pati in carne, impatibilem tamen manere Diuinitate, cùm quæ humanitati, non eadem sint etiam Deitati propria. Coexistebat itaque illi Deitas, sed non patiebatur propter substantiæ suæ puritatem ac simplicitatem. Secundùm carnem verò & patiebatur, & moriebatur, semper secundùm diuinam naturam viuens, & mortuos suscitans, corpore verè per triduum sepulto atque exanimi permanēte, ac lapidi incluso, Diuinitas minimè conclusa erat aut sepulta, sed vnà cum animâ ad Sanctorum subterranea loca* descendebat, eorumque animas è carcere liberabat, inferni dolores abolens propriâ potestate. Ascendenti autem animæ non permittebatur commorari in inferno, neque carni Christi videre corruptionem, Diuinitate illam resuscitante, & Filio Dei resurgēte cum animâ & corpore ac vniuersis vasis. Sacrum enim Christi corpus modo Deo conuenientе per se propriâ suâ virtute in spiritus vnitate surrexit, non ampliùs iam passionem aut mortem exspectans.

* Nota, impropriè dictum, quia Diuinitas propriè nec ascendit, nec descēdit, cùm sit vbique.

19. Vbi igitur hostis cecidit, Domino crucem imposuere in signum veræ victoriæ, inuiti contra seipsos exhibentes, sibique trophæum baiulauit: deinde eam tulit Simon, vt ostenderet Dominus se mortem nostram oppetijsse. Exutis autem vestimentis properauit ad mortem. Decebat enim eum, qui hominem in paradisum reducturus erat, pellicinas Adami tunicas exuere, quæ symbola erant mortis per peccatum inuectæ. Diabolus autem ad summas redigebatur angustias: permanere enim non poterat, rursum verò fugere pertimescebat. Verùm memor quòd omnes morientes in terrâ mori oporteat, iuxta quod scriptum est, Terra es, & in terram reuertêris, non ausus est in terrâ manere, ne & ibi comprehenderetur. Quod igitur reliquum erat in aërem euolauit, quocircà etiam Dominus non humi mortem oppetijt, sed in aërem ascendit per crucem, ibi quoque serpentem prosequens. Ac nec sic quidem terram incuratam sinens: nam & in cruce suspensus aërem quidem manuum extensione purgauit, terram verò redemit Sanguine suo, atque aquâ ex latere fluente illâ abluit. Quid igitur faceret inimicus? E cælo exciderat, à terrâ eiectus erat, in aëre illum Christus prosequebatur. Statuebat ergo infernum defendere: veritus tamen ne & illuc quoque descendens Dominus eum persequeretur, omnesque sibi hactenus subiectos in libertatem vindicaret; idcircò proprios suos filios incitauit vt dicerent, Si filius Dei es, descende de cruce. Verùm Christus non fugiendo mortem, sed eam expectando conculcandoque,

ANNOTATIONES.

Quæ fuerint & qualia vestimenta Christi. NOTA *hic ex S. Ioanne cap. 19, 23. Christum habuisse tunicam inconsutilem, desuper, siue vt in Græco est, ἐκ τῶν ἄνωθεν, id est ex summo contextam per totum, textilem sine suturâ, quam idcircò non sciderunt, sed sortiti sunt cuiusnam esset tota, quam etiam, vt Euthymius sentit, verisimile est fuisse subuculam, additque veteres sentire eam Christo puero factam fuisse, vnde consequens videtur cum Christo creuisse. Alia vestimenta Christi diuiserunt in quatuor partes, pro quatuor militibus Christum crucifigentibus, rursumque sortiti sunt quis quid tolleret, vt habet S. Marcus cap. 15. Quæ autem & quot fuerint vestimenta, incertum est. Euthymius putat fuisse duo; primum videlicet supra tunicam inconsutilem, secundum exterius vestimentum quasi pallium.*

Mysticè voluit Christus Adæ & nostræ nuditatis ignominiam tegere, atque propriâ suâ ignominiâ vestire, atque per illã nobis vestes immortalitatis restituere.

Secundò etiam voluit docere, quomodo nos superuacuis huius mundi rebus nudare debeamus.

Addit hic S. Ioannes

VERS. 25. Stabant autẽ iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ.

26. Cùm vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus.

27. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam discipulus in sua.

S. LVCÆ CAP. XXIII.

VERS. 35. Et stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat, si hic est Christus Dei electus.

Diabolus cur vellet Christum à cruce descendere. 22. IDEO diabolus euitauit vt Dominus istiusmodi contumelijs pulsaretur, optabatque eum de cruce descendere, vt quandoquidem à terrâ & aëre eiectus esset, vt ille sic illæsus abiret, & mortuorum dominium retineret. Metuebat siquidem, ne, secundùm illam Scripturam, ascendens in altum crucis, captiuam duceret captiuitatem, & acciperet dona in hominibus. Suspicatus est enim, num ipse is esset de quo hoc scriptum erat. Vnde rursus concitat Pharisæos verator ille, eosque frustrà inducit, vt se credituros polliceãtur, si de cruce descenderet. Minimè autem credere volebat Pharisæos ille incredulitatis magister draco, sed Dominum mortem euitare cupiebat, non quòd discere satageret, an posset ille seipsum saluare, sed ne alijs salus efficeretur. Nouerat enim ille versutus, non moriturum quidem esse Dominum, sed illius mortem salutem & vitam futuram esse vniuersis: idcircò eum de cruce descendere cupiebat, faciebatque Pharisæos se promittere crediturus esse, si saltem fidei promissione consequeretur quæ volebat. Dominus autem reuerà Saluator, qui non sua, sed nostra quæreret, non in se saluando, sed in creaturâ redimendâ Saluator declarari cupiebat.

VERS. 36. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei,

37. & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac.

23. VIDENS diabolus omnia sua arma deiecta, nec vllum sibi esse præsidium reliquum, quod non à Domino esset contusum, secundùm illam Scripturam, Inimici defecerunt frameæ in finem; hinc ergo turbatus & anxius animi, tentauit deinde Saluatori bibendum dare acetum cum felle, non sentiens hoc ipsum contra seipsum instruere. Amaritiem enim iræ ex præuaricatione legis obortam, in quâ omnes detinebat, Domino porrexit, quam ille accipiens absumpsit & euacuauit.

ANNOTATIONES.

ET ACETVM OFFERENTES EI.] *Nota hic, non potuisse ori Christi commodè vas admoueri: itaque, vt habet S. Matthæus cap. 27. spongiam arundini circumligarunt, eamque aceto impleuerunt, vt Christus illud ex spongiâ exsugeret. S. verò Ioannes cap. 19. dicit spongiam circumpositam hyssopo, non quasi calamo, vt vult Euthymius (nam hyssopus quæ humilis est herba, etiam apud Iudæos, vt patet ex libri 3. Regum capite 4, 33. non habet tantum calamum) sed primùm extremitati arundinis, circumligarunt hyssopum, deinde in hyssopo spongiam aceti, vt Christus tam hyssopi quàm aceti succum sugeret. Circumligabant autem spongia hyssopum, quia naturalem, vt docent Medici, vim habet purgandi, maximè pulmones, & animi deliquium passos recreandi; & quia legaliter olim fiebat expiatio leprosorum hyssopo, vt describitur Leuitici cap. 14, 19. hinc hyssopus etiam fuit typus Sanguinis Christi, qui omnes fideles verè purgat, reficit & recreat.* VERS. 36

VERS. 38. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis, & Hebraicis: Hic est Rex Iudæorum.

24. VIDE autem & aliam machinam diaboli, quæ in ipsum vertitur. Qui enim tribus litterarum characteribus rebellionem Iesu diuulgarat quodammodò, vt neminem prætereuntium lateret, quasi pro- THEOPH.

ptet hoc suspensus esset, quòd Regem se fecisset, hoc iam, etiamsi oon è mente scribentis, symbolum factum est, quòd potentissimi Geotium, quales Romani, & sapientissimi quales Græci, & teligiosissimi quales Hebræi, Christi regno subijciendi essent, & ipsum prædicarent.

VERS. 39. Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac temetipsum, & nos.

40. Respondens autè alter increpabat eum, dicés: Neque tu times Deum, quòd in eâdem damnatione es.

41. Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit.

42. Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

43. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso.

CYRILLVS IEROSOL. Catechesi 13. 25. De latronibus autem qui cum illo crucifixi sunt, dictum est, Et cum iniquis reputatus est. Ac duo quidem antea erant iniqui, vous autem non vsque ad finem iniquus permansit. Alter autem ad finem iniquus, obstinatus ad salutem, manibus quidem affixus erat, sed linguâ blasphemâ verberabat. Sicut & Iudæi accedentes mouebant capita sua, illudentes crucifixum, implentes quod scriptum erat, Videbant me, mouebant capita sua. Et alter quoque latto cum illis insamat, alter autem reprehendit diffamantem. Etarque ipsi finis vitæ, principium rectè facti, traditio animæ, & acceptio salutis. Et post hanc illius reprehensionem dicit: Memento mei Domine, ad te enim mihi sermo est: relinque hunc, occæcati enim sunt mentis illius oculi: mei autem memineris. Non dico vt operum meorum memineris: hæc enim metuo. Omnis autem homo afficitur beoè comiti suo: Simul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui. Sed non dico aliter, vt mei memineris, quàm cùm veneris in regnum tuum. Quæ virtus te illuminauit, ô latro? Quis te docuit adorare contemptum, & simul cruci affixum? O lumen perpetuum, illuminans obscuratos! Ideò & iustè audit: Confide. Non quòd opera tua digna sint confidentiâ, sed quia Rex adest, qui gratiam confert. Longa erat petitio, sed celerrima gratia. Amen dico tibi, hodie eris mecum in paradiso. O ingentem & inenerrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingressus est, & latro ingreditur: nondum Moyses & Prophetæ, & iam latro iniquus ingreditur. Admiratus est re etiam Paulus, dicens: Vbi abûdauit peccatum, superabundauit gratia. Qui tulerunt æstum, nondum ingressi sunt, & qui vndecimâ horâ venit, ingressus est. Nemo murmuret contra patremfamilias, cùm ille dicat: Amice, non facio tibi iniuriâ: nónne potestatem habeo in meis facere vt volo? vellet iustè agere latro, sed veoit mors. Non tantùm opus moror, sed fidem recipio.

(Marc. 15, 28. — Christus inter latrones suspensus. — Psal. 21, 8. — Rom. 5, 20 — Matth. 20, 13.)

THEOPHYLACTVS. 26. Quærunt autem nonnulli, quomodo dicente Domino latroni, Hodie mecum eris in paradiso, Paulus dixit, quòd nullus Sanctorum receperit repromissionem. Et quidem aiuot, Paulum non de omnibus Sanctis hoc asserere, quòd repromissionem non acceperint, sed de his quos ipse dumtaxat enumerauit. Enumerauit autem alios quamplurimos, latronis verò nô meminit. Audi enim quid dicat: Hi omnes, demonstrando eos quos recenset, quibus noo est annumeratus latro. Alij autem dixerunt, quòd latro nondum sortitus sit in paradiso conuersatione, sed quia inuariabilis sit, & fallere oequeat Domini promissio, ideò dictum esse, Hodie mecum eris in paradiso. Est enim & hęc species phraseos in verbis Dominicis, vt de futuris loquatur tamquam de his quæ iam fiant, vt cùm dicit: Qui oon credit, iam iudicatus est. & rursum: Qui sermones meos audit & eredit, in iudicium non venit, sed transiuit de morte in vitam.

(Quomodo latro in paradiso. — Heb. 11, 13 — Ioan. 3, 5.)

Alij autem torquent sermonem, punctum facientes post Hodie: vt sit is sensus, Ameo dico, tibi hodie. deinde, Mecum eris in paradiso adijcientes. Quidam verò, qui maximè sensum assequi visi sunt, sic exponunt: Repromissa nobis bona non sunt ingressus in paradisum, vel ascensus, sed regnû cælorum: vnde & oramus, Adueniat regnum tuum, non conuersatio illa in paradiso. Neq; enim mihi dicat aliquis quòd idem sit paradisus & regnum. Bona enim regni neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascendit. Paradisum autè & oculus Adæ vidit, & auris audiuit de eo. Ex omni ligoo quod est in paradiso esca edes. Nam licet vnum tantum lignum interdictum sit eis, tameo & ipsum videtunt, & de ipso audierunt, & in cor hominis ascendit. Lætabatur enim in spiritu Adam, alioqui tantâ operationem cum lætitiâ in agriculturâ non obiuisset. Atque ideò non est contrarium quod Paulus dicit. Latro igitur paradisum sortitus est, non autem assecutus est regnum: assequetur autem, quando etiam omnes quos Paulus enumerauit: nunc autem impræsentiarum

(Matt. 6, 10. — 1. Cor. 2, 9. — Gen. 2, 16.)

para-

paradisum habet, qui est pars spiritalis quietis. Hæc quidem multi sæpenumerò dixerunt. Verùm dicêdum est idem esse regnum cælorum & paradisum. Nihil prohibet ergo & Dominum vera dicere, & Paulum. Nam latro quidê est in paradiso, hoc est in regno, & non solus ipse, sed etiam omnes quos enumerat Paulus, alioqui non frueretur perfectâ bonorum participatione. Nam sicut condemnati in Regijs non sunt, sed in custodijs clausi tenentur in deputatis pœnis: viri verò honorati ac nobiles & in Regiam ingrediuntur, atque in eâ versantur; deinde cùm venerit tempus distributionis Regalium donorum, illa assequuntur: ita & Sancti, tametsi non perfectè bonis fruantur, iam tamen versantur in locis lucidis, & flagrantibus ac Regijs tabernaculis, etiamsi nondum distributionem Regiorum bonorum perfectè assequantur. Ita & latro in paradiso fuit, etiamsi non perfectè acceperit, ne absque nobis perfectus sit. Et hoc opinor verissimum, ne dicam, quòd Sanctorum gratiæ in quotidianis miraculorum operationibus, paradisus meritò dictus sit, & omnes Sancti quotquot participes facti sunt spiritualium donorum, & arrhabonê habent spiritus, in paradiso sint, etsi nondum perfecti fuerint, & regnum acceperint, sicut dicit Paulus in Epistolâ ad Hebræos, etiamsi nondum promissionem acceperint. Promissionem enim dicendo, integram felicitatem posuit. At illam nondum integram acceperunt, & sunt in regno ac paradiso. Heb. 11, 39.

VERS. 44. Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam.

45. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est medium.

46. Et clamans voce magnâ Iesus ait: "Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, exspirauit. *Psal. 30, 6

47. Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat.

48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.

49. Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæâ, hæc videntes.

DIONYS. AREOP. in Ep. ad Polycarpum. 27. ERAMVS vnà ambo, & stabamus ad Heliopolim, lunam inopinatò se soli obijcientem cernebamus (neque enim coniunctionis tempus erat) rursúsque cùm eadem ab horâ nonâ ad vesperum se mediæ solis lineæ præter naturæ ordinem opponebat. Memini etiam obiectum ipsum à nobis visum esse oriri ab ortu solis, & ad solis extremum peruenire: posteà repedare: rursúsque non ab eâdem parte solis & obiectum & recessum euenire, sed recessum ab eâ quę, vt ita dicam, naturali, ex diametro erat contraria. Hæc sunt mirabilia illius temporis, quæ Christus auctor rerum omnium efficere solus potest, qui facit magna & mirabilia quorum non est numerus. *Eclipsis tempore passionis.*

28. Illud autem à studiosis oportuit inuestigari, quo modo vno eodemque tempore Dominus se tribus his dederit, nempe cordi terræ, paradiso cum latrone, Patrísque manibus. Nam ad Pharisæos quidem, Sicut, inquit, fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, sic erit filius hominis in corde terræ triduano temporis spatio. Ad latronem autem: Hodie mecum eris in paradiso. Ad Patrem verò: In manus tuas commendo spiritum meum. Nemo enim aut paradisum apud inferos esse dixerit, aut inferos in paradiso, vt eodem tempore vtrobique fuerit, aut his Patris manus indicari. Quomodo igitur eodem tempore, & apud inferos, & in paradiso Dominus fuerit, quæritur. Cuius quidem quæstionis vna solutio est, vt dicamus, nihil auiû aut inaccessum esse Deo, in quo omnia consistunt. Altera solutio est illa, ad quam nunc oratio nostra spectabat: nempe Deum, qui totum hominem per suam cum illo coniunctionem in naturam diuinam mutauerat, mortis tempore à neutrâ illius, quem semel assumpserat, parte recessisse. Numquã enim illum suorum munerum pœnitet. Diuinitas ergo voluntate quidem animum à corpore disiunxit, sed in vtroque tamen se manere demonstrauit. Nam per corpus, in quo corruptionem ex morte prouenientem non admisit, euertit eum qui habebat mortis imperium: per animum autem latroni patefecit aditum in paradisum. Vtrumque autem eodem tempore perfectum est, Diuinitate per vtramque hominis partem hæc bona præstante, vt per corporis incorruptionem mortem ipsam dissolueret, per animi verò in sede propriâ constitutionem hominibus aditum in paradisum aperiret. Quoniam igitur duplex est hominis côcretio, simplex autem atque vna Diuinitatis natura, cùm homo dirimitur atque distrahitur, Diuinitas ipsa, quæ indiuidua est, non separatur, sed contrà potiùs propter vnitatem naturæ diuinæ, quæ vtrique hominis parti ex æquo inest, quæ seiuncta separatáque erant rursum coëunt & coniunguntur. Atque ita ex partium coniun- *NYSSENVS Orat. 1. de Resurrect.* *Matth. 12, 40.* *Luc. 23, 13* *Quod Deus semel assumpsit, numquam dimisit.*

clarum diuisione mors sequitur, ex diuisarum autem coniunctione, resurrectio. Quòd si quæris, quomodo in paradiso se Patris manibus commendarit, tibi sublimis Isaias respondebit de cælesti Ierusalem, quam nihil aliud nisi paradisum esse credimus, ex Dei

Isa. 49. personâ, Descripsi muros, inquiens, tuos in manibus meis. Quare si Ierusalem, hoc est, paradisus, in manibus Patris descripta est; constat eum, qui in paradiso sit, in Patris manibus, in quibus descriptionem habet diuina ciuitas, commorari.

ANNOTATIONES.

VER. 44. ET TENEBRÆ FACTÆ SVNT.] *Nota Primò, has tenebras factas esse, non tam per densarum nubium oppositionem, vt Chrysostomus, Euthymius & Theophylactus volunt, quam per interpositionem lunæ inter solem & terram. Ita supra in Catenâ Num. 27. oculatus testis S. Dionysius Epistolâ ad Polycarpum, & epistolâ ad Apollophanem, & Phlegon Gentilis Libertus Adriani Imperatoris, magnus Chronographus, quem vide apud Eusebium anno Christi 33.*

> *Quanta tanda in eclipsi tempore crucifixionis.*

Nota Secundò, in hac eclipsi multa contigisse miracula, vt ex S. Dionysio obseruat Titelmannus lib. 7. Physicæ cap. 37. Primò quia erat Pascha, & per consequens plenilunium, quandò luna est in oppositu solis, eclipsis autem solis non fit nisi in coniunctione cum lunâ, quæ fit in nouilunio. Secundò, quia durauit ad tres horas, cum eclipsis solis cum lunâ celerrimè transeat. Tertiò, luna hic, teste S. Dionysio, subingressa est solem ab Oriente, cùm soleat ab Occidente. Quarto, luna, eclipsi finitâ, statim resiliuit, & rediit ad locum è diametro solis oppositum. Quintò, sol omnino fuit tectus, cùm tamen luna minor sit sole. Vnde eclipsis ista non fuit in solâ Iudæâ, vt vult Origenes, sed per totam terram. Ita S. Chrysostomus, & expressè S. Matthæus cap. 27. 45. Tenebræ, *inquit,* factæ sunt super vniuersam terram. *Vnde sanctus Dionysius ait se eam vidisse in Ægypto, & Phlegon suprà citato loco apud Eusebium dicit, numquam antea talem visam eclipsin. Hac autem eclipsi manifestò significata fuit tum necis Christi indignitas, tum eius Diuinitas: Deum enim morientem sol & luna, omniaque elementa quasi pullata luxerunt. Ita Dionysius.*

Interserenda hîc quædam quæ à S. Lucâ ex parte prætermissa narrat.

S. MATTHÆVS CAPITE XXVII.

VERS. 46. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magnâ, dicens:
a Psal. 21, 2 a Eli, Eli, Lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

47. Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eliam vocat iste.

48. Et continuò currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.

49. Ceteri verò dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum.

50. Iesus autem iterùm clamans voce magnâ, emisit spiritum.

51. a Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum. & terra mota est, & petræ scissæ sunt, a 2. Par. 3. 14.

52. & monumenta aperta sunt: & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt.

53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

NOTA, *verba ista Vers. 46.* Vt quid dereliquisti me, *non esse desperantis, vt notat Caluinus: clamat enim se desertum Christus, non à Diuinitate, non ab spe & gratiâ Dei, sed quia Pater eum à morte non eripiebat, nec consolatione passionem suam mitigabat. Ita passim Patres, inter quos cautè legendi Hilarius & Ambrosius ad hunc locum, cum aiunt,* Clamauit homo Diuinitatis separatione moriturus, *quod intellige separatione non essentiæ sed operationis & auxilij.*

> *Quomodo Christus sit derelictus à Patre.*

VERS. 49. VIDEAMVS AN VENIAT ELIAS.] *Videntur hærere an Elias inuocatus venturus sit, idque tum ex tenebris aliisque miraculis passionis, tum quòd Iudæi vulgò crederent, ante Messiæ Regis sui aduentum Eliam venturum esse, quod Romani hi milites à Iudæis intellexerant.*

VERS. 50. CLAMANS VOCE MAGNA.] *Græcè est* κράξας, *id est* cùm clamasset: *nec enim simul clamauit & exspirauit. Clamauit autem, vt habet S. Lucas suprà Vers. 46.* Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. *id est: Animam meam, ô Pater, depono, vel vt Græca habent* παραθήσομαι, *id est, iam iam deponam velut depositum quoddam, vt videlicet eam tertio die resuscitandus recipiam. Ita S. Ambrosius ad istum locum.*

> *Quid clamor morientis Christi innuat.*

Nota autem, Christum voce magnâ clamasse per miraculum. Vox enim moribundo deficit, idque primò, vt significaret se non infirmitate, sed voluntate suâ mori. Ita S. Hieronymus & Chrysostomus. Vnde etiam non amisit, sed emisit spiritum, vt ibidem S. Ambrosius, Hieronymus & Beda obseruant. Hinc etiam priùs inclinauit caput, quasi Dominus mortis, inquit Theophylactus. Nos enim contrà priùs exspiramus, deinde inclinatur caput. Secundò, vt significaret se esse supra hominem, imò Deum; vnde Centurio ex clamore asseruit filium Dei. Tertiò, vt ostenderet se confidenter & securè mori, certâ spe tanta gloria & fructus. Exspirauit verò Christus circa horam nonam, quâ de occidi solebat agnus, & iuge sacrificium immolabatur, & ob hoc dicta est hora orationis nona Actorum 3, 1. Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam.

VERS. 51. ET ECCE VELVM TEMPLI SCISSVM EST.] *Notat hinc S. Augustinus lib. 3. de Consensu cap. 19. velum scissum esse statim vt Christus exspirauit. S. Lucas ergo suprà Vers. 45. qui hoc tenebris Christo adhuc viuente factis iungit, anticipatione vtitur.*

Obserua autem, sicut in tabernaculo Moysis, ita & in templo Salomonis duo fuisse vela. Primum nempe ante Sanctum Sanctorum, secundum ante Sanctum, seu in ingressu templi, vt docet Iosephus lib. 6. Belli cap. 6. Putant itaque hic aliqui primum esse scissum. Sed Origenes

> *Quale velum scissum fuerit.*

genes & Hieronymus docent esse secundum: illud enim populo erat conspicuũ, non ita primum. Ait S. Hieronymus, in Euangelio Nazaræorum addi, quòd superliminare templi, quod erat ingentis magnitudinis, fractum etiam sit atque diuisum. Auditos item fuisse Angelos templi præsides clamantes, Transeamus ex hisce sedibus. *Tradit etiam S. Ephrem Sermone de Passione Domini, tunc cùm velum scissum est, columbam è templo auolare visam.*

Causa cur velum templi scissum sit. *Causas autem scissionis veli, varias assignant veteres. Primò litteralem dat Euthymius, id nimirum factum fuisse quasi templum lugens mortem Christi, vestem suam more Iudæorum sciderit.*

Secundò, moralem dat Theophylactus, videlicet templum hoc deinceps profanandum, & cum suis legalibus ritibus dissoluendum & abrogandum esse. Ita sanctus Augustinus Serm. 14 de Tempore.

Tertiò, allegoricam dant Origenes, Hieronymus, Ambrosius, & alij passim veteres, scilicet, iam velamentum legalium per Christum esse patefactum & impletum. Vt etiam Ethnici per fidem cognoscerent clarè, quæ Iudæi per tot figuras adumbrabant.

Quartò, anagogicam rationem dat Apostolus ad Hebræos. 9. nempe iam apertam esse viam in cælum.

Terræ motus in morte Christi qualis fuerit. ET TERRA MOTA EST.] *Narrat Phlegon suprà citatus, multas ædes tunc in Nicæâ Bithyniæ euersas fuisse. Erat enim maximus & vniuersalis terræ motus, vti testatur Osorius lib. 7. cap 4. Imò Didymus in Catenâ Græcâ ad cap. 9. Iob ait, hoc terræ motu totam terram conquassatam, & è centro suo fuisse conuulsam, illudque prophetatum fuisse à Iob cap. 9. 6. Illud autem factum fuisse videtur primò, vt significaretur hoc signo, vti & alibi in Scripturis, Diuinitas Christi terram concutientis, & indicaretur quasi sensus quidam terræ, tantum scelus Domino suo irrogatum indignantis. Mysticè significabatur noua terra, & nouus mundus fidelium per Christum instituendus. Secundò, indicabatur commouenda esse terrena & saxea hominum corda ad pœnitentiam. Sic etiam olim mons Sina, datâ lege contremuit.*

Monumenta in Christi morte aperta. VERS. 52. ET MONVMENTA APERTA SVNT.] *Scilicet statim à morte Christi. Hoc enim insinuat hîc Matthæus: idque decebat, vt significaretur hoc fieri vi passionis Christi, & consequenter eiusdem virtute mortem esse superatam. Ita S S. Hieronymus & Theophylactus. Nota tamen ex Origene, & eodem Hieronymo & Bedâ, hosce non resurrexisse nisi post resurrectionem Christi: id enim significat S. Matthæus ver. 53. suprà citatus, & Apostolus ad Colossenses 1, 18. qui vocat Christum primitias resurgentium.*

Causa autem horum fuisse videtur, vt nimirum Christus fidem resurrectionis suæ, & virtutem passionis per hos socios resurrectionis firmaret, scilicet animas ex inferno liberatas esse. Et mysticè, mortuos per peccata, iam per Christi gratiam esse viuificatos, & aliquando per gloriam in corpore & animâ cum Christo glorificandos. An autem hi Sancti rursum mortui sint, non est certum. Affirmant S. Augustinus Epistolâ 99. ad Euodium, Theophylactus & Euthymius in cap. 27. Matthæi, & S. Thomas 3. parte quæst. 53. art. 3. Alij verò non improbabiliter negant, tum quia hoc decentius erat & ipsis & Christo; tum quia magis miserum fuisset, rursum debere mori quàm resurgere; tum denique, quia animæ eorum iam erant beatæ, ac proinde par erat eas non vnire corporibus nisi gloriosis & immortalibus. Ita Origenes, Epiphanius Hæresi 75. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, Eusebius lib. 4. Demonstrationis Euangelicæ cap. 12. SS. Hieronymus, Anselmus, & Beda, & Remigius apud D. Thomam in Catenâ aureâ ad hunc locum. Addendum hîc quod de Christi iam mortui latere aperto narrat.

S. IOANNES CAPITE XIX.

VERS. 31. Iudæi ergo, (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.

32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.

33. Ad Iesum autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura:

34. sed vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.

35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit quia vera dicit: vt & vos credatis.

36. Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: " Os non comminuetis ex eo. "Exod. 12, 46. Num. 9, 12

37. Et iterùm alia scriptura dicit: " Videbunt in quem transfixerunt. "Zach. 12, 10.

SANCTVS AVGVSTINVS *Tract. 120. in Ioannem, hîc acutè notat, quòd nimirum* non dixit Euangelista, Latus percussit, aut vulnerauit, sed, aperuit. Vt illic quodammodò vitæ ostium panderetur, vnde Sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam non intratur. Hoc prænuntiabat quòd Noë in latere arcæ ostium facere iussus est, quà intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vira, materque viuorum. Magnum quippe significauit bonum, ante magnum præuaricationis malum. In habitu iacentis & dormientis hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt inde ei formaretur coniux, quod de latere dormientis effluxit. O mors vnde mortui reuiuiscunt! Quid isto sanguine mundius? quid vulnere illo salubrius? *Cur Christi latus apertum.* Gen. 2, 23.

S. AMBROSIVS *lib. 5. de Sacramentis,* Accipe, *inquit*, aliud tempore Dominicæ passionis. Vnus de militibus lanceâ tetigit latus eius, & de latere eius aqua fluxit & sanguis. Quare aqua? quare sanguis? aqua vt emendaret, sanguis vt redimeret. Quare de latere? quia vnde culpa, inde gratia. Culpa per feminam, gratia per Christum, &c. *Cur è Christi latere manarit aqua & sanguis.*

S. LVCÆ CAPVT XXIII.

VERS. 50. "Et ecce vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus. "Matt. 27, 57. Mar. 15, 43 Ioan. 19, 38.

51. Hic

51. Hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæâ ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.

52. Hic accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu:

53. & depositum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54. Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat.

55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæâ, viderunt monumentum, & quemadmodum positum erat corpus eius.

56. Et reuertentes parauerunt atomata, & vnguenta: & Sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum.

THEOPH. *Iosephus Arimathæus pietas.* 29. IOSEPH tametsi primò latuerit, rem tamen laude dignam nunc facit, quamuis consiliarius esset ac diues, & audet petere corpus hominis crucifixi quasi perduellis ac seditiosi, nullumque periculum suspicatur, licet periculum esset diuitiarum: sed & petit, & honorificè sepelit, & in monumento exciso vbi nullus alius iacuerat, vt ne dicant sycophantæ quòd aliud corpus surrexerit. Mulieres autem, etsi fidem habebant erga Dominum, non tamen qualem oportebat, sed infirmam ac paruam. Habebant enim eum pro puro homine, vnde & aromata & vnguenta parauerunt, iuxta veterem Iudæorum consuetudinem semper obseruatam de mortuis vngendis. Et sabbato quidem quieuerunt iuxta mandatum legis.

CYRILLVS IEROSOL. Catech. 13. *Sepulchrum Christi quale.* 30. Volumus autem apertè cognoscere vbi sepultus sit. Numquid manufactus est locus? numquid sicut Regum sepulchra eleuatus est super terram? Ex lapidibus sectis facta est sepultura. Et huic quid superponitur? dicite nobis ô Prophetæ, & sepulchri accurationē vbi ponetur, & vbi ipsum quæ-
Isa. 51, 1. ramus. Illi autem dicunt: Respicite in solidam petram, quam excidistis; respicite, & sentieris. Habes autem & in Euangelijs: In
Marc. 15, 46. monumento exciso, quod erat excisum ex petrâ. Et quid fit? quod est ostium monu-
Thren. 3, 53. menti? Rursus Propheta alius dicit: Mortificarunt in lacu vitam meam, & imposuerunt lapidem super me. Lapis angularis, electus & gloriosus, in interiori lapide positus est ad modicum tempus. Lapis offendiculi Iudæis, & lapis salutaris credentibus. Insitum igitur est lignum vitæ in terrâ, vt maledicta terra deinceps frui posset benedictione, & vt liberentur mortui ac viuificentur.

SVPPLEMENTVM.

Circa istam Christi de cruce depositionem quædam hic ab alijs omissa addit

S. IOANNES CAPITE XIX.

VERS. 38. "Post hæc autem rogauit a Matth. 27, 57.
Pilatū Ioseph ab Arimathæâ, (eò quòd Marc. 15,
esset discipulus Iesu, occultus autem 42. Luc. 23, 50.
propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu.

39. Venit autem & Nicodemus, "qui venerat ad Iesum nocte primùm, b Ioh. 3, 2.
ferens mixturam myrrhę & aloës, quasi libras centum.

40. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.

41. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouū, in quo nondum quisquam positus erat.

42. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, posuerunt Iesum.

SANCTVS AMBROSIVS *lib. 10. in Lucam*, Quid, *inquit*, sibi etiam vult, quòd non Apostoli, sed Ioseph & Nicodemus Christum sepeliunt, vnus iustus & constans, alter in quo dolus non erat? Talis enim Christi est sepultura, quæ fraudem iniquitatemque non habeat. Obstruitur igitur tergiuersandi locus, & de domestico Iudæi testimonio reuincuntur. Nam si Apostoli sepelissent, dicerent vtique non sepultum, quem raptum esse dixerunt. Iustus autem Christi corpus operit sindone, innocens vngit vnguento. Namque hæc non otiosè distincta reperimus; quia iustitia vestit Ecclesiam, innocentia gratiam subministrat. Vesti ergo & tu Domini corpus gloriâ suâ, vt & ipse sis iustus. Etsi mortuum credis, operi tamen Diuinitatis propriæ plenitudine. Vnge illud myrrhâ & aloë, vt bonus odor Christi sis. Bonum linteum misit Ioseph ille iustus, & fortasse illud quod Petrus vidit è cælo ad se esse dimissum, in quo erant genera quadrupedum, & ferarum & volucrum ad similitudinem gentilium figurata. Mystico igitur vnguento illo pistico consepelitur Ecclesia, quæ diuersitatem populorum fidei suæ communione sociauit. Iustus igitur sindone inuoluit, Israelita verò & diuersos miscet virtutum odores, & aloës mittit quasi libras centum, hoc est perfectæ fidei quantitatem. Et ligauerunt corpus Iesu iuxta consuetudinem spiritualium Iudæorum. Non vtique modis perfidiæ, sed fidei ligaturis. Et posuerunt illud in horto, cui frequenter Ecclesia comparatur, quæ diuersorum habet poma meritorum, floresque virtutum. Nec otiosè alius monumentum nouum dixit, alius monumen-

Cur Christus non ab Apostolis sepultus, sed a Ioseph & Nicodemo.

Horto in quo Christi corpus ponitur Ecclesia comparata.

numentum Ioseph. Non habebat igitur Christus tumulum suum. Etenim tumulus his paratur qui sub lege sunt mortis, victor mortis tumulū suum non habet. Quæ enim communio tumulo & Deo? Denique Ecclesiastes ait de eo: Qui meditatur in bonis, & sepultura non est illi. Specialis igitur præter communem omnium mortem mors Christi est, & ideò non cum alijs sepelitur, sed solus tumulo includitur. Omnia enim in similitudinem hominum habuit incarnatio Domini, sed similitudo erat cum differentiâ. Natus est ex virgine similitudine generationis, dissimilitudine conceptionis. Curabat ægrotos, sed imperabat. Aquâ Ioannes baptizabat, hic Spiritu. Quis autem est Ioseph cuius in tumulo ponitur? Vtique ille iustus. Benè ergo Christus in monumento ponitur iusti, vt habeat filius hominis vbi caput reclinet, & iustitiæ habitatione requiescat: benè autem nouo, secundùm litteram quidem, ne alius suscitatus à perfidis diceretur. Mysticè verò quid possumus intelligere, nisi fortè quia legimus: Sepulchrum patens est guttur eorum? Ergo sepulchrū patens est guttur hominis, in quo perfidia lethalis & mortua verba conduntur, quod per vetustatem, & incursionem aliquam bestiarum fatiscit & soluitur. Est ergo econtrariò monumentum in secretis hominum, quod sibi in pectoribus duritię gentilis, penetrabili verbo iustus excidit, fidei atque doctrinæ operibus expolitum, vt prætenderet in nationibus virtus Christi. Cui pulcherrimè lapis admotus est ne pateret. Quicunque enim in se benè humauerit Christum, diligenter custodiat ne eum perdat, néve perfidiæ sit ingressus. Vides enim quia Petrus & Ioannes priores intrare metuerunt. Denique ipse non antequam crederet, introiuit. Et benè in petrâ excisum dicitur, hoc est in fidei firmamento. De quâ veri Israëlitæ dulcedinem mellis & oleum spiritale suxerunt. Sepelierunt enim Christum iustus, & qui Deum vidit. Non enim sepelierunt Christum, nisi qui Deum credunt. Non omnes possunt sepelire Christum, &c.

Eccle. 6, 3.

Cur lapis ad ostium monumenti voluatur.

S. AVGVSTINVS *lib. 1. de Ciuitate cap. 13.* Non itaque, *inquit*, contemnenda & abijcienda sunt corpora defunctorum, maximeque iustorum atque fidelium, quibus tamquam organis & vasis ad omnia bona opera sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid huiusmodi, tantò charius est posteris, quantò erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiariùs atque coniunctiùs quàm quælibet indumenta gestamus. Hęc enim non ad ornamentum vel adiutorium quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Vnde & antiquorum iustorum funera officiosâ pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa: ipsique dum viuerent, de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filijs mandauerunt, & Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quòd vnguentum pretiosum super membra eius effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Euangelio qui corpus eius de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum sepeliendumque curarunt. Verùm istæ auctoritates non hoc admonent, quòd insit vllus cadaueribus sensus: sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis adstruendam.

Ratio Sanctorum corpora sepeliendi.

Commendatur in defunctis sepeliendis pietas.

Quasdam præterea circumstantias sepulturæ Christi magis expressè sic narrat.

S. MARCVS CAP. XV.

VERS. 42. [a]Et cùm iam serò esset factum (quia erat parasceue, quod est ante sabbatum,)

[a] Matt. 27, 57. Luc. 23, 50. Ioan. 19, 38.

43. venit Ioseph ab Arimathæâ nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei. Et audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.

44. Pilatus autem mirabatur si iam obijsset. Et accersito Centurione interrogauit eum si iam mortuus esset.

45. Et cùm cognouisset à Centurione, donauit corpus Ioseph.

46. Ioseph autem mercatus sindonem, & deponens eum inuoluit sindone, & posuit eum in monumento quod erat excisum de petrâ, & aduoluit lapidem ad ostium monumenti.

47. Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph, aspiciebant vbi poneretur.

VBI *nota, hunc Iosephum vocari nobilem decurionem. In Græco est* εὐσχήμων, *id est* consiliarius, *siquidem qui Romæ dicebatur* Senator, *in municipijs vocabatur* Decurio.

Ioseph ab Arimathæâ qualis fuerit.

BEDA *apud D. Thomam in Catenâ*, Decurio, *inquit*, vocatur, quòd sit in ordine curiæ, & officium curiæ ministraret, qui etiam curialis à procurando munia ciuilia solet appellari. Arimathæa autem est ipsa Ramathaim ciuitas Helcanæ & Samuelis, quæ interpretatur Deponens, de quâ fuit Ioseph qui venit ad deponendū corpus Christi de cruce. Talem autem esse decebat, qui corpus Domini sepeliret, qui etiam per iustitiam meritorum tali ministerio dignus esset, & per nobilitatem potentiæ sæcularis, facultatem posset obtinere ministrandi. & ideò dicitur nobilis Decurio, exspectans regnum Dei. Non enim quilibet ignotus aut mediocris ad Præsidem accedere, & crucifixi corpus poterat impetrare. Sequitur: Et inuoluit in sindone. Vbi possumus secundùm intelligentiam spiritalem hoc sentire, quòd Corpus Domini non auro, non gemmis & serico, sed linteamine puro obuoluendum sit. Hinc Ecclesiæ mos obtinuit, vt Sacrificium altaris non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreo celebretur, sicut corpus est Domini in sindone mundâ sepultum, iuxta quod in gestis Pontificalibus à B. Siluestro legimus esse statutū. Quamquam & hoc significet, quòd ille in sindone mundâ inuoluit Iesum, qui purâ eum mente susceperit.

THEOPHYLACTVS *ibidem*, Imitemur, *inquit*, & nos Ioseph, recipientes Christi corpus per vnitatem, & ponamus illud in monumēto exciso de petrâ.

Quomodo Christus spiritaliter sepeliendus.

trâ, id est, in animâ memorante, & non obliuiscente Deum. Illa enim anima est ex petrâ excisa, id est ex Christo, qui est petra, qui continet firmitatem. Inuoluere etiam debemus ipsum in sindone, id est in corpore puro suscipere. Sindon namque est corpus, quod est animæ indumentum. Decet enim non solùm purâ animâ corpus Christi suscipere, sed etiam in corpore puro. Inuoluere autem oportet, sed non operire: nam secretum clausum est & occultum.

Obserua quoque diligentiam & constantiam mulierum Mariæ Magdalenæ & sociæ ipsius, quæ, vt habet S. Matthæus cap. 27. alijs discedentibus manebant, vti satis verosimile est, plorantes, sedentes contra sepulchrum; *& vt hic Marcus ait*, aspiciebant vbi poneretur. *vt nimirum transacto Sabbato venire possent & ipsæ cum vnguentis & vngere corpus Iesu: per illam enim Nicodemi & Iosephi vnctionem non putabant satisfactum deuotioni suæ.*

Subiungit autem hic, vt ad sepulchrum instantiâ Iudæorum custodes sint adhibiti.

S. MATTHÆVS CAP. XXVII.

VERS 62. Alterâ autem die, quæ est post Parasceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatũ,

63. dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam.

64. Iube ergo custodiri sepulchrum vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore.

65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis.

66. Illi autem abeuntes, muniérunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

SANCTVS HIERONYMVS *ad hunc locum*, Non suffecerat, *inquit*, Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Pharisæis, crucifixisse Dominum Saluatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent, & signarent lapidem, & quantum in illis est manum opponerent resurgenti, vt diligentia eorum nostræ fidei proficeret. Quantò enim ampliùs reseruatur, tantò magis resurrectionis virtus ostenditur.

Christus seductor bonus spiritualiter. S. BERNARDVS *Serm. 1. in die sancto Pascha, ait:* Quid tu nuper Iudæe signabas lapidem monumenti? Verè seductor, sed pius, non malitiosus. Denique seduxisti me Domine, & seductus sum, ait Propheta vester in personâ vestrâ. Fortior me fuisti, & inualuisti. Seduxit vos, ô Iudæi, in passione: nam in resurrectione inualuit & præualuit, vincens Leo de tribu Iudâ. Etenim si cognouissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. Quid ergo facturus est? vt prædixit, iam reuixit. Diligenter explora signaculum sepulturæ, apertum est enim.

S AVGVSTINVS *in Psal. 63. ad illud*, Seductor ille, *notat, quòd* hoc appellatus sit nomine Dominus noster Iesus Christus, ad solatium seruorum suorum, quando dicuntur seductores.

VERS. 66. MVNIERVNT SEPVLCHRVM.] *Tum custodibus, tum annulo vel sigillo obsignantes; (Græcè enim est σφραγίσαντες) ne scilicet à quopiam lapis amoueri, & corpus extrahi posset. Simile quid fecit Darius Danielis 6, 17. vbi dicitur*, Allatusque est lapis vnus, & positus est super os laci: quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. *Sed dum hic etiam Iudæi hoc faciunt, auxerunt miraculum & fidem resurrectionis.*

S. LVCÆ CAPVT XXIV.

1. VNA autem Sabbati valdè dilu- Matth. 28, 1.
culo venerunt ad monumen- Marc. 16, 2.
tũ, portantes, quæ parauerant aromata: Ioan. 20, 1.
2. & inuenerunt lapidem reuolutum
à monumento.
3. Et ingressæ non inuenerunt corpus Domini Iesu.
4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti.
5. Cùm timerent autem, & declinarent vultũ in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis viuum cum mortuis?
6. non est hîc, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæâ esset,
7. dicens: Quia oportet filium ho- Matt. 17, 23.
minis tradi in manus peccatorum, & Marc. 9, 31.
crucifigi, & die tertiâ resurgere. Luc. 9, 22.
8. Et recordatæ sunt verborũ eius.
9. Et regressæ à monumento nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & ceteris omnibus.
10. Erat autem Maria Magdalenæ, & Ioanna, & Maria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc.
11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista: & non crediderunt illis.
12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum: & procumbens vidit linteamina sola posita, & abijt secum mirans quod factum fuerat.

1. VOCAT vnum sabbatorum, THEOPHYL. primam dierum sabbati, hoc est, hebdomadæ primam diem, quæ à nobis propter Resurrectionẽ Domini Dominica appellatur. Secundùm illam igitur

igitur venerunt ad monumentum mulieres, ferentes aromata. Venerunt autem crepusculo profundo, quod vesperè Sabbatorum
Matt.28. nominat Matthæus. Profundum enim crepusculum idem est quod valdè vespere. Inuenerunt autem lapidem deuolutum. Angelus enim deuoluerat eum, vt Matthæus ait. Porrò ingressis illis duo viri apparent: vnus quidem apud Matthæum sedebat super lapidem, hîc autem duo viri intra monumentum steterunt. Variæ enim visiones sunt. Fulgurantibus autē vestibus apparent, ob splendorem resurrectionis. Et recordari illas faciunt eorum quæ à Christo dicta fuerunt, quòd eum oportuerit, hoc est necessarium fuerit, tradi in manus hominũ peccatorum, Romanorum scilicet, qui Gentiles erant & abominabiles: & tertiâ die resurgere. Reuersæ verò à sepulchro, cùm Apostolis hæc dicerent, visæ sunt delirare, adeò incredibile videbatur hominibus resurrectionis miraculum. At Petrus non cessat, quemadmodum neque ignis materiam nactus: sed venit ad sepulturã, & videt sola lintea: & tunc hanc vtilitatem primùm accepit à transitu ad sepulcrum, quod miratus sit. Abijt enim, inquit, ad seipsum, hoc est, secum admirans factum. Quomodo autem sudaria sola fuerint relicta, idque corpore myrrhâ iniuncto? quomodo tantum otij habuisset fur, vt relictis illis quibus inuolutum erat, furatus fuisset corpus, idque militibus sedentibus? Mariam verò Iacobi, Deiparam intellige: sic enim illam nominabât, quem putabatur mater Iacobi filij Ioseph, quæ & Paruum dicebant, fratrem inquam Domini. Erat enim etiam alius maior, Zebedæi filius.

SVPPLEMENTVM.

In ijs quæ circa Christi resurrectionem, sepulchri visitationem, & Angelorum apparitionem, narrat hîc S. Lucas, supplent eum alij Euangelistæ:

S. MATTHÆVS CAP. XXVIII.

Marc.16,6 Ioã.20,1. VERS. 1. Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria, videre sepulchrum.

2. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descẽdit de cælo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum.

3. Erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius sicut nix.

4. Præ timore autem eius, exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui.

5. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quòd Iesum, qui crucifixus est, quæritis:

6. non est hîc: Surrexit enim, sicut dixit. Venite, & videte locum, vbi positus erat Dominus.

7. Et citò euntes dicite discipulis eius quia surrexit: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis.

S. MARCVS CAP. XVI.

VERS. 1. Et cùm transisset Sabbatum, Matt.28,1 Luc.24,1. Ioan.20,1.
Maria Magdalenæ, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.

2. Et valdè manè vnâ Sabbatorum, veniunt ad monumentũ, orto iam sole.

3. Et dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?

4. Et respicientes viderunt reuolutum lapidẽ. Erat quippe magnus valdè.

5. [a] Et introeuntes in monumentum [a] Matt.28,5 Luc.24,4. Ioã.20,12.
viderunt iuuenem sedentem in dextris, coopertum stolâ candidâ, & obstupuerunt.

6. Qui dicit illis: Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenũ, crucifixum: surrexit, non est hîc, ecce locus vbi posuerunt eum.

7. Sed ite, dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, [a] sicut dixit vobis. [a] Marc.14, 28.

8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tremor & pauor: & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.

Caput 16. Marci Canonicũ est.

NOTA *Primò, S. Hieronymum Epistolâ ad Hedibiam dicere, totum caput hoc S. Marci in multis codicibus non reperiri, & ab aliquibus de eius auctoritate dubitari: sed fidei est esse Canonicum, & pro tali habendum esse definit Tridentinum sess. 4.*

Christum surrexit post mediã noctem.

Nota Secundò, Communem esse Patrum sententiam, Christum post mediam noctem ante solis ortum surrexisse. Alioquin enim à mulieribus mortuus inuentus fuisset, idque vt, sicuti olim ille tempore est natus, ita & iam renatus per resurrectionem nouus iustitiæ sol orbi illucesceret. Vnde & Christiani olim post

mediam

mediam illam noctem soluebant ieiunium, & Vigiliarum cœtum, & magna lætitiæ signa dabant, teste Euthymio. Non videtur tamen statim in mediâ nocte surrexisse, vt docet Suarez in 3. partem D. Thomæ, disp. 46. sectione 1. quem vide.

S. Matthæus vers. 1. habet, Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati. *S. verò Marcus vers. 2. ait,* orto iam sole *mulieres ad monumentum venisse. Pro quorum conciliatione respondet Primò Baronius, S. Matthæū per vesperam accipere stellam quæ dicitur* Lucifer, *Varroni* Vesperugo. *q.d. Cum Lucifer manè ante solem oreretur, venerunt mulieres. Sed hoc non respondet Græco* ὀψὲ, *nec Latino* vesperè.

Secundò S. Hieronymus in caput 28. Matth. putat mulieres sæpiùs iuisse ad sepulchrum, & Euangelistas alios alias referre voces.

Tertiò S. Ambrosius lib. 10 in Lucam putat alias atque alias fuisse mulieres, ac consequenter alios egressus, aliasque historias.

In tempore, quando Christus surrexerit, conciliātur Euāgelistæ.

Verùm Euangelistas diligenter conferenti, probabilius videtur, vesperam Sabbati esse noctem quæ sequebatur Sabbatum. Ita Nyssenus Oratione 2. de Resurrectione, & alij, vnde Græcè est [illegible] *id est* sero Sabbatorium, *seu transacto iam Sabbato, vt vertit Nyssenus, & ex eo Ambrosius, quæ nox* lucescit in primâ Sabbati, *id est manè diei Dominicæ. Voluit enim Matthæus multa breuiter perstringere, scilicet tempus quo venerunt feruentes mulieres, seque comparârunt vt emerent aromata ad visendum & vngendum Christum, quod erat vespere siue statim transacto Sabbato, quo debuerant quiescere. Nam & ante Sabbatum in fine parasceues se parare incipiebant, vt habet S. Lucas suprà cap. 23, 56. Voluit secundò, & vel maximè, Matthæus innuere tempus quo ad sepulchrum venerunt, scilicet lucem, seu manè diei Dominicæ; & hoc significat Marcus vers. 2. dicens,* Orto iam sole, *scilicet oriri incipiente, siue* diluculo, *vt habet Lucas cap. 24, 1. ipso sole necdum, sed radiis eius reflexis duntaxat apparentibus. Vnde S. Ioannes cap. 20. ait,* Cùm adhuc tenebræ essent; *tunc enim aliquæ adhuc restant, diluculum enim est confinium lucis ac tenebrarum.*

Cur terræ motu reuolutus lapis.

VERS. 4. *Marci:* VIDERVNT REVOLVTVM LAPIDEM.] *Scilicet per terræ motum factum ab Angelo, vt habet Matthæus suprà vers. 2. Vbi*

Nota Primò, Terræ motum esse factum, vt significaretur potentia Christi resurgentis, quasi Dei dominantis terræ, inferis & cælo.

Secundò, vt mulieres Angelum non tantùm specie, sed & ex hoc terræ motu agnoscerent, faciliusque Christi resurrectioni fidem haberent.

Tertiò, vt custodes excitarentur, & testes essent, Christum diuinâ virtute resurrexisse. Ita S. Chrysostomus.

Nota Secundò, Christum ante terræ motum clauso sepulchro resurrexisse, Angelum tamen posteà cum terræ motu lapidem amouisse, vt signum daret, Christum Deum ac Dominum suum iam resurrexisse, & vt aditum mulieribus ad sepulchrum panderet. Ita Patres passim.

Quare quod S. Leo Epist. 83. ait, Christum reuoluto lapide tertio die resurrexisse, *rectè docti explicant illud,* reuoluto lapide, *non causam esse præuiam, sed signum & effectum veræ resurrectionis Christi: agit enim contra eos, qui omnia Christo phantasticè attribuebant. Hinc patet, Christum simul potentiâ esse posse in Eucharistiâ. Quod autem respondent aliqui hæretici, lapidem quasi ceram cessisse Christo resurgenti, ridiculum est, & contra sensum Ecclesiæ ac Patrum, neque tamen nimis mirabile. Si enim potest Deus lapidem in ceram vertere, vel ei ceræ mollitiem dare, cur non possit etiam corpori spiritalem existendi ac penetrandi modum concedere?*

Lapis quid designet.

Moraliter hic pulchrè S. BERNARDVS *Serm. 15. in Paruis.* Lapis, *inquit,* iste, vel nimia tristitia, vel pigritia, vel duritia, quæ dum cordis aditū obstruit, frustrà ad vngendum mortuum, mens vel manus, vel lingua cum quibuslibet aromatibus venit. Sed quoniam scriptum est, Præparationem cordis eius audiuit auris tua; vident lapidem reuolutum, introëunt in monumentū, & quem vngere volebant mortuum, audiunt suscitatum. Quis hoc indicat? quis hoc prædicat? Angelus vtique testis resurrectionis. Videtur scilicet huius, in quo Cheistus resurrexit, vultus lætior, aspectus venustior, sermo purior, incessus modestior, & ad omne opus bonum spiritus promptior: quæ omnia quid sunt aliud, quàm quidam internæ resurrectionis hilaris nuntius?

Resurrectionis internæ nuntius.

Angeli cur in formâ iuuenum plerumque appareant.

Vnde sequitur versu 5. Marci, VIDERVNT IVVENEM COOPERTVM STOLA CANDIDA.] *Notat S. Dionysius de Cælesti hierarchiâ cap. 5. Angelos quasi iuuenes apparere & pingi, vt eorum numquam senescens, & semper vigens vis vitalis, & simul immortalitas significetur. Secundò hic, vt immortalitas etiam & gloria Christi resurgentis indicetur, in cuius rei symbolum etiam in candido vestitu apparuit. Vbi simul obiter aduerte, Angelos & Christum mutare situ̅, formam, habitum, &c. prout rebus & circumstantiis competit. Vnde S. Matthæus suprà vers. 3. ait* Erat aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix. *Ad quod ita pulchrè*

Angelorum apparitio bonis amabilis, malis terribilis est.

S. GREGORIVS *Hom. 21 in Euangelia,* In fulgore, *inquit,* terræ timoris est, in niue autem blandimentum candoris: quia verò omnipotens Deus, & terribilis peccatoribus, & blandus est iustis, rectè testis resurrectionis eius Angelus, & in fulgore vultus, & in candore habitus demonstratur, vt de ipsâ suâ specie & terreret improbos, & mulceret pios.

Aspectus autem Angelicus, *inquit* TATIANVS, ceu fulgur custodum animos vsque adeò exterruit, vt à mortuis nihil differre viderentur. *De spirituum & Angelorum apparitionibus vide plura superiùs in Catenâ ad c. 1. S. Lucæ, Num. 11. ex Athanasio in Vitâ S. Antonij.*

Nota autem, hanc mulierum ante Apostolos ad sepulchrum Christi perfectionē, quando Angelos ibidem viderunt, esse primam, eamque vnicam & eamdem, quæ narratur ab omnibus Euangelistis, vti patet illos accuratè inter sese conferenti, maximè S. Lucam cum S. Ioanne. Sunt tamen multa hic in speciem antilogia, quæ sic conciliantur.

Prima est, quod S. Ioannes cap. 20. solam Mariam Magdalenen nominat. Ad quod respondetur, illam ibi solam nominari, quia nimirum dux erat reliquarum, & feruentior cæteris. Nam illi S. Matthæus addit Mariam Iacobi, S. Marcus Salomen, S. Lucas v. 10. his tribus addit Ioannam vxorem Chusæ Procuratoris Herodis, & ceteræ, *inquit,* quæ cum illis erant.

Secunda, quòd nimirum S. Matthæus & Marcus vnum tantùm Angelum visum dicant, S. Ioannes verò & Lucas duos. Ad quod dicendum, duos esse visos, sed vnum solum pro duobus esse locutum, quem idcirco nominent Matthæus & Marcus. Lucas ergo cùm dicit duos esse locutos, loquitur [illegible]*.*

Tertia

Tertia est, quòd Matthæus dicit Angelum sedisse super lapidem reuolutum, id est extra sepulchrum (lapis enim claudebat exteriùs sepulchrum) ibique visum esse à custodibus. Marcus vero & Lucas dicunt visum mulieribus, non extra sed intra sepulchrum. Ad hoc probabiliter respondetur, Angelũ primò remouisse lapidem qui ostiũ cryptæ, in quâ sepulchrum erat, exteriùs claudebat, & tunc situ suo exterruisse custodes foris existentes. Deinde amouisse lapidem qui ipsum sepulchrum claudebat, illique insedisse, atque ita visum esse à mulieribus intra cryptam sepulchri. Duplicem enim hunc lapidem ponit S. Augustinus lib. 3. de Consensu cap. 24. & alij testes item oculati, ut Beda & Brocardus.

Quarta videtur, quòd Marcus & Matthæus dicunt Angelum sedisse, Lucas stetisse. Ad quod respondetur, stare apud Hebræos significare quemuis situm, tantùm enim significat rem esse præsentem.

Quinta, quòd Matthæus significet primò visum Angelũ inuitasse eas, dicens: Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus. *Lucas verò dicit primùm ingressas non inuenisse corpus Christi, & dum super hoc consternarentur, apparuisse Angelos. Respondetur ad illud, eas primo ingressu confusè vidisse corpus Domini esse sublatum, & inde consternatas fuisse: deinde Angeli ostenderunt se eis, consolantes illas, quæ vultu erant deiecto, & iam visis Angelis obstupefactæ constiterant, easque inuitant ad claram & fidentem sepulchri inspectionem, dicentes:* Venite, *&c. id est, accedite propiùs, fidentiùs & certiùs intuemini.*

Sexta est, quia S. Ioannes dicit, Magdalenam redeuntem tantùm dixisse Petro, tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum: *Lucas verò ait,* Et regressæ nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, *& per consequens etiam visionem Angelorum. Verosimiliter hic responsum videtur, mulieres fuisse pauidas & dubias, ideoque nemini, scilicet in viâ, quidquam dixisse, vt habet S. Marcus. Hinc etiã, & quia non adhuc satis firmiter Christum resurrexisse credebãt, licet hoc Angeli eis dixissent, modo visionem Angelorum narrant, modo suam sententiam proloquuntur, quâ putabant corpus Domini esse sublatum. Hoc secundum, quia ab alijs prætermissum, narrat.*

S. IOANNES CAP. XX.

Matt. 28, 1 Marc. 16, 1 Luc. 24, 1. VERS. 1. Vnâ autem Sabbati, Maria Magdalenę venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum: & vidit lapidem sublatum à monumento.

2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum.

3. Exijt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum.

4. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum.

5. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit.

6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita,

7. & sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum.

8. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit:

9. nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere.

10. Abierunt ergo iterùm discipuli ad semetipsos.

11. [a] Maria autẽ stabat ad monumen- [a] Matt. 28, 1
tum foris, plorans. Dum ergo fleret, in- Marc. 16, 5 Luc. 24, 4.
clinauit se, & prospexit in monumentũ:

12. & vidit duos Angelos in albis, sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.

13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum; & nescio vbi posuerunt eum.

14. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat quia Iesus est.

15. Dicit ei Iesus, Mulier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi vbi posuisti eum; & ego eum tollam.

16. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.)

17. Dicit ei Iesus: Noli me tangere, nondũ enim ascendi ad Patrem meũ: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.

18. Venit Maria Magdalene annuntians discipulis: Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi.

NOTA *hic, non solam Magdalenen, sed & ceteras eius socias, vt Lucas suprà v. 10. refert, visis & auditis Angelis rediuisse ad Apostolos, & statim Petrum & Ioannem cucurrisse ad sepulchrum, eosdemque denuò mulieres istas fuisse subsecutas: denique lustrato monumento, Petro & Ioanne, reliquisque deinde mu-*

lieribus discedentibus, solam Magdalenam, vtpote ceteris feruentiorem, remansisse, cui proinde primùm, vt ait Marcus, Christus apparuit, & vt suprà vers. 15. S. Ioannes notat, specie hortulani. Hac autem visione habitâ, vt Chrysostomus in caput vltimum Matthæi obseruat, rursum socias mulieres ad discipulos proficiscentes subsecuta, secundò vnà cum ijs in viâ vidit Christum occurrentem, & dicentem, Auete, vt narrat in hac verba

S. MATTHÆVS CAPITE XXVIII.

VERS. 8. Et exierunt citò de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius.

9. Et ecce Iesus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.

10. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. ite, nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.

11. Quæ cùm abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia quæ facta fuerant.

12. Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus,

13. dicentes: Dicite quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, nobis dormientibus.

14. Et si hoc auditum fuerit à Præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus.

15. At illi, acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos, vsque in hodiernum diem.

Prima Christi apparitio facta Matri.

NOta autem, inter hasce Christi post resurrectionem apparitiones, tametsi à S. Marco cap. 16, 9. prima Mariæ Magdalenæ exhibita dicatur, non dubitandum tamen esse, quin ante Magdalenam Matri suæ, cui ante omnes multis titulis hæc consolatio debebatur, sese gloriosius ostenderit, vt secundùm multitudinem dolorum, quos ex passione dilectissimi sui filij sustinuerat, consolationes resurrectionis eiusdem lætificarent animam eius, vt pulchrè

RVPERTVS *Abbas lib. 7. de Diuinis officijs, loquens de resurrectione Domini, ait:* Rectè à maioribus nostri ordinis traditum est, quod hactenus pro lege fixum atque inconuulsum conseruatur, vt in Processionibus cunctis per annum Dominicis beatæ Dei Genitricis memoriam primâ statione visitemus, decantando quodlibet quod eius proprium sit: eaque salutatâ & Oratione dictâ, tum demum Processionem ordine peragamus. Sicque feruente sacræ Religionis studio prouisum est, vt infra claustrum habeatur eiusdem beatæ Virginis diuersorium, scilicet sacratum in ipsius honore, maximè propter hoc ipsum proprium nominis eius Oratorium. Quid Euangelicæ fidei conuenientius Christiana sedulitas comminisci potuit? quid pulchrius, quid venerabilius, quàm congratulari matri virgini super resurrectione Vnigeniti, iam non morituri, in cuius passione gladius animam eius pertransiuit? Luc. 2, 35. Perpendere gestit Christiana deuotio, quantus torrens gaudij repentè inundans, locumque vulneris replens, animam eius ferro doloris confossam inebriauit, cùm rediuiuus filius, illi ante omnes fortasse mortales, materno virginem non defraudans honore, victoriam suam annuntiauit, & dulcia carnis suæ vulnera, quàm illa veram de carne suâ carnem conceptam peperit, deosculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Euangelio referenti, quòd surgens Iesus primò Mariæ Magdalenæ apparuit? Absit. Sed omnibus, Marc. 16, 9 beatam Virginem matrem excipimus, testibus præordinatis, quos solos nominare ad Euangelistas pertinuit, vel quos Christi resurrectionem annuntiare decuit. Numquid illum nuntiare decebat, vt verba eius tamquam deliramenta viderentur ante Apostolos? si enim extranearum verba feminarum visa sunt eis tamquam deliramenta, quomodo non magis matrem amore filij delirare crederent? Verissimè ergo matri filius resurgens apparuit, sed illa, vt ab initio ceperat, ita & nunc conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. Luc. 2, 19. Quòd si idcircò verum non videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, consequens est quòd numquam post resurrectionem suam visus sit matri, quia quando vel vbi apparuerit illi, nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui in lege Exod. 20, 12. suâ patrem & matrem honorare præcepit, absit, inquam, vt matrem propter se doloris gladio transuerberatam, tam durâ negligentiâ talis filius inhonorauerit. Non sic Apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensit veritas, quæ hanc beatam Ierusalem in Psal. 127, 5 principio lætitiæ suæ proposuit. Nam cùm hac primâ die Paschæ stationem ad hanc, de quâ loquimur, sanctam Mariam Missæ officio præscripsit, quid aliud quàm Ierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit? si enim omnis anima timens Dominum sic benedicitur, vt videat bona Ierusalem, & videat Luc. 1, 28. filios filiorum suorum, pacem super Israel; & ideò dicitur & est ipsa quoque Ierusalem, quod est visio Ephes. 2, 14 pacis; quantò magis ita ter quaterque beata Virgo dicenda est Ierusalem, quæ benedicta inter omnes Cant. 6, 8. mulieres, vidit filium suum pacem super omnem verum Israel, scilicet Christum, de quo Apostolus ait: Ipse est enim pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Ipsa præ omnibus, ipsa ante omnes vidit hanc nostram pacem, ipsa est Ierusalem, pulchra, electa, suauis & formosa, quam viderunt filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudauerunt. Dum ergo hanc hodiernâ statione Sancta Romana Ecclesia in principio lætitiæ suæ, vt dictum est, proposuit, non hoc æstimauit, quòd pacem super Israel venientem, id est, filium suum, propter iustificationem nostram resurgentem, ipsa non viderit. Sed vt ad propriam de quâ suprà dictum est, hodiernæ & omnium Dominicalium Processionum causam sermo recurrat, numquid vel tunc quando vndecim discipuli abierunt in Galilæam, in montem, sicut Matth. 28, 16. constituit illis Dominus Iesus, hanc beatam, de quâ loquimur, Mariam præterierunt, & absque illâ videntes eum adorauerunt? Imò non aliàs quàm in

Cur Euangelistæ sileant apparitionem B. Virgini primò loco factam.

domum

domum illios, oon alium in montem abierunt vt viderent eum, quàm in illum, super quem ciuitas eius Nazareth sita erat, sicut iam dictum est. Igitur pulchrè & laudabiliter, vt suprà diximus, traditum est à nostris maioribus, vt io hodiernâ, cunctisque per annum Dominicalibus Processionibus, beatæ Dei Genitricis memoriam primâ statione visitemus, eamdem ob causam, quâ hodiernæ Missæ officio statio ad sanctam Mariam præscribitur, vt eam, sicut iam dictum est, in principio lætitiæ nostræ proponamus, illud de Canticis recolentes, nonum nouæ Ecclesiæ sponsum, mox vt resurrexit,
Cant. 4,6. dixisse oon vanè arbitrantes: Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Quâ enim sui corporis parte altiùs, post ipsum caput suum Christum, Ecclesiæ sublimitas eminuit, quàm singularibus huius Reginæ Angelorum meritis, cuius ex carne sine viro Christus, vt lapis de moote sine manibus,
Dan. 2,34. est editus? Et quo in vertice montium tantum myrrhæ, id est mortificationis, cum thuris, id est piæ orationis odoribus inueniri potuit, quantum in huius beatæ Virginis animâ, quam singulariter Dominicæ passionis gladius pertransierat. Ad hunc ergo montem myrrhæ vadimus & nos, sæpè dictâ statione ad sanctam Mariam diuertentes, & ipsa quoque eloquia cerui emissi, de quo suprà dictum, eloquia pulchritudinis, quibus illic de baptizandis omnibus Gentibus mandauit, exultantes mysticè depromimus, hac die cantando: Tota pulchra es. Nota namque omnium pænè scientia Doctorum est, nouam his verbis Ecclesiam inuitari vt surgat, & properet Apostolica, quæ tunc numero parua erat, Ecclesia de Libano venire, id est, candidatione Baptismi Gentes ad Christum adducere, Mariâ matre fidei oostræ adiuuante, id est, omnia verba hæc, quæ hactenus conseruabat in corde suo, iam aperiente.

Secunda apparitio facta Magdalenæ. *Illa itaque apparitio quam sub formâ hortulani ad Mariam Magdalenam factam narrat S. Ioannes supra cap. 20. secunda fuit, in quâ notandum, quod Christum se tangere volentem prohibuerit, dicens Vers. 17.* Noli me tangere, nondum enim ascendi; *cuius prohibitionis varias rationes reddunt Patres.*

Cur Magdalena Christi co[n]tactus prohibitus sit. *Primò* S. AVGVSTINVS *in Tract. 121. in Ioannem, sic explicat:* Noli me tangere, id est, Noli in me sic credere quemadmodum adhuc sapis. noli tuum sensum huc vsque pertendere quod pro te factus sum, ne non transire valeas ad id per quod facta es. Quomodo enim non carnaliter adhuc in eum credebat, quem sicut hominem flebat? Nondum enim ascendi, inquit, ad Patrem meum. Ibi me tanges, quando me credideris Patri non imparem Deum. Eius quippe intimis sensibus quodammodò ascendit ad Patrem, qui sic in eo profecerit vt Patri agnoscat æqualem: aliter non rectè tangitur, id est, aliter non rectè in eum creditur. *Sed hoc mysticum est.*

Secundò S. CYRILLVS *lib. 12. in Ioannem cap. 50.* Quia, *inquit*, nondum Spiritum miserat, ideò à tactu suo Mariam prohibebat, dicens: Nondum adscendi ad Patrem meum, id est, Nondum Pater per me Spiritum sanctum ad vos misit. *Additque per hanc prohibitionem contactus significari, neminem ad corpus suum iam gloriosum etiam in Venerabili Sacramento tangendum accedere debere, nisi priùs accepto Spiritu sancto, quem hic Apostolis nondum miserat. Sed sic nec aliæ mulieres, nec Thomas aut alij debuissent Christum tangere.*

Tertiò S. CHRYSOSTOMVS *Hom. 85. in Ioannem ait, Magdalenæ contactum Christi prohibitum fuisse, quia volebat iam magis reuerenter ab eâ tangi quam antè. Sed parum credibile videtur, Mariam, Christi obseruantissimam, in hac reuerentiâ defecisse. Adde, quòd tum ratio illa, quam subiungit dicens,* Nondum enim ascendi, *nullam vim habere videatur.*

Quartò S. Iustinus Martyr quæst. 48. illud Noli me tangere, nondum enim ascendi, *sic explicat, ac si dicat Christus, licet nondum ascenderim, breui tamen ascendam, vt sequitur. volo enim te & alios à consuetudine & præsentiâ meâ sensim abducere. Sed hoc etiam nonnihil obscurum videtur & inuersum.*

Quintò itaque, & vt mihi videtur, meliùs alij tangere hic sumunt in actu omnino perfecto. Quasi dicat, Noli in hoc meo contactu immorari, & in osculis pedum diutiùs dissuauiari; sæpiùs enim posteà id licebit. Nondum enim ascendi, *per Hebraismum, id est, nondum enim ascendo, vel ascendam tam citò. Idcircò propera tum ad alias mulieres, tum ad fratres meos, & dic illis me resurrexisse, & intra breue tempus ascensurum ad Patrem; priùs tamen ab ijs videndum & consalutandum. Ita Suarez in 3. parte disp. 49. sect. 3.*

Moralem causam dat Epiphanius Hæresi 26. scilicet quòd Christus ob exemplum purissimæ castitatis non permiserit Mariam se contingere, quia videlicet sola erat cum solo. Vndè paulò pòst in præsentiâ & consortio aliarum mulierum id permisit.

Allegoricè Rupertus docet Mariam hîc gessisse figuram Ecclesiæ ex Gentibus congregandæ, quæ non contactu corporali, vt Iudæi, sed spiritali, id est fide ad Christum post ascensionem eius erat peruentura. Quâ de re multa Petrus Chrysologus Serm. 75. & seqq.

Denique valdè probabile est quod docet S. Augustinus lib. 3. de Consensu cap. 24. Magdalenam hîc viso Christo festinasse, & assecutam alias mulieres fluctuantes, atque idcircò lento passu progredientes, & interdum subsistentes tamquam attonitas, vnde Magdalena illas facilè assequi potuit; ibique secundo cum illis Christum vidisse & adorasse, vt satis colligitur ex Matthæi capitis vltimi vers. 9. suprà citato. Quæ fuit tertia Christi apparitio. Quarta autem fuisse videtur illa, quâ apparuit Petro, de quâ Lucas infrà vers. 34. vbi vide Annotationes. *Tertia apparitio.* *Quarta & quinta apparitio.*

Quinta verò duobus discipulis in castellum Emaus tendentibus facta est, quam sic describit

S. LVCAS CAPITE XXIV.

VERS. 13. * Et ecce duo ex illis ibant *Marc. 16, 12.
ipsâ die in castellum, quod erat in spa-
tio stadiorum sexaginta ab Ierusalem,
nomine Emaus.
14. Et ipsi loquebantur ad inuicem
de his omnibus quæ acciderant.
15. Et factum est, dum fabularentur,
& secum quærerent: & ipse Iesus ap-
propinquans ibat cum illis:
16. oculi autem eorum tenebantur
ne eum agnoscerent.
17. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermo-
nes, quos confertis ad inuicem ambu-
lantes, & estis tristes?

18. Et reſpondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in illâ his diebus?

19. Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone, coram Deo & omni populo:

20. Et quomodo tradiderunt eum ſummi Sacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.

21. nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael: & nunc ſemper hæc omnia, tertia dies eſt hodie quòd hæc facta ſunt.

22. Sed & mulieres quædam ex noſtris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum,

23. & non inuento corpore eius venerunt dicentes ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicunt eum viuere.

24. Et abierunt quidam ex noſtris ad monumentum: & ita inuenerunt, ſicut mulieres dixerunt, ipſum verò non inuenerunt.

THEOPH. *Chriſti apparitio in humanu.* 2. NONNVLLI vnum ex duobus illis Lucam ipſum fuiſſe dicunt: idcircò & abſcondit nomen ſuum Euangeliſta. Loquebantur autem inter ſe iſti de omnibus quæ acciderant, non vt credentes, ſed vt dubitantes, & de rebus mirabilibus ſtupeſcentes, nec ſtatim rei tam admirandæ ſententiâ ſuâ accedentes. Ieſus autem cùm appropinquaſſet, ſimul iuit cum eis, ſpiritale ac diuinum corpus nunc habens, non impediebatur locorum interuallis, quò minus adeſſet his quibus volebat. Idcircò ex lineamentis corporis, in quibus tunc apparebat, non permittebantur agnoſcere illum. Nam ſicut
Marc 16. Marcus ait, in aliâ formâ apparuit: nempe vt ambiguam ſuam ſententiam reuelarent, vt vlcus detegerent, & pharmacum ſuſciperent, vt dulcior eis poſt multam moram eſſet: vt doceret ex Moyſe & Prophetis, ac tunc agnoſceretur. Magnum autem hinc lucrum faciunt, quòd non vltrò dubitant quare non iterum in medijs populis verſetur, conſiderantes quòd conuerſatio poſt reſurrectionem ſuam longè alia ſit, & non communis, non qualis hominum, ſed diuinior, in typum futuræ reſurrectionis, in quâ ſicut Angeli & filij Dei conuerſabimur. Propter hoc tenebantur oculi eorum ne eum agno-

ſcerent. A quibus enim volebat, videbatur. Cleophas verò comiti itineris obijcit: Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem. Vide quàm patuam de Domino opinionem habebant: virum enim Prophetam eum nominabant, qualis Elias fuerat vel Moyſes, potentem in opere & ſermone. Primùm opus, & deinde ſermo. Nullus enim ſermo doctoris firmus eſt, niſi priùs docens ſe factorem declaret. Potens igitur eſto primùm in opere, deinde & verbi ſollicitudinem habeto, ſic & Deus cooperabitur tibi. Priùs enim opus, & deinde contemplatio atque illuſtratio. Niſi ſpeculum purgaueris in labore & ſudore, numquam deſideratam pulchritudinem in ſpeculo ſuſcipies. Beati enim mundo corde; hoc Matth. 5, 8
fit per opera: quia ipſi Deum videbunt; hic contemplationis finis eſt. Oportet autem eſſe potentem in opere & ſermone coram Deo, & tum coram omni populo: primùm enim placere debemus Deo, deinde danda opera, vt etiam inter nos ſine maculâ viuamus, quantum fieri poteſt. Et neque inprimis quomodo hominibus placeas, ſed quomodo ſeruias Deo, ſtudendum; neque viuendum vt multis ſis ſcandalo, ſed & hoc poſt illud prouidendum, quod & Sapiens Prou. 10.
dicit: Prouide bona coram Deo, deinde & 2. Cor. 8, 21
coram hominibus, quod & ipſum Paulus monet.

ANNOTATIONES.

Quomodo oculi diſcipulorum detenti ſint. OCVLI EORVM TENEBANTVR, NE EVM AGNOSCERENT.] *Vbi nota, Caietanum dicere hoc factum per interiorem ecſtaſin, ſeu per abſtractionem & diſtractionem phantaſiæ diſcipulorum. Sed hoc non ſatis congruit Marco, qui ait cap. 16. oſtenſum eſſe illis in alia effigie. Vnde ſecundò S. Auguſtinus epiſt. 59. quæſt. 8. ait hoc factum per immutationem faciei Chriſti quoad lineamenta & figuram, aut certè colorem & lucem, vti factum eſt in tráſfiguratione. Sed hoc non ſatis reſpondet dignitati corporis glorioſi quod ſtabiliter immutabile, inalterabile, & incorruptibile eſt. Vnde retractat hoc S. Auguſtinus lib. 3. de Conſenſu cap. 25. atque in oculis diſcipulorum a dæmone fuiſſe impreſſum humorem aliquem, vel caliginem oculos eorum turbantem, ne Chriſtum agnoſcerent. Verùm videtur omnino hæc fuiſſe Chriſti actio, non dæmonis, vti cùm Magdalenæ apparuit ſpecie hortulani.*

Verosimilius itaque hoc factum ex eo quòd corpus Chriſti in ſe licet immutatum manens, tamen quia Verbo vnitum & glorioſum erat, poteſtatem etiam habebat ſeſe occultandi, vti & viſum intuentium immutandi prout ei libebat, idque vel diuaricando ſpecies, vel immutando medium, aut etiam ipſum organum viſus. Et hoc videtur inſinuare S. Lucas dum ait: Oculi eorum tenebantur ne eum agnoſcerent. *Vnde poſteà, ſtatim vt voluit, eum agnouerunt. Idem & multò magis dicendum de auditu ſcilicet Chriſtum non fuiſſe agnitum ex voce, quia multò facilius eſt immutare vocis ſonum & modum exprimendi ac pronuntiandi, quod etiam naturaliter facilè fieri poteſt, aliter mouendo labia, linguam, & aliter aerem percutiendo. Ita D. Thomas in 3. part. quæſt. 54. art. 1.*

VER. 25.

VERS. 25. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti, & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ!

26. Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?

27. Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.

28. Et appropinquauerunt caſtello, quò ibant: & ipſe ſe finxit longiùs ire.

29. Et coëgerunt ipſum, dicentes: Mane nobiſcum, quoniam aduesperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis.

30. Et factum eſt, dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis.

31. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipſe euanuit ex oculis eorum.

Theoph. Per tribulationem itur ad gloriam. 3. QVONIAM mente humano morte affecti erant, multaque dubitatione laborabant, ſtultos vocat & tardos corde ad credendum in omnibus quæ locuti fuerant Prophetæ. Oportet enim in omnibus tam his quæ gloriæ ſunt, quam quæ ignominiæ, credere Prophetis. Oportebat autem Chriſtum pati, quod eſt ignominiæ; & intrare in gloriam ſuam, quod eſt gloriæ. Vos autem, inquit, ſic ſtulti eſtis, vt cùm Iſaiam vtraque
Iſa. 53.5. dicentem audiatis, & quòd ad occiſionem ductus ſit, & quòd Dominus velit ei lumen oſtendere; illud quidem recipiatis, hoc autem reſpuatis. Et quòd vulneratus quidem ſit creditis; quòd autem Dominus velit eum à plagâ curare, non perpenditis. Sed tu hîc attende, vt per afflictionem eatur in gloriam Dei.

Anonym. 4. Hic ſe ijs qui illum rogabant vt in caſtellum ingredi dignaretur, maniſeſtiùs oſtendit, oculis eorum aperiens, cùm nempe accepit panem, benedixit ac fregit, ipſiſque dedit: eò vſque enim, vt ſuprà dixit Euangeliſta, detinebantur oculi eorum ne eum agnoſcerent, donec verbum eorum mentem ad fidem illuminaret atque aperiret. Siquidem quod in Geneſi protoplaſtis dicitur, quòd aperti fuerint oculi eorum, non de ſenſitiuis oculis, ſed de mentis ſenſu dictum eſt; ac ſi quis dicat, Fecit illos ſenſu percipere
Gen. 3.7. ſuam nuditatem. Simile enim & illud, Aperuit Dominus oculos Agar; non quòd anteà non vidiſſet, ſed quòd mentem illius illuminaſſet atque excitaſſet.

5. Illud autem, Et aperti ſunt oculi eorum, non accipiendum quaſi dictum ſit pro tempore quo nondum præceptum Dei violauerant. (tunc enim apertos potiùs habebant oculos, ne ſibilis ſerpentis demulcerentur,) ſed cernerent quid agendum eſſet vigilāti mente præditi. Illud itaque quòd non potuerint videre, de peccato reſumpſit. Verùm è contrà propter peccatum in actionibus ſuis cæcutientes, quiete viſum receperunt. Hîc autem illud, Et aperti ſunt oculi eorum; ponitur pro eo, quòd acutiorē adepti ſint cognitionem. Ita autem Dominus diſponebat, vt non agnoſceretur ab ijs niſi in fractione panis.

ANNOTATIONES.

VERS. 28 Quorſum Chriſtus finxerit ſe longiùs ire. ET IPSE FINXIT SE LONGIVS IRE.] *Quia licet ita componeret greſſus ſuos quaſi longiùs ire vellet, reuerà tamen nolebat, ſed cupiebat ab eis detineri. Volebat enim dumtaxat fictione hac excitare in eis virtutem hoſpitalitatis, per quam digni fierent quibus ſe in menſâ patefaceret. In hac autem fictione nullum fuit mendacium, quia reuerà volebat longiùs ire, & iuiſſet, caſu quo eum non tenuiſſent. Sed quia ſciebat ſe ab ijs detinendum, hoc reſpectu nolebat longiùs ire, ſed hoc finxit.*

Qualis fuerit benedictio panis facta à Chriſto in Emaus. VERS. 30. ACCEPIT PANEM ET BENEDIXIT.] *Nota, hîc Chriſtū videri conſecraſſe venerabilem Euchariſtiā. Primò, quia eodē modo loquuntur Euāgeliſtæ de Euchariſtiâ, vt hîc S. Lucas de pane. Secundò, quia benedictio hæc non videtur facta initio cœnæ: voluit enim Chriſtus aliquamdiu cœnare cum ipſis, ne phantaſma eſſe videretur. Fuit ergo in medio vel potiùs in fine cœnæ, & conſequenter non fuit communis benedictio quæ cœnæ præmittitur, ſed ſacra & Euchariſtica. Tertiò, quia ſtatim agnouerunt Chriſtum ex hoc pane. Ita paſſim Patres. Vnde S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait, Chriſtum Cleophæ domum in Eccleſiam dedicaſſe; ibi enim conficitur hoc Sacramentum.*

Hinc etiam videtur probari vſus vnius ſpeciei in Euchariſtiâ. Nam hîc non ſumpſiſſe calicem, ex eo patet, quòd ſtatim poſt porrectionem panis aperti ſint oculi diſcipulorum, & Chriſtus euanuerit. Ita S. Auguſtinus, Chryſoſtomus, Beda, & alij ad hunc locum.

VERS. 32. Et dixerunt ad inuicem: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ, & aperiret nobis ſcripturas?

33. Et ſurgentes eadem horâ regreſſi ſunt in Ieruſalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant,

34. dicentes: Quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.

35. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in viâ: & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

6. HIc aliquis poſſit dubitare, quomodo cum vndecim diſcipulis ſimul congregatis poſt reſurrectionem Dominus ad- Anonym.

Ioã.18,18 ſtans apparuerit, iuxta Lucam & Ioannem, ipſi hæc narrauerint. Ioannes enim cùm ſuperiùs dixiſſet, Vnâ autem ſabbati venit Maria Magdaleoe annuntians diſcipulis, quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi; ſubiungit deinde, dicens: Cùm ergo ſerò eſſet die illo, vbi diſcipuli erant congregati, veoit Ieſus, & ſtetit in medio, & dixit eis, Pax vobis. Ita vt ex his manifeſtum ſit, eadem reſurrectionis Dominicę die ſub veſperum quę apud Ioannem dicuntur contigiſſe, & apud Lucam eadem etiam dies ac hora teperietur.

ANNOTATIONES.

Vers. 34 SVRREXIT DOMINVS VERE, ET APPARVIT SIMONI.] *Hac fuiſſe videtur quarta Domini apparitio, vti ſuprà notauimus, & ſatis inſinuat* S. AVGVSTINVS *lib. 3. de Conſenſu cap. 25. dum dicit*: Omnium

Petrus ante alios viros Christum vidit à reſurrectione. virorum primò apparuiſſe intelligitur Petro, ex his dumtaxat omnibus, quos Euangeliſtæ quatuor & Paulus Apoſtolus commemorauerunt. Ceterùm ſi apparuerit alicui eorum priuſquam Petro, quod omnes tacuerũt, quis vel dicere audeat vel negare?

1.Cor.15,5 Neque enim & Paulus dixit, Apparuit primò Cephæ; ſed, Apparuit, inquit, Cephæ, poſteà duodecim, *&c.* Probabiliter tamen creditur, poſteaquã Petro apparuit, deinde apparuiſſe iſtis duobus, quorũ erat vnus Cleophas, de quibus Lucas totum narrat. Marcus autem breuiter ita perſtringit, *&c.* Iam ergo erat fama quòd reſurrexerat Ieſus, ab illis mulieribus facta, & à Simone Petro, cui iam apparuerat. Hoc enim iſti duo inuenerunt loquentes, ad quos in Ieruſalem venerunt. Fieri itaque potuit, vt timore priùs in viâ noluerint dicere, quòd eum audierant reſurrexiſſe, quando tantummodò dixerunt Angelos viſos eſſe mulieribus. Ignorãtes enim cum quo loquerentur, meritò poſſent eſſe ſolliciti, ne quid paſſim de Chriſti reſurrectione iactantes, in manus inciderent Iudæorum.

OECVMENIVS *in Epiſt. 1. ad Cor. cap. 15. ſimiliter dicit*: Inter viros primùm apparuit Petro, tamquam primario diui venerandi chori diſcipulorum.

S. AMBROSIVS *item lib. 10. in Lucam ait*: Sicut ex mulieribus Mariæ Magdalenæ, ita ex viris Petro, viſus eſt primo manè, de quâ apparitione loquitur etiam Paulus. Petrus ergo vidit ſolus Dominum: deuotio enim parata ſemper & prompta credebat.

Ad dubium autem quod Anonymo hic in Catenâ num. 6. proponitur, nec tamen ſoluitur, videlicet, Quomodo hi duo diſcipuli ab Emaus redeuntes, ceteris Apoſtolis viſionem ſuam narrauerunt, cùm Ioannes dicat, illo ipſo die, ſcilicet reſurrectionis, Chriſtum vndecim diſcipulis apparuiſſe? Reſpondeo cum Toleto Annotatione 14. in cap. 20. Ioannis, iſtam apparitionem vndecim diſcipulis, vt Ioannes ait, iam ſero circa ſolis occaſum accidiſſe: diſcipulos autẽ duos manè Emauntem verſus profectos fuiſſe. Dici autem ab iis Chriſto vlteriùs ſe velle ire ſimulanti, quòd dies adueſperaſcat & inclinetur, quia nimirum tunc meridies ab horâ fortè vnâ & alterâ tranſiuiſſet, & ſol iam ad occaſum tenderet, licet nondum veſper eſſet. Sumpto autem cum Chriſto cibo, & in fractione panis cognito, repentè euaneſcente, ſcribit hic Lucas verſ. 33. Surgentes eadem horâ regreſſi ſunt in Ieruſalem; *ita vt ante ſolis occaſum (duarum enim minùs horarum itinere caſtellum illud ab vrbe diſtabat) in ciuitatem ad ſuos reuerſi ſint, & quæ ſibi contigerant narrarint; tumque illis ſimul exiſtentibus, & ſingula quæ viderant narrantibus apparuit Chriſtus denuò, dicens,* Pax vobis, *&c.*

Hinc & ex ſuprà dictis colligitur Chriſtus primo die reſurrectionis ſexies apparuiſſe: Primò ſcilicet Matri, tametſi eius nullus Euangeliſtarum mentionem fecerit, vti probabilibus ſuprà rationibus oſtendit Rupertus. Secundò Magdalenæ, Marci vltimo, & Ioannis 20. Tertiò mulieribus, Matthæi vltimo. Quartò Petro, Lucæ 25. Quintò ibidem, duobus diſcipulis euntibus in Emaus. Sextò Apoſtolis abſente Thomâ quam S. Ioannes cap. 20. & S. Lucas hic deſcribit

VERS. 36. "Dum autem hæc lo- "Matt.16,
quuntur, ſtetit Ieſus in medio eorum, 14. Ioã.20,19.
& dicit eis: Pax vobis: ego ſum, nolite timere.

37. Conturbati verò, & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre.

38. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?

39. Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum.

7. VT firmiter & ſine dubitatione crede- ANONYM.
rent ipſum eſſe qui paſſus fuerat, extemplò oſtendit. Quoniam autem naturâ erat Deus, occulta cognoſcit, neque eam quæ in illis erat cogitationũ perturbationem ignorauit, dixit enim: Quid turbati eſtis? Demonſtrat hîc, & quidem admodum clarè eum appellabat, non alium quempiam eſſe, ſed illum ipſum quem anteà viderant in ligno paſſum, & in monumento poſitum, qui & renes ſcrutetur & corda, quemque nihil eorum quæ in nobis ſunt latet, cuius manifeſtum ſignum præbet, cùm cogitationum perturbationem nouit. Aliis verò etiam fidem faciens quòd mors deuicta ſit, & natura humana corruptionem exuerit, manus iis oſtentat & pedes, & fixuras clauorum, & contrectare iubet atque palpare, atque omni modo explorare, quoniam idem quod paſſim fuerat corpus reſurrexit. Quare nemo reſurrectionem calumnietur.

VERS. 39. Palpate, & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.

40. Et cùm hoc dixiſſet, oſtendit eis manus, & pedes.

8. NON Exiſtentẽ dixit, ſed Habentẽ, vt THEOD. Dial. 2. f.326.
& eum qui habet & quod habetur intelligas, vtque non commixtionẽ, conuerſionem aut commutationem, ſed eiuſdem corporis cum animâ factam eſſe vnionem ſcias, idcircò & fixuras clauorum, & haſtæ vulnus oſtendit, coramque diſcipulis comedit

edit vt his omnibus naturæ nostræ in ipso factam esse renouationē persuaderet, quodque ipse, cùm secundùm naturam diuinam immutabilis, impatibilis, immortalis, & nullius rei indigus esset, omnes has passiones tolerarit, & templo corporis sui inferri permiserit, illudque propriâ virtute suâ resuscitarit, vt perfectâ atque absolutâ templi proprij renouatione naturam nostram restauraret, eosque confunderet, qui Christum exilem esse hominem dicunt, aut Dei Verbum esse passibile, aut in carnem conuersum fuisse, aut consubstantiale sibi corpus habuisse, aut è cælo illud detulisse, vel phantasma esse, aut mortale fuisse Verbum Dei, aut Patris resurrectione eguisse, vel inanime corpus assumpsisse, aut hominem mentis expertem induisse, vel duas Christi naturas per commixtionem in vnam coaluisse naturam, & non confitentur duas naturas in Christo esse impermixtas, vnamque personam, vti & vnus est Christus, atque vnicus filius. Omnes autem hos Catholica atque Apostolica anathematizat Ecclesia, vti & illos, qui dicunt, Dominum, postquam à mortuis resurrexit, non aliter Apostolis manus ostendisse, quàm cum Iacobo luctatus sit. Quem sensum verba Domini minimè admittunt. Discipulis enim spiritum sese videre existimantibus, suspicionem hanc illis Dominus exemit, dicēs: Quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Considera verò verborum accurationem. Non enim dixit carnem & ossa existentem, vt ostenderet aliam quidem esse naturam quæ habeat, aliam verò quæ habeatur. Quemadmodum enim aliud est quod assumit (nempe Verbum) aliud verò quod vtrimq; existit Christus: sic & inter id quod habet, & quod habetur, maxima intercedit differentia. Non autē in duas personas diuiditur qui per hæc intelligitur.

VERS. 41. Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid, quod manducetur?

42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis.

43. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

ANONYMVS. 9 SALVATOR post resurrectionem ianuis clausis ad Apostolos ingrediens, incredulitatem illorum dispulit dicendo, Palpate me; fructum quodammodò nobis proponens huic rei permixtum. Certiores autem illos reddit resurrectionis non à tactu tantùm, sed etiam à manducatione.

10. Nullum enim comestione ac potatione signū maius dari poterat. Quocircà Dominus discipulis adhuc dubitantibus cibum petijt, & accipiens comedit, non phantasticè cibum consumens, neque corporis necessitatibus subueniens, sed naturæ corporis resurgentis fidem astruens. *Quomodo Christus post resurrectionem comederit.*

11. Cùm enim in hac vitâ viuentium proprium sit comedere, necessariò Dominus carnis resurrectionem per cibi & potus sumptionem comprobauit, vti & in Lazari ac Iairi filiæ resuscitatione fecit. Huic enim resuscitatæ cibos proponi iussit, & Lazari ipse conuiua fuit, hac ratione veram fuisse resurrectionem probans. Verùm quispiam dicet: Si damus Dominum verè comedisse, demus & omnes homines post resurrectionem ciborum fomentis vti. Sed quæ ex quadam dispensatione à Saluatore fiunt, non sunt regula & norma naturæ, quia & in quibusdam alijs dispensauit. Quæ à Christo in hac vitâ resuscitaris, non eadem omnibus in communi resurrectione accident. Dicit enim Dominus, resurgentes futuros vt Angelos Dei, vti & diuinus Paulus docuit dicens. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. Nam Dominus non mutila sed perfecta omnium corpora suscitabit, ita vt nullus inter resurgentes aut claudus aut cæcus sit reperiendus. Dereliquit tamen proprij corporis foramina quæ claui foderant, & lateris cicatricem, vti ipsemet Dominus & Thomæ manus testantur. 1. Cor. 15, 42.

12. Ergóne, inquies, & mortale & corruptibile Christi corpus est post resurrectionē? Nequaquam; verum incorruptibile, impatibile atque immortale: neque tamen in aliam naturam est immutatum. Incorruptibile enim erit, iuxta illud, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.

13. Consideremus autem quòd corpus, siue sanum sit siue ægrum, tamen eodem modo corpus appelletur, cùm eiusdem vtrumque substantiæ sit, tametsi maximam inter illa differentiam cernamus. Illud enim validum est, & robustum atque illæsum: hoc verò aut oculum habet affectum, aut crus læsum, aut aliâ quadam molestâ passione laborat, eiusdem tamen vtrumque naturæ est, sanum nempe & infirmum. Quocircà corpus substantia est appellandum, sanitas verò & infirmitas accidentia, non verò substantia nominanda sunt; accidunt enim hæc corpori & abscedunt. Mors similiter etiam & corruptio, accidentia non substantiæ appellanda sunt, quippe quæ corpori accidant, ita vt hominum corpora resurgendo corruptionem exuant, propriam tamen naturam non amittant. *Ibid.*

tant. Corpus igitur Dominicū incorruptum quidem resurrexit, atque impatibile, & immortale ac diuinâ gloriâ honoratum, corpus attamen est, eadem quæ ante habebat lineamenta retinens: comedit autem & bibit non alia sane de causâ, quàm vt ostéderet, quòd ille idem à mortuis resurrexisset, qui antequam crucifigeretur dispensationis tempore conuescens cum illis ac bibens inter homines iuxta Propheticum sermonem fuerat conuersatus. Quòd autem manducarit partem piscis assati, admixtum habet aliquam contemplationem, vti finis dispensationis ostendit. Finis autem dispensationis est nostra salus. Naturæ enim humanæ humiditatem, cui propter vitæ incontinentiam piscis instar immersa erat, Dei verbum tamquam ignis quidam nouus & inaccessus, per ineffabilem carnis vnionem exsiccans quasi & assans, ab omni eam passionum commixtione liberauit. Hancque dispensationem tam suauiter adimpleuit, vt sibi cibum suauem effecerit. Salus enim hominum cibus Dei est.

14. Comedit autem cum pisce assato fauum mellis, declarans, vt qui per diuinam incarnationem assati sunt, etiam Diuinitatis eius participes fiant, & instar mellis cum desiderio præcepta illius suscipiant, leges autem quasi fauo circumligent & circumscribant. Quòd lex Pascha cum lactucis agrestibus comedere præceperit, factum est ob præsentis vitæ amaritudinem. Post resurrectionem verò panem cum fauo mellis comedere possumus. Mel enim pro obsonio adhibemus, cùm in proprio fauo virtutis fructus animæ sensus oblectat, dulcedineque perfundit.

15. Christus post resurrectionem partem quidem piscis assi comedit, sed quod manducationem consequi solet minime sensit, vt infidelis quispiā interrogauit, sciens quòd omnia quæ intrant in os, eijciantur & in secessum mittantur. Verùm nihil simile fidelis in mentem admittat, sed rem totam committit virtuti diuinę. Quemadmodum enim ignis totum lignum absumit, sic & Dominus verè quidem comedit ac bibit, sed vt in proposito exemplo fit, cuncta consumpsit, insinuans cur comederet, vt nempe naturam nostram in huius vitæ mari natantem, propriæ Diuinitatis igne assaret, sibique cibum suauem efficeret.

VERS. 44. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me.

45. Tunc aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas.

46. & dixit eis: " Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertiâ die: " Psal. 21, 7.

47. & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Ierosolymâ.

16. VBI mentem cogitationesque eorū, quibus hæc dixit, à quibus & tactus est, & cum quibus comedit, tranquillauit atque composuit, tum illis Scripturæ sensum aperuit, Quoniam sic oportuit Christum pati, per crucem videlicet. Necesse autem, inquit, erat per crucem passionis mysterium adimpleri. An non mille erant moriendi rationes, quibus mortis pro nobis subeundæ dispensationem poterat adimplere? Verùm sic ab ipso statutum erat, talisque illi passio præfinita, vnde dicit, Sic oportuit pati. Per hæc verba autem, Sic oportebat, non simpliciter patiendum, sed necessariò quodammodò ac certâ ratione patiendum docet. Si enim verbi huius, Sic oportebat, sensus inuestigetur, reperietur per illud fuisse significatum, quòd non oportuerit aliter quàm per crucem Christum pati. Quænam autem est huius rei ratio? Quòd nempe figura Crucis à medio in quatuor partes extendatur, ac diuidatur, quo virtus eius, quæ per omnis orbis partes diffunditur, significatur. Nihil enim est quod non diuinæ eius virtute peruaditur, siue supra cælum sit, siue sub terrâ, siue in quam cumque orbis plagam extensum. Omnipotētem igitur Crucifixi potestatem figura Crucis deprædicat. Discipulis itaque Dominus quæ dixerat, in memoriam reuocat. Prædixerat enim illis, se, vti Prophetæ prænuntiarant, mortem crucis subiturum. Aperiuntur autem oculi eorum, vt intelligant quæ olim prædicta erant.

ANONYM.

Sic oportebat Christū pati.

Crucis quatuor partes quid significent.

VERS. 48. " Vos autem testes estis horum. " Act. 1, 8.

MORTIS videlicet & resurrectionis.

SVPPLEMENTVM.

Hîc addenda sunt quæ de Spiritus insufflatione & Thomæ absentiâ, tum etiam quæ de aliâ apparitione præsente Thomâ narrat

S. IOANNES CAP. XX.

VERS. 19. " Cùm ergo serò esset die illo, vnâ Sabbatorum, & fores essent clausæ, " Matt. 16, 14. Luc. 24, 16. 1. Cor. 15, 5.

clausæ, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum: venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis: Pax vobis.

20. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino.

21. Dixit ergo eis iterùm: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.

22. Hoc cùm dixisset, insufflauit: & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum:

Matth. 18. 18. 23. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

24. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus.

25. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manũ meam in latus eius, non credam.

26. Et post dies octo, iterùm erant discipuli eius intus; & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis.

27. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.

28. Respondit Thomas, & dixit ei, Dominus meus, & Deus meus.

29. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.

Ioã. 21, 25 30. *Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorũ suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.

31. Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est Christus filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

VERS. 21 SICVT MISIT ME PATER.] *Notanda est illa vocula sicut, quâ videtur Christus Apostolos sibi quodammodo pares facere, scilicet proportionaliter, vt vicarios suos. Primò ergo hîc est similitudo in officio: quasi dicat, Simili auctoritate & potestate spirituali ad regendam Ecclesiam ego vos mitto, vt sitis eius Rectores & Doctores, sicut ego sum, & potestatem habeatis etiam peccata remittendi, vt sequitur. Ita Chrysostomus.*

Apostoli in quibus sint Christo similes.

Secundò est similitudo in principio: quasi dicat, Sicut Deus Pater me misit, ita ego qui sum illi par Deus, vos mitto. Ita Theophylactus.

Tertiò est similitudo in fine: vtrique enim missi sunt ad fidem propagandam, & salutem totius mundi procurandam. Ita S. Cyrillus.

Quartò est etiam similitudo in modo, vt scilicet miraculis vestram doctrinam confirmetis, sicuti & ego. Marci vlt. Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

Quintò in amore reciproco: quasi dicat, Quo amore misit me Pater ad sanguinem eius amore fundendum, eodem vos ego mitto. Ita etiam Toletus ad hunc locum, Annotatione 17.

VERS. 22. HOC CVM DIXISSET, INSVFFLAVIT.] *Vbi nota, hoc fecisse Christum.*

Cur Christus Apostolis insufflarit.

Primò, vt significaret naturam Spiritus sancti quem hîc dabat. Spiritus sanctus enim procedit, vt flatus diuinus ex spiratione Patris & Filij.

Secundò, vt significaret etiam à se hunc Spiritum procedere. Ita S. Augustinus lib. 4. de Trinitate c. 20.

Tertiò, vt ostenderet Spiritum sanctum sibi consubstantialem. Ita S. Cyrillus & Leontius in c. 20. Ioãnis.

Quartò, Vt ostenderet etiam se esse eum qui primo homini spiraculum vitæ inspirauit. Ita ibidem Cyrillus & Leontius.

Quintò denique, vt indicaret se esse illum qui Spiritu sancto gratiam peccato deperditam restituat. Ita S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap 16.

IBIDEM. ACCIPITE SPIRITVM SANCTVM.] *Vbi nota, Christum promisisse Apostolis Spiritum sanctum post discessum suum, in Pentecoste scilicet, vt visibiliter in illos descendens, eos omnibus donis spiritualibus cumularet. Quare hîc insufflando videtur ijs dare Spiritum sanctum, ad peculiarem aliquem effectum, scilicet ad potestatem remittendi peccata. Ita ad hunc locum Theophylactus, Euthymius & Rupertus. Vnde patet, primariam & supremam potestatem remittendi peccata habere Spiritum sanctum, eamque communicare hominibus, ac proinde esse verum Deum. Ita S. Basilius lib. 5. contra Eunomium. Licet autem potestas hæc communis sit toti sanctissimæ Trinitati, appropriatur tamen Spiritui sancto, sicuti & bonitas, & amor, & omnia opera sanctificationis, quia Spiritus sanctus procedit vt amor.*

Datur Apostolis hîc potestas peccata remittendi, non autem prædicandi, vt vult Caluinus.

Sequitur: QVORVM REMISERITIS PECCATA.] *Quod Caluinus & alij torquent ad potestatem prædicandi Euangelium, quo peccata remittuntur, scilicet per fidem, si quis illi credat. Sed patet hoc omnino detortum esse,*

Primò, Quia hæc potestas prædicandi Euangelium, iam antè data erat, Lucæ 13. Mandatum autem datum erat Matthæi & Marci vlt. Ioannes autem plerumque præterire solet quæ alij Euangelistæ tam disertè & concorditer narrant.

Secundò, Quia ad prædicationem Euangelicam non opus erat tot cærimonijs. Et quid, quæso, aliud significat hæc insufflatio, nisi quod ait Isaias cap. 44. Deleui vt nubem iniquitatem tuam. *Scilicet sicut vento flante dissipantur nubes, ita hoc flatu & potestate omnino aboleri peccata. Rursum quid opus erat dare Spiritum sanctum quem iam habebant, etiam in ordine ad eumdem actum? iam enim anteà Euangelium prædicauerant Apostoli.*

Tertiò per se patet esse violentum, illud, quorum remiseritis peccata, *interpretari pro* quibus prædicaueritis Euangelium. *Nec enim prædicare est remittere.*

mittere. Immò multis incredulis prædicatur. Quòd si autem, vt hæretici volunt, credentibus per solam fidem peccata remittuntur, ergo non Apostoli, vt hîc dicitur, sed ipsi potiùs sibi ipsis credendo peccata remittunt, quod absurdum omnino est, cùm nemo se superior aut sibi iudex sit, vt sibi peccata remittat: remittere enim est actus iurisdictionis iudicialis.

Quartò, Euangelium omnibus est prædicandum, atque adeò hæc Caluini absolutio omnibus dari potest. Christus autem non omnibus vult semper peccata remitti, sed aliquorum vult retineri, scilicet quorum Apostoli eorumque successores retinenda esse peccata censuerint. Quare de fide est, hunc locum intelligi de Sacramento Pœnitentiæ, in quo sacerdos quasi iudex verè remittit non tantùm culpas, sed etiam pœnas lethiferas seu sempiternas. Ita Patres passim, & sic Ecclesia omni tempore intellexit, vt definit Tridentinum sess. 14. can. 3. & ex verbis patet, quæ omnino indicant hic Apostolis dari potestatem iudiciariam quâ peccata remittant vel retineant pro suo iudicio. Vnde sequitur vlteriùs, ex eo quòd hîc tribunal erigitur, consequenter Iure diuino confessionem iniungi. Alioquin enim frustrà esset hoc tribunal. Non enim possunt remitti peccata nisi cognoscantur; cognosci non possunt, nisi pœnitens ea confiteatur. Quod autem S. Cyrillus ad hunc locum ait dupliciter peccata remitti, Baptismo scilicet & Pœnitentiâ, totum quidem verum est, sed non de vtroque hic agitur. Nam S. Ioannes hîc tantùm agit de remissione iudiciariâ, qualis non est in Baptismo. Atque ita exponunt alij omnes, & Tridentinum suprà. Vide etiam pulchrè & fusè hac de re S. Chrysostomum lib. 3. de Sacerdotio.

Sequitur: QVORVM RETINVERITIS, RETENTA SVNT.] *Vbi nota Primò, retinere non significare negationem, sed potestatem positiuam, scilicet iudicare, & repellere aliquem quasi indignum remissione ob suam indispositionem. Vnde Matthæi 16, 19 dicitur:* Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.

Nota Secundò, Quòd licet Apostoli ante passionem in vltimâ cœna illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, *Sacerdotes creati sint, tunc tamen solam consecrandi potestatem acceperunt; hîc verò post resurrectionem accipiunt insuper potestatem remittendi peccata. Sunt enim hæ diuersæ potestates, & diuidi possunt, sicuti etiamnum in ordinatione Sacerdotum seorsim aliâ atque aliâ verborum formâ hæ potestates dantur. S. Cyrillus ad hunc locum notat, etiam Thomæ licet absenti, à Christo eamdem potestatem inspiratam ac datam fuisse, sicuti olim à Moyse Eldad & Medad absentibus, Numerorum cap. 11, 26. Toletus tamen & alij, quia tunc incredulus erat Thomas, putant octauo post die datam illi hanc potestatem, cùm ei Christus apparuit, eumque conuertit.*

VERS. 24. THOMAS AVTEM VNVS EX DVODECIM, NON ERAT CVM EIS.] S. GREGORIVS *Hom. 28. in Euangelia*, Iste vnus, *inquit*, discipulus defuit, reuersus quod gestum est audiuit, audita credere renuit. Venit iterùm Dominus, & non credenti discipulo latus palpandum præbuit, manus ostendit, & ostensâ suorum cicatrice vulnerum, infidelitatis illius vulnus sanauit. Quid, fratres charissimi, quid inter hæc animaduertitis? numquid casu gestum creditis, vt electus ille discipulus tunc deesset, pòst autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed diuinâ dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, vt discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens, omni dubitatione postpositâ, in fide solidatur. *Vide plura in Lectionibus tertij Nocturni in Festo S. Thomæ.*

Thomæ incredulitas profuit posteris ad fidem.

VERS. 27. INFER DIGITVM TVVM, &c.] *Vbi nota Primò, Christum post resurrectionem non tantùm vulnerum cicatrices, sed & foramina ipsa seruasse, idque non fictè, sed verè, vt contra Porphyrium docet S. Augustinus Epist. 49. ad Deo gratias.*

Quales Christus post resurrectionem cicatrices retinuerit.

Secundò, Hæc foramina non fuisse impleta carne gloriosâ, quæ speciem cicatricis clausæ haberet, vti fuerunt stigmata S. Francisci, sed Christus hæc aperta seruauit, vt colligitur ex Zachariæ cap. 12. 10. Ioannis 19, 37. & ex eo quòd Thomas in ea digitum immisit. Vnde speciali miraculo factum videtur, vt illa foramina non impedirent quò minus nerui & arteriæ circumcircà continuarentur, optimeque dispositæ essent tum ad continuandum sanguinem, tum ad omnes actiones vitales exercendas. Ita ferè Theologi in 3. parte quæst. 44. art. 4.

Cur autem Christus vulnera hæc aperta retinuerit, variæ dantur rationes.

Cur Christus sacra stigmata retinuerit.

Primò, vt signa essent veritatis corporis & resurrectionis Christi. Ita S. Cyrillus ad hunc locum, & S. Leo Serm. 1. de Resurrectione.

Secundò, in signum & trophæum victoriæ. Ita S. Augustinus Epist. ad Deo-gratias.

Tertiò, vt Patri ea exhibens pro nobis interpellet. Ita S. Cyprianus Serm. de Baptismo Christi.

Quartò, ad spem & imitationem nostram prouocandam & accendendam. Ita S. Ambrosius in cap. vltimum S. Lucæ.

Quintò, vt ijs Iudæorum impietatem, & aliorum qui tantam neglexerunt salutem & gratiam, in die iudicij coarguat. Ita S. Augustinus sup. cit. Passim enim Theologi cum SS. Cyrillo & Augustino docent, Christum ea in cælum intulisse, & in æternum seruaturum: & colligitur ex Zachariâ & Ioanne suprà: sicut idem S. Augustinus de Ciuitate lib. 22. cap. 20. docet in Martyribus cicatrices mansuras, non apertas, vt de Christo dictum, sed quales in plagis sanatis.

IBIDEM. ET VIDE MANVS, &c.] *Id est, tange, scilicet digito. Visus enim quia generalis est & nobilissimus sensus, hinc pro quouis sensu & cognitione capitur. Ita S. Augustinus hîc. Vnde Patres passim docent, Thomam verè tetigisse vulnera Christi, atque inde credidisse, ac perfectè fuisse sanatum, vti sequitur,* Quia vidisti, *id est tetigisti,* me Thoma, credidisti.

S. GREGORIVS *Hom. 26. in Euang.* Palpandam, *inquit*, carnem Dominus præbuit, quam clausis ianuis introduxit. Quâ in re duo mira, & iuxta humanam rationem valdè sibi contraria ostendit, dum post resurrectionem suum corpus incorruptibile, & tamen palpabile demonstrauit. Nam & corrumpi necesse est quod palpatur, & palpari non potest quod non corrumpitur. Et incorruptibilem ergo se & palpabilem demonstrauit, vt profectò post resurrectionem esse ostenderetur corpus suum & eiusdem naturæ, & alterius gloriæ.

Corpus Christi gloriosum & tamen palpabile.

Quæritur hîc, quomodo Corpus Christi, & Sanctorum gloriosum, & consequenter subtile ac penetrabile, sit palpabile. Vbi

Nota, aliud esse in corpore quod non cedat, siue quod resistat alteri; aliud quod sentiatur, aliud quod palpetur: cæli enim resistunt, non tamen propriè sentiuntur

tur aut palpantur; ignis verò sentitur, non tamen resistit aut palpatur. Resistit ergo corpus, cùm alteri se opponit, nec se penetrari sinit, siue faciat id ratione suæ indiuisibilitatis, vti cælum; siue ratione suæ duritiei ac densitatis, vti ferrum, & alia corpora quæ resistunt. Sentitur verò, cùm per calorem frigus, mollitiem, spissitudinem, aliasque qualitates tactiles, sensum tactus immutant, aut speciem intentionalem tactus imprimũt. Denique palpatur, cùm vtrumque habet, id est, cum resistit ratione suæ densitatis, & simul sentitur esse molle, asperum, durum, leue, rarum, aut spissum, aliásue similes dispositiones tactiles habere, quæ variæ sunt in varijs membris, secundùm quas variè palpantur & contrectantur. Vnde S. Gregorius suprà, quod palpatur, *inquit*, necesse est corrumpi: *scilicet naturaliter, quia signum est illud constare quatuor elementis & qualitatibus contrarijs. Dico* naturaliter: *nam supernaturaliter corpus gloriosum est incorruptibile, & tamen palpabile. Corpora itaque gloriosa habent dotem subtilitatis, per quam possint non resistere alteri corpori, illudque penetrare; & habent etiam dotem vt possint non sentiri tactu, sicuti etiam vt non possint videri: vtrumque tamen donum illis liberum est, vnde illo vtuntur aut non vtuntur, prout ijs libuerit. Et consequenter corpora Beatorum prout volunt sunt palpabilia, aut non palpabilia. Si enim velint resistere, & sinere se sentiri & contrectari, sunt palpabilia: si alterutrum nolint, id est, si nolint resistere, sed velint sentiri, aut contrà; aut si velint nec resistere, nec sentiri, non sunt palpabilia.*

Quàm certa fuerint Christi resurrectionis signa.

Hæc autem palpatio & contrectatio corporis Christi resurgentis, licet physicâ certitudine non omnino infallibile sit resurrectionis eius argumentũ (nam Angeli in corpore assumpto palpati fuerunt à Loth, Abraham, & alijs) fuit tamen certũ certitudine morali & humanâ.

Primò, quia propter eam causam voluit Christus diu in terrâ conuersari, & per omnes sensus discipulis, videlicet visum, auditum & tactum, qui certissimi habentur, manifestari, tam in resurrectione quàm in morte.

Secundò, quia ad Dei prouidentiam pertinebat alioquin hæc tot signa non permittere, & fucum, si quis fuisset, detegere. Agebatur enim hîc de vero Messiâ, eiusque resurrectione, & nouâ religione confirmandâ.

Tertiò, quia cum his signis coniuncta Christi miracula, & Prophetiæ de eodem Christo, rem omnino certam faciebant & credendam.

S. Thomas aliud credidit aliud vidit.

VERS. 28. RESPONDIT THOMAS: DOMINVS MEVS ET DEVS MEVS.] *Hinc SS. Augustinus hîc & Gregorius Hom. 26. in Euang. & Hilarius lib. 7. de Trinitate docent, Thomam aliud vidisse, scilicet corpus Christi resuscitatum, & aliud credidisse, scilicet Christum esse Deum, ac consequenter seipsum suscitasse. Aduerte tamen hîc, etiam id quod sub sensum cadit, fide diuinâ credi posse, maximè si sensus errare possit, aut includat aliquid quod non videtur, vti hîc erat resurrectio Christi præterita. Nec huic obstat quod ait S. Augustinus Tract. 40. in Ioan.* Fides est credere quod non vides: *id enim verum est hoc sensu, tum quia præcipua obiecta materialia fidei inuisibilia sunt, non tamen omnia; tum quia formale obiectum fidei, scilicet reuelatio diuina, semper est inuisibilis.*

Quo sensu etiam credi possit quod videtur.

S. IOANNIS CAP. XXI.

VERS. 1. Posteà manifestauit se iterùm Iesus discipulis ad mare Tiberiadis. manifestauit autem sic:

2. Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanaël qui erat à Canâ Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo.

3. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in nauim: & illâ nocte nihil prendiderunt.

4. Manè autem facto stetit Iesus in littore: non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est.

5. Dixit ergo eis Iesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non.

6. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete; & inuenietis. Miserunt ergo; & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium.

7. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cùm audisset quia Dominus est, tunicâ succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.

8. Alij autem discipuli nauigio venerunt, (non enim longè erant à terrâ, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium.

9. Vt ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem.

10. Dicit eis Iesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc.

11. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cùm tanti essent, non est scissum rete.

12. Dicit eis Iesus; Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes, quia Dominus est.

13. Et venit Iesus, & accipit panem, & dat eis, & piscem similiter.

14. Hoc iam tertiò manifestatus est Iesus discipulis suis, cùm resurrexisset à mortuis.

SANCTVS AVGVSTINVS *lib. 3 de Consensu Euangelistarum, sic ait:* Quando Ioannes commemorauit ad mare Tiberiadis à septem piscantibus visum esse Dominum: Hoc iam tertiò, inquit, manifestatus est Iesus discipulis, cùm resurrexisset à mor-

mortuis. Hæc apparitio non tertia, sed quarta est. Ioannes non dixit Tertiò, tamquam tres solæ factæ fuerint manifestationes eius: sed hoc intelligendum est ad numerum retulisse dierum, nec continuorum dierum, sed per interualla, sicut idem ipse testatur. Nam primo ipso die resurrectionis suæ, excepto quòd à mulieribus visus est, id est, quod in Euangelio claret, ter se manifestauit, semel Petro, iterùm duobus illis quorum vnus erat Cleophas, plurimis iam inde colloquentibus noctis exordio. Sed hoc totum Ioannes ad vnum diem referens semel computat: iterùm autem, hoc est, alio die, quando eum vidit & Thomas: tertiò verò ad mare Tiberiadis, hoc est, tertio die manifestationis eius, non tertiâ manifestatione. Ac per hoc post hæc omnia cogimur intelligere factū esse, quòd cum in monte Galilææ secundùm Matthæum discipuli vndecim

Euangelistæ commemorant decem apparitiones Christi. viderunt. Inuenimus itaque apud quatuor Euangelistas decies commemoratum Dominum visum esse ab hominibus post resurrectionem: semel, ad monumentum mulieribus; iterùm, eisdem regredientibus à monumento in itinere; tertiò, Petro; quartò, duobus euntibus in castellū; quintò, pluribus in Ierusalem vbi non erat Thomas; sextò, vbi eum vidit Thomas; septimò, ad mare Tiberiadis; octauò, in monte Galilææ secundùm Matthæū; nonò, quod dicit Marcus, nouissimè recumbentibus, quia iam non erant in terrâ cum illo conuiuaturi; decimò, in ipso die, non iam in terrâ, sed eleuatum in nube, cùm in cælum ascenderet. Toties ergo in Euangelicis libris commemoratus est ab hominibus visus, antequam ascendisset in cælum; in terrâ scilicet nouies, & in aëre semel ascendens. Sed non omnia scripta sunt, sicut Ioannes fatetur: crebra enim erat eius cum illis conuersatio per dies quadraginta, priusquam ascenderet in cælum. Non tamen eis per omnes quadraginta dies continuos apparuerat: nam post diem primum resurrectionis eius, alios octo dies interuenisse dicit Ioannes, post quos eis rursus apparuit. Tertiò autem ad mare Tiberiadis, fortassis continuò consequenti die, (nihil enim repugnat) & deinde quando voluit, constituens eis, quod & antè prædixerat, vt eos in Galilææ montem præcederet. Atque omnino per illos quadraginta dies quoties voluit, quibus voluit, quemadmodum voluit: sicut Petrus dicit, quando

Act. 10,41 Cornelio prædicabat: Qui simul, inquit, manducauimus & bibimus cum illo, posteaquam surrexit à mortuis per dies quadraginta: non quòd continuò per dies quadraginta cum illo manducassent; nam erit contrarium Ioanni, qui octo illos dies interposuit, quibus eis visus non est, vt tertiò manifestaretur ad mare Tiberiadis. Inde iam, etiamsi quotidie illis visus, & cum illis conuersatus est, nihil repugnat.

Tertia itaque hæc apparitio dicitur, earum scilicet quæ Apostolis congregatis acciderunt.

Nota, Christum videri hic ignotâ specie apparuisse quasi virum grauem, & mercatorem qui pisces ab eis emere vellet, vnde ad eos quasi operarios & se inferiores phrasi Hebræâ dixit, Pueri numquid pulmentarium

Pulmentarium quid. habetis? *Græcè,* προσφάγιον, *id est,* obsonium. *Sic enim Plinius lib. 18. cap. 8. Horatius, Festus, Persius, & alij, pulmentum vsurpant pro omni cibo qui addi solet ad pultem siue panem. Prisci enim Hebræi & Latini admodum temperantes, pulte pro pane vtebantur, teste Plinio supracitato loco. Vnde & Romani* pultiphagi *dicebantur. Ita Plautus in Mostellariâ. Pulmentum ergo idem est quod obsonium. Cùm autem multa sint obsonia, pisces tamen* κατ' ἐξοχὴν, *præcipuè obsonium dicitur, quia virtute, simplicitate, & facilitate coquendi reliquis antecellit. Ita Athenæus l. 9.* Δειπνοσοφιστῶν. *Hinc etiam S. Ioannes hic vers. 9, 10. & 13. Græcè* ὀψάριον *semper pisces intelligit.*

S. MAXIMVS *Hom. in Feriam 4. Paschalem, in Bibliothecâ Homiliarum,* Duas, *inquit,* aduertimus in *Duæ piscationes ab Apostolis in nomine Christi factæ, quid significant.* sancto Euangelio Domini piscationes, id est, quando ad verbum ipsius missa sunt retia: vnam priùs quando discipulos elegit, & hanc alteram quando à mortuis resurrexit. Illa piscatio designat Ecclesiam qualis est modò; ista verò post resurrectionem Domini significat Ecclesiam qualis futura erit in fine sæculi. Denique in illâ priore piscatione iussit mitti retia, & non dixit in quā partem, sed tantummodò vt mitterentur præcepit. Miserunt discipuli. Non dictum est, in dexteram, non dictum est, in sinistram: pisces enim homines significabant. Si ergo diceretur, in dexteram, soli boni futuri essent: si diceretur, in sinistram, soli mali. Quia verò permixti futuri erant in Ecclesiâ & boni & mali, sine differentiâ missa sunt retia vt caperentur pisces, significantes mixturam bonorum & malorum. Deinde & hoc ibi scriptum est, quia tantum piscium ceperunt, vt duæ naiculæ mergerentur, hoc est submersione premerentur. Non enim submersæ sunt duæ illæ nauiculæ, sed periclitatæ præ multitudine piscium. Significatum est hinc, quia in multitudine quam collectura erat Ecclesia, periclitatura fuerat disciplina. Et hoc adiunctum est in illâ piscatione, atque narratur, quia retia præ multitudine piscium disrupta sunt. Disrupta retia quid significauerunt, nisi futura schismata? Tria ergo illa in istâ piscatione significata sunt, mixtura bonorum & malorum, pressura turbarum, separationes hæreticorum. Mixtura bonorum & malorum, quia nec in dexteram nec in sinistram missa sunt retia: pressura turbarum, quia tantum captum est vt nauiculæ premerentur: separationes hæreticorum, quia tanta fuerat multitudo vt retia rumperentur. Respicite nunc ad istam piscationem quæ hodie recitata est: facta est enim post resurrectionem Domini, vt significaret talem futuram Ecclesiam post nostram resurrectionem. Mittite, inquit, rete in dexteram partem. Discretus est ergo numerus eorum qui ad dexteram stabunt. Missa sunt retia in dexteram, nec poterant ea leuare præ multitudine piscium. Et ibi dicta est multitudo, sed certus numerus, & multitudo, & magnitudo: ibi autem non est numerus. Modò autem antequam veniat resurrectio, & separentur boni à malis, illud impletur quod ait Propheta: Annuntiaui, & locutus sum. *Psal. 39,6.* Retia misi, & quid? Multiplicati sunt super numerum. Numerus ad Sanctos pertinet, qui sunt regnaturi cum Christo. Super numerum modò in Ecclesiam intrare possunt. Petrus autem adduxit retia ad littus. Vbi audistis littus, intelligite finem maris. vbi audistis finem maris, intelligite finem sæculi; In illâ priori piscatione non ad littus attracta sunt retia, sed ipsi pisces qui capti sunt, in nauiculis fusi sunt, hîc autem traxerunt ad littus. Et quot pisces? Attraxerunt, inquit, retia habentia pisces centum quinquaginta tres; & adiecit Euangelista rem necessariam, Et cùm tanti, id est, tam magni essent, non est scissum rete. Magni erunt, sed hæreses non erunt, & immò magis hæreses non erunt, quia magni erunt.

Notat

Quinam nocte pisce-tur & nihil capiant. *Notat Euangelista v. 3. quòd illâ nocte nihil prendiderunt. Sed non est mirum, cùm illi qui laborant sine Christo (qui est lux nostra) laborent in tenebris & in nocte; vnde etiam laborant absque fructu, cùm ipse dixerit Ioannis 15.* Sine me nihil potestis facere.

Illi etiam piscantur nocte & nihil capiunt, qui opera bona exercent in statu peccati mortalis: nam illa opera quantacumque sint, non merentur præmium vitæ æternæ. Præterea illi nocte piscantur & sine fructu, qui impendunt se totos in famulatu mundi. Per Apostolos autem piscantes, significantur Prædicatores, quorum rete est verbum Dei, pisces sunt peccatores: dexterum latus, est pars spiritualis; sinistrum autem, temporalis.

Quinam piscatores spirituales fructum faciant, & qui non. *Illi ergo qui prædicant verbum Dei vt placeant hominibus, & qui quærunt propriam gloriam & aliquod commodum temporale, piscantur ad latus sinistrum, & ideò nullum faciunt fructum; sed illi qui suis concionibus & laboribus propositam solam habent gloriam Dei, & salutem animarum, reportant fructum copiosum.*

Cur S. Ioannes præ ceteris Christum cognouerit. *Obseruandum hîc, quòd S. Ioannes primus Christum cognouerit; quod S. Cyrillus tribuit eius solertiæ, & celeritati ingenij. Sed verosimile est, quòd cùm Petrus in attractione retis occuparetur, Ioannes attentiùs Christum considerarit, & Christus pristinam suam speciem resumpserit, eamque primùm obiecerit S. Ioanni, quia eum maximè diligebat, & purissimus erat. Vnde rectè S. Hieronymus Epist. ad Pammachium contra errores Ioannis Ierosolymitani,* Prior, *inquit,* virginitate virginale corpus agnouit. Beati mundo corde,
Matth. 5, 8 quoniam ipsi Deum videbunt. *Illi vtique habent maius lumen, & sunt capaciores cognitionis diuinæ & rerum spiritualium, qui sunt similes Ioanni, corde scilicet puri, & corpore casti & incorrupti.*

Notat autem D. Thomas in Catenâ, quòd hîc in Christi cognitione proprios modos ostenderunt. Ioannes enim perspicacior erat, vt dictum est, & ideò primò cognouit; sed Petrus feruentior erat, & ideò promptiùs venit ad Christum. Subitò enim vt cognouit quia Dominus est, misit se in mare. Moraliter. Anima quando non cognoscit aut sapit Deum, amat seipsam, & fugit passionem; sed quamprimùm aduertit, & gustat quam suauis sit Dominus, in mare tribulationis se conijcit, & desiderat pati & multum laborare ob amorem Dei. Peractâ piscatione Dominus eos ad prandium vocat, dicens: Venite, prandete. *Vnde patet, quàm bonus & benignus sit Dominus, ad remunerandum illos qui in diuino seruitio fatigantur. Dum discipuli occupantur in mari piscatione, erat Iesus in terrâ coquens piscem, & apparans prandium. Ita & nunc dum nos in hoc mundo occupamur in ministerio Christi, ipse est in cælis parans conuiuium quo nos excipiat, & coronas quibus nos remuneret.*

VERS. 15. Cùm ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

16. Dicit ei iterùm: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

17. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oues meas.

18. [n] Amen, amen dico tibi, cùm esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. *n 2. Pet. 1. 14.*

19. Hoc autem dixit, significans quâ morte clarificaturus esset Deũ. Et cùm hoc dixisset, dicit ei: Sequere me.

SANCTVS AVGVSTINVS *Tract. 124. in Ioannem ait:* Illud in his duobus Apostolis Petro & Ioanne dubitatur, cur Ioannem plus dilexerit Dominus, cùm ipsum Dominum plus dilexerit Petrus. Cùm enim Ioannes se discipulum quem diligebat Iesus nominet, proculdubio non mendaciter se præ ceteris Apostolis dilectum ait, in signumque maioris erga eum dilectionis Domini, recubuit in cœnâ super pectus eius. Quòd autem Petrus Dominum plus alijs Apostolis dilexerit, illa verba manifestãt, quæ ipsi dixit: interrogatus enim, Petre diligis me plus his? respondit, Etiam Domine, tu scis quia amo te. Plus his intelligendum est. Tamen si quæramus, quis eorum fuerit melior, quis dubitauit eum qui plus diligit esse meliorem? Sed tamen quantum ipse sapio, meliorem qui plus diligit Christum, feliciorem verò quem plus diligit Christus. *Quis melior, Petrus plus diligens, an Ioannes plus dilectus.*

VERS. 17. DICIT EI TERTIÒ, &c.] *Hinc Patres colligunt primatum S. Petri supra omnes etiam Apostolos. Primò, quia hîc Christus solum Petrum interrogat, quasi Principem & os Apostolorum, vt ait Chrysostomus.*

Secundò, quia tacitè significat se à Petro plus quàm à ceteris amari, ac proinde dignum esse eum qui sibi in amore & curâ gregis succedat.

Tertiò, ex verbis pasce, *id est rege vt pastor quosuis fideles meos, quos nunc oues, nunc blandiùs agnos vocat, idque tum propter vitæ nouitatem & innocentiam, tum propter sequelam suam, scilicet veri Agni qui tollit peccata mundi. Itaque Christus hoc præcepto simul Principatum Ecclesiasticum, siue Pontificatũ instituit. Ita passim Patres, quos vide citatos apud Bellarminum lib. 1. de Pontifice cap. 14. 15. & 16.*

Nota, Christum ter rogasse Petrum, vt videlicet triplicem negationem triplici & constanti singularis amoris professione compensaret. Ita S. Cyrillus, Leontius, Augustinus & Theophylactus ad cap. 21. Ioannis.

Secundò, vt ostẽderet quanti oues suas faceret, quamque pastores earum examinandi essent, maximè de amore.

Contristatus est autem Petrus, quia ex iteratâ interrogatione sibi videbatur Christo de amore suspectus, aut certè timens ne sibi contingeret, quod in passione; & sicut tunc negarat, ita etiam aliquando non amaret Christum. Ita Chrysostomus & Leontius ad eumdem locum. Vnde Dominus consolatur eum, dicens, Petrum Christi amore & exemplo quasi verum Pastorem pro omnibus crucifigendum esse. Ita ijdem ibidem.

VERS. 19. ET CVM HOC DIXISSET, DICIT ILLI: SEQVERE ME.] *SS. Cyrillus & Chrysostomus aiunt, Christum hîc facto dicere quod verbis dixerat. Ita surgens*

gens & abiens Christus à conuiuij loco, inuitat Petrum vt se pedibus sequatur, vt nimirum hoc symbolo significet, eum se secuturum tamquam legitimũ Vicarium in ijs quæ dixerat, scilicet in curâ pastorali ouium, & supplicio crucis.

VERS.20. Conuersus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Ie-
* Ioan.13, 23. sus, sequentem,* qui & recubuit in cœnâ super pectus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te?

21. Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid?

22. Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23. Exijt ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus, quia verum est testimonium eius.

* Ioan.20, 30. 25. * Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

VERS.22 SIC EVM VOLO MANERE.] *Nota hîc cum Francisco Lucâ Notatione 494. triplicem esse lectionem. Prima est Græcorum & Syri, scilicet,* ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, Si eum volo manere. *Secunda est S. Hieronymi l.2. contra Iouinianum:* Si sic eum volo manere. *Tertia est,* Sic eum volo manere; *atque ita legunt S. Augustinus, Rupertus, Beda, D. Thomas, Lyranus, & alij, sicque legendum est cum Romanâ editione. Inde enim optimè suam opinionem de Ioannis immortalitate conceperunt discipuli.*

Nota Secundò, hinc multos sensisse, S. Ioannem non
An & quomodo S. Ioannes mortuus sit. *fuisse mortuum, & venturum cum Eliâ & Enoch. Ita Hippolytus libello de Consummatione sæculi, Dorotheus in Vitâ S. Ioannis, & alij. Secundo alij (quos refert & refellit S. Augustinus hic) docent S. Ioannem intra sepulchrum viuere, eò quòd eius terra dicatur ebullire, putantque hoc fieri eius anhelitu. Tertiò è diuerso Theophylactus vult S. Ioannem occisum esse à Traiano, ex illo Matthæi 20,23.* Calicem quidem meum bibetis.

Nota Tertiò, tamen certum videri, S. Ioãnem naturali morte esse defunctum. Ita Tertullianus, Irenæus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, & alij Patres: ex quibus Baronius docet, S. Ioannem anno Christi centesimo primo, Traiani secundo, Clementis nono, à passione Christi sexagesimo octauo, ætatis suæ nonagesimo tertio, Ephesi esse mortuum, & iuxta eamdem vrbem sepultum.

S. Ioannes vt martyr sit. *Vocatur autem S. Ioannes Martyr, vti docet Tertullianus c.36. de Præscriptione, & S. Hieronymus in c.20. Matth. quia in feruentis olei dolium Romæ missus est, vti antiquissima Ecclesia Romana traditio confirmat. Licet verò Ioannes tunc non sit mortuus, tamen quia voluntariè se morti pro Christo obtulit, & naturaliter debuisset mori, nisi miraculosè mors fuisset impedita, hinc verò Martyr est & dicitur. Vide plura apud Baronium suprà. Illorum autem verborum,* Sic eum volo manere, *sensus varius traditur. Primò Theophylactus, Toletus, & alij, sic, id est, nolo eum mori donec veniam, scilicet ad excidium Ierusalem.*

Secundo alij, volo eum manere, *id est diutissimè.*

Tertiò S. Augustinus, Rupertus, & alij, sic, id est sine violentâ morte volo eum manere, & suauiter volo venire ad me, te verò per crucem.

Quartò & optimè S. Cyrillus respondet, Christum nihil hic affirmare, sed tantũ interrogatiuè loqui quasi dicat, Tu me sequere, *noli curiosè de alio, puta Ioanne, interrogare; tantùm enim vult Christus retundere curiositatem Petri: & sic omnium lectionum erit sensus & consensus.*

S. HIERONYMVS *lib.1. Aduersus Iouinianum sic habet:* Dixit Christus Petro loquenti de Ioanne, Si sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Ex quo ostenditur virginitatem non mori, sed manere cum Christo, & dormitionem eius transitum esse, non mortem. Sed cur non Ioannes electus est virgo, vt super illũ fundetur Ecclesia? Ætati delatũ est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescẽs, & penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur. Vt autẽ sciamus Ioannem tunc fuisse puerũ, manifestissimè docẽt Ecclesiasticæ historiæ, quòd iuxtà ad Traiani vixerit imperiũ, id est, post passionẽ Domini sexagesimooctauo anno obierit. Petrus Apostolus est, Ioãnes Apostolus & virgo: sed Petrus Apostolus tantùm, Ioannes Apostolus, & Euãgelista, &
Propheta: Apostolus, quia ad Ecclesias scripsit, vt *S. Ioannis dignitas.*
Magister; Euangelista, quia librum Euangelij condidit; Propheta, vidit enim in Patmos insulâ, in quâ fuerat à Domitiano Principe relegatus, Apocalypsin, infinita futurorũ mysteria continentem. Refert autem Tertullianus, quòd à Nerone missus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exierit, quàm intrauerit. Sed & ipsum eius Euangelium multum distat à ceteris, quia Ioannes noster vt aquila ad superna volat, & ad ipsum Patrem peruenit, dicens, In principio erat Verbum, &c. Exposuit virginitas, quod nuptiæ scire non poterant. Et vt breui sermone multa comprehendam, doceamque cuius priuilegij sit Ioannes, à Domino virgine, Mater virgo virgini discipulo commendatur.

IDEM *in Epist. ad Paulam & Eustochium ait:* Post ascensionem Domini Ioannes Apostolus & Euangelista Mariam, cui Christus eam de cruce commisit, virgo virginem seruauit, suisque ei deseruiuit obsequijs: non quòd eximius ille sanctorum chorus Apostolorum deseruerit eam, inter quos post resurrectionem in[illegible]s & exiens, familiariùs contulit de Christi incarnatione. Quam sanè B. Virginem, etsi omnes venerati sunt discipuli, eique famulabantur affectu dilectionis, Ioannes tamen ampliùs ac specialiùs vsque in finem vitæ, qui sibi commissam accepit in suam, quasi matrem filius, virgo virgini cohæsit, & deseruiuit officiosissimè, curâ adoptionis. Non enim pudicissima virginitas alicui Apostolorum rectiùs quàm Virgini commendatur, vt esset ad inuicem grata societas, & floridus aspectus, nec non & venustas conuersandi vernans, alternatim pudicitiarum splendore decoratur.

IDEM *lib.3. in c.6. Epist. Pauli ad Galatas, de eodem*

sic

sic ait: B.Ioannes Euangelista cùm Ephesi moraretur, vsque ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre Collectas, nisi hoc, Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignā Ioanne sententiā: Quia præceptū Domini est, & si solum fiat, sufficit.

Restat iam celebris illa in Galilæâ, discipulis promissa & exhibita apparitio, vbi acceperunt mandatum prædicandi ac baptizandi, quam sic narrat

S. MATTHÆVS CAP. XXVIII.

VERS.16. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, vbi constituerat illis Iesus.

17. Et videntes eum adorauerunt: quidam autem dubitauerunt.

18. Et accedens Iesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terrâ.

a Marc.16 15. 19. a Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti:

20. docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis: Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.

HAEC *apparitio, quâ sese Dominus in monte Galilææ discipulis suis simul congregatis exhibuit, præcipua fuit, reliquisque solemnior, quippe quam per semetipsum ante passionem tum etiam post resurrectionem per Angelos ipsis promiserat: non quòd priùs sæpiùs se ijs spectandum offerre nollet, (vti Ierosolymis factum legimus;) sed quia ibi maiori maiestate & gloriâ, pluribusque simul apparuit, videlicet vt S. Paulus*

1.Cor.15,6 *testatur,* plùsquam quingentis fratribus simul. *In alijs autem apparitionibus hoc ferè Christus egit, vt deiectos discipulorum animos erigeret, dispersos congregaret, & in fide fluctuantes firmaret, ac de suâ resurrectione certiores redderet: sed in hac quæ in Galilæa facta est, apertiùs gloriam suam potestatemque illis suam declarauit, dicens:* Data est mihi omnis potestas in cælo & in terrâ, *& discipulos in officio Apostolatus instruxit, secretum vocationis Gentium aperuit, formam Baptismi tradidit, & altissimum SS. Trinitatis mysterium patefecit, & miraculorum gratiam ijs communicauit, dicens:* Euntes ergo docete, *&c.*

Cur Christus in Galilæâ & in monte præcipuam apparitionem habuerit.

Anagogicum huius apparitionis sensum breuiter & pulchre tradit RABANVS *in aureâ Catenâ, his verbis:* In monte quidem apparuit eis Dominus, vt significaret, quoniam corpus, quod de communi generis humani terrâ nascendo susceperat, resurgendo iam super terrena omnia subleuarat, & vt admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre, hîc ab infimis voluptatibus ad superna studeant desideria transire. Iesus autem discipulos in Galilæam præcedit, quia Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Sequuntur autem hi qui sunt Christi, & suo ordine ad vitam de morte transmigrant, in suâ specie Diuinitatem contemplantes: & huic conuenit quòd Galilæa Reuelatio interpretatur.

Hinc docemur, Dominum tametsi multis etiam alijs ipsi seruientibus consolationes spirituales largiri soleat, vberiores tamen & selectiores reseruare ijs qui montem perfectionis ascendunt, eique in statu religioso seruiunt, quos ceteris frequentius visitat, & quasi intimos amicos suos magis efficit cælestium suorum secretorum participes.

VERS.18. DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS, &c.] *Vbi nota, quod illi data sit omnis potestas in cælo & in terrâ, qui eò vsque se humiliauerat, vt se omnibus, non hominibus tantū, sed ipsis etiā potestatibus tenebrarum subijceret. Itaque nos quantò plus nos ipsos humiliauerimus & submiserimus omnibus, tātò ampliori à Christo Domino gloriâ & dignitate præ ceteris euehemur.*

S. HIERONYMVS *apud D. Thomam in Catenâ,* Ille, *inquit,* potestas data est, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui posteà resurrexit. Non enim hoc de coæternâ Patri Diuinitate, sed de assumptâ loquor humanitate. Filius quippe Dei virginis filio, Deus homini, Diuinitas carni contulit, quod semper ipse cum Patre possedit. In cælo autem & terrâ potestas data est, vt qui antè regnabat in cælo, per fidem credentium regnet in terris.

Christi humanitas meruit per humilitatē super omnia potestatem.

REMIGIVS *ibidem:* Et hîc sciendum, *inquit,* quia antequā Dominus surrexisset à mortuis, nouerant Angeli se subiectos homini Christo. Volens ergo Christus etiam hominibus notum fieri quia data esset sibi omnis potestas in cælo & in terrâ, prædicatores misit, qui Verbum vitæ cunctis nationibus prædicarent. *Vnde sequitur*

VERS.19. EVNTES ERGO DOCETE OMNES GENTES, &c.] *Vbi nota, Christum Apostolis mandasse, vt non solùm baptizarent eos qui in ipsum erant credituri, sed etiam vt docerent eos obseruare omnia quæ ipse ijs præceperat. Non enim sufficit ad salutem fides in Christum, nisi adsit obseruatio mandatorum, vti benè obseruat*

Sola fides non sufficit sine bonis operibus.

S. AVGVSTINVS *l. 5 contra Faustum Manichæū, sic scribens:* Euangelium accipere in duobus consistit, in fide & operibus. Sine operibus autem impossibile est intrare in regnum cælorū. Vnde Christus discipulis ait: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eas, & docentes seruare omnia quæ mandaui vobis. Non dixit, docentes eos quia sim natus, sed vt mandata seruent. Item alibi: Amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Non dixit, Si natum me credideritis, *&c.*

Matth.28. 19. Ioā.15,14.

Christus cū suis semper manet.

VERS.20. ET ECCE EGO VOBISCVM SVM.] BEDA *in Catenâ,* Quæritur, *inquit,* quare hîc dicat, Ecce ego vobiscum sum, cùm alibi dixisse legatur, Vado ad eum qui me misit. Sed alia sunt quæ humanitati adscribuntur, & alia quæ Diuinitati. Iuit ad Patrem per humanitatem, manet autem cum discipulis in formâ quā est Patri æqualis. Quòd autem dicit, vsque ad consummationem sæculi, finitum pro infinito ponitur: nam qui in præsenti sæculo manet cum electis eos protegendo, ipse post finem cum eis manebit, eos remunerando.

S. HIERONYMVS *ibidem*: Qui ergo vsque ad consummationem sæculi cum discipulis se esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se numquam à credentibus recessurum.

Et S. LEO *Serm. de Passione:* Qui enim ascendit in cælos, non deserit adoptatos: & ipse deorsum confortat ad patientiā, qui sursum inuitat ad gloriam.

S. MARCVS CAP. XVI.

VERS. 14. Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit: & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

15. Et dixit eis: Euntes in mundum vniuersum, prędicate Euangelium omni creaturæ.

16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

17. Signa autem eos, qui crediderint,
Act. 16, 18. 2. 4. 10. 46. 5. 5, 8. hæc sequentur: "In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquêtur nouis:

18. serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.

19. Et Dominus quidem Iesus post-
Luc. 24, 51. quam locutus est eis, "assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.

20. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.

SANCTVS AVGVSTINVS *apud D. Thomam in Catenâ ex lib. 3. de Consensu sic habet:* Quomodo autem nouissimè hoc factum est? Nouissimũ quippe illud est, quòd Dominum in terrâ Apostoli viderunt, quod factum est quadragesimo die post resurrectionem eius. Num quidnam tunc eã probraturus erat quòd non credidissent eis qui viderant eum resurrexisse, quando iam & ipsi post resurrectionem toties eum viderant? Restat igitur vt intelligamus, nunc Marcum breuiter cõmemorare voluisse, & ideò dixisse Nouissimè, quia ipso die hoc nouissimũ fuit iam incipiente nocturno tempore, posteaquam discipuli de castello redierunt in Ierusalem, & inuenerunt, sicut dicit Lucas, vndecim, & qui cum illis erant colloquentes de resurrectione Domini. Sed erant ibi vtique non credentes. His ergo, sicut Marcus dicit, discumbentibus, & adhuc inde (sicut Lucas dicit) loquentibus, stetit in medio eorum Dominus, & ait illis, Pax vobis, sicut Lucas & Ioannes dicunt. Verbis itaque Domini quę tunc eum locutũ esse discipulis Lucas Ioannesque dixerũt, interponitur & illa exprobratio de quâ Marcus hîc dicit. Sed hîc rursus mouet, quomodo discumbẽtibus vndecim dicit Dominũ apparuisse Marcus, si illud tempus est diei Dominici iam noctis initio, cùm apertè Ioannes dicat non cum eis fuisse Thomam, quem credimus exijsse inde antequam Dominus ad eos intraret, posteaquam illi duo redeuntes de castello cum ipsis vndecim collocuti sunt, sicut apud Lucam inuenitur. Sed Lucas in suâ narratione dat locum, quò possit intelligi, dum hæc loquerentur, priùs inde exijsse Thomam, & posteà Dominum intrasse. Marcus autem qui dicit, Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, etiam Thomam illic fuisse cogit fateri: nisi fortè, quamuis vno absente, vndecim tamen voluit appellare, quia eadem tunc Apostolica Societas hoc numero nuncupatur, antequam Matthias in locum Iudę subrogaretur. Aut si hoc durũ est sic accipere, illud accipiamus, post multas demõstrationes eius, eum nouissimè recũbentibus vndecim apparuisse, id est ipso quadragesimo die: & quoniam iam erat ab eis ascensurus in cælum, hoc eis illo die magis exprobrari voluisse, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderant, antequam ipsi eum viderent: cùm vtique post ascensionem suam prædicantibus Euangelium, etiam Gentes quæ non viderunt fuerant credituræ. Post illam quippe exprobrationem ait idem Marcus, Et dixit eis: Euntes in mundũ vniuersum. Et infrà: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Hoc ergo prædicaturi, nónne ipsi primitus fuerant obiurgandi, qui antequam Dominum vidissent, non crediderunt eis quibus priùs apparuisset? *Vide hac de re pulchras quæ infra Octauam Ascensionis leguntur Lectiones ex SS. Leone, Gregorio, Augustino.*

VERS. 16. QVI CREDIDERIT ET BAPTIZATVS FVERIT, SALVVS ERIT.] *Vbi nota, non soli fidei salutem tribui, vt volunt hæretici, sed fidei per dilectionem aliasque virtutes operanti, vti Christus explicat in pœnitentiâ Magdalenæ, Lucæ 7. v. 47. Nominatur tamen sola fides, tum quia initio Ecclesiæ maximè necessaria erat, & maximè inculcãda quia noua & inaudita; tum quia fides principium est cæterarum rerum ad salutem conducentium. Quare Christus & Paulus sub fide, vt principio, omnia dona & virtutes, quasi fructus in arbore & radice metonymicè intelligunt. Fidem enim non opponunt charitati & gratiæ, sed legi veteri & naturæ viribus, idque vt probent necessitatẽ Redemptoris, fidei ac gratiæ Christi. Ita S. Augustinus lib. de Fide & operibus cap. 14 tom 4 & Conc. Tridentinum sess 6. c 8. Tunc ergo credendo saluabimur, cùm ea obseruauerimus quæ in Baptismo promisimus, & nostris operibus non contradixerimus illis quæ credimus, cùm illi non verè credere putandi sint, qui factis contraria ostendunt ijs quæ credunt; de quibus dicit Apostolus ad Tit. 3.* Qui confitentur se nosse Deũ, factis autem negant.

Non sola fides sufficit ad salutem, nisi ei opera respondeãt.

S. BERNARDVS *Serm. 1. de Ascensione*, Sed quid, *inquit*, ad hæc dicemus, fratres? Magna nimis videtur sæcularibus hominibus in hoc verbo data fiducia, vereorque ne dare eam incipiant in occasionem carnis, blandientes sibi plus quàm oporteat sine operibus de Baptismo & credulitate. Verumtamen si consideremus quod sequitur, Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. Nec minor fortasse videbitur ipsis quoque religiosis ex hoc verbo prouenire desperatio, quàm ex verbo priore vanæ spei data sæcularibus occasio videretur. Quia enim ea quæ in præsenti loco scripta sunt signa, videtur habere credulitatis sine quâ nemo poterit saluari, quoniam qui non crediderit, condemnabitur. Et sine fide impossibile est placere Deo. Heb. 11, 6. Quis, inquam, dæmonia eijcit, linguis nouis loquitur, serpentes tollit? Quid ergo? Si nemo hæc habet, aut perpauci nostris videntur habere temporibus, aut nemo saluabitur, aut hi soli qui his muneribus gloriantur, quę non tam merita sunt quàm indicia meritorum, adeò vt multi dicentes, Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas Matt. 7. 22. feci-

Merita præualent signis.

fecimus? audire habeant in iudicio, Nescio vos, discedite à me operarij iniquitatis. Vbi est quod ait Apostolus, cùm de iusto iudice loqueretur, Qui reddet vnicuique iuxta opera sua: si (quod absit) quærenda sunt in iudicio signa potiùs quàm merita? Sunt tamen & ipsa merita signa quędam certiora vtique & salubriora: nec difficilè arbitror nosse quemadmodum intelligi signa possint præsentia, vt sint indubitata signa credulitatis, ac per hoc & salutis. Primum enim opus fidei per dilectionē operantis, cordis compunctio est, in quâ sine dubio ejciuntur dæmonia, cùm eradicantur è corde peccata. Exinde qui in Christū credunt, linguis loquuntur nouis, cùm iam recedunt vetera de ore eorum, nec de cetero vetustâ protoparentū linguâ loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Vbi verò compunctionis cordis & oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidiuū patiamur, & iam sint posteriora deteriora prioribus, serpētes tollant necesse est, id est, vt venenatas suggestiones extinguant. Quid tamen agendum, si qua forrè radix pullulat, quæ tam velociter nequeat extirpari, sed stimulat animum concupiscentiâ carnis? Profectò si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: quoniam iuxta Saluatoris exemplum, cùm gustauerint, nolent bibere, id est, cùm senserint, nolent consentire. sic enim non eis nocebit, quia nulla damnatio est his qui sunt in Christo Iesu, concupiscētiæ sensus absque consensu. Quid tamen? molesta certè & periculosa, sic corruptæ & infirmæ affectionis lucta: sed qui crediderint, super ægros manus imponent, & benè habebunt, id est, ægras affectiones bonis operibus operient, & hoc remedio curabuntur.

Rom. 2, 6.

Quæ signa certa sint & solida.

VERS. 19. ET DOMINVS QVIDEM IESVS ASSVMPTVS EST IN CÆLVM.] B. GREGORIVS *expendēs differentiam Ascensionis Christi atque aliorum Sanctorum, ita in Homilià de Euangelio Ascensionis scribit, vnde hæc in Catenam suam D. Thomas retulit:* In veteri Testamento cognouimus, quòd Elias sit raptus in cælum. Sed aliud est cælum æthereum, aliud cælum aëreum. Cælum quippe aëreum terræ est proximum. In cælum itaque aëreum Elias subleuatus est, vt in secretâ quadam regione terræ repentè duceretur, vbi in magnâ iam carnis & spiritus quiete viueret, quoadusque ad finem mundi redeat, & mortis debitum soluat. Notandū quoque est, quòd Elias in curru legitur ascendisse, vt apertè demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Per Angelos quippe facta illa & ostensa sunt adiumenta: quia nec in cælum quidem aëreum per se ascendere poterat, quem naturæ suæ infirmitas grauabat. Redemptor autē noster non curru, non Angelis subleuatus legitur: quia qui fecerat omnia, nimirum super omnia suâ virtute ferebatur. Illò etenim reuertebatur, vbi erat; & inde redibat, vbi remanebat: quia cùm per humanitatem ascenderet in cælum, per Diuinitatem suam & terram pariter continebat & cælum. Sicut autem Ioseph à fratribus venditus, venditionem Redemptoris nostri figurauit: sic Enoch translatus, atque ad cælū aëreum Elias subleuatus, Ascensionem Domini vterque designauit. Ascensionis ergo Dominus prænuntios & testes habuit, vnum ante legem, alium sub lege, vt quandoque veniret ipse qui veraciter cælos penetrare potuisset. Vnde & ipse ordo in eorum quoque vtrorumque subleuatione per quædam incrementa distinguitur: nam Enoch translatus, Elias verò ad cælum subuectus esse memoratur, vt veniret postmodum, qui nec translatus, nec subuectus, cælum æthereum suâ virtute penetraret.

Differentia Ascensionis Christi & translationis Eliæ & Enoch.

4. Reg. 2, 11.

S. AVGVSTINVS *Serm. 176. de Tempore.* Elaboremus, *inquit*, ergo, charissimi, vt quemadmodū Dominus in hac die nostro cū corpore ad superna cōscendit, ita & nos post illum, quomodo possumus, spe ascendamus, & corde sequamur. Ipso affectu pariter & profectu ascendamus post illum, etiā per vitia & passiones nostras. Si vtique vnusquisque nostrûm subdere eas sibi studeat, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradū construit, quo possit ad superiora conscendere. Eleuabunt nos, si fuerint infra nos. De vitijs nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Nam cum bonitatis Auctore non ascendit malitia, nec cum filio Virginis, libido atque luxuria. Non ascendunt vitia post virtutum parentem, peccata post iustum. Vnde si intrare ipsius medici regnum volumus, priùs vulnera nostra curemus.

S. LVCÆ CAPVT XXIV.

VERS. 49.[a] Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quousque induamini virtute ex alto.

[a] Ioan. 14, 26.

SPIRITVS sancti aduentum, quem per Ioëlem Deus anteà promiserat, hîc iterùm discipulis Saluator promittit, & virtutem ex alto, vt sint fortes & inexpugnabiles, ac sine timore vllo vbique diuinum mysterium prædicent.

17. Cur autem non Christo præsente vel discedente, statim Spiritus venit, sed die quadragesimo ab eo quo hæc dixit? Et quomodo cùm nondum aduenisset, ait, Accipite Spiritum sanctum? Vt nempe capaces illos redderet & idoneos ad tantā Spiritus abundantiam recipiendam. Si enim Angelum visurus Daniel defecerit, potiori vtique ratione hi tantam recepturi gratiam. Vel dicendum, quòd futurum quasi non factum indicarit. vt cùm ait, Ambulate supra serpētes & scorpiones. Cur autem nondum venerat? Decebat enim eos fieri cupidos rei, & sic demum recipere gratiam, idcircò ipse priùs auolauit, & tum deinde Spiritus venit. Si enim Christus adfuisset, non tam auidè Spiritum expectassent. Quare ne ipso quidem ascendente statim Spiritus sanctus aduenit, sed post octo aut nouem dies. Tunc enim magis ad Deum erigimur, cùm incumbit necessitas. Oportebat naturam nostram interim in cælo comparere, & fœdera consummari, ac deinde Spiritum aduenire, & gaudia serena celebrari. Si enim illo quidem pręsente alter abijsset, alter verò remansisset, non tanta consolatio extitisset.

CHRYSOSTOMVS

Luc. 10, 19.

18. Diuinus itaque Spiritus inuocatus decimo post Ascensionem, quinquagesimo verò

rò à Resurrectione die, in sanctos discipulos, vn Dominus promiserat, descēdit. Non post multos dies, à Christi nempe in cælū Ascensione, diuinus id Lucas completum scribit, quod impius ille Montanus longo pòst tempore factum mentitur, Dominum mendacij insimulans, & discipulos promisso frustratos, aliosque promissionem hanc iniuste consecutos esse, quasi alij quidem labores certaminum exantlarint, alij verò desides præmia retulerint. Verùm mihi dicat impius ille, in quonam Spiritu Christi discipuli miracula patrarint, Gentes ad pietatem informarint. Quòd si igitur Dominus promissionē suam adimplerit, non multos post dies à suâ in cælum Ascensione, virtute ex alto discipulos circumcinxit, & lex Spiritus ac vitæ nos in Christo liberauit à lege peccati ac mortis. Euanida igitur omnino est satanica Montani malevolentia, ad tantam præ inuidiâ cæcutiens veritatem, quasi quòd maius his atque perfectius sibi credentibus ac suis asseclis contigerit, fabulosè comminiscentis.

VERS. 50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis benedixit eis.

QVADRAGESIMA scilicet post resurrectionem die hoc factum est, vt in Actis habetur.

" Act. 1, 4. Marc. 16, 19. VERS. 51. " Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cælum.

VIDENTIBVS quidem discipulis non resurrexit Dominus, sed cernentibus illis est eleuatus in cælum, ac resurrectionis quidem finem viderunt, non autem principiū: Ascensionis verò contrà initium quidem conspexerunt, sed non finem, ibi enim initium protraxit, vt ipsum viderēt hæc dicentem, & monumento indicante quòd non sit ibi, sed quæ posteà acciderunt, ex relatione discere debuerunt. Cum enim oculi eorum ad tantam celsitudinem pertingere non possent, neque cognoscere vtrùm ad cælum ascendisset, ceterùm hoc ab Angelis didicerunt. Si quis igitur depositam esse carnem dixerit, & diuinam Christi naturam corpore nudatam esse, ne cum impedimento aut tegumento sit aut veniat, ille, inquam, gloriam aduenientis Domini non videat. Vbi enim modò sit corpus, si non cum eo qui illud assumpsit? Non enim secundùm insanos Manichæos in sole alibi depositum, vt ibi propter conditionis suæ vilitatem nobilitetur; vel in aërem diffusum est aut dissolutum, vt natura vocis, & fluxus odoris, & fulguris cursus nunquam subsistens. Quorsum enim palpando post resurrectionem est contrectatum? In hac carne aliquando videbunt eum in quem cōfixerunt. Post vniuersalem enim resurrectionem vt vniuersæ naturæ iudex videbitur: nam iuxta Zachariæ prophetiam videbunt in quem confixerunt. Quomodo autem hæc prophetia suum finem assequatur, crucifixoribus naturam quam crucifixerunt non cognoscentibus? Audiui & victorem Stephanum exclamantem, Ecce video cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei visibilem vtique, non autem inuisibilem naturam. Act. 7, 56.

Theodor. Dial. 2. cōt. Hereticos ex Naz. Ep. ad Cledonium.

Ostendam autem etiam post resurrectionem Domini, corpus fuisse appellatū. Audi igitur Apostolum dicentem: Nostra autem conuersatio in cælis est, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Non igitur in aliam est permutatum naturam, sed corpus permansit, diuinâ quidem gloriâ plenum, lucisque radios emittens. Illi reliquorum quoque Sanctorū corpora conformia fient. Si autem in aliam illud esset naturam permutatum, horum similiter corpora immutarentur; illi enim conformabuntur. Cùm verò Sanctorum corpora propriæ retineant delineamenta naturæ, vtique & Dominicum corpus propriam similiter substantiam immutatam retinet. Quid igitur? Corpora, inquit, Sanctorum corpori Dominico erunt similia, siquidē & illa corruptionis erunt expertia, participabunt verò, vt inquit Apostolus, de gloriâ Dei, Si tamen compatimur, vt & conglorificemur. In quantitate tamen ac luminis intensione magna reperitur differentia, & tanta quidem, quanta inter solem & astra, vel potiùs quanta inter Dominum & seruos, & inter id quod illuminat, & quod illuminatur. Propriorum tamen nominum suorum etiā seruos participes fecit, & qui lux vocatur, Sanctos etiam suos lumina appellauit. Vos enim, inquit, estis lux mundi. Et qui Sol iustitiæ & appellatur, & est, de seruis suis dixit, Tunc iusti fulgebūt sicut sol: secundùm qualitatem nempe, non autem secundùm intensionem ac quantitatem Sanctorum corpora Dominico corpori conformabuntur. Quem Dominum crede iterùm venturum in secundo aduentu gloriosum, iudicare viuos & mortuos non quidem carne crassâ, non incorporeum tamen, sed glorioso ac Deo digno corpore indutum vt videri possit ab ijs qui in eum cōfixerunt, ita vt crassities tamen à Diuinitate absit.

Phil. 3, 20. Corpus Christi idem post resurrectionem quod ante. Rom. 8, 17. Mat. 5, 14. Matth 13, 43.

Considera verò honorem modò quem per has primitias accepit, Nihil erat homine vilius,

vilius,& nihil factum est homine pretiosius. Vltimum erat rationalis creaturæ membrũ, sed pedes facti sunt caput, & per has primitias in Regali collocati sunt throno. Deus nobis iratus fuit, nos verò eius iras contẽpsimus, benignum Dominũ auersati: sed Christus sese vt mediatorem interponens, naturæ nostræ Patri primitias obtulit, & donum ipsum Pater admiratus fuit, cùm propter offerentis dignitatem, tum ob rei oblatæ puritatem. Etenim proprijs illud manibus excepit, & proprij sui throni particeps effecit, & quod amplius est, ad dexteram suam collocauit. Consideremus itaque cui dictum sit, Sede à dextris meis; quænam verò sit illa natura cui dixit, Terra es, & in terram reuertẽtis. Quanã ratione, quibus verbis explicem nescio, vt natura debilis, natura vilis, quæ omnium postrema erat, hodie demonstrata sit omnia superasse, omnia transcendisse, omnia accepisse, quod olim Angeli desiderabant. Hodie rerũ adeò concupitarum spectatores fieri potuerunt, naturamq́; nostram in throno Regali immortalitatis gloriâ fulgere conspexerunt. Benedicens enim discipulis suis Dominus, illosq́ue paulùm præcedens, eleuatus est in cęlum, vt Patri cum vnitâ sibi carne assideret, vti & nobis anteà insi-
Ioan.17.5 nuauerat, dicens ad Patrem: Clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate quam habui, priùs quàm mundus esset, apud te. Restituta itaque est pristino splendori, ac denuò reluxit prima illa Filij gloria, quam habuit ab initio in eius è terrâ ad cælum ascensione, nobisq́ue Dei Verbum in humanâ formâ existens cæli viam instaurauit ac patefecit. Post tempus autem præfinitum rursum veniet in gloriâ Patris cum sanctis Angelis, & nos secum assumet.

VERS. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno:
53. & erant semper in templo, laudantes & benedicentes Deum. Amen.

DISCIPVLOS benedictionibus confirmauit, Spiritus sancti promissione recreauit, & ascensione ad cælum illorum animos erexit ac sublimes reddidit: vnde & adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno; vbi resederunt, orando virtutem ex alto præstolantes, erantq́ue ieiunantes, non in communibus ædibus commorantes, sed in templo sanctè conuersantes, cùm aliunde, tum ab ipso etiam loco pietatem ac deuotionem edocti, & virtutem promissi Spiritus laudabant, qui promissionem recipiebant. Laudemus igitur & nos quoque incarnatum Dei Verbum post mortem assumptæ carnis à mortuis resuscitatum, quò corruptionem aboleret, qui & cælum ascendit, ac denuò in fine sæculi venturus est iudicare viuos & mortuos, per quem, & cum quo Deo Patri sit gloria & potestas, cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum, Amen.

INDEX
RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM.

a primam, b columnam secundam paginæ denotat.

Affectus

Angeli

Aqui-

B.

Circum-

Concu-

D.

morbos

Ebrie-

E.

Figura

cur

Homo

quomodo

per

Merce-

Myste-

O.

Oratio

eius

cerdis

 Pugna

Remu-

item

 eius

T.

destrui-

eius

Vesti-

omnibus

Vsu-

INDEX CONCIONATORIVS,

qui etiam puncta meditationis suggerit.

DOMINICA I. ADVENTVS.
*Matth.*24. *Lucæ* 21.

SIGNA IN SOLE. Quia obscurabitur, Deo concursum ei suum subtrahente,& lumen adimente,vt in Christi passione factum. Horũ typus in excidio atrocissimo Babylonis,Tyri,Ægypti & Iudæę. 522.b

Stellæ obscurabuntur,& lumen suum retrahent, vt hominibus cælo excidisse videantur. 523.a

Sol obscurabitur. Notitia Christi silebit. Luna Ecclesia,sanctitatis suæ claritatem non demonstrabit. Stellæ,qui videntur Sancti, transgredientur, & cadent de dignit. te cælesti. Persecutio suscitabit transgressionem, transgressio autem Christianitatis obscurabit candorem. 522.b

ARESCENTIBVS HOMINIBVS PRÆ TIMORE. Timoris sex gradus. 389.b

Timor Dei vtilis. 127 a Humanus noxius. 33. a

VIRTVTES CÆLORVM. Angeli mouebunt ordinem vniuersi,& modum mouendi cælos mutabunt. Vel potiùs, sidera commouebuntur ad homines percellendos. Vel, cæli mutabunt motus suos, aspectus & influentias. 524.a

Iudicium Dei & horrẽdum tribunal considera: incorruptum Iudicem, igneos amnes, eos qui pro tribunali raptantur, ardoreque flammæ æstuant, peracutos gladios, atroces pœnas,cruciatum sempiternum, tetram caliginem, exteriores tenebras, pestiferum vermem, vincula quæ nulla vi frangi queant,dentium stridorẽ, eiulatum consolationis expertem, theatrũ naturæ superioris & inferioris.

Omnia Iudex,vt sunt,in medium proferet:nullus qui è supplicio eruat,adetit;non pater,non mater,non filius. Considera anxietatẽ,suffocationem, mortis horam,sententiam Dei vrgentem, Angelos festinantes, animam in his grauiter conturbatam, quæ à peccatrice conscientia amarè flagellatur, & ad ea quæ hîc sunt mirabiliter se cõuertit, & ineuitabilem longæ illius peregrinationis necessitatem. Bona,mala,manifesta,occulta, res, verba, cogitationes,omnia aceruatim vt ab omnibus Angelis & hominibus exaudiri possint, manifestè reuelabuntur. Ad hæc quales necesse est esse eos qui malè vixerunt! Vbi anima illa mergetur,quæ in tot spectatorum conspectu derepentè turpitudine plena visa est? Crux quæ fidelium & impiorum olim scandalum fuit,tunc eorumdem condemnatio erit atque tormentum. Hoc vexillum Crucis Angeli deferent ante conspectum Christi Iudicis descendentis ad iudicium. 524.b

VIDETE FICVLNEAM. Quid innuat ficulnea sub Nathanael. 122.a,b

Ficus & vinea quid significent. 350.b

Ficus infructuosa,tres Iudæorum politiæ. 351. eam arefecit Christus. 49.a,b

APPROPINQVAT REDEMPTIO VESTRA. Erigẽtur qui antè curui fuerant,& eleuabunt capita,humiliati quondam. Christus viuificatiuis radijs nouum sæculum illustrabit. 525.b

Redemptio per Christi aduentum. 545.b. 546.a

Liberari dupliciter dicitur. 285 a

Liberati serui per Filium. 306.a

Tyranni tempore natus Christus,vt tibi libertatem restitueret. 49.a

Libertatem spiritus inquire. 132.b

REGNVM DEI. Eius præcellentia. 28.a Non est de hoc mundo. 597.b

Regna varia significabat statua Nabuchodonosor. 28.b

Regnum primum occupat Nemrod. 96.a.

Regna mundi caduca in momento ostenduntur. 110.b.111.a

Regnant qui Deo seruiunt. ibid.211.a

Regnat Christus super mentem & rationem nostrã. 244.a.257.a,b. Paruulis reuelatur. 306.b. 317.a Regnat etiam in nobis per doctrinam Euangelicam. 354.a,b

Regno cælorum vis inferenda. 400.a.429.a,b

Titulus Crucis regnum super tres nationes insinuat. 606.a.477.a

DOMINICA II. ADVENTVS. *Ioan.* 1.

DOMINICA III. ADVENTVS. *Ioan.* 1.

Cognitio

DOMINICA IV. ADVENTVS. *Lucæ* 3.

Inue-

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM. *Lucæ* 2.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM. *Matth.* 8. *& Luc.* 5.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM. *Matth.* 8. *& Luca* 8.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM. *Matth.* 13.

Diabo-

Diabolus seminat hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter innocentes nequitiam: non vt acquirat zizania, sed vt triticum perdat; nec vt reos capiat, sed vt adimat innocentes. 223.a

APPARVERVNT ZIZANIA. Tormenta animi non sentit qui non proficit; putat enim quia pax est: sed incipiat proficere, & tunc videbit in qua pressura sit. Qui apponit scientiam, apponit & dolorem. Existat fructus, & apparebunt zizania.

Frumentum Christi inter zizania gemit, donec veniat messis & finis sæculi. Discerne causam meã. Par infirmitas, sed dispar conscientia: par labor, sed dispar desiderium. Causa & persona paleæ non præiudicat frumento, quamuis in eadem area triturentur, donec nouissima ventilatione separẽtur. Intereà non separantur, ne rapiatur peccator ad vitæ emendationem spectans: ne cum improbis parentibus insontes liberi simul excidantur. Esau peccantem non demessuit nondum editâ prole, ne vnà quoque lobum euelleret; nec Matthæum occidit, ne Euangelij prædicationem impediret. Nec Petri abiurationem, quia eius calentes lacrymas prospiciebat. 223.a,b

Vbi bonum Dei, illic & scandalum erit inimici. Proponis facere eleëmosynam? in cor ascendit vt velis hominibus apparere. Perfice opus tuum, ne dum vis cogitationi vanæ resistere, perdas opus bonum. Resiste concupiscentiæ malæ, & eris gloriosior quia vicisti, tamquam non fuisses pulsatus. Sine crescere, duc opus tuum ad perfectum: & sic illa vana cogitatio quasi zizanium exsiccatur, euacuatur & perit: bonum autem opus quasi triticum manet. Si quis gaudet quia non præualuit aduersus eum concupiscentia, sed confusa recessit, intelligat quia zizaniũ fuit ex necessitate carnis natum, & non fuit animæ eius voluntas. 224.b

Seruorum Dei officium est videre in se & alijs, satis citò, defectus & peccata: visis zizanijs, Dominum consilij gratiâ accedere: mirari, tristari, irasci, indignari, queri, scire vnde proueniant; causas malorum inquirere, & illas non reijcere in Deum: sentire in se desiderium mala omnia tollendi: exquirere consilium & Domini voluntatem, vt ei se conforment: zelum & affectũ dirigere secundùm Dei voluntatem, legem & doctrinam; perfectè obedire. 224.a

SINITE VTRAQVE CRESCERE VSQVE AD MESSEM. O Christiani mali, qui implendo premitis Ecclesiam malè viuendo, corrigite vos antequam messis adueniat: à vobis exigit Deus pœnitentiam. 222.b

Boni tolerent malos: mali mutentur & imitentur bonos. Non statim ad vindictam, sed magis ad tolerantiam recurramus; ne si vlciscendo talionem malis reddamus, bonis præbeamus scandalũ imitationis. Sed vbi quid ambiguum est, non citò proferamus sententiam; sed Deo Iudici terminum reseruemus. 224.b

MESSIS. Cùm perfectæ animę corporibus abstractæ, velut naturæ segetes à terra decisæ, ad cælestia horrea demigrant. 224.b

COLLIGITE PRIMVM ZIZANIA, ET ALLIGATE EA IN FASCICVLOS AD COMBVRENDVM. Rapaces enim rapacibus, adulteros cum adulteris, fornicatores cum fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis: falsos testes cum falsis testibus, fures cum furibus, derisores cum derisoribus. 224.b

TRITICVM CONGREGATE. Impij vtiles sunt ijs qui digni sunt regno cælorum, sicut palea tritico: sed non id amoris diuini proximive intuitu faciũt, siue in spiritualibus donis, siue in corporalibus beneficijs, & sic seipsos deserunt imperfectos. Palea rapitur vento flante ad proprium locum; triticum verò ventum superans defertur ad suum. Tentatio cùm aliquem vincit non efficit illum paleam, hoc est, leuem aut infidelem; sed talem existentem arguit. 92.a

Electi secundùm propositum. 463.a

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.
Matth. 13. *& Lucæ* 13.

GRANO SINAPIS significatur cælestis doctrina seminum more in mundo hoc tamquã in agro sata, habens in se igneam & constringentem virtutem.

Christus in corde terrę occultatus, post triduum in maximã arborem excreuit, ramos suos ad extremos terrę protendens. Ex eo pullularũt duodecim Apostoli. Sinapi bilem diminuit, hoc est, iram & phlegma exscindit, id est fastum atque superbiam.

S. Scriptura præcedit omnes scientias, quia veritatem parit. Qui se nomine philosophiæ iactabant, suis dogmatibus valere iussis, diuinam illam vmbram expetunt, & ad ipsam confugiunt.

Ex istius seminis virtute prodijt Ecclesia, vbique terrarum propagata, vt Angeli etiam ac animæ sanctæ in ramis eius quiescant.

Granum sinapis vile, despectum, non saporem præstans, non odorem circumferens, non indicans suauitatem: vbi teri cœperit, statim odorem suum acrimonia exhibet, cibum flammei saporis exhalat. Hieme repellit frigus, humores egerit, viscerum interna calefacit: sæpè capiti adhibet medicinam. Ita fides vbi tentationibus teri cœperit, statim vigorem suum prodit, calorem Dominicæ credulitatis aspirat. Fidei vigor cordium peccata comburit, & delictorum diabolicum frigus expellit, libidinis fluenta consumit, & fidei sancto odore perfruitur.

Cùm sinapi succum sumimus, ad lacrymas promouemur. Ita cùm fidei Christianæ mandata percipimus, ad lacrymas promouemur, & salutẽ cum fletu ac mœrore consequimur. Inde ieiunia nos exasperant, peccatorum conscientia macerat.

Christus nascendo in hominem humiliatus, ascendendò ad cælum exaltatus vt arbor est. Granum, dum patitur; arbor, dum resurgit. Granum, cùm famem esuriens sustinet; arbor, cùm quinque panibus saturat quinque millia virorum. Granum, dum cæditur, contemnitur, increpatur; arbor, dum cæcos illuminat, mortuos resuscitat, peccata condonat.

Ioseph ab Arimathæa Christum in animæ suæ intimis collocauit.

Rami Petrus, Paulus, Apostoli, Martyres: ad quos si quis se fortiter tenere voluerit, fluctibus sæculi minimè submergetur; sed sub vmbra illorum latitans gehennæ non patietur ardorem, securus & diabolicæ tempestatis procella. 353.354.

FERMENTO. Per farinam significantur homines omnes qui fide Christi fermentati & conditi sunt.

Tria sata, Europa, Asia, Africa. Vel, doctrina Euangelica hominis spiritum, animam, corpus sibi vnit ac contemperat.

Mulier, sapientia: fermentum, dilectio ex toto

 corde,

corde, anime, mente. Vel, fructus centesimus, sexagesimus, trigesimus. Vel, Noë, Daniel & Iob.

Fermentum totam massam fermentat: pauci Apostoli viriti atque commixti ijs qui eos oppugnabant, ipsos superabant.

Fermentum non aboletur, sed vniuersa in suam naturam transmutat, ita in prædicatione Euangelij fit. Magna virtus prædicationis, & quod semel fermentatum est, ceteris iterùm fit fermentum.

Incarnatio Christi homines ad nouum opus renouauit. 356.357

APERIAM IN PARABOLIS OS MEVM Turbæ non capiunt parabolarum interpretationem: sed discipuli eius, qui relictis turbis confidentiam habent intrandi in domum Iesu, vt internum parabolarum sensum perdiscant. Pauci discipuli qui arctam asperamque viam ambulant, & reperiunt semitam quæ ducit ad vitam, ad ipsum in domum eius intrant. Quænam sint sapientum dicta. Ænigmata. 257.a,b

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ. *Matth.* 20.

EXIIT PRIMO MANE CONDVCERE OPERARIOS. Ex Dei gratia & sine iniustitia fiet, vt qui hîc primas tenere visi sunt, in nouissimo die postremas teneant; & qui hîc nouissimi fuerunt, tunc primi habeantur; Apostoli abiecti, præferantur Scribis & Pharisęis, Gentiles Iudæis, qui tamen primò à Domino vocati, vt primas in regno Dei tenerent; filij noui Testamenti præferantur filijs veteris Testamenti, qui sub vmbris laboriosissimè seruiebant legi & operibus legis præfisi, falsò hoc regnum sibi debitum arrogabant. Illi verò fidei & gratiæ Christi humillimè se subdiderunt & strenuè illi cooperati sunt. 459.b

Vinea Ecclesiam designat: Vespera diem Iudicij extremi, quo cuique dabitur pro meritis vel demeritis. Denarius, integra merces diurna, numero, specie, & gradu dispar. 459.b

Aliqui per diem intelligunt decursum mundi, & tempus per horas: primam ab Adam ad Noë, tertiam à Noë ad Abraham, sextam ab Abraham ad Moysem, vndecimam à Christo ad finem mundi. Alijs horæ sunt infantia, pubertas, ætas virilis, senium, decrepita ætas. Christus cuique inijcit aculeum: ei qui citò venit, ne torpore suo alijs postponatur; et qui tardè venit, vt feruore tarditatem compenset, ac primos æquet, vel superet. 460.a

Anima tua, vinea est, circumdata septo, tum ea securitate tutelâve quæ ex præceptis resultat, tum ipsa custodia Angelorum. Quasi perticas defixit Deus, positis in Ecclesia Apostolis, Prophetis, Doctoribus. Exemplis prætereà veterum hominum Beatorumque sensus nostros in sublime erexit, neque permisit in humo nos esse deiectos, ac dignos esse qui conculcemur. Vult etiam nos quasi clauiculis aut alijs arboribus, amplexibus charitatis proximis inniti ac adhærere, & in ipsis etiam conquiescere; vt iugi affectu sursum versus feramur, & quasi arbustiuæ vites nos ipsos adæquemus sublimium fastigijs arborum. Et à nobis exposcit, vt dum defodimur, sustineamus. Defodimur, dum tenacibus mundi exuimur curis, quæ cordibus nostris grauissimo sunt oneri. 460.b

Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nihil incultum desertumque in se sapiens derelinquet. Non est vinea stulto: nihil plantatum, nihil elaboratum, tota spinis siluescit & tribulis. Bona naturæ & dona gratiæ, primò suam vineam, in non vineam negligendo redegit. Non potest vinea esse vbi vita non est. Bona vinea iustus, cui virtus, vitis; cui actio, palmes; cui vinum, testimonium conscientiæ. Fructus vineę profectus nostri sunt. Pessimæ vulpes, occultus detractor; sed non minùs nequam adulator blandus. 461.a

Vineæ florent, cùm mentes fidelium bona opera proponunt: sed fructus non pariunt, si ab eo quod proposuerunt, aliquibus victi erroribus infirmantur. Mirum non est si quis bona inchoet; sed mirum si intentione recta in bono opere perduret. ibid.

Primùm necesse est vt vitis germinet in pampinis, spem promittat in floribus; vt flore decusso futuri botri species deformetur, paulatimque turgescens, vuam parturiat, vt pressa torcularibus dulcia musta desudet. ibid.b

Semper vigila: putata repullulant, effugata redeunt, reaccenduntur extincta, sopita denuò excitantur. semper putandum est.

Qui in hac vita quæ sua sunt quærit, adhuc ad Dominicam vineam non venit. Illi laborant Domino, qui lucra Dominica cogitant, qui zelo charitatis, studio pietatis inseruiunt, animabus lucrandis inuigilant, perducere & alios secum ad vitam festinant. 461.b

OTIOSI. Otiosus dicitur, qui opus Dei non operatur: qui malū facit, otiosus non est, sed mortuus. Cole ieiunij vitem, dans pauperi quod manducaturus fueras. Mercenarius qui non operatur, non audet petere panem: & quomodo audes intrare Ecclesiam, cùm nihil boni fecisti? Positus es ad colendam iustitiam; si neglexeris, proijcieris. Desertæ vineæ exigetur à te damnum.

A NOVISSIMIS Hora vndecima venit latro, qui Deum in cruce confessus, pæne cum voce sententiæ spiritum exhalauit vitæ. Ad paradisi requiem priùs latronem quàm Petrum perduxit. 462.a

MVRMVRABANT. Murmurare patrum erat post labores diu differri ad regnum, & in limbo detineri. 462.a

PONDVS DEI. Tametsi ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingressi sunt: non tamen quantum ad animi liberæque voluntatis modum. Hi nulla condicta mercede ad laborē accesserunt, quod maioris fidei argumentum est. Hi non murmurant, nec inuident. Illis mercedis rationem habebat quod donabatur, his gratiæ. 462.b

NOVISSIMI PRIMI. Nemo se de opere, nemo de tempore extollat. Nescimus qua subtilitate supernus iudex bona opera examinaturus sit.

PAVCI ELECTI. Ad hodiernam festiuitatem multi conuenimus, Ecclesiæ parietes implemus, sed tamen quis sciat quàm pauci sunt qui in illo electorum Dei grege numerantur. Vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat. Multiplicantur super numerum, qui ad fidem veniunt, sed propter vitam reprobam numerari in sorte fidelium non merentur. Neque enim possunt qui hîc carnis suæ voluptatibus seruiūt, illic in ouium grege numerari. Nemo de se præsumat, nemo proximum despiciat. 462.b

Quicumque electi, etiam vocati: sed non quicumque vocati, electi. Si quis perit, humano vitio vincitur. Non habet perseuerantiam, quæ ad beatam vitam perducit electos. 463.a

DOMI-

Dominica Sexagesimæ. *Lucæ* 8.

Cvm tvrba plvrima convenirent, et ex civitatibvs properarent ad Iesvm. Christus in parabolis loquitur. Iuxta mare, quia turbę & æterni homines, à maris fluctibus & aqua falsa non procul distant. 217.a

Prima parabola Christi diuersas in audiẽdo Dei verbo differentias manifestat, causasque prædicit, cur aliqui diuinâ gratiâ excidant. 218.b

Pharisæis in parabolis loquitur, quia indigni, cùm magis curiositatis & calumniandi quàm credendi causâ Christum accederent. 220.b.221.a

Exiit qvi seminat, seminare semen svvm. Exijt de proprijs regni sui cellis, ad nos, qui extranei facti sumus, ex quo Deus Adamum eiecit & ablegauit ad locum illum, qui erat è regione paradisi voluptatis; propter inobedientiam paradisi exul, semina agriculturæ quæ habuerat perdidit, & substantiam in aliena regione dilapidauit. Itaque Christus exijt ad nos, vt in nobis cæleste semen seminaret. 219.a

Qvi habet avres avdiendi, avdiat. Id est, mentem docilem ac obedientem. Auditio intelligentiæ est. Auditor excitatur vt intelligenter excipiat dictorum sententiam. 219.b

Apertis oculis non videmus, cùm animum non attendimus: ita apertis auribus nõ audimus, quando cum attentione non auscultamus. 220.b

Venit diabolvs, & aduersarius, eò quòd Deum apud homines traducat, & nos apud Deum, ac denuò nosipsos apud inuicem. Num gratis colit Iob Deum? 221.b.222.a

Ad tempvs credvnt, et in tempore tentationis recedvnt. Duo gradus suscipientium verbum Dei: primus illorum qui digni facti sunt vocatione cælesti; sed excidunt gratiâ, propter negligentiam & torporem. Secundi in bonis fructibus multiplicant semen. 219.b

A spinis. Spinæ non permittunt oriri semen, sed densitate sua suffocant immissum: ita diuitiæ sollicitudinem accendunt, curis obfuscant, possessores delicijs molliores reddunt, senectutem citiùs adducunt, sensus obtundunt, obnubilant intellectum, mentem perspicacem excæcant, flaccidum corpus reddunt, & lautam stercoris officinam efficiunt. Venter pedes punit, manus ligat, quosdam oris oculorumque distortione ac capitis dolore discruciat. Ita vel inuitus temperantiam disce. 221.a,b 222.a

A sollicitvdinibvs et divitiis et volvptatibvs vitæ evntes svffocantvr. Homines negligentes & socordes in custodienda anima, auari, amantes voluptatum, persecutionis æstum non ferentes, pereunt.

Si quis spinas habet, spiritali illas igne comburat. Si quis duræ ac refractario corde, molle illud tractabileque efficiat eodem denuò vtens igne. Si quis latam viam ab ingruentibus curis conculcetur, ad interna ingrediatur, ne insidiantibus præda fiat. 220.a

Caue ne à malis spiritibus diuinum semen auferatur, ne lucerna cordis extinguatur: aut æstu passionum vrentium, aut tentationum occultarum, vitalis humor arescat, aut rhamnis ac spinis vanarum curarum & sollicitudinum, timoris Dei, fideique semen suffocetur; & sterilitatem opprobriumque agricolæ adferat. Si in turbis versaris & cælestia nosse desideras, in spinis seris, quod ab ijsdem suffocetur. 220.a

Frvctvm affervnt centesimum, sexagesimum, trigesimum. Si non potes virginitatem inuiolatam custodire, elige nuptias moderatas. Si non potes deserere possessiones, largire ex ijs quæ habes. Si non potes totum onus ferre, diuide cum Christo res tuas: saltem partem ei dedica. 221.b

Dominica Qvinqvagesimæ. *Lucæ* 18.

Flagellabitvr. Priuatim coram discipulis de passione disserit: non coram multitudine, ne sermone hoc turbaretur, & vt discipuli expectatione exercitati, faciliùs passionis dolorem perferrent. Postquam illos æternæ vitæ pollicitationibus excitauit, subinfert sermonem de passione. Passio diuersimodè prædicta. Iacob per germen Deiparam Virginem & immaculatum partum significauit. Dormiuit vt leo, quia etiam in morte Christus formidini fuit, patrans miracula, solis cursum inuertens, lapides scindens, terrã concutiens, velum templi diffindens. Tum in meridie nox ingruebat, tum mors destructa est, & tyrannis eius dissoluta, Sanctorum corpora surrexerunt.

Dauid de cruce loquens, prædixit: Foderunt manus meas. Isaias: Tamquam ouis ad occisionem ductus. Dorsum meum dedi ad flagella. Deinde fructum subiungit: Liuore eius sanati sumus.

Nihil horvm intellexervnt: sed post resurrectionem aperuit Christus oculos eorum.

Cæcvs sedebat secvs viam. Sapientia Dei maxima in oculo relucet. Venustas quędam illi indita, & mollissimus est & sine carne: & in delicato membro soliditas est, & in molli, ordo varijs coloribus distinguitur, &c. Homines se mutuò intuentes mutua sibi specula sunt. 478.b

Oculus Deum mihi interpretatur, omnem cognoscens creaturam. Vnde cæcus Christum nouerat? Dominus illuminat cæcos. Effectũ sentiebat, atque per affectum rapiebat quod non hausit aspectus. Audit quòd Iesus esset Nazarenus: ipse verò vocat eum filium Dauid. Oculati secundùm opinionem loquebantur, cæcus verò secundùm veritatem clamabat. 478.b

Qvid tibi vis faciam? Poterat de longinquo sanitatem mittere, sed calumniatores Iudæi dixissent: Non est hic, sed similis ei est. Priùs itaque naturæ defectum ostendit, vt deinde gratiæ agnoscat maiestatem. Gratia diffunditur, quam fides suscipit. Gratia fluit instar fontis: vniuscuiusque intentio vasculum est aut poculũ, quo secundùm capacitatem mentis cuiusque hauritur gratia. Sol vnus, idem eius splendor, sed secundùm fenestras quæ aperiuntur, magis vel minùs per domum radij diffunduntur. 479.a

Seqvebatvr evm, &c. Plebs vt vidit, dedit lavdem Deo. Cæcus autem & ante beneficium fidem ostendit feruidam, & post beneficium beneuolentiam obseruauit.

Non permittit dæmoniacum se sequi, sed eum vt præconem mittit, vt ex sua consistentia benefactorem prædicet: erat enim excellens miraculum, videre furiosum sanæ mentis effectum. Cæcum verò permittit sequi, quia Ierosolymam ascendebat, per Crucem perfecturus altum mysterium, vt recentem habentes miraculi memoriam, non existima-

riis variè videtur Christus. 258.a,b

MONTEM. Thabor, qui hoc nomine Christianis in honore est, & peregrinationibus celebris. Ibi tres Ecclesiæ ædificatæ. Ibi Christus in oratione transfiguratur, fructum orationis docens: ibi Moyses radijs splendoris afflatus à Deo, Christus verò ab interna gloria animæ ac Diuinitate. Apostoli non vident Diuinitatem, sed gloriam externam corporis Diuinitatis indicem. 259.a

TRANSFIGVRATVS. Vt per hanc gloriam ac testimonio Eliæ & Moysis, Diuinitatem suam Apostolis probaret: vt fidem & spem, animumque discipulorum & nostrum ad virtutes & cruces pro Euangelio subeundas spe similis gloriæ resurrectione adipiscendæ acueret. 259.a

Transfiguratio quo ordine facta. 260.a

VESTIMENTA ALBA. Hic habitus & color symbolum est lætitiæ & gloriæ Beatorum.

Vestimenta apparent alba: quæ sunt verba & scripta Euangelica quę Christus induit, & per scripta Apostolorum manifestata sunt. 258.b

MOYSES ET ELIAS. Vt demonstraretur Christus esse Messias; vtque per Moysen ostenderetur lex; per Eliam Prophetæ, iam officio suo perfuncti, in Christum quasi nouum Legislatorem à Moyse Prophetisque (Deut. 18.) promissum conspirare ac finiri.

Vt discipuli Moysis mansuetudinem & Eliæ zelum spe similis gloriæ imitarentur.

Moyses verum corpus resumpsit, quia in tanto testimonio omnia vera & solida esse decebat, & is se cum Elia ea consortio Christi eiusdem claritate ac gloria tott afflati fuerunt. Cognitè à discipulis vel ex colloquio: ex specie, vel maximè ea inspiratione diuina. 259.b

TRIA TABERNACVLA. Sed nōdum aderat tempus consummationis sæculi, necdum etiam oportebat Sanctos promissæ spei participes fieri. Vel fortè quia Petrus insidiātes Christo Scribas sciebat, cogitabat se multam à loco habere securitatē. 258 b

VOX DE NVBE. Ea solitus Deus incomprehensibilem suam maiestatem quasi obtectā ostendere. Et vt nubes splendorem Christi, quam alioqui Apostoli ferre non potuissent, obumbraret, lucida erat, quia gloriæ Christi index: aut potius, quia per eam maiestas Patris loquentis significabatur. Et vt significaretur differentia legis veteris & nouæ, in veteri Deus in nube caliginosa apparebat, quia lex erat plena vmbris ac terroribus; noua autem lex veritatem adfert & amorem. 259.b.260.a

Sanctissima Trinitas significatur. Spiritus sanctus in nube, Pater in voce, Filius in gloria. 256.a

IPSVM AVDITE. Sileat in posterum Moyses, sileant Prophetæ, illo præsente qui ab ijs prædictus est. Ipsum audite, quia oportet eum pati, crucifigi, contumelia affici, mori, pro hominibus resurgere. 260.a

Solus inuentus. Ipsum audiri iussit Pater: ipse enim est finis Legis & Prophetarum. Circa literæ exilitatem versantur Moyses & Elias. ibid.b

Si velis, multò splendidiorem Christum videbis venientem ad Iudicium cum innumero Angelorum exercitu. ibid.b

DOMINICA III QVADRAGESIMÆ. *Luc.11.*

ERAT IESVS EIICIENS DÆMONIVM, ET ILLVD ERAT MVTVM. Erat surdus, cæcus, & mutus, non à natura, sed à dæmone vsum sensuum impediente; quia dæmon aufert aptitudinem humani affectus, obtundit animæ auditum. Christus illum eijcit, vt audiamus verbum veritatis. Mutus mutorum omnium erat exemplum. Vnum sanauit, vt vniuersalem prægustationem faceret humanæ salutis.

Mundus vnà cum vno per fidem in ænigmate decurrit veritatis cursum. 323.a

Eiectu dæmonio peccata confitere. Confessio Iure diuino obligat. 614.a

Pulchrum facit: per eam datur gloria Deo. 293.a

Lepra peccati confessione sanatur 427.b.428.a

Sit cum fletu, vt Christum ad misericordiam moueas. 467.a

Diaboli tentationes, fraudes, malitia. Vide v. *Diabolus.*

IN BEELZEBVB PRINCIPE DÆMONIORVM EIICIT DÆMONIA. Christus à Iudæis calumnias sustinet, quos beneficijs afficit, Moyses & Iosue miraculum supernè exhibuerunt; tu Christe idem fac.

FILII VESTRI, Apostoli & discipuli: vel potiùs exorcistæ Iudæi.

IN DIGITO. Digitum Dei Spiritum sanctum nominat; brachium & dexterā, Dei Filium. Dstata est humana natura in Christo & aduenit regnum Dei. Honorata est conterendo satanā, & immundis spiritibus imperando. Appropinquauit regnum cælorum, cūm dæmonis regnum passim per Christum verbis & factis, in corporibus & animabus hominum destruatur, & inchoetur regnū Dei per gratiam, quod perficietur in cælis, vbi Deus eum Sanctis regnat per gloriam. 314.a,b

ARMA EIVS AVFERET. Aufert per fidem in se omnia arma eius, id est, omnes qui sub illo militabant, & in armis in iustitiæ ac peccatorum confidebant. 324.b

FORTIS diabolus, non quòd talis sit, sed vt ostendat eius tyrannidem, quam anteà exercebat, à nostra ignauia & negligentia pariam esse. 324.b

Domus siue atriū, est mundus: vasa, hoc est supellex diaboli, sunt animę & corpora peccatorū. 324.b

QVI NON EST MECVM CONTRA ME EST. Desidero omnes adducere ad Deum: dęmon verò contraria molitur. 325.a

LOCA INAQVOSA, olim Gentes, nunc verò repletæ sunt aquis diuinis, nec amplius diabolo requiem præbent. Itaque reuertitur ad Iudæos.

Diuina luce illuminati, & à prima delictorum malitia erepti, si rursum in eamdem malitiam relabimur, grauior nos posteriorum peccatorum punitio manebit. 325.b

BEATI QVI AVDIVNT VERBVM DEI. Matris nomen B. Virgini nihil vtilitatis attulisset, nisi bonitate & fide præstaret. Propinquorum virtus, si ea careas, non proderit tibi.

Beatior fuit B. Virgo Maria, quòd Christum mente, quàm quòd ventre concepit: hoc enim gratiæ gratis datæ, illud verò gratię gratum facientis erat. 326.a

Verbi Dei auditio signum est prædestinationis: illuminat animam: eius dulcedo, iniquis vermis efficitur. 287.b.288.a

DOMINICA IV. QVADRAGESIMAE. *Ioan.6. Luca 9.*

SEQVEBATVR EVM MVLTITVDO. Hi postulantes à dæmonio liberari, hi verò languorum remissionem:

DOMINICA PASSIONIS. *Ioan.* 8.

ptionis in arma vertas furoris. Sicut bonis necesse est vt meliores etiam per contumelias existant: ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt. 288.b

ABRAHAM MORTVVS EST. Quia æternæ morti inhæserant, & eamdẽ mortem non videbant, dum solam mortem carnis aspicerent, in veritatis sermone caligabant. Abraham quasi veritati venerantes veritati præferunt: sed qui Deum nesciunt, Dei quoque famulos falsò venerantur. 288.b.289.a

VT VIDERAT DIEM MEVM. Diem Passionis præfiguratum in Isaac: quòd vnico filio non pepercit, quòd veluti ad aram crucis triduo eum insonti victima conualuit. Vel diem quo ei mysterium SS. Trinitatis reuelatũ fuit (Gen. 18.) Vel diem Incarnationis ac Natiuitatis Christi, non in figura & per fidem, neque etiam Prophetica reuelatione futurum: sed in limbo existẽs Abraham oculis mentis, siue per cognitionem intuitiuam vidit. 289.a

TVLERVNT LAPIDES. Quem intelligere non poterant, obruere quærebant. Fugit & qui pati venerat, exercere iudicium nolebat. Etiam cùm resistere potes, iram superbientium humiliter declina. ibid.

ABSCONDIT SE. Illis veritas absconditur, qui eius verba sequi contemnunt. Eam quam non inuenit humilem, veritas fugit mentem. ibid.b

DOMINICA PALMARVM. *Matth.* 21. *Luc.* 19.

BETHPHAGE. Domus maxillarum interpretatur, maxillæ autem accipiuntur in typum sermonis doctrinalis, & secundò Legem sacerdotibus dabantur. Bethania, domus obedientiæ; Ierusalem, visio pacis: missi verò sunt Apostoli, Prophetæ, & Angeli, Christo subseruientes in nostra redemptione.

Qui cuncta relinquentes more discipulorum Verbum Dei secuti fuerint, venient quasi in Bethaniam spiritualem Bethphagen diuinis præceptis obedientes, & vbi deinde sufficientes fuerint ad alios docendos, tunc etiam mittentur à Verbo ad illos qui pecoribus comparati, & quodammodò irrationales facti sunt, vt eos rationibus ac sermonibus tam ex veteri quàm ex nouo Testamento petitis, soluant & ad Dominum adducant, qui nostra salute opus habet. Illi antẽ priùs mores hominum ordinantes ac componentes, sublime deinde verbum diuinum ijs superimponunt. Alios verò ex oleastris exscindentes, & in pulchras fidei oleas commutantes Domino subijciunt: alios obarmant contra dæmonem, eumdemque superare docent. 492.b.493.a

Duo missi, duo Testamenta. Vicus innominatus, mundus, qui Christi asseclis atque discipulis aduersatur. Asinam inuenturos prædixit, neminem prohibiturum, omnes taciturus affirmauit. Prophetiam opere adimplebat, super asinam sedens: verbis verò, quia id prædictum à Zacharia, quòd in asina sicut Rex sedebit. 492.a

Per Apostolos iumentum soluitur, quia per illos vocati & adducti ad Christum sumus. Nemo detinuit, sic nec prohibere potuit, ne Gentes ab idololatria remouerentur.

Non reluctatur pullus, non calcitrat indomitus & freni expers, Gentium obedientiam significans, & repentinam in meliorem vitam mutationem.

In iumento non sedeas, sed in asino quando necessitas vrget, necessitate vsum terminans.

Pedes iuerat Christus per totam Iudæam & Galilæam: sed cælestis dux & Ierosolymæ Rex nouo populo insidebat.

Pullus significabat vocationis nouitatem, & contrà eorum qui nunc vocantur impuritatem. Israel nouum popolum sequetur, vt mater pullum.

Pullus & asina ligata, significant populos humanis negotijs implicatos & imparatos ad cõsensum Domini; sed diuino iussum solutos, nemine prohibere valente. Item humanam naturam, in duos distinctam populos, qui per Apostolorum atque Euangelistarum doctrinam solui cœpit à vanitate ac fallacia huius mundi, & ad Dominum perduci. 492.b

Tacent Domini. Quãdo malitiæ seruimus, multis sumus passionibus vitijsque subiecti; vbi semel Domini facti sumus, plures Dominos habere non possumus; sed Apostolicis ornati vestimẽtis, Christi vehiculum efficimur, & in supernam Ierusalem introducimur, habentes in manibus ramos intellectuales, in signum victoriæ de diabolo reportatæ.

Vestimentorum expansio moralem significat instructionem. Palmarũ gestatio denotat victoriam quam Christus pro nobis retulit. 493.b

Qui præibant & qui sequuntur, Deum laudant, omnimodâ rectæ fidei consonantiâ.

Pueri clamabant. Radix tenera erat in pueris, sed fructus violentus. Pueri laudant, vt ab omni contradictione excludantur Iudæi, videntes filios qui apud se erant enutriti ac instructi mirabiliter ac supernaturaliter motos ad Christi laudem. Perfecta laus ex imperfecto ore. Christi potentia disertam reddebat immaturam lactentium linguam, vt discipuli fidant quòd sapientem faceret Christus eorum ruditatem. 494.a

Foras exijt. Quia malũ hominem meliùs locum dando potes vincere quàm respondendo. Iuit ad Lazarum & sorores, vt ibi requiesceret corporaliter, vbi & spiritualiter repausabat. Viri sancti non gaudent vbi epulæ largæ, sed vbi sanctitas floret. Christus tantæ fuit paupertatis & nulli adulatus, vt in vrbe maxima nullum inuenerit hospitem, nullam mansionem. 496.a

DOMINICA IN ALBIS. *Ioan.* 20.

FORES ESSENT CLAVSÆ. Dotes corporis gloriosi. An corpus gloriosum palpari possit. 625.a

PAX VOBIS. Pax dicit reconciliationem hominis cum Deo: vnde sequitur tranquillitas & mentis securitas, atque internorum motuum debita ac pacifica compositio: & inde consequens hominũ inter se concordia. Significat etiam salutationem & apprecationem omnium rerum prosperarum: id est, Do vobis meam benedictionẽ, non falsam & breuem, vt mundus dat; sed reipsa spondeo vobis ac do opem & gratiam, ceteraque omnia auxilia, quibus securè ac prosperè ad æterna gaudia pertingat is. Pax est serenitas mentis, trãquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculũ, consortium charitatis. Non potest concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christo. 568 a

Christo nato omne bellandi studium versum est ad pacem. Opus iustitiæ, pax; in corde pacifico Christus habitat. Non est vmbraculum Domini, nisi vbi est pax. Quæ anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei. 29 b

Pax in hominibus bonæ voluntatis, vt intelligas pacem Christi nõ debiti esse, sed meriti. Quia peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à suo consortio deputabant Angeli ciues Dei. 43.a

tribulationum & afflictionum. 346.b

Multi in senectute demum resipuere, qui per afflictiones fossi, & per tentationes recepto stercore fructiferi facti, protulere virtutem. 350.b

Per flammas detrahentium non iustorum vita comburitur, sed si quæ in eis esse poterant peccatorum spinæ, concremantur. 378.a

In colluctatione tribulationis ad orationem confugias. 587.b

Tribulationes Lazari nouem. 408.a

Persecutionem non tolerantes grauia damna patiuntur. 219.b.220.a

Persecutores aquilis similes. 436.a

Persecutiones vincit patientia. 518.a

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN. *Lucæ 6.*

ESTOTE MISERICORDES, SICVT ET PATER VESTER MISERICORS EST. Deus adulteros, & fornicatores, & maleficos nutrit; tu etiā iuua opis indigos. Si dicas, Impostor est; non quærit talenta auri, sed victum & amictū. Hæccine sunt deceptoris? 200.a

Miserias humanas considera, vt efficiaris misericors. 184 185.b.190.a

Miseria torpidi peccatoris & obdurati. 73.a

Miserrimus est qui suas nō sentit miserias. 185.b

Misericors est Deus etiam cùm flagellat. 149.a

Misericordia est quasi cor virtutis. 182.b

Misericordiam consequuntur misericordes. Per eam efficimur Deo similes. Sæpè in Scriptura, Dei potestas misericordis nomine à sanctis viris appellatur; à Dauide, Iona, Moyse. 184.b

Misericordia est beneuolentiæ parens, amoris pignus, omnisque amicæ affectionis vinculum.

Nostri etiā nos misereat, qui miserrima & commiseratione dignissima patimur: qui pro paradisi delicijs, pestiferam huius vitæ regionem laborumque plenam nacti sumus; & pro impatibilitate, infinitas perturbationū noxas retulerimus; pro vitæ Angelicæ consuetudine, ad id damnati sumus, vt cum terrenis bestijs simul viuamus, Angelica pariter atque experte passionum vita cum pecuaria bestialique permutata. Nostri misericordia nō tangimur, quoniam sensu caremus malorum. Furore correptis insaniæ vis sensum adimit eorū quæ patiuntur. Bonum est & sui misereri & proximi: siquidem diuini iudicij æquitas, bonitatis aduersus inferiores propensam voluntatem in suprema potestate demonstrat. 185.a,b

NOLITE IVDICARE, ET NON IVDICABIMINI. NOLITE CONDEMNARE, ET NON CONDEMNABIMINI. Deus præcipit ne iudices. Ne Christi iudiciū anteuertas: sed ionita alios potiùs ad pœnitentiam quàm ad desperationem. Tu etiam ipse es iudicandus. 200.b

Iudiciorum Dei abyssus te terreat. 135.a

Iudicium cur à Patre datum Filio. 172.b.173.a

Ne iudica secundùm faciem, quales iudices constituerent Ægyptij. 274.a

Qualis esse debeat alium iudicans. 279.b

Etiam si qui videantur mali, ne iudices. 395.b

Iudicat quis alios ex se. 416.b.443.a

HYPOCRITA, EIICE PRIMVM TRABEM DE OCVLO TVO. Hypocrita faciem habet legis cultoris, mens verò est versuti & iniqui. 351.b

Viperæ à foris speciosæ sunt & quasi pictæ; ab intus autem veneno plenæ sunt: ita hypocritæ pulchritudinem sanctitatis ostendunt in vultu, & venenum malitiæ portant in corde. 82.a

Hypocritæ Pharisæi deuorabant bona, & ad prauitatem tegendam abutebantur oratione. Doctorum speciem præseferentes, malitiæ Doctores erant. 511.b

QVID AVTEM VIDES FESTVCAM. Teipsum primò corrige, & tunc alios humaniter reprehēde. Tui ipsius benignus es iudex, alienorum acerrimus exactor, qui cùm habeas vulnera, aliorum exprobras cicatrices: plenus cœno, alienos næuos carpens, ex trabibus cæcutiens, & aliorum festucas proferens, quæ vix affligunt dum sunt in oculo, & eijci efflarique ea eo facillimè possunt. 200.b.201.a

Multi acerbi peccatorum iudices, imbelles agonistæ, & inexorabiles legislatores; audiant: Trabem in oculo tuo non vides. Onera grauia alijs alligantes, obambulantes vt austeri iudices & bauuli imbelles, sedulam exactamque exigentes ab incipientibus & tyronibus vitæ rationem, ne experiri semel atque attingere volentes. 330.b

Festucam in alijs videmus, in res alienas inquirimus & vehemētes sumus. Qui domos ædificant, atque agros emunt, nihil putant se habere. Si sacerdos splēdidiore vestitu indutus fuerit, aut necessario alimento non egeat, aut famulum ideò habeat ne ipse cogatur à decoro discedere, statim hoc illi diuitias nominant. Hi verò terna & quaterna habent vestimenta, & lectos constratos. In aliorū festucas diligenter ac subtiliter inquirimus; nostras verò trabes, quas in oculis habemus, ne sentimus quidem. Cùm Paulus dicit, Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus, ad solos magistros verba facit? 561.b

Tu verò minima serua, maiora ne neglige. 330.a

Et sis in minimo fidelis. 398.b

Iuua teipsum præ alijs. 77.b

Persiste in alijs iuuandis. Medicus grauiorem videns morbum non desistit. 423.b

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI. *Lucæ 14.*

FECIT COENAM. Quia Christi œconomia vltimis temporibus contigit, & quia æternum Dei conuiuium nobis in extremo præparabitur, & æterna Dei fruitio.

Magna cœna, quia eam apparauit Deus Pater: magnus locus, cælum: magni conuiuæ, filij Dei, Deoque similes: magnus numerus conuiuarum, Angelorum & Beatorum: magnifica fercula, quia ipse Deus cibus Sanctorum: magna, propter æternam durationem.

Mundus facit cœnam, potiùs cœnū. Mittit seruum suum appetitum, vocat homines: appetitus honoris, vocat ambitiosos, diuitiarum, auri cupidos: voluptatum, voluptuarios. Pauci se excusant. Illum autē non abducit qui diuinæ cœnæ magnitudinem, nobilitatem, delicias, æternitatem considerat, & mundi cœnę, cœnosas, venenoque imbutas epulas, moxque euanescentem dulcedinem. 370.b.371.a

Caduca bona nocent improbo, illis se voluerat: probo vtilia sunt.

PARATA SVNT OMNIA. Peccatorū remissio, Spiritus sancti cōmunicatio, adoptionis gratia, regnum cælorum. Ad hæc omnia Christus per Euangelica oracula omnes inuitauit; præ ceteris Israelem, qui inuitantem & eum qui missus erat, contempserunt. 368.a,b

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.
Lucæ 15.

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.
Lucæ 5.

In

IN VERBO AVTEM TVO LAXABO RETE. Quia per apparentem stultitiam quidquid sub cælo est irretiuerunt, id est, sermone vulgari atque humili homines flexerunt, Domino omnia operante. 156.b

Vide v. *Obedientia*.

CONCLVSERVNT PISCIVM MVLTITVDINEM COPIOSAM. Vt certum illis exploratumque esset, laborem eorum mercede non cariturum, sed reti Euangelico omnium gentium greges conclusuros esse. Rete adducitur, replente illud Christo, & vocante ad conuersionem eos qui in mari & fluctibus sæculi versantur. 156.b

ANNVERVNT SOCIIS. Multi SS. Apostolis collaborarunt & collaborant, sancta Euāgelia edendo: item pastores ac populorum præsides, & in veritatis doctrina periti.

ERIS HOMINES CAPIENS. Quia priori vitæ in peccatis actæ mori oportet, ideò capturæ piscium assimilat Dominus capturam hominum. Quot Petrus ineffabilium sermonum retibus diuina virtute contextis irretiuerit, numerari non potest. Plus fecit quàm Moyses & Prophetæ in nocte legis fecerant. Quot Ecclesias fundauit! quantum etiam alij Apostoli effecerunt! 157.a

Vide v. *Zelus, Conuersio*.

RELICTIS OMNIBVS SECVTI SVNT EVM. Talem à nobis obedientiā requirit Christus, vt ne ad punctum quidem temporis illam differamus, etiamsi nos aliquid valdè necessarium vrgeat: ideò nec patrem alteri permisit sepelire, quòd oporteat sequelam ipsius rebus omnibus anteferre. 157.b

Vide v. *Perfectio*.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.
Matth. 5. Luca 11.

NISI ABVNDAVERIT IVSTITIA VESTRA PLVSQVAM SCRIBARVM ET PHARISÆORVM. Animam & conscientiam munda, tunc opera externa, quæ inde manant, & bonitatem & malitiam hauriunt, mundabuntur, & omnia munda erunt. 329 b

Pharisæi assiduè orabant: quadriennium, vel octennium, vel decennium virginitatis siue continentiæ sibi præscribebant. Et ne per somnia corporis defluxio contingeret, alij in angustis asseribus cubabāt, in silicibus alij, alij verò spinas pro strato habebant. Ieiunabant bis in sabbato, decimabant decimationes; dabāt primitias, trigesimas, & quinquagesimas; sacrificia ac vota exactissimè exoluebant, ab alijs separati erant: resurrectionem confitentes, fatum tamen stultè asserebant. 447.b

Non tamen erant iusti coram Deo, sed tantùm in specie & coram hominibus. Tu contemne laudes hominum, sectare veram iustitiam, neque timeas irrisiones & opprobria pati pro iustitia, ne à Deo condemneris. 4.b

Veri iusti templo similes, virtutum columnas argenteas aptantes; quas habet qui propter verbum Dei patitur & fert. Atria distendat, dilatans cor suum: seris muniat, se vnanimitati dilectionis adstringens: habeat defixū altare in quo orationum hostias & misericordiæ victimas Deo offerat: habeat lumen, vigilandique corde intueatur astutias diaboli, & vnde ventura sit tentatio, &c. 6.a,b

Iustitiam inchoat & consummat timor. 60.a

Doctrinæ duo capita præcipua: pietas ac religio erga Deum, & erga homines humanitas atque iustitia. 535.b

QVI IRASCITVR. Vis irascibilis per flauum & fuscum lepræ colorem indicatur, quæ in iram, rancorem, & occultam suspicionis malignitatem distribuitur. 159.b

Iræ modus in vitio est, cùm quis temerè irascitur. 161.b

Pro passiones omniū titillant animos; sed quasi in meditullio iudicium nostrum sit, vel abiicere cogitata, vel recipere. Architas Tarentinus dicebat negligenti villico: Iam te verberibus enecassem, nisi iratus essem. 270.b

Etiam cùm resistere potes, iram superbientium humiliter declina, & da locum iræ. 289.b

REVS ERIT GEHENNÆ IGNIS. Adorabant Israëlitæ idolum Baal in valle irrigua, nemorosa, plenaque delicijs, filiosque suos incendebant dæmoni: vocatusque locus Gehennon, id est, Vallis filiorum Ennon. Futura ergo supplicia & pœnæ perpetuæ quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denotantur. 334.a

Æternæ glorię priuatio gehēnâ grauior est. 524.a

VADE PRIVS RECONCILIARI FRATRI TVO. Demus dum operā in hoc sumus vitæ curriculo constituti, tamquam à malo aduersario, ita ab improbo liberemur actu, ne noster nos error condemnet: sed compensatione charitatis, actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque, peccati pœna dissoluatur. 348.b

Vide v. *Pax*.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.
Ioan. 6. Luca 9.

MISEREOR. Vide Christi humanitatem ac commiserationem: siquidem in deserto præ penuria deficientibus mensam abundantē suppeditat, rerum copiā & suppeditandi modo mirabilem. 242.a

Morbos quoque corporales sanat, & spirituales nexus indissolubiliū vinculorum, quos cum peccati patre diabolo contraxeras, auaritiæ, luxuriæ, gulæ, cupiditatis gloriæ. 242.a

Morbi varij qui ex infirmitate ob debiles animi vires labūt, sunt infirmi. Qui pro Deo, quem toto corde diligere debent, diligunt pecuniam, gloriam, mulieres, sunt non tantùm infirmi, sed etiam imbecilles. Qui autem deberent attendere animæ suæ, non faciunt, sed ex nimia negligentia dormitant voluntate, & somniculosi sunt cogitationibus. 242. b

Qui autē ægrotabant, sanantur priùs: quia ægroti non possunt panes benedictionis Iesu accipere.

QVINQVE PANES. Sensibilia Scripturarum verba, respondentia quinque sensibu. Pisces, ineffabilem atque internum sermonem designant. 243.a

SVSPICIENS IN CÆLVM. Diuinam gratiam panibus imprecatutus, virtutem etiam physicam vel moralem panibus imprimens. Non nisi actis ciborum largitori gratijs ad mensam accedendum.

Non ex nihilo facit cibos, vt obstruat os Manichæorum, & vt ostenderet quòd ipse sit fructus largitor.

Etiam pisces multiplicat: quod signum erat, ipsum terræ ac maris habere potestatem.

Pisces etiam apponit: quia qui Euangelij panibus enutritus est, doctrinamque suscipit, in mari versabitur, id est, collaborabit Euāgelio Christi, & hinc salsas atque amaras sustinebit tentationes; quarum fructus suaues sunt sicut pisces. 242.a

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN. *Matth. 7. Luca 6.*

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN. *Luca 16.*

peres, qui beati & in cęlum recepti, te suis precibus & meritorum communicatione ibidem recipiant: quia pauperes sæpè sunt diuites gratiâ & spiritu. Et diuites non tam beneficiū dant, quàm accipiunt à pauperibus. Quòd si pauperes sint impij, ipse Deus & Sancti, qui sibi datas illas eleëmosynas reputabunt, remunerabuntur. 398.a,b

Vide v. *Diuitiæ, Eleëmosyna, Misericordia.*

Dominica ix. post Pentecosten. *Luca* 19.

Flevit super eam. Christus defleт ciuitatem, vt & nos amicos solemus, ostendens quòd non punire desideret, sed id inuitus faciat; (quapropter & pœnam distulit, & post trigesimum quintum resolutionis suę annum capta vrbs fuit:) & vt qui digni erant venire ad fidem, ab eorum numero segregarentur. 494.b

Lacrymæ in nobis sunt veluti ex plaga quadam improuisi incursus, animam percutientis ac consternantis, ac spiritum circa præcordia comprimentis. 149.a

Plorat Christus vt lacrymas laudabiles reddat. 216.b

Prospiciamus ne & nos Dominus deploret. Nos enim sumus illa Ierusalem deplorata, imò etiā illā infeliciores, si postquam reuelata sunt nobis mysteria veritatis & sermo salutis nobis prædicatus est, adhuc peccemus. Nullus infidelis defletur; sed anima dumtaxat fidelis, cùm peccatorem circumdederint eam inimici eius & aduersariç potestates. Etsi enim quis longo tempore rectè vixerit, & alios ad virtutem informarit, vincatur tandem, destruetur domus eius. 494 b

Iusti per lacrymas pressurasque præsentes ad gaudia æterna contenduut. Nihil tam agglutinat Deo, vt illæ lacrymę, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit. 576.b

Eo qvod non cognoveris tempvs visitationis tvæ. Ineuitabile supplicium ingratis hominibus & Dei potentiam non confitentibus, denuntiatum est. 359.a,b

Cùm peccamus, audiamus aduersum nos disputantem Dominum, & nos beneficiorum suorum magnitudine arguentem. Seruiuimus quippe aliquando Pharaoni & Ægyptio populo, lutum & lateres fabricati sumus, & redemit nos, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. 380.b

Ingratitudinis vermis interiora corrodens, ob hoc tantùm corticem non perforate dissimulat ingratorum, ne forte recogitent & erubescant, ipsaque verecundia emendentur. 428 b

Domvs mea, domvs orationis vocabitvr, & erat docens. Spiritum solùm placari volo: carnalis lex impleta est: spiritus lex iam imperet, ac salutis obtineat principatum. Postquā Christus disciplinæ vigorem eijciēdo peruersos tenuit, donū mox gratiæ ostendit, docens in tēplo. Veritatis verbis veraciter erudimur, si externa mala nostra formidolosè & indesinenter aspicimus. 495.a

Occasionem proficiendi ex verbo Dei obserua. Stultæ virgines exclusæ à gloria, quòd tempus opportunum neglexissent. Itaque occurre diuinis inspirationibus, obseruans eas diligenter, promptè ijs obediens & ostium cordis aperiens. 427.a

Aspiratio diuina humanam mentem tangendo subleuat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desiderijs inflammat: vt nihil ei iam nisi quæ superna sunt libeat, & cūcta quæ infernis de humana perstrepunt corruptione, contemnat. Et quia munda sua corda sola visibilia diligunt, ad diligenda inuisibilia non assurgunt. 566.a

Veniat Iesus in cor nostrum sicut in templum suum: verberet omnem filium quem recipit, & expellat à sensibus mentis nostræ omne commercium atque contagium iniquitatis. Nisi enim nos Deo tradamus, vendimus diabolo. 129 a

Dominica x. post Pentecosten. *Luc.* 18.

Pharisævs. Pharisæi assiduè orabāt: quadriennium, octennium vel decennium virginitatis siue continentiæ sibi præscribebant: in asseribus cubabant, ne in somnio corporis defluxio contingeret: alij silices & spinas pro strato habebāt, ieiunabant secundo & quinto die: decimabant decimationes: dabant primitias, trigesimas & quinquagesimas: sacrificia ac vota exactissimè soluebant: erant separati ab alijs propter spontaneam superfluam religionem apud ipsos receptam. 447.b

Fatum inducebant: sed si fatum, non esset iudicium; quia necessitate fieret. ibid.

Hvmiliat. Humilitas magnū opus est, ac quid diuinum: vtę verò eius labores corporei sunt, quos cum scientia facis; & si te omnibus omnino subijcias, & sine intermissione Deum ores. Labor humiliat corpus: humiliatoque corpore humiliatur pariter & anima. 455.a

A blasphemia quidam oppugnatus, per quadraginta dies sub dio pernoctans, ita vt vermes scaturirent, propter humilitatem sanatus est. ibid.

Ad pristinam dignitatem redit homo per humilitatem. ibid.b

Inflammatorum corporum tumor nec sanus, nec vtilis est; sed periculum causat, ita superbia. ibid.

Publicanum mundauit humilitas, demittentem se per pœnitentiam & humiliationem multam, in tympano & choro Deum laudans. 446.a

Humiles ab omnibus coluntur: sed superbus despicitur, vt Pharao ranis & muscis deterior factus, postea submersus. Abraham qui se terram & cinerem dicit, multa millia barbarorum superauit, vbique prædicatur & coronatur. Arrogantia primum hominem à propria sublimitate deiecit: quia superbia non solùm nihil boni adfert, sed etiā quæ habemus, corrumpit. Contrà humilitas quę habes conseruat; quæ non habes, adijcit. 447.a,b

Corpora tumida plena flatu & tumore, sana non sunt. Arbor sublimis, ramos extendens, nimia altitudine & pondere fatiscens disrumpitur. ibid.

Est humilitas ex corde contrito, ex calamitatibus, ex peccatis, ex superbia, ex cupiditate. Humilitas vera est eundem se superiores æstimare. 448.a

Superbus vt fanetur, à studijs excellentiæ reliquorum auocetur. Idioma aut artem non didicisset, nisi cesset non tantùm loqui, sed nec etiam audire talia loquentes aut facientes. ibid.

Vt sis humilis, cogita sententiā Domini: Discite à me quia mitis sum & humilis corde. &, Qui se humiliat, exaltabitur. Et si semper se exerceat in humilitate, vituperationes cum silentio & sine tristitia suscipiens, & in vilioribus se exercens. ibid.b

Ivstificatvs. Iob qui sublimiora dixit, gloriam assecutus est: sed Pharisæus nemine concitante ac stimulante magnifica de se prædicabat, altè de se sentiens.

Dominica XI. post Pentecosten.
Marci 7. Lucæ 11.

Dominica XII. post Pentecosten.
Lucæ 10.

contumeliosi facti mus; sed reuocati sumus ex morte, & denuò à Iesu Christo viuificati, in quo & modus diuinæ beneficentiæ plus habet admirationis. quia seipsum exinaniuit formam serui accipiens, &c. Nihil exigit retributionis, sed satis habet, si diligatur.

Quæ quoties considero, in horrorem incido, ne per socordiam (inquit S. Basilius) & negligentiam, aut occupationem circa res vanas ex charitate Dei delapsus probrum Christo adferam. Gloriabitur diabolus de nostra defectione, & quòd cùm nihil nobis boni contulerit, sibi tamen habuerit obsequentes. 309 b. 319.a

Ad charitatis perfectionem non peruenit, qui veterem hominē non exuit, & induit nouum; qui circa pecuniam, terrena, gloriā vanam occupatur, potentia amandi in ea quæ non conueniebat insumpta, ad verissimè dilecti contemplationem omnino cæcutit.

Non potest ex toto corde amare, & particulam eius aliquam ad aliud applicare: è poculo quantum effluit, tantum de plenitudine discedit.

Nihil ita naturæ proprium, vt mutuam inter nos habere consuetudinem & mutua opera indigere, & quod cognatum est diligere. Quorum Deus semina nobis prior indidit, eorum fructus repetit, dicens: Mandatum nouum do vobis vt diligatis inuicem. 310 b

PROXIMVM SICVT TEIPSVM. Non æquali, sed simili dil ctione: vt sicut bonum tibi ac benè fieri cupis, nec vis tibi malum fieri; ita & facias proximo tuo. Omnes homines, & maximè miseri, atque etiam inimici, habendi sunt proximi.

SAMARITANVS. Christus bonorum omnium thesaurum adferens præstitit læso curationem, fontes salutis aperiens.

IVMENTVM est caro in qua ad nos venire dignatus est Christus: quæ fuit quasi vehiculum quoddam aut diuini Verbi iumentū, in qua & per quam omnia sustinens, ad Ecclesiam vbi perfecta vulnerum curatio consummatur, deducit. Adeò incurabili vulnere natura sauciata est, vt à solo Domino curari potuerit.

Tria ad curationem cōcurrunt: medicus, vulnus, patiens. Si non sanatis, tua culpa id accidit. 313.a

Infudit Christus oleum sanctificationis, & doctrinam adhortationis, & sermonem septem fionis. 313.b

STABVLARII typum gerunt Apostoli & illorum successores, Doctores, & Pastores, quibus Christus in cælum ascendens mandatum dedit vt diligentiam curam ægro impendant.

DVODENARII, duo Testamenta. Vtrumque, vt legitima numismata solet, vnam eamdemque Regis vnius imaginem & inscriptionem præfefert: & eumdem per diuina eloquia Regis characterem cordibus nostris imprimit, inducitque. 313.b

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.
Lucæ 17.

PER MEDIAM SAMARIAM. Quia Samaritani beneuoli, Iudæi beneficiis ingrati. Et vt discordes in vnum nouum hominem compingat. 426.a

OCCVRRERVNT EI DECEM VIRI LEPROSI. Occurrunt, ne si transisset Iesus, priuati manerent remedio. Occasio calua. Inspirationes Dei obserua; iis obedi, & ostium cordis aperi Deo, claude diabolo. 427.a

A longè clamant, vt ostendant, Deum semper omnem immunditiam abhorruisse, maximè peccatorum perniciosissimam animarum leprā. Hinc leprosos voluit Deus à communi hominum consortio separari. In ciuitatibus separantur lenones, meretrices, aliique fœdi peccatis.

Stant à longè, nec appropinquare audent. Exemplo eorum tu peccator agnosce te diuino conspectu indignum; quia peccata tua te abominabilem faciunt & fœtentem coram Deo. Habeas sanum olfactum animæ, tunc senties quomodo fœteāt peccata. Si tibi fœteant illa, cum gemitu confitebere: & clamabis cum continuoue & instanti oratione, auxilium gratiæ Dei continenter, & misericordiam humiliter implorando. 427.a, b

Lepra mobilis & diuersis locis sese diffundens, impura: si in carne permanet, & non diffunditur, mundabitur. Quies animæ à peccatis & passionibus non tam culpabilis; motus verò & diffusio illorum, maximè coinquinat. Peccasti, desine modò peccare.

Puerilis & tenera anima adhuc culpa vacat, quippe vsu rationis destituta. Quando color viuus in lepra, id est, vbi iam esse compos rationis cœpit, ibi primùm peccare incipit. 426.b

QVOS VT VIDIT, DIXIT: ITE OSTENDITE VOS SACERDOTIBVS. Simul ac eos vidit Iesus, de salute eorum sollicitus fuit. Respicere, diligere est.

Misit eos ad sacerdotes, qui vt lepræ indicia, viderunt, statim sanati sunt leprosi. Voluit obseruari legem sacerdotalem: deinde prob. ceorum fidem & obedientiam. Quantum debes deferre sacerdotibus nouæ legis, qui de interna animæ lepra iudicant, & leprosum Sanguine Christi emundant, pristinæque restituunt sanitati. Non mundaberis, nisi re in confessione ad pedes sacerdotis prosternas: vel si non possis, propositum faciendi firmum habeas. 417.b

Si erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat. 428.a

DVM IRENT, MVNDATI SVNT. Sed abierunt ingrati: solus Samaritanus gratiam agnouit & gratiarum retulit actionis, sanitatem stabiliens, ne fortè propter ingratitudinem recidiuam patiatur Suscepta purgatio dederat illi appropinquādi fiduciam: ex procubitu & supplicatione fidem suam simul cum beneuolentia ostendens. 428.a

NONNE DECEM MVNDATI SVNT? Deū quodammodò cogit ingratitudo ad beneficia improperāda.

Ostendit Hebræos minimè reuersos vt Deo gloriam redderent. Omnes longè à Iesu distabant, extra ciuitatem cæli propter peccatum morantes. Deus curauit omnes, sed Iudæi propter suam peruicaciam non crediderunt, sed solus alienigena Ethnicorum populus. 428.a

Multi vsque hodie obliti sui & peccatorum suorum, Dei quoque & beneficiorum eius immemores, non redimunt, sed amittunt tempus, vt de moribus & affectionibus suis vix vlla apud ipsos mentio fiat.

Benè orarunt, sed defecit eis gratiarum actio. Multi petunt importunè quod sibi deest, sed pauci dignas super acceptis beneficiis agunt gratias. Fortè clementia videtur ingratis negare quod postulant, ne grauiùs de ingratitudine iudicentur.

Multos videmus & plangimus, qui dummodò maneat habitus & tonsura salua, sibi omnia arbitrantur, quorum interiora corrodit ingratitudinis vermis,

Desfendi

Deflendi non sunt mortui. 238.b
Mortui à mortuis sepeliendi. 265.b
Mors luto similis. 292.b
Mors auari misera. 339.b
Vide v. *Mors.*

AVOLESCENS TIBI DICO, SVRGE, ET RESEDIT QVI ERAT MORTVVS. Septem resurrectiones ante illã Domini contigerunt. Has secuta illa quæ morte superior perseuerat, quia communis resurrectio, quæ octauo sæculo futura est, non amplius morte rescindetur, sed indissolubilis erit atque sempiterna. 205.b

Christus non aliena, sed propria virtute mortuos suscitat. 206.a
Vide v. *Resurrectio.*

Oportet priùs peccatorem resurgere quasi ex sepulchro peccati atque operum mortuorũ; deinde etiam alijs loqui: peccatori enim non licet eloqui iustificationes Dei, eò quòd loquendi careat confidentia, ob propria, quæ ipsum impediunt, delicta. ibid.

Resurrectionis internæ nuntij. 614.b

Renouatio & immutatio nostra significata. 599.a, b. per terræmotum. 609.a. per bonam locutionem. 631.a

Renouat omnia ignis calore, illustrat lumine. 346.a.

Renouationis hominum festum. Quotidie te renoua. 377.b. 378.a. 384.b

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.
Luca 14.

SABBATO MANDVCARE PANEM. Venit ad conuiuium vita, vt faciat secum conuiuere morituros: iacuit resurrectio, vt de sepulchris surgerent qui iacebant: decubuit indulgentia, vt peccatores leuaret ad vitam: venit ad humanitatem Diuinitas, vt ad Diuinitatem veniret humanitas: venit iudex ad reorum prandiũ, vt humanitas præueniret reorum sententiam: venit ad languentes Medicus, vt reficeret cõuescendo defessos: inclinauit pastor bonus humeros suos, vt ouem perditam salutares reuocaret ad causas. Pharisæus id detestatur, qui putat prandium Dominicum non esse virtutis sed ventris; non spiritus, sed carnis. Sic se videt qui Deum non videt Si vis curam, agnosce languorẽ. 167.a, b

Sabbato cur curaret Christus. 175 a. 176.b
Quale opus sabbato vetitum. 351.b
Sabbati quies homini & iumentis. 535.b
Vide v. *Quies.*

HYDROPICVS ERAT ANTE ILLVM. Metu Pharisæorum remedia non postulabat propter sabbatũ, sed solùm astabat, vt ex aspectu misertus eius Iesus, eum sanaret. Hydropis morbus est subcutaneus, de vitio vesicæ natus cum inflatione surgẽte, & anhelitu fœtido. Quò abundat magis humor, eò plus sitit. Similis ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggrauat.

Auarus quò plures diuitias habet quibus non benè vtitur, tantò ardentiùs illa concupiscit. Tales erant Pharisæi auari. Diues non sanatur auro, sed vomitu ac purgatione opus habet Pharisæi asinum è puteo extrahebant, non animali, sed auaritiæ consulentes. 364.b

Sanitatem quæ impediant. 300.a, b

Sanitatis initium morbus non ingrauescens. 389. & morbi cognitio. 442.b

Sanat Christus Ægyptum ad eam fugiens. 67.b

Sanat Passio Christi animas, sua gratia. sanatur vnicus. 168.b

Medici, febri adhuc intrinsecus corpus depascente & ex caussis morbificis paulatim accensa, obsecũdant morbo quoad passio eius ad summum peruenerit, nullum cibi subsidium ægrotanti præbentes. ita Christus Medicus tempore congruo venit, &c. 30.b. 31.a

Vide v. *Morbus.*

Infirmitas mentis vnde. Timor hominum & ruditati occurrit Christus. 337.a, b

Infirmi & fortes sunt in Ecclesia. Infirmitas felix, qua in Deo firmamur. 246.a, b

Infirmiora tua obseruat diabolus, vt in ijs te tentet & perdat: Simile. 557.a

Infirma mundi eligit Deus. Figura. 100.b

Mentis fragilitas similis parieti inclinato. 437.b

Mentem obruit vinum & passiones. Voluptatesque instar apum excitat. 526.b

Sana mentem puritati studens, aperi mentis oculos, ascende speculã mentis. 329.a 619.a. 375 b

RECVMBE IN NOVISSIMO LOCO Mensæ accumbendi modus antiquorum. 215 b

Pascitur & pascit anima; sanat hydropicum, humilitatem insinuat.

In sessionis ordine ne sis contentiosus.

Nescis an amore an odio dignus; itaque nouissimum locum elige. Si per ostium transis, non nocet quantumlibet te humilies: nocet autẽ si vel transuersi digiti spatio plus quàm debes erigaris. Quem sceleratissimum putas, a Deo fortè erigetur & saluabitur. 365.b

Mensæ cælestis bona. 372.a

Vera est humilitas si ijs cedis qui te videntur esse minores. 365.b

VT CVM VENERIT. Consequeris vt exalteris.

QVI SE HVMILIAT, EXALTABITVR. Non dicit, Qui exaltatur, sed, Qui seipsum exaltat. Christus humiliat suos vt exaltet, mundus suos eleuat vt deijciat. Humiliauit Deus luciferum, ædificatores Babel, Core, Dathan, Saul, Sennacherib, Nabuchodonosor, Holofernem, Antiochum, Herodem.

Exaltati qui se humiliarunt, Abraham, Dauid, S. Ioannes Baptista, Petrus, Paulus, potissimùm B. Virgo Maria, quæ se ancillam dicit, dum in matrem eligitur. 366.a, b

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.
Matth. 22. *Luca* 20.

DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE. Signum amoris in Deũ, si promissis mundi, dæmonis, carnis illectus, nõ acquiescas, ne præceptum transgrediens amorem Dei postponas, cùm Christus propter suum in homines amorem etiam homo fieri dignatus est, sub lege factus, vt instar hominis præceptum seruans, antiquam Adami auerteret maledictionem. 112.b

Si anima amoris intimi calorem non habet, frigida deorsum iacet, ac miserando modo fit quotidie tantò securior, quantò peior: cumque vnde sit lapsa non meminit, & supplicia ventura non metuit, quantum lugenda sit nescit. Sed omnipotens Deus mentem nostram visitans, ad amorem suum erigit, & hanc per lacrymas grauiter affligit. 73.a, b

Amor mundi in principio dulcis videtur, sed finem habet amarum: amor Dei ab amaritudine incipit, sed vltima eius plena sunt dulcedine. 128.a

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN, *Matth. 9.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN. *Matth. 22. & Luca 14.*

aut

aut rugam. Quid retribues Domino, quòd sis socia mentæ, regni, thalami? Vide quibus brachijs vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti te æstimauit, imò qui tanti te fecit. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, consuetudines noxias obliuiscere. 124 a, b

Nuptiarum conuiuium olim dirigebant sacerdotes. 127.b

Nuptiæ olim noctu celebrabantur: faces quinque ex spina alba præferebantur. 517 a

Nuptiæ in cælo. 167.b

NOLEBANT VENIRE. Inordinatus erga voluptates & diuitias affectus si non superetur, à gloria excludit hominem. Quos à bello reijciat Moyses, Deut. 20. Si Rex mittat epistolas, vocans omnes vt statim veniant, munera accepturi, nihil illis proderit illas legisse, nisi veniant; imò potiùs ob negligentiam & contemptum mortis rei erunt: ita parum proderit Scripturas habere quæ te inuitent vt diuinæ consors fias naturæ, nisi vitæ donum accipere volueris, sine quo vitam immortalem assequi non poteris. 369.a

Excusant scelera sua mali specie boni. 38c.b

Excusationem non habent qui Christum audire nolunt. 573.a.369.b.371.a

Beneficijs fiunt reprobi peiores. 288.b

Concessa tibi beneficia quomodo enumerare poteris. Simile. 138.a, b.309.b.310.a

Plurimorum beneficiorum memoriam delet vna offensa. 380.a, b

Bona accepta perdidit homo propriæ intuitus dignitati. 420.a, b

IRATVS EST. Ira non est in Deo, nec passionem significat, sed punitiuam vim, aut quem similem motum. 23.b

Securis acerbissima est ira Dei exscindens peccatores morte, & in ignem ac mortem æternam mittens. 83.b

Iræ vtilitates. 541.a

Ira vindictam auertit in Archita. 270.b

PERDIDIT HOMICIDAS. Iudæos, qui per Prophetas antea fuerant inuitati, & ad buiam excusasse maluerunt.

Homicida Herodes tremit ac timet capite truncatum. 241.a

Homicida diabolus, & qui eius filij. 286.b

Homicidij malum naturæ ius subuertit: sacrilegij reus: morte dignus homicida. 451.b.452.a

Ciuitatem succendit, Iudæos destruens, Synagogam reijciens. 70.b.98.a.125.b

Iudæorum famem, desperationem, clades, vide. 520.a. illis relictis assumptæ Gentes. 204.a

VESTEM NVPTIALEM. Vestium Pontificalium moralis adaptatio. 6.a.407 a

Habet Salomon nigredinem, sed in pelle foris & in cute niger. Pilosæ manus similitudinem proximi exprimunt peccatoris. Agnosce tunicas pelliceas, protoplastorum peccantium habitum. 37.a, b

Commissura panni rudis non assuitur vesti veteri. 167.b

Vitam puram exhibe, beata vocatione non indignam, non sordidam: habe rorulentens diuinis nuptijs conscientiæ indumentum; ne tantam ostendas impudentiam: vt tanto honore affectus melior non euadas. 372.a

Alioquin non Rex, sed tu teipsum eijcis ex admirabili illo conuiuantium choro, cùm anteà inuitatus sordida veste inuitam feceris. ibid.

Ornant nos vestimenta Apostolorum, id est, pulchra Apostolorum facta per Doctores nobis imposita. 493.b 541.b

IBI ERIT FLETVS, ob ignem qui non extinguitur; stridor verò, ob vermem qui non moritur: fletus, ex dolore; stridor dentium ex furore. Fletum tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis inuidiæ & obstinata malignitas extorquebit. 227.b.360.b.361.a

MVLTI ENIM SVNT VOCATI, PAVCI VERO ELECTI. Vocatio Dei est stella non obscura. 49 a Vocatio propria attendenda. 116.b.121.a, b Scripturæ minis eruditi ac emendati, illas opere complectamur, ne ignominia ac pœna afficiamur. 117.a. 372. a, b.

Vocat Christus tempore congruo. 164.b

Vocantis Christi virtus. 165.a, b.181.a.249.b

Vocatione Dei excidunt aliqui phantasia seu falsa opinione dogmatum meliorum, rerum sensibilium, consectatione, atque amore voluptatis. 369.b 379.a, b

Quos Deus eligit, ijs singulari auxilio adest. Eligit infirma mundi. Figura. 22.b.100.b.122.a, b

Electi pisces in vasis reponuntur. 227.b

Aurum à copiosa arena dilutum inuenitur instar milij. 357.a.358.b

Electionis ad gloriam indicia. 378.b

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Ioan. 4.

ERAT QVIDAM REGVLVS, CVIVS FILIVS INFIRMABATVR CAPHARNAVM. Regulus propter fidei imbecillitatem à Christo increpatur. Falsa mundanorum confunditur opinio, qui pauperibus neglectis diuitibus ad nutum obsequuntur. Itaque ad huius domum venire Christus dedignatur; qui vt mederetur seruo Centurionis, dixit: Ego veniam, & curabo eum. Diues peruersus vilipendendus, pauper iustus honorandus est. Personarum ne sis acceptor. 147.b.148.a

NISI SIGNA ET PRODIGIA VIDERITIS, NON CREDITIS. Prodigia in excidio Ierosolymitano. 517.a, b

Signum reuelatur paruulis, non alta sapientibus. 42.a

Merita præualent signis. 630.b.631.a

In signum contradictionis positus Iesus. 62.a

Signum de cęlo petitur ab iudæis. 323.b.326.b

Signa in sole & luna erunt. 522.b

Miracula Christi eleuant Iudæi. 326.b

Miraculo decoratur hospitalitas. 367.b

DESCENDE PRIVSQVAM MORIATVR FILIVS MEVS. Duplicem fidei imperfectionem ostendit. Perfecta fides rara est, & quæ sit illa. 148

Sollicitus de salute corporali filij, ægram animam negligit. Filiorum institutionis maxima habenda ratio. Filios non rectè institutos præstat pauperes esse quàm diuites. 148.b

Humanis remedijs deficientibus tunc primùm quærit Christum. Qui in prosperis Deum negligunt, in aduersis quærũt. Difficilè homines fidunt Deo. Fiducia iustorum vnde proueniat. 148.b

FILIVS TVVS VIVIT. Christus quamuis eum duris verbis increparit, nihilominus quod postulat concedit. Benè spera de Deo, etiam cùm videtur iratus.

CREDIDIT HOMO SERMONI QVEM DIXIT EI IESVS, ET IBAT. Non satis est credere, nisi viam man-

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN. *Matth.* 18.

Dominica XXII. post Pentecosten.
Matth. 22. *& Luca* 20.

Dominica XXIII. post Pentecosten.
Matth. 9. *& Luca* 8.

 sepræ-

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.
Matth. 24. *Lucæ* 21.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.
Lucæ 2.

In

Nnn 4 Men-

IN FESTO PASCHÆ. *Marci 6.*

IN FESTO PENTECOSTES. *Ioan. 14.*

Pente-

IN FESTO SS. TRINITATIS. *Matth.* 28.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI. *Ioan.* 6.

pro-

propter duritiam cordis tui. Cor tibi mollescat pietate, plus tibi soliditas veritatis, quàm vanitas mendacij, vel oleum adulationis placebit. ibid b

Spiritus est qui viuificat. Spiritalia & viuifica sunt. Non oportet ea simpliciter intueri, id est, carnaliter intelligere: sed aliud quidpiam imaginari, & interioribus oculis ea aspicere tamquam mysteria: nam hoc est spiritaliter intelligere. 252.b

Vide v. *Eucharistia, Cibus.*

In festo Conceptionis B. Virginis Mariæ. *Matth. 1.*

Avri fusorum pueri etiam minutissima fragmenta curiosè conquirunt. Nomina multarum monimenta sunt rerum, cùm beneficiorum Dei, tum benedictionum quoque collatorum mulieribus indicia.

Maria, Ecclesiæ typus, quæ est immaculata. Magna Mariæ gratia exuberans atque completa, quæ cælis dedit gloriam, terris præbuit Deum, gaudium præstitit Angelis, sæculis præbuit Deũ, fide docuit gentes, vitijsque finem imposuit; humanæ vitæ instituit ordinem, atque spiritualem edidit moribus disciplinam. Non solùm in plenitudine Sanctorum detinetur, sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuatur. Detinet virtutes, ne fugiant; detinet merita, ne pereant; detinet dæmones, ne noceant; detinet Filium, ne peccatores percutiat. Ante Mariam non fuit qui sic Dominum detinere auderet. 12.a,b

Spiritus Beseleel impleuit, & ei Dominus adfuit cùm tabernaculi vasa fabricaret; ita Dominus Mariam sua gratia priùs impleuit quàm ex ea Filij sui corpus fabricaret. Ad condendum in ea mirabile Sacramentum miro modo sibi fecit Filius sacrarium. Deus cum omnibus Sanctis est, sed specialiter est cum Maria. Mulierum generalem euasit Maria maledictionem. 13.a

Non rapuit gratiam vt Angelus, non perdidit vt Adam, non emit vt Simon magus, non abscondit vt infidelis doctor; sed restituit potiùs gratiam increatam, & cum illa omnem creatã, spiritualem & corporalem. Cælesti rore aream rigaturus Deus, totum vellus priùs infudit. ibid.b

Hortus planè deliciarum, quam non modò afflauerit, sed & perflauerit superueniens Auster ille diuinus, vt vndique fluant & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundũ, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens & densissimæ tenebræ relinquuntur & vmbra mortis? ibid.

Si maiestatem reuereare diuinam, ad aduocatam Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria: non modò pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. ibid.

Quasi adumbratis quibusdam à Spiritu figuris, virtus Altissimi per semetipsum colores ipsos inijciens (paternas scilicet cognitiones) vel etiam inuisibilem suam formam in te vmbraticè depinget. 14.b

Quid ad me miraculi huius pelagus inuestigare? Prophetas percellit, & symbolis quibusdam atque vmbris depinxerunt, si fortè veluti coloribus quibusdam obscurioribus, rei tantæ magnitudinem possent adumbrare. Mare diuulsum atque iterùm confluens te compellam: portam peruiam simul ac clausam: fornacem irroratam simul & accensam: rubũ ardentem, sed non combustum: nubem in die, simul & recti itineris nuntiam: columnam ignis, non diuinum tantùm ignem circumferentem, verùm etiam diuinum nouumque populum, contra spiritalem Pharaonem munientem: petram melle, id est Verbo fluentem: virgam flores, id est, suauem odorem ac gloriam genus proferentem: terram semper sui similem, quæ & plena sit reperta diuinis alimẽtis, & manna panem incultum proferat, & arationis & sationis expers semper existat: arcam numquam quiescentem: hortum refugij, facem inextinctam: templum inaccessum, montem insecabilem, densum virtutibus & vmbrosum: tabulam à Deo conscriptam: vrnam Deum continentem: mensam in qua est panis vitæ: thalamum in quo Potentissimus quieuit: scalam per quam descendit quidem Deus, sed ascendit homo; quæ à terra quidem incipit, sed ad cælũ peruenit. Tanta de te, ô Virgo, imò plura adhuc miracula, vel potiùs figuræ miraculorũ. 15.a,b

Aaron duxit Elizabeth, & sic facta duarum tribuum coniunctio. ibid. b

Margaritarum sex differentiæ. 356.a. 557.a.

B. Virgo Maria ipsa est Ierusalẽ & est visio pacis, pulchra, electa, suauis, formosa, quam viderunt filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudauerunt. 616.b. Tabernaculum vniuerso simile. Eius significatio. 177.b. Festum tabernaculorũ. 539.a.

Puritas sectanda. 540.a

In festo Nativitatis B. Virginis Mariæ. *Matth. 1.*

Nvllivs hominis natiuitatem præterquam solius Dei, eiusque Matris & Ioannis Baptistæ, celebrat Ecclesia: quia melior est dies mortis die natiuitatis. Hinc martyrum mortes natalitia vocantur, quibus factus est de morte natalis. 9.b

Nasci ex claris parentibus non iuuat, nisi sis clarus virtutibus. Quid profuit Cham, quòd filius fuit Noë? nónne separatus de medio filiorum? Qui secundùm carnem frater natus fuerat, secundùm animum factus est seruos: nec familia eius sancta potuit defendere impios mores. Aut quid nocuit Abrahæ quòd patrem habuit Thare luteorũ deorum cultorem? nónne separatus à genere suo, positus est in caput fidelium, vt iam non diceretur filius peccatorum, sed pater sanctorum? nec potuerunt gloriam eius sordidare paterni errores; nam & aurum de terra nascitur, sed non est terra; stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Præstat illustrare familiam quàm ab ea illustrari. 83.a

Licet Christus esset filius Dauid, tamen iamdiu regnum familiæ Dauid cessauerat. 597.b

Parentum sanctitas, filiorum est beneficium. 3.b

Si qua anima eò vsque profecerit, vt sit secunda virgo, sit stella maris, sit plena gratia, & superuenientem habens in se Spiritum sanctum, puto quòd non modò in ea, sed ex ea quoque non dedignatur Christus nasci. 43.a

Natiuitatis nostræ principium Christus sanctificauit. Oportebat certè, quoniam totam naturam hominis ad melius restaurabat, non solùm natis iam hominibus benedicere, verùm etiam nascituris gratiam præparare, & aditum illorum ad hanc vitam auctoritate miraculi & præsentia sua sanctum efficere. 523.b. 524.a

Lilia

In festo Annvntiationis B. Virginis Mariæ. *Luca 1.*

IN FESTO VISITATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ. *Lucæ* 1.

ABIIT IN MONTANA, ET SALVTAVIT ELISABETH. Nesciit tarda molimina Spiritus sancti gratia. Officia mulierum & virginum. Mater Dei in omnibus exemplar modestiæ. Bona opera celeriter perage. Vberiores fructus habet celerata deuotio. Currit Abraham, per semetipsum officia charitatis exercens Currit Abraham, vxor festinat, puer accelerat. Nullus piget est in domo sapientis. 18.b

Salutationes officiosas vitet concionator. 300.a

Salutationis signum, osculum. 590.a

Irrisorias salutationes passus Christus. 601.a

Peregrini viri separati à mulieribus procedebant. 73.a

Mons Thabor peregrinationibus celebris. 259 a

Peregrinis duodecim accessit decimustertius Angelus specie peregrini. 368 a

Peregrinationes & labores Abrahæ. 410.b.

Peregrè proficiscens homo Christus est. 530.b

EXVLTAVIT. Infans ante matrem exultat, cum vsu rationis & vero gaudio. Ioãnes lucerna ardens & lucens. Illuminauit modium suum, sub quo latebat. Tantùm ardere, parum; ardere & lucere, perfectum. 19.a

Feruor perpetuò seruandus. 117.b

Feruidi priuilegia. 627.a.

Piè debes Domino exultare, si vis securus mundo insultare. In illo tantùm exultat, quem amando significat. Exultatio mundi tendit ad luctum. 20.a

MAGNIFICAT. Cùm grandem fecero animam meam opere, cogitatione, sermone; tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus in anima nostra magnificatur. Si peccatores fuerimus, minuitur & decrescit. Magnificat anima nostra Deum, quando sub ipso seipsam captiuat & humiliat. 19.b

RESPEXIT HVMILITATEM ANCILLÆ SVÆ. Beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundũ purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas inferis liberauit. Humilitas B. Mariæ facta est scala cælestis, per quam descendit Deus ad terras. Respexit, id est, approbauit. multorum humilitas à Deo non approbatur; quia non Deum, sed se laudari volunt: eorum spiritus non in Deo, sed in mundo exultat. 20.a

TIMENTIBVS EVM. Miseretur his quos timor eius compescuit in qualibet natione: qui scilicet pœnitentia ducti, & ad fidem & pœnitentiam conuertuntur. Obstinati incredulitate claudunt sibi ianuam pietatis. Noli altum sapere, sed time cùm affuerit gratia, cùm abierit, cùm reuertetur. Cùm adest time, ne non dignè opereris ex ea: si recesserit, magis time; quia vbi deficit gratia, deficis & tu: si redierit, caue à recidiuo. ibid.a, b

FECIT POTENTIAM. Et dispersit omnem cogitationem superbam in non credendo, & ipsum non timendo. Dæmones superbos aduentu suo dissipauit Christus: & gentilium sapientes apparentem prædicationis stultitiam non suscipientes, populumque Iudaicum credere nolentem. Hæc consecuta sunt prophetiam. ibid.b

DEPOSVIT POTENTES. Mens nostra thronus est Deitatis, sed iniquæ virtutes post transgressionem in corde Adami, tanquam in proprio solio in posterum consederunt. Idcircò Christus per corporea organa hominibus locutus est, prauosque spiritus eiecit de mentium nostrarum atque cogitationum sedibus: & mundauit conscientiam, & sibi sedem fecit mentem, cogitationesque ac corpus, & à dæmonibus humiliatos exaltauit. 20.b.21.a

SVSCEPIT ISRAEL. In ipsum intuentes atque credentes, ac per ipsum Filium adoptatos. Vel Israëlem: multa enim ex eis millia crediderunt. 21.a

RECORDATVS MISERICORDIÆ. Quemadmodum addixerat Abrahamo & adimpleuit quod illi promiserat; Quoniam benedicentur in semine tuo omnes gentes. Completa est autem hæc promissio, quòd ex ipsa nasciturus erat communis Saluator Christus, qui est semen Abraham, in quo omnes gentes benedicuntur. ibid.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. VIRGINIS MARIÆ.

DIES PVRIFICATIONIS. Virgo non erat subdita legi purificationis. Primus Adam ex terra fictus, postremus Adam prioris corruptionem instaurans, in matre Virgine corpus purificatum assumpsit. Quædam animalia sine coitu pariunt. 55.a. 56.b. 57.a

Etiamsi non teneretur lege, eam impleuit, vt mater Filij humilitati conformaretur, qui circumcisionem & alia onera suscepit, ad quæ non tenebatur. 57.a, b

SISTERENT EVM DOMINO. Vt carnem sanctificaret, homo factus est. Teipsum purifica & præsenta Deo, temperantiam & quietem, innocentiam & mansuetudinem. 55.b 56.a

Purificationis origo & causa oblationis, quòd Dominus vt Israelem liberaret, primogenita Ægyptiorum occidit. 57.a

Oblatio Christi posteà facta, non in brachijs Simeonis, sed in brachijs Crucis. Non redemptus ab alieno, sed alios redimens Sanguine proprio; in sacrificio non matutino, sed vespertino.

PAR TVRTVRVM. Offer duo minuta Deo corpus & animam: quia vtilius tibi est vt offeraris Deo, quàm vt tibi relinquaris, nam ad teipsum anima tua conturbatur. 57.b

Magis labora in interiori homine sanctificando permundandoque, quàm in sordibus domus vestiumque purgandis. Purgare per ventum Spiritus sancti ab Austro flantis, per scopas humilitatis, per ignem charitatis, per limam correptionis, verbi Dei, per aquam tribulationis, per ventilabrum sanctæ meditationis. ibid.

Turtur castissimum animal: columba felle & amaritudine caret, earum collum retorquet sacerdos, admonens, vt iam non erecta ceruice, sed humiliato capite incedas. Ventris ingluuiem fugias, plumas leuitatis & motum elationis proijcias. Ea quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas. 58 a, b

Columbam imitans super riuulos Sanctarum Scripturarum sedeas, & admonitione earum incursum diaboli euadas. Rostro non percutias, proximo malum non facias, nec dicas. Neque habeat fel iracundiæ. ibid.

Gemitum habe pro cantu. Sicut homines sæculares gaudent cantilenis sæculi, ita tu gaudeas in gemitu & tristitia spirituali. Per innocentiam vitæ sis simplex, & cum simplicitate prudens. ibid.

TIMORATVS. Quia timor inchoat & consummat iustitiam. 60.a

EXPECTANS CONSOLATIONEM ISRAEL. Mani-

In festo Assvmptionis B. Virginis Mariæ. *Lucæ* 10.

 lumna

IN COMMVNI SS. APOSTOLORVM ET EVANGELISTARVM.

Bartholomæus Apostolus an sit idem cum Nathanaële. 121.a,b

Ecclesia ex Gentibus suscipiens Christi mysterium per sanctos Apostolos, mater facta est populi crescentis semper. Synagoga ex Lia, Rachel, Ecclesia ex Gentibus, nouum & additiuum populum peperit, Christianos. Infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia. 100.a,b. Fortes illos fecit patientia multa. 241.a

Nudi & indocti Apostoli missi vt orbem conuertant. 298.a,b

Apostoli & discipuli bini & bini missi sunt, vt olim Moyses & Aaron, Iosue & Caleb, qui concordantes populum ab exploratoribus offensum placauerunt: Eldad & Meldad, vterque prophetauit in tabernaculo: Paulus & Barnabas. Frater qui adiuuatur à fratre, est quasi ciuitas firma. Prouerb. 18.

Iuga boum terram colunt: ita Dominus Apostolos misit combinatos, cum illis colens terram in veritate audientium atque credentium. Simul declarauit quòd quantumuis sufficientes sint præpositi in spiritualibus gratijs; pulchrior tamen sit coëxercitatio, quæ charitate coagulata est, & proprij amoris elationisque passionem non patitur dominari. 297.a,b

Discipulis 72. successerunt Sacerdotes, vt Apostolis Episcopi. In Elim erant 70. palmæ, in figuram discipulorum. Moyses præter 12. Patres & Principes tribuum, elegit ex singulis tribubus sex, hoc est vniuersim septuaginta duos, veluti populi Senatores, & Consiliarios Moysia: item electi 72. Interpretes. ibid.b

Possunt etiam vocari panes discipuli, consortes facti panis nutrientis in vitam æternam: quin & ipsi quoque nutriunt scriptis suis eos qui fiunt iustitiam. Panibus imponebatur thus & sal. Thus suaueolentiæ symbolum, sal verò cognitionis ac prudentiæ. Suauis odor, vita Apostolorum; erant insuper admodum prudentes. 181.b

In commvni SS. Martyrvm.

Regina martyrum est B. Virgo Maria, cuius materna viscera tribulationis gladius transuerberauit. Tantus fuit dolor Virginis, quòd si in omnes creaturas diuideretur, omnes subitò interirent. Vnde martyr, & plus quàm martyr est. Dolor interior maior est exteriori. 63.b.64.a

Occisi in Betbleem & in finibus eius Innocentes, innuunt non solùm in Iudæa, vnde Ecclesiæ cœpit origo, sed & in omnibus eiusdem Ecclesiæ finibus persecutionem sæuituram perfidorum, & piorum patientiam esse coronandam. Qui à bimatu occisi sunt, doctrina & operatione perfectos indicant: qui verò infra, simplices vel idiotas, fidei tamen non fictæ constantia, fortes æquè denuntiant. Quòd Christus euasit occisis Innocentibus, insinuat, corpora quidam ab impijs posse perimi, sed Christum, pro quo persecutio tota sæuit, nullatenus eis vel viuentibus vel occisis posse auferri, sed eos veraciter contestari, quia siue viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur. Siue enim viuimus, siue morimur, Domini sumus. 68.b

Martyres nunne testes sunt Christi vt testimonium perhibeant veritati? Sed quando martyres perhibent illi testimonium, ipse sibi perhibet testimonium. Ipse enim habitat in martyribus, vt testimonium perhibeant veritati. 173.b

Angelus confortauit Christum patientem. Huc propter nos per dispensationem gessit. Pro pietate enim ac religione certantibus ac sacra certamina sustinentibus, Angeli cælestes auxilium ferunt.

Quemadmodum Christus carne mortem voluntariè sustinens, illi immortalitatem indidit; sic & voluntate seruilem quasi passionem suscipiens, illi audaciam & robur inseuit, quò in ipsum credentes ad magna martyrij certamina corroboraret. Ideò sudorum grumi mirabili prorsus ratione instar sanguinis defluxerunt, vt tumem timoris atque formidinis, ex natura nostra quasi aboleret atque exsiccaret. 588.a

Suum gestat Christus victor de diabolo triumphans trophæum, deinde Simon; vt omnibus innotesceret, Dominum non suam mortem, sed hominum obire. 601.b

Martyrium in mente, & in mente simul & actione. Martyres esse possumus, etiamsi nullo percutientium ferro trucidemur. Ferre contumelias, odientem diligere, martyrium est in occulta cogitatione. Calix significat dolorem passionis. 476.b

Martyrij promissione consolatur Christus Petrum. 627.b.628.a

Noë oratione obtinuit à Deo, vt aues & feras in Arcam congregaret. Cui Deus: Quod tu naturæ viribus perficere non potuisti, id ego perficiam; tu tantummodò me respice, mentemque in me cum magna fiducia intende, & ecce videbis dexteram meam. Ita martyres. 433.a

Constanter Deo crede, eique te totum committe, quantum potes. Noli esse velle quasi proprius & in tua potestate, sed eius clementissimi Domini seruum te esse profitere. Ita enim te ad se subleuare non desinet, nihilque tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias. 27.a

Iusti conscij, quòd Deo promissa seruent, non dubitent quin ipse vicissim illis promissa præstabit. Abrahæ fiducia vode. 148.b. Fiduciam vanam fuge. 630.b.631.a

Tribulationes huius vitæ vtiles. Secreto Dei consilio agitur, vt huius peregrinationis tempore electorum vita turbetur. Vta quippe est vita præsens qua ad patriam tendimus, & idcircò hîc occulto Dei iudicio frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. 26.b. Sed flagella Dei miscentur misericordiâ. 149.a. 619.a

Passer non albescit, nisi in infirmitate: sic iusti in aduersis albescunt. Nam *virtus in infirmitate perficitur*, 2. Cor. 12. Anima martyris per martyrium è laqueis diaboli eripitur, inquit S. Augustinus in Psal. 123. 162.a

Baptismus etiam vocatur mors ac Crucis passio, quia in Scripturis aquæ & in aquas demersio, symbolum est tribulationum & afflictionum. Psal. 68. 346.b

Tribulationes Lazari nouem: paupertas, morbus, desertio ab ijs qui assistere debebant, quòd in vestibulo diuitis iaceret, nullo consolante; quòd alterum in felicitate conspiciebat, quòd videret para-

In Commvni SS. Confessorvm.

Lucer-

In Commvni SS. Virginvm, et non virginvm.

In festo Sanctorum omnium.
Luca 6.

In Dedicatione templi.

Luca 19.

In die Commemorationis omnivm fidelivm defvnctorvm.

ttatus

FINIS.

ERRATA.

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Erratum.*	*Correctio.*
7.	1.	45.	efficiam	efficias.
36.	1.	14.	sic non & mente propter mentem, *&c.*	sic & mente propter mentem, quę in Adamo non solùm, *&c.*
54.	2.	27.	futuræ	fortunæ
63.	1.	18. *à fin.*	omnem	crucem
153.	2.	1.	ad perseuerandum	ad persuadendum
156.	1.	20.	*ὑμῶν.*	*ἡμῶν.*
161.	2.	23.	anni	asini
164.	1.	15.	operiat	aperiat
170.	2.	20.	metire	metue
224.	1.	17. *à fin.*	itaque	vtraque
292.	2.	24. *à fin.*	strepit,uid.	strepitu,id
384.	2.	26. *à fin.*	munditiam	immunditiam
205.	2.	8. *à fin.*	} domum	donum
495.	1.	17.		

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXVIII.


LABORE ET CONSTANTIA